PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENERUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR

PATROLOGIÆ TOMUS CLXV.

S. BRUNO ASTENSIS, ABBAS MONTIS CASINI ET EPISCOPI SIGNIENSIUM.
ODDO ASTENSIS MONACHUS BENEDICTINUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1854

Digitized by Google

C550.1



1875, March 22.
Bequest of
James Walker, D.D., L.L.D.
(H.U. 1814.)
President of Harv. Univ.

76.41
41-203
1-51

Digitized by Google

SÆCULUM XII

S. BRUNONIS

ASTENSIS

ABBATIS MONTIS CASINI ET EPISCOPI SIGNIENSIUM

OPERA OMNIA

AUCTA ET ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATA

JUXTA EDITIONEM ROMÆ ANNO 1791 CURANTE BRUNO BRUNI DATAM

ACCEDIT

ODDONIS ASTENSIS MONACHI BENEDICTINI

EXPOSITIO IN PSALMOS

S. BRUNONI AB IPSO AUCTORE DICATA

Quam ad calcem Operum S. Brunonis edidit D. Maurus Marchesius, Casinensis decanus, Venetiis anno 1651

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS SECUNDUS

VENEUNT 2 VOLUMINA 14 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT MONTROUGE

1854

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXV CONTINENTUR.

S. BRUNO ASTENSIS SIGNIENSIS EPISCOPUS.

		Col.
Commentaria	in Matthæum.	63
—	in Marcum.	313
—	in Lucam.	334
—	in Joannem.	451
—	in Apocalypsim.	603
Homiliæ.		747
Sermones.		863
Sententiæ.		867
Tractatus.		1079
Epistolæ.		

ODDO ASTENSIS MONACHUS BENEDICTINUS.

Expositio in Psalmos.		1142

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

PROLEGOMENON

IN DUAS PARTES DISTRIBUTUM

Quarum prima est de codicibus mss., ex quibus facta est hæc Opp. S. Brunonis collectio; altera continet analysim sex librorum sententiarum.

PARS PRIMA.

Expositiones S. Brunonis Astensis, quæ exstant, in libros Veteris Testamenti, primo in volumine anno superiori edito complexi sumus; modo partem alteram a Commentariis in quatuor Evangelia exordimur, quibus interpretatio Apocalypsis, et reliqua ejus Opera huc usque cognita, et recepta subsequentur. Commentaria autem illa in Evangelia S. Brunonis a Petro Lazzario pridem Soc. Jesu Theologo doctissimo publici juris facta, auctore, ac promotore præstantissimo cardinali Francisco Xaverio de Zelada (cujus innumeras laudes nulla unquam ætas conticesceet) multis rationum momentis impulsi iterum publicamus. Horum primum est Lazzarium rem, seu illustrationem auctoris perfecte assecutum fuisse; quippe tam copiose, tamque erudite scriptæ sunt ejus adnotationes, ut his alias addere supervacaneum sit; non enim in sacro textu major obtineretur perspicuitas; sed onerosa auctoritatum congeries fieret, dubiaque ex multiplici sensu intelligentia. Alteram rationem nobis suppeditat certa cognitio, editionem illam Commentariorum S. Brunonis in Evangelia, quamvis nitidam, et accuratam, parum in Italiam dispersam fuisse, multoque minus ultra montes pervulgatam. Tertio accedit, quod cum excudendæ sint homiliæ et sermones ejusdem S. episcopi Signiensis; quorum pars magna ab iisdem Commentariis desumpta est, ostendere oportet, atque ob oculos lectorum ponere, quibus in locis vel homiliarum fragmenta, vel sermones integri legi possunt. Quarto inscius nemo est, quam diu sub Eusebii Emiseni nomine usurpatæ sint homiliæ illæ (1), et in pluribus editionibus recusæ; quare præcipue curæ Lazzario fuit, tam dolosam suppositionem convellere, et S. Brunonem Astensem concionum illarum auctorem stabilire. Sed et ipsam doctissimi Lazzarii Præfationem rursus producimus, cum eximia redundet eruditione, pluraque de patria, natali, vitæ genere, scriptisque S. Brunonis collegerit, quæ commentarium nostrum in vitam S. episcopi maxime illustrant atque confirmant. Qui ex scriptorum testimonio S. Brunonem interpretem Evangeliorum exstitisse noverant, latente adhuc in bibliotheca Collegii Romani codice ms. in quo interpretatio illa continebatur, ea perfrui valde exoptabant. Satis igitur factum est eorum votis, et sapientium approbationem assecutus est clarissimus editor; namque lectioni SS. Patrum dediti fatentur se in elucubratione illa summam, seu compendium præclarissimarum illustrationum veterum expositorum reperire, atque in ea mel veluti ex pluribus floribus confectum habere. Quapropter hoc opus tanti laboris fructum non Commentarium, sed Commentaria in Evangelia appellavimus. Unum superest, ut lectores admoneamus, scilicet nos non codicis ms. orthographiam veterem, jam obsoletam, et lectoribus gravem, ut Lazzario placuit, secutos fuisse, sed ad recentem usum conformem reddidisse. Pro exteris hominibus addere libet, ex typographio Marci Palearini Romani anno Jubilæi 1775 prodiisse S. Brunonis Commentaria super evangelistas in duos tomos in-8 distributa; quorum primus continet expositionem in Matthæum; secundus vero in Marcum, Lucam et Joannem. Apoplexia tactus mense Januario anni elapsi 1789 gravis ætate piissime, ut vixerat Petrus Lazzarius, in sacris studiis versatissimus, ut plura ejus opera testantur, Romæ obiit, mœrentibus omnibus bonis.

Nostrum hic esset docere, quos hac pro nostra editione consuluerimus mss. Codices, ne minus diligentes in ea exornanda videamur; hoc sane non omittimus, sed ad opportuniorem locum reservamus, ubi de homiliis, et sermonibus S. Brunonis agendum erit. Interim ingenue fatemur, cum in feriis autumnalibus anni 1784, quibus Taurini fuimus, pro temporis brevitate, qua ea in urbe morari egimus, collationem hujusmodi cum codice ms. Regii Athenæi, de quo Lazzarius mentionem habet, perficere nequivisse; eum tamen observavimus membranaceum esse, in fol. charactere Romano exaratum, quem ad XII sæculum, vel ad initium sæc. XIII periliores judices referunt. Accedit hoc in volumine, post Commentaria in Evangeliorum librum, expositio

(1) Ipse S. Thomas Aquinas variis in locis, ut III. p., q 75, a. 5, et q 75, a. 4 Eusebii auctoritates ex serm. 3 de Paschate, atque alibi affert; adeo hujusmodi opinio invaluerat.

Digitized by Google

in Apocalypsim, de qua pauca sunt prænotanda, cum ipse S. Bruno interpres quid animadvertere deberent lectores admonuerit.

Hæc versantur circa objecta, quibus Abauzitius Genevensis Calvinista auctoritatem libri Apocalypsis labefactare nisus est; sed frustraneo conatu. Cum paucis ab hic annis clariss. Vincentius Fassinius O. P. in Lycæo Pisano S. Scripturæ professor, S. Joan. evangelistæ prophetiæ vindicias doctissime egerit, non nisi summa capita ad controversiæ cognitionem referam. Primo igitur dixerat Abauzitius, neminem ignorare quot Evangelia, revelationes, et Acta apostolis attributa primis Ecclesiæ sæculis fuerint, quæ dein ut apocripha scripta damnata sunt ab Ecclesia. Secundo adnotabat, Apocalypsim inter libros protocanonicos minime receptam fuisse. Tertio, perpetua libri hujus obscuritas, eique perversæ, ac malignæ interpretationes multis in locis affixæ, non leve præstant argumentum, prophanum potius quam divinitus inspiratum auctorem exstitisse. Quarto nos provocat ad ostendendam Patrum traditionem, quorum testimoniis palam fiat Apocalypsim inter apostolicas Scripturas jure meritoque locum obtinuisse. Præmitto semper fuisse hæreticorum consuetudinem, cum ab auctoritate divinarum Scripturarum se obrui sentirent, nec haberent quo ab earum oraculis evaderent, illas ab albo canonicorum librorum eripere, et inter commenta referre. Ita Lutherus et Calvinus epistolas Pauli et Jacobi suppositas dixerunt, quod suis erroribus palam adversarentur. Apocalypsim itaque primis Ecclesiæ temporibus rejecere Marcionitæ, Theodosiani, Alogi, quos illius ævi Patres invictissime refutarunt. Eorum cineres cum excitasset Abauzitius, inulta non fuit ejus audacia, atque a fortiori manu elisa penitus, contritaque jacula ejus. Primi igitur argumenti vis contra ipsum Abauzitium statim retorquetur; si enim, eo fatente Ecclesia fabulosas commentitiosasque scriptiones nunquam recepit; sed eas refutavit damnavitque; cum prophetiam S. Joannis evangelistæ inter canonicos libros recensuerit, et fidelibus commendaverit, eam germanum apostoli opus, Spiritu sancto afflante conscriptum agnovisse, dicendum erit. Quod autem 2. protulit, Apocalypsim cum reliquis Novi Testamenti libris protocanonicis non statim admissam fuisse, dico: summæ hoc Ecclesiæ curæ, ac prudentiæ esse adscribendum, quæ prius Latinorum Græcorumque Patrum Opera expendere voluit, ut eorum auctoritate munita, Apocalypsim librum divinum declararet. Id certe egit Gelasius pontifex in Romana synodo, itemque concilium Carthaginense III, et postea Patres Tridentini, solemni decreto confirmarunt. Nullius autem momenti facienda est tertia oppositio; siquidem constat ab hæreticis Chiliastis, sive Millenariis longe abfuisse Papiam, Justinum, Irænеum, paucosque alios, qui mille annis justos cum Christo regnaturos post primam resurrectionem juxta Apocalyp. cap. xx, opinati sunt. Nam hæretici illi, quorum dux Cerinthus, carnis voluptatibus, A et omnibus mundanis oblectamentis gavisuros justos effutiebant; catholici autem spirituales delicias, perfectioris nempe amoris Dei ampliorisque cœlestium bonorum cognitionis possessionem felicibus illis electis tribuerunt. Si vero ex prava iniquorum interpretatione sacræ litteræ rejiciendæ forent; cum ab ortu Ecclesiæ, teste D. Petro ep. II, cap. III, ipsæ Pauli Epistolæ ab indoctis quibusdam et instabilibus depravarentur; vix aliquis divinus liber in Ecclesia auctoritatem obtineret. Ad postremum objectum, quod traditio Apocalypsi non faveat; respondeo primo, non ita sensisse Grotium, Flaccium Illiricum, Richardum Simonium heterodoxos criticos, qui antiquiores Ecclesiæ Patres, Justinum scilicet, Irænеum, Tertullianum, Origenem, Clementem B Alexandrinum, Theophilum item Alexandrinum, Cyprianum, aliosque plures memorant, qui S. Joannis prophetiam de futuro mundi statu, tanquam librum divinum agnoverunt. Respondeo 2. a secundo Ecclesiæ sæculo, usque ad nonum, perpetuum Patrum tam Græcorum, quam Latinorum in asserenda divinitus inspirata Apocalypsi consensum perspicue ostendi, atque probari; quare optimo jure processit Ecclesia in condemnationem eorum, qui ejus decreto refragati fuerint. Cæterum qui hac de controversia plura videre cuperet, adeat Natalem Alex. tom. III Histor. Eccl., ar. 2, § 5; August. Calmet in præfat. ad Apocalyp. Joan. Lanium De erudit. apost., part. II, cap. 6; Vincentium Fassinium De auctoritate libri Apocalypsis.

C Compendiose persolutis responsionibus ad hæreticorum objecta, quibus libri Apocalypsis auctoritatem infirmare conati sunt, silentio non præteribo quæ ad hanc novam ejusdem libri editionem illustrandam quæsita sunt, et non exiguo cum labore comparata. Primo igitur dicam singularem sibi promeruisse laudem S. Brunonem, quod paucos inter Patres fuerit, qui totam Apocalypsim explanarunt. Secundo loco commemorabo me hac in editione non mancam, et interpolatam, ut Marchesius publicavit, sed integram totamque perfectam lectoribus præbere antistitis nostri in Apocalypsim interpretationem. Post quam pluribus in bibliothecis frustra cum mss. codicibus conferre studuerim Marchesii lectionem; tandem quid in ea deest, et quid D sensum præficere potest ex codice Vaticano comperi, cui fidem ex descriptione modo facienda nemo negabit. Codex ille membranaceus est in fol. parvo sæc. XII, charactere Romano admodo eximie exarato, qui olim fuit Christinæ Suecorum reginæ, gestatque in fronte hanc epigraphen: *S. Brunonis Signiens s episcopi.* Incipit a præfatione ejusdem commentatoris, eademque Apocalypsis divisio inspicitur, non in capita, ut Vulgata, sed in septem libros ab ipso Brunone dispositos.

Tertio loco verba facturus de homiliis atque sermonibus S. Brunonis nostri, fateor equidem maximas gratias eminentissimo cardinali Zelada habendas esse, quod ipse sua munificentia ejusdem

Digitized by Google

S. episcopi. Commentaria in Evangelia in lucem produci curavit, qua editione penitus contrivit, atque delevit commentum illud, nescio cujus imperiti librarii qui cum in ms. volumine seriem quamdam homiliarum atque sermonum, nulli auctori attributam comperisset, Eusebii Emiseni nomen ei inscripsit. Diu hujusmodi suppositio invaluit, et tres eo sub nomine factæ sunt editiones. De priore mentionem fecit Casimirus Oudinius, cujus testimonium infra afferemus. Altera hunc titulum in fronte præsefert. *D. Eusebii Emiseni homiliæ in Evangelia, quæ cunctis diebus Dominicis totius anni, ac feriis quadragesimalibus legi solent, nunc primum in lucem editæ, quibus adnecti curavimus ejusdem homilias in præcipuis anni festivitatibus. Antuerpiæ apud Joannem Steelsium A. D.* 1555. in 8. Post indicem homiliarum, quæ sunt omnes CXLII, additur homilia : *De pœnitentia Ninivitarum Eusebii ejusdem.* Hæc posterior editio ita inscribitur. *Divi Eusebii episcopi Opera, videlicet homiliæ id Evangelia, quæ cunctis diebus Dominicis totius anni, et feriis quadragesimalibus legi solent. Præterea homiliæ de præcipuis anni festivitatibus : postremo homiliæ ad populum eloquentissime, ac religiosissime recens in lucem emissæ. Parisiis apud Hieronimum de Manef, et Guillelmum de Cavallat sub Pelicano, monte D. Hilarii anno* 1575. in 8. Ambæ illæ editiones exstant in bibliotheca Ghisiana, easque cum vulgatis a Marchesio homiliis comparavi. Hic opportune incidit Theophili Raynaudi testimonium, qui de malis ac bonis libris p. 1, Eres. x, § 2, num. 217, Opp. tom. XI, Lugd. an. 1665, pag. 282, hæc habet : « Eusebio Emiseno per magnam hallucinationem supposita sunt sermones de tempore, et sanctis, qui primo loco habentur in opere, quod Eusebio ascribitur, qui sunt Brunonis Signiensis, magni in Berengarium Concertatoris sub Gregorio VII. Ita enim habetur ex indicibus Casinensibus, ac Vaticanis, et ex Petro Diacono bibliothecario, qui omnes illos sermones ex nomine notatos ascribit S. Brunoni Signiensi, cujus ætate vixit. » Copiosior adhuc fuit in tradendo hisce de homiliis judicio Casimirus Oudinius de Script. Eccl. tom. I, sæc. IV, col. 393. « Anno, ait, 1554 primum Claudius Fremy Parisiensis typographus sub falso Eusebii Emiseni nomine edidit. Centum quadraginta quinque homilias de tempore ac de sanctis in 8. impressas, oblatasque clarissimo viro Gabrieli Boverio Ecclesiæ Andegavensis episcopo XIV Kal. Junii, quarum ipsi copiam fecerat doctor quidam ordinis Fratrum prædicatorum, dignas eas affirmans, quæ prelio committerentur, non abnuo, quin opus istud probum sit, et aliquantam saltem antiquitatem, stylique congruitatem aliquam sæculo XII ascipulantem secum habeat : sed cum priscis Ecclesiæ doctoribus comparari queat, et sæculi Ecclesiæ quarti, vel quinti leporem, dicendique formam sapiat, nullus opinor est, qui id asserere audeat. Hæc plena collectio hodiernæ consuetudini pontificiæ tam belle adaptata sæculum Ecclesiæ XI vel XII etiam præcedere haud quaquam potest. Quamvis igitur istud opus episcopo Emiseno Eusebio attributum fuerat, ut in magnum inde Scriptorem accresceret : tam merito tandem, jureque exceptum, legitur parenti S. Brunoni Signiensi episcopo (ut vocant) restitutum est ex fide mss. codicum, et auctoritate Petri Diaconi Casinensis bibliothecarii. Contigit hæc nostri Eusebii Emiseni exspoliatio, atque Brunoni Signiensi facta restitutio anno 1651, per accuratam operum hujusce Brunonis editionem in-folio procuratam, nunc satis obviam. Ab hoc tempore nullus, quem sciam, fuit, qui vel has homilias Eusebio Emiseno ascribere, et Brunoni auferre voluerit; ita apud criticos hæc veritas obtinuit. » Quæ opinio de hoc Eusebio Emiseno haberi debeat, idem Oudinius tradidit. (2) « Eusebius, inquit, Emisæ episcopus in Syria sive Phœnicia, quem Phœnicem episcopum Theodoretus vocat, Arianæ signifer factionis temporibus imperatoris Constantii vixit, de quo S. Hieronymus in Chron. ad ann. Christi 348, Olymp. 281, tum in Catalog. De script. eccl., cap. 101 (3). » Latrocinium ab Eusebii Emiseni editoribus factum apertissime ostendunt tres præcipue codices, Casinensis nempe, Vallicellanus, et Mediceo Laurentianus, qui quantum sibi vindicent auctoritatem, demonstrabo. Prioris notitiam mihi suppeditavit persæpe commendatus D. Thomas Capomatius archicœnobii Casinensis præsul; duos reliquos mea manu versavi, et cum Marchesii editione diligentissime contuli. Codex Casinensis sig. num. 184, infol. minori, membran., charcteribus Langobardicis exaratus sæc. XII, continet homilias in Evangelia totius anni, et incipit ab evangelio : *Hoc est præ-*

(2) Vid. doctissimum Mamachium quid sentiendum sit de critice Oudinii, tom. IV Orig. et antiq. Christian. pag. 377 et pag. 406.

(3) Eusebius Emisenus, ut immerito de Ariana hæresi accusatus, commendatur a clar. Paulo Ant. Pauli Cler. Regul. Matris Dei, et Præside Accad. Eccl. in Urbe dissert. 3 de sanctitate, et martyrio Felicis papæ II. pag. 250, ubi affert testimonia Socratis histor. Eccl. lib. II, cap 9, 10. pag. 74 et seqq., ac Sozomenis lib. III, cap. 6, pag. 92, 93. qui eum catholico dogmati addictum asserunt. Attamen orthodoxia Eusebii Emiseni episcopi non adeo explorata est, ut de ea dubitari nequeat. Doctissimus enim Carolus Sebastianus Berardi Taurinensis juriscon., occasione discussionis canonis 35, De cons. dist. 2, a Gratiano sub nomine ejusdem Eusebii producto, hæc de illo tradidit. « Cum Ariani subdolo callidoque consilio diversas fidei formulas in indoctum vulgus spargerent, quibus hæreseos suæ notas; et characteres, quoad fieri posset, dissimularent, vulgo ex iis nonnulli credebantur catholici, imo per illas catholicorum plures ad se pertrahebant. Hæc ratio est quare Eusebius Emisenus episcopus vir cæteroquin omnium litterarum genere eruditissimus, non tantum apud veteres scriptores variam sui nominis famam retulerit, nimirum apud quosdam vir sanctus, et clarus miraculis existimatus, apud alios inter Arianos hæreticos damnatus, nec defuerunt, qui Arianorum patronum et principem vocarent. Fuit ille Athanasio, ab Alexandrina Ecclesia ab Arianis expulso, substitutus, forte errore facti deceptus etc » Vid. tom. IV, part. 3, pag. 43, ubi de homiliis sub Eusebii nomine vulgatis judicium profert.

Digitized by Google

septum meum. Recentiori manu hic titulus inscriptus regitur : *Homiliæ S. Brunonis Signiensis, et abbatis Casinensis : falso tamen attribuuntur D. Eusebio, cum sint Brunonis.* His subjiciam judicium clariss. D. Erasmi Gattulæ abbatis Casinensis, qui tom. I Histor. Casinen. ait : « Ut Marchesius ostendit Eusebio Emiseno tributæ sunt CXL homiliæ in Evangelia totius anni, quæ S. Brunoni nostro sunt vindicandæ, teste Petro Diacono, qui eas singillatim enumerat, eodemque ordine descriptas videre est in cod. bibl. nostræ Langobardicis characteribus exaratas, ut videtur sign. num. 194. Nullus certe ex veteribus Eusebio hasce homilias tribuit, illique abjudicat stylus, qui non Græcum hominem, sed Latinum, et Brunonem ipsum refert. » Dein sequitur homiliarum catalogus, quem nos alibi dabimus. Secundus codex est Vallicellanus pariter membranaceus in fol. eodem charactere Langobardico descriptus. Casinensi non posterior ætate. Non eumdem ordinem servat, sed incipit prima homilia a feria IV Cinerum his verbis : *Tristes enim dicuntur hypocritæ.* Brunonis episcopi nomen defert, sicut reliquæ eodem in codice insertæ, in quo tamen plures desunt, et reliquæ partim S. Gregorio, partim Ven. Bedæ attributæ leguntur. Ab optimo archetypo homiliæ illæ traductæ sunt ; cum multis in locis Marchesii editionem corrigant, eamque suppleant ; quod mihi certo constat ex lectione commentarii ejusdem S. Brunonis in Evangelia, ex quo major homiliarum pars desumpta est, ut suo loco ostendam. Tertius codex est homiliarium, olim bibl. S. Crucis Minor. Florent. in Laurentianam bibliothecam translatum, membran., in fol., sig. num. III, Plut. XXX, p. 5, in cujus rubrica ad calcem posita, manu ejusdem scriptoris legitur. *Explicit liber iste Brunonis episcopi : quo tempore scriptum est, sic notatur. A tempore Christi mille quaterque decem sex deciesque decem.* Deinde manu recentiore subjicitur. *Iste liber est ad usum fratris Thedaldi, post cujus mortem remanere debet armario Fratrum Minorum Florentini conventus, et fuit D. Philippi de Villanis de Florentia sub tali conditione dicto fratri Thedaldo concessus ab eodem.* Hoc idem adnotatur in catalogo edito bibl. Laurent. a clariss. Canonico Angelo M. Bandinio bibl. præfecto tom. IV, pag. 247. Continet autem Codex iste homelias CXLVIII, quarum pars major S. Brunonis episcopi nomine insignitur ; sed fere omnes, ut comperi, in editione Parisiensi homiliarum Eusebii Emiseni, mutatis vel adjectis aliquibus in principio, et in fine eorum reperiuntur. Absque dubio, ut diximus, S. antistiti nostro sunt ascribendæ, quod ab ejus Commentariis in Evangelia decerptæ videantur. Qui eas collegit, optimo exemplari usus est ; cum ordinem codicis Casinensis sequatur ; incipit enim a Dominica I Adventus, et procedit usque ad Dominicam XXVIII post Pentecosten ; complectens ferias Quadragesimæ, et præcipuas totius anni festivitates, quas eo tempore celebrabat Ecclesia. His tribus codicibus integris, optimeque servatis addere possum codicem quem possidet capitulum Ecclesiæ cathedralis Signiensis, et est membran. in folio charactere Romano exaratus sæc. XII, sed in principio nonnullæ desunt paginæ, sicut in fine, quemadmodum observavi cum anno 1786 Signiam in feriis autumnalibus me contuli, ut votum solverem S. episcopo patrono me, qui sub finem præcedentis anni mihi lethaliter decumbenti sanitatem a Deo impetraverat. Continet autem homilias per totum annum distributas, eodem ordine quo de superioribus codicibus dictum est. Tandem exstat alius codex ms. in archivo basilicæ S. Petri, membran. etiam, et in fol. ævum S. Brunonis Signiensis, et nomen adnotans, ejusque sacras conciones pariter continet. His luculentissimis tot codicum mss. testimoniis, non tam ab Eusebio Emiseno vindicantur homiliæ S. Brunonis Astensis, quas rursum producturi sumus ; sed confirmatur judicium insertum in Bibl. PP. edit. Lugd. tom. VI, pag. 686, ubi eas dem conciones olim etiam S. Eucherio Lugd. episcopo attributæ diserte Brunoni nostro asseruntur. De doctrinæ præstantia atque eruditione quibus auctor noster homelias suas exornavit, supervacaneum arbitror dicere, cum id cumulatisse Petrus Lazzarius præstiterit in præiminari dissertatione ad Commentaria S. Brunonis in Evangelia, et quidquid observandum erat, adnotaverit. Homiliarum et sermonum seriem præcedet catalogus earum, ubi sub numeris paginarum obsignatæ erunt quæ eodem in Commentario continentur, ideoque omittuntur ; nec iterum imprimere curavimus, nisi illas, quæ omnino desunt, vel aliquas perspicuas additiones in principio, aut in fine referunt.

Post homilias et sermones, quos expositionibus S. episcopi Signiensis in Evangelia et in Apocalypsim adjecimus, quarto loco veniunt libri sex, qui Sententiarum inscribuntur. Antequam de his eloquar, spectatissimo ac beneficentissimo cardinali Stephano Borgiæ me gratissimum profiteor, quod habito cum eo consilio de hac operum S. Brunonis editione, non tam me ad illam perficiendam confirmavit, suisque monitis adjuvit, sed quidquid jam de eodem S. episcopo Signiensi ex archivo Casinensi ipse collegerat liberalissime mihi donavit. Inter multa ab illis mss. codicibus excerpta de hisce sententiarum libris mentionem faciam, quod cum illis nota esset diu Benedictinos inter et Carthusianos agitata controversia, utrum Bruno Signiensis, an vero Bruno Carthusianorum institutor eorum auctor habendus sit, codicem sig. 196, alias 317, diligentissime observavit, characterem Langobardicum, ætatem ejus sæculi nempe XII, titulosque singulis capitibus appositos descripsit, plenamque notitiam de illo antiquitatis monumento, quod S. Brunonis episcopi nomen præsefert, accepit. Nec satis sibi factam putavit idem doctissimus præsul, nisi alterum codicem, qui est 619 attente perpendisset, in quo cum pluribus aliis S. Brunonis Commentariis et elucubrationibus iidem sententiarum libri, titulus

Digitized by Google

lisdem inscripti reperiuntur. Hæc veluti prælimina- A ria statuere duxi antequam memoratam discutiam controversiam, de qua peculiari in dissertatione agam, ut etiam recenti cuidam auctori anonymo Carthusiano Neapolitano respondeam, qui an. 1788 data epistola ad D. Xaverium Matthæium ietum suo patriarchæ S. Brunoni illos sententiarum libros vindicare contendit. Fortasse quis requiret, cur hujusmodi opuscula sententiarum libri inscribantur? Nullam profecto video rationem, qua a Marchesio hoc titulo donentur, cum omnes quos consului codices, vel *de laudibus*, vel *de ornamentis*, aut *de figuris Ecclesiæ* tractatus annuntient. Verius equidem hujusmodi inscriptiones indicant, quid agendum S. Bruno sibi proposuerit, ejusque finis, ad quem respexit, perlucide noscitur, si partes omnes, id est capita et sermones inter se conferantur, habita præcipue ratione temporis, quo S. episcopus Signiensis hæc scripsit.

PARS ALTERA.

Vigebant adhuc in Ecclesia reliquiæ diuturni fa- B talisque schismatis, Simonia et audacia calamitatem augebant, morum corruptio habenas omnes solverat, et spiritualis potestas oppressa et pene contempta jacebat. His igitur ut occurreret malis A. N., demonstrandam suscepit Ecclesiam, unam, sanctam, catholicam et apostolicam; quas prærogativas, seu characteres, et si alias, ut in Prolegomenis diximus, assernerit, in hisce libris amplius latiusque de illis egit, atque Ecclesiæ gloriam suam vindicavit. Sub speciosis figuris et imaginibus argumentum unitatis Ecclesiæ in primo libro prosecutus est; in secundo Ecclesiam sanctam probavit; tertium ad ostendendam Ecclesiam catholicam et apostolicam consecravit; reliqui vero tres libri, qui vel dogmata fidei, vel martyrum aliorumque sanctorum laudes comple- C ctuntur, ad eumdem finem conducunt. Primus liber in decem capita dispartitus est, quæ suis titulis distinguntur. Caput 1. *De paradiso* inscribitur. 2. *De arca Noe.* 3. *De tabernaculo fœderis.* 4. *De templo Salomonis.* 5. *De muliere quam Joannes in Apocalypsi vidit.* 6. *De civitate Jerusalem.* 7. *De ritu consecrationis ecclesiæ.* 8. *De auctoritate Evangeliorum.* Cum igitur sacræ litteræ unum paradisum bonis omnibus et deliciis affluentem a Deo conditum tradant, in quo positus fuit Adam, ut operaretur et custodiret illum, illa Ecclesia est admittenda, non plures, et quicunque hanc unitatem scindunt, hæretici aut schismatici, vel Simoniaci, extranei habentur. Qui vero hoc in paradiso, seu Ecclesia sint operarii, designat S. episcopus, eosque episcopos D et sacerdotes asserit, quos ita admonet. Manifestum est quod per hortum, id est per paradisum, Ecclesia significatur. Sed qui per Adam, nisi Ecclesiæ custodes, episcopos et sacerdotes intelligamus? Audiant ergo isti quid de Adam Scriptura dicit, qui ad hoc in paradisum missus est, ut operaretur et custodiret illum. Non sint otiosi, quia custodes sunt. Per arbores vero in paradiso plantatos intelligit A. N. apostolos, qui multiplices fructus ediderunt, et reliquos etiam Christianos, qui eorum præcepta sequuntur, eorumque gloriosa gesta imitantur. Quemadmodum in fonte, a quo prodierunt quatuor flumina, dicit figuratum Christum Dominum, a cujus scientiæ plenitudine omnis doctrina fidei per quatuor Evangelistas emanavit. Corrupto autem per Adæ peccatum humano genere, et in deteriorem vitiorum conditionem prolapso, ne Ecclesia penitus interiret, arcam a Noe viro justo fieri Deus præcepit, in qua, dum totus mundus in diluvii aquis perdendus erat, ipse cum sua familia salvus esset, et ab ea nova generatio hominum procrearetur. Arcam igitur S. Bruno Ecclesiæ symbolum asserit, extra quam nemo salvatur, in qua, qui in die ultionis inventus fuerit, non peribit. Multi in ea esse videntur, qui extra eam invenientur; sicut illi, quibus Dominus ait: *Nescio vos* (*Matth.* xxv, 12). Hanc in arcam, sive Ecclesiam (idem S. episcopus) nemo ingreditur, nisi per ostium, quod Christus se esse dixit. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan.* x, 7). « Non enim salvantur, inquit A. N., qui per ostium non intrant. Nullum animal ingreditur in arcam, nisi per ostium. Sed Simoniaci, et hæretici aliunde in Ecclesiam intrare nituntur. » (4-5) Cum autem Ecclesia ex diversis, præter laicos, ministrorum ordinibus constituatur, in ea formam arcæ quodammodo comperit, adeoque de eadem ita disserit. « Si quis etiam Ecclesiæ ordines considerare velit, quomodo super laicos clerici, super clericos presbyteri, super presbyteros episcopi, super episcopos archiepiscopi, super illos patriarchæ per ordinem sedeant, et tandem Romanum Pontificem super omnes sedere conspiciat, etiam isto modo intelligere poterit, quo-

(4-5) Quo flagraverit zelo S. Bruno contra Simoniacos ostensum est in Comment. super Matthæum, Lucam, et præcipuit Joannem num. 28, ubi exponit illa verba: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed aliunde ascendit, ille fur est, et latro.*

Digitized by Google

modo arca Dei in inferioribus ampla, paulatim se angustando in uno cubitu consumetur. Plures aliæ analogiæ, et similitudines arcam inter et Ecclesiam hoc in capite 2 afferuntur, quas nos brevitatis gratia omittimus. Tertium unitatis Ecclesiæ argumentum A-N. petit ex tabernaculo fœderis, quod est arca testamenti; in qua, ut ait S. Paulus (*Hebr.* IX, 4), urna erat aurea continens manna, et virgam Aaron, quæ fronduerat, et tabulas Testamenti. Cum in ea majestas Dei præsentis repræsentaretur, ædificium ad illam custodiendam totum ex auro constabat, atque ante arcam perpetuo candelabrum aureum, multis luminibus ab uno astili pendentibus ardebat. Insuper mensa reperiebatur super quam panes propositionis ponebantur, et thurribulum aureum, quo incensum coram Deo comburebatur. Quemadmodum Moyses auctor fuit veteris tabernaculi; ita Christus institutor, et fundator fuit novi, *non manu facti, nec hujus creationis, sed per proprium sanguinem*, ut inquit Apostolus, *introivit semel in sancta æterna redemptione inventa* (*ibid.*, 12). Populum enim propria passione sibi acquisitum, primum ex Judæis, deinde ex gentibus congregavit, et in una fide, et baptismate suæ hæreditatis participem fecit. Unum candelabrum, unum doctrinæ magistrum, nempe Christum significavit, a quo illuminati apostoli dogmata ejus omnia, et præcepta in universam Ecclesiam propagarunt. Una mensa, in qua unum offertur corporis, et sanguinis Christi Domini sacrificium, de quo non participant, nisi qui intra tabernaculum sive Ecclesiam sunt admissi. In Ecclesia etiam veluti pretiosa thymiamata, orationes fidelium nunquam intermissæ ad Deum elevantur, ejusque benedictionem sibi acquirunt. Alteram Ecclesiæ nostræ agnoscendæ imaginem in templo Salomonis nobis describit S. Bruno, ubi 4 loco facta nobiliorum partium hujusce splendidissimæ molis dinumeratione, ait: « Hoc templum Ecclesia est, hoc templum nos sumus; de nobis Apostolus dicit: *Templum sanctum, quod estis vos* (*1 Cor.* III, 17). Fideles profecto, qui unum corpus credentium constituunt, quo perfectiores sunt, tanto magis hoc spirituale ædificium ornant, atque illustrant, et quia cum Christo eorum capite perfecto communicant, gratiæ ejus plenitudinem accipiunt. Sed quid sibi volunt, interrogat A. N., illæ duæ columnæ, quæ ante fores templi positæ, cum Nihil sustineant, otiosæ videntur? » Respondet: nihil in templo otiosum esse, easque templum ingredientibus has primas occurrere. In una illarum intelligit patriarchas, et prophetas, cæterosque veteris testamenti duces, et principes; quales fuere Abraham, Isaac, et Jacob, Moyses, Josue, David, et Daniel; in altera repræsentari dicit apostolos, martyres, confessores, et episcopos, qui sua fortitudine, et firmitate contra omnium adversantium conatus religionem sanctam impavide sustinuerunt; et primi justi per fidem in futurum reparatorem, et posteriores per Christi gratiam justificati optime de Ecclesia meruere, quod amore justitiæ, animi constantia, zelo propagandæ veritatis veram religionem, hoc est supremi Dominatoris cognitionem, et cultum, obsistentibus nequidquam falsorum deorum cultoribus, et iniquitatis magistris, non servarint modo, sed longe lateque propagarint. Alia plura A. N. de templo Salomonis ad unam Ecclesiam significandam traducit, quæ ne longior fiam prætermitto. Cum vero progredimur ad caput 5 ejusdem I libri, quod est *de muliere per quam figuratur Ecclesia*, satis aperte indicat auctor quid sibi agendum proponat. Incipit ergo. « Narrat beatus Joannes evangelista se vidisse sanctam Ecclesiam in specie mulieris quæ erat amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite coronam stellarum duodecim, et pariens cruciabatur, ut pareret. » Hujusmodi ergo mulieris insignia sunt claritas, et splendor, quo solis instar circumdatur, corona duodecim stellarum in capite, luna sub pedibus ejus, atque in pariendo cruciatus, et labor. « Magna laus Ecclesiæ Dei, ait A. N. quæ sole amicta perhibetur; sole quidem amicta est, quia omni splendore, omnique claritate decorata est. Habet Ecclesia lunam sub pedibus, quia mundum despicit, et pro nihilo ducit. Merito mundus luna vocatur, quia ad lunæ similitudinem semper in motu est, semper mutatur et variatur. » Anne Ecclesia splendidissima non est sole justitiæ, nempe Christo Domino ejus institutore, qui eam tantis locupletavit muneribus, ut ille totam pulchram, et ab omni macula immunem vocaverit, qui a terrenis rebus, hoc est a mundo, cœlestium promissione bonorum retrahit, atque æternæ felicitatis spe eam recreat, et consolatur? Habet etiam, sequitur idem S. antistes, in capite coronam stellarum duodecim, per quas duodecim apostolos intelligimus; ipsi eam coronaverunt, ipsi in æterni Regis thalamum eam introduxerunt. » Quæ autem alia Ecclesia nisi catholica hac corona a duodecim stellis, id est a duodecim apostolis insignita coruscat? Sive enim dogmata fidei inspiciamus, ab illis omnem veritatem accipit; sive exempla virtutum, ipsi perfecta Christi magistri sui exemplaria se reddiderunt, sive testimonia magnanimitatis, idem apostoli vitam cum sanguine pro Christo effuderunt. Nulla sane nec ex veteribus, nec ex recentibus sanctis hanc coronam tam sanctam, tam splendidam, tamque divinam originem habentem sibi tribuere potest; cum omnes posteriori tempore, vel ab audacia, aut ab errore, aut ab impietate ortum suum acceperint. Pulcherrimam alteram significandæ Ecclesiæ imaginem exhibet S. Bruno in sancta civitate Jerusalem, quomodo ab eodem Joanne evangelista descriptam habemus, positam scilicet supra montem magnum, et excelsum atque novo opere, mirabilique artificio ædificatam. Vidit igitur muros ejus ex lapide pretioso, et ipsam plateam civitatis ex auro purissimo, tanquam vitro clarissimo constructam, cujus erant duodecim portæ, singulæ ex singulis compositæ margaritis, quarum tres ad orientem, tres ad aquilonem, tres ad meridiem, et

Digitized by Google

tres ad occasum respiciebant. « Hæc civitas, inquit A. N., sancta Ecclesia est : isti muri ; et isti lapides pretiosi homines sunt, homines utique nobiles, et clari virtutibus, et sapientia prædiți, quales apostoli fuerunt, et martyres, et cæteri qui per fidem, et sanctam conversationem Deo placuerunt. Hæc est illa Jerusalem quæ sicut scriptum est, *ædificatur ut civitas, cujus participatio est in idipsum* (*Matth.* IX, 22) ; illorum enim, explicat S. Bruno, est participatio in idipsum, quibus est cor unum, et anima una inter quos discordia nulla est. et concordia firmissima est. » Omnes idem sentiunt, quasi diceret, de fide, de doctrina, de communicatione pacis inter se, et de vinculo cum centro unitatis, cum capite supremo Ecclesiæ, quod est, Romanus pontifex. « Notandum, sequitur idem S. doctor, quod iidem B SS. apostoli et fundamenta hujus civitatis, et portæ dicuntur ; fundamenta quidem, quia in toto ædificio et primi sunt, et cæteros ferunt. Portæ vero, quia nemo nisi per ipsos, id est per eorum doctrinam Ecclesiæ societati conjungitur, vel cœli palatium ingreditur, ipsis datæ sunt claves regni cœlorum, ipsi et portæ, et ostiarii sunt. » Qui ergo a magisterio Ecclesiæ dissentiunt, qui opinionum sententiarumque novitates spargunt, qui sua figmenta tueri nituntur, ab hac sancta societate sejuncti sunt, et tanquam rami ab arbore vitæ et salutis avulsi habentur. Summa rerum capita, ne in immensum protrahatur oratio mihi percurere libet ; quare omissis reliquis, ad caput 8, quod *De basilicis* inscribitur, descendam, et brevis quoad potero, C fiam. In eo exponit A. N. ritum consecrationis ecclesiæ, de quo cum alias locuturi simus, modo ea prosequi abstinemus. Quia vero ad inculcandam magis magisque Ecclesiæ unitatem intentus est S. Bruno, quid pro ea sit intelligendum admonet. « Ecclesia, ait, nomen Græcum est ; significat autem populi collectionem ; sed ut proprietates ejus designet, addit : populi utique Dominum timentis, et Domino servientis. Sicut enim ex multis lapidibus ordine, et ratione compositis una domus efficitur ; ita ex multis hominibus dilectionis, et fraternitatis amore sociatis una Ecclesia constituitur. » Duos hic præcipue characteres populi hujus collectioni assignat S. episcopus, sine quibus Ecclesiæ formam D habere nequit ; scilicet quod hic populus Deum timeat, eique honorem, et obedientiam præstet, et inter se perfecte consentiat. Qui ergo verbo Dei refragatur, qui fidei custodes, et præsides a Deo constitutos non audit, sed eos contemnit, Deum ipsum spernere, et nihil habere demonstrat ; propterea ipse sua inobedientia ab Ecclesia scinditur, quemadmodum qui dissentiones in doctrinis fovent mutuamque charitatem offendunt, sanctæ ejus societati renuntiant. Tandem extremo hujus primi libri capite, quod *De Evangeliis* inscribitur, ut extorres ab Ecclesia dignoscantur, dicit, fructus eorum, id est opera inspicienda esse ; quæ si apostolorum exemplis opponuntur, in corpore Ecclesiæ partem non

habent, Apostoli enim non seipsos ad prædicandum Evangelium elegerunt ; sed eos Christus Dominus elegit, et in mundum universum misit, ut sacramenta cœlestia, et mysteria regni Dei enuntiarent atque docerent. Cum autem doctrinæ veritati, operum etiam sanctitatem mirifice copulaverint ; missos a Deo ad mundi conversionem se probarunt, et sine fraude, sine æmulatione, sed sancte ac religiose ministerium suum impleverunt. Pudeat Lutherum et Calvinum, eorumque in cathedra pestilentiæ successores apostolicum nomen sibi arrogare, pudeat se velle gerere populorum pastores. Quis eos misit, nisi superbia et ambitio ? Quid de eorum prædicatione, præter impia dogmata, famigeratum est, nisi horribiles incendisse seditiones, sacrilegasque perpetrasse fœditates ? Quibus nam fraudibus usi non sunt, ut incautos caperent, suorumque errorum pestem ubique divulgarent ? Nunquam fuit pax, et concordia inter ipsos, sed perpetuo invicem dissiderunt ; quia in æmulatione, et audacia nullus alteri cedere voluit ; ideoque eorum communiones ab Ecclesia catholica penitus alienæ, pelago similes sine requie fluctuanti assimilantur.

Cum secundus Ecclesiæ character sit sanctitas et sancta in Symbolo Ecclesia proponatur credenda, totus secundus sententiarum liber circa Ecclesiæ sanctitatem versatur ; in eo enim de præcipuis virtutibus agit, quibus Christiani sancti fiunt, et Ecclesiam suis eximiis et gloriosis gestis illustrant. Librum hunc in 12 capita dividit auctor ; primum est *De fide*, 2. *De spe*, 3. *De charitate*, 4. *De virtutibus cardinalibus*, 5. *De humilitate*, 6. *De misericordia*, 7. *De pace*, 8. *De patientia*, 9. *De castitate* 10. *De obedientia*, 11. *De abstinentia*, 12. *Ubi, id est in quibus Ecclesia ornatur*. Incipit ergo in capitis 1. exordio statuere, quod primum Ecclesiæ ornamentum, seu primus sanctitatis gradus sit fides, totoque in virtutum exercitu principatum teneat. Ubi illa abest, quamvis reliquæ virtutes reperiantur, nihil ad æternam salutem prosunt, hominem in corpore Ecclesiæ non constituunt, et Christi membrum facere neutiquam valent. « Gentiles enim et philosophi, inquit S. Bruno, quamvis multis virtutibus claruissent ; tamen perierunt omnes, quia fidem non habuerunt. Merito igitur S. Ecclesia neminem ad se venientem recipit, nisi prius fidei ornamentum indutus fuerit. Quilibet ergo petat ingressum in Ecclesiam, id est baptismum, interrogatur, an credat, an catholicam fidem teneat ? Si se credere, si fidem catholicam se tenere responderit, suscipitur, baptizatur, et filiis Ecclesiæ sociatur. Si vero aliter dixerit, nequaquam suscipitur, sed quasi profanus abjicitur. » Deinde, ut fidei excellentiam ostendat, ipse Dominus suæ virtutis potentiam, ut animadvertit A. N., non sibi, sed fidei ascribit, et quod ipse facit, fidem facere affirmat. Multos viros, et mulieres eum sanasse, et ut languoribus liberasse legimus, quibus hoc tantum dicere solebat, *fides tua te salvam fecit, vade in*

Digitized by Google

pace (*Matth.* XI, 22). « Venit aliquando (est idem S. Bruno) dicit Evangelium, in patriam suam, et cum homines illi de ejus omnipotentia dubitarent, et fidem non haberent, non multas, ut verbis Evangelicis loquar, virtutes ibi facere potuit, nisi quia infirmos, impositis manibus, curavit, et mirabatur de infidelitate eorum. Ergone tantum potest fides, ut omnia qui potest, a potentia suæ virtutis illius absentia impediatur? » Quantum vero idem Christus Dominus discipulos suos ad hanc fidem habendam excitaverit plura sunt evangelistarum testimonia, quibus adeo illis hujusmodi virtutem commendavit, ut si perfecte, pleneque crediderint, non solum infirmitates omnes curare, et mortuos vitæ reddere; sed montes ipsos de loco ad alium locum transferre voluissent. Ita apud Matthæum cap. XXI, et apud Marcum cap. XI, 23 : *Habete fidem Dei : amen dico vobis quia quæcunque dixerit huic monti : Tollere, et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit, fiat, fiat ei.* Hoc tam excellenti tamque sublimi fidei merito semper clarificata est Ecclesia catholica, ut ea solum sancta haberi debeat, in qua potentorum operatio, quæ nunquam defuit, cum opus fuerit, veritatis et sanctitatis insignia præbuit testimonia. Non me latet quidquid pro infirmandis miraculis ab heterodoxis prolatum est, qui invictissime confutati sunt; hac potissima ratione, quod successiva tot sæculorum lapsu portenta fieri haud potuissent, nisi ubi vera esset Ecclesia, et ab his, qui eximiis meritis ab omnipotenti Deo ea operari impetrassent. Pergit autem S. Bruno de spe agere in secundo capite, de qua statim ait : « Magnum Ecclesiæ Dei ornamentum spes est, quam qui non habet omni bonitate nudus est, omnique creatura infelicior .... Est autem spes futurorum bonorum exspectatio; et hanc quidem exspectationem illi habent, qui certissime se aliquando recipere sperant quæcunque promissa sunt eis. » Hinc prosequitur memorans justos qui primitivam Ecclesiam formabant, scilicet Abraham, Moysen, David, Ezechiam, Danielem, Machabæos, Judith, Esther, tres pueros in fornacem immissos, qui per spei virtutem non solum salvi facti sunt; sed gloriosissimis factis claruerunt. Si vero ad Ecclesiam nostram oculos convertamus, et apostolos, martyres, confessores et virgines, qui in ea floruerunt, contemplemur; cum totam spem in Deum collocarint, de omnibus tormentis, adversitatibus, et inimicis victores videbimus; adeoque propter spem meruisse calcare super serpentes, et scorpiones, atque impavidos omnem malignantium spirituum nequitiam superare. Quare optime cecinit propheta David : *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus* (*Ps.* LXVII, 36). Conferant modo novarum sectarum auctores cum nostris suos heroes; videant quem in finem perduxit eorum, dum incolumes viverent, jactantia, falsa sapientia, veritatum Christianarum contemptus, mundanæque gloriæ ambitio. Quam luctuose, quam misere vita excesserunt; quorum non pauci tristitia, et desperatione laborantes, tanta capti sunt insania, ut sibi ipsis mortem consciverint. Accedit tertio in capite tractatus de charitate, cujus sublimitatem, et amplitudinem D. Paulus prædicans adeo evehit ut sine ea dicat, nihil prorsus esse reliquas virtutes, quamvis apicem ipsarum quis videatur sibi in speciem attigisse (*I Cor.* XIII, 2). Tanti ergo præceptoris sequens A. N. documenta, quas ille assignat hujus excellentissimæ virtutis proprietates, explicat, et quantum perfectionis eam habentibus conferat, dissertissime tradit. *Charitas*, inquit S. Bruno, *patiens est*, quia nulli irascitur, et nullis injuriis movetur, sed pro suis ipsis inimicis intercedit. Et quia *benigna est*, quibuscunque potest benignitatem, et misericordiam facit. Cum igitur per patientiam cunctis ignoscat, et per benignitatem misereatur, quid est, quod amplius facere possit? Quia enim benigna est, ideo *non æmulatur*, non invidet. Non agit perperam, quod est temere, et injuste aliquid agere. *Non inflatur* in superbiam. *Non est ambitiosa*, quia mundi honores non appetit. *Non quærit quæ sua sunt*, sed quæ sunt omnium, ut salvi fiant. Sua postponit, et aliena procurat. *Non irritatur*, alioquin patiens non esset. *Non cogitat malum*, quod est contra benignitatem. *Non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati;* quod utrumque ad benignitatem spectat. Omnia credit, quæ credenda sunt; quæ autem sunt illa, quæ credenda sunt? Vis audire quæ? Omnia illa, quæ utrumque testamentum credere, et sperare, et sustinere præcipit. *Charitas nunquam excidit.* Hoc est autem, in quo duabus virtutibus superius dictis; id est fide et spe, charitas major est; unde et subditur, *major horum est charitas.* Major quidem, quia *nunquam excidit;* quia æterna est, quia semper est, et finem non habet. Aliæ autem post hanc vitam necessariæ non erunt, quia ad ea solummodo spectant, quæ exspectantur, et nondum apparent. Est enim spes exspectatio futurorum. Fides vero est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Prolixa fortasse videtur hujusmodi proprietatum charitatis elucidatio; attamen opportuna est ad confundendos hæreticos illos, qui suæ societatis mutuum amorem jactant et dilectionem. Quamvis enim omnia officia civilia suis præstare curent; non ex amore Dei, qui proximum, sicut nos ipsos diligere mandat, permoventur, neque ad finem supernaturalem actus suos dirigunt; sed totum terrenum est, atque humanum quidquid agunt. Cum ergo eorum charitas cœlestis non sit, sed mundana omnino, plerumque excidit, et sua potius sollicita est quærere, quam aliena; adeoque ad gradum Christianæ charitatis evehi non potest; neque ullum ex ea provenit Ecclesiæ ornamentum. His autem a Brunone absolutis, in quarto capite declarandas assumit quatuor virtutes cardinales, prudentiam nempe, justitiam, fortitudinem, temperantiam, quæ Ecclesiæ

Digitized by Google

sanctitatem promovent et maxime amplificant. De prudentia ita disserit : « Est autem prudentia, quæ alio quoque nomine sapientia dicitur, divinarum humanarumque rerum cognitio. Dico autem non sapientiam hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum, de qua et Apostolus ait, quia *stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi* (*1 Cor.* I, 20); sed eam sapientiam dico, quæ ad morum honestatem et ad salutem pertinet animarum. Non eam quam philosophi docent et oratores, sed eam quam apostoli prædicant et doctores. Et isti quidem soli habent cognitionem divinarum rerum; sicut ipse Dominus ait : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV, 21). Hæc est autem vera cognitio Divinitatis, vel illum cognoscere qui est vera sapientia, et sine quo nulla est sapientia. » Quot nam purissimis animabus se manifestans Deus, ad sui contemplationem illas abripuit, et elevavit, ut ipsis suæ magnitudinis arcana antea in mysteriis involuta intelligerent, suisque doctissimis scriptis Ecclesiam illustrarent. Quam Joannes evangelista de Verbi divinitate nondum tam perspicue exploratam doctrinam tradidit? Quæ documenta salutis, quamque sublimiorum luminum notitiam Paulus apostolus suis in Epistolis manifestam fecit? Qualis quantusque est SS. Patrum chorus, qui catholicæ fidei custodes, et propagatores fortissimos se præbuerunt, qui hæreticorum monstra contriverunt, qui philosophantium deliramenta conculcarunt? His ergo irradiata splendoribus, quid mirum, si catholica fides tam cito universum per orbem diffusa, de Judæis, de idololatris, de malis omnibus hominibus triumphavit? Regnum itaque cum super omnes gentes sibi comparaverit prudentia, sive vera sapientia, facile ei fuit sociam sibi adscisere justitiam, quæ cardinales inter virtutes secunda est. Ecclesia enim quæ Dei sunt optime noscens, et quæ debent homines erga ipsam; quibus actibus internis, et externis sit exercendus ejus cultus, præscribit, ministeria distribuit, regulas vel a traditione servatas, vel pro opportunitate temporum noviter institutas observare facit. Ecclesia est justitiæ vindex; cumque dominatio ejus, non sicut terrenæ omnes potestates immutetur, juris administrationem firmam, stabilemque tuetur. Quapropter S. Bruno postquam de sapientia disseruisset, hæc de justitia prosequitur. « Intelligite sæculi potentes, et sapientiæ operam date. Justitia quoque quam necessaria sit, ipsæ leges imperatorum, et canones, et decreta sanctorum, quæ ad ejus custodiam facta sunt, satis ostendunt. Tolle justitiam, et perit mundus. Ubi justitia non est, iniquitas dominatur : ibi fraudes, et rapinæ, furta, homicidia, timor, et angustiæ, et securitas nulla. Timor iniquorum justitia est, et securitas bonorum ipsa. » Hæc doctor Ecclesiæ pro Ecclesia loquitur; ejus doctrina a divinis Scripturis, et a sanctioribus Patribus tota derivat. Audiamus ergo eum de fortitudine etiam disserentem : « Sed, ait, quid de fortitudine dicam? sine qua et sapientia, et justitia inutiles esse videntur. Est autem fortitudo non corporis, sed mentis constantia, qua injurias superamus, adversa omnia toleramus, et prosperis non elevamur. Hanc fortitudinem non habet quicunque superbia, ira, avaritia, luxuria, ebrietate, et his similibus superatur. Illi quoque fortes non sunt, qui in adversis positi contra salutem animæ liberari satagunt. Unde et Dominus ait : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28). Similiter et illi, qui in prosperis se extollunt, et superflua lætitia resolvuntur, fortes dici nequeunt. Quomodo fortes sunt, qui cordis impetum celare, et retinere non valent? Fortitudo non vincitur, et si vincitur, non est fortitudo. Hanc fortitudinem habuerunt sancti, qui nec vitiis, nec tormentis, nec blanditiis superari potuerunt. » Affert deinde S. Bruno plura sanctorum tum Veteris cum Novi Testamenti exempla, qui pro veritate, pro justitia, pro religione fortissime decertarunt, quique gloriosas palmas, maxima cum Ecclesiæ laude retulerunt. Ad temperentiam autem cum A. N. procedere velit, confestim eam definit, dicens eam esse virtutem quæ suis in actionibus modum non excedit, quoniam superflua nulla quærit. Hujusmodi recte agendi æqualitas, et in neutram partem inclinatio adeo necessaria visa est Apostolo, ut nimiam sapientiam, hoc est nimiam sciendi ambitionem ad Romanos scribens damnaverit (*Rom.* XII, 3) : *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Et Salomon ipsa in justitia temperantiam habendam esse dixerit. *Noli esse justus multum* (*Eccle.* VII, 17). Hac de ratione jure meritoque Bruno noster S. patriarcham suum Benedictum commendat, qui nihil nimis suis in legibus præcipit, ut qui sanctitatem colere velint, habeant unde proficiant, nec naturam opprimant, aut in sanitate deteriores fiant; memor certe D. Pauli sententiæ, *Quod rationabile sit apud Deum obsequium nostrum* (*Rom.* XII, 1). « Illud enim, subdit A. N. obsequium rationabile est, quo non ipsa natura, sed vitia perimuntur. » Postquam S. episcopus quatuor virtutem cardinalium expositionem absolvit, in capite 5 de humilitate disserit; in 6, de misericordia; in 7, de pace; in 8, de patientia; in 9, de castitate; in 10, de obedientia; in 11, de abstinentia; et tandem in 12, Ubi, id est in quibus Ecclesia ordinatur. Singulæ hujusmodi virtutes, cum sua quælibet excellentia et proprietate ad Ecclesiæ conferant perfectionem et ornamentum, de illis singillatim copiosissime agit; sed nobis sufficiat eas compendiose collectas in capite 12 addiscere. Incipit ergo : « Diximus superius de Ecclesia et ornamentis ejus. Restat ut suis ornamentis eam indutam videamus, et in ejus specie et pulcherrime delectemur; de quo Psalmista ad Dominum dicit : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Psal.* XLIV, 10). Hæc regina ipsa est, de qua loquimur Ecclesia Dei. Multa sunt ejus

Digitized by Google

vestimenta, multa sunt ejus ornamenta; et ideo varietate circumdata perhibetur; sed nullum ornamentum habet, quod vel aureum, vel argenteum non sit. » Si quidem si humilitatem inspiciamus, quis Maria Christi matre, a qua opus redemptionis cœpit humilior; cum non ejus virginitatem, sed humilitatem Dominum respexisse ipsa fateatur? De Christi Filii ejus humilitate, post Apostolum, qui eum se exinanisse dicit, et hujus virtutis se exemplar præbuisse, nihil ultra addi potest. In humilitate autem Christum Ecclesiam fundasse constat; cum apostolos pauperes, rudes, et idiotas verbi sui præcones fecerit, eosque veluti sui ædificii fundamentum posuerit, et ad omnes gentes illuminandas miserit, sicut ipse a cœlesti Patre missus fuerat. Hac igitur virtute ornatur Ecclesia, quam sequitur misericordia, quæ est affectus beneficentiæ erga indigentes. Ecclesia enim fideles omnes tanquam filios amplectitur, eos spiritualibus cibis, nempe sacramentis nutrit atque confortat, eos protegit, ab hostibus malignis defendit, et si a viis suis malis resipuerint, pœnitentes in sinum suum recipit, et consolatur. Nec desinit sollicita prosequi pacem, quam primum in Christi nativitate angeli mundo annuntiarunt, et Dominus mundum relicturus apostolis dedit et confirmavit; quippe hierarchichum ordinem servans, leges sartas tectas tenens, sua munera pro justitia largiens et ministeria dispensans, his præsidiis Ecclesia pacem conciliat atque custodit. [Quid de patientia dicam, cujus tanta fuit in Christi sectatoribus virtus, firmitas et constantia, ut potestates omnes nomini ejus infensas vinceret, erectoque crucis vexillo debellaret. Quis recensere potest infinitum martyrum numerum omnigenæ ætatis et conditionis, qui pro fide atque justitia immaniora tormenta, et supplicia sustulerunt, quorum sanguis quanto plus effundebatur, tanto magis populus Christianus germinabat, atque florebat? Eadem commendatione illi se dignos reddidere, qua Apostolus fortissimos Israelitas exornavit,' qui *per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum* (*Hebr.* xi, 23), etc. Præter æternam incomprehensibilemque remunerationem quam isti testes et propugnatores veritatis sibi compararunt, splendidissima semper erunt insignia victoriæ, quibus Ecclesiam exornarunt, ejusque sanctitatem proprio sanguine obsignarunt. Sed et castitate, de qua A. N. capite 9 disserit, maxime refulget Ecclesia, cujus filii propter vitæ puritatem similes angelis Dei fiunt; dum carnis et concupiscentiæ frena invicte contineant, animas suas ab omni immunditie immunes servent, et se Deo acceptabiles reddant. Qui omnibus Christianis hanc virtutem veluti tesseram religionis commendat; multo magis eam viris ecclesiasticis inculcat, ut si eam contemnerent, atque violarent, sacrum ministerium impie profanarent. Inquit enim S. Bruno « cum omnes Christiani continentiam, et castitatem habere debeant; maxime tamen clericos hanc virtutem tenere, et observare oportet. Unde et Dominus Moysi præcepit (*Lev.* xvi, 4), ut Aaron sacerdoti et filiis ejus feminalia faciat, sine quibus ad altare nunquam accederent, ne moriantur. Feminalia autem castitatem significant; quia illa membra, in quibus luxuria maxime dominatur, coercent, et casta custodiunt. Illi sacerdotes et clerici feminalia non habent, qui hæc membra non constringunt, sed per illicita vagari permittunt. Sed valde timendum est, quod dicitur, ne forte moriantur. Si vis non mori, aut castitatem custodias, aut ad altare non accedas. » Multa alia de castitate ab A. N. eximie dicta recensere omitto, ut aliqua de obedientia referantur, de qua in cap. 10 præclaris utriusque Testamenti innixus auctoritatibus et exemplis lectores instruit. Præmittit ergo ipsum Dominum et Salvatorem nostrum docuisse, quantum sit obedientiæ bonum; cum de eo scriptum sit ab apostolo Paulo, quod Christus factus est obediens Patri usque ad mortem (*Philip.* ii, 8). « Per inobedientiam, ait S. Bruno, primi hominis perierat mundus; per obedientiam secundi hominis Jesu Christi salvatus est mundus. Ille inobediens ad lignum vetitum accessit, ille obediens usque ad lignum crucis se ostendit. Et D. Petrus idem documentum dedit illis verbis. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* ii, 21); » quibus subdit S. Bruno: « Quid est, ut sequamini vestigia ejus, nisi ut discatis et custodiatis obedientiam ejus. » Cum enim Ecclesia militans corpus agens sit, et perfecte constituta, nisi membra sibi invicem officia præstent, et cum capite, a quo reguntur, uniantur, finem ad quem coalescunt, nempe Dei gloriam, suamque salutem nulla ratione consequi possunt. Quare divinus Sponsus Ecclesiæ sponsæ alloquens, eam aciem ordinatam appellavit, quo ordine terribilis hostibus redditur, et est tanquam turris a qua mille clypei pendent (*Cant.* vi, 3), defensores scilicet, qui pro ea fortiter pugnant, eamque firmam stabilemque conservant. Sed hoc in agone contendentibus, monente D. Paulo, nobis est necessaria abstinentia, non ut corruptam, sed incorruptam coronam accipiamus. « Duæ autem sunt abstinentiæ, inquit A. N., una carnalis, altera spiritualis, utræque magnæ, sed major altera, quia majus est abstinere a vitiis, quam a cibis. Quamvis et ciborum abstinentia tam magna sit, ut non solum a prophetis, verum etiam ab ipso Domino sit confirmata. » Quod hic compendiose dicit S. episcopus, per longam exemplorum seriem SS. Patrum, tam Veteris quam Novi Testamenti, demonstrat, qui omnium virtutum honestatem prosequentes, totam vitam in jejuniis carnisque maceratione consumpserunt, ideoque tanquam sanctitatis miracula in Ecclesia coruscarunt. Magnum Antonium celebrat, Paulum eremitarum patriarcham, Hila-

Digitized by Google

rionem, Benedictum, etc., quorum deliciæ jejunium, quorum vita abstinentia fuit. Hac pulchritudine induta, hisque ornamentis, virtutibus nempe Ecclesia refulgens Sponsi sui dilectionem ita promeretur, ut eam immaculatam totamque pulchram admirans asserat, ejusque commendet sanctitatem. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV, 7).

Tertia Ecclesiæ prærogativa illa est, quam catholicam esse confitemur, cujus ornamentum adeo pulchrum et excellens est, ut ad illud expoliendum, collectis ex sacra Scriptura propriissimis figuris ac similitudinibus quatuor priora capita tertii sententiarum libri A. N. consecravit, et sex reliquis Ecclesiam apostolicam ostendit. Magistrum cœlestium dogmatum Christum Dominum venisse in terram considerans, penitus renovata ab ipso visa est, ut novus mundus, novus ordo, novus rerum apparatus exsurgeret, faciemque alteram seu imaginem repræsentaret. Tertii libri priora quatuor capita sunt. 1. *De novo mundo.* 2. *De cœlis novis.* 3. *De nubibus novis.* 4. *De montibus novis.* Quomodo novus mundus Christo in terram adveniente, oriretur, ab illa Baruch prophetia primum repeti S. Bruno, in qua de Christo scriptum est : *Hic est Deus noster ; et non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruc.* III, 36). Promissus ergo fuerat mundo, id est hominibus novus doctor, novusque magister, qui omnem scientiæ viam aperiret, omnemque veritatem doceret. Ante eum, ut ait Apostolus (*I Cor.* X, 1), omnes Patres sub nube fuerunt; et mare transierunt, et sub nube et mari baptizati sunt; videbant futura sacramenta in ænigmate, et in figuris; sed eorum excellentiam et veritatem non assequebantur. Præterea ad scientiam hanc, quamvis obscuram et imperfectam Deus non nisi populum Israeliticum elegerat, relictis gentibus in tenebris et umbra mortis. Venit igitur Christus, Verbum scilicet caro factum, et ut evangelista Joannes testatur, plenitudinem gratiæ, et veritatis in mundum attulit; quare si prius per Moysen legem acceperat, per Jesum Christum factam gratiam, et veritatem agnoscere debuit. Gratia enim Christi mundum a peccato, et a diaboli potestate qua tenebatur liberavit, ac cœlestem scientiam bonorumque æternorum cognitionem in eum introduxit. Quare ipse Dominus, ut omnia nova faceret se venisse dixit : *Ecce nova facio omnia* (*Apoc.* XXI, 5); novum mundum suam scilicet creavit Ecclesiam, segregatis illis et vocatis ad se aliis, quos ad tantum opus perficiendum elegerat. *Non vos elegistis, sed ego elegi vos*, dixit Jesus apostolis primis sectatoribus suis *et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* (*Joan.* XV, 16). Et apostolus Paulus eadem testatur dicens, gratiam apparuisse Salvatoris nostri, et ut doctrinam suam effunderet, semetipsum dedisse, *ut nos redimeret ab iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (*Tit.* II, 14). « Quod si, ait S. Bruno, nova in hoc mundo facta sunt omnia, habet igitur Ecclesia novum cœlum, novum solem, novam lunam, et stellas novas, et nubes, et pluvias, fulgura, et tonitrua, montes, et silvas, et homines novos, cæteraque omnia, quæ tamen per illa vetera significata fuerant, et quamdam cum illis similitudinem habent. » His præmissis, de cœlis novis incipit agere A. N. eosque apostolos esse dicit ; cum enim cœlum, quod in principio Deus creavit, maxima et nobilissima pars sit mundi, et supra cæteras res creatas Dei sapientiam et omnipotentiam manifestet, ita apostoli principes populorum constituti, omni scientiæ claritate præfulgentes, ad regimen Ecclesiæ et ad propagationem veritatis electi, Dei gloriam et opera manuum ejus enarrare dicuntur. *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (*Ps.* XVIII). « Ipsi sunt, ita sequitur S. episcopus, quibus Dominus ait : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14) ; sic eorum fide et doctrina tota Ecclesia illuminata est, sicut solis hujus, et splendore tota terra illuminatur; in quibus et virtutum omnium pulchritudo quasi stellæ quædam coruscant. » Quomodo autem apostoli ad similitudinem cœli illuminati fuerint eximie exponit idem auctor; imaginem sumens ab illuminatione firmamenti, quod non statim ac creatum est, lumen accepit; sed tantum divisit Deus aquas ab aquis, et terra apparuit arida, congregationesque aquarum factæ sunt. Tertio autem die factis a Deo, positisque in eo magnis luminaribus, sole, luna et stellis collucere cœpit firmamentum, terramque suis splendoribus collustravit. « Nostri quoque cœli, ait S. Bruno, ad similitudinem firmamenti nequaquam simul et vocati, et illuminati sunt; sed jam tertio anno postquam vocati Spiritus sancti illuminationem accipere meruerunt non enim, ut beatus Lucas ait, *Scripturas intelligebant, quod Christus a mortuis resurgere oportebat* (*Luc.* XXIV, 46). Erant enim sine lumine, tanta adhuc oppressi caligine. Sicut ergo firmamentum illuminatum est die tertio; sic et apostoli anno tertio illuminati sunt. In eo etiam, quod aquæ, quæ supra firmamentum dividuntur ab aquis, quæ sunt sub firmamento, firmamenti similitudinem Apostoli habere videntur. In medio quodam modo positi, aquas ab aquis dividunt, quia Novum a Veteri separant Testamentum. » Ex D. Paulo, qui ad Galatas scribens, circumcisionem post Christi gratiam inutilem prædicavit, id plane ostendit, sicut ex abolitione legalium, quæ eo tempore finem habuere. Apostoli igitur sunt illi cœli, qui enarrant gloriam Dei, eos docente, et informante ipso Christo Domino, quoniam ipse lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. In omnem illi terram missi sunt, ut veritatis lumen effunderent, et omnes homines verum Deum agnoscerent, legem ejus sanctam acciperent, unam fidem profiterentur,

Digitized by Google

et despectis terrenis bonis, ad felicitatem æternam contenderent. Ipsis ergo datum est linguis omnibus loqui magnalia Dei, arcana videlicet cœlestia revelare, et quod nunquam auditum fuerat, generis humani salutem ab homine divino operatam annuntiare; juxta propheticum oraculum : *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri* (*Isai.* LII, 10). Et quia divina majestas, et natura a creata mente percipi nullo modo potest, circa se tenebras posuisse Deus visus est, ut cecinit Psalmista : *Posuit tenebras latibulum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Ps.* XVII, 12), oportebat ut in renovatione mundi, id est in Ecclesiæ constitutione, novæ nubes, non tenebrosæ, sed lucidæ, et præfulgentes apparerent, totamque terræ faciem illuminarent. « Quid igitur nubes istæ, ait A. N., nisi apostolos intelligamus, de quibus scriptum est : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas* (*Isai.* LX, 5). Et coeli, et nubes, et montes, et fontes, et multis aliis nominibus vocantur SS. apostoli, propter quasdam sibi convenientes significationes. Sed quo volant? Dicat Psalmista : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* (*Psal.* XVIII, 4). Unde veniunt? *Educens nubes ab extremo terræ : fulgura in pluviam fecit* (*Psal.* CXXXIV, 7). Volant igitur apostoli, sequitur S. Bruno, quasi nubes, ubique compluentes, totam terram fecundantes, ad fidem vocantes, miraculis coruscantes, et fulgura in pluviam facientes. Fulgura namque nubes fiunt, quando miracula doctrinam sequuntur. Sic enim de Apostolis in Evangelio dicitur : quoniam *profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI, 20). » Per nubes igitur apostolos, per pluviam doctrinam, per tonitrua voces, et per fulgura miracula intelligamus. Hac in providentia, cum admirabiles viæ Domini ostendantur, qui annuntiatores verbi sui apostolos fecit, viros scilicet scientia cœlesti, et eximia sanctitate institutos, qui in omnes gentes eamdem doctrinam ea effundere voluit, qui eorum præcepta, et documenta clarissimis signis, et portentis confirmavit, nihil aliud profecto Deum intendisse arguitur, quam una sit et universalis fidei confessio, omnes idem sincero corde crederent, eodemque ore prædicarent. Ecclesia igitur ex hisce credentibus efformata, non tam una et sancta, sed catholica etiam jure meritoque appellatur. Pergens autem A. N. eamdem novi mundi imaginem exornare, ad novos montes oculos elevare, et ab ipsis auxilium petere, nos adhortatur. Regii prophetæ verba : *Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi* (*Psal.* XX, 1), ita exponit : « Et isti montes novi sunt, et de novo mundo sunt, ad quos oculos levare, et a quibus auxilium exspectare debemus. Isti montes, patriarchæ et prophetæ, apostoli et doctores intelliguntur, qui a terrenis montibus elevati, et cœlo propinquiores effecti, mundana omnia despiciunt. Inferius eosdem montes æternos vocat, de quibus Psalmista ait : *A montibus æternis turbati sunt insipientes corde* (*Psal.* LXXV, 6); super quæ hæc addit. Ab his autem omnes insipientes corde, Judæi scilicet, et gentiles, ore sapientes, insipientes corde, philosophice loquentes, et nihil intelligentes turbati sunt. Quare turbati? Propter signa quæ videbant, et quia eis resistere non valebant. Non enim ipsi loquebantur, sed Spiritus sanctus in eis, quibus os et sapientiam Deus dederat, cui non poterant resistere, et contradicere omnes adversarii eorum. Turbati sunt alii bene, et alii male; alii credentes et alii sævientes. » Fides igitur undique ab apostolis enuntiata, et portentis mirabilibusque signis confirmata plurimos ad eam ampleetendam adduxit; et quamvis aliqui ejus veritatem impugnare et evertere conati sint, nihil aliud contradicentium sævities obtinuit, nisi quod ex invicta fortitudine, et constantia martyrum Christianæ religioni major gloria, et splendor accederet. Sed ex quonam tantam in martyribus virtutem admirati fidei hostes, eam vincere non valuerunt? Docet A. N. quod Christus Dominus antequam Petrum ovium suarum pastorem constitueret, ter eum de dilectione interrogavit; et cum tertio eum se diligere respondisset, tunc suo pascendo gregi illum præfecit. « Prius enim, ait S. Bruno, a Domino de charitate interrogatus, prius charitatem ter professus, et sic pascendarum ovium curam suscepit. » Id autem significare volebat quod si magna Dei dilectio fidei proposito adjungeretur, nunquam Christiani ab ea defecturi essent; cum ipse Petrus veritatis doctrinæ et invictæ fortitudinis eis testimonium præbuisset. Plura alia eruditissime affert A. N. de horum montium altitudine, id est de eximia primorum fidei propagatorum sanctitate, super quos Ecclesia fundata est, dicente Psalmista : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1), omni semper incolumitate ac firmitate gaudebit. In his ulterius non immoror; cum ad quartam exponendam Ecclesiæ notam, videlicet quod sit apostolica, me progredi oporteat.

Nimia imaginum rerumque copia, quam hoc de argumento exhibet S. Bruno in capp. 7, 8, 9 et 10 hujus tertii sententiarum libri, non tam cogit me præterire capita 5 et 6, quæ *De arboribus novis inscribuntur*; quam præstantiora solum proferre, quæ more suo S. antistes amplissime et ingeniosissime pertractavit. Titulus capitis 7 est *De potestatibus novis*, ubi præmittit illum Matthæi locum, quando Petrus Christo dixit : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Vos*, inquit Dominus, *qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis.* Et quia secuti estis me, *sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 27). Ab hoc divino oraculo supremam universalemque potestatem in Ecclesia apostolis collatam arguit, statuitque S. Bruno; dum hæc subinferens, ait : « Novus mundus, novum imperatorem, novos reges, novos duces, novos principes, et judices ha-

Digitized by Google

bet. Novi autem reges, duces, et judices apostoli sunt; et in Domino quidem novi, qui omnibus mundi hujus potestatibus, quæcunque fuerunt, sunt et erunt sapientiores, potentiores, fortiores, justiores, et ditiores sunt. » Sapientiam in apostolis probat S. Bruno ex illa ejusdem Christi Domini promissione : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13); potestatem etiam ex Matthæo evincit, ubi Christus dixit eis : *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis* (*Matth.* XVIII, 18). Eximia est super hæc verba A. N. commentatio; inquit enim : « Non sufficit eis terra; ipsi cœli in eorum principatu, et imperio continentur. Habent potestatem claudere et aperire; suscipiunt quos volunt, quosque volunt excludunt. Fortitudine etiam ita excellunt apostoli, ut maligni spiritus eos formident, eorum imperio obediunt, eorumque præsentiam sustinere nequeunt. De divitiis autem (est idem S. Bruno) quid attinet dicere; cum tam divites sint, ut Apostolus ait, *sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (*II Cor.* X). Ille ditissimus est, cui omnia sufficiunt. » Quia vero apostoli non solum omnia reliquerunt; sed secuti sunt Jesum, ille ad mundum universum illuminandum et sanctificandum principes ducesque constituit, eorumque judicio gentes omnes subjecit. « Nullam mundi partem reliquit, commentatur S. Bruno, qui mundum universum prædicare jussit. Sic igitur divisit Dominus gentes, et ita separavit filios Adam, ut alii per Petrum, alii per Joannem, atque alii per alios converterentur ad fidem. Hoc autem et illud significare videtur, quod in Psalmis de Christo legitur : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram* (*Psal.* XLIV, 17). Pro patribus enim Salvatori nostro filii nati sunt, quia secundum numerum patrum factus est numerus filiorum. Duodecim quippe fuerunt filii Jacob, ex quibus Synagoga tota manavit. Duodecim et sunt filii Christi, ex quibus Ecclesiæ multitudo pullulavit. » Ecclesia igitur, quæ a Christo ortum accepit, ab apostolis tanquam filiis propagata et multiplicata est; ipsi enim Mosaicam legem ad tempus datam, et tanquam futurorum mysteriorum præparationem demonstrarunt; unde illucescente veritate, umbræ et ænigmata finem habere debeant. Ipsi populum qui ambulabat in tenebris, et qui falsis diis seu dæmonibus serviebat, ad veri Dei agnitionem et cultum perduxerunt; et ex utroque populo, Judaico nempe et gentili, unum gregem sub uno Christo pastore congregarunt. Totius igitur grex apostolicus dici potest, qui ab apostolis in mundo, tanquam mari novo, iisdemque novis piscatoribus constitutis coadunatis fuit. His sub imaginibus Ecclesiam apostolicam A. N. cap. 8 demonstrare prosequitur. Memorat primo factum illud, cum Christus Dominus juxta mare Galilææ transiens Petrum et Andream, Jacobum et Joannem ad se vocavit, eisque dixit : *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum* (*Marc.* I, 17), de qua vocatione ita disserit : « Quando audio homines pisces vocari, et Christi discipulos piscatores hominum fieri, quod ad litteram quidem intelligi non potest; necessario novum mare, et nova retia, novos piscatores, et novos pisces intelligere cogor. Novum igitur mare, et novus mundus, de quo Psalmista dixit : *Hoc mare magnum, et spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus* (*Psal.* CIII, 25). Retia evangelia, pisces homines, piscatores vero apostoli, » Ad hanc piscationem hi soli vocantur, et in magnum et profundum pelagus piscatum veniunt, neque eos piscatio difficilis terret, quod et pugnare et piscari ipsis necesse sit. Pauci quidem, inermes, pauperes, nullo sæcularis sapientiæ apparatu instructi, in solo magistri sui verbo, tantum opus, conversionem scilicet mundi aggrediuntur, eamque perficiunt. Et quod mirabilius est, tanta fuit dogmatum quæ prædicarunt vis atque stabilitas, ut quotquot tunc et postea insurrexerunt adversarii, philosophi nempe gentiles, Judæi et hæretici, oppositam doctrinam et errores disseminantes, delirasse omnes, et suis in sermonibus evanuisse cogniti sint. Quæ scripto tradiderunt apostoli, Evangelia nempe et Epistolæ, quæque oretenus suis Ecclesiis communicarunt; quod Paulus ad Timotheum scribens *depositum fidei* appellavit (*I Tim.* VI, 20), adeo fideliter servatum est, ut sub eo, tanquam sub aggere inexpugnabili prostrati ceciderint aggressores omnes atque devicti. Nulla fraudulentia, nulla tyrannica potestas, nulla instabilis sæculi vicissitudo contra stabilita ab apostolis divinæ doctrinæ fundamenta prævaluit, quoniam ex Christi promissione : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XVIII, 20), nunquam conatus omnes prævalebant. Apostolica igitur Ecclesia nostra ab ejus institutione, apostolica ab ejus propagatione, apostolica ab ejus firmitate dicenda est. Verum præclaram hanc Ecclesiæ excellentiam duo sequentia capita, quæ de avibus novis et fluminibus novis agunt, instaurant atque confirmant. Ea ingenii perspicacia et fecunditate, qua pollebat Bruno noster, animadvertens Deum pisces et aves ex aquis creatas, eisque ut multiplicarentur benedixisse; eamdem spiritualem creationem ex aquis baptismatis fieri excogitavit. « Pisces et aves, inquit, novam originem habent, et utraque ex aquis creata sunt. Alteri profunda tenent, alteræ ad cœlestia elevantur. Boni sunt illi et illæ, quia inter omnes alias creaturas isti primam benedictionem accipere meruerunt. Per hos igitur viri sancti significantur, qui ex aquis regenerati sunt. *Nisi* enim *quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto non introibit in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5), qui et profunda Scripturarum, quæ per aquas significantur, penitus rimantur, et virtutum alis ad cœlestia elevantur. » Cum autem de animalibus novis in præcedenti capite locutus fuerit, in hac de mysticis avibus agere instituit. Observavit enim Ecclesiam columbam a Deo vocari : *Una est columba mea* (*Cantic.* VI, 8); Joannem evangelistam

Digitized by Google

aquilæ assimilari, ipsumque Davidem similem pelicano et passeri solitario in tecto se dixisse. « Et non solum homines, ait, verum etiam ipsi angeli avium speciem atque naturam suscipere videntur. Ubique alatos et pennatos esse videmus. Volare quoque magis quam incedere describuntur, quod avium quidem proprium est. » Deinde visionem refert Isaiæ, qua supra thronum Dei omnem terram sua majestate replentem alatos seraphim vidit; et de visione pariter Ezechielis loquitur, cui quatuor mystica animalia apparuerunt; quibus memoratis hæc habet. « Omnia elementa nos volare docent, omnia nos ad superiora, et cœlestia provocant. Jam aves facti sumus, quia in aquis regenerati sumus. Alæ solummodo desunt, illas quæramus; quoniam sine aliis, et pennis volare non possumus. Alæ virtutes sunt, alæ bona opera intelliguntur, sine quibus volare non possumus. Ipsæ nos ferant, ipsæ ad cœlestia elevent. » Recenset dein virtutes, quæ nos ad Deum evehunt, ejusque aspectu nos perfrui faciunt. Cum vero ad explicandam quatuor animalium visionem descendat, arcanum in ea reconditum, eadem perspicuitate, qua cætera tradidit, mirifice exponit. « Nec vacat a mysterio, inquit, quod animal primum hominis faciem habere describitur, per quod videlicet Matthæum apostolum et ejus Evangelium intelligimus. A Christi nativitate Matthæus incipiens, Jesum perfectum hominem, et ab hominibus natum ostendit esse, totam ab Abraham usque ad ipsum ejus genealogiam describens. Marcus vero leonis faciem habere videtur, in cujus Evangelii principio vox in deserto clamare describitur; Lucas autem beatus bovis faciem habet, quoniam a sacerdotio scribere incipit, quod maxime propter sacrificia institutum est. Bos autem inter sacrificia major est hostia. Quare autem aquilæ faciem Joannes habeat, ipsius Evangelii initium apertissime ostendit. *In principio*, inquit, *erat Verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Qui sic loquitur longe sublimius quam aquila volat. » Istæ tamen quatuor animalium facies tam diversæ aliquid nobis conferre videntur, quoniam homo ad rationem, leo ad fortitudinem, bos ad laborem, et aquila ad contemplationem nos provocat. Ecclesia igitur quæ ab evangelistis Christi doctrinam gestaque percepit, non mundanam didicit prudentiam et honestatem, sed ad cœlestem justitiam et perfectionem comparandam erigitur et excitatur. Cum autem Christus Dominus apostolis dixit: *Estote perfecti sicut Pater meus cœlestis perfectus est* (*Matth.* v, 48), ad eam sanctitatis altitudinem eos aspirare voluit, quæ plenitudini gratiæ et doctrinæ ejus responderet, eximiosque fructus produceret. Hujusmodi divinorum munerum in Christi fideles, seu in Ecclesiam effusio visa est S. Brunoni cap. 10, lib. III, tanquam ditissimum paradisi flumen, quo tota civitas Dei irrigatur miraque fecunditate amplificatur. « Hoc autem flumen, ait, Christus est, cujus affluentissima sapientia et scientia sanctam Ecclesiam lætificant. Unde et a Salomone dicitur: *Sapientia prædicat, foris clamitat, in plateis dat vocem suam* (*Prov.* VIII, 1). Hæc et in templo clamat dicens: *Si quis sitit, veniat, et bibat, et de ejus ventre fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38). Hinc est ille fons, de quo dicitur: *Quoniam apud te est fons vitæ* (*Psal.* XXXV, 10). Qui, et mulieri Samaritanæ loquitur dicens: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14). Hic igitur fluvius, quo paradisus mundatur, et Ecclesia lætificatur, in quatuor capita dividitur, per quæ quatuor Evangelia significantur. » Deinde horum fluminum nomina explicat, quorum expositionem amplissimam ad pauca contrahere studeam, lectoribus eodem in capite magnam sacræ eruditionis copiam relinquens. Et primum quidem flumen dicitur Phison, quod *oris mutatio* interpretatur. Evangelica enim prædicatio ora hominum linguasque mutavit, ut qui falsos deos laudabant et prædicabant, nunc unum Deum ejusque mirabilia laudent et prædicent. Quanta tunc oris mutatio facta est, quando apostoli, qui vix una lingua, utpote pauperes et rustici loqui noverant, mox divinitus inflammati omnibus linguis loqui cœperunt? Gyon, quod est alterum flumen, *pectus* interpretatur. Cor enim in pectore est, in quo est sedes et fons totius sapientiæ et scientiæ, de quo flumine bibit evangelista Joannes, quando supra Christi pectus in Cœna recumbens vidit illud, quod postea scripsit. *In principio erat Verbum*, etc. Quandocunque de fluvio Gyon bibere volumus ad pectora pontificum respiciamus; ideo enim rationale ornata sunt, ut magnum ibi sapientiæ thesaurum reconditum intelligamus. Tigris vero *sagitta* dicitur, quia hic fluvius quasi sagitta velocissimus est. Sed quid tantæ velocitatis, ut evangelica prædicatio, quæ quocunque discurrens satis brevi tempore mundum universum implevit? Restat nunc de Euphrate dicere, qui *fertilitas* interpretatur. Non est opus hic multis ostendere quantam Evangelia fertilitatem, populorum nempe ad Christi conversionem peperererint; cum omnia de hac nova multiplicatione filiorum Dei vaticinia perfecte adimpleta fuerint, atque Ecclesia per universam terram propagata videatur. « Quoniam enim ager Dei, inquit S. Bruno, vinea Dei, hortus Dei, sancta videlicet Ecclesia tam fructifera est, hoc facit iste Euphrates, cujus flumine perfunditur et irrigatur. Hæc sunt quatuor flumina paradisi, de uno fonte procedentia, et de uno Christi pectore emanantia, quibus totus irrigatur mundus. Ab his autem multa alia flumina orta sunt. Tot enim sunt flumina quot et librorum volumina. » Deinde docet idem auctor Vetus Testamentum sua habere flumina, quorum aquæ nisi aquis Novi Testamenti temperentur insuaves sunt per se et mortiferæ; juxta illud Apostoli: *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III, 6); Ecclesia igitur his fluminibus, nempe apostolicis doctrinis, irrigata præstantissimos sanctitatis et sapientiæ fructus in dies magis producit, atque sedulo cavet ne a pestilentibus

Digitized by Google

hæreticorum aquis fontes ejus, nempe doctrinæ, inficiantur; sed puræ et salubres omnino asserventur. Reliqui tres Sententiarum libri, quartus nempe de præcipuis fidei mysteriis agit; quintus de laudibus B. M. V., et sextus plures complectitur sermones de martyribus, de confessoribus et de virginibus, quorum laudes Ecclesiæ sanctitatem et gloriam in tanta sæculorum successione coruscantem ostendunt. Cum igitur maximi habendi sint hujusmodi tractatus de laudibus et ornamentis Ecclesiæ, quibus S. Bruno characteres ejus seu notas mirifice tuetur et illustrat, jure meritoque auctori suo eos asserere oportuit, et ita hanc causam agere, ut inanes futilesque pro Brunone Carthusiano pugnantium conatus videantur.

Reliqua S. episcopi Signiensis scripta, quæ hoc in volumine continentur recensere prosequar. Et quidem post sex Sententiarum libros tres sequuntur tractatus, quorum primus est *De Incarnatione Domini, deque ejus sepultura*, 2. *De sacrificio in pane azymo contra Græcos*, 3. *De mysteriis, sacramentis, ritibus Ecclesiæ*. In primo agit S. Bruno de necessitate reparationis humani generis post Adæ peccatum, et de convenientia quod a Filio Dei per assumptionem carnis nostræ, passionem mortemque ejus, nos a damnatione eriperet, atque salvos redderet, soluto pro nobis sanguinis sui pretio. Præterea disserit A. N. de sepultura Christi Domini, de descensu ejus ad inferos, deque ejus resurrectione; sed de his summa tantum percurrit doctrinæ capita, omittens plura quæ ab auctoribus theologis fuse traduntur. Alter S. Brunonis tractatus scriptus est ad Leonem monachum, et versatur circa missæ sacrificium, in pane azymo conficiendum. Cum enim monachi Latini ordinis S. Benedicti Constantinopoli degerent, et juxta S. R. E. ritum sacra peragerent, a Græcis arguebantur quod in pane fermentato non consecrarent; cum traditionem illam ab apostolis et a primis SS. Patribus acceptam' custodire affirmarent. Rogatus autem episcopus Signiensis a Leone monacho ibi commorante, respondit: Æque licere sacerdotibus Latinis in consecratione corporis Christi uti pane azymo ex frumento, ac licitum erat presbyteris Græcis uti pane fermentato, quia utraque Ecclesia, Latina nempe et Græca juxta consuetudinem suam sacramentum facere poterat. Probat tamen sanctus Bruno sacerdotes Latinos institutioni Dominicæ melius conformari; cum Christus Dominus in cœna Paschali juxta Mosaicam legem, quam non venerat solvere, sed adimplere, panem azymum appositum habuerit, et hunc panem, non autem fermentatum consecraverit. Hortatur autem A. N. Leonem cæterosque monachos Constantinopolitanos, ut Græcis in Sacramento altaris morem non gerant, sed doctrinam consuetudinesque S. R. E. firmissime teneant. Hoc opusculum a Marchesio publicatum nullo in codice ms. a me repertum est, quamvis diligenter pluribus in bibliothecis requisiverim. Non ita se res habuit quo ad tractatum De mysteriis, sacramentis et sacris ritibus, cum plures præstantissimi codices sub diversa tamen inscriptione de eo testimonium præbeant. Duos codices memorabo bibl. Mediol. Ambrosianæ sig. Q. 54, et I. 80. Primus codex sub fine sæc. XII, alter autem sæc. XIII exarati, membranacei sunt in fol. parvo, et hanc epigraphen in fronte gerunt. *Brunonis episcopi De sacramentis*. Codex Parisiensis bibl. Regiæ, item membran., in fol. parvo, sig. 3876, titulum habet: *De sacramentis Ecclesiæ*. Alius codex exstat Florentiæ in bibl. S. Marci O. P., quem cum edito a Marchesio in feriis autumnalibus contuli. Eamdem collationem egi cum tribus aliis codicibus, duobus scilicet bibl. Vatican. 994 et 1334, olim Suecorum reginæ, et alterum archivi pariter Vaticani; qui membranacei sunt in fol. parv., et ex charactere Langobardico ad sæc. XII, vel XIII referri possunt. Codicem alterum ejusdem opusculi possidet bibl. Taurin. Regii Athænei sig. num. 1113 et n. 33, cujus talis est inscriptio: *De sacramentis Ecclesiæ, mysteriis atque ecclesiasticis ritibus*. Ab hoc non differunt tituli in præcitatis codicibus descripti. Hujusce opusculi plures actæ sunt editiones; quarum primam, ut diximus, curavit Marchesius, secundam typographi Lugdunenses in bibl. Maxim. veter. SS. Patrum 1677, tom. XX, et in bibl. PP. tom. VI, inter Brunonis Astensis opera, tertiam produxerunt Taurinenses, nulla anni nota obsignatam; quartam in lucem emisit D. Lucas Acherius Spicil. tom. XII, pag. 79, Parisiis 1575, hoc apposito titulo. *De consecratione ecclesiæ, et vestimentis episcopalibus*. Sed his omnibus præferam Philippum Zazzera S. T. D. et C. P. M., qui eumdem tractatum Romæ ex typographia Salomoniana an. 1784 in 8 publicavit. Cum in bibl. Vatic. comperisset codicem sign. num. 5046 hac epigraphe: *SS. Ecclesiæ rituum divinorumque officiorum explicatio ab anonymo scriptore elucubrata*, dignum censuit ut publici juris faceret, adnotationibus illustraret, et Pio VI. P. O. M. feliciter regnanti dicaret. Ex diversis liturgicarum rerum scriptoribus videtur auctor anonymus opus suum collegisse; imprimis vero a Brunone Signiensi, quem de verbo ad verbum exscribit, incipiens agere *de consecratione ecclesiæ*. Quantam approbationem et existimationem tractatus ille sibi conciliaverit, ex hoc apparet quod tanquam sacrorum rituum magister legendus propositus fuerit, ejusque doctrina de sacramentorum essentia, deque eorum effectibus, de mysteriis et de cæremoniis in illis agendis Ecclesiæ Romanæ praxi perfecte consonans exhibeatur. Hinc est quod cum S. Bruno noster plura hoc in opere concinnando ex conciliorum canonibus, et ex decretis pontificum desumpserit, ejus illustrator Zazzera, singulas regulas et decreta suprema auctoritate firmata adnotat, multaque eruditione Commentarium suum exornat. Præcedit autem Brunonis opusculum epistola ad Gualterium Magalonensem episcopum, ro-

Digitized by Google

gatu cujus illud scripserat; ejusque partes sunt sequentes. 1. Expositio ritus consecrationis Ecclesiæ; ubi mysteria sub diversis symbolis adumbrata declarantur. 2. Sacramentorum baptismi et confirmationis documenta, tam pro administrantibus quam pro suscipiendis compendiose traduntur. 3. Singularum vestium episcopalium significatio exhibetur; cumque sacer ille ornatus summi sacerdotis dignitatem repræsentet, plurima a pontifice veteris legis usitata indumenta in novam Ecclesiam novumque sacerdotium exornandum traducta videntur. Sextum locum hoc in volumine dedimus Vitæ S. Leonis Papæ IX, quam Bruno noster ejusdem S. pontificis jussu elucubravit, eique adjecit tractatum ita inscriptum : *De statu corrupto Ecclesiæ.* Hujusce quæstionis hæc fuit origo. Cum sæculo XI Simoniaca labe longe lateque diffusa; episcopatus et sacerdotia pretio venderentur, dubitatum est utrum ordinatio valida in Ecclesia remaneret; quod juxta canonicas sanctiones ordines sacri, per quos confertur Spiritus sanctus, gratis accipiendi sint, et gratis dandi, S. Bruno Signiensis, qui ea florebat ætate, hac de controversia egit, probavitque Ecclesiam Simonia non adeo esse corruptam, ut in ea sacerdotium defecerit. Damnat quidem vehementerque redarguit Simoniacos, quo infami lucro in sacris ministeriis utebantur, eosque anathemate perculsos declarat; asserit tamen, peste ila quamvis grassante, ministrorum ordinationem sanctam Ecclesiam non amisisse. Satis hac de quæstione hic prælusisse videor, cum jam clarissimus Petrus Lazzarius in Præf. et in adnotationibus ad Comment. in Evang. (6) plura docte complexus sit, aliaque a me in ejusdem quæstionis expositione sint adnotanda. Optime meritus etiam fuit Bruno noster de vita S. Petri Anagniæ episcopi, quam scripsit, eamque gestis S. Leonis adjunximus; sed dolendum maxime est nonnisi compendiosam virtutum factorumque S. Petri narrationem superstitem esse. Non omissæ sunt rogatu nostro a diligenti D. Jo. Bapt. Fredericio archivi Casinensis præfecto curæ, ut integra gestorum ejusdem S. Petri series, quam ex multis conjecimus a Brunone exaratam produceremus, sed frustra labor omnis insumptus est. Tandem hanc collectionem absolvent quatuor epistolæ A. N. : prima est ad pontificem Paschalem II, secunda ad Petrum cardinalem et episcopum Portuensem, tertia ad omnes S. R. E. cardinales, quarta ad monachos congregationis Vallis Umbrosæ. Duæ priores variis in editionibus reperiuntur; reliquas ex codice Riccardiano a nobis exscriptas in lucem nunc primum emittimus.

In cap. 5 Prolegom. 1 diximus in cod. Vallicellano, qui continet Expositionem S. Brunonis Signiensis super Psalmos sub fine ejusdem voluminis haberi opusculum, inscripto ipsius S. episcopi nomine, cujus titulus est : *Quæstiones super libros Regum.* Jam nobis compertum erat post anonymum historiographum Signiensem, scriptores aliquos, Jacobum videlicet Le Long, Calmetum et Mabillonium, auctorem quæstionum illarum Brunonem nostrum dixisse, nec ignorabamus his doctissimum cardinalem Sirletum consensisse, quippe in lectionibus propriis ejusdem sancti, inter S. Brunonis scripta hoc etiam opusculum retulit. Attamen cum Joannes Hervegius typographus Basileæ an. 1563 in editione Opp. ven. Bedæ tom. VII, col. 357, hasce quæstiones illi tribuerit, nec in catalogo scriptorum S. Brunonis Signiensis, quem ex codicibus Casinensibus olim diligentissime elaboravit eminentissimus Borgia, tunc S. congreg. Propagandæ fidei a secretis, ulla mentio habeatur, lucubrationem illam omittere deliberavimus. Nulla enim ratio vel ex styli affinitate, vel ex simili Scripturarum interpretatione, vel ex connexione cum reliquis ejusdem S. episcopi Commentariis nos movet, ut inter dubia ejus scripta referamus.

(6) Vid. Comment. in Matth. cap. XXI, n. 10.

PETRI LAZZARI S. OLIM THEOLOGI

PRÆFATIO

IN COMMENTARIA SUPER IV. EVANGELIA S. BRUNONIS ASTENSIS.

Urbem hanc omnium principem, quæ multis prærlarissimisque rebus communi hominum judicio cæteras antecellit, hac ego nulli arbitror quantumvis amplissimæ ornamentissimæque concedere; quod plurimas habet instructissimasque bibliothecas codicum præsertim mss. copia abundantes; ut ex hoc quasi litterario penu, mult Græcorum, Latinorum, exterarum gentium opera, multa præsertim doctissimorum Ecclesiæ Patrum scripta, vel ab interitu vindicata in lucem aspectumque hominum prodierint, vel maculis quibus inquinata apparuerant, detersis, ad eum quem ab auctoribus suis splendorem habuerant, et nativam veluti elegantiam potuerint eruditorum virorum opera revocari. Quod quidem ego non colligi modo posse puto ex majoribus et insignibus ejusdem bibliothecis, quas externi ipsi homines peritissimi harum rerum, Mabillonius, Montfauconius, aliique commendarunt, et quantum sint vel ædificii magnificentia, vel librorum copia, vel codicum mss. præstantia eximiæ, nemo paulo eruditior ignorat; sed maxime ex minoribus aliis quibusdam, quæ vix in hominum famam cognitio-

Digitized by Google

nemque pervenerunt. Adeo nulla est quæ non rarum aliquid repræsentare atque excellens, ad litteratorum hominum utilitatem et litterarum incrementum possit. Ex his postremis unam si nominabo collegii Romani bibliothecam, faciam ut simul b. m. Clementis XIV. P. O. M. munificentiam commemorem, providentiam, largitatem; qui eam bene et luculenter instructam, atque etiam magis magisque libris omnis generis locupletatam exstare jussit, ut bonarum artium et scientiarum athenæum hoc suum novum, illo quasi necessario instrumento atque ornamento non destitueretur. Ex bibliothecæ hujus codice integer nunc prodit commentarius in quatuor Evangelia : de quo commentario, ejusque præstantia et utilitate, de auctore, et codice ex quo vulgatur, vulgandi denique ejus ratione ac modo, non tam more eorum qui ista proferunt, quam necessitate quadam adductus constitui disserere, idque quam brevissime potero; ne aut ac demum ætate qua devexa est, eruditionis famam aucupari videar aut otio abundare.

Quod codicem nostram attinet (namque hinc exordiri placet) est ille in folio, oblongus, membranaceus, paginarum, si numeros, 225, qui præter earum primam usu et tractando aliquanto detritam, et in postremis paucis aliquot, integras habet reliquas et nitidas; ita ut servatum esse diligentissime appareat. Litteræ grandiores sunt, atque ita conformatæ, ut non meo solum, sed virorum qui eum viderunt hujus Urbis intelligentissimorum judicio, ætatem ferat sæculi XII. Librarium et diligentem esse oportuit, et peritum. Nam ferme nunquam erravi, et tunc manus præsto est non multum dissimilis nec valde recentior, qui locum corrigit. Commentario præfigitur proœmium auctoris ipsius, in quo rationem explicat qua in commentario dividendo tribuendoque in partes aliquot, usus est. Divisit vero Matthæum in IV, Lucam in II, Joannem in III, Marcum in partes non dispescuit, ob commentarii nimirum brevitatem. Præter has partes majores, fecit auctor minores alias, quarum et numerum, et uniuscujusque initium, evangelistarum verbis proponit : sunt autem in Matthæo 106, in Marco 9, in Luca 50, in Joanne 56.

Porro ex hac divisione (ut de auctore nunc dicam) visus sum mihi aliquid de eo conjectando assequi. Est enim illud viris eruditis notissimum, divinorum librorum singulorum partitiones, factas antiquis temporibus arbitrio uniuscujusque; neque ut nunc certam aliquam statutamque fuisse, quam libri omnes exhiberent. De hisce plurimis et variis divisionibus egregie disseruit ven. card. Thomasius in præfatione operis sui, quo ex vett. codd. earum nonnullas titulosque repræsentavit, et operum doctissimi atque eminentiss. viri recens eruditissimus editor P. Vezzosi; præterea Martianæus proleg. 4, in Hieronymi bibliothecam, Joseph Blanchinus Evangeliar. proleg. 2, Richardus Simon lib. I, cap. 23, aliique multi, qui in eo quod diximus, de partionis varietate conveniunt omnes. « Illud primum observari velim, ait Martianæus, idem affirmandum esse de antiquis sacrorum librorum capitibus et sectionibus, quod de translationibus Latinis scripturarum docuerunt Hieronymus et Augustinus; nempe tot esse genera hujusmodi divisionum seu capitulationum, quot sunt codices. » Et profecto codicum qui sunt antiquissimi ipsi testimonium perhibent dissimilium divisionum, Vercellensis sancto Eusebio ascriptus, Veronensis, Corbeiensis, Brixianus, Claromontanus, Forojuliensis, Perusinus, cæterique, quos viri docti et laboriosi nobis hactenus exhibuerunt; versio ipsa unoque Hieronymiana, a Martianæo atque Vallarsio descripta diligentissime. Jam vero laudatus card. Thomasius partitionem hanc variam atque incertam, et uno ferme scribentis arbitrio factam reperire se potuisse negat sæculo XI recentiorem; nominatque in postremis qui eam commemorarunt Leonem PP. III et Fulbertum Carnotensem. Cum igitur ea in cod. nostro reperiatur, non videtur posse commentarii auctor infra hanc, quam dixi ætatem detrudi. Prætereo quod ex publicæ pœnitentiæ rigore nondum remisso argumentum capi potest, ex iis quæ habentur in commentario ad Jo. III. 14. Certissimum illud argumentum est, quod ætas codicis suppeditat, inferiorem auctorem esse non posse sæc. XI aut initio XII.

Sed quanto sit ante hanc ætatem collocandus; id vero fuit quod magnam mihi curam cognitionemque ingessit. Erat quidem codici appositus titulus sane magnificus, qui antiquissimum auctorem et insignem maxime demonstraret : « Incipit prologus sancti Hieronymi, » quem in edendo commentario, ne a libri fide discederemus, retinuimus. Sed aperte tollere hunc titulum, facile intelligebam, vel ex auctoris loquendi modo ab Hieronymiano sane quam diverso; vel ex recentione operum maximi doctoris illius a diligentissimis peritissimisque hominibus facta, præter illam quam in catalogo ipse adjecit, vel ex genuino commentario in Matthæum. Quin etiam, cum ab inscriptione codicis exclusus ad verum auctorem reperiendum me totum convertissem : intellexi, multo eum esse Hieronymo recentiorem. Atque argumentum de ea tale capiebam. Cum in Matthæum commentatur num. 86, in Lucam num. 46, atque etiam alias, acriter Simoniacos et Simoniæ vitium insectatur; ut laben illam sua ipsius ætate multum invaluisse, aperte commonstret. Jam vero illa, ut superiorum ætatum hominibus aspersa interdum sit; constat tamen sæculo XI maxime Italiam et regiones cæteras invasisse; quare ei tollendæ Clemens II et Leo IX summopere allaborarunt. « De iis qui sunt a Simoniacis consecrati » (scribit Petrus Damiani opusc. VII cui titulum fecit *Gratissimus*) quanta jam per triennium in tribus Romanis conciliis fuerit disceptatio,... et in iis partibus quotidie ventilctur, sanctitatem vestram latuisse non arbitror. » Vertebatur enim accerrima quæstio de ordinatis Simoniacis, utrum suscipiendi illi essent, an iterum ordinandi. Idem quoque tradunt uberrime scriptores Vitæ S. Jo. Gualberti, qui eodem hoc sæculo XI vixit, et quanta potuit opera, conatuque, ut eliminaretur pestis illa e Tusciæ partibus allaboravit. Hujusce rei observatione, qua usi sunt etiam in rem suam (id est ad scriptoris Vitæ S. Severi ætatem obtinendam) Actorum SS. Antuerpienses editores qui Bollandi opus persequuntur ad d. I. Februarii pag. 79, ad sæculum XI, quasi manu deductus videbar, ut commentarii auctorem reperirem.

Ut eumdem detegerem, accessit aliud, quod illum manifeste, ut mihi videbatur, indigitaret. Nam pluribus commentarii hujus locis, alia quædam sua nominabat, et scripsisse se in Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Apocalypsim affirmabat. Sic num. 104 Matthæi illud exponens. « Scitis quia post biduum Pascha fiet, » et de ritu quo Pascha celebrabatur disserens; « de qua, ait, in Exodo sufficienter diximus : « ac deinde sequenti num. 105, » ad illud : « Et valde mane cum adhuc tenebræ essent, » postquam interjecit verba Genesis, « factum est vespere et mane dies unus, » illaque explicavit, subjicit : « Quamvis ego hoc in Genesi aliter exposuerim. » Antea num. 24, de leproso agens a J. C. mundato apud Matthæum, memoransque ea quæ in veteri lege mundati a lepra offerre munera tenebantur, scribit; « Hæc autem sub brevitate transcurrimus, de quibus satis in Levitico diximus. » Et commentarium quoque in Leviticum hunc suum allegat ad Matthæum num. 76, et ad Lucam num. 2 et 9. Quid plura? Pentateuchum se totum explanasse primis commentarii hujus verbis diserte affirmabat, « Post Pentateuchum Moysi, ut nova veteribus jungeremus, tuæ voluntati obedientes,

Digitized by Google

brevi satis facilique expositione, quatuor Evangeliorum libros in hoc uno volumine coarctavimus. » Ad Lucam pariter num. 14. retractare se dicit, quæ « minus caute in Apocalypsim » scripserat. Jam vero in divinos hos libros qui commentarios scripserit posterioribus his ætatibus, et sæculo de quo quærimus XI reperio neminem, præter Brunonem Astensem, quem in Pentateuchum totum atque Apocalypsim, commentatum esse, Vitæ ejus scriptores testantur, eosque commentarios Maurus Marchesius vulgavit, in bibliothecam PP. postea translatos. Itaque hunc, satis ut mihi videbar, inculenter repereram, et constitueram commentarii hujus scriptorem: cum forte incidi in bibliothecæ Taurinensis librorum mss. Indicem, in quo commemoratum inveni commentarium in quatuor Evangelia nomine Brunonis Astensis. Parum hoc fuisset, nisi etiam, cum specimen illius ut darent cl. editores, præfationem ejus totam ibi ascripsissent. Hanc vero comparanti mihi cum codicis nostri præfatione constitit, esse eamdem; adeoque unum eumdemque commentarium ibi Brunonis nomine ascripto haberi, qui in codice nostro Hieronymi nomen mentiebatur. Nec tamen postquam rem ita esse comperi, laboris me mei et conjecturarum pœnituit. Quis enim ignorat (et noster hic codex testis est) quam sæpe codicum tituli auctoribus quibusvis adulterinos fetus supponant; quam sæpe cui primum aliquod inscriptum opus invenere, cætera ejusdem nomine, librarii ornent, aut prout quivis nationem quamlibet, aut opus, aut auctorem amat vel oderit, ita librorum genus omne adjiciat, vel demat. Nostris ergo argumentis, præter Taurinensis codicis auctoritatem, de auctore commentarii hujus plane constare videtur.

Neque vero hic exquirendum a me esse puto, de Hyeronymi nomine, et ratione qua fuerit codici nostro impositum: quod ut modo dicebam, hanc sibi licentiam semper librarii sumpserint, si codices auctorem ascriptum non haberent, aliquem maxime illustrem illis affingendi, vel etiam permutandi. Notavit hunc istorum morem jampridem Photius cod. 48 cum de libro quodam loqueretur inscripto, De universo, quem Caii esse presbyteri ipse comperat et librum quemdam De labyrintho conscripserat; ille vero aliorum illustriora nomina quædam præseferebat: « Cum enim, inquit, sine titulo liber relictus esset, aiunt, alios Josephi nomen inscripisse, alios Justini M. alios Irenæi, quemadmodum et labyrintho nomen Origenis perscripserunt, » Id nimirum volebant acuti homines et minime simplices, magnorum auctorum nomine operam suam in describendis illis commendare, aut, quod verius est, hoc quasi magnifico præconio, ut Lucianeus ille Mercurius, allicere bonos emptores: itaque ad quæstum fallaciis abutebantur. Quod si hariolari nihilominus licitum est mihi (non enim video, quo verbo utar commodius), dicam ex confusione nominum ortum errorem totum. Cum enim præter Brunonem nostrum, Bruno fuerit alius satis celebris, Andegavensis, qui Eusebius quoque dictus est (ex Chronicis Adegavensibus apud Labbeum tom. I, Bibl. mss., p. 276, 282, 287, 388); » Hieronymus quoque prænomen habuerit *Eusebius*, quod vel titulus ipse ejus operum exibet; solerent vero sæpe librarii festinantes unum tantummodo scriptoris alicujus nomen apponere e pluribus; facile fuit ex Brunone Eusebium, ex Eusebio Hieronymum affingere. Quid enim horum in amanuensem imperitum non convenit? Imperitum amanuensem dico; quando Aubertus ipse Miræus, vir certe non ineruditus, Andegavensem Brunonem (id est Eusebium) cum Astensi nostro Brunone in hac litterarum luce confudit; idque cum de ecclesiasticis scriptoribus opus conscriberet pag. 57 adeoque ipse quoque Brunonem Astensem, Eusebium effecit? Utinam vera esset conjectatio isthæc mea! nam explicari aliud posset fortasse difficilius; cur Brunonis Astensis homiliæ, quæ ex hoc commentario exstitere, ut inferius dicemus ascriptæ tandiu fuerint Eusebio Emiseno? Nihil enim videri poterit credibilius, quam cum Brunonis nostri istiusmodi opuscula ferrent Eusebii nomen, atque eruditulus nescio quis vellet Eusebium unum e pluribus ad quem ea pertinerent, definire; ad Emisenum se convertisse, de quo nosset Hieronymum in catal. cap. 91, et ex eo Honorium Augustodunensem perhibere, esse ejus « in Evangelia homilias breves et plurimas. » Sed hæc conjecturarum quarumlibet loco haberi volo, ut non sim eis qui contradicant, atque ista non probent, valde repugnaturus.

Ut ad Brunonem Astensem, id est commentarii hujus scriptorem revertar; nolo hic a me expectari, ut qualis quantusque vir ille fuerit, qua integritate morum, qua sanctitate vitæ, qua doctrina et eloquentia, quibus muneribus, difficillimis temporibus pro Ecclesia functus, ornatusque summis honoribus, et laudum præconiis, longa oratione exponam. Sunt enim qui hoc faciunt, et de rebus ejus gestis, laudibusque narrant, omnino multi; quos in Historia rei litterariæ ord. S. Benedicti, part. III, pag. 150 » recensuit Magnoaldus Ziegelbaver. quorum quidem aliqui ipsam Brunonis ætatem ferme attinguat, Leo Ostiensis, et Petrus Diaconus; alii nemini possunt esse ignoti, Baronii Martyrologium d. 18 Jul., Ferdinandus Ughellus, Raphael Sopranus, M. Ant. Scipio, Hippolytus Maraccius, Philippus Labbeus, Augustinus Oldoinus, Jo. Albertus Fabricius. Hos ille omnes nominat. Nominare etiam plures poterat ac debebat, in primis Baronii Annales ad an. 1104, 1105, 1107, 1108, 1111, 1116, Pagium ad an. 1125 a quo num. 14 dicitur pietate et doctrina clarissimus, Fleury ad an. 1079. « qui doctum monachum » cum vocat: eos vero qui scriptores ecclesiasticos recensuerunt proferre poterat, præter eos quos nominavit, plurimos alios, Possevinum App., tom. I, p. 253, Caveum, Oudinum, Combefisium quoque tom. I, Bibl. Conc. Quis vero de Brunone hoc nostro luculentius egerat, aut Benedictinorum Annalium conditoribus Mabillonio et Martene « tom. V et VI, etc.; » aut Solerio Bollandiano ad d. 18 Jul. Ut omittam monasticæ Historiæ et Benedictinæ scriptores alios Gabrielem Bucelinum, Arnoldum Wion, etc. Nam. quod Jo. Baptistam comitem Mazzucchellum ignoraverit, accuratum plane scriptorem, quique de Brunone ejusque scriptis diligentissime disseruit vol. II, part. IV, pag. 227, » tempori hujus recentiori, non negligentiæ ejus alicui ascripti debet.

Ne tamen de Brunone nihil omnino dicam; proferre hic placet quæ brevissime de eo Mabillonius in summam veluti redegit ad an. 1079.: « In Liguriæ, inquit, Provinciæ villa Soleria natus est Andræa et Villa parentibus. In S. Perpetui monasterio diœcesis Astensis educatus, dein studiorum causa Bononiam se contulit, postea Senas, ubi inter canonicos ab episcopo et canonicis majoris ecclesiæ cooptatus est. Inde Romam profectus a Petro Igneo episcopo Albanensi acceptus hospitio, cum Romana illa synodus haberetur, contra Berengarium una cum Alberico disputavit: paulo post a Gregorio VII factus episcopus Signiensis, ac demum, abdicato episcopatu, monachus Casinensis. » Hæc Mabillonius ex anonymo Vitæ scriptore, cui fidem haberi magis quam Petro Diacono censuit; quod item Solerius statuit, contra quam placuit Philippo Malabaulæ. Atque illa omnia ad annum quem dixi 1079, recensuit. Nam revocatum e monasterio Brunonem a Paschali II, legatum apostolicæ sedis missum in Gallias; creditas eidem legationes alias, et cum Signiensem Ecclesiam iterum regeret, obiisse, iidem Annalium Benedictinorum auctores postea narrant. mortuum autem volunt non ann. 1125, ut Ughellus asseruerat Angelus de Nuce, Pagius alique, sed biennio ante, ex auc-

Digitized by Google

nymo Vitæ scriptore; cum quo idem sentiunt Solerius, Dupinius, illustriss. Mansi ad an. Baron. 1125. Fuisse Brunonem in cardinalium collegium cooptatum, sunt qui affirmarunt, idoneo tamen teste non prolato. Proferam ego quod in Collectione Martene Veter. mon., tom. I, col. 556 in veteri charta legitur; ubi scilicet nomina hæc subscripta inveniuntur Dobertus Pisanus, Joannes Portuensis, Bruno Signensis cardinalis. Si chartæ huic fides adhiberi tuto posse censeatur (quidni vero fiat?) cæteris Brunonis nostri laudibus atque ornamentis, hoc quoque adjungatur.

Quanquam ea hominis censenda sunt ornamenta maxima atque amplissima; primum quæ ex ejus pie sancteque factis oriuntur (de his vero Brunonis modo diximus), deinde quæ ex doctrinæ monumentis conficiuntur, ad Ecclesiæ præsidium et Christianorum utilitatem elaboratis. De his nunc Brunonis nostri dicemus. Quanquam, cum ejusdem scripta diligenter recensuerint et laudaverint etiam multi, Petrus Diaconus, et anonymus Vitæ scriptor, D. Aloysius Squadronus, Maurus Marchesius atque in primis illustriss. Mazzucchellus; ne actum agam, omissis cæteris, in commentario hoc nostro duntaxat immorabor. Atque eum quidem, præter Romani collegii bibliothecam ex qua proferimus, exstare in Taurinensi regia, antea narravimus. Est etiam in regia Parisiensis cod. 2510, teste cl. Mazzucchello, qui nominat inter ejus monumenta « Expositionem in IV Evangelia. » In Parisiensi bibliotheca S. Victoris, præter commentarios Brunonis, alios asservari perhibet Jacobus le Long, hunc « in IV Evangelia. » Et quoniam ex hoc commentario sermones excepti sunt sive homiliæ Brunonis, dicemus de his quoque, in codice nimirum archivi basilicæ S. Petri inventos esse a Montfauconio, et hoc nominari in Biblioth. biblioth. pag. 156, eorum quoque nonnullos in bibliotheca Parisiensi regia pag. 748, et in Ambrosiana pag. 511, recenset etiam Brunonis « homilias in Evangelia totius anni » inter codices bibliothecæ Casinensis ibid., pag. 218 in codice sæculi XI atque etiam pag. 223, in aliud ejusdem bibliothecæ, cujus ætatem non ascribit.

De commentarii hujus præstantia atque utilitate si magnificentius aliquid dicam, vereor ne rerum venalium institores imitari videar, qui merces suas ut dividant, magnificentissimis verbis solent ornare atque extollere. Habeo tamen quem mihi vadem adsciscam, et commentarii hujus præstantiæ luculentissimum testem nominem, rerum harum peritissimum æstimatorem, Lucensem olim archiepiscopum illustriss. Mansi; ad biblioth. med. æv. Fabric., tom. I, pag. 288, de Taurinensi cod. quem diximus, et Brunonis commentario loquens : « Clarissimus, inquit, Josephus Pasinus bibliothecæ illius moderator dudum per litteras mihi significavit, de opere illo edendo consilium agitare : quod ut præstet vir doctissimus, communi omnium eruditorum prece rogo atque obtestor. » Incesseret credo lætitiis omnibus vir doctus, si quod summis votis expetiverat consecutum se et perfectum esse videre potuisset. Et perfecto non debet ab erudito et Christiano homine non magnopere probari, veterum Patrum scripta, quibus divini præsertim libri explicantur, iique (quod A. noster facit) hominum mores ad omnem sanctitatem informantur, non afferri foras, et tradi Christianorum manibus, quibus et illi proficiant, et traditionis ampliora exstent testimonia, in libris maxime episcoporum. Hi enim non fidem duntaxat suam, sed Ecclesiæ cui præsident testimonium perhibent; ex singularibus vero Ecclesiis conflatur illa, quæ est catholicæ Ecclesiæ atque universalis traditio; qua fidei nostræ, præter verbum scriptum, altera depositi pars continetur.

His tamen omissis, sunt huic commentario laudes propriæ et suæ. Multos esse commentarios a veteribus in Evangelia conscriptos, quorum indicem la Long aliique confecere, nemo ignorat; non vereor tamen affirmare, inter excellentiores et præstantiores locum huic nostro deberi. Tanta est in summa brevitate magna sententiarum et rerum comprehensio, cum eruditione non vulgari conjuncta; eaque omnia ad mores instituendos, et omnem vitæ sanctitatem edocendam adhibita; ut summam Christianæ doctrinæ peritissime confectam hoc commentario habere se unusquisque lætari possit. Nec vero novis sive interpretationibus efferendis, sive sententiis cudendis scriptor hic allaborat, sed antiquiorum Patrum floribus veluti decerpendis, probatissimis scilicet explicationibus, institutionibus, documentis, effatis, ut nihil aliud voluisse videatur, quam qui commentarium suum legeret, quæ in aliis omnibus utilia et præclara inveniuntur, ea haberet in suo. Ita quæ ab aliis adnotata egregie fuerant huc ipse transfert; uberius dicta contrahit ipse, aut si obscurius aliquanto et breviter allata, ea diducit atque exornat : Si qua occurrunt Evangeliorum difficilia loca, non modo non præterit, sed perspicue solideque explanat; concordiam inter evangelistas ubique constituit; ordinem rerum narratarum sive ab ipsis servatum sive neglectum observat; Hebræa interpretatur, divinorum aliorum librorum loca, his quæ in manibus habet, comparat, atque exponit : denique nihil eorum quæ in docto et erudito interprete postulantur, in eo desiderabis. Animadvertam tantummodo, cum sæpissime Veteris et Novi Testamenti loca alleget, etsi constat eum Vulgatæ perpetuo adhærere, commutare tamen voculas quandoque nonnullas, vel quod memoriæ suæ nimium confideret, vel quod sensa afferre contentus, verba neglexerit. Id in Patribus aliis esse frequentissimum, qui in illis tractandis sunt aliquantum versati, plane norunt. Nam quod cl. Ansaldus aliud statuit, vultque esse codicum diversorum ipsas lectiones; nescio an toto illo libro suo De authenth. sacr. Script. apud ss. PP. lectionib. effecerit, persuaseritque viris doctis.

Est etiam ex hoc commentario eximius quidam et præcipuus fructus; ut evellatur penitus ex hominum animis illa opinio, quæ a multis ætatibus altius insiderat; fuisse Eusebium quemdam Emisenum, laudabilem Ecclesiæ doctorem, et catholicum episcopum; cui homiliæ multæ, quæ in explicandis Evangelii locis versantur, debeantur : ita ut duos facere oporteat Eusebios Emisenos, eosque episcopos; et præter Arianum improbum et perditum hominem, Catholicum alium, probum, doctum, pietatis virtutumque omnium præclarum institutorem. Cum Iste Catholicus diu quæsitus esset, neque in tota antiquitate inventus; exstitit nescio quis repente in scenam veluti inductus Eusebius Gallicanus; quem hominem nemo vidit unquam, nemo audiendo novit, nec cujus aut quis esset, fuit ullus qui demonstraret. Et tamen in bibliothecam PP. quæ edita Lugduni est, tomo VI irrepere fabulosus homo potuit. Magnæ quidem gratiæ habendæ Mauro marchesio, viro erudito et Casinensi monacho, qui cum in Casinensis bibliothecæ codd. homilias illas invenisset, ascripto Brunonis nostri nomine, fabulam totam detegere visus est, eliminandumque decrevit e Patrum catholicorum choro Eusebium utrumque, Emisenum et Gallicanum. Confecta tamen hactenus res dici non poterat. Quoties enim codex unus vel alter titulo suo fallit? Et domestici etiam testes recipi facile ab hominibus, licet æquis prudentibusque, non solent. Additur : In homiliis ipsis aliquid quandoque occurrere, quod suspicionem aliquam injicere de illis poterat; utrum post auctorem suum consarcinator aliquis manum illis intulisset. Nam et in alia excurrunt quæ ad illius diei evangelicam lectionem nullo modo pertinent; et quæ in textu evangelistæ sequuntur, nec in ecclesia eo die lecta fuerant, subjiciuntur. Nunc plane res perspecta

Digitized by Google

atque cognita haberi debet, quando, unde ortum homiliæ habuerint diserte apparet, easque præter Casinenses codices, asserunt Brunoni quotquot exstant horum commentariorum codd. mss. insignes et probati; Parisienses, Taurinensis, Romanus.

Atque id quod de homiliis dixi ex commentario hoc desumptis non ita plane intelligi volo, quasi commentarius nihil plus habeat, quam quod homiliis illis continetur. Si ita esset, non tamen in illo edendo labor atque opera improbari omnino posset. Nam rem, ut dixi, de auctore homiliarum satis luculenter manifesto argumento confirmaret; et contextus commentarii totus, isque ordine Evangelii confectus, majorem quamdam lucem et legentibus sacros libros utilitatem afferret: cum homiliæ divulsum et perturbatum, pro dierum scilicet ratione quibus in ecclesia legitur, repræsentent: Verum qui hanc in animum opinionem induceret, unum idemque opus quod commentarii nomine nunc vulgatur, antea homiliarum titulo editum esse, ne is egregie falleretur. Est quidem commentarii pars non exigua in homilias conflata atque transfusa, prout pars Evangelii illa legi in ecclesiis consuevit. Sed præterquam quod nonnulla in commentario desunt, quæ vel conveniendæ cujusdam causa, vel ut audientium e plebe ingenio serviatur, adduntur in homiliis; abundat ille sane quam plurimis, id est explicationibus Evangeliorum, quæ in ecclesiasticis lectionibus locum nullum invenerunt. Sed nihil necesse est id persequi pluribus; quando commentarii unaquæque pars, quæ est in homilias translata, ut lector admoneatur, adnotata est; et sine hac adnotatione multæ invenientur Commentario vero jam ab auctore conscripto perfectoque, indidem homilias suas auctorem decerpsisse, idem ipse est testis: qui in homilia « Dominicæ I post Epiphaniam, » ad illud: « Et tertia die nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, » cum priora verba exponere vellet: « Die tertia, inquit, evangelista factas fuisse narrat: quod qualiter ad litteram intelligendum sit, in illo commentario exposuimus, de quo ista assumpta sunt. »

Non autem id primum ab auctore factum, neque hoc novum esse, ut qui sermones haberent ad populum, ex aliis ipsorum operibus istos mutuarentur, facile sibi persuadebunt, qui animadvertant, in Augustino aliisque Patribus multas homiliarum partes, iisdem sententiis, verbis etiam constare ipsis, quæ in aliis elaboratissimis eorum operibus inveniuntur: quod quidem illos fecisse putandum est, vel ut labori non utique necessario parcerent, vel quod illa commodius nunc quam factus fuerat, dici posse dilliderent; vel id fiebat harum homiliarum et sermonum frequentia, qua ad meditandum cogitandumque tempus nullum suppetebat. De frequentia hac concionum, quoniam fuse disseruere alii, præsertim Bernardinus Ferrarius De rit. sacr. concion. c. 18, et auctor Originum ecclesiasticarum vir heterodoxus, sed sane pereruditus tom. VI, lib. XIV, cap. 4, § 6, 7, etc., non est a me hoc loco agendum. Erat quidem antiquioribus temporibus minus id necessarium, quando commentarios ipsos in libros divinos et Tractatus (unde sermonibus Tractatuum nomen, et Tractatorum illos habentibus) prælegebant populo, vel memoriter scriptores pronuntiabant: nam utroque modo rem peractam, ii quos modo laudavi viri eruditi docuerunt. Posterioribus tamen ætatibus id fieri oportuit, ut, ex confectis jam commentariis, et forlasse sepositis ad hujusmodi negotium, homilias suas episcopi describerent, vigilatosque labores ad ex temporalem operam perficiendam adhiberent. Quod si non tales essent qui suis uti possent, alia doctorum sive minus occupatorum hominum sibi in subsidium advocabant. Hinc Gennadii illud in lib. De illustr. eccl. scriptor. c. 57 de Cyrillo: « Cyrillus Alexandrinæ ecclesiæ episcopus homilias composuit plurimas, quæ ad declamandum a Græcis episcopis memoriæ commendantur: » et Salviani quoque commemorant cap. 67, homilias episcopis factas multas: » quod etiam Honorius in lib. De luminarib. Eccles., cap. 67, iisdem ferme verbis habet. De oratione quadam ab Isidoro Pelusiota scripta, pronuntiata vero a Dorotheo, constat ex illius lib. VII, epist. 382. Idem de Ennodio Sirmondus observavit; scripsisse eum scilicet quod Honoratus Novariæ episcopus diceret; atque aliud composuisse, et Stephano vicario dedisse coram Maximo episcopo pronuntiandum; unde harum scriptionum tituli illi: « Dictio missa Honorato episcopo Novariensi in dedicatione basilicæ apostolorum; dictio data Stephano V. S. vicario dicenda Maximo episcopo. » Cum viri docti, quorum opera uti liceret, non ubique aut omni tempore præsto essent, ad vulgata antiquiorum opera confugiendum fuit; quæ sæpius interpolabant, pannis veluti assutis ex variorum scriptorum libris, aut etiam de suo aliquid intermiscentes; quo sæpe ex bonis deteriora facta, partes male compactæ, inæquali stylo, nec satis aptis sententiis. Hinc exstitit sermonum infinita illa seges (colluviem pene dixeram), quæ nullius veteris auctoris stylum redolet, et tamen multa habet ex antiquorum effatis atque sententiis; unde ampla sane materies data est recentioribus criticis, cui potissimum sermo aliquis ascribi debeat, conquirendi, et in auctoribus inveniendis mira facta dissentio et digladiatio. Satis est Augustinianorum sermonum Appendicem quam vocant, in manus sumere, ut hoc quod dico, abunde constet. Commodius profecto sibi, et veterum etiam operibus consulere, qui ex uno auctore aliquo decerpere voluerunt, quod dicerent: unde illi Ambrosiani sermones; qui, si Maurino editori auscultemus, ab Ambrosio nunquam sunt habiti; et ex Ambrosii tamen operibus compacti omnes: aliorum quoque alii qui simili pacto tessellatum opus quoddam exhibent antiquioris scriptoris, quem nec ad populum dixisse unquam, nec si diceret, hac rerum sive verborum consarcinatione dicturum æstimare facile possumus. Quæsitum est huic incommodo paratumque remedium, inventis compositisque quæ dicunt Homiliariis; quibus nimirum præclarissimi antiquorum sermones, per dies anni festos et solemnes distributi continerentur. Habemus nunc Pauli Diaconi nomine vulgatissimum notissimumque Homiliarium cum prælixa Pauli epistola, ex qua constat, Caroli M. jussu perfectum opus illud, sive ut ego censeo, instauratum ac renovatum. Nam antiquius Paulo exstitisse Homiliarium, ex codicibus Paulo antiquioribus omnino constat, quorum unum in bibliotheca Casinensi vidit recensuitque in bibliotheca bibliothecarum Montfauconius: nec dubitandum est alios alicubi esse codices qui illud repræsentent. Profecto eorum unum eumque præclarissimum ego quidem vidi, et pro lubito inspiciendum tractandumque apud me habui (quæ ejus est humanitas et in litterarum studiosos homines indulgentia et largitas) ex eminentissimi card. Franisci Xaverii de Zelada opulentissima selectissimaque bibliotheca. Antiquioris ejus ætatis certissimum indicium est, quod anni circulus, non ut in illo Pauli et recentioribus ecclesiasticis libris, initium capit a Dominica I Adventus, sed ab ipso die J. C. natali, quem admodum in Gelasiano Sacramentario et antiquioribus libris alii factum videmus. Hujus tamen eadem labes est, quæ Homiliarii Pauli; ut Patrum nomine illorum homilias inscribat, quæ eorum non sunt, et in Patrum Appendicibus ab eruditis criticis rejectæ legantur. Hoc vero ex illo et ex Pauli Homiliario adjumenti capimus, ad ea quæ dicta sunt confirmanda, quod ex commentariis ipsis Patrum, ex epistolis quoque illorum sermones excerptos fuisse videmus; ut esset, quod unoquoque solemni die vel ab episcopis pronuntiaretur, vel ad populum prælegeretur. Redimus

Digitized by Google

ad Brunonem nostrum; dicimusque nemini mirum accidere debere; ex commentariis illum suis descripsisse homilias, verborum sæpius nullo immutato; ut utroque modo operis magna pars, et homiliarum et commentarii nomine exhiberi potuerit, et exhibitum a me sit.

Atque hactenus quidem de commentarii nostri præstantia dicere pluribus verbis oportuit, ut quale illud esset, omnibus constaret. Nec tamen sum omnia exsecutus. Nam erunt profecto qui detrahendum illi putent, quod magnus in eo sit allegoricarum et mysticarum interpretationum et explicationum numerus; ad immortalem vitam quæ futura est, a Christianorum Ecclesiam, et veterem Judaici populi Synagogam; ad Ecclesiarum rectores episcopos; vitia vero damnanda, virtutes castosque mores laudandos, pleraque vel omnia pene referantur, ut in his veluti auctor habitare, in litterali quem vocant sensu explicando vix hospitari videatur. Sed primo quidem, ut dixi, litteralem sensum hujusmodi, quando non ita planus apertusque est, ut intelligi ab auditoribus nemine docente non possit, Bruno et quidem luculenter exponit. Deinde explicationes alias illas quæ intentæ a Spiritu sancto nequaquam videntur, sed ab auctoribus illis de suo veluti penu depromptæ, qui damnandas et rejiciendas putant, considerasse oportet, qui improbent, et quos sibi auctores condemnandos, repellendosque sumant. Sunt enim explicationes eædem in Patrum scriptis frequentissimæ; ut si demptas eas ex eorum scriptis velis, peritura hujusmodi sint opera ferme tota. Neque ego Gregorium, aut Bedam dico duntaxat; quos notum est istis plurimum delectari; aut ex antiquioribus Origenem, quem scimus de allegoriarum nimia frequentia, neglecto litterali sensu, crimen sustinuisse; sed omnium sententia et vocibus probatissimos laudatissimosque antiquos PP. Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum. Quam sæpe has in commentariis divinorum librorum consectentur, credo ego, ex adjectis a me notulis aliquibus facile cuicunque constabit. Sed causa cur ita fecerint, explicanda a me est, quod nesciam, an ab ullo sit perspicue et graviter explicata. Ac prima quidem, eaque facilis cogitatu; ut austeriora, quæ videntur delicatis hominibus, et evangelicæ doctrinæ insuetis præcepta morum, sapore veluti quodam non illiberali condirent; nutrices imitati, de quibus vetus poeta ille non male animadvertit, cum amarum aliquid propinant infantibus, melle solere vasis oras illinere, ut hac quasi fraude decepti, quod nollent sorbeant non inviti. Sed est deinde penitior causa alia, ex veteribus Christianorum institutis, ex quibus omnino arbitror, istam tantam allegoricarum et mysticarum explicationum copiam in Patrum scripta permanasse. Erat enim a primis usque temporibus tantus in divinos libros Christianorum amor atque studium; quod, ut a profanis ethnicorum præsertim scriptis illos arceret, studiose fovebatur ab antiquis doctoribus ut illos ferme unos legere, solos audire atque ediscere Christiani homines vellent, cæteros ferme rejicerent et aspernarentur. Atque hinc scholæ ad quas erudiendi juvenes mittebantur, nihil aliud quam divinos libros resonabant, et divinorum librorum explicationem. Quod de veteri illa et celebri Alexandrinorum schola Eusebius testatur lib. v, H. E, cap. 10, scribens: « Per idem tempus fidelium scholæ præerat vir doctrinæ causa celeberrimus, nomine Pantænus: quippe jam inde a priscis temporibus sacrarum litterarum schola in ea civitate fuerat instituta: quæ quidem nostra adhuc ætate perseverat, et ab hominibus tum eloquentia, tum divinarum litterarum studio instructissimis obtineri dicitur. » Antiquissimarum scholarum illarum et magistrorum hujusmodi vestigia sunt, quæ inferioribus ætatibus munera in Ecclesia Cpna a Codino Curopalata recensentur « Quinar. I, doctor Psalterii, doctor Evangelii; doctor Apostoli. » Neque alias etiam fuisse Romæ scholas in patriarchio Lateranensi constitutas, ex Anastasio in rebus gestis pontificum narrandis, colligere facile possumus. Quod si illa quæ Cpi officia perhiberi diximus, non de scholis interpretari velis, sed cum Gretzero de orationibus ad populum habitis, et officii quod hic « concionatoris » vocat; per me licet. Nam id ego volebam. Si nihil in scholis Christiani homines aliud docebantur, quam sacras divinasque litteras; neque aliud in ecclesiis quoque, et sacris eorum conventibus ab Episcopis sive aliis e clero dicentibus audiri debuisse. « Hinc perspicis, scribit ad Codini illum locum Vir doctus Jacobus Goar, cur sanctorum Patrum quædam homiliæ in Evangelia, aliæ in Psalmos, in Apostolum nonnullæ. » Adde alias in Genesim, in Pentateuchum totum, in propheticos libros, quales nunc quoque exstant in Basilii, Chrysostomi, Nysseni, Augustini libris homiliæ et tractatus. Nam, ut superius innuimus, et diserte scribit Augustinus epist. 224, « *tractatus populares* suos appellans: quos, ait, Græci *homilias* vocant. » Cum ergo id multis ætatibus tulerit Christianorum oratorum disciplina, ut sermones illorum et homiliæ sive tractatus in explicatione ferme omnes sacrorum librorum versarentur, et eorum opificibus cæterisque de vulgi fæce hominibus dicendum esset; quid, rogo, ut illi dicentibus sibi attenderent, ut fructum aliquem caperent, nec tædio affecti loquenter desererent, faciendum fuerat nisi ad istas veluti paræneses delabi quas nemo non intelligeret; atque hæc veluti diverticula quærere ad mores informandos, ad vitia vituperanda, virtutumque amorem quod maxime volebant, instillandum opportunissima, allegoricarum et mysticarum interpretationum? Somniculosis profecto auditoribus suis usi illi essent, si dies illos quibus conditum esse mundum Moyses docet, aut Isaiam, aut quemlibet ex prophetis interpretantes, rem ad vivum resecarent, ut commentatores nunc eruditi faciunt; quorum etiam multos, ne libri eorum negligantur, eadem illa intermiscere et illigare frequenter videmus. Egregie Nyssenus init, Hexaemer. iis respondens, qui sublimia quædam quod præteriisset, Basilium fratrem culpabant; « Hi mihi non videntur, ait, propositum Patris nostri doctrinæ finem intueri, qui in frequentissima ecclesia, populum frequentissimum alloquens, pro audientium intelligentia sermonem moderabatur. In tanta enim multitudine, licet essent nonnulli qui altiores etiam disputationes intelligerent, plurimi tamen doctrinæ subtilitatem non capiebant, utpote homines imperiti, atque opifices, et negotiis vilibus occupati, et mulieres in ejusmodi disciplinis minime exercitatæ, et puerorum turba, ætateque provecti senes; qui omnes oratione facili instituendi recreandique erant. Quanquam fatendum est illud quoque, non rudiorum duntaxat hominum gratia, sed eruditorum quoque, et plane doctorum atque ingeniosorum hominum id esse factitatum; quibus ista, si judicio et subtilitate quadam non inelegante fiant, displicere non solent; imo multum etiam vehementerque probari. Cum enim quod ingenii opus est maximum, id valde delectet, res quæ dissitæ inter se videntur planeque aliæ ab aliis remotæ, admoveri propius, et cognitionem quam intercedere inter eas non videbamus, doceri et demonstrari; hoc prorsus in mysticis illis et allegoricis interpretationibus, id est rerum plane diversarum et longe positarum, ad sacrarum litterarum loca aptandis accomodandisque, evenit. Atque homines ingeniosos hujusmodi et doctos, qui istis delectarentur, attingere Bruno videri potest in commentario suo ad Joannem, num. 5, id est in homilia Dominicæ I post Epiphaniam, ubi explicans evangelicum illud de aqua in vinum commutata, atque hoc oblato architriclino qui omnium optimum judicavit, et architriclinum intellectum allegorice explicavit; subdit: Huic Ecclesiæ ministri sanctarum Scripturarum vinum quotidie offerunt; quod ille bibens,

Digitized by Google

quamvis nesciat unde sit, tamen admiratur et laudat. Quando enim hic in ecclesiis recitantur, nulli alii dant saporem, nisi his qui ea intelligunt. Merito igitur hoc vinum architriclino ferre Dominus jussit, quatenus et nos majora intelligentibus demus vinum, non intelligentibus vero aquam offeramus. Qui enim bene intelligunt litteram venerantur et spiritum. . . qui vero minoris intelligentiæ sunt aquam bibant, et Scripturarum planissima audiant. » Ingeniosos ergo et eruditos homines appellat hoc loco Bruno, cum *majora intelligentes* describit, seu potius qui divinarum rerum contemplationi assueti, et rerum spiritus periti, mystica ista in deliciis habeant, cæteros vero, et si ingeniosos et doctos, non item; de quibus postremis Apostolus quoque ait : « Carnalis homo non percipit ea quæ Spiritus sunt. » Ex his ergo colligitur nonnisi injuria posse auct. nostrum de multitudine et frequentia allegoricarum et mysticarum interpretationem culpari.

Restat ut de editione loquar Commentarii nimirum hujus. Nam de auctoris nostri operum aliorum editione, neque ad nos disserere pertinet; et occupata sunt quæ dici possent a viris doctis, præsertim a cl. Mazzucchello omnia : nisi unum fortasse quod præteriisse illos videtur; de homiliis LVI diversis a nostris, quæ tamen primæ Eusebii Emiseni nomine vulgatæ sunt; Parisiis scilicet an. 1547, per Nicolaum Divitem opera Jo. Gagnæi theologi; in qua editione lectorem bibliopola alloquitur : « Ne tibi fucum fieri putes, » etc.; et ad extremum : « Tu interim, optime lector, hocce præclaro D. Joan. Gagnæi dono fruere, et illi bene precare; » epistolæ vero huic subjicitur quod de Eusebio Emiseno Trithemius habet. Hæc de editione illa adnotavi; quod cum eam non vidisset, qui omnia quasi se vidisse gloriatur, Casimirus Oudinus, vir apostata, permiscuit plurima, et castigare voluit nonnulla quæ ipsa erant erroris omnis expertia; cum interea multa ipse reprehendenda scriberet; atque illud præsertim tom. I, col. 394. Joannem Gagnæum an. 1575 nomine Eusebii Emiseni evulgasse has homilias, nec earum priorem editionem ullam agnovisse. Etenim qui fieri potuit ut ignoraret, quam ipse triginta ferme ante annos cura et diligentia sua faciendam curaverat? Adeo prudentem esse oportet et cautum circumspicientemque omnia, qui virum quemvis doctum reprehendere et damnare aggrediatur.

Ut nunc de editione Comment. hoc nostri dicam; si ullum ex codice quem superius indicavi, fide qua par est summa diligentiaque descripsissem, si ita descriptum emisissem in lucem, atque ætatem codicis duntaxat, et locum quo servaretur, ut feci adnotassem; nihilque addidissem aliud; quid erat in quo aut reprehendendus viderer, aut quod exigi a me præterea jure posset, videretur? Hoc enim video, nec quidquam aliud fecisse summos viros qui in isto studiorum genere magna cum eruditorum laude versati sunt, atque adhuc versantur. Dicam tamen quod sentio. Etsi operæ et labori meo hac ratione parcerem, mihimet tamen nunquam plane satisfecissem, aut satis consultum auctoris famæ aut lectoris utilitati putassem, in eo scriptore scilicet, qui illas, quas dixi explicationes, sæpe persequitur, atque aliquas quandoque affert, auribus plerorumque hominum novas et insuetas; ut a recta linea discedere, et ingenio suo nimium indulgere facile existimaretur : quod est longe secus. Nullam enim ferme illarum explicationum auctor depromit, quam non ex antiquiorum arculis in quibus velut reconditæ habebantur mutuo acceperit; et non illud maluerit, celebriorum veterum commentariorum vestigiis ac quasi orbitæ semper insistere. Ergo hunc mihi sumpsi laborem, ut fontes, unde eas hauserit, aperirem, vetustiorum interpretum similia loca describerem, aut saltem indicarem : quod quidem et in laudem cedere potest Brunonis; nihil ferme attulisse ad Evangeliorum explicationem, quod ex myrotheciis probatissimorum Patrum desumptum non sit; et studioso etiam lectori utilitatem simul et delectationem afferre; in uno scriptore multorum cogitata et vigilata antiquiorum studia recognoscere atque obtinere. Quanti id steterit, malo in aliorum judicio ponere, quam narrando explicare. Reliquum est ut si quid a me non inopportune adnotatum lector cognoverit; si hisce in studiis præclarissimis sanctissimisque commodi aliquid perceperit; si denique in Commentario hoc edendo, non inutilem operam et infructuosam positam judicaverit, et evangelicorum librorum explicationem, ad fovendam pietatem, et ad Christianam disciplinam cognoscendam servandamque nonnihil esse profectum; gratiæ habeantur optime merito cardinali Francisco Xaverio de Zelada, per quem effectum est ut et liber hic diutius in tenebris et bibliothecæ hujus Athenæi forulis ne lateret, et elegantissimis formis, nulla sumptuum exceptione facta, excuderetur.

APPENDIX.

Prodiit in litterario folio Florentino, inscripto *Annali Ecclesiastici*, sub die 20 mensis Maii, an. proxime elapso, censura quædam, comiter tamen blandeque scripta circa gratiam et liberum arbitrium, de quibus egi in tertio prolegomeno Opp. S. Brunonis Astensis, quorum primum volumen eodem anno in lucem emiseram. Quod mecum auctores multa usi sint urbanitate, editionemque meam commendarint, eorum dilectioni referam, qui adhuc meminerint quot annis in informanda ad pietatem et litteras Florentina juventute operam impenderim, nonnullaque opuscula de rebus theologicis ipsis accepta publicaverim. Hujusmodi ergo animi benevolentis significationem cum plurimi faciam, eisque gratias quamplurimas agam, eos rogo ut libenter complectantur animadversiones aliquas super dubia et objecta mihi proposita, quas ut exararem, non contentionis æstus, sed veritatis amor me adduxit.

Primo igitur loco exoptant censores mei ut cum pag. xxxv (col. 58), definierim liberum arbitrium post Adæ peccatum : *facultatem indifferentiæ activæ quæ in quamcunque partem velit, se convertere possit*; potius dixissem : *facultatem esse ad opposita.*

Resp. 1. Facultatem, seu indifferentiam ad opposita, juxta aliquos, ut Bartholomæum Camerarium, non esse necessariam ad liberum arbitrium constituendum, sed satis constituti homines liberos a libertate, qua in electione suarum actionum gaudent. Placuit etiam aliis theologis definire liberum arbitrium : *activum facultatem ad opposita sui ipsius ex judicio rationis determinativam*; quæ verba in meam recidunt definitionem : Vid. dissert. Ludov. Habert pag. 21 De grat. et lib. arbitr. Definitum fuit etiam liberum arbitrium : *potentia ad agendum ex cognitione intellectus.* Vid. tom. II Complex. Augustinian. lib. III, cap. 5, pag. 497.

Resp. 2. Definitionem meam cæteris prætuli, quod apertius Ecclesiæ doctrinæ consentanea mihi visa est. Innititur enim canon. 5 et 6. sess VI concilii

Digitized by Google

Tridentini, qui sic habentur : « Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit. » Alter : « Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera; ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed per se adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit. » Cum igitur dixerim liberum arbitrium esse *facultatem indifferentiæ activæ*, Lutheranorum errori occurrere volui, docentium hominis arbitrium, post Adæ peccatum, omni actione propria destitutum, mereque passive se haberi. Quod autem addiderim : *in quamcunque partem velit, se convertere possit*, eorumdem hæreticorum blasphemiam refellendam duxi, qui Deum peccati auctorem faciunt; cumque homini libertatem adimant, merendi et demerendi ei facultatem inficiuntur. Est etiam contra propositionem 27. Michaelis Baii, damnatam a Gregorio XIII : *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet;* et contra alias Quesnelli similes propositiones.

Ut autem in allegata S. Brunonis expositione in ps. LXIX, diverse posita, ut advertunt censores, pag. 426, ac ut legitur in dicto prolegomeno, confusio tollatur, legant *mala* pro *male;* est enim error typographi cus.

Objiciunt 2, me pag. XXXVII (col. 61). Brunonis auctoritate abuti; cum ei gratiæ sufficientis doctrinam tribuerim.

Resp. Censores meos non ignorare SS. Patrum loca obscuriora, aut parum satis expressa, per alia clariora, apertioribusque verbis exposita, secundum ipsa fore intelligenda. Quare et si concedam S. Brunonem illo in Comment. super verba ps. CXVIII : *Adjuva me, et salvus ero*, his illustrata : *Deus est, qui operatur in nobis et velle, et posse, et sine ejus adjutorio nihil facere possumus*, non satis mentem suam aperuisse, ut per ly *posse* gratiam sufficientem docuisse intelligamus, et per *velle* gratiam efficacem, respiciendo ad illud apostoli : *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere* (*Philip.* II, 13); attamen cum idem S. doctor alibi clarius sufficientem gratiam admiserit, potui sane ejus mentem hac de re cognoscere in loco superius laudato, qui sine contradictione de sufficienti gratia potest intelligi. Ipse enim in eod. Comment. ad ps. XXII et XLIII, quamvis non expresse sufficientem gratiam nuncupet, ejus tamen effectum describit, qui est movere, et præparare voluntatem ab bonum; sicut de gratia adjuvante et consequente agit in his aliisque locis. At, quæso, dicant censores cujus generis videtur ipsis gratia illa quam Commentator noster super ps. LXVII sub allegorico nomine pluviæ voluntariæ et non coactæ designavit, de qua dixit, *quod sponte datur, et sponte accipitur*, quamque Judæi suscipere noluerunt? Efficax gratia nequaquam fuit; cum ejus potenti auxilio conversi fuissent. Ergo gratia sufficiens dicenda est. *Hanc*, ait S. Bruno, *quia Judæi suscipere noluerunt, segregavit Deus hæreditati suæ* (7). Præterea in Comment. ad ps. LXIX agnoscit a Deo magnum adjutorium præstari iis qui malis desideriis resistunt, et ne cadant majora promittit. Ergo parvum sensit adjutorium iis dari qui tentationibus non resistunt et male operantur.

Fateor equidem recentiores theologos de gratia sufficienti apertius locutos fuisse, et quid in verbo *posse* intelligendum sit explanasse. Audiant doctissimum Thomam Lemos in congreg *de Auxiliis* satis celebrem, qui tom. IV Panopol., II part., tract. 3, pag. 6, hæc habet. « Theologi illud sufficiens vocant auxilium, non per quod datur tantus influxus, quantus requiritur, ut actio sit, sed illud, quod dat sufficientiam, et possibilitatem, ut bene operetur, si velit; ut ex S. P. Augustino dictum est sæpe (8); quamvis ut de facto velit, aliud potentius requirat auxilium. Non est igitur de ratione auxilii sufficientis, ut per ipsum detur tantus influxus, quantus requiritur, ut actio fiat; quia hoc auxilium est gratiæ efficacis. » Audiant etiam clariss. cardinalem Laurentium Lauria, qui opuscul. III De gratiis actualibus disserens, et admissa a theologis actualis gratiæ distinctione, hæc docet. « Cum Deus ex sua benignitate prævenit aliquem, sive infidelem excitando, illuminando, inspirando, ut veniat ad fidem; sive fidelem lapsum, ut veniat ad pœnitentiam, seu fidelem justum, ut faciat opera præcepti, aut consilii; unum est ipsa passiva excitatio, illuminatio, et inspiratio, quas Deus solus causat in nobis sine nobis, quæ recipiuntur in intellectu et voluntate, et isti effectus semper a Deo solo efficiuntur, et sic semper gratia excitans, quoad effectus illuminandi et excitandi est efficax; alterum vero, quod observandum venit, est ipsum opus, de quo fit excitatio, seu illuminatio, seu inspiratio, ut in propositis exemplis, pro infideli, fides : pro baptizato peccatore, pœnitentia; pro fideli justo observantia præcepti, vel consilii. Ita appello opera principalia, quia ad hæc ordinantur excitationes. Hæc autem opera non semper ponuntur in esse ab excitatis. » His addo doctissimum Berti, qui hanc eamdem doctrinam tradit in Vindiciis, dissert. XII, cap. 2, § 2, pag. 215, cap. 8, lib. XIV : « Est ergo, inquit, gratia sufficiens sensu Thomistico et nostro illa quæ dat posse et non velle. Et inferius. Fatemur per gratiam sufficientem dari nobis potestatem implendi divina mandata, eamque veram et propriam; sed non taliter validam et expeditam, ut ad ponendum actum non sit necessaria gratia efficax. » Rursus lib. XVII, cap. 3, ait : « Augustinus agnoscit in hoc statu non solum adjutorium *quo*, sed etiam adjutorium *sine quo*, sive pure sufficiens. » Videant censores mei caput 3 *De efficacia gratiæ et gratia sufficiente*. Expostul. adversus judicium reverendissimi Languetii archiep. Senon. edit. Liburni an. 1756, pag. 59, etc.

Cum summopere cordi fuerit D. Augustino conciliare gratuitam gratiam Dei cum libero hominis arbitrio, et perscrutando hoc mysterium noverit non eodem modo agere Deum cum homine, sed aliquando per externas motiones, alias per internos impulsus, ad se convertere (9); comperit etiam admirabilem Dei sapientiam, qua humanam commiserans infir-

(7) Quod de Judæis vix hic indicavit S. Bruno, copiosius exposuit in Comment. super cap. XV, Joan. sub. num. 44 : « Venit, inquit, ad eos Christus locutus est eis, Scripturas aperuit, veritatem revelavit, signa multa, et inaudita miracula fecit. Et tamen credere noluerunt. Nulla igitur eis est excusatio, » etc.

(8) « Cum enim duo quædam sint velle, et posse; unde nec qui vult continuo potest, nec qui potest continuo vult, quia sicut volumus, aliquando non possumus; sic etiam possumus aliquando quod nolumus; satis e volitis ipsis etiam vocabulis resonat, quod ab eo est velle voluntas, et ab eo autem, quod est posse potestas nomen accepit. » Et post aliqua concludit S. doctor : « Quid igitur ultra quærimus, quandoquidem hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet potestas faciendi? Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit. » Lib. De Spirit. et lit., cap. 31. Item De gratia Christi, cap. 25 : « Non solum enim Deus posse nostrum donavit, et adjuvat, sed etiam velle, et operari operatur in nobis. »

(9) Super illa verba Joan. VI : *Nemo potest venire ad me, nisi qui misit me, traxerit eum.* Præmissis aliquibus, hæc ait S. Augustinus. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant; sed ut vo-

Digitized by Google

mitatem, liberum gratuita gratiæ largitate adjuvat arbitrium. Admonet enim Deus per auditum evangelicæ legis, per exempla fidelium, per portenta et alia exteriora dona, quæ plus vel minus vim habent movendi voluntatem ab interna vocatione, delectatione præcepti, et desiderio acquirendæ justitiæ; quæ gratiæ Dei agentis sunt opera. Quoties igitur externæ dantur suasiones, atque ad eas per Dei adjutorium voluntas inclinatur, tunc fit in ea ad bonum dispositio; cui si major impulsus, et vis divina supervenerit, deliberate virtuti adhæret, justitiæque consentit. Ita D. August. De spirit. et lit., cap. 34. Hanc autem doctrinam præ oculis habuisse videntur PP. Tridentini, qui ab hujusmodi divinis motionibus fieri in hominibus dispositionem ad justitiam cap. 6 De justificatione asseruerunt. « Disponuntur ad justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti fidem, ex auditu concipientes libere moventur in Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata, et promissa sunt. » Quid ergo repugnat si illam gratiam excitantem, sufficientem, vel parvam, aut invalidam, nondum scilicet ad suum plenum effectum perductam appellemus? De utraque disserit S. doctor lib. De grat. et lib. arbitr., cap. 17, ubi in martyribus suspiciendam exhibet robustam, et magnam voluntatem bonam; cum ipsi pro Christo vitam dederint, qua charitate majorem nemo habere potest. Alterius autem charitatis parvæ, seu invalidæ voluntatis bonæ exemplum præbet in Petro : « Ipsam, ait, charitatem apostolus Petrus nondum habuit, quando timore ter Dominum negavit. Timor enim non est in charitate, sicut ait Joannes in epistola sua; sed *perfecta charitas foras mittit timorem.* Et tunc, quamvis parva et imperfecta, non deerat quando dicebat Domino : *Animam meam pro te ponam;* putabat enim posse quod se velle sentiebat. Et quis istam parvam dare cœperat, nisi ille qui præparat voluntatem, et cooperando perficit quod operando incipit? Quoniam ipse, ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. » Impulsum igitur levem, gratiam scilicet parvam, agnovit in Petro Augustinus, cum dixit : *Animam meam pro te ponam;* impulsum tamen bonum, quo pro Domino vitam ponere asserebat; sed ut de facto poneret, magnam et robustam gratiam nondum habebat. Inconcussum ergo manet apud nos dogma de gratia sufficiente, eamque dicimus piam motionem, seu affectionem inspiratam hominibus, qua eis non quidem totius operis tribuitur executio, sed vera potestas, quamquam non adeo expedita, ut reapse prodeat in actum ultimum, quod non ex defectu gratiæ provenit, sed ex ipsa humana voluntate obicem ipsi gratiæ opponente. *Non enim,* aiebat Apostolus, *quod volo bonum hoc facio; sed quod nolo malum hoc ago* (*Rom.* VII, 19); rationemque reddit ex oppositione inferioris partis, seu pravæ concupiscentiæ. Ipsa præcepti notitia in justis illud adimplendi desiderium accendere debet, qui propriam agnoscentes infirmitatem, ex ejus consideratione ad implorandum omnipotentis Dei auxilium moventur (10). Quod si inertia, vel prava cupiditate victi Deum deprecare negligant, sibimetipsis imputent, si parvæ illi gratiæ resistendo, inutilem, et invalidam reddunt. Cæterum quæcunque gratia, sive parva, sive invalida (in sensu explicato) donetur, gratiam dicimus Christi, et gratiam quamvis minimam posse cuilibet resistere cupiditati. Fatemur etiam nullam gratiam, sive parvam sive magnam, ita ponere intellectui verum, voluntatique bonum, ut auferat indifferentem judicii potestatem, et necessario assensum abripiat; et hoc contra secundam Jansenii propositionem ab Innocentio X damnatam : *In statu naturæ lapsæ interiori gratiæ nunquam resistitur.* Est etiam contra 2, 10, 11, 12, 13, proscriptas a Clemente XI Quesnelli propositiones, quæ omnes nullam sub gratia homini libertatem esse affirmant, eique humanam voluntatem resistere posse negant.

Oppositio tertia ita se habet. *Si bene agendi potestas non naturalis homini foret, liberum arbitrium exstinctum esset.*

Resp. Arbitror censores meos non esse locutos de potestate naturali hominis quoad bona supernaturalia; sed quoniam propositio ipsorum videtur ambigua; propterea velim quisque animadvertat Pelagii errorem fuisse, non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio; quoniam in propria voluntate habet unusquisque, aut facere aliquid, aut non facere : victoriam nostram non esse ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio. Liceat ergo mihi eis commemorare, quomodo S. doctor hæreticum ita delirantem incesserit : « Quid est, inquit, lib. I contra duas epist. Pelag., cap. 2, quod iste libero arbitrio vult bene vivendi tribuere potestatem; cum potestas non detur nisi gratia Dei per Jesum Christum D. N., dicente Evangelio : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri?* » Idem confirmat cap. 3 ejusdem libri, aiens : « Quæ potestas nisi detur a Deo nulla esse potest ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono erit; quod liberator non liberaverit; sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel manifestus error insevit, aut sibi ipse persuasit. » Porro eadem doctrina tribuenda alio ex loco S. Augustini confirmatur, ubi Pelagio exprobrat quod dum naturæ integritatem exaltare studet, gratiæ beneficio detrahit, atque omnino evacuat. « Quod Dei gratiam sibi agere videtur, ita S. doctor De nat. et grat. cap. 33, n. 39, defendendo naturam, non attendit quod eamdem naturam sanam esse dicendo, medici repellit misericordiam. Non ergo debemus sic laudare Creatorem, ut cogamur, imo convincamur dicere superfluum Salvatorem. »

Neque vero quia in reparatricem Christi gratiam bene agendi refundimus hominis facultatem, libero derogamus arbitrio; nam quidquid est in exordio; et quidquid est in continuatione fidei, totum Dei est; quia homo a Deo motus totum agit, non quidem naturæ, sed gratiæ viribus, sine quibus nihil supernaturalis boni agere potest. Hujusmodi doctrinam, tanquam fidei dogma, sanxerunt PP. Tridentini sess. VI, cap. 5, ut ab ea nulli fas sit Catholico dissentire (11).

Contra Pfaffium liberum arbitrium sub motione gratiæ inanime facientem nuper doctissime scripsit clariss. P. Georgius in exposit. III fragm. Cophtic. charactere exarato cap. VI, Evang. S. Joann. pag. 90.

Pro exordio fidei primas dispositiones intelligimus, quæ ex timore, vel ex spe, vel ex initiali charitate proveniunt, easdemque non ab humanæ voluntatis; sed a supernæ gratiæ viribus proficisci affirmamus. Tantum autem abest, ut vim faciant libertati, quin potius mirifice ipsam adjuvant libertatem. Profecto nihil est magis liberum, quam quod ab ipso promanat fonte libertatis.

lentes ex nolentibus fiant. Contr. duas Epist. Pelag. cap. 19.

(10) Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur, ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur quam ut aperiat quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat? Quia ex hoc illo esse deprecandum, cujus gratia dicimus; dum autem lateret; cum gratia dileximus, dum ante non delectabat. D. August., lib. II, De peccator. merit., cap. 19.

(11) Ad illud Apost. ad Rom. IX, 16, *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, subjecit S. August. Enchirid, cap. 12. « Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei. »

Liberum non negamus arbitrium gratia destitu-

Digitized by Google

Quarto loco doctrinam de gratia ex Bruno ne eruta vellicant Florentini censores, quod in stabilienda necessitate gratiæ pro quocunque opere bono supernaturalis ordinis, visus sum ipsis non differre a Pelagianis, qui quamdam gratiam generalem admittebant, eosque hoc de errore non uno in loco esse a D. Augustino profligatos.

Resp. Duplicem statum habuisse hæresim Pelagianam demonstrat Natalis Alexander, tom. V Histor. eccles. sæc. v, art. 3. Pelagius primum totus fuit in commendanda natura hominis, in cujus laudem librum scripsit, ejusque vires dixit ad implenda omnia divina mandata sufficere. « Quis creavit hominem, aiebat? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem Deus creavit et homini Deus liberum arbitrium dedit, quidquid potest homo de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur, nisi ejus, qui eum condidit cum libero arbitrio? » Ita S. Augustinus serm. II de verb. Apost., cap. 7. Hæc est juxta Pelagium communis illa gratia omnibus data, quam S. doctor impugnavit, ostenditque eum communem quidem gratiam in naturæ dono admittere, sed non gratiam Christi. Impugnatus itaque Pelagius ab Augustino lib. De nat. et grat., cum undique clamores Christianorum audiret, quod hominem in solis naturæ viribus relinqueret, alterius gratiæ adjutorium habere dixit, in lege scilicet ac doctrina positum, atque etiam in exemplo Christi (12). Quamvis autem hoc genus gratiæ concederet Pelagius, a priori tamen dogmate, et loquendi ratione non recessit; sed naturam semper ostentavit, quasi causam humani meriti sufficientem. Ut autem vaferrimi hæretici fallendi studium S. Augustinus detegeret, ac refutaret, veritatem catholicam lib. De grat. Christi, cap. 10, perspicuis verbis edixit: « Sed nos, inquit, eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam speratur; non solum revelatur sapientia, verum et amatur, non solum suadetur, etc.... Hanc debet Pelagius confiteri, si vult non solum vocari, sed esse Christianus. » Idem repetit, cap. 13, ubi de gratiæ Christi præstantia disseruit: « Hæc gratia, ait, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, et intentius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui rigant extrinsecus, sed etiam per ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus; ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem. »

Rursus cum aliud obtegendi erroris sui inventum excogitarint Pelagiani, dicentes naturam humanam a Deo creatam ab eo adjuvari ad faciendam justitiam, et hoc adjutorium presto omnibus esse; idem S. August. eos refellit, alte pronuntians lib. De spirit. et lit., cap. 3, non externum, sed internum Dei adjutorium esse faciendum. « Nos autem dicimus voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, et præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius, atque incommutabilis boni. » Neque omittendus est alius S. doctoris præclarus locus ejusdem lib. cap. 19. « Nemo ergo, ait, Christianorum aberret ab hac fide, quæ sola Christiana est, nec quisquam cum veruncadatus sit, per nos ipsos fieri non justos, non hoc in nobis operante gratia Dei, quia videt hoc a fidelibus, ac piis fieri non posse, cum dicitur, ad hoc se convertat, et dicat, ideo sine operatione Dei nos justos esse non posse, quia legem dedit, quia doctrinam instituit, quia bona præcepta mandavit. Illa enim sine adjuvante spiritu procul dubio est littera occidens; cum vero adest vivificans spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri. » Ex his Augustini auctoritatibus satis patet differentia inter gratiam generalem, quam Pelagiani admittere fatebantur, scilicet motionem externam ab auditu legis, et vi præceptorum, et gratiam generalem, quam ab ipsis requirebat S. doctor ut catholice sentirent. Gratiam intus in corde inspirantem; nempe adjutorium internum, quo fierit in animo amor justitiæ, et bonæ vitæ propositum eos fateri urgebat.

Cum hanc ex S. Augustino producimus doctrinam, in illam quæstionem incidimus, utrum omnes homines gratia Dei adjuventur ad salutem. In ea catholici theologi inter se dissentiunt, affirmantes aliqui, negantes alii. Negativam sententiam Florentini censores affirmativæ præferunt, et tanquam dogma catholicum eodem S. Augustino docente (ut aiunt) asserunt, Deum non omnibus hominibus gratiæ suæ largitorem esse, ideoque me redarguerunt, quod cum theologis affirmantibus communem gratiam senserim omnibus dari.

Resp. Præmitto 1. Dubium versari circa gratiam sufficientem, non circa efficacem, de qua consentiunt omnes theologi, quod non omnibus datur.

Præmitto 2. A Patribus Tridentinis firmiter. cautum esse, nullam opinionem, in quam plures docti et probati theologi conveniant, fore damnandam.

His præmissis proferam doctissimum cardinalem Gotti, qui tom. III, qu. 2, dub. 3, suæ theolog. hanc quæstionem sibi propositam ita resolvit. « Probabilius est Deum nedum offerre, sed etiam conferre omnibus, et singulis hominibus, et infidelibus, obcæcatis, induratisque auxilia sufficientia, vel proxima, vel saltem remota ad observanda præcepta, ac ad salutem necessaria; ita ut nemo se excusare possit, quod non servet, aut non salvetur, quod est ei impossibile. » Idem sentiunt alii theologi satis noti, quorum doctrina in scholis catholicis plurimi habetur. Hujusmodi controversiæ solutio maxime pendet ex intelligentia illius apostoli loci ad Timoth. cap. II, ubi de Dei voluntate scripsit: *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire: unus Deus, unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum pro omnibus.* Gravissimam hanc D. Pauli auctoritatem perpendens S. Prosper in resp. ad object. Vincent. hæc habet. « Sincerissime credendum, et profitendum est, Deum velle, ut omnes salvi fiant. Si quidem apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis custodiatur, et Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus, quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, salvantis est donum. » Conformis est in doctrina Prosperi auctor De vocat. gent. lib. II, cap. 25, postquam præmisit, Deum in omnibus sæculis sufficientia auxilia hominibus præstitisse, quibus ad quærendum Deum possent adjuvari, concludit, placuisse Deo gratiam particularem multis tribuere. « Illam, subjungit, gratiam, quæ ex benignitate generali provenit, a nemine submovere, ut ex utraque appareat, non negatum unitum, sed non bonum dicimus, ut se explicat S. Fulgentius in epist, synod. episcoporum Africæ, § 5: « Ante largitatem gratiæ est in homine quidem liberum arbitrium, sed non bonum, quia non illuminatum. Proinde nisi gratia datur, bonum ipsum arbitrium non habetur. Sic namque est ipsum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut oculus sine luce. »

(12) « Hanc autem possibilitatem, quam Dei gratia Pelagius adjuvari confitetur, non est hic apertum, vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea natura sentiat adjuvari: sed sicut aliis locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi potest, non vult aliud accipi, quam legem, atque doctrinam; quæ naturalis possibilitas adjuvatur. » S. Aug. De grat. Christi, cap. 7.

Digitized by Google

versitati, quod collatum est portioni; sed in aliis prævaluisse gratiam, in aliis resiliisse naturam. »

Cur vero non omnes homines de facto salventur, quamvis Christus sit *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* quamvis omnes in Christo vivificati dicantur, qui in Adam mortui sunt, excogitarunt aliqui theologi duplicem agnoscendam esse in Christo voluntatem; antecedentem scilicet et consequentem (13). Dixerunt ergo ante quamcunque discretionem hominum, generale decretum salutis omnium Deum constituisse, et præparasse media, quibus si uterentur, omnes salvi fierent. Consequentem autem voluntatem sibi visi sunt adinvenire in effectiva salvatione cum meritis singulorum annexa. Sed hujusmodi distinctioni theologi non pauci cum D. Thoma adversantur contendentes Deo simplicissimo, ac sapientissimo hanc ejus voluntatis vicissitudinem non esse tribuendam. Profecto Angelicus doctor de illa distinctione inquit 1 p., q. 19, art. 6, ad 1: « Hæc distinctio non accipitur ex parte voluntatis divinæ, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum. » Placuit nonnullis dicere, Dei voluntate non singulos omnium generum hominum salvandos fore, sed ex omnibus generibus quosdam. Opinati sunt alii, dictum fuisse ab apostolo, Christum velle omnes salvos fieri, quia nemo salvus erit, nisi quem ipse salvus esse voluerit. Ita S. Prosper epist. ad Ruffinum cap. 15: « Quæ autem, ait, sit discretionis istius in secreto consilio Dei causa, vel ratio, et supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, et sine fidei diminutione nescitur: modo confiteamur neminem immerito liberari, et omnipotentissimam Dei bonitatem omnes salvare, et omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Nisi ipso volente, docente, salvante, nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur. » Vid. D. Thom. loc. cit. et S. Augustinum Enchirid. cap. 29. Aut unam ergo, vel alteram ex hisce opinionibus qui consectari voluerit, argui non poterit, cum SS. Patres, et theologos clarissimos auctores habeant (14).

Quinto. Cum autem censores Florent. mihi ulterius opponant, ex locis in tertio Prolegomeno allatis, non satis argui posse, S. Brunonem sensisse, omnes homines a Deo vocatos esse ad salutem, rogo eos, non rigorose exquirant iisdem verbis a S. episcopo tradi debuisse doctrinam de voluntate Dei salvandi omnes homines, quibus post ortas hæreses oportuit ut theologi de ea disserent. Cum enim PP. Tridentini cap. 2 de justificatione, ubi *de dispensatione et mysterio adventus Christi* egerunt; his totum divinæ misericordiæ opus satis se exprimere judicarunt, dicentes: « Cum venerit plenitudo temporis, misit Deus Christum Jesum Filium suum, ut et Judæos, qui sub lege erant redimeret, et gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent, hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi; » nemo non videt, neque impugnare potest mentem concilii fuisse, docere infinitam Dei misericordiam, qua miserrimam ut relevaret hominum conditionem, Filium suum unigenitum dedisse, qui totius sanguinis sui effusione pretium redemptionis pro hominibus exsolvit, quos vere, et proprie Patri suo obtemperans, salvare voluit. Sancti ergo Patres, qui ante recentiorum controversias floruerunt, eamdem veritatem firmiter tenentes, scilicet quod Deus velit omnes homines salvos fieri, de hac Dei voluntate sub similitudinibus, figuris et symbolis, secundum sacram Scripturam locuti sunt. Unus ex illis fuit S. Bruno, qui in Comment. super cap. XIII, v. 47, S. Matth., *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti*, etc., hæc habet: « Congregavit autem hæc sagena ex omni genere piscium; quoniam S. Ecclesiam ad fidem vocavit, et in sinu suo collegit ex omni genere hominum. Ibi enim sunt Judæi, et Græci, Latini, et barbari, divites, et pauperes, sapientes, et insipientes, frumentum, et zizania; granum, et palea, justi simul et peccatores. » Ergo juxta Brunonem non prædestinati tantum vocati sunt ad salutem, sed etiam peccatores, qui in zizania et palea significantur, et qui damnabuntur. Item ad illa verba ejusdem Evangelii cap. XXV, *Docete omnes gentes*, etc. Omnes docete, inquit, omnes vocate, omnes baptizate. Pariter in Comment. in Joan. cap. I, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, etc., ait: « Erat autem lux vera, lux æterna, et indeficiens, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Omnis enim homo in hunc mundum veniens hac sola luce interius, et exterius illuminatur. » Nec desunt Commentarii in psalmos, quibus eadem confirmantur. Sic ad illa verba ps. XXXV: *Homines, et jumenta salvos facies, Domine; quemadmodum multiplicasti misericordias tuas, Deus;* ait: « Quid enim per homines, nisi sapientes, rationabiles, et viros justos intelligamus? Quid vero per jumenta, nisi stultos, fatuos, libidinosos, et carnis voluptatibus deditos? Quantum homines a jumentis tantum isti inter se differri videntur. Tantum hos, et illos salvat Dominus, qui non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. » Aliis omissis locis; hoc uno finem imponam ex psalmo XLIX, ubi de vocatione omnium gentium ad fidem agens, hæc profert: « Omnes ab Oriente usque ad Occidentem vocati sunt: Sion vero, et Jerusalem in medio est, secundum illud: *Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Egregie itaque dictum est, quod illa civitas in medio sita est, ex qua omnia in circuitu fidem, et doctrinam, speciem, et pulchritudinem accipere debebant. » Ut autem S. episcopus Signiensis assereret generalem Dei voluntatem salvandi omnes homines, satis fuit ut doceret Ecclesiam ad se vocare omnes gentes, suumque in sinum recipere, et affirmaret nullos homines a divina bonitate de salute exclusum, factamque esse, ex apostolorum prædicatione innumerabilem pene fidelium Ecclesiæ accessionem. His profecto similibusque dictis sensisse videtur S. Bruno cum auctore De vocat. gent., qui lib. II, cap. 2, de eadem veritate testimonium præbens, ait: « Neminem

(13) « Catholica sententia est, Christum pro omnibus sufficienter mortuum esse, non sola pretii sufficientia, quod sanguis ejus omnibus hominibus redimendis satis esset: sed sufficientia voluntatis, et intentionis, quod illum omnibus prodesse voluerit, antecedenti licet, ac generali (ut theologi de schola post SS. Damascenum, et Thomam) pia tamen et paterna voluntate. » Natal. Alex. loc. cit., art. 8, n. 4. — « Mors Christi, ait S. Thomas contr. Gentil. lib. VI, cap. 55, est quasi quædam universalis causa salutis: sicut peccatum primi hominis fuit quasi universalis causa damnationis: oportet autem universalem causam applicari ad unumquodlibet specialiter, ut effectum universalis causæ participet. »

(14) Hac in distinctione divinæ voluntatis concordat ipse Dionysius Petavius, qui Theolog. dogm. tom. I, lib. V, cap. 4, num. 16, hæc habet: « Voluntas prima est, qua Deus ex se vult aliquid sine ulla consideratione circumstantium rerum, ut cum velle dicitur omnes homines salvos fieri. Secunda sive consequens voluntas est, qua ex certis circumstantiis vult aliquid, quod alioqui nosset, ut cum aliquos damnari vult. »

Digitized by Google

Christus excepit, neminem separavit genere, nemi- A nem conditione distinxit. Ad omnes prorsus gentes missum est Evangelium crucis Christi (15). »

Instant sexto objientes. Parvuli, qui vel in utero matris perennt, vel antequam baptismo regenerentur, aut in locis nascuntur in quibus ignotum est sacramentum, nulla prorsus gratia ad salutem adjuti dicendi sunt.

Resp. 1. Cum eminentissimo Gotti tom. III, q. 2, dub 3, § 6, multorum esse sententiam, quod ut dicatur voluisse Deum salutem omnium parvulorum voluntate generali, satis fuisse ut baptismum etiam pro illis instituerit; ita ut per se loquendo omnibus conferri possit, quamvis ex voluntate consequente non salvandi aliquos, ipsis non conferatur.

Resp. 2. Infelicem parvulorum conditionem docet S. August. De peccat. origin., cap. 6, ab infectione originalis culpæ esse repetendam. « Parvuli, inquit, damnantur, quia nati filii iræ ex massa perditionis, B et juste intelligitur ex Adam natus, antiqui debiti obligatione damnatus, nisi inde fuerit, non secundum debitum, sed secundum gratiam liberatus. Quam gratiam, nisi gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum? » Pluribus aliis in locis eadem repetit S. doctor, quemadmodum rem copiose tractat auctor De vocatione gent. lib. II, cap. 1 et 24. Ipsum consulant censores mei, et puriorem hisce ex fontibus doctrinam assequentur.

Quid sentiendum sit de peccatoribus induratis, theologi in diversas abiere sententias, ut constat ex prælaudato cardinali Gotti, ex Habert et ex aliis, qui generaliter conveniunt in illud celebre Augustini dictum : « Neminem a Deo deseri, nisi prius deseratur; » cui respondet S. Bruno Comment. in ps. LXXXII, « semper cum Deo est, qui ab ejus fide, et dilectione non recedit. » De multis sane a Deo derelictis usurpari potest, quod S. Augustinus de Judæis dicebat : « Facile est, ut infidelitatem accusemus Judæorum de libera voluntate venientem, C qui factis apud se magnis virtutibus credere noluerunt. » Vid. doctiss. P. Georgium loc. cit. pag. 109. Ibi affert etiam S. Cyrilli Alexandrini auctoritatem Judæos pariter de culpa infidelitatis damnantem.

In reliquis censorum objectis ab Ludovico Habert exscriptis, non immorabor, ab eo jam soluta habent. Uni tamen satisfaciam; nam quod aiunt, fidem gigni ex auditu, non auditum autem Evangelium Christi, quia non prædicatum per mundum universum.

Resp. Cum idem objectum sibi fecerit apostolus Paulus, cap. x ad Rom. Ecce quomodo illud solvit : « Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico : Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, apostolorum, et in fines orbis terræ verba eorum. » Ejusdem apostoli item ad Rom. cap. XXVI, est testimonium divinæ ejus glorificationis, quod « mysterium temporibus æternis tacitum, patefactum esset ad obeditionem fidei in cunctis gentibus? » Eodem loquendi genere alibi quoque utitur idem apostolus. Ad Colossenses, cap. VI, 20, ait : « In verbo veritatis Evangelii, quod... in universo mundo est, et fructificat, et crescit. » Et iterum, « Evangelium... prædicatum est in universa terra quæ sub cœlo est. » Ad Timotheum item I, cp. III, 16. « Magnum, inquit, est pietatis sacramentum, quod prædicatum est gentibus, creditum est in mundo. » Prætereo auctoritates primorum Ecclesiæ Patrum. Videant critici mei dissert. 11 clariss. Andreæ Gallandii pro defensione duarum epistol. S. Clementis papæ I, quam iterum edidit D. Placidus Sprengher monachus Benedict. tom. I, pag. 54. Viceburgi an. 1784.

Sed quorsum hæc disceptatio inter nos, qui orthodoxum dogma profiteri et docere debemus? Fateor sane discrepantiæ cardinem versari in definienda gratiæ sufficientis natura. Si omnium Catholicorum sententias de gratia sufficiente colligere velimus, huc tandem recidunt, quod gratia sufficiens ea est, quæ dat vires satis expeditas ad opus supernaturale faciendum, vel immediate, vel mediate saltem per orationem; cui tamen gratiæ non solum resisti potest, sicut etiam gratiæ efficaci, sed etiam resistitur plerumque. Quæ sententia cum sit contradictoria propositioni secundæ Jansenianæ, propterea catholica censeri debet. Homines enim sub hac adjutrice gratia perfecte sui compotes se agnoscunt; adeoque ut mereantur, et demereantur in eo statu gratiæ adserunt, quod tum Augustiniani, cum Thomistæ multis rationum monumentis comprobant, atque demonstrant. Quid senserit, quidque de gratia efficaci, et sufficiente typis ediderit in tractatu De actibus humanis doctissimus, ac de Florentina Ecclesia optime meritus Franciscus Cajetanus Incontri archiepiscopus, censores mei olim summa cum laude exceperunt. Si egregiam tutamque doctrinam ejus præ oculis habuerint, in hoc etiam et illius memoriam venerari, et probatissima ejus documenta sequi demonstrabunt. Illos tandem deprecor ut ipsum S. Brunonem audiant, si Dei bonitatem sibi mereri concupiscunt. *Quam bonus, inquit, est Deus Israel; sed illis præcipue, qui recta et catholica cogitant, et ad falsas cogitationes et periculosas disputationes non transeunt.* In Comment. super ps. LXXII.

(15) Uno argumento, quo usus est clariss. Berti, omnia super allata ex S. Brunone colligam, ut magis doctrina quam defendimus stabiliatur. « Quidquid, D inquit, sacræ litteræ de Deo affirmant, si maxime deceat ejus bonitatem, misericordiam, et providentiam, qua rationabiles creaturas dirigit in viam salutis, id absque ulla hæsitatione est asserendum de ipso Deo. Atqui in sacris libris legitur velle Deum, ut omnes homines salvi fiant; id vero magnopere decet infinitam ipsius charitatem, et directionem creaturarum in finem ultimum. Igitur absque ulla hæsitatione asserendum est, Deum proprie ac sincerissime velle salutem omnium. » Vid. supra cit. Expostul., pag. 6.

Digitized by Google

S. BRUNONIS ASTENSIS

EPISCOPI SIGNIENSIS

COMMENTARIA IN MATTHÆUM.

Bib. Rom. S. Sophiæ.

INCIPIT PROLOGUS S. HIERONYMI.

1 Post Pentateuchum Moysi, ut nova veteribus jungeremus, tuæ voluntati obedientes, brevi satis, facilique expositione (16) quatuor Evangeliorum libros in hoc uno volumine coarctavimus. Et Matthæum quidem, qui cæteris secundum ordinem prior erat, totum ex ordine exposuimus : atque inter ipsum et alios evangelistas, ubicunque nobis necessarium visum est, pacem et concordiam composuimus. In Marco vero ea tantum exponere curavimus quæ in Matthæo exposita non erant. Superfluum enim videbatur nobis, ut quod in Matthæo expositum erat, iterum in Marco exponeretur. Similiter autem fecimus in Luca, et in Joanne, ea solum exponentes in posterioribus, quæ exposita non fuerant in prioribus. Sic cum breviori sermone vera omnia exposuerimus, nec superflua diximus, nec necessaria pertransivimus. Divisimus autem Matthæum in quatuor partes (17), Lucam in duas, Joannem in tres, ut (18) titulis inspectis, facilius id quod quærit lector inveniat.

A

B

MATTHÆUS IN PRIMA PARTE.

I. Liber generationis Jesu Christi.

II. Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph.

III. Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda.

IV. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph.

V. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini.

VI. Venit Joannes Bapt. prædicans in deserto.

VII. Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu.

VIII. Cum audisset Jesus quod Joannes traditus esset.

C

IX. Ambulans autem juxta mare Galilææ.

X Circuibat Jesus totam Galilæam.

XI Videns Jesus turbas, ascendit in montem.

XII. Vos estis sal terræ.

XIII. Audistis quia dictum est antiquis (19)

XIV. Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis.

XV. Pater noster, qui es in cœlis.

XVI. Cum jejunatis nolite fieri, sicut hypocritæ.

XVII. Lucerna corporis est oculus.

MATTHÆUS IN SECUNDA PARTE.

XVIII. Nemo potest duobus dominis servire.

XIX. Nolite judicare et non judicabimini.

2 XX. Nolite dare sanctum canibus.

XXI. Petite, et dabitur vobis.

XXII. Attendite a falsis prophetis.

XXIII. Et factum est, cum consummasset,

XXIV. Cum autem descendisset de monte.

XXV. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio.

XXVI. Et cum venisset Jesus in domum Petri.

XXVII. Et ascendente eo in naviculam.

XXVIII. Et cum venisset transfretum in regionem Gerasenorum.

XXIX. Et ascendens in naviculam, transfretavit.

XXX. Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in thelonio.

XXXI. Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis.

XXXII. Hæc eo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum dicens.

XXXIII. Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci.

XXXIV. Egressis autem illis, obtulerunt ei hominem mutum.

XXXV. Et circuibat Jesus omnes civitates et castella.

XXXVI. Tunc dicit discipulis suis : Messis quidem multa.

XXXVII. In quamcunque autem civitatem aut castellum intraveritis.

XXXVIII. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.

XXXIX. Cum autem persequentur vos in civitate ista.

XL. Nolite ergo arbitrari, quia venerim mittere pacem in terram.

XLI. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi.

XLII. Cui autem similem æstimabo generationem istam ?

(16) Sic cod. noster, commoditus profecto, quam est in specimine Taurinensis *compositione*.

(17) Marcum omittit, quod nullas in partes dividat.

(18) Cod. *ut*.

(19) Sequitur in textu allegato in Commentario Evangelii *non occides*.

Digitized by Google

XLIII. In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi Pater.

XLIV. In illo tempore abiit Jesus Sabbato per sata.

XLV. Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum.

XLVI. Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent.

MATTHÆUS IN TERTIA PARTE.

XLVII. Tunc oblatus est ei homo dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur, et videret.

XLVIII. Tunc responderunt ei quidam de Scribis.

XLIX. Cum immundus spiritus exierit ab homine.

L. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus.

LI. In illo die exiens Jesus de domo sedebat secus mare.

LII. Et locutus est eis multa in parabolis dicens, ecce exiit qui seminat.

LIII. Aliam parabolam proposuit illis dicens : Simile est factum regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

LIV. Aliam parabolam proposuit eis dicens : Simile est regnum cœlorum grano sinapis.

LV. Aliam parabolam locutus est eis : Simile est regnum cœlorum fermento.

LVI. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.

LVII. Simile est regnum cœlorum homini negotiatori.

LVIII. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare.

LIX. Et factum est cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde.

LX. In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu.

LXI. Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes : desertus est locus, et hora jam præteriit.

LXII. Et statim jussit discipulos ascendere in naviculam.

LXIII. Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisæi dicentes; quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, non enim lavant manus.

LXIV. Et egressus inde Jesu secessit in partes Tyri et Sidonis.

LXV. Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ.

LXVI. Jesus autem convocatis discipulis suis, dixit : Misereor turbæ.

LXVII. Et dimissa turba, ascendit in naviculam.

LXVIII. Venit autem Jesus in partes Cæsarææ Philippi.

LXIX. Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.

LXX. Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus.

LXXI. Et interrogaverunt cum discipuli, dicentes; quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire.

LXXII. Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus ante eum provolutus, dicens : Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est.

LXXIII. Conversantibus autem in Galilæa, dixit illis Jesus : Filius hominis tradendus est.

LXXIV. In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Quis putas major est in regno cœlorum?

LXXV. Quid vobis videtur, si fuerint alicui centum oves?

LXXVI. Si autem peccaverit in te frater tuus.

LXXVII. Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi.

3 MATTHÆUS IN QUARTA PARTE.

LXXVIII. Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, et dicentes; si licet homini dimittere uxorem suam.

LXXIX. Tunc oblati sunt ei parvuli.

LXXX. Et ecce unus accedens, ait illi : Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?

LXXXI. Tunc respondens Petrus dixit ei : ecce nos reliquimus omnia.

LXXXII. Multi autem erunt primi, novissimi; et novissimi primi.

LXXXIII. Et ascendens Jesus Jerosolymam assumpsit duodecim discipulos suos secreto.

LXXXIV. Et egredientibus illis ab Jericho.

LXXXV. Et cum appropinquassent Hierosolymam.

LXXXVI. Et cum intrassent Hierosolymam, commota est universa civitas.

LXXXVII. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios.

LXXXVIII. Aliam autem parabolem audite : Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam.

LXXXIX. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

XC. Et abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.

XCI. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.

XCII. Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis.

XCIII. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus dicens : quid vobis videtur de Christo?

XCIV. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.

XCV. Væ autem vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui claditis regnum cœlorum.

XCVI. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quoniam mundatis quod deforis est calicis.

XCVII. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum.

XCVIII. Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et Scribas, et ex illis occidetis.

XCIX. Et egressus Jesus de templo ibat.

Digitized by Google

C. Cum vos ergo videritis abominationem desolationis.

CI. Tunc simile est regnum cœlorum decem virginibus.

CII. Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos.

CIII. Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua.

CIV. Scitis, quia post biduum Pascha fiet.

CV. Vespere autem Sabbati.

CVI. Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam.

MARCUS.

I. Initium Evangelii Jesu Christi.

II. Ascendens Jesus in montem.

III. Et dicebat Jesus : Sic est regnum Dei.

IV. Exiens Jesus de finibus Tyri.

V. Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei cæcum.

VI. Omnis igne salietur, et omnis victima salietur.

VII. Cum transisset Sabbatum, Maria Magdalena et Maria Jacobi emerunt aromata.

VIII. Et illæ exeuntes fugerunt de monumento.

IX. Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus.

LUCAS IN PRIMA PARTE.

I. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare.

II. Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos.

III. Missus est angelus Gabriel a Deo.

IV. Exsurgens autem Maria.

V. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi.

VI. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto.

VII. Et factum est ut discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem.

VIII. Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.

IX. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus.

X. Et ecce homo erat in Jerusalem cui nomen Simeon.

XI. Et erat pater ejus, et mater, mirantes super his.

XII. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem.

XIII. Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium.

XIV. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.

XV. Et egressus est Jesus in virtute spiritus in Galilæam.

XVI. Et cum turbæ irruerent in eum ut audirent verbum Dei.

XVII. Factum est autem in Sabbato secundo primo.

XVIII. Rogavit Jesum quidam Pharisæus ut manducaret cum illo.

XIX. Factum est autem cum complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jesus.

XX. Qui vos audit, me audit.

XXI. Quidam legis peritus surrexit tentans illum.

XXII. Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine.

XXIII. Et factum est, cum esset in loco orans.

XXIV. Et ait ad illos. Quis vestrum habebit amicum?

XXV. Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum.

XXVI. Dixit ei quidam de turba : Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem.

LUCAS IN SECUNDA PARTE.

XXVII. Sint lumbi vestri præcincti.

XXVIII. Ignem veni mittere in terram,

XXIX. Aderant autem quidam ipso in tempore nuntiantes illi de Galilæis.

XXX. Dicebat autem hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam.

XXXI. In ipsa die accesserunt quidam. Pharisæorum dicentes illi : Exi et vade hinc, quia Herodes vult te occidere.

XXXII. Et factum est dum intraret in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem.

XXXIII. Homo quidam fecit cœnam magnam.

XXXIV. Si quis venit ad me et non odit patrem suum.

XXXV. Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores.

XXXVI. Homo quidam habebat duos filios, et dixit adolescentior ex illis patri.

XXXVII. Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.

XXXVIII. Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso.

XXXIX. Quis autem vestrum habens servum arantem.

XL. Occurrerunt ei decem viri leprosi.

XLI. Interrogatus autem a Pharisæis, quando venit regnum Dei.

XLII Dicebat autem et parabolam ad illos quoniam oportet semper orare.

XLIII. Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi.

XLIV. Ingressus autem perambulabat Jericho, et ecce vir nomine Zachæus.

XLV. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam.

XLVI. Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam.

XLVII. Erunt signa in sole et luna.

XLVIII. Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.

Digitized by Google

XLIX. Duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum.

L. Cum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum.

JOANNES IN PRIMA PARTE.

I. In principio erat Verbum.

II. Joannes testimonium perhibet de ipso.

III. Et hoc est testimonium Joannis.

IV. Altera die vidit Joannes Jesum venientem.

V. Et die tertia nuptiæ factæ sunt.

VI. Et prope erat Pascha Judæorum.

VII. Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus.

VIII. Post hæc venit Jesus, et discipuli ejus in Judæam.

IX. Facta est ergo quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione.

X. Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quia Jesus plures discipulos facit et baptizat, quam Joannes.

XI. Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.

XII. Post duos autem dies exiit inde, et abiit in Galilæam, et tunc quidem venit Nazareth.

XIII. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum, *In Matth.*

XIV. Et erat dies festus Judæorum.

XV. Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in Sabbato.

XVI. Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis.

XVII. Murmurabant ergo de illo Judæi, quod dixisset : Ego sum panis, qui de cœlo descendi.

XVIII. Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.

XIX. Litigabant Judæi ad invicem dicentes : quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

XX. Post hæc ambulabat Jesus in Galilæa : non enim volebat in Judæa ambulare.

XXI. Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum.

XXII. Adhuc modicum tempus vobiscum sum.

XXIII. Jesus autem perrexit in montem Oliveti.

JOANNES IN SECUNDA PARTE.

XXIV. Ego sum lux mundi.

XXV. Ego vado, et quæretis me.

XXVI. Quis ex vobis arguet me de peccato?

XXVII. Et prætériens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate.

A XXVIII. Amen amen, dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium.

XXIX. Amen, amen dico vobis; quia ego sum ostium.

XXX. Ego sum Pastor bonus.

XXXI. Facta sunt encænia in Hierosolymis.

XXXII. Erat quidam languens Lazarus a Bethania.

XXXIII. Collegerunt ergo pontifices et Pharisæi concilium.

XXXIV. Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam.

XXXV. In crastinum autem turba multa.

XXXVI. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit.

B 5 XXXVII. Jesus autem clamavit et dixit : Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.

XXXVIII. Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus.

XXXIX. Et ait discipulis suis : Non turbetur cor vestrum.

XL. Si diligitis me, mandata mea servate.

XLI. Si quis diligit me, sermonem meum servabit.

JOANNES I TERTIA PARTE.

XLII. Ego sum vitis vera.

XLIII. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.

C XLIV. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

XLV. Cum autem venerit Paraclitus.

XLVI. At nunc vado ad eum, qui misit me

XLVII. Modicum; et jam non videbitis me.

XLVIII. Amen amen, dico vobis; si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.

XLIX. Hæc locutus est Jesus, et sublevatis oculis in cœlum.

L. Hæc cum dixisset, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron.

LI. Una autem Sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum.

LII. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.

D LIII. Cum esset sero die illa una Sabbatorum.

LIV. Manifestavit se Jesus ad mare Tiberiadis.

LV. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro.

LVI. Et cum hoc dixisset, dicit ei : Sequere me.

Digitized by Google

PARS PRIMA.

1. [Cap. 1.] *Liber generationis Jesu Christi filii David filii Abraham* (20). Quare beatus Matthæus evangelista a Christi generatione initium sumat, hanc maximam et principalem causam esse putamus, ut Salvatorem nostrum de progenie David, et de tribu Juda secundum carnem, descendisse ostendat. Incipiens itaque ab Abraham, et per Judæ lineam veniens ad David, totam sibi succedentium genealogiam ex ordine texit, usquedum veniat ad Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus. Nam et Abrahæ et David Christus Dominus noster promissus fuerat; et quod de tribu Juda originem duceret, fuerat prophetatum. Dixerat enim Dominus Abrahæ: (21) « In semine tuo hæreditabo omnes gentes. » Hoc autem Apostolus exponens, ait: « Non dixit in seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus (*Galat.* III, 16). » Judæ quoque filio suo Jacob patriarcha benedicens, ait: « Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens acubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum? non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX, 1). » In hoc quoque Evangelio sicut in sequentibus legitur (*Matth.* II, 5), cum Herodes principes sacerdotum, et Scribas populi interrogaret, ubi Christus nasceretur, responsum illi est ab illis: « In Bethleem Juda; sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. » Vides ergo, quia Salvator noster Abrahæ fuerat promissus, et secundum prophetarum dicta de tribu Juda nasciturus exspectabatur. Videamus etiam quid regi David de eodem dictum fuerat. Dicat hoc ipse David: « Juravit, inquit, Dominus David veritatem et non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem meam (*Ps.* CXXXI, 11). » Itemque: « Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit (*Psal.* LXXXVIII, 35). » Ecce enim A non solum promittitur, verum etiam juratur, quod de stirpe David secundum carnem Christus oriatur. Unde non immerito factum est, ut pluribus in locis filius David Christus vocetur. Hoc enim et pueri clamabant: « Osanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXI, 9). » Hoc et mulier Chananæa dicebat: « Miserere mei, fili David (*Matth.* XV, 22). » Unde ipse quoque Judæos interrogans, ait: « Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei, David (*Matth.* XXII, 42). » Quis igitur Christum esse aliquem credere posset, nisi prius eum de stirpe David certissime natum esse constaret? Merito igitur evangelista de Christo locuturus, statim in principio suæ locutionis eum de semine Abrahæ, de tribu Juda, et de progenie B David natum esse ostendit (22). Ostensa autem causa, cur tale exordium evangelista suscepit; Judæis et hæreticis, cæterisque respondeamus, quibus hanc eamdem causam nihil ad rem pertinere videtur, nisi filium Joseph Christum esse credamus. Non enim hoc loco Mariæ, sed Joseph generatio texitur. Quid enim ad Christum pertinet, quod Joseph probatur esse filius David, cum non de Joseph, sed de Maria natus sit Christus? Sicut enim secundum divinitatem Salvator noster nullam habuit matrem, ita et secundum humanitatem nullum habuit patrem. Audiant ergo isti hoc quod in lege præcipitur, ut videlicet omnes viri ducant uxores de tribu et cognatione sua, et cunctæ feminæ maritos de eadem tribu accipiant, ut hæreditas per- C maneat in familiis, nec sibi commisceantur tribus, sed ita maneant, ut a Domino separatæ sunt (23). Probatum est ergo legis testimonio, Virginem Mariam atque Joseph de eadem tribu et cognatione fuisse: neque enim aliter secundum legem conjungi potuissent, nisi de eadem tribu ambo fuissent. Si enim aliquis mihi objiciat (24), multos de alia quoque, et non tantum de propria tribu duxisse uxores; respondeo, non solum hoc, sed et multa alia plerumque contra legem Judæos fecisse; Joseph vero contra legem agere non poterat, utpote qui justus erat, et Deum in omnibus offendere timebat. Hæc autem lex, etsi fortasse non ad plenum ab aliis

(20) Est a primis hisce verbis hinc descripta homilia Eusebio Emiseno supposita tit., *in nativitate S. Mariæ*, p. 195, edit. Paris. 1575 ap. Michaelem sonnium et edit. 1554. Quærit 1. cur a Christi generatione initium sumat? respondet, ut J. C. ostendat de progenie Abraham et David, ut jam diu fore pollicitus fuerat. Ita et S. Ambrosius lib. III, in Luc. II, quid faciat ad hoc probandum genealogia Joseph? quod necesse fuerit de eadem tribu et stirpe cum Josepho esse Mariam. Vide hic quoque Ambros. l. all. De utroque pariter S. Hieronymus ad h. l. V. et Cornelium Jansen. Concord. cap. 6, D et Maldonatum ad cap. 1 Matth. v. 16, et interpretes cæteros qui eadem ferme repetunt omnes.

(21) Non est nisi ad sensum expressus ex Scriptura locus Genes. XXII, 18, ubi dicitur: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, quem locum in eamdem sententiam profert A. Imperfecti in Matth. Vid. etiam Ecclesiastic. XLIV, 23.

(22) Ita Hieronymus ad h. l. Beda, etc.

(23) V. S. Hieron. ad h. l. et S. Jo. Chrysostomum hom. 2. Expressus est in Scriptura locus Num XXXVI.

(24) Objecit hoc quoque sibi Chrysostomus l. all. et eodem modo solvit.

Digitized by Google

custodiebatur; ab illis tamen mulieribus custodiri necessarium erat, quæ quoniam fratres non habebant, parentibus suis in hæreditatem succedebant. Sicut præcipit Moyses, imo Dominus per Moysem; ut si aliquis sine filiis defunctus fuerit, ad filias ejus transeat illius hæreditas. Quæ si de alia tribu maritos acciperent, hæreditatem quoque in aliam tribum transire oporteret. Tales ergo necesse est, aut de sua tribu accipere, aut omnino viros non accipere; ne si de alia accipiant, possessiones et hæreditates commisceantur : quod quidem nullatenus fieri licet. Unde manifestum est, beatissimam Virginem Mariam, quæ nobilissima hæres parentibus suis in hæreditatem successerat (siquidem nec fratres habuit, nec habuisse legitur), neminem de alia tribu conjugem accipere potuisse. Sed fortasse dicis eam non habuisse hæreditatem. Lege ergo in Levitico, cap. XXV, et invenies quod nemo hæreditatem suam ex toto vendere poterat, etsi usum ejus vendere potuisset. Veniente namque Jubilæo, omnis hæreditas ad proprium Dominum revertebatur. Quomodo ergo sine hæreditate esse poterat, quæ ex tam nobilissimis parentibus orta fuerat? Iis ergo rationibus manifestissime comprobatur, et Joseph, et beatam virginem Mariam de eadem tribu fuisse. Sed ideo per Joseph evangelista generationem texere voluit, quoniam usus est sanctarum Scripturarum, ubique per viros, nusquam per mulieres generationis seriem ordinare. Omnes ergo generationes ab Abraham usque ad David, generationes XIV, et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes XIV, et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes XIV. Hoc autem verum, si una eademque persona bis numeretur (25), sitque alterius generationis initium quæ alterius finis fuerat : aliter autem non procedit. *Christi autem generatio sic erat.*

II. (26) *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Primum autem quærendum est cur beata Maria desponsata fuerit? quæ ante partum virgo, in partu virgo, post partum virgo, nunquam virum cognitura erat. Multæ ex hoc rationes reddi possunt. Si enim virum non habuisset et gravida videretur, nulla excusatio subvenire posset, ut quasi adultera non lapidaretur. Quis enim ei crederet sine viro concepisse? Quis ei crederet, de Spiritu sancto ejus uterum intumuisse? Erat enim hoc inusitatum, inauditum, et sine exemplo. Melius ergo fuit ut semper virgo, ad tempus non virgo putaretur, quam ut accusata secundum legem lapidaretur. Non enim violatur virginitas falsa opinione. Occiditur autem innocens plerumque falsa accusatione. Poterat enim Dominus et aliter matrem suam, non solum ab injusta damnatione, verum etiam a falsa opinione defendere, si vellet. Cur autem hoc magis voluerit, ipse scit, non ego. Sic ei placuit : placeat ergo et nobis. Indigebat præterea viri auxilio multis modis virgo Maria; quoniam secundum Dei dispositionem in Bethlehem paritura erat; et eam simul cum filio in Ægyptum fugere oportebat. Sic enim a Domino fuerat dispositum, sic a prophetis antea nunciatum; sic futurum erat, et mutari non poterat. Hæc est ergo causa, cur desponsata fuerat (27). *Cum autem esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quæris fortasse, qualis mater? quære prius, qualis filius? Non habet filius in hominibus parem : non habet mater in mulieribus similem. Speciosus ille præ filiis hominum : speciosa illa, quasi aurora consurgens. Fecit ille matrem suam; quod nemo alius fecit : peperit illa filium, et virgo permansit; quod nulla alia fecit. Fuit ille antequam natus : non fuit ista antequam filius. Quid enim horum mirabilius tibi esse videtur? Utrumque mirabile est; quia neutrum nec prius, nec postea factum est. *Antequam convenirent*, inquit, *inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quid est, *antequam convenirent* (28)? Antequam simul in una domo habitarent : nondum enim convenerant, nondum simul habitabant; ille in sua, et illa adhuc in sua domo manebat. Et tamen inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Quærerem ego a quo inventa fuisset, si talem invenire difficile esset? Multa enim signa sunt, quibus gravidæ mulieres cognoscuntur. Videbatur igitur gravida ab his qui ei familiares erant (29) : nemo tamen eam in aliquo suspectam habebat, quoniam desponsatam esse sciebant. Intellexit hoc tandem et Joseph, et sponsam suam gravidam esse cognovit. Mirabitur ergo, et circa sponsam suam zelotypia (30) movebatur. Quid faceret? prodere eam timebat, ne occideretur.

(25) Idem sensit Augustinus ap. Bedam ad h. l. ubi etiam Hieronymi sententiam memorat, ac postea sequitur; non eumdem esse Jechoniam qui primo commemoratur, et cujus post captivitatem filius nominatur, sed illum esse Joacim, hunc Joachin, et scriptorum vitio, et longitudine temporum apud Græcos Latinosque confusum. V. S. Ambrosium l. III in Luc. Ex recentioribus Jansenium, Maldonatum, a Lapide, Calmet, etc. Mystice iterum nominari Jechoniam scribit S. Gregorius, l. XXVIII Moral., c. 9. Augustinus quoque l. II De consens. evang. c. 4.

(26) Est homilia Emiseno attributa *in Vigilia Nativ. Dom.*, pag. 13.

(27) Ex Hieronymo, ut videtur, ad h. l. : « Quare non de simplici virgine sed de desponsata concipitur? 1 ut per generationem Joseph, origo Mariæ monstraretur; 2 ne lapidaretur a Judæis ut adultera; 3 ut in Ægyptum fugiens haberet solatium. V. cap. 2 advers. Helvid. et Ambros. Instit. Virg., c. 5 et 6.

(28) Ita cum A. n. sensere nonnulli apud Jansenium, et Calmet, contra quos Cornelius idem a Lapide, etc.

(29) A Joseph inventam « quasi confidentia maritali, » ait Hieronym. et Beda.

(30) In malam partem accipi solet hoc nomen; et nomen ipsum *zeli* ab AA. ecclesiasticis. Hinc ti-

Digitized by Google

Dimittere eam cogitabat, quod et sibi facile, nec illi periculosum esse sentiebat. Daret enim ei libellum repudii : sic enim præcipit lex. Hoc est autem quod sequitur : *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Quia enim justus et sanctus erat, potius eam occulte dimittere, quam accusare volebat. Nolebat enim eam traducere in domum suam (31), quia videbat gravidam esse non de suo. *Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens : Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Cum, inquit, ita cogitaret, cum his angustiis æstuaret, cum quid faceret, dubitaret, ecce angelus Domini, ecce nuntius cœlestis; ecce Gabriel (32) consiliator Virginis, ejusque conscius castitatis, cui hæc secreta commissa erant, cui hæc mysteria revelata fuerant, apparuit Joseph in somnis. Et bene quidem in somnis. Si enim Joseph non dormisset, si extra se non fuisset, si mentis oculos apertos habuisset; si solem, qui jam in Maria oriebatur, Spiritu sancto revelante, cognovisset; procul dubio nihil tale cogitare potuisset. Audiamus autem quod angelus dixerit : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Noli, inquit, timere, noli dubitare, tolle hanc zelotypiam, pelle suspicionem; non est ut cogitas; nondum cognoscis hanc virginem; nondum bene vidisti Mariam conjugem tuam. Ipsa enim est templum Dei; ipsa est porta cœli; ipsa est domina tua, quam putas esse sponsam tuam : accipe ergo eam jam nunc quasi dominam; accipe eam non tibi traditam, sed commendatam; sis ei obediens ut servus, non imperans ut maritus. Quare hoc? vis audire quare? Quia *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Sufficiat hoc audire, sufficiat et credere : non quæramus, qualiter de Virgine incarnatus, et qualiter de Spiritu sancto natus est Christus. Credidit enim Virgo, et concepit : hoc enim testatur Elisabeth : « Beata, inquit, quæ credidisti, perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino (*Luc.* I, 45). » Credidit Virgo, et operante Spiritu sancto, Verbum caro factum est. *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Quare autem tali nomine vocetur, protinus subinfertur, cum ait : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Manifestum est ergo, quod Jesus *Salvator*, interpretatur (33). *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Hoc enim Judæi falsa calumniantes in codicibus suis, non *virginem* sed *juvenculam* inveniri dicunt (34). Quibus nos e contra respondemus : Si non virginem sed juvenculam intelligere volunt, nunquid hoc signum, vel mirandum aliquid esse putant, si quando juvencula pariat? Signum enim esset, si anus peperisset. Unde etiam partus Saræ et Elisabeth pro miraculo habetur : Si vero juvencula pariat, nullum signum esse putatur; hoc enim usitatissimum est. Hoc autem quare dixerit, attende. Isaias enim in eo loco, ubi ista scribit, sic ad Achaz loquitur dicens : « Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz, non petam et non tentabo Dominum; » dixitque Isaias : « Audite ergo, domus Jacob. Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc ipse Dominus dabit vobis signum. » Sed quod signum? « Ecce virgo concipiet et pariet filium (*Isa.* VII, 14). » Si ergo juvenculam parere, signum non est; ut virgo intelligatur, necesse est. Corrigite ergo libros vestros, Judæi, quos invidiose falsatos fuisse non dubitamus (35). Vocatum autem nomen ejus Emmanuel, id est *nobiscum Deus :* quoniam etsi secundum divinitatem ubique est, corporaliter tamen in Judæa ad tempus conversatus est. Unde per Jeremiam dicitur : (36) « Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum, qui adinvenit omnem viam scientiæ, et dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo : post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. »

Exsurgens autem Joseph a somno fecit, sicut præ-

tulus tractatus Cypriani De zelo et livore, ubi de diabolo; « Postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens instinctu zeli, quam ipse zelo ante dejectus, » etc. V. cætera. Dictam aiunt zelotypiam ex ζῦλος et τύπος, quod non amore vero nascatur, sed amoris velut falsa quadam imagine. Apud profanos quoque idem valere videtur : unde illud Cicer. IV, Tuscul. n. 8 : « obtrectatio autem est ea, quam intelligi zelotypiam volo, ægritudo ex eo quod alter quoque potiatur eo quod ipse concupiverit. » Auctorem tamen nostrum accepisse in bonam partem, omnino credo.

(31) Obstat huic significationi evangelicæ verbi *traduco* Græcus textus παραδειγμάτισαι, quod est cum infamia prodere; est tamen aliorum explicatio, fuitque postea Abulensis.

(32) Hoc idem postea sensit S. Bernardus. hom. 1, *Missus est.*

(33) V. quæ de hoc nomine et significatione fuse disserit Cornelius Jansenius, cap. 7 Concord. et Maldonatus ad h. l. Jampridem Chrysostomus, homil. 2 in Mat. : « Jesus non est Græci sermonis vocabulum, sed Hebraica lingua Jesus dicitur quod est in nostra *Salvator*, » et S. Hieronymus; « Jesus Hebraico sermone *Salvator* dicitur : etymologiam ergo nominis ejus evangelista signavit. »

(34) Contra Judæos disputant vett. et recentiores interpretes ad Isai., cap. VII, 14. V. ex recent. Calmet in peculiari dissert., Jansenium, et Maldonatum, etc. In Hebræo apud Isaiam est vox עַלְמָה ALMA, de qua voce fuse disserit Hieronymus. Atque hactenus homilia; cætera enim quæ sunt contra Judæos, auditoribus non opportuna, omissa sunt.

(35) Hoc cum veteribus nonnullis dicit, quibuscum faciunt Jo. Morinus, Pezron aliique nonnulli; adversus quos malitia Judæos textum sacrum corrupisse negant Martianæus, Le Quien, Richardus Simon, Dupinius, et ante hos Bellarminus.

(36) Baruch., III, 37. Voculas tamen quasdam posuit aliter ac in Vulgata; et Jeremiam pro scriba ejus Baruch, quod non modo olim ut nunc quoque, Jeremiæ continuo subjiceretur, sed nullo sæpe titulo adnexus inveniatur in mss. codd.

Digitized by Google

cepit ei angelus Domini; et accepit conjugem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum. Oportet autem nos etiam hic Judæis et hæreticis respondere, qui beatam Virginem Mariam alios filios de Joseph habuisse contendunt; quoniam hic dicitur : *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Si enim aliquis dicat : Scio quia non habebo filios, donec uxorem accipiam; nunquid ideo consequens est, ut accepta uxore filios habeat? Multi enim habent uxores qui filios non habent. Nullam ergo consequentiæ necessitatem facit hoc in loco *donec* adverbium (37). Tota enim intentio evangelistæ hæc erat, ut ista dicendo, filium Joseph, Christum non esse monstraret. Putabatur enim Christus filius Joseph, sicut alius evangelista testatur, dicens : « Et erat Jesus incipiens quasi annorum XXX, ut putabatur, filius Joseph (*Luc.* III, 23). » Hanc ergo falsam opinionem evangelista Matthæus delere intendebat dicens. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Sed non advertebat has hæreticorum sagittas, quas ipsi contra hæc jaculantur, propter unam particulam obscure positam, quam excæcati perverse intelligunt. Hoc autem et aliter probare nituntur, dicentes : eum *primogenitum* dici non posse, nisi alii ejus fratres post eum sequerentur, quorum relatione primogenitus diceretur. Quod si ita esset, nulla primogenita Domino offerri potuissent. Præcipit enim Moyses (*Exod.* XIII) (38) ut omnis primogenitus filius post unum mensem Domino offeratur. Et quidem ille qui post unum mensem offertur, nondum alios fratres habet, quorum relatione *primogenitus* dicatur. Quare ergo quasi primogenitus offertur qui nullum fratrem habet, et utrum aliquando habiturus sit, penitus ignoratur. Manifestum est igitur, *primogenitum* non fratrum sequentium relatione dici, sed quia de matris utero primus processit, sive alii postea sequantur, sive non sequantur. Sed fortasse non tantum *primogenitum*, sed et *primum* calumniaris. Audi ergo quid per Moysen Dominus dicat : « Quidquid primum erumpit e vulva omnis carnis, meum erit (39). » Si ergo *primum* hoc in loco relativum est, et per se dici non potest; quomodo statim post unum mensem offerebatur, quod utrum primum esset, adhuc nesciebatur? Quid enim, si mater confestim post primum partum moreretur? Quid, si de ea, quod fieri sæpe videmus, filius ulterius non nasceretur? Consequens enim esset, ut illi, qui quasi *primi* vel *primogeniti* Domino oblati fuerant, quos etiam quibus nominibus vocentur, non habemus, neque *primi* neque *primogeniti* dicerentur. His igitur aperte monstratur, quod etiam unigenitus, *primogenitus* dici potest.

III. [CAP. II.] (40) *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt.* Non vacat a mysterio, quod beata Virgo Maria, relicta patria civitate et domo, filium suum in Bethlehem parere venit. *Bethlehem* enim *domus panis* interpretatur (41). Jesus autem de se ipso loquitur, dicens : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI, 42). » Dignum ergo fuit ut panis vivus in domo panis nasceretur, cujus Christi nativitas fuerat causa, ut sic vocaretur. Neque enim ideo Christus in ea natus est, quia sic vocabatur, sed ideo ipsa sic vocata est, quia Christus in ea oriebatur. Simus ergo et nos Bethlehem, simus domus panis : qui enim domus panis non fuerit, fame interibit. Hoc enim ipse Dominus ait : « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis (*ibid.* 54). » Suscipiamus itaque Christum in domo nostra, suscipiamus eum in mente et in pectore nostro. Oriatur in nobis : ipse enim est via, veritas, et vita : ipse est sapientia et justitia. Ipse igitur oriatur in nobis, quoniam ista nascuntur et ædificantur in nobis. Sequitur : *Ecce Magi ab Oriente venerunt.* Quare ab Oriente (42)? Quia jam interius illuminati fuerant, et jam sol justitiæ eorum mentes illustraverat. Sed ubi venerunt? Hierosolymam. Et quid dicebant? *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Unde hoc scitis? Quis hoc vobis indicavit? Aiunt illi : *Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.* Isti enim sunt primitiæ (43) gentium : isti prius ex gentibus in Christum crediderunt : his non terra, sed cœli Christi nativitatem prædicaverunt. Et in his quidem completum est illud quod dicitur : « Cœli enarrant gloriam Dei (44); » credunt autem isti cœlo non loquenti, sed novam stellam ostendenti. Judæi vero credere nolunt Christo prædicanti, prophetias exponentes.

(37) V. Hieronym. adv. Helvidium et Chrysostomum ad h. l. de hac et similibus particulis Ambrosium quoque l. II, in Luc., lib. De Noe et Arca, c. 17; De instit. virg., c. 5 et 8, etc. Isidorum Pelusiotam; l. I, epist. 4, etc.

(38) Breviter hic Hieronymus morem allegans Scripturarum; « ut primogenitum non eum vocent quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit, » lectorem tamen suum amandat ad libellum adversus Helvidium.

(39) Numer. XVIII, 15. Videtur esse locus ad quem N. A. spectat; etsi minus exacte verba allegat, quæ sunt. « Quidquid primum erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit : ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, et omne animal quod immundum est, redimi facias; cujus redemptio erit post unum mensem. »

(40) Est homilia S. Brunonis in Epiphania Domini Emiseno attributa in edit. pag. 27.

(41) Vid. Chrysologum ser. 156, atque eamdem interpretationem memoratam ab Ambrosio l. II De Jacob. c. 7.

(42) Simili ferme modo A. Imperfecti hom. 2 : « Quoniam ab Oriente venerunt, unde dies nascitur, inde initium fidei processit, quia fides lumen est animarum, » etc.

(43) Ita eos vocat S. Leo serm. 2 de Epiph., S. Aug. sive A. serm. 30 de tempore, S. Fulgentius serm. 5, etc.

(44) Psal. XVIII, 1, atque hunc locum allegat etiam S. Leo, serm. all.

Digitized by Google

nenti, mortuos suscitanti, cæcos illuminanti, et alia miracula facienti. Sed nunquid ista stella videbatur ab omnibus? Si enim ab omnibus videretur, nequaquam se eam in Oriente vidisse dicerent, quæ non solum in Oriente appareat. Factum est autem, ut visa stella, quidquid per eam significabatur, mox intelligerent, non tamen astrologica artis demonstratione (45), sed sancti Spiritus illustratione. Christum igitur in stella quærebant, quem divina inspiratione per stellam significari intelligebant. Hoc enim et Baalam significaverat dicens : « Orietur stella ex Jacob, » et exsurget homo de Israel (46). Est igitur Christus et homo et stella ; stella in significatione, homo in veritate; stella gentibus, homo Judæis. Gentes eum in stella sequuntur, et illuminantur : Judæi hominem tantum eum esse putant et exsecantur. Unde ipse quoque ait : « In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant (*Joan.* IX, 39). » — *Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo.* Magna quidem erant quæ dicebantur; sed quia lætitiam sonabant, et totius regni gloriam innuebant, non utique perturbari, sed lætari et Herodes, et omnis Hierosolyma debuisset. Sic enim infirmi oculi viso lumine perturbari solent. Bene autem isti tales in prophetarum libris per illas aves significantur, quas dies excæcat, et nox illuminat. Sed quis non lætetur, quod puer noster adhuc in cunabulis vagit, et rex terræ cum toto regno suo timore dissolvitur? Ne timeas miser : non enim ad hoc venit, ut regnum tibi auferat, sed ut omnibus de regno expulsis regnum restituat. Sequitur : *Et congregans omnes principes sacerdotum,* **10** *et Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ; sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima est in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Turbatus enim Herodes quiescere non potest ; angitur, et ne ex improviso capiatur, principes sacerdotum, et scribas populi vocat; ubi Christus nascatur, inquirit. Dicitur ei : in Bethlehem Judæ. Timor additur timori; et qui Magorum verbis perturbatus fuerat, iterum scriharum et sacerdotum responsione terretur. Quomodo enim terreri non poterat qui tantum terrena sapiens, regnum amittere timebat, dum suo tempore Christum natum esse audiebat, quem prophetarum testimonio venturum esse credebat ? *Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis.* Hoc autem ideo faciebat (47), ut si Christum invenire non posset, saltem nativitatis ejus tempore cognito, qui solus occidi non poterat, simul cum cæteris ejusdem ætatis pueris necaretur. Non enim intelligis, Herodes, non intelligis quod tibi per Moysen a Domino dicitur (48) : « Non coques hædum in lacte matris suæ, » id est non occides Christum infantem, et ad Virginis matris ubera pendentem. *Et mittens eos in Bethlehem, dixit ; ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.* Nihil proficis, nihil hac tua calliditate agis. Non est consilium, nec sapientia, nec fortitudo contra Dominum (49). *Qui cum audissent regem, abierunt : et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret super ubi erat puer. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.* Recedunt Magi ab Herode et vident stellam, quia et illi qui a diabolo separantur, vident justitiæ lumen. Sed quare eos antecedit stella, nisi ut viam eis ostendat, et ad puerum ducat? Sequuntur igitur eam : veniunt Bethlehem : stat supra domum illam in qua erat Virgo Maria : stat supra stellam ; Maria enim *stella maris* (50) interpretatur. Stella itaque filius, stella et mater : stella oritur de stella ; sed major quæ oritur quam illa de qua oritur. Unde et merito supra stare videtur. Non dixit *supra puerum.* Sed quid dixit? *Supra, ubi erat puer.* Ubi enim erat puer, nisi in sinu Matris? Stabat ergo stella, et clamabat; habet enim linguam suam. Ne enim longe petamus exempla, sic illa stella loquebatur Magis, sicut istæ litteræ loquuntur nobis : Significando igitur loquebatur, sed quid significabat? quid dicebat? Vis audire quid? Hic est puer : hæc est Mater pueri : hic eum quærite, hic invenietis : hic in parvo corpusculo latet, qui ubique est et omnia replet. Hoc est enim quod dicit. *Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde.* Quid est enim *videntes stellam,* nisi videntes et intelligentes quid eis significabatur et dicebatur per stellam? non enim magnum gaudium est videre stellas. Nam et solem et lunam sæpe videmus, et non multum videndo gaudemus. Gaudebant igitur non propter stellam, sed propter stellæ significatum. *Et intrantes domum, invenerunt*

(45) Chrysostom. hom. 6 in Nat. « Non solius hoc esse stellæ videtur, sed Dei per quem illorum ad hoc anima commota est. »

(46) Beda a stella prophetiam significari dicit, A. noster cum Ambrosio loquitur, qui lib. II in Luc. « secundum Incarnationis mysterium Christus est stella. » Atque Ambrosium quidem præ oculis hic habuisse credo ex eo, quod cum soleat Vulgatam sequi, nunc locum Numerorum ex LXX, sicut Ambrosius protulit, ipse quoque profert : « Et exsurget homo de Israel. » Vulg. « Et consurget virga de Israel. »

(47) Vide Chrysostomum hom. 7, et Petrum Chrysologum serm. 158.

(48) Exod. XXIII, 19. Atque ita plane August. quæstion. 90 in Exod. scribens : « Quomodo observetur ad proprietatem verborum, aut non est, aut non elucet. Intellectum tamen de Christo approbo; quod hac prophetia prædictus est non occidendus a Judæis infans quando Herodes quærens eum ut occideretur, non invenit. »

(49) Prov. XXI, 30 : « Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. » Hunc eumdem locum in eamdem sententiam allegat S. Gregorius homil. 10 in Evang.

(50) S. Bernardus homil. 2 in *Missus est* de eodem nomine « quod interpretatum *maris stella* dicitur.... ipsa est igitur nobilis illa stella ex Jacob orta, » etc.

Digitized by Google

puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Quanta tunc exsultatio tibi fuerit, o Virgo beatissima, quis cogitare valeat? quoniam eum, quem nuper genueras, jam quasi dominum adorari videbas. Suscipe prima munera filii tui; suscipe tributa quæ ei solvuntur; et quæ aliis tributa solvere veneras, tu prius ab aliis tributa suscipias. Ad hoc enim, ut Lucas ait (I, 5), venerat Joseph in Bethlehem, ut ipse quoque sicut cæteri, profiteretur et obligaret se tributa persolvere, eo quod esset de domo et familia David. Unde manifestum est quod secundum familias tributa solvebantur, omnesque ejusdem familiæ propter hoc munus conveniebant : siquidem Joseph et Maria, quia erant de familia David, in Bethlehem venire necessarium fuit, ubi illa familia habitabat. Sed quare tria (51) munera obtulerunt, nisi ut Trinitatis mysterium revelarent? Primum enim munus offerimus credendo in Patrem, secundum in Filium, tertium in Spiritum sanctum. Hæc tria munera nobis sufficiunt. Qui hæc non offert, a Christo non recipitur. Hæc est igitur causa quare tria munera Domino obtulerunt; si enim vel plus, vel minus offerrent, fidem catholicam non tenerent. Quid autem per aurum significari putamus, nisi illam, quæ cæteris major est, et latius fulget, regiam potestatem? Aurum igitur Christo offerimus, quia omnium regem eum esse **11** credimus. Offerimus autem et thus, quia Deum esse confitemur. Thus enim in sacrificiis etiam gentiles diis suis offerre consueverant. Myrrham quoque offerimus, quia sic illum Deum esse credimus, ut hominem, et mortalem esse non dubitemus; myrrha enim, ne corrumperentur, olim mortuorum corpora condiebantur. Quia ergo Christo obtulimus sua, offeramus ei et nostra. Quod enim Regem, et Deum, et hominem eum esse credimus, suum est : nostra vero sunt quæ nobis ab eo donata sunt. Habet enim Ecclesia aurum in sapientia; thus vero in sancta et bene Deo redolente conversatione; myrrham autem in amaritudine pœnitentiæ et carnis mortificatione. Aurum igitur offerunt doctores; thus martyres et confessores; myrrham jam pœnitentes peccatores. In aliis itaque aurum fulget, in aliis thus suaviter redolet, in aliis myrrha sapienter amarescit. Quid alliud Deo offerre possumus? Omnis nostra oblatio in his tribus muneribus continetur. Talia igitur munera obtulerunt Magi, in quibus et fidei veritatem et totam Ecclesiæ disciplinam significabant. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Revertamur igitur et nos per aliam viam in regionem nostram, quia per illam, qua exivimus, redire non possumus. Hoc enim et filiis Israel de Ægypto exeuntibus præcipitur, ut per eamdem viam non revertantur (52). Regio namque nostra paradisus est, regio nostra est terra viventium (53) : ibi enim habitaverunt parentes nostri : inde exierunt. Sed qua via? Utique per superbiam, per inobedientiam, per vanam gloriam, per gulæ intemperantiam : per hanc autem viam in patriam redire non possumus. Alia ergo quærenda est, qua in patriam revertamur. Hæc autem via Christus est; ipse enim ait : « Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV, 6). » Invenimus viam, curramus per eam, si recto itinere in patriam redire velimus. Per hanc enim ille currit, qui ejus præcepta custodit. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum; hoc ipse præcipit; hoc tibi sufficit custodire; ne quæras amplius; hæc via in patriam te reducit.

IV. *Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi : futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum* (54). Quomodo enim completis diebus purificationis Jerusalem Christus in templo offerri potuit, si statim ut Magi recesserunt in Ægyptum fugiens abiit (55)? An fortasse tandiu Magi in Bethlehem morati sunt, donec simul cum puero et matre ejus Joseph de Jerusalem post purificationem reverteretur? Sed melius mihi videtur esse ut sic dicatur : Qui cum recessissent, aliquanto post tempore evoluto, et omnibus, quæ secundum legem debebantur, expletis, *ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.* Adhuc enim omnia quieta erant : adhuc Herodes Magos exspectans, nondum sui cordis malitiam revelabat. Unde et secure vadunt in Jerusalem, ut Legis mandata perficiant. Inde vero in Ægyptum fugere jubentur, ubi Abraham, et Jacob, et filii Israel peregrinati sunt. Hoc enim propheta prædixerat dicens : « Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (*Is.* XIX, 1), » et corruent omnia simulacra ejus. Nubes enim levis, et nullius corruptionis pondere gravis est Virgo Maria, quæ in Ægyptum Christum portavit, ut lux in tenebris luceret, et populus, qui sedebat in

(51) Mirum in modum mysticæ horum munerum significationes Patribus etiam antiquissimis placent, Irenæo lib. III, c. 10; Tertulliano adv. Judæos cap. 9; Nazianzeno orat. 38; Hieronymo, Ambrosio, Fulgentio, etc. Sed copiose omnino atque eleganter de his A. noster.

(52). Deuteron., XVII, 16 : « Cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini. »

(53). Exprimere omnino voluit Gregorii locum hom. 10 in Evang. : « Regio quippe nostra paradisus est, ad quam, Jesu cognito, redire per viam qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra, superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus : sed ad eam necesse est, ut flendo, obediendo... redeamus. » Vid. Ambrosium, l. all.; Fulgentium serm. 5; Chrysologum serm. 158, 159, etc.

(54) Est homilia Emiseno inscripta, *in nativitate Innocentium*, pag. 23, adjectis nonnullis in principio et in fine.

(55) Vide de hac quæstione Augustinum, l. II De consens. evang., cap. 8; ex recentioribus Jansenium, cap. 11, Maldonatum, a Lapide, etc

Digitized by Google

tenebris lucem videret. *Qui consurgens accepit puerum, et matrem ejus nocte, et recessit in Ægyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis.* Ecce fugit Christus, et in nocte fugit, ut fuga, quæ per se difficilis est, noctis obscuritate difficilior fiat. Si ergo Christus fugit Herodem, quanto magis nos diabolum, et membra ejus fugere oportet? Nulla itineris difficultate terreamur, quia melius est duro labore fatigari, quam ab hostibus necari : arcta enim et angusta via est, quæ ducit ad vitam. Verumtamen nec semper est fugiendum, nec semper est resistendum : sed pro temporis et negotii qualitate, et hoc, et illud fieri oportet. Nam et sancti aliquando fugiebant, aliquando hostibus sponte occurrebant. Ipse quoque Salvator noster, qui nos de civitate in civitatem fugere præcepit, cum et ipse, si vellet, fugere potuisset, sponte sua tempore passionis hostibus occurrit (56). Non igitur timore mortis, si justam et utilem 12 fore putamus, sed timore peccandi et visibiles et invisibiles hostes fugere debemus. Quare autem Christus in Ægyptum fugerit, evangelista subinferens ait : *Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum :* si enim in Ægyptum non isset, ex Ægypto vocari non potuisset. Sic igitur impleta est prophetia, et utilitas prophetiæ. *Tunc Herodes videns, quod illusus esset a Magis, iratus est valde : et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.* Quoniam enim Herodes prophetarum oraculo in Bethlehem nasciturum Christum audierat. Ideo omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus occidit, ut quia unum invenire non poterat, unum simul cum cæteris interficeret. Sed quare a bimatu et infra? Quia secundum Magorum responsionem (57), Christum hujus ætatis esse sciebat. Præoccupatus enim aliis negotiis, cum jam pene duo anni transissent, et Magi ad eum non reverterentur, se illusum esse intelligens, valde iratus, omnes hos pueros occidere jussit. *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.* Rama enim interpretatur *excelsa* (58). Illa igitur vox auditur in Rama, quæ multum exaltata præ sua magnitudine longe, lateque diffunditur. Multus enim ploratus multusque ululatus ibi erat, ubi tot matres, tot parentes, tot homines utriusque sexus, visa tanta crudelitate, etiamsi vellent, voces cohibere non poterant. Quare autem Rachel filios suos plorare dicitur, cum utique non filii Rachel, quantum ad litteram, sed filii Liæ sororis ejus omnes isti fuerunt? Judas enim non Rachel, sed Liæ filius fuit, in cujus tribu hæc cædes tam immensa facta est. Sed quia Rachel interpretatur *ovis*, et significat sanctam Ecclesiam, quæ ovinam simplicitatem imitatur, non immerito filii Rachel esse dicuntur, qui quasi agni innocentes et sine voce, jugulantur. Denique cujus filii sunt agni? nonne ovis? Sunt igitur filii Rachel. Si quidem illa est ovis, et isti agni. Plorat autem Rachel, id est, sancta Ecclesia usque hodie filios suos, quia quamvis ad requiem eos ire intelligat; dolet tamen, quia corporaliter ab ea separantur. Sic autem dolebant et illi, quibus Dominus ait : « Et vos nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum (*Joan.* xvi, 22). » Et quamvis multo melius quam fuerant sint (si quidem jam nunc cum Deo sunt), ad tempus tamen consolationem non recipit, quoniam in hac vita non sunt.

V. (59) *Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum, et matrem ejus, et venit in terram Israel.* Plana sunt hæc : si exponantur, difficiliora reddi possunt. Quod enim in patriam suam revertitur Jesus, nos quoque in patriam nostram festinare admonet. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit ille ire.* Judæam enim Jerusalem dicit, et ea quæ a tribu Juda in circuitu possidebantur. Divisum igitur erat regnum, et jam a pluribus regebatur (60). *Et admonitus in somnis secessit in partes Galilææ; et veniens habitavit in civitate quæ vocatur*

(56) Vera sententia, quam voce et exemplis DD. Ecclesia et SS. viri tradiderunt. V. Aug. epist. 228, ad Honoratum; S. Gregorium lib. xxxi Moral., cap. 28. Ante hos S. Cyprianus ep. 56, ad Thibarit., et S. Athanasius in Apolog. de fug. Idem quod docuerunt, et præstiterunt, contra quam scripsit Tertullianus jam Montanista (ut S. Hieronymus in Catal. observat.) in lib. de fuga in persecut.

(57) Variæ sunt de hoc AA. sententiæ quas exponit Jansenius cap. 11 Concord., et interpretes passim : hæc auctoris nostri est apud Jansenium ordine tertia. Vide etiam Menochium, De vit. Chr., lib. i, cap. 14, n. 6.

(58) De hoc Jeremiæ loco disputant fuse interpretes. Hieronymus non modo ita interpretatur vocem *Rama* sed nomen appellativum hic esse putat : « Quod autem dicitur in Rama, non putemus loci nomen esse juxta Gabaa; sed Rama *excelsum* interpretatur; ut sit sensus : Vox in excelso audita est, id est longe lateque dispersa. » A. imperfect. « Quoniam de morte vox Innocentium mittebatur in cœlum, ideo audiebatur in excelso. » In diversam sententiam abiit Maldonatus.

(59) Matth. ii, 19. Legitur hoc evangelium in vigilia Epiphaniæ, ut etiam in postrema ora codicis adnotatum est. In illud est sermo S. Brunonis a Marchesio tomo XX B. PP., pag. 1780, editus.

(60) Ex Josepho Antiq. xvii, 10, edocemur Herodem morti proximum, prius quod scripserat testamentum mutasse, et regnum suum divisisse, ita ut Herodem Antipam, quem prioribus tabulis regni successorem destinaverat, Galilææ ac Perææ tetrarcham constituerit; regnum Archelao reliquerit, Philippo filio Gauloniticam, Thraconiticam, Batanæam et Paneada Tetrarchiæ nomine assignaverit. Cum vero, Herodis etiam voluntate, accedere deberet Augusti consensus, et ad eum Archelaus navigasset; tandem Aug. Archelaum non quidem regis titulo or-

Digitized by Google

Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam : Quoniam Nazaræus vocabitur. Nazarenus enim dictus est Christus a Nazareth : Nazaræus vero (61), **13** quia Deo ab infantia consecratus est. Verumtamen cum et Nazaræus interpretetur *mundus*, et Nazareth *munditiæ*, non incongrue et Nazaræus et Nazarenus a Nazareth dici possunt. A quo enim, nisi a munditiis, derivatur mundus? Bene autem Nazaræus dicitur Christus, quia non solum ipse est mundus, verum etiam sine ipso nihil est mundum.

VI. [Cap. III.] *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* In diebus, inquit, illis, quibus in Nazareth Jesus habitabat ; non autem in illis, quibus de Ægypto reversus fuerat, cœpit prædicare Joannes Baptista : Dicit enim Lucas evangelista quod quinto decimo anno Tiberii Cæsaris Joannes prædicare cœpit (62). Sed ubi prædicabat? *In deserto Judææ ;* et quid dicebat? *Pœnitentiam agite.* Quare hoc? quia *appropinquavit regnum cœlorum.* Videmus igitur quia desertum Judæa vocatur : hoc enim ipse Dominus significans ait : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* xxii, 58) (63). » Desertum enim non est hominum habitatio, sed est ferarum et animalium ratione carentium. Si enim rationem Judæi habuissent, Dominum suum non occidissent. At vero nisi feræ essent ; leones, dracones, canes, et unicornes non dicerentur. In deserto igitur Joannes prædicabat, quia feras, et belluas ad fidem vocabat. Dicebat autem ; *pœnitentiam agite*, ut a peccatis soluti a terreno regno, in regnum cœlorum transferamini. *Appropinquavit enim regnum cœlorum*, quia vobiscum, et inter vos habitat Rex angelorum. Agite igitur pœnitentiam ; mundamini a peccatis, ut hujus tanti Regis, et regnum et populus esse possitis. Sed quis est iste Joannes qui tam bene prædicat? Hic enim est ille de quo dictum est per Isaiam prophetam dicentem : « Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini ; rectas facite semitas ejus (*Isai.* xl, 3). » Vox enim vocatur Joannes, quia Verbum vocatur Christus (64). Sicut enim Joannes præcedit Christum, ita vox præcedit verbum : statim enim ut ex ore loquentis sonus qualiscunque procedit, vox est : verbum autem nondum est ; quia omne verbum significat aliquid. Præcedit igitur vox, sequitur verbum ; merito ergo præcursor Domini Joannes vocatur, quoniam et nascendo, et prædicando, et moriendo, et ipsa sui nominis appellatione, Christum præcedit. Denique Verbum Dei, quod in pectore meo est, nisi vocis indumento, neque intelligi, neque ad te transire potest. Sic igitur Verbum Dei nec indiget indumento vocis ut intelligatur, quomodo prius indigebat indumento carnis ut videretur. Unde et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quid est autem viam Domini parare, et semitas ejus rectas facere, nisi virtutes et bona opera diligere, tenere, sequi, et totis viribus amplecti? *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos : esca autem ejus erat locusta, et mel silvestre.* In hoc enim beatus Joannes apertissime demonstrat quam pro nihilo mundum istum omnesque ejus blanditias duceret, qui tam vilissimo indumento ciboque utebatur : sola enim vitæ hujus necessaria quærebat, qui sic vivere disposuerat. Hujus enim exemplum illi sequuntur qui dicunt : Habentes victum et vestitum, his contenti simus (65). Præterea quia pœnitentiam prædicabat ; qualiter pœnitentes vivere debeant, eis in seipso regulam dabat. Locusta autem mundum animal est, et lege non prohibetur ; etsi ejusmodi cibus modo in usu (66) non habeatur. *Tunc exibat ad eum Hierosolyma, et omnis Judæa ; et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis ; progenies viperarum quis demonstravit vobis fugere a futura ira* (67)? Viperarum enim hæc natura dicitur esse (68), ut quando femina concipit, masculum interficiat, quando vero parit, ipsa nihilominus a filiis occidatur ; neque enim exspectant, ut assueto naturæ ordine oriantur, sed rupto matris utero violenter foras erumpunt. Vipera igitur Synagoga est (69), quæ virum suum

navit, dimidiam tamen partem ditionis quæ Herodis fuerat, et concessit, et ethnarcham constituit ; pollicitus, regem se eum renuntiaturum, si convenientem regi virtutem præstaret. Obtigit autem illi Judæa et Idumæa, et præter has, Samaria, comprehensis in ea urbibus, Stratonis turris, Sebaste, Joppe, Hierosolyma : Gazam, Gadaram et Hippon Græcanici instituti urbes Aug. a regno separatas, Syriæ contribuit. Alterum Herodianæ ditionis dimidium, in alios duos Herodis filios partitus est Aug. Herodi Antipæ Galilæa cessit et Peræa : Philippo Batanæa cum Thraconitide ; et Auranitis cum parte quadam Zenodori domus. Ita Josephus cap. 11, n. 4. V. Aug. De consens. ev. l. II, c. 7, 8.

(61) Hieronymus ab h. l. : « Nazaræus *sanctus* interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat. »

(62) Idem admonent Chrysostomus hom. 10, et cæteri passim interpretes.

(63) Beda ad h. l. : « In deserto Judææ dicit, quia sicut illis ante prophetatum est ; ecce relinquetur domus vestra deserta, sic in diebus Joannis ex multa parte fuit Judæa deserta.... mystice autem Jo. significat Salvatorem qui prædicabat desertæ Judææ, id est propter transgressionem legis a Deo derelictæ. » Eamdem mysticam significationem exhibuerat S. Ambrosius lib. II, ad cap. 3. Luc. desertam dici volens « quia nullis adhuc convenæ plebis operibus colebatur. » Sic A. Imperfecti hom. 3, etc.

(64) Ita Beda, « Vox nominatus, quia verbum præcedebat. » V. Aug. Imperfecti.

(65) I Tim. VI, 8. « Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus. »

(66) V. Bochartum De animal. fac. Script. pag. 1, lib. I, cap. 5. Chrysostomus de victu et vestitu Jo. agit hom. 10, S. Ambrosius l. III. In Luc. I.

(67) *A ventura ira* Vulg. *ab ira ventura* Ital.

(68) Hac de re A. Imperfecti hom. 3, et Beda ad h. l.

(69) De Pharisæis et Sadducæis Beda interpretatur.

Digitized by Google

Salvatorem nostrum, nam et ipse serpens vocatur (70), postquam ad eam venit, postquam eam suo semine impregnavit, totamque evangelicæ prædicationis sementem in eam effudit, illa sicut vipera, sicut venenosa et impia contra eum assurgens, eum 14 interfecit. Hujus autem filii isti sunt, qui matris nequitiam fugientes, ad pœnitentiam veniunt, et de ipsius impio ventre exire nituntur. Hujus filii et Apostoli fuerunt (71), qui exstincta matre, ex ejus utero progredientes, ubique terrarum Evangelium prædicaverunt. Ex hoc autem utero et Apostolus lætabundus egrediens ait : « Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, » et cætera (*Galat.* I, 15). Et isti quidem Synagogam occiderunt, quia perpetuæ morti eam damnaverunt. Sic igitur ex impia matre boni filii oriuntur; quibus nunc dicitur : *progenies viperarum;* sed jam nunc dissimiles a natura viperarum, quis demonstravit vobis fugere a futura ira? *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ :* illa enim pœnitentia sine fructu est, quæ in nullo bono opere se manifestat, qualis est. Sicut enim bonæ arbores commendantur fructu, ita et digne pœnitentes bonis operibus commendantur. Quis enim eum pœnitere dicat, qui adhuc id ipsum agit, unde se pœnitere dissimulat (72)? *Et ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham*, talis enim cogitatio falsam securitatem et inutilem parit. Non enim sufficit vobis quod Abrahæ filii estis, nisi Abrahæ opera faciatis, et ejus fidem teneatis. *Dico enim vobis, quoniam potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Unde manifestum est quod filii Abrahæ non secundum carnem (73), sed secundum fidem dicuntur. Si enim secundum carnem dicerentur, qui ex ejus carne non essent, ejus filii dici non possent. Suscitantur autem de lapidibus filii Abrahæ, (74) quia gentiles prius lapidei, duri, et infructuosi Abrahæ filii facti sunt, ejus fidem, et opera imitantes. *Jam enim securis ad radicem arboris posita est :* securis Christus (75) arbor synagoga : prope est igitur ut succidatur, cui ad radicem jam securis posita est. Exspectat tamen adhuc, ut videat si fecerit fructum bonum. Hoc enim ficus illa significavit (76), cui Dominus maledixit, quoniam fructum non habebat, et aruit. Qui igitur toti arbori non pepercit, quomodo uni ex ramis parcet? Ne dicas itaque intra te; filius sum Abrahæ : sed fac illius opera, ne ab ejus radice simul cum cæteris succidaris. *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Quid enim arbor, quid fructus, et quid ignis iste significet, manifestum est. De hoc enim igne dicitur : « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (*Isai.* LXIV). » — *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam. Qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calciamenta* (77) *portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni.* (78) Aqua enim tantum baptizabat beatus Joannes, quia ejus baptismus carnem a sordibus lavare poterat; animam vero a peccatis mundare non poterat. Erat enim hic umbra, et figura melioris baptismi. Baptizabat autem *in pœnitentiam*, id est, ad hoc ut agerent pœnitentiam, ut sicut ipse aqua eos lavabat exterius, ita ipsi se pœnitentia lavarent interius, ut mox Christo veniente, ad ejus baptismum suscipiendum essent parati. Quæ sunt autem calciamenta Christi, quæ se vir sanctus portare indignum esse dicit? Christi enim calciamenta portare est ejus Incarnationis mysteria prædicare : Quodammodo enim se divinitas calciamentis induit, quoniam nostræ carnis morticinum Dei Filius suscepit. Cum enim cætera indumenta ex alia et alia materia habeamus, calciamenta tamen non nisi carnea, et de carne suscepta habemus. Baptizabat autem Christus in Spiritu sancto, et igni, id est, in virtute Spiritus sancti, qua peccata simul tolluntur et uruntur. Una enim eademque virtus est et Patris, et Filii, et Spiritus sancti; sed quia Spiritus sanctus ab utroque procedit, bene in Spiritu sancto Dominus Jesus baptizare dicitur; quia in hac una persona virtus totius Trinitatis breviter ostenditur. Ipse enim qui ait, « nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto (*Joan.* III, 5); » idem ipse dixit, « baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). » Si igitur beatus Joannes dixisset, ipse vos baptizabit in se ipso, quando dixit : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto;* obscurum quidem esset, ad ipsum tamen significaret. Similiter autem si dixisset : ipse vos baptizabit in Patre : et hoc iterum esset obscurum, quamvis omnium trium sit una operatio. Bene itaque dixit, *ipse vos baptizabit in Spiritu sancto*, id est, in ea virtute quæ communis est Patris, et Filii, et Spiritus sancti (79). Sequitur : *Cujus ventilabrum in manu sua et permundabit aream*

(70) Vid. Num. XXI, Jo. III, 14, et ea loca interpretes.

(71) In bonam partem accipit et Ambrosius l. all.

(72) De pœnitentia hujusmodi Chrysostomus ad h. l. hom. 10.

(73) Vid. Paulum ad Roman. cap. II, III, etc.

(74) Est hæc aliorum explicatio apud Chrysostomum l. all., præterea Hieronymi, Ambrosii, A. Imperfecti, Beda, etc.

(75) Hieronymo *securis* est prædicatio Evangelii.

(76) Huc idem transfert Ambrosius l. all.

(77) *Calciamenta* habet Cyprianus l. I Testimon. et mss. cod. apud Sabatier. V. ap. Hieronymum et Bedam hunc locum. V. etiam Ducangium in Gloss. V. *Calcia, Calciare*, etc.

(78) V. Dissert. Calmet ante comm. in Marc. de Baptismo nr. 2, qui est *De baptismate Joannis.*

(79) Verba *ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igne* explicat Hieronymus, « sive quia ignis est Spiritus sanctus, sive quia in præsenti, spiritu baptizamur, et in futuro, igne. » Chrysostomus *baptizare Spiritu sancto* interpretatur de gratiæ largitate, commemorationem ignis adjici putat ad gratiæ energiam exprimendam. Beda exponit de gratia et remissione peccatorum, sive igne tribulationum. Alii aliter.

Digitized by Google

15 *suam; et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quis enim per ventilabrum, quo grana a paleis dividuntur, nisi ejus discretionis libram, et examen (80)? quid vero per aream, nisi Ecclesiam? quid per triticum, nisi bonos? quid per paleas, nisi malos? quid per horreum, nisi patriam cœlestem? Postquam igitur Salvator noster suæ discretionis examine bonos a malis, et agnos ab hædis separabit, tota sancta Ecclesia iniquorum consortio libera, et emundata, tunc bonos ad regnum invitabit dicens : *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Paleis autem, id est, iniquis quid dicet? *Ite maledicti in ignem æternum. Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.* Quod enim ait *tunc* (81), intelligendum est, quando Joannes talia prædicabat, et baptizabat, non autem quando prædicare cœperat : jam enim tricesimum annum uterque intraverat, quando ad baptismum Dominus venerat. Baptizatur autem Jesus non sibi, sed nobis (82). Lavat aquas, et sanctificat suo tactu, non ipse lavatur ab aquis. Ibi vetus circumcisio periit : ibi novæ fidei innovatio cœpit. Ibi primum Joannes baptizare didicit, ubi totius Trinitatis mysteria cognovit, audivit, et vidit. Territus tunc Joannes, et ad Dominum accedere contremiscens, prohibebat eum dicens : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Respondens autem Jesus dixit : *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Tu, inquit, major es, tu Dominus es; ego minor et servus; me oportet minui, te autem crescere. Quid est ergo quod tu venis ad me? ego potius debui ire ad te. Tu mundus es, et omnia mundas : non tu a me, sed ego a te et mundari, et baptizari debeo. At ille : *Sine modo;* mysterium est quod ago, dum ego baptizor, tu quoque in me baptizaris, quia membrum es illius, qui baptizatur. *Sic enim decet nos implere omnem justitiam*, veteribus finem, et terminum ponentes, novis autem exemplum et regulam dantes. *Tunc dimisit eum.* Quid est, dimisit eum? non ulterius restitit, non ulterius contradixit, quin immo acquievit, et eum secundum suam voluntatem facere permisit (83). *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se : et ecce vox de cœlis dicens : hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quid est A enim quod baptizato Domino cœli aperiuntur? Magnum est hoc mysterium, magnamque his, qui baptizantur, lætitiam præfigurat. Clausum erat prius, nemo illuc ante baptismum ingrediebatur : nunc autem apertum est : sed baptizatis est apertum. Sic enim ipse Dominus ait (*Joan.* III, 5) : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum (84). » Vidit autem Spiritum Dei descendentem sicut columbam, non quod Spiritus sanctus in columba incarnatus sit; solus enim Filius est incarnatus; sed quod in columba Spiritus Dei se ostendere voluit. Nam et in nobis est Spiritus sanctus : hoc enim Apostolus dicit (*I Cor.* III, 16) : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus (85) habitat in vobis; » non tamen Spiritus sanB ctus incarnatur in nobis. Vox autem illa, quæ de cœlis audita est, cujus nisi Patris fuit? Quis enim alius dicere potuit; *hic est filius meus dilectus?* Verumtamen qualiter ab invisibili et incorporeo vox corporea, sensibilisque procedat, solvat qui potest. Complacet autem sibi Deus Pater in Filio suo dilecto, quod talem ante tempora ineffabiliter, et sine initio filium genuit. Sic enim, si dicere dignum est, et nos nobis placemus in operibus nostris, quando aliquid agimus, quod laude dignum esse videatur. Apertissime autem hoc in loco Trinitas ostenditur, iniquo personaliter tota sentitur; siquidem Filius in homine, Spiritus sanctus in columba, et Pater in suæ vocis testimonio declaratur (86).

C VII. [CAP. IV.] *Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.* Præcipui Ecclesiæ sancti doctores Dominum Jesum in desertum a suo spiritu ductum esse exponunt (87) : quem si ab alio quoque spiritu ductum fuisse exposuissent, non esset inconveniens, cum Lucas Evangelista eum in Jerusalem, et in **16** montem excelsum valde a diabolo non assumptum, sed ductum apertissime dicat. Quod si ibi, et ibi ab alio spiritu ductum esse non est inconveniens; quare in desertum quoque ab alio spiritu eum ductum fuisse inconveniens videatur (88)? Sed sive a suo, sive ab alio ductus fuerit, considerandum est, quare se a diabolo tentari permiserit. Nihil enim sine utilitate D et ratione facit Salvator noster : et ibi maxime rationem quærere debemus, ubi ipse aliquid agit (si tamen tale aliquid agit), quod suæ majestatis videatur esse indignum : quis enim audire non horreat,

(80) De futuro judicio et æterno supplicio vel præmio explicat etiam Hieronymus, Ambrosius, et Beda; de tentationibus et calamitatibus vitæ hujus A. Imperfecti hom. 3.

(81) Bedam ad h. l. et Jansenium cap. 14.

(82) « Triplicem ob causam, ait Hieronymus ad h. l., Salvator a Jo. accepit baptismum, 1° ut quia homo natus erat, omnem justitiam et humilitatem legis impleret. 2. ut baptismate suo, Jo. baptisma comprobaret. 3. ut Jordanis aquas sanctificans, per descensionem columbæ, Spiritus sanctus in lavacro credentium monstraret adventum. » Ita ferme et Beda. V. Maldonatum, Jansenium, etc.

(83) Hinc initium sumit homilia Emiseni Dom. 1. in Quadrag., pag. 52. Sequentes omnes homiliæ non Emisenum, ut pluries diximus, sed S. Brunonem Astensem auctorem habuerunt.

(84) De baptismi effectu hoc explicat eodem modo Chrysostomus et Beda.

(85) *Spiritus Dei* Vulg.

(86) « Mysterium Trinitatis in baptismate demonstratur : Dominus baptizatur; Spiritus descendit.... Patris vox auditur, » Hieronym.

(87) Hieron., « Haud dubium quin a S. Spiritu. » Ita Chrysostom., Gregorius, hom. 16 in Ev., Beda, etc. V. Maldonatum.

(88) V. Calmet ad h. l.

Digitized by Google

quod virtus a diabolo vel ducatur, vel tentetur? Verumtamen vel sua sponte ducitur, imo se jubente ducitur (ejus enim velle jubere est), non est hoc tantum horrendum, quantum quid significet mirandum et quærendum. Quis enim nesciat Pilatum et Judæos qui eum occiderunt, non solum membra diaboli, sed ejus quoque servos fuisse? Et quidem major nobis injuria videtur esse ea, quam a servis alicujus hominis patimur, quam si ab ipso eorum domino eam pateremur. Unde non magis horrendum est quod Salvator noster a diabolo ducitur, et tentatur, quam quod a Judæis occiditur et flagellatur. Sicut enim Christus occiditur non sibi, sed nobis; ita etiam tentatur non sibi, sed nobis. Nobis enim mortuus est, quia nobis ejus mors necessaria erat : nisi enim ipse moreretur, nos non viveremus : mortuus igitur est, ut nos vivamus. Similiter autem nobis tentatus est; quia ejus tentatio duplex nobis beneficium probat. Alterum quidem ut sciamus quomodo tentatoribus nostris, et his qui nobis injuriam faciunt, respondere debeamus. Alterum vero ut in nulla nostra virtute, vel sapientia confidamus; quoniam inimicus noster diabolus, qui ipsum Dominum nostrum tentare præsumpsit, tanquam leo rugiens semper circuit quærens quem devoret (89). Reddita igitur causa tentationis, videamus et mysterium significationis. Cum enim multis modis diabolus homines tentet, maxime tamen his tribus eos tentando aggreditur : id est aut ciborum appetitu, aut vana gloria, aut honoris et divitiarum sublimitate. Nititur autem eos quos tentat, ad excelsa ducere, et in altum elevare, ut sicut ipse elevatus cecidit, sic et alios exaltando ruere faciat. Ipse enim est qui ait (90) : « In cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, et similis ero Altissimo. » Alios itaque in desertum ducit (91) : alios supra templi pinnaculum ponit : alios vero in montem excelsum exaltat. Et in desertum quidem ducit : quando ab amore cœlestis patriæ, et a divina contemplatione mentes hominum avertit, et terrena quæque, et transitoria cogitare facit : desertum enim est quidquid a Deo longe est. Sed quod cogitare non magnum peccatum est, nisi cogitationi delectatio succedat, opponit menti diversas ciborum delicias, ut sicut primum hominem decepit per gulæ intemperantiam, sic cæteros quoque decipiat. In pane enim omnia ciborum genera significantur, secundum illud (92) : *Intravit Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem.* Quando igitur hæc tibi in mentem venerint, et oblitus eorum quæ animæ sunt, sola ea quibus caro delectatur, inpinguatur et superbit, cogitare cœperis, recordare, quia in deserto es, tentat te inimicus, et panes suos tibi apponit. Responde itaque, sicut Dominus tuus respondit, quando ipse quoque ab eo tentabatur : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Pane enim nutritur corpus, verbo Dei reficitur anima (93). Utrumque ergo bonum est : alterum tamen nimium appetere, multumque delectabilem quærere, et in suscipiendo temperantiam non habere, malum est. Ex hoc enim luxuria omnisque carnis petulantia nascitur. Propter hoc et dives ille qui epulabatur quotidie splendide, quia susceperat bona in vita sua, omnia mala nunc patitur post mortem suam. Videamus modo de illis quos supra pinnaculum templi diabolus statuit, in quibus mihi clericorum ordo maxime significari videtur (94). Illi enim a diabolo supra pinnaculum templi elevantur, qui dum se idoneos esse putant, qui Ecclesiam Dei regere possint, et pretio, et precibus, et quibuscunque modis possunt, Ecclesiæ prælati et episcopi fieri nituntur. Neque enim se aliter Christus illuc a diabolo duci pateretur, nisi quia tales Christianos suo nomine præsignitos in hoc facto significare volebat. Et bene quidem tunc omnium personas, bonorum scilicet et malorum in se significando suscepit, quando se a diabolo tentari permisit. Quod autem ait, *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*, quid aliud nisi hoc dicere videtur : Jam inter filios Dei computatus es, jam episcopus ordinatus es, jam ab his qui te non cognoscunt videris esse quod non es. Fac igitur aliquid unde lauderis, unde gloriosus habearis, et unde magnus ab hominibus videaris. *Mitte te deorsum.* Semper enim hi tales se deorsum mittunt, quia solas divitias, gloriam et dignitates quærentes quotidie deteriores fiunt; et hos tamen benignissimus Dominus docere non dedignatur, quomodo suo tentatori respondere debeant; si tamen non diabolum tentantem, sed se salutaria consilia dantem audire velint. Ait enim : *Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum.* Hoc enim Dominus respondit, quando diabolus eum duxit supra pinnaculum templi, et quando ei dixit; *si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Similiter igitur et tu quia intelligis te supra Ecclesiam Dei male ordinatum; et non a Deo, sed a diabolo ibi positum, cæterisque prælatum : qui tibi etiam quotidie dicit, mitte te deorsum, et te quotidie præcipitare, et perdere nititur; recordare hujus testimonii, quod non diabolo, sed tibi et omnibus hominibus a Domino dicitur. Responde igitur : Non tibi credam, non me deorsum mittam; sed obediam Scripturæ mihi dicenti : *non tentabis Dominum Deum tuum.* Quomodo enim Dominum non tentat qui Ecclesiam, quam furtim et per latrocinium

(89) V. Chrysostom. hom. 13, et ex recentioribus Corn. a Lap.

(90) Isai. XIV, 13 : « In cœlum conscendam, » etc.

(91) V. S. Gregorium, lib. XIV Moral., cap. 7; Ambrosium l. III in Luc.; Chrysost. hom. 13; A. Imperf. hom. 5.

(92) Luc. XIV, 1 : « Et factum est cum intraret, » etc. V. Calmet ad h. l. Lucæ.

(93) « Si quis ergo non vescitur verbo Dei, iste non vivit; » ut colligit hinc Hier. De his J. C. tentationibus, S. Leo ser. 3 de Quadrag. Ambrosius lib. I De Cain et Abel, cap. 5, etc.

(94) Elegans et notabilis maxime locus.

Digitized by Google

invasit, contra canonum instituta, et Dei voluntatem tenet, et possidet? Multum enim Deum tentat qui in eo peccato perseverat, quo se perire non dubitat. His autem ita dispositis, nunc de illis quoque videamus, qui supra montem excelsum valde a diabolo ducuntur, quibus etiam omnia regna mundi, et eorum gloriam ostendit, et ostensa promittit, si eum procidentes adorent. Quos enim alios per istos intelligamus, nisi imperatores, reges, duces, principes, cæterosque sæculi hujus potentes (95), quos in montem excelsum, id est in ipsarum dignitatum sublimitatem per homicidia, perjuria, furta, rapinas, proditiones, fraudes, et cætera hujusmodi diabolus ducit et exaltat? Et isti quidem eum adorant, eum colunt et venerantur; eum quasi Deum sequuntur, et post eum in tenebras demerguntur : neque enim audiunt hoc quod dicit Dominus Jesus. *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Quia igitur dictum est de his qui in desertum ducuntur, et de his qui supra pinnaculum templi constituuntur, et de illis qui supra montem excelsum valde exaltantur. Nunc ad principium redeamus, et quare Salvator noster quadraginta diebus, et quadraginta noctibus jejunaverit exponamus (96). Quæri enim potest quare neque plus, neque minus jejunaverit; et quare sibi hoc dierum numero jejunare placuerit. Tantum enim Moysen, tantum et Eliam jejunasse legimus (97). Quadragenarius enim numerus ex quatuor constat, et decem : quatuor enim decem, vel decies quatuor quadraginta fiunt. Per quatuor autem novum Testamentum significatur, quoniam in quatuor evangeliis consistit. Per decem vero significatur vetus, qui in decem mandatis legis continetur. Quadraginta ergo diebus jejunare est utriusque testamenti præcepta servare. Quadraginta enim diebus jejunat, qui ab illis omnibus se immunem et jejunium custodit, quæ utrumque Testamentum facere interdicit : ut sicut caro exterius jejunat a cibis, ita et mens interius jejunet a vitiis. Dicit enim Scriptura : Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, et similia. Ili sunt illi cibi a quibus utrumque testamentum præcipit abstinere. Qui ergo carnem jejuniis macerat, nisi ab istis cibis se interius jejunium custodiat, non bene jejunat. Jejunemus igitur carne, jejunemus et mente. Noti nobis sunt illi cibi, a quibus abstinere debeamus. Jejunavit itaque Dominus Jesus quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, quatenus in ciborum jejunio significaret nobis jejunium corporis, et in dierum numero demonstraret jejunium cordis.

VIII. (98) *Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam : et relicta civitate Nazareth, venit, et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephtalim : ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : Terra Zabulon et Nephthalim via maris trans Jordanem Galilææ gentium, populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Manifestum est igitur, quia non alicujus rei timore sesessit Dominus in Galilæam, relicta civitate sua Nazareth, sed ut prophetia compleretur, quæ in fines Zabulon, et Nephtalim eum venturum esse prædixerat. Sic enim ait Isaias (*Isai.* IX, 1). « Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthalim. » Sed quare primo tempore? quia statim in suæ prædicationis **18** initio, et antiquam apostolos elegisset veniens illuc, Petrum et Andræam, Jacobum et Joannem de piscatione vocavit, et eis ut post se venirent, imperavit. Sic igitur primo tempore suorum pondere peccatorum terra Zabulon, et terra Nephthalim alleviata est (99). Quæ ideo quidem *via maris* dicitur, quia portuosa erat, et naufragiis dedita (100). Unde et Jacob in benedictionibus ait (101): « Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem. » Sed quare in Galilæam secessisse dicitur? cum Lucas evangelista Nazareth in Galilæa esse ostendat, dicens : « Missus est Gabriel angelus a Deo in Galilææ civitatem, quæ vocatur Nazareth (*Luc.* I, 26). » In hoc quoque Evangelio superius legitur, quod Joseph admonitus in somnis « venit in partes Galilææ, et habitavit in civitate Nazareth (*Matth.* II, 22). » Per quod datur intelligi quod Nazareth non in plena provincia Galilææ, sed in extremis finibus sita sit (102). Secessit igitur in Galilæam, id est, in ipsius provinciæ plenitudinem. Gentium autem illarum populus, qui ibi in tenebris sedebat, et lumen veritatis non habebat quia legem spiritualiter non intelligebat, tunc vidit lucem magnam. Vere utique magnam; ipsa est enim, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quam qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Illi enim sub umbra mortis sedent, qui vitæ arborem ignoræ pag. 199, hoc num. 8 et seq. 9.

(95) Ita sanctus quoque Gregorius, lib. XVIII Moral. cap. 36, et lib. XXX, cap. 26.

(96) Hac de re fuse Cornelius a Lapide, aliique interpretes. Vid. S. Jo. Chrisost. hom. 1 in Genes. n. 3.

(97) Vid. ap. S. Basilium in homil. de XL Martyribus eorum orationem. S. Aug. serm. 51, n. 32, ser. 125, n. 9; serm. 205, n. 1; serm. 264, n. 5; serm. 270, n. 3, etc. In libro etiam II De doctrina Christiana, cap. 16, numeri illius mysteria quædam exponit. Vid. S. Gregorium hom. 12 in Evang., n. 5. Scripsit de numerorum mysteriis Petrus Bongus.

(98) Est Emisceno homilia supposita in die S. Ana-

(99) Totidem ferme verbis prophetæ locum explicat S. Hieron., lib. III in Isai.

(100) Hieronym. ibid. « Mare hic lacum appellat Genesareth qui Jordane influente efficitur; in cujus littore Capharnaum et Tiberias et Bethsaida et Chorozaim sitæ sunt : in qua vel maxime regione Dominus commoratus est. »

(101) Genes. LIX 13. Vid. S. Ambros. De Benedict. patriarch. cap. 5.

(102) Vid. Hieron. De loc. Bonfrer. Onomast. Relandum Palest. pag. 905.

Digitized by Google

rant. Mala umbra, quæ sic refrigerat, ut occidat; sic obscura, ut penitus lumen tollat. His igitur nisi lux ista illuxisset, vita pariter, et lumine caruissent, quoniam et umbra lumen eis tollebat, et mors vitam eis auferebat. Venit igitur lux, venit Dominus Jesus, qui simul eos et illuminavit, et sanavit. Unde et subditur : *Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere ; pœnitentiam agite. appropinquavit enim regnum cœlorum.* His enim verbis Salvator noster suos auditores et illuminat, et sanat : Christi enim prædicatio et lumen, et vita est. Sed ubi est necessarium accendere lucem, nisi in tenebris? Quibus necessarium est dare medicinam, nisi infirmis? At vero anima quæ in peccatis est, et infirma, et sine lumine est. Huic igitur pœnitentia datur, cujus medicamine sanatur, et illuminatur. Bene autem a pœnitentia prædicare Dominus inchoat, qui mentes hominum infirmas, et errorum nebulis excæcatas, hoc uno, et singulari medicamine sanare, et illuminare venerat. Idipsum enim prædicationis exordium Joannes quoque Baptista suscepit. Nisi enim hæc medicina præcesserit, nullum aliud remedium est, quod infirmis mentibus valeat subvenire. Nam etsi parvuli pœnitere nesciant, fides tamen et pœnitentia eos offerentium, pro eis suscipitur.

IX. *Ambulans autem juxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus mittentes rete in mare, erant enim piscatores, et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi, relictis retibus, secuti sunt eum* (103). Ecce primos suos discipulos de mari Dominus vocat, quoniam multos alios per eos de hujus mundi fluctuosa amaritudine ad fidem vocare disposuerat. Ut quia de mari a Domino vocantur, ipsi quoque periclitantium animas de mundi hujus naufragio, et de vitiorum insurgentibus procellis liberare discant. Et sicut ipsi secundum carnem fratres erant, ita et cæteros fide, et dilectione fratres esse doceant. Omnes enim fratres sumus, qui ex una matre Ecclesia geniti, et unius patris filii sumus. Unde simul omnes dicimus : « Pater noster, qui es in cœlis (*Matth.* VI, 9). » Quia enim communis pater est omnium, communiter invocatur ab omnibus. Vocat autem Dominus piscatores, quoniam tales ei necessarii erant, qui aquis assueti, et piscandi, et baptizandi essent periti : ideoque non artem mutare eis præcipit, sed longe melioris piscationis, et alterius generis piscium eos piscatores fore promittit (104). Dicit eis, *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.* Nisi enim hominem pisces essent (105), piscatores hominum apostoli fieri non possent. Tales enim pisces digni sunt convivio Dei. Tales pisces in baptismatis fluvio natant. Tales pisces hamo fidei, sanctæ prædicationis retibus capiuntur. De mari igitur in mare transferuntur, quoniam de mari Galilææ in 19 hoc mare magnum et spatiosum mittuntur, ubi sunt reptilia quorum non est numerus : animalia pusilla, et magna, per quæ omnia genera hominum significantur. Sed quid est dicere, *venite post me ?* Post Christum namque ire, est ejus vestigia sequi, ejus opera imitari, ejusdem patientiam et humilitatem tenere. Neque enim sufficit nobis pedibus tantum ire post Jesum, nisi et mente, et dilectione eum sequamur. Operæ pretium autem est, considerare, quanta fuerit horum beatorum fratrum obedientia, qui statim relictis retibus secuti sunt eum. Unde non immerito Simon *obediens* (106), Andreas vero *respondens* (107) vel *decorus* interpretatur. *Et procedens inde, vidit alios duos fratres Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum reficientes retia, et vocavit eos. Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum.* Non minor autem in his, quam in illis aliis obedientia invenitur (108) ; quia ad unius jussionis vocem non solum retia, sed et patrem relinquentes, Christum Dominum secuti sunt. Et isti quidem sicut et illi non solum piscatores, verum etiam fratres erant. O felix militia, quæ ex fratribus colligitur, quibus omnibus est cor unum et anima una ; de quibus etiam per Prophetam dictum fuerat : « Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* XXXII, 1). » Quid est autem retia reficere, nisi sanctarum Scripturarum sententias hæreticorum violentia conscissas et depravatas sana intelligentia exponere et restaurare? Hæc enim quatuor Evangelia, quasi quatuor piscandi retia sunt. Similiter autem et quinque libri Moysi, omnesque prophetarum libri. Denique tot sunt retia, quot et volumina. His enim retibus Christiani capiuntur : his omnes fideles in Ecclesia colliguntur. « Ite, inquit Dominus, in universum mundum ; prædicate Evangelium omni creaturæ : qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 16). » Vides igitur piscatores, quibus dicitur : Ite in universum mundum, vides et retia, id est, Evangelium, de quo dicitur, prædicate Evangelium omni creaturæ : vides et flumina, in quibus pisces capiuntur, id est baptismum : vides et ipsos pisces, eos videlicet qui baptizantur, et credunt. Sequitur :

(103) De iterata horum vocatione Chrysost., hom. 14, et Beda.

(104) Atque hinc nimirum Chrysostomus homines traducere ad pietatem vocat σαγηνεύειν *sagena capere* et Gyrillo multitudo ad Deum nondum traducta τῶν ἐθνῶν ἡ πληθὺς ἀσαγήνευτος; *multitudo non capta sagena.*

(105) Notum est Christianos nuncupatos pisces, et pisciculos : quare Tertullianus. De bapt., cap. 1. Nos pisciculi secundum Jesum Christum nostrum in aqua nascimur; et tesseram Christianorum quamdam fuisse vocem ἰχθύς *piscis* tam multis insculptam veterum. Chistianorum Monumentis. Exstat cl. Anselmi Costadoni erudita dissertatio Italice scripta. De pisce J. C. symbolo.

(106) Vid. hic a Lapide.

(107) V. Andream de Sarrassey De gloria S. Andreæ c. 1, p. 5. Beda quoque interpretationem habet horum nominum.

(108) Fidem horum et obedientiam laudat Chrysost. hom. 14.

Digitized by Google

X. *Circuibat Jesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum et prædicans Evangelium regni Dei, et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo.* Hoc est enim quod superius exposuimus ; quia primo tempore non solum peccatorum onere, verum etiam ægritudine corporis alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthalim. *Et abiit opinio ejus in totam Syriam ; et obtulerunt ei omnes male habentes, et vexatos* (109) *variis languoribus, et tormentis comprehensos ; et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos.* Ecce quam subito manifestatur Christus : ecce quam subito ejus virtutis fama et opinio terram replet. Undique autem omnes infirmi et male se habentes ad eum deferuntur, et ipse ut verus medicus omnes interius et exterius curat infirmitates. Hoc enim propheta prædixerat dicens (110) : « Vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit. » — *Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæa, et de trans Jordane.*

XI. [Cap. V.] (111) *Videns autem Jesus turbas ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum, docebat eos dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quod enim in montem Christus ascendit magnum aliquid se locuturum esse significat. Ideo enim et propheta ait (112) : « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. » Ibi autem discipulos docet, quos majoris intelligentiæ esse sciebat. Sed quid dicit (113) ? *Beati pauperes spiritu.* Non dicit simpliciter beati pauperes ; quoniam nec omnes pauperes beati, nec omnes divites miseri sunt. Multos enim pauperes latrones, homicidas, adulteros, perjuros et proditores videmus : qui et in hac vita miseri sunt, et post hanc vitam infelices erunt. Divites autem plures fuisse legimus, qui in sancta conversatione Domino placuerunt. *Beati igitur pauperes spiritu,* sed non omni spiritu ; est enim spiritus bonus, est et spiritus malus. Sicut autem beati sunt, qui spiritu malo **20** pauperes sunt, sic etiam illi beati sunt qui spiritu bono divites sunt. Beati itaque pauperes spiritu, et beati divites spiritu. Est enim spiritus superbiæ, spiritus fornicationis, spiritus discordiæ, et multi alii spiritus sunt, quibus quicunque pauperes sunt, beati sunt. Beati sunt quoque qui spiritu sapientiæ, et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis, et spiritu timoris Domini divites A sunt. Sed quare beati ? *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Quid enim sunt mites, nisi patientes et humiles ? Perit enim omnis virtus sine patientia. Unde et Dominus ait : « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* xxi, 19). » Qui igitur impatiens est, nec animam suam, nec terram suam possidere potest. Quomodo enim animam suam possidet qui animi sui furorem et iram cohibere non valet ? Quomodo autem terram suam possidet, qui neque oculos ab illicito visu, neque aures ab illicito auditu, neque nares ab illicito odoratu, neque os ab illicito gustu, neque manus ab illicito tactu compescere valet ? Possumus tamen per hanc terram, terram viventium intelligere : ac per hoc non minus B possident mites, quam possident pauperes spiritu, quoniam cum illi cœlum, isti vero terram possideant, idem tamen per cœlum, et per terram significatur. Quando vero fidelibus suis Christus Dominus noster talia promittit, nonne tibi in monte, et in regia sublimitate sedere videtur ? Sequitur : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quid enim si pro amissione rerum temporalium lugeant ? Quid si pro illatis sibi injuriis lugeant ? Quosdam enim flere videmus, quoniam illatas sibi injurias vindicare non possunt : quas quidem quando vindicant, nequaquam tunc beati, sed miseri fiunt. Sic igitur dicatur : Beati qui lugent peccata, quæ fecerunt ; beati qui sua et aliorum peccata plorant. Sic enim Samuel flebat Saulem cunctis diebus vitæ C suæ (*I Reg.* xv, 35). Nam et David quia pœnituit, et flevit, beatus est ; ait enim : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* xli, 3). » Ipse quoque Salvator noster pro morte Lazari lacrymatus est (*Joann.* xi, 35). Videns etiam perituram Jerusalem flevit (*Luc.* xix, 41) de miseriis ejus. Flevit et apostolus Petrus, et beatitudinem non amisit. Beati igitur qui sic lugent, quoniam ipsi æterna lætitia consolabuntur. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Illi enim justitiam esuriunt, et sitiunt, qui sic in observanda justitia delectantur, ac si magnis epulis reficiantur. Unde et Psalmista ait : « Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore (*Psal.* cv, 3). » Hoc audiant reges D et principes ; hoc audiant potentes et judices ; hoc et nos audiamus, nos, inquam, episcopi et sacerdotes, hujus capituli semper memores simus, sine quo cætera capitula bene tractare nequimus. Sed nota, quia non solum illi qui faciunt justitiam, sed etiam

(109) In vulg. non habetur vexatos, nec habet antiqua Itala versio.

(110) Isai. liii, 4. Neque hunc Isaiæ locum ad hanc rem A. refert, sed Matthæus viii, 17 postquam indurationes narravit ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem : « Ipse infirmitates nostras accepit et ægrotationes nostras portavit. » V. a Lapide ad l. ls.

(111) Est homil. Emiseno attributa in natali plurimorum mart., pag. 217, præmissis nonnullis in textum num. præced.

(112) Isai. xl, 9 : De variis significationibus montis in Scriptura ; S. Gregorius, init. lib. xxxiii Moral. ; Vid. S. Ambros., lib. viii in Luc., cap. 4, S. Bernardum, hom. 1 in fest. om. SS. ; Proprius ad A. Hieronym. Dominus ad montana conscendit, ut turbas ad altiora secum trahat, et S. Ambrosius lib. v ad cap. vi Luc., ỳ. 17.

(113) De his S. Augustin. De serm. D. in mont. (t. III, part. II, Opp., ex recens. Maur.), S. Bernardus De divers. serm. 66, etc.

Digitized by Google

qui eam esuriunt et sitiunt ; id est qui eam facere concupiscunt, etsi non possint facere quod desiderant, tamen beati sunt, quia quantum in ipsis est, faciunt quod desiderant. Et isti quidem *saturabuntur*, quando omnia illorum desideria complebuntur ; sicut enim cibo saturatur corpus, ita suo desiderio saturatur anima. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Statim post justitiam misericordiam posuit. Unde et Psalmista ait : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* c, 1). » Bona est justitia ; bona est et misericordia. Habet illa suum locum ; habet et ista suum. Neque vero perit justitia, si in quibusdam causis misericordia temperetur. Est autem misericordia (114) quædam affectio animi, qua affligimur alienis malis ; cui invidia contraria est, per quam homo affligitur alienis bonis. Sive igitur in nos delinquentibus parcimus, sive miseris et indigentibus subvenimus, sive errantes ad viam veritatis reducimus, misericordia est. Qui autem misericordiam non habuerit, misericordiam non inveniet : « eadem enim mensura, qua mensi fuerimus, remetietur nobis (*Luc.* VI, 38). » Sequitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* — « Ex corde enim, ut Dominus ait, exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, perjuria, adulteria, falsa testimonia (*Matth.* XV, 19), » et similia ; hæc sunt quæ coinquinant hominem : tale autem cor mundum non est. Si enim mundum esset, totum hominem suo stercore non inquinaret. Illud igitur cor est mundum, ex quo talia non procedunt. Ideo et David rogat Dominum dicens : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (*Psal.* L, 11). » Si enim cor fuerit mundum a pravis cogitationibus, totus homo erit mundus ab iniquitatibus. Ibi enim oriuntur peccata, ibi radices figunt, quæ si ibi succisæ fuerint, non est ubi crescant. Unde scriptum est : « Beatus qui tenebit, et allidet parvulos suos ad petram (*Psal.* CXXXVI, 12). » Unde et sacerdotes comam nutrire interdicuntur. Qualiter autem mundi corde Deum videant, vel quibus oculis eum videant, dubitari potest, facile autem solvi non potest. Apostolus tamen dicit : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie 21 ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII, 12). » Et Joannes apostolus : « Scimus, inquit, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » Magnus erit ille oculus, qui claritate sui visus eum qui continet omnia, comprehendere poterit. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Pacifici enim sunt qui discordes pacificant, qui mundum Deo reconciliant, qui inter cæteros pacem et concordiam seminant. Apostolus enim dicit : « Pacem sequimini cum omnibus sine qua nemo videbit Deum (*Hebr.* XII, 14). » Itemque : « Si fieri potest, quod ex vobis est ; cum omnibus hominibus pacem habentes (*Rom.* XII, 18). » Et Psalmista : « Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus (*Psal.* CIX, 7). » Et bene quidem filii Dei vocantur pacifici, quia « ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » Ipse est rex pacificus, qui in se ipso angulari lapide duos parietes conjungens, pacem fecit his qui longe erant, et his qui prope. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Propter justitiam* dixit, (115) non propter mundi honores, non propter divitias, non propter superbiam et iniquitatem. Multos enim videmus qui propter hæc et similia persequuntur alios, et persequuntur ab aliis. Propter justitiam enim apostoli et martyres persecutionem ab impiis passi sunt. Si enim a prædicatione justitiæ cessare voluissent, persecutionem passi non essent. Usque hodie quoque in sancta Ecclesia persecutionem patiuntur quicunque justitiam prædicare et tenere nituntur. Non igitur omnes qui persecutionem patiuntur, beati sunt ; siquidem iniqui se invicem persequuntur : sed illi soli propter persecutionem sunt beati, qui eam propter justitiam patiuntur. Videat autem unusquisque hæc audiens, si in aliqua istarum beatitudine continetur. Quod si in aliqua se invenerit, sit securus, beatus erit, hoc enim Veritas dixit : Veritas autem mentiri non potest. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me : gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Beati, inquit, estis, cum vos homines maledixerint ; ne timeatis eorum maledictiones, sed potius gaudete et exsultate, (116) quoniam eorum maledictiones, eorum persecutiones, eorum maledicta, et mendacia gaudium vobis præparant in cœlis, et exsultationem, magnamque mercedem et retributionem. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos. Non est hoc novum, non est insuetum ; sic Isaiam, sic Jeremiam, sic et alios prophetas persecuti sunt. Illorum igitur exemplum vos doceat, si illorum vos beatitudo delectat.

XII. (117) *Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit,*

(114) S., Thomas 2-2, qu. 30, ar. 1 ; ex Aug. : « Misericordia est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua utique, si possemus, subvenire compellimur. »

(115) Idem animadvertit et Hieronymus ad h. l. : Signanter addit : propter justitiam ; multi enim persecutionem propter sua peccata patiuntur, et non sunt justi. Chrysostomus illud pro justitia explicat, pro virtute atque pietate, pro defensione cæterorum. Solet quippe justitiam, omnem prorsus animi appellare virtutem. V. etiam A. Imperfecti hom. 9.

(116) Hieronymus : « Nescio quis hoc nostrum possit implere, ut laceretur opprobriis fama nostra, et nos exsultemus in Domino. » Hoc qui vanam sectatur gloriam, implere non potest : quæ postrema verba descripsit Beda. Chrysostomus tamen præclare, hom. 15 De J. C. « Non modo id dixit sed etiam facile persuasit, nec duobus aut decem, sed universo jam pene mundo. »

(117) Est homilia Emiseni in natali confess. et doct., pag. 227, scilicet S. Brunonis, ut reliquæ Emiseno attributæ.

Digitized by Google

in quo salietur ? Vos, inquit, estis sal terræ, vos estis hominum condimentum (118), vestro exemplo instruit, vestra sapientia doceri, vestra humilitate et patientia componi cæteri debent. Quod si sal evanuerit, si prædicator vires amiserit, si episcopus luxuriæ et vanitati se dederit, in quo salietur, in quo populus condietur ? *Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.* Tale enim sal quia infatuatum est, foras mittitur, quoniam falsus prædicator, ejusque doctrina quæ vana sine sapore et inutilis est, ab Ecclesia pellitur. Conculcatur autem ab hominibus, quia dignus est, qui ab omnibus despectui habeatur. *Vos estis lux mundi.* Quod enim sol et luna præstant corpori, hoc apostoli et doctores præstant animæ. Illi illuminant oculos corporis ; isti illuminant oculos mentis. Sunt igitur lux mundi, qui majorem, et meliorem mundi partem illuminant. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Sic enim sunt apostoli et episcopi super Ecclesiam, sicuti civitas supra montem. Non possunt abscondi, altius sedent, omnium oculi ad eos respiciunt. Qui si pulchri fuerint, et sui ordinis decorem et honestatem tenuerint, venerantur ab omnibus, mirantur et laudantur ab omnibus. *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Ad hoc enim lucerna accenditur ut luceat : ad hoc episcopus ordinatur, **22** ut cæteros illuminet. Lucerna enim episcopus est, lumen gratia Spiritus sancti, sive evangelicu prædicatio, candelabrum Ecclesia. Qui ergo super Ecclesiæ candelabrum positus est, videat, ne gratiam sancti Spiritus, qua illuminatus est, sub modio ponat. Videat ne talentum sibi traditum terræ suffodiat ; scriptum est enim (119) « Sapientia occulta, et thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque ? » Inde etiam qui abscondit frumenta, maledicitur in populis. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Lux, inquit, estis ; et sermone, et opere, lucere debetis. Magis enim operando, quam loquendo, proficitis, quia major est splendor operis quam sermonis. Unde non ait, ut audientes vestrum bonum sermonem glorificent Patrem vestrum. Sed quid ait ? *Ut videntes vestra bona opera glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas ; non veni solvere, sed adimplere.* Venerat enim Dominus non tantum ad solvendum et exponendum hoc quod lex et prophetæ jubebant, verum etiam ad agendum. Venerat præterea Dominus non ad hoc tantum, ut legem et prophetas solveret, et exponeret, sed ut ea, quæ minus haberent adimpleret (120). Multis enim modis, nisi ipse venisset, lex et prophetæ adimpleri non poterant. Prædixerant enim ejus nativitatem, passionem, resurrectionem, ascensionem et virtutes quas in homine operatus est, quæ nequaquam adimpleri possent, nisi ipse venisset. Multum igitur minus habebant lex et prophetæ, spiritualem videlicet intelligentiam, quæ nisi per Christum, adimpleri non poterat. Hoc enim Joannes evangelista testatur. Qui cum multum fleret, eo quod nemo inveniri posset qui librum septem sigillis signatum aperiret, dictum est ei, ne fleret : « Quia ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum et solvere septem signacula ejus. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant (*Apoc.* v, 5). » Quomodo enim non fiant, quæ ipse Deus ventura esse prædixerat ? Alioquin mentiretur qui mentiri non potest. Iota autem, et apex, quæ in litteris minima sunt (121) quamlibet legis et prophetarum parvissimam sententiam significant. Quod autem ait, quia *donec transeat cœlum et terra,* non præteribit aliquid horum, donec omnia fiant, manifeste ostendit, quia dicendo *donec,* nonnisi ad præcedentia spectat. Multa enim de sanctorum beatitudine loquuntur lex et prophetæ, quæ post et non antea fient, quam transeat cœlum et terra. Sic igitur et illud accipiatur, quod superius dixerat de Joseph et Maria, quia (122) « non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum. » *Donec* enim præcedentia bene determinat, subsequentibus vero nullam infert necessitatem. Si enim subsequentibus necessitatem inferret, postquam cœlum et terra transibit, nihil eorum fieri posset, quæ lex et prophetæ postea futura prædixerant. Sequitur : *Qui enim solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno*

(118) Notissima sunt verba Chrysostomi hom. 15 sed multo plura habet in lib. De sacerdotio. Certatim autem vet. et recentiores ad h. l. admonitiones et præcepta ingerunt. Est opus inscriptum : Tubæ sacerdotales ex PP. et vet. scriptoribus contextum, unde quilibet quæ volet, petere facile potest. Hic nos unum proferemus quod habet A. Imperfecti hom. 10. « Melius est facere et non docere, quam docere et non facere ; quoniam qui facit, etsi tacuerit, aliquos corrigit suo exemplo : qui autem docet et non facit, non solum neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat. Quis enim non moveatur ad peccandum, cum viderit ipsos doctores pietatis peccantes ? » V. cætera.

(119) Locus Ecclesiastici, cap. XLI, 17, in Vulgat. « Sapientia enim abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitatis in utrisque ? » in Sixt. vers. : « Sapientia autem abscondita, et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque ? »

(120) Sic etiam Hieronymus : « sive quod de se per alios prophetata compleverit ; sive quia ea, quæ antea, propter infirmitatem audientium, rudia et imperfecta fuerant, sua prædicatione compleverit. »

(121) Ex figura litteræ ostenditur, quod etiam quæ minima putantur in lege, sacramentis spiritualibus plena sint. Hieron. Cæterum hic locus varie multumque ab his versatur, qui de antiquis Hebraicis litteris agunt.

(122) Vid. ea quæ dixit n. 3 ad locum ex Matth. I, 24 : « Et non cognoscebat eam, » etc. quem hic rursus recitat.

Digitized by Google

cœlorum. Qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Non veni, inquit, *legem solvere* et ponere, sed ea quæ lex præcipit, agere veni et adimplere. Quare hoc ? Vis audire quare? Quia qui Scripturas solummodo solvit et exponit, et non facit quod Scripturæ præcipiunt, minimus vocabitur in regno cœlorum ; (123) qui autem eas et facit, et docet, hic *magnus vocabitur in regno cœlorum*. In quo *regno cœlorum* ? Dicitur enim non solum patria cœlestis, verum et Ecclesia *regnum cœlorum* (124). Sed quomodo ibi minimus vocabitur, qui neque magnus, neque minimus ibi erit ? De Ecclesia igitur hoc intelligatur, quæ multis in locis *regnum cœlorum* vocatur. In qua sancti apostoli, martyres et confessores magni valde venerantur, et habentur, qui legis mandata, et fecerunt, et docuerunt. Cæteri vero quoniam minimi sunt, quid attinet dicere, cum neque in memoria apud homines habeantur, neque in cœlis inter sanctos connumerentur ? Et quidem multos tales in Ecclesia videmus, pluresque fuisse non dubitamus, qui bene quidem prædicare sciunt, bene **23** autem facere nesciunt. Isti igitur non immerito *minimi* et vocantur, et sunt in regno cœlorum ; quoniam etsi ab aliis magni videantur, ab aliis tamen despiciuntur, in quibus cœlorum Dominus regnat et habitat. Sed videamus quid significet, *qui solverit unum de mandatis istis minimis* (125). De quibus istis ? nisi de his quæ in lege continentur, quam se non solvere, sed facere prædixerat? Quomodo autem aliquid mandatum minimum esse intelligere possumus, quod qui non facit, vocatur minimus, et qui facit, vocatur magnus? Tale enim mandatum non minimum, sed maximum esse videtur. Et ego quidem his verbis significari puto, quod omnia legis mandata non facientibus minima sunt, facientibus autem maxima, quoniam illos minimos, istos vero maximos faciunt. Sunt præterea minima in minimis et magna in magnis, quoniam et illi habent ea pro minimo, et isti habent ea pro maximo. Sequitur : *Dico autem vobis, quia nisi ubundaverit* (126) *justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*. Scribarum enim et Pharisæorum justitia fuit ut bene prædicarent, et bene populum admonerent, non tamen ea faciebant quæ prædicabant, et admonebant. Unde et alibi Dominus ait : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia quæ dixerint vobis facite, secundum opera eorum nolite facere (*Matth.* XXIII, 2). Quare hoc ? « Dicunt enim et non faciunt. » Erat igitur eorum justitia dicere et non facere, legem solvere, et non adimplere ; hæc autem ad cœlorum regnum properantibus non sufficiunt.

XIII. (127) *Audistis quia dictum est antiquis : Non occides ; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Non inquit, sufficiunt vobis ad justitiam ea quæ Scribæ et Pharisæi sibi sufficere non bene cogitabant. Majora novis quam antiquis præcepta dantur. Illis dicitur, ne occidant; istis dicitur ne irascantur. Illi ab homicidio; isti ab ira et odio coercentur. Sed quid est quod Dominus ait : *Qui autem occiderit, reus erit judicio ?* Non enim omnis qui occidit, reus mortis in judicio judicatur ; neque vero lex omnes damnat qui occidunt, quoniam « ipsa multos occidere jubet. Determinandus est igitur locus iste, sicut et cætera quæ breviter dicta, minus aliquid habere videntur. Dicit enim lex (128). quicunque sponte vel per odium et insidias hominem occiderit, ipse quoque occidatur (*Num.* XXXV, 13). Cæteris vero tres civitates constituit, ad quas fugiant ne moriantur. Quod quid significet, non est hujus loci exponere. Videamus quod sequitur. *Ego autem dico vobis ; quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*. In quo judicio? In hoc enim quod in Ecclesia fit, non tenetur ira. In illo vero districto judicio, si omnis qui irascitur damnabitur, aut nulli, aut pauci salvari poterunt. Quis enim tam quiete mitis est, ut aliquando non irascatur? Determinandum est igitur et istud, ut non de omni ira, sed de instanti et perseveranti intelligatur, quæ jam alio nomine *odium* vocatur. Ira enim inveterata odium dicitur. (129) Unde et bene non præterito, vel futuro, sed instanti tempore utitur, dicens : *Omnis qui irascitur*. Et hoc quidem manifestum est, quia sic damnatur ille, qui fratrem suum odit, sic et et ille qui occidit : uterque enim homicida vocatur : hoc enim Joannes apostolus dicit : « Omnis qui odit fratrem suum homicida est : et scitis quod omnis homicida non habet vitam æternam in se manen-

(123) Hieronym. eodem modo interpretatur : « Quod Magistri eruditio etiamsi parvo peccato obnoxius sit, deducat eum de gradu maximo, nec prosit docere justitiam, quam minima culpa destruit ; et beatitudo perfecta fit, quæ sermone docueris, opere complere. »

(124) Vulgatissimum est et nulli ignotum sancti Gregorii illud homil, 12 in Evang. : « Sciendum nobis est, quod sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur. »

(125) Aut Bedam præ oculis habuit, aut casu in ejusdem ferme verba incurrit, quæ sunt : « Qui non implet Dei mandatum in semetipso, solvit ; et fit despectissimus in Ecclesia sanctorum. »

(126) Optime meo judicio, A. Imperfecti, minimum hic interpretatur, quod de minima in speciem re esse. videtur; ut quod subjicit de contumelia « raca, fatue, » etc.

(127) Hactenus quæ in homilia Emiseni et in commentario inveniuntur. Ab horum verborum quæ sequuntur explicatione « Nisi abundaverit, » etc., est Emiseno homilia altera attrib. Dom. VI post Pentec., pag. 464, quæ totum sequentem numerum comprehendit.

(128) Quæri potest de qua lege A. loquatur, quæ hoc præscribat. Puto esse quod Num. XXXV, 20, statuitur. « Si per odium quis hominem impulerit vel jecerit quippiam in eum per insidias, aut cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit, homicidii reus erit. »

(129) Odium, ira inveterata, ait etiam Cicero, IV Tusc., num. 9.

Digitized by Google

tem (*I Joan*, III, 15). » Sic igitur omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. *Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. Raca* enim mentis affectum cum indignatione et irrisione significat. Velut cum irridendo, inflatis faucibus aliquem insufflamus. Dicitur tamen quod raca interpretatur *vanus*. Sed nunquid tam magnum peccatum est dicere *raca*, id est, aliquem quolibet sono vocis irridere, ut quicunque hoc dixerit, reus in concilio habeatur? Magnum enim peccatum est omnis injuria : dicatur ergo : Si quis dixerit fratri suo raca, et eum irridendo, qui irrisione dignus non est, ad indignationem et iram provocaverit, in concilio episcoporum reus et culpabilis judicabitur. Sæpe enim ex parva injuria magnæ lites concitantur. Quæ omnes in illius caput redundant, qui principalis earum causa exstitit, secundum 24 illud : « Qui effundit aquas caput est jurgiorum (130). » Unde et in lege præcipitur : « Si egressus ignis invenerit spicas (131), et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit (*Exod.* XXII, 6). » Nam et ipse Dominus ait : « Væ illi per quem scandalum venit (*Matth.* XVIII, 7). » Si enim de verbo otioso rationem reddituri sumus, quanto magis de injuriis, et contumeliis? *Qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis.* Quid est hoc, o Domine? Quid enim hoc, o magister veritatis? Quid enim si hoc dixerit, et pœnitentiam egerit? Scimus enim multos sanctorum non solum fatuos, sed et hæreticos alios dicere non timuisse, eosque hæresibus accusatos, victosque damnasse. Nam et apostolus Paulus scribens ad Galatas, « insensatos, et stultos » eos vocavit; quod quidem non minoris injuriæ est, quam si fatuos eos dixisset : ait enim : « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit veritati non obedire? » (*Galat.* III, 1) Et paulo post : « Sic stulti facti estis ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini (*ibid.*). » Sic igitur dicamus : Qui superbiæ spiritu inflatus non corrigendi gratia, sed invidiose, et malitiose fratrem suum fatuum dixerit, eumque contra se ad indignationem, et odium provocare non timuerit, tandiu gehennæ ignis reus erit, donec pœnitentia ductus eum quem injuste commoverat, quolibet modo, quantum in se est, sibi reconciliet. Ut autem ipsum Dominum hoc sensisse intelligas, audi quod sequitur. *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vadé prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Ac si dicat : Fratrem tuum fatuum vocasti; iratus est tibi; justam causam habet adversum te; ejus indignatio tuum peccatum est, non te recipio, vade prius reconciliari fratri tuo. Et fortasse ideo has quas præ-

A diximus injurias nominatim Dominus posuit, quia tunc temporis magis in usu habebantur, et aut parvum, aut nullum peccatum esse videbantur. Dedit igitur nobis regulam, novamque legem constituit, ut nullum peccatum negligamus, quoniam etiam illa, quæ minima esse putantur, nisi resecata fuerint, animas perdunt, et damnant. Neque vero quasi parva negligenda sunt, pro quibus Deus offensus munera jam ante altare recipere dedignatur. Sequitur : *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.* Hoc autem tale est ac si diceret : Audisti quid dixerim? hæc verba vitæ sunt et salutis : esto igitur eis consentiens, hic est enim adversarius tuus. Quis B enim sic adversatur homini ut sermo divinus? Vult enim iste occidere; dicit ille : *Non occides.* Vult iste mœchari; dicit ille : *Non mœchaberis.* Vult iste furari; dicit ille : *Non furaberis.* Et tandem uno sermone pene omnia comprehendens ait : *Quod tibi non vis, alii ne feceris.* Esto igitur consentiens huic adversario tuo; hoc autem cito interim dum es in via cum eo; cito enim hæc via finitur; pauca sunt miliaria. Tanta enim est hæc via, quanta est et vita uniuscujusque. Quamvis autem aliis longior, aliisque brevior sit, nulli tamen valde prolixa est (132) Postquam vero via completa fuerit, et vita finita jam nihil proderit consentire velle. Quid igitur? Accusabit enim te adversarius tuus, tradetque te judici. Cur non dicis, optime Domine, tradetque te C mihi? Tu es enim qui constitutus es a Deo judex vivorum, et mortuorum. Sed quid sequitur? *Judex tradat te ministro.* O quam iniquo ministro ad cruciandum traditur, qui bono consiliario consentire noluit! Postea vero quid fiet? *Et in carcerem mittaris*; carcer iste infernus est. Qualis minister, talis et carcer. Ille enim est crudelior omnibus, iste formidolosior et horribilior universis; in quo tenebræ nunquam deficiunt, in quo ignis nunquam exstinguitur, in quo vermis nunquam moritur. *Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Magnum est hoc debitum, et infinita, et innumerabilis est ista pecunia, ad cujus novissimum quadrantem nunquam venitur; quæ semper solvitur et nunquam finitur.

D XIII°. *Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis. Ego autem dico vobis quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* His enim verbis non solum corporis, sed et mentis fornicatio tollitur; quoniam non solum membris agere, sed et mente concupiscere, fornicatio vocatur. Et quasi aliquis oculorum culpam post se ad illicita mentem trahentium causaretur, addidit dicens :

(130) Prov. XVII, 14. « Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. »

(131) « Spicas » diserte scribit A. quod non pauca exemplaria latina habere, testatur Calmet; et sententiæ optimæ convenire videretur; sed obstat Hebraica קָצִים et Græca LXX ἀκάνθας.

(132) Sic etiam Hieronymus. « Ex præcedentibus et consequentibus manifestus est sensus, quod nos Dominus atque Salvator noster, dum in istius sæculi via currimus, ad pacem et concordiam cohortetur. »

Digitized by Google

Quod si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te. Ut quid? *Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Similiter* **25** autem fac, si manus in aliquo scandalizaverit. Hoc enim ad litteram intelligere, sanctorum Patrum concilia (133) interdicunt; eosque ad sacros ordines non admittunt qui tale aliquod fecisse inveniuntur. Verumtamen oculos tunc eruimus, et a nobis eos projicimus, si eis in corpore nostro vagandi per illicita licentiam tollimus. Unde Psalmista : « Averte, inquit, oculos meos, ne videant vanitatem (*Psal.* CXVIII, 37). » Aliter autem oculum scandalizantem cruere est, quando fratrem vel filium vel aliquem alium amicorum, quem quasi oculum vel manum diligimus, violenter a nobis abjicimus, et abscindimus, si in Christi fide et in animæ nostræ salute nos scandalizant : nullum enim adversum hæc diligere debemus. Inde enim Heli sacerdos valde reprehenditur quod filiorum scandalum sustinuerit. Tollamus igitur et eruamus a nobis quicunque ad corporis vel animæ fornicationem nos invitant, etiamsi, quasi oculi et manus, chari et necessarii nobis fuerint. Expedit enim nobis ut illi soli pereant, quam ut nos quoque simul cum illis pereamus. Sequitur : *Dictum est autem : Quicunque dimiserit uxorem suam* (134), *det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; et qui dimissam duxerit, adulterat.* In his autem manifeste ostenditur, quod nulli uxorem suam dimittere liceat, excepta causa fornicationis. Causa vero fornicationis, uxorem viro dimittere licet, aliam vero ducere non licet. Hoc autem alius evangelista ostendit dicens : *Omnis qui dimittit uxorem suam et aliam ducit, mœchatur* (135). Quis est enim qui dimittit uxorem suam, nisi ille cujus uxor fornicata est ? alii enim dimittere non licet. Mœchatur autem similiter et mulier, si dimiserit virum suum, et alii nupserit. Sed dicit aliquis : Ecce qui dimittit, mœchatur. Nunquid et illa quæ dimittitur, similiter mœchatur ? Audi evangelistam : *Et qui dimissam duxerit, adulterat.* Quare enim adulterat qui dimissam ducit ? Quia eam ducit, quam ducere non licet : si enim aliam duceret, non adulteraret. Si igitur ille adulterat qui eam ducit, multo magis illa adulterat quæ ducitur. Si ergo, nisi causa fornicationis, uxorem dimittere non licet, quid est quod Apostolus ait : « Infidelis si discedit, discedat : Non enim subjectus est servituti frater aut soror in ejusmodi (*I Cor.* VII, 15). » Ac si dicat : Si fidelis infidelem dimittere velit, nullo jam vinculo conjugali tenetur, ut non dimittat. Melius tamen est tenere, ut sic fortasse eam convertat. Non igitur necessitate constringitur, ut eam teneat, sed charitate sola, ut convertat. Unde si infidelis discedit, et a fideli teneri non potest, non curet hoc fidelis, discedat. Et hoc quidem divortium sola fornicatio facit. Quæ enim fornicatio major et intolerabilior est, quam ut vir Deo adhæreat, et uxor cum idolis fornicetur ? Audivit igitur Apostolus, Christo dicente, quod non, nisi causa fornicationis, vir uxorem dimittere possit, et hoc de utraque fornicatione, corporis videlicet et animæ intellexit. Quod quidem Dominum quoque intellexisse dubitare non debemus. *Iterum audistis quia dictum est antiquis : Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis : non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis : neque per caput tuum jurabis* (136), *quia non potest unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester : est, est : non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est.* Hæc autem Jacobus apostolus in Epistola sua posuit dicens : « Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester : est, est : non, non, ut non sub judicium incidatis (137) (*Jac.* V, 12). » Poterat enim fortasse aliquis intelligere, quia pauca Dominus per quæ jurare non licet enumeraverat, cum cætera tacendo consensisse, nisi quia Jacobus apostolus his omnibus super addidit, *neque aliquid quodcunque juramentum.* Cur autem omne juramentum interdixerit, mox subjungens ait, *ut non sub judicium incidatis.* Qui enim nunquam jurat, nunquam perjurium incurrit, qui vero perjurium non agit, nunquam de perjurio judicatur. Hæc est igitur causa, quare et Dominus, et beatus Jacobus jurare prohibeat. Idem enim spiritus in utroque loquebatur. Idem igitur uterque significavit. Quærendum est tamen quare per creaturam jurare interdicamur ? Quæ enim ibi obligatio fit, ut per cœlum et terram cæteraque his **26** similia jurare (138)

(133) Spectat, credo, ad canon. 22, al. 17, ex illis qui apostolici vocantur, et canon. 1 Nicænum (de quibus V. Morinum lib. IV, cap. 9. De Pœnit.) : qui licet de ea mutilatione tantummodo loqui videantur, quæ est eviratio, idque responsum datum Ammonio apud Sozomenum lib. VI, cap. 30, probare videatur, alio tamen sensu et universali ipse Ammonius accepit, et rem decidit Innocentius I, epist. 37 ad Felicem Nucerinum (ex recent. Const.) ubi generaliter legem explicat etiam de eo, qui partem cujuslibet digiti sibi volens abscidit.

(134) « Omnis qui dimiserit (uxorem suam) det ei libellum repudii. »

(135) Luc. XVI. 18 : « Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur. »

(136) « Juraveris. »

(137) « Sub judicio decidatis. »

(138) Quæstionem solvit Hieronymus, apposite ad Christi auditores Judæos : « Judæi per angelos, et urbem Jerusalem et templum et elementa jurantes, creaturas, resque carnales venerabantur honore et obsequio Dei. » Idem ferme Chrysost. hom. 17. Omnino idem dixerat s. Hilarius ad h. l. : « His enim elementorum nominibus Judæis erat religio jurare, et cœli, et terræ, et Jerusalem, sed et capitis sui, quibus, in contumeliam Dei, sacramento veneretionem deferebant. » Præclare, ut solet, de hac Christi doctrina Maldonatus ad h. l.

Digitized by Google

timeamus? Cum enim Deum vel ejus verba in juramento ponimus, eum quodam modo mediatorem facimus ejusque auxilium abdicamus, nisi illi pactum servaverimus, qui nobis sub tali pignore credidit. In aliis vero qua obligatione tenemur? Si enim dicam : juro tibi per caput meum, quid intelligitur? hoc fortasse: sic mihi caput meum sanum sit. Si vero dixero, juro tibi per cœlum et terram et per civitatem Jerusalem, intelligi potest : sic cœlum det mihi pluviam, sic terra det fructum suum, et sic civitatem istam inhabitem. Et hæ quidem non parvæ obligationes sunt; maxime autem si allegorice intelligantur, ut per cœlum (139) apostolos, per terram Ecclesiam, per civitatem vero Jerusalem cœlestem patriam significemus. Hoc enim Dominus ipse significare videtur, cum de cœlo quidem dicit, *quia sedes Dei est;* de terra vero, *quia scabellum est pedum ejus;* de Jerusalem autem, *quia civitas est magni regis.* Valde enim timendum est ponere hæc in juramento, si ita intelligantur. At vero neque caput suum abjuret aliquis cui sanitatem divinitus ademptam reddere non valet, siquidem quod minus est, unum capillum album aut nigrum facere non potest. Nemo enim id facere valet ut suo tempore nigri, et albi capilli non oriantur. Quomodo igitur dicemus? Quomodo loquemur? Quomodo verba nostra firmabimus? Sit, inquit, *sermo vester est est, non non :* quod tale est ac si diceret : Illud quod est, dic quia est: illud quod non est, dic quia non est : sic loquere, sic responde. Quod si feceris, non peccabis, neque mentieris. Nihil his addas, sit simplex sermo tuus. *Quod enim his abundantius est, a malo est.* Quid enim est quod his abundantius est, nisi mendacium? Qui enim dicit id esse quod non est, vel id non esse quod est, tale verbum abundantius est, a malo est, a peccato, et a diabolo est : de ipso enim dicitur quia a principio mendax fuit, « et in veritate non stetit (140). »

XIV. *Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; et ei qui vult tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, remitte* (141) *ei et pallium. Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo. Qui petit a te, da ei; et volenti mutuari a te, ne avertaris* (142). Hæc enim pauca verba omnibus hominibus sufficiunt ad perfectionem, in quibus omnis patientia, et largitatis virtus aperte commendatur. Omnia autem ista illud capitulum spectant eique continuantur quo dicitur : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Pharisæi namque et avaritia pleni erant, et patientiam non habebant. *Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Cætera enim, quæ superius dicta sunt (143), non contraria legi, sed quoddam ejus supplementum esse videntur, secundum hoc quod dixerat : *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Quæ vero modo dicuntur, contraria sibi videntur esse : opposita enim sibi sunt, odio habebis inimicum tuum, et diligite inimicos vestros. Quomodo ergo intelligemus verba veritatis, ut non sint contraria legi? Quis est iste inimicus, quem odio habere, et diligere præcipit? Inimicus iste (144), homo est; inimicus quia peccator, amicus quia homo. Duo enim audisti, hominem et peccatorem. Dilige igitur hominem, habe odio peccatorem. Dilige naturam non vitium; odi vitium non naturam. Hoc enim modo et Christus legi, et lex Christo conveniet. Unus enim idemque homo et amicus et inimicus est tibi; unus idemque te persequitur, et non persequitur [: quod enim Deus in homine fecit amicum tibi est, et non insidiatur tibi : quod vero diabolus in homine fecit inimicum tibi **27** est, tibique insidiatur. In uno igitur eodemque homine et amicum diligimus, et inimicum odio habemus. Quod ergo lex dicit : *Diliges proximum tuum,* naturam hominis intellige; quæ ideo tibi proxima est, quia de eadem massa facti estis. Quod vero sequitur : *Et odio habebis inimicum tuum,* vitium intellige, quod est causa omnium inimicitiarum. Nullæ enim inter homines inimicitiæ essent, si hoc solum de eis sublatum fuisset. Sequitur : *Benefacite his qui oderunt vos.* Hoc enim ipse Dominus et docuit et fecit, sicut Judæis loquens ait : « Multa bona opera operatus sum vobis, propter quod horum vultis me occidere? Et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (145). » Et hoc quidem ipse complevit, quando pro suis persecu to-

(139) Non multo aliter Beda, « specialiter autem sanctas animas cœli nomine significat, et terræ peccatrices, » etc.

(140) Joan. VIII, 44 : « Ille homicida erat ab initio et in veritate non stetit : » quem locum allegat et hic Chrysostomus, hom. 17.

(141) « Dimitte. »

(142) Quivis videt superioribus verbis significari quod scriptum erat Exod. XX, 24; Levitic. XXIV, 20; Deut. XIX, 21. Bene hic Hieron. : « Dominus noster vicissitudinem tollens, truncat initia peccatorum; et in lege, *retributio* est; in Evangelio, *gratia;* ibi culpa emendatur, hic peccatorum auferuntur exordia. » De illa V. T. lege fuse Chrysostom. init. hom. 18, et elegans est Bedæ sententia in ill. « odio habebis inimicum tuum, » videlicet non est accipienda vox jubentis justo, sed permittentis infirmo.

(143) Verba quæ in commentario sequuntur, leges in hom. 6 post Cineres, p. 99. homiliar. Emiseno suppositar.

(144) Sic ferme et S. Aug., serm. D. in monte, lib. I, cap. 41 : « In ipso uno qui malus est, et proximum habes, et inimicum. Nam quod homo est, proximus tuus est; quod malus est, non solum tuus, sed etiam suus inimicus est. Dilige ergo in eo carnem et animam, hoc est proximum tuum, quem Deus fecit : et odio habe malitiam, quam ipso consentiente, diabolus intromisit. »

(145) Joan. X, 32. « Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis. »

Digitized by Google

ribus oravit dicens : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est (146). » Quod sic intelligitur : ut sicut estis filii Dei per creationem, sic etiam sitis ejus filii per imitationem. Ipse enim non solum amicis, verum etiam inimicis bene facit. Et hoc est quod ait: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Sic enim inimicos nutrit ut amicos; et hos et illos sui solis splendore illuminat, et suarum pluviarum mundatione utrorumque possessiones fecundat. Sed parva sunt hæc, audi majora. Qui solem suum (147), Filium suum solem justitiæ, lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nunc oriri, nunc videri, nunc in tenebris lucere, nunc super bonos et malos splendescere facit. *Et pluit super justos et injustos.* Prius enim per prophetas, deinde per Filium, postea vero per apostolos et doctores fidei et doctrinæ pluvias omnipotens Dominus pluit. Magnæ sunt istæ nubes: his Ecclesia fecundatur, his bonorum operum semina nutriuntur, his qui infusus non fuerit, totus aridus in igne cremabitur. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne ethnici hoc faciunt?* Non enim hoc intelligere debemus, ut eos qui nos diligunt diligere non debeamus : alioquin nec Deum nec proximum diligeremus, quæ sunt duo maxima legis mandata. Quid igitur? nisi ut non diligamus eos tantum qui nos diligunt, sed etiam eos qui nos non diligunt, et non propter hoc tantum, quia nos diligunt; hoc est enim vicem reddere, sed quia ejusdem corporis membra sumus, et ejusdem Patris filii sumus. Talis enim amor spiritualis est, et ideo indeficiens : carnalis enim amor cito dilabitur, sicut et ipsa caro; quali videlicet amore publicani atque ethnici se vicissim diligunt : statim enim ut se ab aliis non diligi intelligunt, ipsi quoque alios non diligunt. Nos igitur omnes diligere, omnium salutem quærere, omnibus charitatis affectum ostendere debemus. Quid enim est aliud *salutare*, nisi charitatis, et dilectionis affectum ostendere? Sic enim augetur amor et concordia crescit. *Estote ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Non enim dicit, ut simus tantum perfecti, quantum Pater noster cœlestis perfectus est; hoc enim impossibile est : sed dicit, ut simus perfecti, sicut ipse est. Sic enim puer aliquis homo est, sicut et juvenis, quamvis viribus et scientia non sit perfectus homo, sicut juvenis. Simus igitur perfecti pro modulo nostro; quoniam perfectus Dominus bonos et perfectos vult habere fideles. Quæ sit autem ista perfectio (148), audi quid ipse Dominus dicat : « Si vis, inquit, perfectus, esse vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus (*Matth.* XIX, 21). » Hæc autem specialiter apostolis dicuntur, eorumque successoribus per eos mandantur. [CAP. VI.] *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Si enim justitiam nostram non debemus facere coram hominibus, quid est quod superius ait : *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videntes vestra bona opera, glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est?* Quomodo enim videbunt bona opera nostra quæ, coram eis ipsisque videntibus, facere non audemus? Si enim fecerimus, mercedem non habebimus. Videamus igitur quid significet *ut videamini ab eis :* in hoc enim tota quæstio solvitur. Non enim perdit mercedem, sicut dicere videtur qui justitiam suam facit coram hominibus, sed qui ideo facit, ut videatur ab hominibus. Qui enim ideo facit ut ab hominibus videatur, non justitiæ mercedem quærit, sed hominum laudem et vanam gloriam populique favorem. Ideoque non habet mercedem apud Deum, quoniam vanam mercedem laudis suscipit apud homines. *Cum ergo facis eleemosynam noli tuba canere* **28** *ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Dico ergo : quare receperunt mercedem suam? Nunquid ideo quia pauperes tubæ sonitu colligebant, quod fortasse aliter tam facile adunare non poterant? Aut quia in Synagogis (149) et in vicis hoc faciebant, ubi, quia locus spatiosior erat, melius fieri videbatur? Non ideo quidem. Quare ergo? Vis audire quare? Quia ideo hoc faciebant, ut non a Deo mercedem reciperent, sed ut honorificarentur ab hominibus. Tantum igitur eis amor laudis et gloriæ contulit, ut eleemosynas darent, et mercedem non haberent. Quomodo ergo eleemosynas facere debemus? Sequitur : *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quid enim per dexteram vel quid per sinistram intelligamus? Si enim manus nostras in his intelligere velimus, nescio quomodo alterius opera altera intelligat : non enim in manibus, sed in mente est intellectus. Denique cur dextera opus suum sinistræ abscondat, quæ tam concordans ei est, tamque fideliter in omnibus ei auxiliatur? Aliud igitur per

(146) Luc. XXIII, 34 : « Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. »

(147) Mystice hæc Ambrosius lib. v, in Luc. non absimili ratione : « Propheticis populum Judæorum Dominus pluviis irrigavit, et Solis æterni refulsit radiis etiam non merentibus, » etc.

(148) Breviter Beda, « ita tamen, ut Deus intelligatur perfectus tanquam Deus : et anima perfecta, tanquam anima. »

(149) Hoc ab illis factum negat Chrysostomus, hom. 19 et intelligi vult de ostentatione in hisce operibus bonis. Negat etiam illud A. Imperfecti et recentiores, qui Hebræorum veteres ritus scrutantur, ut Lightfoot Hor. Hebr.

Digitized by Google

dexteram et sinistram oportet intelligere. Dextera enim nostra, amor Dei est, sinistra (150) vero, amor laudis; hæc enim ducit ad agnos, illa ducit ad hædos. Recordare illius Evangelii, in quo agni constituuntur a dextris, hædi vero a sinistris. Si ergo facis eleemosynam, fac amore Dei qui hoc præcepit ut faceres; hæc est enim dextera tua. Nesciat hoc sinistra, id est amor laudis. Non quæras inde favorem vulgi, unde quæris placere Deo. Utrumque enim simul etsi habere possis, non habebis tamen, si habere desideras. Sic igitur in omni opere nostro nescit sinistra quid faciat dextera, si non amore laudis, sed amore Dei et justitiæ illud agimus. Unde et hic dicitur, *ut sit eleemosyna tua in abscondito*. Sive enim in Synagoga, sive in vicis et plateis eleemosynam facias, in abscondito tamen facis, quicunque B hoc faciens non ab hominibus, sed a Deo videri desideras. Econtra vero qui in abscondito facit, et videri cupiens, laudem ex hoc et gloriam quærit, non in abscondito quidem facit, quoniam absconditum non vult esse quod facit, tantumque ei valet ac si in publico faceret. Deus autem qui videt in abscondito, et cui abscondito nihil est absconditum, qui et corda scrutatur et videt cogitationes, reddet unicuique secundum opera sua. *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Omnes C enim hæ similitudines pene idem significant, atque uno modo absolvi et intelligi possunt. Neque enim peccat aliquis, quia in synagoga orat, quæ est domus orationis; in plateis quoque orare non est peccatum. Quare ergo interdicitur? Audi quod sequitur, et intelliges: *Ut videantur ab hominibus.* A Quid enim significet velle videri ab hominibus, jam superius dictum est. Hæc est autem causa quare oratio tua non suscipitur; quia vis videri ab hominibus. Ubicunque enim ores, si ideo oras ut videaris ab hominibus, non suscipitur oratio tua. Sed si vis bene orare (151), intra in cubiculum tuum, redi ad cor, hoc est enim cubiculum in quo oratio continetur: hoc est cubiculum in quo Deus ipse quiescit. Ibi igitur ora, ibi loquere, ubi et quod dicis et cui dicis præsto sunt. Claude ostium, non enim indiget sono oris, non indiget clamore vocis ille quem oras. Ad cor enim respicit, in abscondito videt, non verborum compositionem, sed cordis compunctionem attendit. Unde Psalmista: « Cor contritum et humiliatum Deus non spernit (152) (*Psal.* L, 19). » Sequitur: *Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis, scit* 29 *enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Ethnici enim sive dicantur ab ethna (153), sive quod magis videtur, dicantur a valle Ennon, a qua dicitur gehenna, hypocritas et peccatores significant: isti autem nescio quo errore decepti in multiloquio et longa oratione se exaudiri cogitabant. Non enim exauditur oratio quia longa est, sed quia pio mentis affectu fit, a corde contrito, et spiritu contribulato. Sed quid est quod Apostolus ait: « Sine intermissione orate (154), » cum Dominus multum nos loqui in oratione prohibeat? An fortasse sic determinandum est? Sine intermissione orate dum oratis, ut videlicet vel cito ab oratione cessemus, vel interim dum oramus attentissime et tota cordis intentione oremus? Potest tamen et sic intelligi, ut Dominus de clamosa vocis oratione, Apostolus vero de abscondita mentis deprecatione locutus sit. Hæc igitur abbrevianda est ut vaga, illa vero continuanda est

(150) Simili prorsus ratione Beda. « Videtur enim humanæ laudis declaratio in sinistra significari; in dextera intentio implendi præcepta divina. ». Aug., enarrat. in Psal. CXX, num. 8, aliter et mystice tamen explicat: « Sinistra nostra dicitur quidquid temporaliter habemus. Dextera nostra dicitur, quidquid nobis æternum et incommutabile Dominus policetur, » atque addit, n. 10: « quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac. Nam si... D feceris ut terrena tibi abundent, scit sinistra tua quid faciat dextera tua. » Idem ferme in psal. CXLV, num 22 et serm. 149, num. 15.

(151) Elegantissime totum hoc Chrysostomus, homil. 8 in Epist. I ad Timoth.: « Quid igitur Paulus sibi vult qui ait: *Volo orare viros in omni loco*... Nam profecto absurdum erit, si istud simpliciter acceperimus quasi non liceret, omnibus in locis, atque in ecclesia orare. Quid igitur hoc? Evitandum prorsus inanem gloriam Christus admonuit, dum non modo clam, verum et in abditiore domus parte vota atque preces ferendas admonuit. Sicut enim cum dicit: *Nesciat sinistra tua*, etc., non de manibus simpliciter dicit, sed magnitudinem vanitatis jugulare contendit; ita et in hoc loco cubiculi nomine secretum intimi cordis expressit. »

(152) Hactenus homilia.

(153) Doleo, ab auctore nostro tam longe accersitam et falsam nominis hujus rationem afferri. Id enim vel pueri in scholis docentur, ut pagani dicti sunt a *pagis*, quando abolita ferme idolorum superstitio et a civitatibus ejecta in vicos et pagos se receperat ita cum late dominaretur, atque orbem fere terrarum omnem complecteretur, a *gentibus* dictos *gentiles* Latine, qui Græca voce *ethnici* ἐθνικοὶ ab ἔθνος *gens* dicebantur. Et *gentes* quidem eadem significatione in Scriptura sæpissime dicuntur; exstantque libri Arnobii adversus *gentes*. Est quidem, ut *paganorum*, sic *gentilium* significatio multiplex, et quandoque nulla comparatione ad religionem, ut constat vel ex tit. XIV, l. III, cod. Theod. De nuptiis gentilium; unde fortasse Hieronymus *gentiles* ab *ethnicis* distinxit in com. Ephes., cap. VIII, 20. Apud ecclesiasticos scriptores tamen illa est solemnis acceptio quam diximus ut Isidoro etiam lib. VIII, orig., c. 10.

(154) I Thessal. V, 17. Eamdem quæstionem movit Chrysostomus, hom. 19, atque ita solvit: « battalogiam hic loquacitatem vocavit, qua tunc utique utimur, cum non utilia nobis a Domino poscimus, ut potentiam, gloriam, » etc. Recentiores, præsertim Jansenius cap. 41, Maldonatus ad h. l., etc., observant in Græco esse βαττολογεῖν quod inanem eorumdem verborum repetitionem significat,

Digitized by Google

ut stabilis et firma : hæc auditur a populo, illa non auditur nisi a Deo. Hæc modulatione movetur, illa lacrymis temperatur. Hæc igitur brevis fiat ut audiatur a populo, illa fiat longa ut exaudiatur a Domino. Sive enim manducamus, sive bibimus, sive aliquid aliud agimus, mentem tamen ad Deum habere possumus; loqui vero, vel orare non possumus. Et quia optimus Deus ante etiam quam petatur, scit quid nobis sit opus, non est necesse ut oris orationem longam faciamus : quæ multis impedimentis multoties a sui continuatione interrumpitur. Illa igitur extendatur, illa sine intermissione fiat, quæ laudem non quærit, favorem non appetit, de modulatione non laudatur, de absono non reprehenditur; quæ ab homine non auditur, et quæ a Domino exauditur. Sequitur : *Sic ergo vos orabitis :*

XV. *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum* (155). Magnus honor, immensa nobilitas, ut Patrem vocemus, cujus vocari servi digni non sumus (156). Adoptivi namque filii facti, simul cum unico Dei Filio dicimus : *Pater noster.* Adoptione autem non qui volunt, sed qui eliguntur digni fiunt. Ipse enim nos « elegit ante mundi constitutionem, ut essemus conformes imagini Filii ejus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (*Rom.* VIII, 29) : » Apostoli verba sunt. Nemo amplius de nobilitate superbiat : omnes fratres sumus; ille nobilior qui melior. Sæpe enim servus nobilior est quam dominus, quoniam hic est servus hominis, ille diaboli. Quamvis autem ubique sit Deus, in cœlis tamen specialiter esse dicitur, quoniam in sanctis habitat, qui cœli vocantur. *Cœli* (157) autem vocantur sancti, quia altius elevati, non terram, sed cœlum diligunt. Sed quomodo nomen Dei sanctificari potest, quod semper et naturaliter sanctum est? Quid est enim *sanctificetur nomen tuum ?* Prius enim « notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus (*Psal.* LXXV, 1). » Nondum igitur in gentibus nomen Dei sanctificatum erat. Adhuc enim nomen Jovis, Mercurii, Martis et Saturni sanctum in gentibus habebatur. Nunc igitur nomen Dei in Ecclesia sanctificatum est, et nomen falsorum deorum nefandum, et profanum factum est. Illis præterea nomen Dei sanctificatum non est, qui illud abjurare non timent. Quid igitur est *sanctificetur nomen tuum*, nisi sanctum, **30** terribile, valdeque tremendum ab omnibus habeatur : *Adveniat regnum tuum* (158). Hoc enim et de regno ecclesiastico, quod a Deo regitur, et gubernatur, et de regno æterno quod finem non habebit, intelligi potest. Hoc autem quotidie venit, quotidie crescit, quotidie nascuntur qui ei per fidem conjunguntur. Hoc enim regnum a nascentibus augetur, a morientibus non minuitur : venit igitur semper donec ex toto compleatur. Quod ubi completum fuerit, tunc multo melius esse incipiet. Et hoc quidem est quod oramus, videlicet ut compleatur et transferatur. Qui enim sic non orat, non optat esse beatus. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra* (159). Fiat, inquit, et compleatur sic in terra voluntas tua ab hominibus, sicut in cœlis fit, et

et fuisse ethnicorum opinionem hanc battalogiam multum valere ad impetrandum; quod probare videtur sacerdotum Baal exemplum III Reg. XVIII, 37.

(155) Dominicam orationem plurimi ex vet. PP. explanarunt: præter Hieronymum, Chrysostomum, aliosque interpretes, Tertullianus et Cyprianus libro singulari quos laudat S. Hilarius in Matth.; Cyrillus Hierosol., Catec. 23; August. epist. 130, serm. 56, serm. in mont., auctor. serm. 65 inter opera August., etc., ex Theologis s. Thomas, 2-2 qu. 83, art. 9, ejusque commentatores card. de Lauræa opusc. De orat. Christian. cap. 9; Suarez, De relig., t. II, lib. III, cap. 8, etc.

(156) Proœmium hoc veluti Dominicæ orationis expendunt Tertullianus, qui de eo, « appellatio, ait, ista et pietatis et potestatis est; » et Cyprianus, qui eamdem appellationem dicit esse « eorum qui credunt, et invocari qui noster esse cœpit, et Judæorum qui eum reliquerunt, esse desiit. » Ab Aug., serm. in mont. Pater compellari dicitur « noster » non « meus » ut fratres nos omnes agnoscamus esse : et Chrysost., hom. 20, « pro communi corona preces nos fundere vult, et non tam propria commoda, quam proximorum petere. » Vid. elegantissimum Cypriani locum.

(157) Ita S. Aug. serm. in mont., exponens « qui es in sanctis. » Ita Beda, nec dissimiliter Cyrillus. Alibi Aug. (id., ep. 186 ad Dardan., num. 16) addit litteralem magis explicationem aliam, et postquam docuit « ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam, » subdit : « Propter hanc habitationem, ubi procul dubio gratia dilectionis ejus agnoscitur, non dicimus : *Pater noster qui es ubique;* cum hoc verum sit, sed : *Pater noster qui es in cœlis,* ut templum ejus potius in oratione commemoremus, quod et nos ipsi esse debemus, et in quantum sumus, intantum ad ejus societatem, et adoptionis familiam pertinemus. » Præclare Chrysost. l. all. « Cum Deum esse dicit in cœlis, non ibi eum hoc dicendo concludit, sed a terris abducit orantem. » Sic etiam ferme A. Imperfecti, hom. 14.

(158) Sanctificetur idem hic esse ac glorificetur ἁγιασθήτω τοῦτεστι δοξασθήτω, observat Chrysost., atque id significari « dignare vitam nostram sic munda conversatione servare, ut per nos cuncti te omnino glorificent. » Tertull. « Id petimus ut sanctificetur in nobis qui in illo sumus, et in cæteris, quos adhuc Dei gratia exspectat. » De nostra ipsorum sanctificatione plerique alii exponunt, Cyprianus, Cyrillus, Aug., serm. 56, etsi hic serm. in m. num. 19 exponit; « ut sancta habeatur ab hominibus. »

(159) Prima A. explicatio de regno ecclesiastico, sive Ecclesiæ amplificatione facere videtur, ut eadem ferme sit hæc petitio cum superiore : est tamen multorum PP. ut Hieronymi, qui, postquam superiorem exposuit ut nomen Dei sanctificetur in nobis, hanc ita edisserit, ut petamus « vel generaliter pro totius mundi regno, ut diabolus in mundo regnare desistat, vel ut in unoquoque regnet Deus et non regnet peccatum in mortali hominum corpore. » Aug. serm. 111. « Adveniat ergo accipiendum est, manifestetur hominibus. » A., serm. 65, id est « manifestetur mundo. » Iidem tamen ferme cum A. nostro de regno etiam æterno intelligunt, maxime quando et corpus post resurrectionem beatitudinem suam consequetur et « beata vita omni ex parte perficietur, » ut ait Aug., De serm. D. in m.

Digitized by Google

adimpletur ab angelis (160). Ibi enim sola pax regnat, ibi nullæ lites, nullæ discordiæ, nulla bella, neque indignatio ulla. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Hic est enim ille panis, qui de cœlo descendit : hoc pane nutritur anima. Qui bene supersubstantialis dicitur, quoniam super substantiam et angelorum, et hominum, caro Christi exaltata est. Est etiam iste panis sermo divinus, qui ab alio evangelista *quotidianus* (161) dicitur, quoniam quotidie ab Ecclesia suscipitur. Nam, etsi quotidie non suscipiatur singulariter ab omnibus, quotidie tamen ab illa suscipitur, quæ mater est omnium, et cujus membra sunt omnes. Hunc autem panem dari nobis non rogamus nisi *hodie;* quia non sumus nisi hodie. Cur enim cras mihi dari rogem, cum utrum ad cras veniam, ignorem? Ipse enim Dominus dicit : *Nolite cogitare de crastino* (162) : hodie es, hodie quære : si ad cras veneris, et cras quære. Postquam enim veneris ad cras, jam cras non erit tibi cras, sed hodie. Non quæris igitur nisi hodie, quia nunquam habes, nisi hodie. Tria enim tempora sunt, ex quibus unum tantum habemus (163). *Et dimitte nobis debita nostra; sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Hoc enim ipse paulo post subsequenter exponit dicens : *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra* (164). Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.

A Audisti conditionem : quid tibi videtur? Si dimiseris, dimittetur tibi (165) ; si non dimiseris, non dimittetur tibi. Aut ergo dimittas, aut ista non dicas : hæc enim dicendo, te ipsum ligas et contra te oras. Tale enim est ac si dicas : Noli mihi, Domine, dimittere peccata mea, quia nec ego aliis dimittere volo (166). Melius est ergo dimittere, quam contra se talia dicere, tantumque beneficium amittere. *Et ne nos inducas in tentationem.* Sic enim nos in tentationem Dominus inducit, sicut et Pharaonis **31** cor induravit. Quia enim sine ejus permissione nihil fit, hoc ipse videtur facere quod fieri permittit. Ipse igitur nos in tentationem inducit, quia inimicus noster nos tentandi potestatem non habuisset, nisi hoc ei desuper datum fuisset (167). B Hoc enim ex eo probari potest, quod nisi permissus, beatum Job tentare non potuit. Oramus igitur, non ut penitus non tentemur, sed ne in tentationem inducamur (168), qua irretiti teneamur et superemur. Qui enim in tentationem inducitur, quasi jam circumclausus, et irretitus, aut difficile, aut nullatenus expeditur. *Sed libera nos a malo.* Libera, inquit, nos a malo : libera nos a peccato, libera nos a diabolo (169), qui est auctor mali (170), ne nos in tentationem inducat, ne nos aggrediens superet, ne tentando vincat, et glutiat (171).

XVI. *Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes* (172). Tristes enim dicuntur hypocritæ,

(160) « Obediatur præceptis tuis, sicut ab angelis ita ab hominibus, » Aug., l. all. et ep. 130. Subjicit tamen Aug. alias interpretationes serm. in m. 1°, « faciant voluntatem tuam, sicut justi, ita etiam peccatores : » justos enim nomine *cœli*, nomine *terræ* peccatores significatos vult; 2° « ut justis præmium, peccatoribus damnatio retribuatur; » 3°, « ut quemadmodum spiritus non resistit Deo, ita et corpus non resistat spiritui : » quam explicationem dederat etiam Tertullianus et Cyprianus, et postea Beda; 4°, ut voluntas « sicut in ipso D. N. J. C. » perfecta est, « ita et in Ecclesia » perficiatur. Primam Cyrillus habet, et alibi ferme solam Aug. ipse producit.

(161) Notum est, Græcum textum, et hic ubi vulg. reddit « supersubstantialem, » et Luc. II, 3 ubi interpretatur « quotidianum, » habere τὸν ἐπιούσιον : imo lectionem frequentiorem PP. in Matthæo quoque (V. Sabatier tom. III, pag. 33) esse « quotidianum. » disserit de utraque interpretatione Hieronymus hic et lib. II, in epist. ad Tit. ubi aliam interpretationem suggerit egregiam, peculiarem. Quid intelligi his nominibus debeat aut possit, complexus est Aug. serm. in m. : « Panis quotidianus aut pro iis omnibus dictus est, quæ hujus vitæ necessitatem substentant..... aut pro sacramento corporis Christi quod quotidie accipimus, aut pro spirituali cibo. » Propter eos tamen « qui plurimi in orientalibus partibus non quotidie cœnæ Dominicæ communicant » præfert postea secundæ explicationi postremam : « præcepta scilicet divina, quæ quotidie oportet meditari et operari. » Cyrillus tamen alteram illam interpretationem solam proposuit, quod panis communis non sit ἐπιούσιος. Contra Chrys. de pane communi seu victu quotidiano explicat, quod mentio fiat ἄρτου τοῦ ἐφημέρου. Tertullianus, etsi in explicationem de Eucharistia magis inclinat, admittit tamen et hanc quotidiani victus. Cyprianus æque utramque approbat, ita ut « panis quotidianus possit spiritualiter et simpliciter intelligi. » Omnes vero qui postremam aliquo pacto recipiunt, præceptum J.-C. commemorant de cavenda sollicitudine in crastinum. De tota hac re fuse Maldonatus, quem legere juvabit.

(162) Matth. VI, 34 : « Nolite solliciti esse in crastinum. »

(163) « Cujus enim diei spatium visurum esse te nescis, quam ob causam illius sollicitudine torquearis. » Chrys.

(164) « Dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra, » Vulg. Matth. VI, 14.

(165) Vid. Chrysost., Aug., etc. Beda. « Certa nos sponsione constringens, ut non aliter a Deo cui debitores sumus, veniam petamus, quam sicut debitoribus nostris dimittimus. »

(166) V. S. Thom. qu. 83, art. 16 ad 3.

(167) Tertull. « Id est ne nos patiaris induci ab eo utique qui tentat. »

(168) Vid. Aug. serm. in m. etc. ubi distinguit « tentari » et « inferri in tentationem » : nam legit « ne nos inferas in tentationem ; » et epist. 130, « admonemur hoc petere, ne deserti ejus adjutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. » V. s. Cyrill.

(169) August. serm. in m. : « Orandum est enim, ut non solum non inducamur in malum quo caremus, quod sexto loco petitur, sed ab illo etiam liberemur, quo jam inducti sumus. »

(170) Cyrillus, Chrysost. et Græci ferme hic nomine *mali* diabolum interpretantur.

(171) Tertull. « Eo respondet clausula interpretans quid sit, *ne nos deducas in tentationem*, hoc est enim : « Sed evehe nos a malo. » Beda : « ut ab omnibus, quæ diabolus et mundus operantur, securi stemus ac tuti. »

(172) Est homil. Emiseno erronee attributa fer. 4, in capite jejunii, pag. 47.

Digitized by Google

quia, ut religiosi appareant, tristitiam quamdam et severitatem in vultu ostendunt, quasi qui multo jejunio sint confecti. Unde et subditur : *Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Facies enim suas exterminant, quia ultra suæ pulchritudinis terminos atque naturam, incultas et informes horrescere sinunt. Si enim informitas Deo placuisset, tam pulchra facie hominem non formasset. Sed quare hoc faciunt ? *Ut appareant hominibus jejunantes.* Si enim soli Deo jejunium suum commendare voluissent, non in facie, sed in corde illud ostenderent; scriptum est enim : *Homo videt in facie, Deus autem corda intuetur* (173). Qui igitur non Deo, sed hominibus placere volunt, illud exterminant (174) quod ab hominibus videtur. Ideoque quia laudem ab hominibus quærunt, mercedem a Deo non recipiunt. Et hoc est quod ait : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Sed dicis. Quomodo ergo jejunabo ? Audi quod sequitur : *Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui videt in abscondito ; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Hypocrita, inquit, quando jejunat, faciem exterminat, quoniam exterminatorem et tristitiæ principem in corde habet. Tu vero qui totius consolationis lætitiæque Dominum in cordis habitaculo gestas, hilarem et pulchram faciem ostende. Appareat exterius in facie, quantum lætitiæ bonum possideatur mente, et virtute jejunii operante, sicut animæ caput, et facies ungitur (175), et lavatur interius, sic etiam non mœroris, sed gaudii pulchritudo reveletur exterius. Hoc enim jejunium suo ordine celebratum operatur in nobis, ut et mens nostra sancti Spiritus oleo ungatur, et facies animæ peccatorum maculis abstergatur. Faciei autem spiritualis sanctaque lætitia hypocrisim tollit, ejusque suspicionem. Qualiscunque enim sit facies, Deus tamen non faciem intuetur, sed corda. Age palam quidquid vis, finge et simula quod vis, ipse tamen in abscondito videt, et, secundum hoc quod ibi videt, reddet tibi. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur.* In terra enim thesaurizanti dicitur : « Thesaurizat et ignorat cui congregabit ea (*Psal.* xxxviii, 6). » Itemque : « O stulte, hac nocte anima tua rapietur a te (176), quæ autem parasti cujus erunt ? » De illo vero qui in cœlis thesaurizat, quid dicitur ? « Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria (*Psal.* cxi). » Et Dominus ad divitem : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et sequere me, et habebis thesauros (177) in cœlo. » Qui autem sic suos thesauros reponit, securus est, eosque amittere non timet. Quicunque igitur es qui cupis animam tuam in cœlo habitare et esse, ibi tuos thesauros repone. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Si in cœlo est thesaurus, ibi erit et anima. Si in terra est, in terra erit. In terra utique, de qua beatus 32 Job ad Dominum dicit : « Dimitte me ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine; terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, et sempiternus horror inhabitans (178) (*Job* x, 20). » Denique : *ubi est thesaurus, ibi est et cor*, quia unusquisque illuc pervenire desiderat, ubi suas divitias cognoscit esse reconditas. Beatus igitur qui divitias suas in cœlo reposuit, ut semper ibi mentem habeat, semperque illuc omnibus viribus et desiderio tendat.

XVII. *Lucerna corporis est oculus. Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt ?* (179) Hanc autem similitudinem ad quid attulerit, non clare apparet, nisi fortasse quia discipulis loquebatur, quibus in hujus sermonis exordio dixerat : « Vos estis sal terræ, et vos estis lux mundi (*Matth.* v, 13) : » ut per hoc videlicet intelligant, quales in Ecclesiæ corpore esse debeant ; et tale est ac si diceret : Sicut oculus est lucerna corporis, ita et vos estis lucerna Ecclesiæ ; qui si simplex (180) et sine macula fuerit, totum corpus lucidum erit ; si vero nequam et sine lumine fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Nam neque manus quo extendantur, neque pedes quo

(173) I. Reg. xvi, 7. « Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. »

(174) De verbo « exterminant, » ejusque usu in ecclesiasticis scripturis agit hic Hieron., quem Beda describit. Habet illud verbum Hilarius, Augustinus, etc. Græce ἀφανίζουσι.

(175) Quod enim de unctione dicitur, hoc significat. Nam evangelista loquitur « juxta ritum provinciæ Palestinæ, ubi diebus festis solent ungere capita. » Hier. et Beda, et De veteribus generatim Chrysost. « mos iste apud veteres fuit ; ut lætitiæ suæ tempore sæpius ungerentur. »

(176) Luc. xii, 20, « animam tuam repetunt a te. » Vulg.

(177) Matth. xix, 21, « habebis thesaurum. » Vulg.

(178) Sed Vulg. « inhabitat. »

(179) « Lucerna corporis tui est oculus tuus : si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. »

(180) Ita ferme S. Hieron. adv. Lucifer. « Lucerna corporis est oculus, id est Ecclesiæ lumen est episcopus . . . Sacerdote enim fidem veram prædicante, ex omnium corde tenebræ discutiuntur, » etc. Propius et A. De dignit. sac., cap. 6 (quem Mabill. t. II. An. Silvestrum PP. II esse putavit : Ambrosius olim putabatur) ; *Si oculus tuus simplex fuerit*, etc., id est si episcopus, qui ut lumen meruit præesse in corpore, simplicitate est sancta, et innocentia decoratus, omnis Ecclesia splendore luminis radiatur; si autem oculus tuus nequam, etc., id est, si episcopus, qui videbatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cætera facient membra quibus lux adempta est oculorum !

Digitized by Google

ambulent, neque cætera membra cognoscent ad quam partem se dirigere debeant. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sint, et illud in se lumine careat, neque in ipsum illuminare valeat, sine quo cætera membra lumen non habent, considera modo ipsæ tenebræ quantæ erunt! Tantæ utique quanta et membra. Sicut enim unius lumine omnia illuminantur, ita unius tenebris omnia excæcantur. Necesse est igitur ut Ecclesiæ oculus, necesse est ut sacerdos et episcopus simplex sit, sine macula sit, sine errore sit; quatenus de ejus vita, de ejus doctrina, de ejus moribus, et sancta conversatione omnia membra illuminentur. Si vero, quod absit! nequam fuerit, si hæreticus fuerit, si fornicator et adulter fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Non dixit totum *corpus nequam* erit, sed totum corpus *tenebrosum* erit; quoniam non omnes ejus nequitiam imitantur, quamvis ejus tenebris omnes involvantur. Omnes enim involvuntur tenebris, quia exstincta est in eis lucerna luminis. Non enim ex tenebris oritur lumen, neque ex mendacio nascitur veritas. Si ergo totius corporis lumen vertatur in tenebras, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Hoc autem et de anima intelligi potest, cujus oculus est intellectus (181). Qui si veræ lucis lumen amiserit, mox tota anima erroris et tenebrarum caligine involvetur. Si vero simplex et mundus fuerit, ipsa quoque clara et lucida erit.

33 PARS SECUNDA.

XVIII. (182) *Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ.* Modo enim superius Salvator noster de thesauro locutus est; quem etiam quo in loco reponere debeamus ostendit, dicens: *Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur.* Nunc autem dicit, quia non possumus duobus dominis servire, Deo scilicet et mammonæ: mammona namque *divitiæ* interpretatur (183). Reponat igitur in cœlo divitias suas, qui Deo familiariter servire desiderat. Qui enim divitiis servit, ejus servitium Deus non recipit. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Divitiis autem servire est, subjectionem quamdam eis exhibere, et pro necessitate vel utilitate eas expendere timere. Aliud igitur est servire divitiis, aliud habere divitias (184). Ille enim dives non multum a paupere distat, qui in divitiis spem non ponit, easque utiliter largiterque distribuit. Hoc autem si ad litteram intelligatur, ut simplex sermo dicere videtur, non solum duobus dominis, sed et multis dominis servire non est impossibile. Ideoque de quibus dominis hoc intelligere debeamus, confestim subdidit dicens: *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Istis enim duobus nemo simul servire potest. Quis enim servit mammonæ, nisi avarus? Avarus igitur Deum contemnit et odio habet. Unde hoc? Quia idolis servit; sic enim Apostolus ait « Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei (*Ephes.* v, 5). » Sequitur: *Ideo dico vobis: ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.* Hæc enim specialiter dicuntur apostolis, eorumque successoribus (185), cæterisque omnibus qui ad summum perfectionis culmen attingere cupiunt. Talibus enim nulla terrenorum bonorum est sollicitudo, quia habentes victum et vestimentum, his contenti sunt. Facile quidem et sine omni sollicitudine his abundant, qui totam spem suam in Deum ponunt. Unde Psalmista: « Jacta, inquit, cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet (186). » Itemque: « Non vidi justum derelictum, nec semen ejus egens pane (187). » Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? Noli, inquit, quicunque es qui mundi gloriam sprevisti, et Deo servire, et contemplationi vacare elegisti, noli sollicitus esse animæ tuæ, id est vitæ tuæ, quia qui dedit vitam, dabit unde et regatur vita. *Plus est* enim *anima quam esca*, plus est vita quam regimen vitæ (188). Qui igitur dedit quod majus est, et illud utique dabit quod minus est. Valde enim hæc verba apostolis erant necessaria, qui sine sacculo et pera ubique terrarum erant ituri. Quibus et Dominus ait: « Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos (189). »

(181) De intellectu interpretatur Chrysost., et alii passim vet. et recent., ut adnotavit a Lapide. V. Jansenium id fuse explicantem conc., cap. 42.

(182) Est homilia Emiseni Dom. 15 post Pentec., pag. 167. Jam diximus harum homiliarum qui auctor sit agnoscendus.

(183) Notissimum illud S. Aug. serm. in mont. cap. 14. « Mammona apud Hebræos divitiæ appellari dicuntur. Congruit et Punicum nomen; nam lucrum Punice *Mammon* dicitur. » Magis accurate S. Hieron.: « Mammona sermone Syriaco *diritiæ* nuncupatur, » quem Beda describit. V. a Lapide.

(184) Chrysost., hom. 22, prolatis exemplis Abrahami, Job, etc., qui divites fuere: « Noli tu mihi contra hanc sententiam proferre divites, sed divitiis servientes, » etc.

(185) Vid. S. Aug. De opere monach., cap. 26.

(186) Psal. LIII, 25. « Jacta super Dominum curan. tuam, » etc. Vulg.

(187) Psal. XXXVI, 26: « Semen ejus quærens panem. » Vulg.

(188) « Admonet in hac sententia, » ait Beda, « ut meminerimus multo amplius nobis Deum dedisse qui nos fecit, quam quodvis alimentum et tegumentum. »

(189) « Sicut oves in medio luporum, » Matth. x, 16 « Sicut agnos inter lupos, » Luc. x, 3.

Digitized by Google

Iis autem ut Apostolus ait, constituit Dominus ut de Evangelio viverent : « dignus est enim operarius mercede sua (*Luc.* x, 7). » *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne magis vos pluris estis illis?* Nullum enim animal in hoc mundo Deus creavit, quod pluris amoris et dilectionis, pluris prætii et honoris sit apud Deum, quam homo. Si igitur ea quæ propter hominem facta sunt, et quæ ad ipsius comparationem aut parva aut nulla sunt, sine labore et sollicitudine omnipotens Dominus pascit, quanto magis eos non derelinquet, qui ad ejus imaginem facti ejus gratiæ sunt reconciliati (190)? *Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Hoc autem tale est ac si diceret : Quod vos quidem nec sollicitudine, nec cogitatione, nec arte, nec ingenio, nec labore facere potestis ut videlicet **34** ad staturam vestram unum cubitum adjiciatis : hoc sine vestra cogitatione et sollicitudine Deus in vobis operatur, quos de matris utero tam parvos progredientes, ad integram mensuram perfecti hominis provexit (191). Ergone pascere non poterit, qui creare, vivificare et hæc incrementa dare potuit? *Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.* Putatis, inquit quod vos sine labore et sollicitudine vestire non possit, qui agros vestit floribus, et lilia distinguit coloribus? Quomodo enim crescunt lilia? quomodo tam pulchris operimentis induuntur? Nam neque laborare, neque *filare* (192) noverunt, insensibilia enim sunt; verumtamen satis excellentius ipso quoque Salomone induta sunt, qui et divitiis et sapientia cæteris illius gentis regibus excellentior fuit. Nemo enim, vel arte vel sapientia, Dei operationis pulchritudinem imitari potest (193). *Si autem fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos minimæ fidei?* Si de his quæ infra vos sunt hanc curam habet, quam curam de vobis eum habere putatis? *Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* quoniam ille nihilo indiget, qui vobis, si fidem habeatis, sufficienter omnia ministrabit. Hæc enim omnia gentes inquirunt : vos autem hæc quærere non est necesse. Quærere, inquam, cum labore et sollicitudine : ideoque Dominus non ait : *Nolite quærere*, sed nolite *solliciti esse; scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Unde apostolus Petrus in Epistolis suis loquitur dicens : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis (194) (*I Petr.* v, 7). » Quærite, inquit, primum regnum Dei; quærite vitam æternam; quærite ut Ecclesia crescat; orate ut regnum Dei adveniat, suamque vobis justitiam tribuat; ut, qui omnium judices facti estis, omnes in justitia et æquitate judicare possitis. Et hæc omnia adjicientur vobis. Hoc est enim quod alibi ait : « Centuplum accipietis et vitam æternam possidebitis (*Matth.* xix, 29). » *Nolite solliciti esse in crastinum :* crastinum enim pro futuro posuit (195). Non enim vult Dominus de futuro nos esse sollicitos, qui neque de præsenti certi et securi sumus : et in eo quidem quod nos in crastinum solliciti esse prohibet, præsentium quodammodo sollicitudinem concedere videtur (196). Unde et beatus Paulus quasi de præsenti sollicitus manibus suis laborabat, quod ei ad victum quotidianum sufficere posset. Hac enim sollicitudine otiositas tollitur, nec tamen divitiis servitur. Cur autem de crastino solliciti esse non debeamus, adjunxit : *Crastinus enim dies, sollicitus erit sibi ipsi ;* ac si dicat : Sicut hodiernam sollicitudinem non interdico, ita neque crastinam, postquam crastinus dies advenerit. Sit igitur hodiernus dies de se sollicitus, et non de alio : similiter et crastinus, et cæteri per ordinem. *Sufficit enim diei malitia sua :* sufficit tibi si hujus præsentis diei malitiam transire valeas. Cur ergo malitiam malitiæ, laborem labori, angustias angustiis, fatigationem fatigationi superaddere velis? Non enim pro malo hoc in loco *malitia* ponitur, sed pro fatigatione et labore (197). Sic enim dicere solemus : « Multa mala hodie passi sumus, » quando aliquo magno labore fatigamur. Hoc autem alicui inconveniens esse videbitur, nisi forte de

(190) Hieron. « Si volatilia absque cura et ærumnis Dei aluntur providentia, quæ hodie sunt et cras non erunt, quanto magis homines, quibus æternitas promittitur, Dei reguntur arbitrio? » Quæ ferme totidem verbis Beda. « Si etiam longe inferiorum tantam se ostendit Deus habere curam, quomodo, inquit, vobis necessaria ista non tribuet? » V. Chrys. hom. 22.

(191) Ac si dicat : « Illi ergo reliquite curam tegendi corporis, cujus cura factum esse videtis, ut tantæ staturæ corpus habeatis; Beda. » Ex quo etiam illud ostendit, » ait Chrysost. l. all. « quibus corpus ipsum non tam alimonia crescat, quam providentia Conditoris. »

(192) Vides vocem omnino vulgaris linguæ, quam addere potes cæteris de quibus Muratorius dis. 32, AA.

(193) « Et revera quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari? quid ita rubet ut rosa? quid ita candet ut lilium? » etc. V. Hieron. et Chrys. hom. 23.

(194) « Labor exercendus est, sollicitudo tollenda. » Hieron.

(195) Hieron. « Cras in Scripturis futurum tempus intelligitur, dicente Jacob : Et exaudiet me cras justitia mea, » etc. Vide S. Aug. contr. Adimant., cap. 24.

(196) Expressit Hieron. illud ad h. l. De præsentibus ergo concessit debere esse sollicitos qui futura prohibet cogitare; unde et Apostolus (I Thess. xi, 9) : « Nocte et die, inquit, manibus nostris operantes ne quem vestrum gravaremus. »

(197) Ex Hieron. hoc, quoque ad h. l. Hic malitiam non contrariam virtuti posuit, sed laborem et afflictionem et angustias sæculi, quomodo et Sara afflixit Agar : quod significanter Græce dicitur, ἐκάκωσεν αὐτήν exempla significationis hujus suppeditant aureæ ætatis Latini scriptores, ut Virgilius II Georg. 5, 168. Assuetumque malo Ligurem. Vide Henric. Steph. l. I Sched. c. 6.

Digitized by Google

solis apostolis et similibus intelligatur. Ad quid enim oves et boves et cætera animalia quæ hodie necessaria habuimus, completo die teneamus et custodiamus, si omnino de crastino sollicitudinem non habeamus? Ad quid præterea agros et vineas colimus, eorumque fructus in cellaria recondimus? Patent autem et alia multa quæ simili modo contra hæc dicere possimus. De illis igitur hæc intelligantur, quibus præter corporis necessaria, nihil in hoc mundo possidere placet (198). Tales enim prophetæ et apostoli fuerunt; tales et multos alios fuisse legimus. Si enim omnes homines tales esse vellent, non deesset Deo unde eos pasceret (199).

XIX. [CAP. VII.] (200). *Nolite judicare et non judicabimini.* Non arbitretur aliquis ut his **35** verbis justa judicia interdicantur, si tamen ab illis fiant a quibus fieri debent. Quid est enim *nolite judicare, et non judicabimini :* multi enim non judicant, qui tamen judicabuntur. Dicatur ergo : nolite injuste et contra legis præceptum aliquem judicare, et non judicabimini de injusto judicio. Judex enim qui injuste non judicat, etsi de aliis peccatis judicetur, de justo tamen judicio non judicatur, quia in judicio non peccavit (201). Unde et subditur : *In quo enim judicio judicaveritis judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Hoc autem non sic est intelligendum (202) ut si aliquis male et injuste aliquem judicavit, ipse quoque injuste a Domino judicetur : est enim Deus justus judex, nihilque judicat injuste. Eodem igitur judicio quo alios judicant, per quemdam modum judicabuntur, et non eodem judicabuntur. Eodem quidem, quia et ipsi damnabuntur; non eodem vero, quia non damnabuntur injuste. Sive igitur scienter aliquis aliquem injuste judicaverit, sive in rebus occultis et dubiis accusaverit et damnaverit, certissime sciat et nullatenus dubitet quia ipse quoque eodem judicio judicabitur, et eadem mensura *remetietur ei.* Et de occultis quidem judicare Apostolus prohibet dicens : « Nolite itaque ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* IV, 5). » De dubiis vero sic ait : « Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem : potens est enim Deus statuere illum : unusquisque in suo sensu abundet (*Rom.* XIV, 4). » Notandum autem sicut hic manifeste apparet, quoniam illi quoque judicare dicuntur, qui aliorum facta vel redarguunt, vel accusant. Unde et Apostolus cum dixisset : « Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur (203), » mox subdidit dicens : « Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die (*I Cor.* IV, 2). » Sunt autem et alii qui aliorum parva commissa libenter diffamant, accusant et damnant, et crimina quibus premuntur, videre despiciunt : et cum se ipsos non videant, in alios semper oculos apertos habent. Et isti quidem de alterius oculo festucam trahere conantur, trabes vero quæ in suis infixæ sunt, non considerant. De quibus subditur : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* Tu criminibus premeris, et alios de peccatis reprehendis? Hoc enim interest inter peccatum et crimen, quod interest inter festucam et trabem. *Aut quomodo dices fratri tuo, sine ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabes est in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Si, inquit, tam diligens es ad aliorum corrigenda peccata, cur non prius corrigis tua? Si in aliis tam benigne misericordia moveris, cur non tui potius misereris? Scriptum est enim : *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (*Matth.* XIX, 19); sed tu, sicut fingis, plus diligis fratrem tuum quam te ipsum; illius enim curam habes, te ipsum negligis. Sed hoc fortasse agis arte, ut prius illo experiaris quomodo postea tibi mederi debeas, magisque vis probare in alio quam in te ipso tuæ artis peritiam. Si enim ideo facis, astutia est, non misericordia. Sed non ideo facis : cur ergo? Quia hypocrita es, quia non vis esse bonus, sed videri bonus. Sufficit enim tibi, si a populo videaris, et si de te alii dicant : Ecce homo justus, ecce qui nemini parcit, ecce qui omnium peccata redarguit, ecce qui vult omnes sanare, et omnium oculos illuminare. Hoc enim populus dicit, sed tu tamen aliter intelligis. Scis enim quia mentitur, quamvis de illorum mendacio gratuleris.

XX. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.* Quid enim per sanctum et margaritas, nisi divina sacramenta intelligamus? Quid vero per canes nisi infideles et iniquos, qui oblatrantes veritati acquiescere nolunt, et quasi canis ad vomitum, ad mala consueta sæpius revertuntur? De canibus enim Dominus ait : « Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus ad manducandum (*Matth.* XV, 26), » cum de muliere Chananæa loqueretur. Porci vero sunt qui quasi in volutabro luti, in fœtore vitiorum delectantur. His igitur divina sacramenta dare pro-

(198) V. S. Aug. De opere monachorum cap. 26, 34.

(199) Hactenus homilia.

(200) « Nolite judicare ut non judicemini. » Luc. VI, 37. « Nolite judicare et non judicabimini. »

(201) « Itaque non prohibuit judicare, sed docuit. » Hier.

(202) Beda : « Nunquid temere enim, sicut nos de aliis, ita judicabit de nobis Deus, aut iniqua mensura remetietur? nullo modo hoc est apud Deum, » etc.

(203) I Cor. IV, 2. Chrysost. 50 all. « Hic non generaliter peccata omnia prohibuit judicari, nec omnibus istius rei abstulit potestatem, sed his profecto solis qui, cum flagitiis abundent innumeris, alios de levissimis quibusvis delictis tota temeritate condemnant. » Hieron. « De his loquitur qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt. »

Digitized by Google

hibemur, quia dum in peccatis homo perseverat, et ad ea, quasi canis ad vomitum, revertitur, vel quasi porcus cœnosus in eis delectatur, Christi corporis et sanguinis sacramenta eis dare non debemus. Conculcant enim ea pedibus suis, et quasi pro nihilo ducentes, non quali debent veneratione ea suscipiunt : statim enim ad pravi operis consuetudinem convertuntur, et nos mœrore et tristitia interius scindunt et rumpunt, qui plus quam ipsi de eorum perditione dolemus. Potest autem de infidelibus 36 sic intelligi, ut quandiu veritati non acquiescunt, et oblatrantes Evangelio contradicunt, et a sui erroris cœno et fœtore non separantur, majora eis sacramenta non revelentur, ne forte blasphemando et irridendo ea conculcent, et conversi in ipsos prædicatores, non solum injuriarum, sed etiam verberum dolore eos afficiant et dirumpant (204).

XXI. *Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur.* Hæc enim secundum Lucam supra dictæ Dominicæ orationi continuantur (*Luc.* xi, 9) : quam quidem instanter dicere debemus, ut nostrarum petitionum desideria compleantur. Sed quomodo verum est, *omnis enim qui petit, accipit?* multi enim petunt et non accipiunt quod petunt. Hoc igitur de illa petitione intelligatur, de qua supra dixit, *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis.* Non enim in stultis petitionibus fideles suos exaudit : ipse enim scit quid nobis opus sit (205). In illis igitur nos exaudit, quæ nobis salutaria esse cognoscit. *Omnis ergo qui petit, accipit;* si tamen ejus petitio digna sit, quæ exaudiatur : aliam autem petitionem Deus non audit. Unde et subditur : *Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei. Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se.* Ac si dicat : Vos, qui mali estis, non mala tamen, sed bona data datis filiis vestris; et Deus, qui naturaliter bonus est, bona data non dabit fidelibus suis? Dabit utique bona data, et nonnisi bona eis dabit, etiamsi inutilia quærant, dum se sibi profutura quærere sperant. Aliquando enim sancti non recipiendo quod petunt, magis exaudiuntur quam exaudirentur, si illud reciperent. Plus enim non recipiendo beatus Paulus exauditus est, quam si illud recepisset, pro quo, sicut ipse dicit, ter Dominum rogaverat. Exauditus est igitur, ne exaudiretur. Non enim nisi bonum Apostolus quærebat, quamvis illud non bonum sibi esse non intelligebat. Exauditus est igitur recipiendo bonum, ne exaudiretur recipiendo non bonum. Qui enim sibi bonum non quærit, dum se sibi bonum quærere putat, si id recipiat quod quærit, non exauditur; si non recipit, exauditur. Deus igitur qui non aliud nisi quærentis affectum considerat, bonum ei reddit qui se bonum quærere credit, etiamsi sibi non sit bonum quod quærit. Videamus autem quid per panem et piscem, et quid per lapidem et serpentem significetur (206). Ego quidem in pane sanctarum Scripturarum spiritualem intelligentiam significari puto; litteram vero in lapide, quoniam in tabulis lapideis scripta est. At vero in pisce Christum Dominum nostrum intelligo, qui in baptismi flumine primus natavit, et, ad piscis similitudinem, sine coitu de Virgine natus est. In serpente vero quis alius intelligitur, nisi ille qui primum hominem in serpente decepit? Lucas vero evangelista post hæc *ovum* quoque et *scorpionem* posuit. In ovo igitur resurrectionem intelligamus, in qua velut pulli de ovis, omnes sancti de sepulcris resurgentes, sursum ad cœlestia convolabunt. In scorpione autem, diabolum vel Antichristum, qui dum latenter homines decipiunt, quasi cauda eos percutiunt; scorpio enim nonnisi cauda percutit. Boni itaque filii, id est Christiani, panem petunt, quia in lege et prophetis spiritualem intelligentiam quærunt. Petunt autem et piscem, quia Christi carne saturari desiderant. Petunt similiter et ovum, quia firmissima spe carnis exspectant resurrectionem. At vero mali filii, id est Judæi, lapidem petunt, quia in sacris voluminibus solam litteram quærunt. Petunt autem et serpentem, quia in veneno et tortitudine diabolum imitantur. Petunt similiter et scorpionem, Antichristum exspectantes, quem Messiam vocant, ut qui in mundi exordio in primo homine occisi sunt a dracone, circa mundi finem percutiantur a scor-

(204) PP. multi verbum Dei intelligunt et enuntiationem mysteriorum fidei, Hilarius et Hieron. hic, S. Leo epist. 78, Chrysost., Beda, etc. : et ante hos Origen., homil. 1 in psal. xxxvii. A. Constit. apost. lib. iii, cap. 5. At baptismum interpretatur sanctum S. Cyrillus Hierosol. catech. 1, n. 3, et catech. 17, num. 36. Propius ad A. S. Athanasius Apol. contr. Arian., n. 11, de Eucharistia sermonem factum non initiatis : Eucharistiam ipsam cum A. S. Gregorius lib. xxxv Moral., n. 13.

(205) Hier. : « Qui carnalia supra vetuerat postulari : quid quærere debeamus ostendit. » Huc pertinet illud S. Jacobi iv, 3. « Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. » V. Abulensem ad h. loc. quo nemo fortasse luculentius rem edisseruit, atque ad perseverantiam in petendo revocavit, de qua Chysost., Beda, etc.

(206) Quod hic in mysticas explicationes effunditur, sequitur ætatis suæ ingenium, imo et superiorum sæculorum. Nam Beda non absimili modo (Bedam etiam æmulari fortasse voluit). « Panis intelligitur charitas..... cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparavit; pisces sunt fides invisibilium, vel propter aquam baptismi, vel quia de invisibilibus capitur, seu quod hujus mundi fluctibus non frangitur : cui contrarium posuit serpentem, propter venena fallaciæ, quæ primo homini præseminavit. Quod autem in Evangelio secundum Lucam hæc duo subsequitur ovi et scorpionis comparatio, in ovo indicatur spes, in quo nondum perfectus fetus est, sed fovendo speratur : vel quod spei contrarium est, retro respicere, quæ se in ea quæ ante sunt extendit, et ideo huic contrarium posuit scorpionem, cujus aculeus venenatus retro timendus est; qua mortifica desperatio in fine est formidanda. »

Digitized by Google

pione. Sic itaque bonis filiis bona data petentibus, bonus Pater bona data **37** tribuit. Mali vero mala data petentes, a malo patre mala data suscipiunt. *Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis : hæc est enim lex et prophetæ.* Quia, inquit, petitiones vestras a Domino exaudiri vultis, vos quoque aliorum petitiones libenter audite. Sed ne forte putetis quod malis petitionibus assentire debeatis, hoc facite aliis quod vobis ab aliis fieri vultis. Subvenite aliis in necessitatibus suis, si vultis, ut alii subveniant vobis in necessitatibus vestris. Et alibi quidem dicitur : « Quod tibi non vis, aliis ne feceris (207) : » hic autem dicitur : Quod tibi vis fieri, hoc aliis facias. Ibi malum facere interdicimur, hic autem etiam malis bona facere jubemur : hæc est enim lex et prophetæ; hæc est charitas perfecta : « Diliges proximum tuum sicut te ipsum (*Matth.* v, 43), » quia vis ut te diligat proximus tuus sicut se ipsum : quod enim ab illo expetis, hoc te illi facere oportet. Hæc est igitur lex et prophetæ, quia hoc præcipiunt lex et prophetæ : non tamen dicit quod in hoc uno mandato universa lex pendeat et prophetæ. Et quasi aliquis diceret : Arcta via est ista, valde difficilis observationis sunt ista mandata, subdidit dicens : *Intrate ergo per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* Et via, inquit, arcta est, et porta angusta; ideoque a paucis invenitur : verumtamen hæc est illa via et illa porta per quam ad æternam vitam pervenitur. Pauci enim sunt illi qui salvantur, ad comparationem illorum qui damnantur. Unde et alibi Dominus ait : « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* xxii. 14). » Illa autem via et illa porta quæ ducit ad perditionem, lata valde et spatiosa est, et ideo multi intrant per eam. Jejunare enim, vigilare, a carnis desideriis et cunctis voluptatibus abstinere, propriam voluntatem non facere, cui non videatur angustum et arctum? At vero abundanter et deliciose manducare et bibere, cunctis carnis desideriis et voluptatibus obedire, suæque voluntati in nullo contradicere, cui non videatur latum et spatiosum? Multi igitur per hanc viam ambulant, multi per hanc portam intrant. Sed quo intrant? Civitatem utique perditionis collegium mortis, carcerem angustiarum, et lacum omnium miseriarum.

XXII. (208) *Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Attendite, inquit, et cavete vobis a falsis prophetis, a malis sacerdotibus et episcopis : attendite a falsis prædicatoribus : attendite a Simoniacis et hæreticis (209). *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Ovium simplicitatem simulant, ovium innocentiam fingunt, et ovium patientiam mentiuntur. Quos quidem si interius videretis, si sub vestibus cerneretis, aliud ibi quam ovem esse cognosceretis. Latet enim lupus sub ovina pelle, et quos exterius oves esse putatis, *intrinsecus sunt lupi rapaces.* Lupi enim rapaces sunt, quia non ad hoc venerunt ut gregem custodiant, sed ad hoc ut furentur et rapiant, mactent et perdant. Quomodo autem eos cognoscere : possitis audite: *A fructibus eorum cognoscetis eos*, sicut enim unaquæque arbor a fructu suo cognoscitur, ita unusquisque homo in operibus suis cognosci potest. Ideoque non dixit a foliis eorum, sed a fructibus eorum cognoscetis eos. Si enim verba attendamus, non facile boni discernuntur a malis. Unde et alibi Dominus ait : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : quæcunque dixerint vobis facite, secundum opera eorum nolite facere (210). » In quo apertissime bene eos dicere et male facere ostendit. Qui igitur in verbis non discernuntur, in operibus comprehenduntur. Prædicent igitur quidquid velint, vos autem opera considerate. Si fideles sunt, si mites, si patientes, si misericordes, si humiles, si pacifici, si casti, si benevoli, si avaritiam oderint, si pecuniam non abscondunt, et similia quæ enumerare longum est, isti sunt fructus bonæ arboris : horum laudes folia sunt. Qui enim laudant hæc et non agunt, folia tantum et non fructus ostendunt. Sic igitur a fructibus eorum cognoscetis eos. Nam et spinæ et tribuli a fructibus suis **38** cognoscuntur, quoniam neque in spinis uvæ, neque in tribulis ficus colliguntur. *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.* Verum est enim quia omnis arbor bona facit fructum bonum, et omnis arbor mala facit fructum malum; sed quomodo illud verum est, quod verum

(207) Ubi hoc dicitur in Scriptura? Putes Tobiæ IV, 16. « Quæ ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. » Hac de re August., lib. XIV De civ., cap. 8; Chrys., homil. in ps. V; Fulgent., lib. I De remiss. pecc., cap. 17; Gregorius M. Moral. lib. (?), c. 23, et lib. X, c. 6, et l. XIX, c. 18, in quorum primo loco. « Hinc quidam sapiens dicit : Quod tibi non vis, alteri ne feceris. » Recens adnotator Tobiæ librum nomine sapientis cujusdam indigitari putat. Sed non hisce verbis Gregorius appellaret scriptorem quem canonicum esse norat, et pro canonico habebat, et Reg. Past., p. III, c. 20, formula consueta appellandi scriptores canonicos, producit : « scriptum est. » Imo ita hoc ipsum Tobiæ proponit l. X, ep. 51. Etsi PP. hujus dicti meminerint, ut Aug. l. III Doctr. Christ. c. 14. Auctorem enim produnt. Frequens fuisse dictum hoc apud Judæos et Christianos, significat Lampridius in Alex., c. 51. Sed auctor non est quærendus, cum « Deus a principio conscientiæ nostræ indiderit, » ut ait Chrysost. hom. 13 ad pop. Ant., n. 3.

(208) Est hom. Emiseno supposita Domin. post Pent., pag. 156.

(209) Hæreticos interpretatur S. Hieronymus qui hic dicuntur pseudo-prophetæ; et Hieronymum exscribens Beda. Chrysostomus negat contextum hanc ferre explicationem, et vult accipi de « iis qui, cum sint vitæ pravitate corrupti, speciem tamen virtutis induti sunt; qui vulgo impostores vocari solent, τῶν ἐπιβετῶν προσηγορίᾳ. »

(210) Matth. XXIII, 2, « super cathedram, etc., servate et facite. » Vulg.

Digitized by Google

esse Veritas dicit, ut nulla bona faciat malum, et nulla mala faciat bonum? Nemo enim tam justus, qui aliquando non peccet : hoc enim Joannes apostolus ait : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (211). » Omne autem peccatum malus fructus est. Malus igitur fructus etiam in bona arbore reperitur. Similiter autem nemo tam iniquus, qui aliquando bonum non agat, neque enim fieri potest ut saltim (212) verum aliquando non dicat : verum autem dicere bonum est ; invenitur igitur bonus fructus et in arbore mala. Quid igitur? Quomodo verum esse probabimus quod verum esse non dubitamus? Veritas enim mentiri non potuit. Verum est itaque quod nulla arbor bona fructus malos facit, et nulla arbor mala fructus bonos facit. Verum utique est, sed cum determinatione verum est. Dicatur ergo : Nulla bona arbor, secundum hoc quod bona est, fructus malos facit (213) : nullum enim contrarium suum contrarium generat ; nam neque dulce facit amarum, neque sanitas ægritudinem, neque frigus calorem, neque veritas falsitatem. Non igitur bonum facit malum, neque malum bonum; contraria enim sunt. Omnis enim arbor secundum suam naturam bona est, et bonos fructus facit : secundum corruptionem vero mala est, et malos fructos facit. Quid autem in arbore significetur intelligis : arbor enim ista homo est (214). Sed vis videre quia non hominis natura, quæ utique bona est, facit fructum malum; sed ejus corruptio et peccatum? Audi quid Apostolus dicat : « Non enim quod volo hoc ago, sed quod nolo malum illud facio. Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum (215). » Inde igitur dicitur arbor mala, non quod secundum se mala sit, sed quia est corruptio mali. Etsi parum quidem corrupta est, quasi jam a corruptione sana, non mala, sed bona vocatur : si vero multum corrupta est, mala vocatur et non bona : ab eo enim suscipit nomen, quod magis in ea abundat. Cognoscuntur igitur falsi prophetæ a fructibus suis; quoniam, etsi aliquando bonum aliquod facere videantur, tamen, quia vel pro lucro, vel pro laude faciunt, eorum simulatio diu celari non potest. Quia enim omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus, ipsum quoque quod bonum esse videtur, bonum non est. Sequitur : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Tunc enim arbores excidentur, quando homines moriuntur : in ignem vero tunc mittentur, quando dicetur eis : Ite, maledicti, in ignem æternum. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Quid est hoc? Nunquid enim voluntatem Patris non facimus, quando Filium ejus Dominum vocamus? Ipse enim discipulis ait : « Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis; sum etenim (*Joan.* XIII, 13). » Dico ergo : Si una voluntas est et Patris et Filii, quomodo non facit voluntatem Patris qui facit voluntatem Filii? Voluntas enim Filii est ut vocetur Dominus : est igitur et voluntas Patris. Sed non sufficit hæc una voluntas : sufficiet autem si eum quem vocas Dominum (216) habeas ut Dominum, et servias ei ut Domino. Si enim servieris ei ut Domino, eris servus fidelis et bonus, dicenturque tibi a bono Domino : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Sequitur : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus; et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Qui sunt enim isti multi; nisi illi quos modo paulo superius falsos prophetas nominavit? Isti autem multi : hæc turba non modica dicent *in illa die.* In qua die? Non quæras nomen ejus, quia notissimum est. **39** Quid dicent? *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Prophetavit enim Balaam (217); prophetavit et Caiphas; hoc enim dicit Evangelista : « Quia cum esset pontifex anni illius prophetavit dicens : Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat (*Joan.* XI, 51). » Dæmonia vero usque ejiciunt, aliasque multas virtutes faciunt, et qui baptizant, et qui prædicant. Quot enim sunt crimina, tot sunt et dæmonia in uno quoque; unde et Dominus de Maria Magdalena dicitur (218) expulisse *septem dæmonia*, quoniam, sicut alibi dicitur, « dimisit ei peccata multa, quia dilexit multum (*Luc.* VII, 47). » Hæc autem dæmonia ejiciuntur, quando evangelica prædicatione, a quocunque nuntietur, peccatores pœnitent et conver-

(211) Epist. 1, 1, 8. « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos, » etc. Vulg.

(212) Pro saltem.

(213) Hieron. hic : « Nos inferemus, et Judam arborem quondam bonam fecisse fructus malos, postquam prodidit Salvatorem ; et Saulum arborem malam... fecisse postea fructus bonos, quando in vas electionis de persecutore translatus est. Tandiu ergo bona arbor fructus non facit malos, quandiu in bonitatis studio perseverat; et mala arbor tandiu manet in fructibus peccatorum, quandiu ad pœnitentiam non convertitur. Nemo enim permanens in eo quod fuit, incipit id esse quod necdum cœperit. » Idem habet Chrysost. hom. 24 « fructum bonum ab homine non fieri « quandiu malitiæ affixus est. »

(214) Non dissimili modo Beda. « Per arborem intelligimus seu bonam seu malam voluntatem ; fructus autem opera, » etc.

(215) Ad Rom. v, 14-15. « Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, » etc.

(216) Hilarius ad h. l. « Regnum cœlorum sola verborum officia non obtinent. »

(217) Hieron. « Nam et Saul, et Balaam, et Caiphas prophetaverunt, » etc.

(218) S. Aug. serm. 1, enarrat. in psal. LXXXVIII, num. 6 ad illud : « Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine; » scribit : « Non merita sua confitebuntur cœli, sed confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine : » in omni enim misericordia perditorum, in justificatione impiorum quid laudamus, nisi mirabilia Dei? laudas quia resurrexerunt mortui; plus lauda quia redempti sunt perditi, » etc.

Digitized by Google

tuntur. Faciunt autem et alias multas virtutes, quia cæcos illuminant, leprosos curant, et mortuos suscitant. Has enim virtutes fecerunt in corpore aliquanti prædicatores, in anima vero faciunt omnes. Neque vero minus est animam sanare, quam corpus. Corpus vero sanatur et moritur, anima vero sanatur, et nunquam moritur. Vis autem scire quæ anima sit cæca? Anima enim infidelis, quæ Deum non videt, et veritatem non intelligit, cæca est. Leprosa vero est illa quæ vitiorum maculis sordescit. Illa vero mortua est quæ in crimine perseverat. Toties igitur prædicatores cæcos illuminant, leprosos curant, et mortuos suscitant, quoties iniqui homines eorum monitis et prædicatione convertuntur; et pœnitentia ducti, diabolo, et omnibus operibus ejus abrenuntiant, et suæ salutis medicinam ab illis suscipiunt. Sed quid hoc eis prodest, cum illis Dominus dicat, *nunquam novi vos?* nunquam dilexi vos? nunquam vestra opera mihi placuerunt? Novit enim eos Dominus, atque dilexit secundum naturam quam in eis creavit. Non novit vero, neque dilexit secundum corruptionem qua eos diabolus vitiavit. *Omnis ergo homo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Non ergo sufficit audire verba Dei, hoc enim et Apostolus ait: « Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores (*Rom.* II, 13). » Audire enim omnium est, facere vero paucorum. Domus autem quæ super petram fundata est, firmum et stabile fundamentum habet. Sapiens igitur est qui sic ædificat. Fundamentum prius quærendum est. Sed videamus quid hæc petra significet; Apostolus enim dicit quia «petra erat Christus (*I Cor.* X, 4): » itemque, « fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, id est Christus Jesus (219). » Invenisti fundamentum, hic domum ædifica: hic enim domum ædificabis, si hæc mandata servabis. Crede et fac quæ præcipit Christus, et fundaberis in fundamento Christo: ipse erit tibi fundamentum, ideoque non timebis pluvias et ventum. Hoc est enim quod ait; *Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat supra petram.* Vis autem videre domum supra petram fundatam, quomodo nec pluvias, nec flumina, nec ventos timeat? « Certus sum, inquit Apostolus, quia neque mors, neque vita, neque principes, neque potestates, neque aliqua persecutio poterit me separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (220). » Quamvis enim furore et terrore, flagellis et minis, omniumque tormentorum generibus, quasi quibusdam magnis ventorum et tempestatum procellis super sanctos tyranni sævientes irruerent, eos tamen a Christi fide separare nullatenus poterant: hoc autem ideo fiebat, quia bene super petram fundati erant. Videamus etiam de illa domo quæ non super petram, sed super arenam fundata est. *Et omnis*, inquit, *qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam. Descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam et cecidit, et fuit ruina ejus magna.* Qui enim verba Dei audire delectantur, et custodire non curant, suæ fidei domum, seque ipsos super arenam ædificant; quia facili aura persecutionis dejiciuntur: quorum quidem ruina tunc magna erit, quando malignorum spirituum furore et ira quasi magno quodam impetu procellarum in tartara præcipitabuntur.

XXIII. *Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, non sicut scribæ et pharisæi.* Ille enim in potestate docet, qui pro timore veritatem non celat. Qua in re scribæ et pharisæi, etsi multa bene docuissent, plurima tamen reliquisse intelligi possunt, sive quia dicere timebant, sive quia ea non custodiebant, et ideo dicere erubescebant (221). Hunc autem tam prolixum sermonem, secundum Matthæum Salvator noster *in monte* habuit; secundum Lucam vero *in loco campestri*: quod quidem quomodo solvi possit non video, nisi eumdem sermonem bis eum habuisse intelligamus (222). Et hoc quidem non erat inconveniens, quoniam aliis recedentibus, alii succedebant, quibus eadem verba necessaria erant. Illis igitur recedentibus, quibus hæc locutus fuerat, ipse in monte illa nocte mansit, « pernoctans, ut Lucas ait, in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit. Et

(219) II Cor. III, 11. Eadem est hic de fundamento domus explicatio Hieron. « Fundamentum quod Apostolus architectus posuit unus est D. N. J. C. Super hoc fundamentum stabile et firmum, et per se robusta mole fundatum, ædificatur Christi Ecclesia, » etc.

(220) Rom. VIII, 38. « Neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare. »

(221) « Potestatem » hanc Hieronymus et Beda explicant; quod J. C., non sicut scribæ et pharisæi ea duntaxat proponeret quæ scripta erant in Moyse et prophetis, sed pro libertate voluntatis suæ nonnulla adderet, quædam immutaret, ut ex præcedenti sermone patet. Chrysostomus hom. 26, quod cum præcepta ipsa sanciret, sæpe uteretur formula quadam: « Ego autem dico vobis, » et terribilis judicii mentionem faciens, « se monstraret esse judicem per præmia, et per supplicia. »

(222) Vix est ut hæc A nostri sententia videatur probari posse. Difficilem tamen locum esse, bene indigitavit, quem veteres et recentiores explanare conati sunt. Pendet ex eo quod dicitur ap. Matthæum init. capitis 5 (supra n. 11) et ap. Luc. VI, 17. Recentiores docti interpretes Maldonatus, a Lapide, Calmet, etc., non sermonem repetitum, sive bis habitum, volunt, sed eumdem semel dictum; Matthæum vero rerum gestarum ordinem non secutum, quæ tempore distabant, proposuisse. Nihilominus auctori nostro veteres ferme consentire deprehendentur; Aug. De consens. Evang., lib. II, c. 19, Gregorius, homil 9 in Ezechiel. A. Imperfecti.

Digitized by Google

descendens cum illis stetit in loco campestri, et turba discipulorum et multitudo copiosa, quæ illuc undique confluxerat (*Luc.* VI, 12), » stetit cum eo; et ibi quidem hunc eumdem sermonem habuit, quamvis non omnia quæ hic narrantur, in illo contineantur; sicut nec in isto omnia dicuntur quæ in illo reperiuntur. Sciendum est præterea quod evangelistæ non eodem ordine historiam scribunt, quo a Salvatore omnia facta sunt (223). Unde et in hac re multum discordare videntur. Lege eos et sic esse videbis. Puto enim quia non ordini sed narrationi operam dabant.

XXIV. [CAP. VIII.] *Cum autem descendisset de monte secutæ sunt eum turbæ multæ.* Descendit, inquit, Dominus de monte cum discipulis suis, invenitque ibi multas hominum turbas quæ cum exspectabant. Quibus postquam ea locutus est quæ Lucas evangelista narrat (cap. VI), secutæ sunt eum. *Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me curare.* Hoc autem miraculum non eo tempore factum est, quo factum esse evangelista dicere videtur, testante Luca, qui ait : « Et factum est, cum esset in una civitate, et ecce vir plenus lepra, et videns Jesum, procidens in faciem, rogavit eum dicens : Domine, si vis, potes me mundare (*Luc.* 5, XII). » Nemo igitur in loco campestri hoc factum fuisse intelligat, quod in una civitate factum esse audit. Hæc itaque superioribus non continuantur. In eo enim quod ait, *cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ*, superioris locutionis finem facit. Deinde vero gestorum ordine et loco et tempore prætermisso, ab hoc miraculo scribere inchoat. Necessarium igitur esse videtur, ut de ipso ordine pauca dicamus, ne sibi invicem evangelistæ contrarii inveniantur (224). Postquam enim Dominus Jesus vocavit Petrum et Andræam, Jacobum et Joannem, veniens simul cum eis Capharnaum, ubi et ipse et illi habitabant, intravit in Synagogam et prædicavit; et mirabantur omnes in doctrina ejus. Inde vero exiens, venit in domum Petri, et sanavit socrum ejus, et alias virtutes ibi operatus, reliquit Capharnaum, et transfretavit. Deinde vero, transactis aliquantis diebus, rediit iterum Capharnaum; et tunc quidem sanavit paralyticum, et vocavit Matthæum apostolum et evangelistam. Eisdem autem diebus ascendit in montem, ibique illum sermonem habuit, de quo superius diximus, quando octo beatitudines prædicavit. Cumque omnibus recedentibus, ipse eadem nocte ibi mansisset, facto mane vocavit discipulos, et duodecim ex eis elegit, quos et apostolos nominavit. Inde vero descendens, pene eumdem sermonem habuit in loco campestri. Veniens autem in civitatem Capharnaum, quæ ibi proxima erat, sanavit puerum centurionis. Sic igitur se habet ordo. Illic autem leprosus quando vel ubi mundatus fuerit, incertum est. Potest tamen convenienter intelligi, quod in prædicta civitate fuerit mundatus, quoniam hoc miraculum inter cætera miracula scribitur, quæ ibidem Dominus operatus est. Et cæteri quidem evangelistæ prius scribunt de socru Petri, et puero centurionis, quam de hujus leprosi mundatione. Nunc autem ad rem veniamus. « Ecce, inquit, leprosus veniens adorabat eum dicens : Domine, si vis, potes me mundare (225). » 41 Vide quanta sit fides leprosi : hominem videt, Deum adorat, de omnipotentia non dubitat. Sed quid dicit? *Domine, si vis, potes me mundare*: Dominus es, omnipotens es, voluntas tua opus est, omnis creatura tibi obediens est; non promeruit beneficium tuum, non sum dignus colloquio tuo: credo tamen, quoniam si vis, potes me mundare. *Et* Dominus ad hæc, *extendens manum suam, tetigit eum, dicens : Volo, mundare.* Manum suam Dominus extendit, potentiam manifestat, virtutem non celat, tangit hominem et fugit lepra. Imo prius lepra fugit quam manus ad hominem perveniret (226), ne si lepram tetigisset, contra legem facere videretur. Lex enim hujusmodi hominem immundum judicat, quæ omne immundum tangere interdicit. Sed quid ait? *Volo, mundare.* Credis quia possum, volo quia credis; experire fidem tuam, cognosce potentiam meam; volo ut munderis, et ideo mundare, *et confestim mundata est lepra ejus;* ut et fidei virtus, et curantis omnipotentia appareret. *Et ait illi Jesus : Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti* (227). Hoc enim non dixisset, si hoc miraculum specialiter curatus sit; 2° puer centurionis; 3° socrus Petri; 4° qui oblati sunt ei dæmonio vexati. » Alterum admonet de lectione hujus loci; quod jungenda duo verba non sint, et, ut plerique latinorum putant, legendum « Volo mundare, » sed separatim, ut primum dicat « Volo, » deinde imperans dicat : « Mundare. » Atque eleganter hoc loco etiam Beda : « Volo, propter Photinum dicit; imperat, propter Arium; tangit, propter Manichæum. » Tetigisse tamen cum Chrysostomus et A. Imperfecti opinantur, et legem de leproso non tangendo (Levit. XIII) sibi non esse positam ostendere voluisse.

(223) Est hic canon. 2, ap. Cornel. a Lapid. ex his quos ante commentarium suum statuit, et ad h. l. Vide Maldonatum ad h. l., etc.

(224) Eadem de ordine non servato factorum J. C. est sententia omnium ferme interpretum recentiorum. Vid. Jansenium c. 43. Concord.; Maldonatum ad h. l. et cap. 6 a Lap. Calmet, etc., et Jo. de la Haye Evan. dispos. c. 53; Chrysost. tamen hom. 26, et A. Imperfecti hæc quæ tribus capitulis a Matthæo narrata sunt, in monte omnia ferme facta interpretari videntur.

(225) Hinc incipit homil. Emiseni Dom. III post Epiph., pag. 34, quæ et sequentem numerum complectitur.

(226) Idem sentire Hieronymus videtur; qui, postquam observavit descendenti Domino de monte hunc occurrisse : « necdum enim poterat cum lepra tam multiplicem in monte Salvatoris audire sermonem, » scribit, « extendente manum Domino, statim lepra fugit : » qui duo præterea admonet opportune 1° de ordine curationum. « Notandum, quod hic primus

(227) Plures imperati silentii causæ afferuntur ab interpretibus. Hieronymus, quod necesse non esset verbis prædicare « quod manifeste corpore præferebat. » Beda, « ut docere nos, non solum a mercede abstineamus pecuniæ, sed etiam gratiæ : » Chrysostomus, ut jactantiam et gloriam fugiendam præciperet. Bene A. Imperfecti silentium impetrari censet, donec sacerdoti se ostenderet.

Digitized by Google

jum inter turbas fecisset, quæ eum sequebantur cum de monte descendisset: neque enim unus celare posset, quod tanta millia hominum vidissent. Quærendum tamen est, cur ei Dominus præcipiat, ut nemini dicat? Prædicare namque, et Dei miracula populis nuntiare, sacerdotum est : leprosus vero etsi mundatus sit, sacerdos tamen fieri non debet; quoniam illi ad hoc officium eliguntur, ut Apostolus ait, qui *sine crimine* (228) sint. In hoc quoque et nos docemur, in his quæ bene et laudabiliter agimus, laudem hominum et vanam gloriam quærere non debere. Sed cur eum ad sacerdotem mandas, Domine Jesu? Quare jubes ut sacerdoti se ostendat, quem tu sacerdotum omnium maximus curas? Quis eum judicare audebit, qui a tuo judicio mundus redit? Hoc igitur agis, ut legis sacramentis consentire agnoscaris. Ille enim mundus est, qui sacerdotum judicio mundus judicatur : illorum enim est bonum a malo, justum ab injusto, et mundum ab immundo separare. Hoc itaque privilegium eis confirmas, dum ad eorum judicium hunc hominem mandas. Sequitur : *Et offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Prius autem quid leprosus iste significat (significet enim aliquid); deinde vero dicamus, quid munus etiam significet, quod eum offerre præcipit Moyses. Iste enim leprosus totum humanum genus, et unusqnisque peccator intelligi potest. Hæc enim lepra non corporis, sed animæ est. Illa enim anima leprosa est, quæ superbia, ira, avaritia, discordia, odio et luxuria sordescit. Talis igitur leprosus currat ad Jesum, festinet ad medicum, non desperet, pœniteat, et mundari desideret. Dicat : *Domine, si vis, potes me mundare.* Potes utique, quia et ego sum pœnitens, et tu es omnipotens. Tu enim dixisti, quia peccator quacunque hora conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet et non morietur (*Ezech.* xxi, 28). Si enim hoc dixerit, si hoc egerit, certus sit de misericordia, non desperet de venia, quia benignus est Dominus, qui ad se venientem neminem repellit. Deinde vero offerat munus quod præcepit Moyses. Præcepit enim Moyses (229), ut leprosus quando mundatur, offerat per se duos passeres vivos, quibus et vesci licitum sit, et lignum cedrinum, et coccum et hyssopum : et unum e passeribus immolet in vase fictili super aquas viventes : alterum vero in agrum avolare dimittat. Hoc enim vanum et inutile videretur, nisi ille fieri præcepisset, cui nihil vanum vel inutile placet. Ille igitur qui mundatur, duos passeres offerat, et corpus et animam Domino reddat, ut jam non mundi voluptatibus, sed Deo serviant : qui bene vivi offerri dicuntur, quoniam de morte ad vitam transferuntur; quibus quia vesci licitum est, mundos eos esse et a peccato liberos manifestat; nihil enim nisi mundum lex comedere jubet. Offerat autem simul cum his et lignum cedrinum, ut quia corpus et animam suam Deo reddidit, incorruptam fidem et sinceram conversationem se agere promittat : codrus enim imputribilis est, redolentisque 42 naturæ. His autem superaddat et coccum, ut charitatis igne succensus Deum diligat et proximum; coccus enim ignei coloris est. Offerat præterea et hyssopum, ut in petra radicatus et fundatus, nunquam a Christi fide separari valeat : hyssopus enim naturaliter in petra nascitur; petra autem erat Christus. Postquam igitur sic se totum Deo reddiderit, immolet unum de passeribus in vase fictili super aquas viventes. Hic enim passer corpus est, ideoque in vase fictili immolatur : quia vasa terrea et fictilia sunt corpora nostra. Immolatur autem super aquas viventes, id est sicut sanctæ Scripturæ immolari præcipiunt. Unde Apostolus : « Obsecro, inquit, vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* xii, 1). » Hæc est enim viva aqua, quæ te bene passerem tuum immolare docet : Judæi enim non bene immolant, quia ad hanc aquam non veniunt. Alterum vero passerem, id est animam, in agrum avolare dimittat, quatenus jam libera, nec terrenæ corruptionis mole gravata, virtutum alis ad cœlestia volare discat : quia enim alter passer jam immolatus est, ideo iste libere volat et a nullo detinetur : « Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam (*Sap.* ix, 15). » Hic est igitur rectus pœnitentiæ ordo, ut quicunque mundandus ad Deum venit, prius se ipsum totum Domino offerat, fidem, et charitatem, et in bonis operibus perseverantiam promittat; carnem quæ peccaverat, in servitutem redigat et affligat; et animam jam libertate donatam, ad cœlestia contemplanda volare dimittat. Jubet autem præterea Moyses, eum qui mundandus est, et alia munera offerre; duos videlicet agnos et immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similæ, quæ conspersa sit oleo, et seorsum olei sextarium; hoc enim Moyses offerre præcepit, hoc et ipse Dominus offerre jussit. Sed quid isti duo agni significant, nisi duo maxima præcepta charitatis? quæ quia malum non operantur, non immerito immaculati agni vocantur. Unde Apostolus: « Dilectio, inquit, proximi malum non operatur (*Rom.* xii, 10). » Hos igitur duos agnos offerat : hæc duo præcepta se tenere, et custodire promittat, qui a suorum maculis peccatorum mundari desiderat. Offerat autem et ovem anniculam immaculatam, per quam integra perfectaque innocentia significatur. Offerat et tres decimas similæ, fidem videlicet, quæ in Trinitate tota consistit : hæc est enim simila nostra, hæc est vita animæ nostræ. Unde Apostolus : « Justus autem ex fide vivit (*Rom.* i, 17). » Sed hæc simila non undecunque sed ex decimis fit, quoniam fidem nostram, nonnisi de sanctuario, et a sacerdotibus suscipere

(228) Spectavit ad Pauli locum ad Tit. i, 7 : « Oportet episcopum sine crimine esse; » et : « Si quis sine crimine est, » etc.

(229) Levit. xiv, 4, etc. Similes allegoricas et mysticas interpretationes attulit hic A. Imperfecti hom. 21.

Digitized by Google

debemus : ibi enim omnes decimæ reponuntur, quibus sacerdotes et levitæ aluntur. Et bene quidem hæc simila conspergitur, quoniam fides nostra sancti Spiritus gratia sanctificatur. Offerat autem super hæc et sextarium olei, integram scilicet perfectamque mensuram misericordiæ : offerre enim, vovere et promittere est. Oleum igitur offert, qui se misericordiam tenere promittit. Ut enim in liquoribus oleum, sic in operibus misericordia superior est. Unde Psalmista : « Suavis Dominus universis : miserationes ejus super omnia opera ejus (*Psal.* CXLIV, 9). » Et hic quoque rectus pœnitentiæ ordo servatur; ut quicunque ad pœnitentiam venit, charitatem et innocentiam, fidem et misericordiam offerat et promittat : offert enim charitatem in agnis, innocentiam in ove, fidem in tribus decimis, et misericordiam in olei sextario. Hic autem olei sextarius seorsum ponitur, quoniam his quæ sequuntur necessarius erit. Præcipit enim Moyses, ut sacerdos hæc omnia simul cum eo qui mundatur coram Domino statuat in ostio tabernaculi, et tunc offerat unum agnum, oleique sextarium : de sanguine vero agni tangat extremum auriculæ dexteræ, et pollicem manus dexteræ et pedis, et de oleo similiter faciat ei qui mundatur. Hic enim agnus Christus est, qui quasi agnus ad victimam ductus, non aperuit os suum (*Isa.* LIII) : qui tunc quidem in ostio tabernaculi offertur, quando in auditu Ecclesiæ ejus passio prædicatur : si enim tabernaculum homines sunt; quid ostium tabernaculi, nisi aures, per quas verba divina cordis secretarium ingrediuntur? Ille igitur qui mundatur, de sanguine agni in aure, et in manu, et in pede tangitur, quia Christi passionem non solum audire, verum etiam imitari jubetur. Ut enim in aure auditus, sic in manu et pede operatio consistit; tangitur autem in dextera parte, quæ et fortior et fidelior est. « Nesciat, inquit Dominus, sinistra tua quid faciat dextera tua (*Matth.* VI, 3). » Similiter autem et de oleo in eisdem partibus tangitur, quia pietatis et misericordiæ bonum et audire et custodire admonetur. Hæc autem sub brevitate transcurrimus, de quibus satis in Levitico diximus (230).

XXV (231). *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio rogans eum, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Jesus : Ego veniam et curabo eum.* Qualiter autem centurio ad Jesum accesserit, Lucas evangelista demonstrat : qui eum non per se, sed per seniores Israel ad eum accessisse narrat (*Luc.* VII, 3); quatenus pro puero ipsius intercederent, et quia magis familiares Domino erant, ipsi pro eo interpellarent. Illi autem cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei : *Quia dignus est ut hoc illi præstes; diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.* Sic igitur centurio accessit ad Jesum, non per se, sed per seniores Israel (232); videlicet ut nos doceret, quid in tali negotio agere debeamus, quando puerum nostrum in domo nostra paralyticum jacere, et male torqueri sentimus. Quis est enim puer iste, nisi anima secundum se quidem innocens et pura? puer enim a puritate dicitur : hunc autem Lucas *servum* dicit, quia sine servitio animæ vivere nequimus. Iste igitur puer noster, iste servus noster, iste injuste subjugatus, et carnis servitio depressus spiritus noster, jacet in domo paralyticus, jacet in corpore infirmus, jacet in carnis habitaculo vitiorum morbo superatus, et male torquetur. Hinc luxuria vexatur, hinc avaritia arctatur, hinc superbia fatigatur. Quid igitur? Mittamus ad medicum, mittamus ad Jesum. Sed quem mittemus? et quis ibit pro nobis? Mittamus igitur seniores Israel, id est episcopos et sacerdotes; isti enim pro aliis interpellare, isti pro infirmis et peccatoribus orare debent : isti cito veniunt ad Jesum, isti eum movere, isti eum flectere et ad misericordiam inclinare possunt, præsertim si nos sanari volumus, si nos peccasse dolemus, et si boni aliquid egimus, unde nos apud judicem commendare queant. Facile enim illi pœnitenti sacerdotes a Domino veniam impetrant, qui de peccatis erubescit, totoque mentis annisu se ad pœnitentiam convertit. Et multos quidem videmus, qui quamvis in se aliquo vitio torqueantur, bonos tamen diligunt, multisque modis sanctam Ecclesiam ædificant. De his igitur dicere possumus, Digni sunt qui exaudiantur, quia diligunt gentem nostram, et Synagogam ædificaverunt nobis. Sed quid sequitur? *Ego veniam et curabo eum :* hoc Matthæus ait : Lucas autem quid! *Jesus autem ibat cum illis.* Venit enim Jesus ad infirmum, venit cum episcopis et sacerdotibus ad pœnitentem, quoniam eorum precibus flectitur, et orationibus ducitur. Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens : *Domine, noli vexari, non enim dignus sum ut sub tectum meum intres : propter quod et me ipsum non sum dignus arbitratus, ut venirem ad te.* Hæc autem Matthæus prætermisit : cætera vero utrique communia sunt. Bene igitur hoc loco hi duo conveniunt, si hoc tantum in Matthæo subaudiatur, quod centurio non per se, sed prius per seniores Israel, deinde vero per amicos accesserit ad Jesum. Sed qui sunt isti amici nostri, quos Christo advenienti

(230) Vide A. ad Levit. XIV, 4. Edit. Rom. tom. I S. Brunonis, pag. 154 et seq.

(231) Est homilia Emiseno supposita, eadem quæ Dominic. III post Epiph.

(232) Idem quærit Beda ad h. l. et ante Bedam S. Aug. lib. XXXIII. Contr. Faust. cap. 7, et lib. II De consens. Evang., cap. 20, et ante utrumque Chrysostomus hom. 27. Atque hic ita rem explicat, ut seniores Judæorum primo missi sint qui nuntiarent, centurionem venire, deinde ipse centurio accesserit. Aug., usitato loquendi more dici, aliquem aliquid fecisse, quod per alios facit. Beda non dissimiliter, Matthæum brevitatis causa, vult dixisse, accessisse ipsum, cujus voluntas, aliis deferentibus, ad Dominum perlata est. Aug. A. noster sequitur.

Digitized by Google

et jam domui nostræ appropinquanti obviam mittimus? Isti sunt, *ut* opinor, intellectus et animus, et spiritus contribulatus : isti enim Christi adventum sentiunt, isti cum eo loqui audent, isti nos Deo commendant, et ejus gratiæ reconciliant. Quando enim intus agimus, quando nobiscum in corde tractamus, quæ et quanta fuerit Salvatoris nostri benignitas, ut pro nobis carnem sumeret, et mundi injurias sustineret ; tunc prædicti amici nostri cum Domino loquuntur, et quodam modo ei dicunt : *Domine, noli vexari ;* quoniam ejus vexationem et fatigationem mirantur, et contremiscunt. Hoc enim faciebat Joannes Baptista cum diceret : « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me ? » (*Matth.* III, 14.) Quando vero ad Christi sacramenta accedimus, et fragilitatem nostram consideramus, quid aliud dicit unusquisque nostrum, nisi : Non sum dignus ut intres sub tectum meum, non sum dignus ut carnem et sanguinem tuum suscipiam in ore meo (233) ? Domine, dic verbo, et sanabitur puer meus. Tu enim dixisti et facta sunt omnia, tu mandasti et creata sunt universa : eadem virtus tibi est, eadem potentia manet : dic igitur verbo, præcipe ut fiat, et sanabitur puer meus : non enim majus est sanare, quam creare. *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit ; et alii : Veni, et venit ; et servo meo : Fac hoc, et facit.* Ego, inquit, homo sum, tu Deus ; ego sub potestate, tu super omnes potestates ; ego habeo milites, tu angelos ; isti mihi obediunt, illi tuam faciunt voluntatem : manda igitur quem velis, et præcipe sanitati ut veniat ; et jube infirmitati ut recedat. Placuit Domino, et laudavit fidem centurionis. Ad hoc enim Dominus misericordiam differebat, ut hæc tanta fides centurionis clarius manifestaretur. Unde et subditur : *Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis ; non inveni tantam fidem in Israel.* Miratur Jesus de fide centurionis ; miratur de fide gentilis hominis : et jam tunc fidem gentium mirabatur, quam ultra 44 fidem Judæorum crescere videbat. De quibus mox subinferens ait : *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum ; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* His enim paucis verbis Ecclesiam ex omnibus mundi partibus colligendam, et inferno exspoliato, sanctorum animas ad cœlorum regna transferendas ; et Judæorum incredulitatem et damnationem denuntiat. Tenebræ autem exteriores illæ sunt, ultra quas aliæ tenebræ non sunt.

A Sunt autem et aliæ tenebræ interiores ex quibus venitur ad has exteriores, quas infideles homines in mente patiuntur De quibus Apostolus ait : « Cæcitas ex parte contigit in Israel (*Rom.* XI, 24). » *Et dixit centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi : et sanatus est puer in illa hora* (234). In hoc autem Evangelio in tantum Joannes evangelista dissentit ab aliis, ut nullo modo his quæ dicta sunt convenire queant (235), si de eodem centurionis puero intelligantur. Hic enim centurio de fide laudatur ; et se indignum dicit esse, ad cujus domum veniat Jesus : ibi autem de infidelitate redarguitur, utpote qui nisi per signa et prodigia non credat : ibique Christum ad domum suam importune valde venire invitat. Et hic quidem narratur quod omnia hæc gesta sunt B infra civitatem Capharnaum : ibi vero dicitur, quod centurio Christo de Judæa venienti obviam processerit, cui præ itineris longitudine non eadem, sed postera die revertenti servi occurrentes dixerunt ; quia heri hora septima reliquit eum febris. Unde manifestum est quia non loquuntur de eodem. Intelligendum est igitur, quia Jesus antequam hunc servum centurionis sanasset, de quo scribit Matthæus et Lucas, jam eidem filium sanaverat, de quo Joannes evangelista narrat : et quia prius ejus virtutem in filio expertus fuerat, jam nunc de ipsius omnipotentia nihil in servi curatione dubitat : libenter enim ad illius medici auxilium currimus, quem jam expertum habemus.

XXVI. *Et cum venisset Jesus in domum Petri,* C *vidit socrum ejus jacentem febricitantem ; et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris, et surrexit et ministrabat eis.* Scire enim oportet quæ sit uxor Petri, ut possimus scire quæ sit socrus ejus. Petri namque uxor ecclesia est, quoniam ei a Domino specialiter tradita est ; dicente Domino : « Si diligis me, pasce oves meas (*Joan.* XXI, 18). » Ejus igitur socrus est Synagoga, quia ipsa est mater Ecclesiæ (236). Unde eidem in Canticis canticorum Dominus ait : « Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua (*Cant.* VIII, 5). » Hæc autem jacet in domo Petri et febricitat, quoniam usque hodie inter Christianos Synagoga infirma moratur et habitat. Ubicunque enim est D Ecclesia, ibi est et domus Petri. Hujus autem manum circa mundi finem Dominus tanget, et tunc, febre fugata, surget et ministrabit Domino. Tunc enim ejus manum tanget, quando ipsius opera approbabit. *Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit. Ut adimpleretur quod dictum*

(233) Centurionis verba ad suscipientem Eucharistiam, quasi de suo A. transfert. Anne ejus tempore in Ecclesia sua non erat hic usus ut a sacerdote dicerentur ? Deesse in plerisque Missalibus mss. testatur card. Bona lib. II, rec. lit. cap. 17, n. 1.

(234) Hactenus homilia.

(235) Ostendit id Maldonatus, et consentiunt ferme interpretes alii.

(236) Non multo aliter ac Beda hoc interpretatur qui ad h. l. « Domus Petri circumcisio est ; socrus vero ejus synagoga est, quia illa quodammodo mater est Ecclesiæ, » etc. Eleganter Petrus Chrysolog. serm. 18. Vidit socrum ejus jacentem. « Vidit synagogam jacentem in perfidiæ suæ tenebris decumbentem suorum sarcina peccatorum, » etc. Eadem est interpretatio Theophyli Antiocheni lib. III. Allegor., etc.

Digitized by Google

est per Isaiam prophetam dicentem : Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes portavit. Verbo enim spiritus ejicit ille de quo scriptum est : « In principio erat Verbum (*Joan.* I, 1) : » verbo quidem, quia propria virtute. Sed quare *facto vespere*, nisi quia hac ultima ætate, hac extrema hora, ad sanandum, ad curandum, et ad pellendum dæmonia venerat? Neque enim debuerat populus ille curari, nisi facto vespere, qui ad medicum non redit usque ad vesperam. Unde Psalmista ait : « Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem (*Psalm.* LVIII, 15). » Tunc enim venient, tunc convertentur, tunc ægros suos, tunc animas suas multo languore confectas Judæi ad Dominum afferent; et sanabit eos, et ejiciet dæmonia ab eis (237). « Cum enim plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25, 26); (238) et si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ convertentur ad Dominum (*Isai* X, 22). » — *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.* Puto enim, quod Jesus ideo trans fretum propter turbas ire jussit, quia nisi per aquas baptismatis transeuntes vitiorum turbas, et malignorum spirituum exercitus evadere non poteramus. *Et accedens unus Scriba ait illi : Magister, sequar te quocunque ieris.* Dixit ei Jesus : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Nihil Deum latet, nulla simulatio ejus oculis absconditur, omnia videt, cogitationi respondet. Dicit Scriba : *Magister, sequar te quocunque ieris.* Dicit Jesus : Non est ita; non vis me sequi, non vis mea præcepta **45** servare, non video in te ubi caput meum reclinem. Caput Christi Deus est : Deus autem in humili habitat, et quieto, et tremente sermones ejus. In te autem (quasi dicat) vulpes foveas habent, et ideo cum calliditate et simulatione loqueris (239). Vulpes enim propter astutiam maligni spiritus dicuntur : dicuntur autem *et volucres cœli*, quoniam in hoc aere obtinent principatum (240). Et isti quidem in peccatoribus et iniquis hominibus nidos et foveas faciunt, quoniam in eorum cordibus malas cogitationes et iniquitatum genimina pariunt. *Alius autem de discipulis ejus ait illi :* Magister sequar te; ait illi : Sequere. At ille ait : *Domine, permitte me primum ire et sepelire patrem meum. Jesus ait illi : Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Alio enim spiritu loquebatur iste : unde et merito non Scriba, sed discipulus dicitur; neque sequi Dominum prohibetur imo vero sequi et imitari jubetur. Volebat tamen primum ire et sepelire patrem suum. Opus quidem pietatis facere volebat : pietatis tamen Patri et Domino non placebat. Quare hoc? Quia aliud significabat, nobisque in hoc facto exempla dabat. Et tale erat ac si deceret : Venisti ad vitam, vis redire ad mortem; ego sum vita, ego sum Pater et creator tuus, me sequere, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Mortui enim mortuos sepeliunt, quando peccatores (241) qui Deo mortui sunt (mortui quidem quia vita, de qua modo diximus, in eis non est), mortalia opera et criminalia peccata in se abscondunt et celant. Et non solum hæc, verum etiam et patrem suum diabolum, de quo Judæis Dominus ait : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44), » in sepulcro pectoris sui sepeliunt, et quasi bonum aliquod servant et occultant. Talem igitur patrem sepelire, et sic sepelire Dominus prohibet (242).

XXVII. (243) *Et ascendente eo in naviculam secuti sunt eum discipuli ejus, et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat.* Quid enim navicula, nisi Ecclesia? quid mare, nisi mundus? quid motus maris, nisi persecutorum et tyrannorum sæviens indignatio (244)? Ecce enim Dominus in navicula dormit, et navicula fluctibus operitur. Timent discipuli, et

(237) Ad Rom. XI, 25, 26. « Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret. »

(238) Ad Rom. IX, 27 : « Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. »

(239) Chrysostomus, serm. 19 : « Scribam Christus non repulit volentem, sed fingentem prodidit. »

(240) Auctori non dissimiliter S. Hilarius cap. 7, n. 10 : « Vulpes est animal insidiosum, circa domorum se occulens foveas, et domesticis avibus insidians; atque hoc nomine pseudo prophetas nuncupari, aliquot locis legimus : volucres autem cœli sæpenumero immundos spiritus cognominari didicimus. » Hunc vero diffidentem fuisse, nec habuisse apud se constitutum ut Christum sequeretur, Hilarius postea interpretatur; idemque etiam diserte Titus Bostrensis in Luc. cap. VI. (Auctar. Ducæan. t. II, p. 791). Hieronymus quoque a quo describitur, « non magistrum quærens, sed ex magistro lucrum. » V. Chrysolog. serm. 19.

(241) Infideles mortuorum nomine venire Hilarius c. 7, n. 11 et Hieron. scribunt. Augustinus quoque serm. 62, n. 2, qui tamen postea magis generaliter : « Sicut enim anima est vita corporis, sic vita animæ Deus. Sicut exspirat corpus cum animam emittit, ita exspirat anima cum Deum amittit. Deus amissus, mors animæ; anima amissa, mors corporis : » quibus verbis simillima habet Chrysol. serm. 19. Aug. etiam l. XX De Civ., cap. 6 : « Habent enim animæ mortem suam in impietate atque peccatis : secundum quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait : « Sine mortuos sepelire mortuos suos, » etc. Vide Chrysost. hom. 29.

(242) De posteriore J. C. discipulo hoc Vid. Gregorium lib. VII Moral., c. 17 : De utroque Basilium, sive auctorem Constitut. Monast. cap. 20, n. 3, et laudatum Chrysolog.

(243) Est hom. Emiseno attributa Dom. V, post Epiph., pag. 38.

(244) Vid. Dissert. Alexandri Jun. inscriptam Navis Ecclesiam referentis symbolum, etc., ubi allegoriæ hujus testes profert, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Bedam. Facit id in primis A. Imperfecti hom. 23, et Chrysologus (quos ille præteriit); qui postremus serm. 20 : « Ubi Christus Ecclesiæ suæ navim mare sæculi transfretaturus ascendit, gentium flabra, Judæorum turbines, persecutorum procellæ ..... sic ruerunt ut totius mundi fieret una tempestas, » etc. Vide cætera et sequ. Antiquius etiam Tertullianus de baptismo c. 12.

Digitized by Google

nondum a periculo liberantur. Clamant et excitant Salvatorem : surgit a somno qui nunquam dormit; « Non enim dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel (*Psal.* CXX, 4). » Imperat ventis et mari, et fit tranquillitas magna. Nobis, fratres, nobis fiunt ista : nobis dormit Jesus, nobis surgit a somno. Significatio est, nostræque fragilitatis instructio : pro nobis moritur : non enim dormiret, nisi nobis suum somnum proficere intelligeret. Dormire enim videtur pastor, quando lupi in oves sæviunt, quando fures rapiunt, et non est qui eripiat. Sic igitur et Jesus quamvis non dormiat, dormire tamen videtur, quando tyranni sæviunt, quando mali in bonos insurgunt, quando boni vincuntur, et mali vincunt. Non dormit quidem, sed prælium intuetur, et simul certaminis finem et bellantium fidem exspectat. Et quia non statim adjuvat, quia non cito laborantibus subvenit, dormire putatur. Sed si consideremus ejus certaminis qualitatem, ejusque victoriæ modum; tunc sancti victores existunt, quando ab iniquis victi esse creduntur. Tunc enim sancti indubitanter vincunt, quando humilitatem et patientiam non amittunt. Sic igitur dormiat Jesus, quatenus iniquorum crudelitas, et sanctorum patientia innotescat, et Christi discipuli non armis, sed clamore et orationibus maris hujus procellas deponere discant. Quod si jam eas sustinere non possunt, si tantis perturbationis resistere nequeunt, **46** accedant ad Jesum, suscitent eum dicentes : *Domine, salva nos, perimus.* Sic se defendant; hæc arma suscipiant, hoc auxilio tueantur, hoc clypeo muniantur. Neque vero ideo se non exaudiri æstiment, quia persecutio non cessat, quoniam nihil minus exaudiuntur si eis adversa tolerandi patientia datur, quam si omnis illa persecutio ab eis tollatur. Ipse enim scit quid nobis opus sit; nos tamen semper dicamus. *Domine, salva nos, perimus.* Qui enim hoc dicit, nihil aliud quam salutem quærit. Sed fortasse ille de salute corporis dicit : ipse vero de salute animæ intelligit. Nemo autem sanctorum salutem corporis contra animæ salutem desiderat; etsi fortasse aliquando quærat. Deus igitur non verba, sed intentionem exaudit. *Et dicit eis : Quid timidi estis, modicæ fidei?* Ego hic sum, et vos timetis? sed quare timetis, nisi quia fidem modicam habetis? *Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* Quotidie quidem surgit, quotidie bella sedat, quotidie visibilibus et invisibilibus imperat : et eo jubente cessant prælia et lites, fit pax et tranquillitas magna. *Porro homines mirati sunt, dicentes : Qualis est hic, quia et venti et mare obediunt ei?* Merito enim *homines* vocantur, qui sicut homines mirantur. Nondum enim Deum esse credebant, quem quasi hominem nunc dormire, et tunc vigilare videbant. Dicebant igitur : *Qualis est hic?* Dicamus et nos : Quis Deus magnus, sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia, cui venti et mare obediunt, cui omnes creaturæ serviunt; quem mare vidit, et fugit, cujus vocem audivit et timuit [*Psalm.* LXXVI,] (245).

XXVIII. *Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.* Marcus enim et Lucas non duos, sed unum scribunt : quare ergo duos Matthæus eos fuisse narrat (246)? Et fortasse illi quidem de homine, iste vero de hominis significato loquitur. Nam etsi homo personaliter unus erat, duos tamen populos significabat. Similiter enim cum omnes alii evangelistæ, solum pullum ad Jesum adductum fuisse narrent; Matthæus tamen et pullum et asinam adductos fuisse describit; magis quidem significationem quam historiam attendens. Iste igitur unus homo genus humanum est, quod ab eo quidem tempore a dæmoniis possidetur, quo primum et originale peccatum commisit : sed quia in duos populos dividitur, in Judæos scilicet et gentiles, quod illi de toto hoc, iste de partibus narrat. Qui bene de monumentis exire dicuntur, quoniam de morte ad vitam transferuntur. *Et clamaverunt, dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu Filii Dei, venisti huc ante tempus torquere nos.* Quid nobis, inquiunt, et tibi commune est? Sufficiat tibi cœlum; permitte ut nos terram possideamus : de cœlis non expulisti, de terris non iterum expellere habes. Quo igitur ibimus a spiritu tuo, et quo fugiemus a facie tua? *Venisti huc ante tempus torquere nos :* nondum tempus advenit, quod nobis paratum est, et angelis nostris, et jam torquemur. Tua nos præsentia torquet, tua facies nos exurit. O miseri Judæi! cur non attenditis, quod dæmonia Jesum Dei Filium vocant, de quo vos illi pejores et nequiores dicitis : « Secundum legem debet mori quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). » Credite vel dæmoniis, qui prophetis et apostolicis credere non vultis. Illi vos doceant in bono, quos imitari non timetis in malo. *Dæmones autem rogabant eum, dicentes : Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum : erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum pascens.* Si, inquiunt, ejicis nos; scimus enim quia ejicies, neque in homine nos ulterius esse patieris, qui in similitudine

« Cæterum navicula illa Ecclesiam præferebat, quod in mari, id est sæculo, fluctibus, id est persecutionibus et tentationibus inquietatur, Domine per patientiam velut dormiente, donec orationibus sanctorum in ultimis suscitatus, compescat sæculum, et tranquillitatem suis reddat. »

(245) Alia sunt deinde in homilia supra memorata, p. 39.

(246) Difficultatis solutio litteralis Chrysostomi ad h. l. S. Augustini lib. II De consens. Evang., cap. 24, etc. : est, vel quia unus alio notior, vel quia truculentius a dæmone vexatus. Ambrosius lib. VI, in Luc. Ipse quoque ad allegoriam refert populi gentilis, unius et plurium, a filiis Noe duobus Cham et Japhet prognati. Utrumque Beda complectitur scribens; esse unum famosioris personæ, et duos gentiles populos, idolis occupatos.

Digitized by Google

hominum factus, homo et non Deus ab hominibus esse videris : nobis autem aliter appares, quia in alia specie te aliquando cognovimus; scimus enim quia tu es Filius Dei, quamvis hoc non credant neque intelligant Judæi : mitte nos in gregem porcorum. Unde hæc tam dira cupido spiritibus immundis, ut quærant sibi ad inhabitandum animalia immunda? Et hoc quidem significatio est. Quid enim porci peccaverant, ut dæmonibus traderentur? Ipse enim est creator porcorum, qui est creator angelorum. Denique nullum animal est malum, præter angelum et hominem : ideoque nullum aliud damnatur, nullumque aliud beatur. Quid igitur porci? non de natura quæro, sed de significatione (247). Porci enim sunt quicunque in vitiorum stercore, quicunque in peccatorum putredine delectantur. Porcus est omnis fornicator, omnis adulter, omnis luxuriosus; sed hoc exterius. Interius vero omnis hæreticus, omnis Judæus, et omnis idololatra porcus est. Isti sunt igitur quos dæmones quærunt; isti sunt in quibus dæmonia habitant : isti sunt quos Dominus 47 diabolo tradit. Nam et Apostolus fornicatorem quemdam tradidit : « Satanæ in interitum carnis. » *Et ait illis Jesus : Ite : et illi exeuntes abierunt in porcos.* Vides igitur quia sine Dei permissione maligni spiritus nec in porcos habent potestatem (248) : non audent eos adire, nisi permissi; non audent eos invadere, nisi a Deo tradita potestate. Verumtamen nisi porci essent non traderentur, et si traderentur, non penitus vincerentur. *Et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, et mortui sunt in aquis.* Qui enim a diabolo possidetur, non ordine vel ratione agitur; sed impetu et furore præcipitatur et ruit, hic in adulterium, ille in perjurium, alter in homicidium, alius in furtum, omnes vero in æternam mortem, et damnationem præcipitantur et ruunt. *Pastores autem fugerunt, et venientes in civitatem nuntiaverunt omnia, et de his qui dæmonia habuerunt : et ecce tota civitas exiit obviam Jesu, et viso eo, rogabant ut transiret a finibus eorum.* Isti enim pastores, episcopi sunt et sacerdotes ; neque enim solas oves custodiunt episcopi; plerumque enim plures porci quam oves in eorum gregibus inveniuntur. Fugiunt autem, et bene fugiunt; quis enim non fugiat dæmonia? quis non fugiat insanientes porcos? Talibus enim communicare non debemus; præsertim cum eorum nequitiam manifeste cognoscimus. « Quæ enim conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? » (*II Cor.* VI, 15.) Hoc autem in civitate : hoc in Ecclesia nuntiare debent, ut sibi cæteri caveant, ne illorum exemplo pereant. Pereunt porci, salvantur homines : salvantur qui ad Christum confugiunt, pereunt qui in stercore jacent; et a fœtore vitiorum non recedunt. Sed quid est, o stulta civitas, quod agis? Vides Jesum, vides et hominem sanatum a Jesu, et rogas eum ut discedat a finibus tuis. Hæc enim civitas, synagoga malignantium est, quæ Christum vidit et audivit, ejusque virtutes et miracula aspexit; in eum tamen credere noluit.

XXIX. [CAP. IX.] *Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam.* Hoc enim in loco civitatem suam, non Nazareth, sed Capharnaum intelligere debemus : utraque enim civitas ejus dicitur : illa quidem, quia ibi nutritus est; ista vero, quia ad tempus in ea habitavit : sic enim superius dicitur, quia relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritima (249). *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* Marcus autem dicit, quia paralyticus iste a quatuor portabatur. Iste enim paralyticus spiritus hominis est, qui et anima vocatur (250). Hic autem in lecto, id est in corpore jacet, et inde gravatur unde quietem habere debuerat : « Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam (*Sap.* IX, 15). » Ideo enim infirmatur spiritus, quia non bene jacet. Ille enim spiritus paralyticus est, qui suæ potestatis non est; paralysis enim quodcunque membrum arripuerit, quodam modo insensibile et quasi mortuum et inutile facit. Quæ enim anima paralytica est, nec oculos videndi, nec aures audiendi habet. Sed qui sunt isti quatuor, qui hunc paralyticum portant et Domino offerunt? Per hos enim nescio qui melius quam isti quatuor evangelistæ intelligi possint : nulla enim anima nisi per istos Domino offertur, nulla anima nisi per istorum fidem sanatur. Unde et hic dicitur : *Et videns Jesus fidem illorum dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

(247) Chrysostomus quoque, homil. 29, describit « multos homines qui porcorum more non hominum vivant; qui, si porci omnino fient, non a dæmonibus solum exagitabuntur; verum etiam per præcipitia deferentur. » V. Ambr. lib. VI, in Lucam.

(248) Greg. lib. III Dialog. cap. 21 : « Ex qua re etiam hoc colligitur, quod absque concessione omnipotentis Dei nullam spiritus malignus contra hominem potestatem habeat, qui in porcos intrare non potuit, nisi permissus. » Chrysost. homil. 29 : « Ita ut nec in porcos habere potestatem videantur nisi creator omnium Deus concesserit. »

(249) Contradicit Hieronymus hic : « Civitatem ejus non aliam intelligimus quam Nazareth, unde et Nazaræus appellatus est. » At cum A. nostro August. De cons. Ev. p. II, c. 25, observat S. Marcum expresse Capharnaum nominare, cum factum idem narrare videatur, concluditque : « Quis dubitaverit in civitate sua hoc fecisse Jesum, cum hoc fecerit in Capharnaum civitate Galilææ? » Augustinum exscribit Beda. Volunt vero dici J. C. civitatem, quod in Galilæa esset princeps civitas, et in Galilæa natus esset. Commodius Chrysostomus init. hom. quem ferme recentiores sequuntur Jansenius, Maldonatus, a Lapide, Calmet, etc. « Propriam hic civitatem ejus Capernaum appellavit : Bethlehem enim ipsum tulit, Nazareth educavit, sed Capernaum perpetuum ipsius erat habitaculum. »

(250) Hieron. : « Juxta tropologiam, interdum anima jacens in corpore suo, totis membrorum viribus dissolutis, a perfecto doctore offertur curanda Domino, » etc. Propius etiam ad A. nostrum Beda : « Paralytici hujus curatio... animæ salvationem significat, quæ primo ministris, id est bonis doctoribus, indiget, qui eam Christo afferant; qui bene IV Marco narrante reperiuntur sive quia IV libris Evangelii omnis prædicatorum virtus firmatur; sive quod IV virtutibus, » etc.

Digitized by Google

Ac si dicat : Tu quidem infirmus es, sed illi qui te ferunt sani sunt : illorum fides te sanat, si in illorum fide confidis. Confide igitur, fili, factus mihi filius per fidem, remittuntur tibi peccata tua. Vides quomodo ipse Dominus Evangelium suum exponat? Quomodo ea quæ foris aguntur, si quis tamen oculos habeat, et nondum totus paralyticus jaceat, intus nos spiritu aliter doceat? In eo enim quod ait, *remittuntur tibi peccata tua*, interiorem hominem, id est spiritum paralyticum esse demonstrat. Quæ est enim infirmitas animæ, nisi peccata? Hæc igitur auferantur, hic morbus tollatur, et sanabitur anima. Hoc enim non dixisset, si ad corporis infirmitatem respexisset. Non enim ideo corpus sanatur, quia anima peccatis liberatur. **48** Apostolus enim dicit : « Cum autem infirmor, tunc fortior sum (251), » significans carnis infirmitate spiritum corroborari. Hoc autem Scribæ qui ibi aderant male intelligentes, et non animæ sed corporis paralysin attendentes, Christum Dominum blasphemasse dicebant. Unde et subditur : *Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Utquid cogitatis mala in cordibus vestris?* Nam et isti interius paralytici erant, quamvis suam infirmitatem non sentiebant, qui Dominum blasphemasse dicebant. Nec minus Jesus istorum cogitationes iniquas, quam illius infirmitatem considerabat. Dicebat igitur : *Utquid cogitatis mala in cordibus vestris?* Neque medicum scitis, neque vim medicaminis agnoscitis. Bonus enim medicus ad morbi venam et radicem spectat : quam postquam amputaverit, cætera ad sanandum facilia ducit. *Quid est enim facilius, dicere : Dimittuntur tibi peccata tua, aut dicere : Surge et ambula?* Si enim ad solum dicere attendamus, nescio quid horum facilius sit : utrumque enim valde facile est. Peccata autem dimittere, vel paralytico ad surgendum et ambulandum vires sufficere, difficile est. Sed quia alterum invisibile, alterum vero visibile erat, per visibile probat invisibile; ut dum eum in corpore potestatem habere vident, in anima quoque potestatem habere non dubitent. *Dicebant enim : nemo potest dimittere peccata nisi solus Deus.* Verum utique dicebant. Quamvis enim Ecclesia peccata dimittat; hoc enim Dominus ostendit dicens : « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt (*Joan.* xx, 23); » solus tamen ille peccata dimittit, qui ait : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv, 5). » Ipse enim erat Deus; ipse erat et homo : imo ipse est Deus et homo; sed Deus per se, homo vero per Domini potestatem habet dimittendi peccata. Et hoc est quod ait : *Ut autem sciatis quia Filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata :* videte quod videre potestis, ut credatis quod videre non poteratis. Creditis quod nemo possit dimittere peccata nisi solus Deus, jam cognoscetis quia etiam Filius nominis potestatem habet dimittendi peccata. *Tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam : et surrexit et abiit in domum suam.* Probatum est igitur quod quærebant; jam dubitare non debent : credant a peccatis animam esse solutam, dum corpus a paralysi vident esse sanatum. Sed quid est quod ait : *Surge, tolle lectum tuum?* Diximus enim per lectum corpus significari, in quo anima infirma jacebat : animæ ergo dicitur ut surgat. Quid est enim surgere, nisi ad bonum opus evigilare? Unde Apostolus : « Surge, inquit, qui dormis, surge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Ephes.* v, 14). » Surge, tolle lectum tuum : habeas potestatem in carne tua; dominare corpori tuo : tu porta, tu rege, tu dirige : tibi serviat, tibi obediat, tibique amodo per omnia subjiciatur. *Et vade in domum tuam :* revertere in patriam tuam; reduc in patriam carnem tuam, quia ipsa te ejecit de patria tua (252). *Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

XXX. *Et cum transiret inde Jesus vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, et ait illi : Sequere me : et surgens secutus est eum.* Sic enim de se beatus Matthæus, quasi de alio loquitur. Quod et Moysen et quosdam alios fecisse legimus, humilitatem docentes, et vanam gloriam amputantes (253). Vocatur autem alio nomine *Levi*, quod pene idem significat : Matthæus enim *donatus*, Levi *appositus* interpretatur (254). Appositus namque apostolorum ordini pro magno munere sanctæ Ecclesiæ donatus est. Et bene quidem de telonio vocatur, ut qui publica vectigalia colligebat, nos quoque tributa solvere doceat. Quid enim aliud nos in hoc Evangelio docet, nisi quæ, et qualia, et quomodo tributa nostra Domino reddamus? In cunctis enim quæ jubente Domino agimus, nihil aliud facimus nisi quia tributa persolvimus. *Et factum est discumbente* eo in domo, ecce multi publicani, et peccatores venientes *discumbebant cum Jesu et discipulis ejus.* Ait enim Lucas (*cap.* v, 29), quia fecit ei magnum convivium

(251) II Cor. xii, 10 : « Tunc potens sum. »

(252) Eleganter S. Greg. hom. 12 in Ezech. : « Per grabatum quippe in quo carnis est requies, ipsa caro signatur : per domum vero conscientia figuratur. Et quia cum mente mortui in vitiis jacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto. Cum vero sanati fuerimus mente, ut jam pulsantibus carnis vitiis resistamus, necesse est, ut et tentationum contumelias de nostra carne tollefemus; ægro igitur ad salutem reducto præcipitur : « Tolle grabatum tuum, » etc.

(253) Hieron. : « Cæteri evangelistæ, propter verecundiam et honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt Levi : duplici quippe vocabulo fuit. Ipse autem Matthæus, secundum illud quod a Salomone præcipitur : « Justus accusator est sui, » etc. Matthæum se, et publicanum nominat. Hieronymum exscribit Beda.

(254) Hæc, opinor ex Jesu. Beda ad h. l. : « Matthæus Hebraice, *donatus* dicitur latine... Levi hic *præadditus* sive *assumptus* significat.

Digitized by Google

Levi in domo sua : unde factum fuisse puto, ut publicani, et cæteri ejusdem ordinis homines, illuc ad convivium convenirent. Verumtamen neque illud convivium, neque illum conventum publicanorum sine aliqua significatione fuisse, intelligendum est. Illud enim convivium quod tunc Levi Domino præparavit, hoc Evangelium significabat, 49 quod postea scripsit, cujus deliciis nunc in Christo animæ nostræ reficiuntur. Ad hoc autem quia Judæi venire noluerunt. publicani et peccatores introire compulsi sunt. Unde alibi Dominus ait : « Quia nemo illorum qui vocati sunt gustabit cœnam meam. Et videntes pharisæi dicebant discipulis suis. Quare cum Publicanis et peccatoribus manducat Magister vester? » (*Luc.* XI, 24.) Similiter enim et fideles quidam adversus beatum Petrum postea scandalizati sunt, eo quod Cornelio incircumciso communicaverit (*Act.* XI, 2) : quibus et ipse rationem reddidit, sicut et Dominus istis rationem reddere non est dedignatus. Ait enim : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus* : ac si dicat : Ad sanandum veni, non ad manducandum ; medicus sum, non conviva : imo ideo conviva quia medicus (255). Hoc genus morbi nusquam tam bene sicut in convivio sanatur. Unde Apostolus ait : « Factus sum infirmis tanquam infirmus, ut infirmos lucri facerem (*I Cor.* IX, 22). » Non enim dedignatur Christus eos in convivio recipere, quorum mortalitatem non est dedignatus assumere. Reficit exterius corpora, reficit interius mentes. Non potest ibi esse fames, ubi est panis vivus qui de cœlo descendit. Panis igitur famelicis detur; de quibus dicitur : « Et famelici saturati sunt (*I Reg.* II, 5). » Medicus subveniat infirmis, qui aliter sanari non possunt. « Euntes autem dicite quid sit ; quia misericordiam volo et non sacrificium : » hoc enim in Osee scriptum est (256). Quod si Pharisæi intellexissent, nequaquam misericordiæ patrem de misericordia reprehendissent. Quæ sit autem hæc misericordia, subdidit, dicens : *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Quod enim peccatores vocantur et salvantur, misericordia est ; quod vero illi reprobantur qui se justos esse injuste arbitrantur, justitia est. Non potuit autem salvari mundus per sacrificium ; salvatus vero est per misericordiam ; quia Christi sacrificium misericordia fuit.

XXXI. *Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis dicentes : Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant? Et ait illis Jesus : Nunquid possunt filii sponsi lugere quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.* Bene, inquit, facitis quia jejunatis, neque ego jejunium reprehendo, quo caro domatur, luxuria vincitur, et dæmonia pelluntur. Quia igitur discipuli mei modo non jejunant, mysterium est magnumque sacramentum (257) : Isti sunt dies nuptiarum. sponsus adest, convivia præparantur, ubique lætitia. ubique organa resonant, et psalterium jucundum cum cithara. Illa enim convivantium exsultatio, æterni illius convivii exsultationem significabat, qua tandem de ipsius summi boni præsentia omnes sancti reficientur. *Venient autem dies cum sponsus auferetur ab eis*, illi scilicet in quibus suscipietur in cœlis, et tunc jejunabunt. Et quasi aliquis diceret : Si nuptiarum dies sunt, si nova et spiritualia convivia præparata sunt, si hæc quæ agis sacramenta sunt ; quare et istos non invitus, quare tantorum sacramentorum hos quoque non facis esse participes? Ad quod ipse : Quia nolunt ; quia non ad discendum sed ad reprehendendum venerunt ; quia veteribus pannis induti sunt ; quia vestes nuptiales non habent ; quia utres veteres ferunt, qui novum vinum retinere non valent ; quia vino veteri inebriati vinum novum abominantur. dicentes : Vetus melius est. Et hoc est quod ait : *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus ; tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, et pejor scissura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres ; alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt ; sed vinum in utres novos mittunt ; et ambo conservantur.* In hoc igitur docemur, quia secundum audientium capacitatem sermonem nostrum atque doctrinam temperare debemus. Pharisæi namque quibus tunc Dominus loquebatur, adhuc secundum legis veteris doctrinam et observantiam salvari poterant, quibus si nova sacramenta mox Dominus pandere voluisset, scandalizati potius quam ædificati discederent (258). Prius igitur paulatim erant innovandi, et sic tandem ad Agni nuptias vocandi.

XXXII. *Hæc eo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit et adorabat eum dicens* (259) *: Domine, filia mea modo defuncta est ; sed veni, impone manum super eam, et vivet.* Quid enim per hunc principem nisi Abraham, Isaac et Jacob, Moysen, et Aaron, et cæteros illius populi principes intelligamus, qui semper pro filiæ 50 suæ, id est Synagogæ (260)

(255) « Ibat autem Dominus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, et spirituales invitatoribus suis præberet cibos. » Hieron.

(256) Osæi VI, 6. « Quia misericordiam voluit non sacrificium. » Vid. Chrysologum serm. 31, qui superioribus etiam sermonibus 28, 29, 30, de Matthæi vocatione disserit.

(257) Exponit mysterium hoc Hieronymus (quem Beda, ut sæpe alias, transcribit) ad h. l. : « Sponsus Christus, sponsa Ecclesia est ; de hoc sancto spiritualique connubio apostoli sunt procreati, qui lugere non possunt, quandiu sponsam in thalamo vident, et sciunt sponsum esse cum sponsa. » Vid. cætera.

(258) Hieron. : « Duo autem exempla posuit, et utrium veterum et novorum, et vestimenti. Veteres utres debemus intelligere Scribas et Pharisæos ; plagula vestimenti novi et vinum novum, præcepta evangelica sentienda, quæ non possunt sustinere Judæi ; ne major scissura fiat. »

(259) Est homilia Emiseno supposita Dom. XXIV post Pent., pag. 178.

(260) Beda : « Filia namque Synagoga est, quæ unica erat Moysi, » etc. Bedam præivit Hieron. explicans quod postea subditur : « Cum venisset

Digitized by Google

morte, et cæcitate ad Dominum accedunt et intercedunt? Rogant igitur Dominum ut veniat, imponat manum super eam, et vivet. Omnes enim patriarchæ et prophetæ hoc orabant; omnes Christi adventum exspectabant et desiderabant. Venit tandem Dominus Jesus, sed pro itineris longitudine nondum ad puellam pervenit, nondum super eam manum posuit, adhuc mortua jacet. Ipse tamen ad eam vadit, et simul cum eo discipuli ejus. Quotidie enim ad hujus puellæ resurrectionem, quotidie ad Synagogæ conversionem propinquamus : prius tamen altera mulier sanabitur, quam ad istam perveniamus; quia « cum plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* IX, 26). » Sed quid est, *filia mea modo defuncta est?* Quid est *modo?* Modo, inquit, venisti, modo prædicare cœpisti, modo filia mea defuncta est. Venit medicus, venit sanitas et vita; et quando sanari debuit, tunc defuncta est filia mea. Nisi enim venisses et locutus ei fuisses, peccatum non haberet; nunc autem excusationem non habet de peccato suo (*Joan.* XV, 22). Sic igitur mortua est filia mea; *sed veni, impone manum super eam, et vivet.* Et surgens Jesus sequebatur eum, et discipuli ejus. Merito enim iste princeps vocatur *Jairus*, quem Jesus sequitur et discipuli ejus : Jairus enim *illuminatus* (261) interpretatur. Unde bene patriarchas et prophetas significat, quorum oculos illuminavit : quibus « incerta et occulta sapientiæ suæ (*Psal.* L, 8) » mysteria revelavit. Hos autem sequitur Jesus et discipuli ejus, quia eadem via misericordiæ et justitiæ gradiuntur omnes : et quod illi prænuntiarunt, hoc isti facere et adimplere contendunt. Illi loquendo et prophetando præcedunt, isti agendo et confirmando sequuntur. *Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Quæ est enim hæc mulier, nisi Ecclesia gentium (262)? Ad Synagogam sanandam venerat Dominus, hoc enim ipse ait : « Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel (*Matth.* X, 6). » Et ecce mulier quæ *sanguinis fluxum patiebatur*, et secundum legem immunda dicebatur, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus, et sanata est. Fluxum enim sanguinis patiebatur, quia in suorum peccatorum sanguine versabatur; quia sanguine, rapina et occisione nutriebatur. *Retro accessit*, non in facie stetit, cum timore et verecundia venit. Unde Apostolus ait : « Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? » (*Rom.* VI, 21.)

A Vestimentum tetigit, incarnationis ejus mysterium credidit; Christi namque vestimentum humanitas est, qua divinitas induta, videri non poterat. *Dicebat autem intra se : Si tetigero tantum vestimenta ejus, salva ero.* Hæc autem, ut alii evangelistæ dicunt, omnem substantiam suam in medicos erogaverat, et nihil profecerat, sed deterius habuerat. Per hos enim medicos, ariolos et philosophos intelligere possumus, quorum persuasionibus cæteri credentes, et a fidei veritate aberrantes, ad animæ sanitatem attingere non valebant, quia longe est a peccatoribus salus. Animæ autem substantia et divitiæ, virtutes sunt et mores honesti; quas illi quidem amittunt, qui fidem et spem suam in vanitatibus ponunt. *At Jesus conversus et videns eam* B *dixit : Confide, filia, fides tua te salvam fecit : et salva facta est mulier ex illa hora* (263). « Impossibile est sine fide placere Deo (*Hebr.* XI, 6). » — « Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam (*Jac.* II, 23); » — « Justus autem ex fide vivit (*Hebr.* X, 38). » — « Sancti per fidem vicerunt regna (*Hebr.* XI, 33). » — « Si habueritis fidem sicut granum sinapis (*Matth.* XVII, 19); » montes transferre poteritis. « Omnia possibilia sunt credenti (*Marc.* IX, 22). » Magna est igitur fides, quam sic ubique Dominus commendat, secundum fidem suam unicuique tribuens. *Et cum venisset Jesus in domum principis Pharisæorum, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat : Recedite, non est enim mortua puella sed dormit : et deridebant eum multi.* Quod enim C tunc temporis factum est in una puella, hoc in fine temporum futurum est ut fiat in tota Synagoga. Tunc enim veniet Dominus Jesus cum discipulis suis in domum principis Pharisæorum; quia tunc Christi fidem et apostolorum doctrinam suscipiet omnis multitudo Judæorum. Tunc enim, jubente Domino, tibicines et tumultuans turba recedet, quoniam tunc littera suaviter, sed infructuose et inutiliter auditus hominum demulcens, ejusque amatores cessabunt. Quid enim nisi tibicines erant Scribæ et Pharisæi legem et prophetas ad litteram exponentes, et quid dicerent non intelligentes? Tibia enim dulcem sonum **51** sine intelligentia reddit. Recedant igitur tibicines, recedat omnis turba tumultuans recedant D garruli perstrepentes, voce frementes, et nihil intelligentes. *Non est enim mortua puella, sed dormit.* Iste cantus mortuorum est. Quandiu has tibias audivit Synagoga, mortua fuit; imo istæ tibiæ eam interfecerunt : « Littera enim occidit, spiritus autem

Jesus in domum, » etc. : « Usque hodie, ait, puella jacet in domo principis mortua, et qui videntur magistri, tibicines sunt, carmen lugubre canentes. Turba quoque Judæorum non est turba credentium, sed turba tumultuantium. » Utrumque Hilarius præivit, scribens ad h. l. : « Princeps hic lex esse intelligitur quæ Dominum orat pro plebe, quam ipsa Christo, prædicata adventus ejus exspectatione, nutriverat, ut vitam mortuæ reddat. »

(261) Hoc ex Beda : « Mystice Jairus, qui interpretatur *Illuminatus*, sive *Illuminans Moyses*, intelligitur, qui de Spiritu sancto illuminatus verba vitæ acceperat, ut per hæc alios illuminaret. »

(262) Hoc quoque Hieron. : « Nota ergo, quod eo tempore hæc mulier, id est gentium populus cœperit ægrotare quo gens Judæorum crediderat, » etc. Hæc Hieronymi magis etiam dilatat Beda. V. Hilarium quoque, qui mulieris hujus typo, peccatorum turbam prius curatam intelligit, quam Judæi curati aut curandi sint.

(263) Hebr. XI, 6 : ad Rom. IV, 3; I, 17. Hebr. XI 33. Matth. XVII, 17. Marc. IX, 12.

Digitized by Google

vivificat (*II Cor.* II, 6). » Littera igitur recedat, spiritus accedat, suscitet dormientem, faciat intelligentem, et consoletur utrumque parentem. Sed qui sunt illi stulti qui Dominum deridebant, nisi illi qui resurrectionem non credebant? Et quidem multos tales et esse et fuisse et futuros esse, non dubitamus. *Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus, et surrexit puella.* Nondum igitur ejecta est turba, nondum surrexit Synagoga, adhuc turbatur, adhuc in littera delectatur. Surget autem, quando veniet Jesus, quando intrabit ad eam, et tenebit manum ejus. Tunc enim Jesus intrabit ad eam, quando fugata litteræ vetustate, hæc novi sacri Evangelii verba scribentur in corde ejus. Et tunc quidem dicere poterit : « Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me (*Psal.* LXXII, 24). »

XXXIII. *Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes et dicentes : Miserere nostri, Domine, fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci, et dicit eis Jesus : Creditis quia possum hoc facere vobis? Dicunt ei : Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis; et aperti sunt oculi illorum.* Clamant cæci, et nondum illuminantur, sequuntur Jesum usque ad domum, interrogantur de fide, respondent se credere, tangit eorum oculos Jesus, et illuminantur. Cæcus enim est omnis infidelis : duo cæci sunt gentilis et Judæus (264). Sed si audita Christi virtute jam credere incipiunt, ipsum credere, clamare est. Jam quodammodo fide clamant, jam cordis clamore dicunt : *Miserere nostri, fili David.* Si vera sunt quæ de te audivimus, miserere nostri, fac nos intelligere veritatem, et illumina oculos nostros. Bene quidem clamant, bene orant, bene incipiunt sequi Jesum. Restat igitur, ut domum veniant, ut ad Ecclesiam festinent : ibi enim illuminantur cæci, ibi vera lux invenitur, ibi Christus Dominus noster auditur. Sed quid dicit? Sequitur : *Creditis quia possum hoc facere vobis?* Hoc enim tunc Jesus dixit per se, hoc et modo per membra sua in Ecclesia dicit. Venit catechumenus ad Ecclesiam, legitur ei Symbolum, legitur ei fides catholica; interrogatur si ita credat : respondet se credere. Et tunc quidem Jesus tangit oculos ejus, tunc illuminat mentem ejus, tunc baptizatur, tunc illuminatur. Nisi enim respondisset *credo*, non baptizaretur, et nisi baptizaretur non illuminaretur. In his igitur duobus cæcis docuit nos Salvator noster, quid in aliis omnibus agere debeamus : quomodo eos recipere, quomodo interrogare, quomodo eos illuminare oportet. In eo vero quod ait : *secundum fidem vestram fiat vobis*, manifeste significat, quia nemo salvatur, nisi per fidem. Unde et alibi dicit : « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit (*Marc.* XVI, 16). » Non dixit simpliciter *salvus erit qui baptizatus fuerit;* sed *qui crediderit et baptizatus fuerit.* Salvantur enim parvuli baptizantium fide, qui postquam fidem intelligunt, jam non salvantur nisi sua fide. Prosunt enim orationes et eleemosynæ, prosunt sacrificia et alia beneficia, sed fidelibus. *Et comminatus est illis Jesus dicens : Videte ne quis sciat; illi autem exeuntes diffamaverunt eum in totam terram illam.* Rem quodammodo impossibilem videtur jubere Dominus. Quomodo enim hoc celare poterant, nisi oculos absconderent? Quod si oculos abscondissent, quid eis lumen noviter restitutum profuisset? Quid igitur? Dicemus eos inobedientes, qui Christi gloriam prædicantes, eum in totam illam terram laudabiliter diffamaverunt (265)? Et primum quidem hoc eos defendit; quia non se ipsos, sed Dominum laudabant, neque de suscepto lumine gloriabantur. Sic enim et Apostolus ait : « Non nosmetipsos prædicamus sed Dominum Jesum (*II Cor.* IV, 5). » Deinde vero quia aliud significabat : non enim vult Dominus ut bona quæ agimus, ideo agamus, ut videantur ab hominibus. Qui enim hoc faciunt, *receperunt mercedem suam.* Hæc est igitur causa cur ea quæ gloriose agit pluribus in locis, celare præcipiat.

XXXIV. *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem : et ejecto dæmone* (266), *locutus est mutus : et miratæ sunt turbæ dicentes : Nunquam apparuit sic in Israel : Pharisæi autem dicebant : In principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Alii sani recedunt, alii sanandi accedunt. Nunquam desunt in 52 quibus suæ virtutis potentiam Dominus ostendat. *Et ecce*, inquit, *obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem.* Nunquam significatione carent opera Christi : duplici semper virtute muniuntur, dum in uno multi illuminantur, et in uno multi sanantur. Quis enim est iste homo mutus? Nunquid unus est tantum? Multi enim homines muti in hoc muto significantur. Mutus est omnis homo, qui a dæmonio possidetur. Hoc autem ex eo probatur quia *ejecto dæmone locutus est mutus* (267). Et iste quidem mutus non ideo dicitur mutus quod omnino non loquatur, sed quod male et non bene loquatur : nescit enim bona dicere, nescit in Dei laudibus labia aperire. Hic enim si convertatur, si ad pœnitentiam redeat, mox videbis mutum loquentem, Deum laudantem, se ipsum accusantem, et veritatem prædicantem. Quis hoc non

(264) « Uterque enim populus cæcus erat, ait hic Hieron... Domino per hoc sæculum transeunte, et cupiente reverti ad domum suam. » Beda quoque : « Duo cæci, duo populi sunt, observatione litteræ et ritu gentili obcæcati, de futuris inscii. Domino ego per hoc sæculum transeunte, et in domum suam cupiente reverti, secuti sunt duo cæci, quia prædicato per apostolos Evangelio, multi ex Judæis et gentilibus cœperunt sequi Redemptorem. »

(265) Hieron. « Dominus propter humilitatem fugiens jactantiæ gloriam hoc præceperat, et illi propter memoriam gratiæ non possunt tacere beneficium. » Ita et Beda.

(266) « Dæmonio, » etc. Vulg.

(267) S. Hilarius : « Dæmon prius ejicitur, et tum reliqua corporis officia succedunt. Dei quippe cognitione, superstitionum omnium vesania effugata, et visus, et auditus, et sermo salutis invehitur. »

Digitized by Google

iretur? Est enim hæc « immutatio dexteræ Excelsi (*Psal.* LXXVI, 11). » Miseri Pharisæi qui hoc in rincipe dæmoniorum fieri arbitrantur, quasi plus osset princeps dæmoniorum, quam princeps homium et angelorum.

XXXV. *Et circuibat Jesus omnes civitates et catella docens in Synagogis eorum, et prædicans vangelium regni; et curans omnem languorem, et mnem infirmitatem.* Hoc igitur erat opus Salvatoris ostri : ad hoc venerat ut doceret, ut Evangelium egni Dei prædicaret, ut errantes ad viam veritatis onverteret, ut omnem languorem et infirmitatem nterius exteriusque curaret. *Videns autem turbas isertus est eis, qui erant vexati, et jacentes sicut ves non habentes pastorem.* Hoc est enim quod Petrus apostolus ait : « Eratis enim sicut oves errantes; sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum (*1 Petr.* II, 25). »

XXXVI. *Tunc dicit discipulis suis; messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Tantus enim est ager quantus et mundus (268). Multa est igitur messis, quia multi sunt homines : pauci sunt operarii, quia pauci sunt prædicatores. Vult autem Dominus rogari, ut mittat operarios in messem suam, quatenus fideles sui non solum de operatione, verum etiam de affectu et voluntate remunerentur. [CAP. X.] *Et convocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos; et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Non mirum si reges, et principes, tyrannos et potentes, Christi discipuli vincere potuerunt; qui super ipsos malignos spiritus eorum imperatores et dominos potestatem susceperunt. Et modo quidem episcopi et sacerdotes hoc agunt in animalibus quod tunc apostoli in corporibus operabantur (269) : nam et spiritus immundos ejiciunt, et hominum mentes ab omni ægritudine curant, et animas jam defunctas ad vitam resuscitant. Cur enim Dominus et discipuli ejus corpora sanabant subito moritura, nisi ut per hoc sanaretur anima in æternum victura? Neque enim credidissent, nisi signa et prodigia vidissent. Hoc enim ipse Dominus ait : « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis (*Joan.* IV, 48). » Si vero non credidissent, ad salutem animæ pervenire non potuissent. Majus est igitur animam sanare quam corpus, quoniam majus est illud quod per se fit, quam illud quod per aliud fit. *Duodecim autem apostolorum nomina hæc sunt : primus Simon qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi et Joannes frater ejus, Philippus et Bartholomæus, Thomas, et Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi et Taddæus, Simon Cananæus, et Judas Scariothes, qui et tradidit eum. Hos duodecim misit Jesus præcipiens eis et dicens : In vias gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* Ideo enim Dominus ait : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel;* quia per se et sui corporis præsentiam Judæos prædicare venerat, gentiles vero per apostolos et doctores. Unde et discipulis suis, quibus modo in vias gentium ire, et in civitates Samaritanorum introire interdicit, postea præcipit dicens : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (270). » Prius igitur Judæos, deinde gentiles vocare voluit. Samaritani autem secuti Jeroboam idola coluerunt : unde hic non immerito gentibus aggregantur. *Euntes autem prædicate dicentes: quia appropinquavit regnum cœlorum.* Tollatur igitur regnum malorum; destruatur et pereat regnum dæmoniorum; quia jam in terris ædificatur regnum sanctorum, quia jam nobiscum inter nos habitat rex Angelorum. Hujus sermonis hæc erit probatio : *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite, gratis accepistis, gratis date* : hæc enim non humana sunt, sed divina, non terrena sunt, sed 53 cœlestia. Quis itaque cœlorum regnum, cœlorumque regem et Dominum adesse dubitet, cum in nomine Jesu infirmitas fugiat, mors pereat, vita et sanitas redeat, lepra recedat, et maligni spiritus qui hominibus dominabantur, ab hominibus excludantur? *Gratis accepistis, gratis date.* Hoc audiant Simoniaci; hoc audiant illi qui sancti Spiritus gratias emere et vendere non timent. Sed dicit Simoniacus; ego gratis non accepi, gratis dare non possum. Si gratis non accepisti, a Domino non accepisti; Dominus enim nulli dat nisi gratis. Noli igitur dare neque gratis, neque non gratis : non enim tibi ista dicuntur : *Nolite possidere aurum, neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta neque virgam : Dignus est enim mercede sua* (271) : his enim verbis omnis cupiditatis et avaritiæ occasio tollitur, omne superfluum amputatur, et sola necessaria conceduntur. His denique expeditur via, fugit timor, crescit securitas : unde non immerito quidam ait : *Cantabit vacuus coram latrone viator* Sed quare peram vel sacculum ferant, quibus de crastino cogitare non licet? In his enim reponitur et custoditur quod in futurum reservatur : sed quid reponet, qui nihil sibi reservat? Neque vero duas tunicas ferant, quatenus expeditius currant, et

(268) Ita et Hieron. : « Messis multa populorum significat multitudinem; operarii pauci penuriam magistrorum : » ac deinde : « Messis multa omnis turba credentium est; operarii autem pauci, et apostoli et imitatores eorum qui mittuntur ad messem; » quæ postrema verba exscribit Beda.

(269) Beda : « Hæc quotidie sancta facit Ecclesia cum infirmos in bono opere curat exhortatione, mortuos in infidelitate vel peccatis per pœnitentiam revocat, leprosos variis errorum maculis corrigendos sanat, dæmones per exorcismi gratiam ab hominibus expellit. »

(270) Marc. XVI, 15 : « Euntes in mundum universum. »

(271) « Dignus est enim operarius cibo suo » hic et Luc. X, 7 : « Dignus est enim operarius mercede sua. »

Digitized by Google

onere inutili et superfluo non graventur. In una enim tunica tantum vestimenti intelligitur, quantum ad frigus arcendum unicuique sufficere possit. Virga vero et calceamenta in Marco concedi, in Matthæo et Luca intercedi videntur. Verumtamen quia dixit, *neque duas tunicas*, et statim calceamenta supposuit, possumus intelligere, ut neque calceamenta ferant duplicia (272); sive etiam illa calceamenta non ferant, quibus cæteri homines utebantur; sed quoddam aliud, calceamentorum genus iter agentibus habile, quo pes non constringitur (273), et planta salva custoditur. Et hoc quidem Marcus significare videtur dicens : « Sed calceatos sandalis (*Marc.* XVI, 15); » hoc enim non addidisset, nisi aliquam distantiam eos ab aliis in calceamentis habere non voluisset. Si quis autem hoc aliter interpretari velit, hoc in eo sit; verumtamen evangelistas nemo putet esse contrarios. Et ego quidem non crediderim, Dominum calceamenta penitus interdixisse, cum cæteris corporis membris indumenta concesserit, quæ non tantum laboris ut pedes patiuntur : præsertim cum Apostolus dicat : « Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis (*Ephes.* VI, 15). » De virga vero quid dicemus? Dicunt alii *neque virgam :* dicit Marcus *nisi virgam*. Hoc autem nisi secundum diversa tempora distinguatur, solvi non potest, si tamen de eadem virga intelligatur (274). Virga enim ad pastores pertinet : pastores enim apostoli nondum erant. Nondum enim Petro dictum fuerat : « Pasce oves meas (*Joan.* XXI, 17) : » nondum Spiritus erat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus. Nondum eis sensum Dominus aperuerat, ut Scripturas intelligerent. Nondum igitur erant pastores, quia nondum noverant pascere oves. Nondum igitur virgam ferebant. Neque enim decebat, ut virgas ferrent, cum adhuc ille Pastor omnium maximus inter eos corporaliter conversabatur. Virgam igitur et pastoris officium eo tempore susceperunt, quo eis a Domino dictum est : « Ite in universum mundum; prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15). » Non est igitur inconveniens, quod virgam ferre et non ferre dicantur, siquidem hæc secundum diversa tempora intelliguntur. Quod autem ait : *Dignus est operarius mercede sua ;* tale est ac si diceret : Nihil nisi Evangelium feratis, in eo laborate, de ipso vivite, dignus est enim operarius mercede sua. Unde Apostolus : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, non magnum est, si carnalia vestra metamus (*I Cor.* IX, 11). » Itemque : « Non alligabis os bovi trituranti (*II Tim.* V, 8; XXV, 5). »

XXXVII. *In quamcunque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete, donec exeatis.* Ibi, inquit, manete : ubi? in domo illius qui dignus est. In hoc enim vagandi licentia tollitur, et de domo in domum transire prohibetur (275). In una domo manete, ibi vobis ministret qui ministrare velit. *Intrantes autem in domum salutate eam dicentes : Pax huic domui, et siquidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur.* Merito enim pacem offerunt qui Christum prædicant : « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 24). » Ubi non est pax et concordia, ibi Christus manere, et habitare non potest : unde scriptum est : « Et factus est in pace locus ejus (*Psal.* LXXV, 3). » Illa 54 igitur domus est digna pace (276), quæ digna est ut in ea habitet Christus; si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur. Quomodo enim ad eos revertitur quod ab eis non recessit? Revertitur quidem, quia major fit, et quodammodo duplicatur, dum bonum quod in se sentiunt esse, majus quoque esse desiderant. Unde fit ut mercedem suscipiant non solum de pace quam habuerunt, verum etiam de illa quam aliis obtulerunt. Sic igitur pax quam prædicant, feta et duplicata ad eos revertitur. *Et quicunque non receperit vos neque audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.* Quicunque, inquit, vos non receperint, vobisque charitatis et misericordiæ viscera non aperuerint, neque vestros sermones et fidem quam prædicatis audierint et crediderint, relinquite illos, separamini ab illis, exite de medio illorum, et excutite pulverem de pedibus vestris; ut de illorum infidelitate et impietate, de illorum sordibus et immunditia, de illorum iniqua operatione et terrena conversatione nihil vobis adhæreat, vestrosque pedes et sancta itinera commaculet (277). Propter hoc enim dicitur : « Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet (*Joan.* XIII, 10). » Hoc autem erit illis in testimonium, quoniam iniqui et reprobi fuerunt, et a sanctorum consortio sint expulsi, « tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4). » *Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum, Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* Per quod utique intelligitur, quod illi qui audita veritate acquiescere noluerunt, graviori pœnæ

(272) Ita S. Aug. lib. II : De consens. Evang., cap. 30 : « Calceamenta cum dicit Matthæus in via non esse portanda, certam prohibet, qua ideo portanda cogitantur, ut non desint. Hoc et de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam, quam esset indutus, aliam portandam putaret, sollicitus ne opus esset. » Ita S. Thomas, Cajetanus, Maldonatus, Calmet, atque, eo teste, explicatio est plerorumque notæ melioris interpretum.

(273) Hæc quoque sententia habet patronos suos, Euthymium, Jansenium cap. 55, conc. Toletum, a Lapide.

(274) V. Maldonatum qui de duplici virga locutum Dominum putat. Vide alios interpretes post Aug., l. all.

(275) V. Chrysost. hom. 33; Victor. Antioch. ad cap. 6, Marc. : « Ne apud civitatis incolas immobilis inconstantisque animi in suspicionem veniant, ne de domo in domum transeant, mandat. »

(276) V. hic de pace fuse disserentem Chrysost. hom. 33.

(277) V. Jansenium cap. 55, et Maldonatum ad h. l.

Digitized by Google

ubjiciantur, quam illi quibus veritas nuntiata non uit (278).

XXXVIII. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio uporum.* Scitis et bene scitis utriusque naturam. ıd patiendum itis; patientiam et innocentiam cutodite. Non vos defendatis, quia oves estis; sæviant lli, quia lupi sunt. *Estote ergo prudentes sicut serentes, et simplices sicut columbæ.* De serpente namque dicit Moyses, quia « callidior erat cunctis aninantibus terræ (*Gen.* III, 1). » (279) Serpentes autem t maligni spiritus, et iniqui homines vocantur, uoniam et venenosi sunt, et recto itinere non inedunt. Sicut igitur illi prudentes sunt in malo, sic t vos, dicit Dominus, prudentes estote in bono. Vilete, ne vos decipiant astutia sua, quia « filii hujus æculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione ua (*Luc.* XVI, 8). » Prudentes igitur estote, sed ita rudentes ut simplicitatem non amittatis (280). Sitis utem simplices sicut columbæ : *Simplex,* inquit, ine fraude, sine veneno, sine dolo, sine felle, omnique amaritudine sit prudentia vestra. *Cavete autem ab hominibus; tradent enim vos in conciliis, et n Synagogis suis flagellabunt vos, et ad reges, et præsides ducemini propter me, in testimonium illis et entibus.* Cavete, inquit, vobis ab hominibus : ibi rudentia necessaria erit, ne vos decipiant, ne vos educant, ne vos minis et flagellis, ne vos blanditiis t persuasionibus a veritate deviare faciant (281). Multis enim modis vos tentabunt, multis argumentis, multisque insidiis vos decipere conabuntur. Tradent enim vos, flagellabunt vos, ad reges et præsides ducent vos : hoc autem propter me, quatenus et illis et cunctis gentibus testimonium detis de me. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini : non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Securus enim ad prælium vadit, qui talibus armis et sub tali principe pugnat. Securus et ille ad concilium pergit, qui tali prolocutore causam suam defendit. Cum enim sanctorum triumphos legimus, sæpe philosophos et sapientes a puellis et hominibus illiteratis superatos fuisse audimus. Hoc autem quis faciebat, nisi Spiritus sanctus qui loquebatur in eis? *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient, et eritis odio omnibus, propter nomen meum.* Hæc autem prophetia, quia jam completa est, expositione non indiget; ipsa enim ejus adimpletio, expositio fuit. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Omnis enim homo in eo judicatur in quo invenitur. Quacunque hora conversus fuerit, vita vivet, et non morietur. Sed forte exspectas ut convertaris in ultima hora. Audi quid Dominus dicat : « Vigilate, quia nescitis diem neque horam (*Matth.* XXV, 13). » Illi igitur qui ultimam horam sic exspectant, falli possunt; qui vero in bono perseverant, falli non possunt. Nunquam enim nisi in bono judicantur qui semper in bono inveniuntur.

XXXIX. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis non consummabitis civitates Israel donec veniat filius hominis.* Ubique patientiam et innocentiam Dominus docet : non resistere, sed fugere admonet. **55** Fugite, inquit, malos, fugite persecutores, fugite in aliam civitatem; non enim deerunt vobis civitates, ad quas fugere possitis (282). Prius enim veniet Filius hominis, prius ad judicium revertetur, quam vos omnes civitates Israel consummetis et ad fidem convertatis. Mea exempla vos doceant, ad me respicite, quod in me fieri videtis, hoc in vobis me formidetis : *Non est enim discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.* Qui me offendere et persequi non timent, vos quoque offendere et persequi non timebunt. *Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus, et servo sicut dominus ejus.* Hoc autem dicit de se ipso : se magistrum et dominum vocat. Si enim magister indoctus fuerit, non sufficit discipulo ignorantia magistri : et si dominus pauper et miser fuerit, non sufficit servo miseria domini : si enim sufficeret, nil amplius quæreret. Quod itaque hoc de se ipso et non de alio dicat, etiam sequentia manifestant. Ait enim : *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Ipse est enim paterfamilias, cujus familia est omnis Ecclesia; de quo tamen Judæi dicere non timuerunt : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Luc.* XI, 15). » *Ne ergo timueritis eos :* quia nec ego timui, sed patienter cuncta sustinui. Hæc autem quæ dico operta sunt, nondum videntur, de futuris loquor : omnia tamen suo tempore manifestabuntur : *Nihil enim opertum quod non revelabitur, et occultum quod non sciatur.* Unde Apostolus : « Nolite, inquit, ante tempus judicare, quo ad usque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* IV, 5). » *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Quod in ænigmate et in figura auditis, quod vobis in consiliis manifesto, dicite palam et aperte (283). *Et quod in aure auditis prædicate super tecta.* In

(278) Hilarius : « Quia illis ignorato Christo, erasse sit levius; his vero inexpiabile sit, aut prædicatum non recepisse, aut receptum non sancte, neque catholice prædicasse. »

(279) Vide Hilarium hunc ipsum Genesis locum proferentem.

(280) Hieron. : « Ut per prudentiam devitent insidias, per simplicitatem non faciant malum. »

(281) Præclare Beda : « Ac si aperte membris suis infirmantibus dicat : Nolite terreri; vos ad certamen acceditis, sed ego prælior; vos verba editis, sed ego sum qui loquor. » V. etiam Chrys., hom. 34.

(282) Sic Chrysost. homil. 35 : « Nam ne dicerent, si ab alia civitate in aliam fugerimus, quid faciendum nobis est, si illuc usque persecutores pervenerint? ab hoc timore ipsos liberans; non poteritis, inquit, Palæstinam prius circuire, quam ego ad vos veniam. »

(283) Beda : « Quod didicistis mystice et absconse, loquimini publice; et quod erudivi in parvo Judææ loco, audacter dicite in toto mundo. Palæstino more

Digitized by Google

aure enim auditur ; quod secrete et quasi sub silentio dicitur : latent autem quæ sub tecto sunt. Super tecta igitur prædicare, est in aperto et cunctis audientibus loqui. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus.* Prædicate, inquit, evangelizate, officium vestrum implete; multi quidem erunt qui vos persequentur, qui vos affligent, et occident, sed nolite timere eos qui occidunt corpus. Occidunt enim quod mortale erat : nam etsi non occiderent, moreretur tamen. *Animam autem non possunt occidere.* Anima enim immortalis est; quæ dum peccat, moritur, et a vera vita quæ Christus est, separatur, gladiis tamen occidi non potest. *Sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehenna.* Illi in solo corpore, hic in corpore et anima potestatem habet : illorum pœna cito transit, istius nunquam finitur : illi quoque nec in ipso corpore potestatem habuissent, nisi hoc eis a Domino datum fuisset. *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus exilis non cadit super terram sine Patre vestro?* Si igitur illi qui tam vili pretio venduntur, sine Dei voluntate vel permissione cadere non possunt, quanto magis vos qui empti estis pretio magno, et Christi sanguine redempti estis? *Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt.* Sæviant tyranni quantum velint, nullo tamen tormentorum genere vos delere et consumere poterunt. Non est autem ei difficile capillos numerare, cui difficile non fuit creare (284). In hoc autem quod eorum capillos numeratos esse dicit, totam hominis substantiam resurgere, et nihil de ea perire significat : si enim omnes capilli numerati sunt, omnesque resurgent; quare etiam non toti resurgent? Quis enim credat, ut capillus ex parte resurgat, et ex parte pereat? Sed fortasse inconveniens tibi esse videtur, ut tam longi capilli in homine resurgant. Necesse quidem est ut totus homo resurgat, sed non est necesse ut tota hominis substantia in ea parte resurgat ubi prius in corpore fuerat. Sicut enim in vasis aureis et argenteis, quæ iterum conflantur, materia quidem tota servatur, partium tamen positio non eadem servatur, ut quod videlicet in fundo vel in summitate prioris vasis fuerat, hoc in eisdem subsequentis partibus fiat; ita et in homine substantia quidem tota resurget, tota tamen in eisdem partibus necessario non resurget. Ac per hoc nihil superfluum, nihil minus, nihil indecens et inconveniens resurget in homine : quod enim in aliis partibus superabundat, aliis partibus supplementum dabit. Nolite ergo timere, multis passeribus et pluris pretii et meliores estis vos. Qui itaque de illis curam habet, multo magis vos non deseret neque derelinquet. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis : qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis.* Determinata sunt eloquia Salvatoris nostri ; nam neque 56 omnes confitebitur Dominus qui eum confitentur; neque omnes negabit qui eum negant (285). Ipse enim dicit : *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum.* Beatus quoque Petrus qui eum negavit, nequaquam ab eo negabitur. Non illis igitur intelligatur, qui in tormentis positi, ejus nominis confessione usque ad mortem firmi fideliterque persistunt. Qui enim timore mortis Deum negant, nisi digna pœnitentia satisfecerint, dubium non est quin pereant in æternum. Omnia enim hæc illis dicuntur, qui pro Christi nomine persecutionem patiuntur.

XL. *Nolite ergo arbitrari quia venerim mittere pacem in terram ; non veni mittere pacem, sed gladium.* Quid est igitur quod Psalmista ait : « Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis (*Psal.* LXXI, 7) : » cum ipse Dominus dicat, non veni mittere pacem? Venit enim Dominus mittere pacem, venit et destruere pacem ; venit mittere pacem inter bonos, et gladium inter malos et bonos. Pacem enim habebant illi de quibus dicitur : « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV, 32) : » in talibus igitur orta est abundantia pacis. Sed quid est quod Apostolus ait : « Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes ? » (*Rom.* XII, 18.) Si enim cum omnibus hominibus pacem habere debemus; inter quos gladium Salvator noster mittere venit? Debemus quidem pacem habere cum malis, ut eos diligamus, eos ad salutem animæ invitemus, et nihil mali eis tractemus. Sit tamen gladius et discordia inter nos et illos, ut eos non imitemur, eorum fidem et facta non sequamur, eorumque consiliis iniquis non consentiamus (286). Venit igitur Dominus mittere pacem, sed illam, qua boni inter se conveniunt, non autem venit mittere illam, qua mali inter se in malo concordant. Unde et subditur : *Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus.* Omnes enim isti in malo concordabant, omnes isti pacem et concordiam in malo habebant. Hanc pacem non venit mittere Dominus; hanc concordiam non approbat

culminibus sublimata super tecta prædicare docet, quæ ipsi non nostro more, sed plano schemate faciunt æqualia : » quæ priora exscripsit ex Hier.

(284) Bene Beda : « Hic numerus non in actu est comparationis, sed in facultate cognitionis : » quod sumpsit ex Chrysost. hom. 35. V. Hieron, fuse de hoc loco disserentem.

(285) Ut noster hic A. ita interpretatus fuerat hunc locum S. Cyrillus Alex. lib. De recta fid. ad Regin.; Ambrosius lib. 1 De pœnit., cap. 3, vocem omnis accipit de generibus singulorum. « Omnis, inquit, qui me confessus fuerit, id est ex quacunque vita, et quocunque statu. » Beda sic explicat : « Bonus videlicet Christianus Dominum confitetur ea fide quæ per dilectionem operatur.... Christum coram hominibus negare, est ejus præceptis non velle acquiescere. »

(286) Ita ferme S. Gregorius, Reg. Pastor. part. II, addens « malorum namque cum incaute amicitias jungimur, culpis ligamur. »

Digitized by Google

Jesus. Isti sunt, inter quos non pacem sed gladium mittit ; gladium utique separationis, ut aliis in infidelitate persistentibus, alii ad fidem convertantur. Unde fit ut qui prius erant domestici hominis, ejusdem postea inimici fiant, et quasi hostem eum persequantur (287). Et ne forte aliquis diceret : Rem valde difficilem, o Domine, et quodammodo intolerabilem jubes, ut videlicet a fratribus et filiis et parentibus tantopere separemur; subdidit dicens : *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus ; et qui amat filium aut filiam plusquam me, non est me dignus.* Et amplius, ac si diceret super hæc : *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.* Qui enim accipit crucem suam et sequitur Christum, non solum plus quam patrem et matrem, et filium et filiam Christum diligit, verum etiam plus quam se ipsum. Se ipsum autem dico, vitam suam : qui enim vitam suam pro Christo ponere non timet, plus utique diligit Christum quam vitam suam. Crucem autem accipere dicit, non lignum crucis portando, sed ejus passionem imitando, sive etiam per abstinentiam carnem domando et cruciando : in cruce enim omnia tormentorum genera designantur. Unde et cruciari dicitur qui quomodolibet affligitur. Crucem autem ferebat Apostolus qui ait : « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo (*Galat.* VI, 14). » *Qui invenit animam suam, perdet illam, et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Animam enim hoc in loco pro vita posuit, quoniam omnis vita nostra in anima est. Alii igitur in hoc sæculo vitam suam inveniunt, quoniam amore hujus vitæ non quærunt aliam vitam; et isti quidem simul perdent utramque vitam. Alii vero sua sponte perdunt hanc vitam, quia amore alterius vitæ pro nihilo ducunt istam vitam : et isti igitur quia perdiderunt hanc vitam, in vitam æternam custodient, et possidebunt æternam vitam. Quid est enim *in vitam æternam*, nisi in æternum? *Qui recipit vos me recipit.* Dixit enim superius, quia tolerabilius erit terræ Sodomorum vel Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati, quæ non receperit eos. Nunc autem, quantam gratiam a Domino consequantur qui eos recipiunt, ostendit, quia, inquit, vos membra mea estis et ego in vobis sum : *Qui recipit vos, me recipit.* Similiter autem, quia ego et Pater unum sumus, et ego sum in Patre et Pater in me : **57** *qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Unde manifestum est, quia et Patrem et Filium, totamque Trinitatem recipit, qui Dei nuntium veneratur et recipit : qui vero Dei ministro injuriam facit, Deo omnipotenti Trinitati inseparabili injuriam facit. Mittitur autem Filius a Patre, quia una est eademque voluntas totius sanctæ et individuæ Trinitatis, qua Dei Filius in mundum missus et incarnatus est. *Qui recipit prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* Ille enim recipit prophetam in nomine prophetæ, qui non affectu carnis eum recipit, sed quia Christi fidem prophetat et nuntiat : ideoque accipiet mercedem prophetæ, quoniam eamdem mercedem habebit iste de receptione quam propheta de prophetia (288). Qui igitur Dei sacerdotes pro Christi nomine veneratur et recipit, mercede sacerdotum non privabitur. *Et qui recipit justum in nomine justi;* id est, quia justus est, *mercedem justi accipiet.* Merito enim justitiæ mercedem accipiet, qui in tantum justitiam diligit, ut omnibus hominibus ex affectu serviat, in quibus justitiam esse cognoscit. *Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Non tantum, inquit, de majori obsequio, sed de minimo quoque mercedem suscipient, quicunque in nomine discipuli vobis servierint. Multi enim serviunt episcopis et sacerdotibus, non quia episcopi et sacerdotes sunt, sed quia temporalem aliquam retributionem ab eis exspectant. Isti autem non serviunt in nomine discipuli. Si igitur hic mercede caruerint, ibi propter hoc mercedem non habebunt. [CAP. XI.] *Et factum est cum consummasset Jesus præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum.* Eorum namque civitates eas dicit, in quibus prius apostoli habitaverant, id est Capharnaum, Corozaim, et Bethsaidam, de quibus in sequentibus loquitur.

XLI. (289) *Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi; tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Joannes Baptista in vinculis et in carcere positus, cum audisset miracula quæ Dominus operabatur, intelligens jam sibi diem mortis imminere, voluit eum quasi magistrum interrogare de his quæ sibi adhuc incerta videbantur. Misit igitur ad eum duos de discipulis suis, qui ejus verba Christo referrent. Hi autem quid dixerint, audiamus. Joannes, inquiunt, Baptista misit nos ad te dicens : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Ego quidem non puto Joannis discipulos intellexisse, quid hac illorum magistri interrogatione significaretur (290) : sicut neque in Christi responsione quæstionem intellexerunt esse

(287) Præclare Chrysost. Orat. 2 adv. Judæos : « Non declarans quod ipse cuperet; sed rei eventum prædicens.... quoniam eveniet, ut in eadem domo unus sit fidelis, alter infidelis, deinde pater velit filium pertrahere ad impietatem. »

(288) Ita ferme Euthym, ut enim eleganter S. Gregor. hom. 20 in Ev. « Quia etsi fructum ulmus non habet, vitem tamen cum fructibus portans, hæc ipsa sua efficit quæ bene portat aliena. »

(289) Est homilia Emiseno supposita Dom. 3 Advent.

(290) Hanc difficultatis solutionem ex S. Gregorio, ut opinor, hausit, qui homil. 6 in Evang. scribit : « Missus in carcerem, an ipse veniat, requirit; non quia ipsum esse mundi Redemptorem dubitat; sed quærit ut sciat, si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat. Quem enim præcurrens mundo nuntiaverat, hunc mo-

Digitized by Google

solutam. Tu es, inquit, qui venturus es? Ego quidem vado, ego ad patriarchas et prophetas in infernum descendo: sed nunquid tu quoque ibi venturus es? Debeo te illuc venturum illis annuntiare, sicut te jam venisse mundo annuntiavi? Descendes illuc per te, an alium exspectamus missum a te? Timeo enim hoc credere de te, nisi hoc certum fiat mihi a te. Valde quidem te humiliasti, an fortasse plus te humiliabis? Quid dicam illis? quid nuntiabo? *Et respondens Jesus ait illis: euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* Quid enim aliud Dominus in hac sua responsione significabat, nisi quia hoc prophetarum oraculum per se complere non abhorreret, sicuti nec alia quæ de eo prophetæ prædixerant? Ite, inquit: dicite Joanni quæ audistis et vidistis: in ipsa enim hora, ipsisque videntibus, ut Lucas testatur, fecit Dominus multas virtutes. Et tale erat, ac si diceret; in mundum veni, carnem assumpsi, baptizari volui; nunc autem prædico, nunc pauperes ad fidem converto, cæcos illumino, mortuos suscito; et cætera facio, quæ me facturum esse prophetæ nuntiarunt. Qui igitur in aliis omnibus prophetarum testimonia confirmo et compleo, absit ut in hoc uno faciam eos esse mendaces. *Beatus enim qui non fuerit scandelizatus in me.* Beatus, qui fideliter firmiterque crediderit quæcunque scripta sunt, et prophetata de **58** me. Qui enim non horrui virginis uterum, non utique horreo crucem subire, neque horreo ad inferna descendere. Cloaca mundi est infernus; lux tamen stercore non inquinatur. Mundus transeo per immundum, mundus totum compleo mundum. Descende igitur secure, Præcursor mihi es, vade et præcurre, nuntia gaudium fidelibus meis: cito sequar; et liberabo eos. Considera modo, quanta lætitia locus ille tenebrarum, locus ille doloris, et mœroris, considera, inquam, quanta lætitia quantoque gaudio exultaverit, quando ibi beatus Joannes hæc verba narrare cœpit. *Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne.* Bene autem illis abeuntibus: si enim illis præsentibus de Joanne talia loqueretur, poterat fortasse adulatione notari ab his qui non Deum, sed hominem eum esse credebant. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Non est arundo Joannes; columna est, non

riendo et ad inferos descendendo præcurrebat; ait ergo: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? ac si aperte dicat: sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori, et ad inferos descendere digneris, insinua, ut qui nativitatis tuæ præcursor exstiti, descensionis etiam præcursor fiam; et venturum in inferno te nuntiem, quem jam venisse mundo annuntiavi. Idem ferme habet hom. 1 in Ezech. Sed etiam ante Gregorium Hieron. ad h. l. Et est sensus: manda mihi, quia ad inferna descensurus sum, utrum te et inferis debeam nuntiare qui nuntiavi superis? annon conveniat Filio Dei, ut gustet mortem, et alium ad hæc sacramenta missurus es?»

A movetur vento, non quatitur timore, non flectitur adulatione, uno eodemque vultu respicit et illos qui eum laudant, et illos qui eum vituperant. Sic inimicos ut amicos diligit, sic potentes ut impotentes arguit. Vide igitur, quam caute Salvator noster et Joannis justitiam commendat, et se ipsum ab adulationis vitio defendit; dum eum quem laudat, nulla laude delectari dicit. *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* Joannes enim, sicut legitur, pilis camelorum vestitus erat: qua in re apertissime ostendebat, quia et mundum istum ejusque concupiscentias pro nihilo ducebat. Insuper etiam, quia pœnitentiam prædicabat, ut bonus magister, pœnitentibus in se ipso pœnitentiæ simul exemplum et regulam dabat. Unde non immerito quidam ait:

B ..... Si vis me flere, dolendum
Est prius ipsi [ipse] tibi

Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Qui enim mollibus vestitur, conventus hominum requirit, et videri appetit: ideoque non in deserto, non in loco solitario, sed in domo regia invenitur (291). Vana igitur gloria premitur qui propter hoc mollibus vestitur. *Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis et plus quam prophetam. hic est enim de quo scriptum est; ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam; qui præparabit viam ante te.* Sic angelus Joannes, et plus quam propheta Joannes. Prius enim quam nasceretur prophetavit; et non sicut cæteri prophetæ, post multum temporis C Christum venturum esse prædixit; sed ante ejus faciem manens, et eum baptizans et tangens, revelante Spiritu sancto, dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* hoc enim non dixisset, nisi propheta fuisset. Unde enim eum cognovisset, si propheta non fuisset? Erat autem et plus quam propheta, quia ipsum quem prophetabat, digito demonstrabat (292). Et in eo quidem, in quo dicitur plus quam propheta, potest dici et non propheta: faciens enim plus quam propheta, ostendit se aliud etiam quam prophetam. Prophetarum enim est futura prædicere non prophetarum vero præsentia demonstrare. Unde idem Joannes interrogatus, an esset propheta, respondit se non esse prophetam. Sequitur. *Amen dico vobis, inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Æquales enim et pares Joannes D habuit, majores vero non habuit. Pares enim ei fuerunt Moyses, et Job, et Elias, et Jeremias, et multi alii; majores tamen non fuerunt (293). Nemo

(291) Hieron. « Pili camelorum tegmen ejus sunt. Istiusmodi cibus et vestis carceris hospitio recipiuntur, et prædicatio veritatis talc habet habitaculum. Qui autem ad ulatores sunt, et sectantur lucrum, et quærunt divitias, et deliciis affluunt, et mollibus vestiuntur, isti in domibus regum sunt: ex quo ostenditur, rigidam vitam et austeram prædicationem vitare debere aulas regum, et mollium hominum palatia declinare. »

(292) Hieron. « In eo Joannes prophetis cæteris major est, quod quem illi prædicaverant esse venturum, hic venisse cæteris demonstravit. »

(293) Hier. « Non cæteris prophetis et patriarchis Joannem prætulit, sed Joanni cæteros exæquavit. »

Digitized by Google

igitur major fuit Joanne Baptista inter natos mulierum, excepto illo, qui minor est in regno cœlorum : de quo et subditur : *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.* Quis est enim iste, qui Joanne major est, et in regno cœlorum minor est, nisi Salvator noster (294), de quo scriptum est : « Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum? » (*Heb.* II, 7.) Hoc autem Apostolus exponens ait : « Eum autem qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis (*Ib.*, II, 9). » Minor est enim angelis Jesus, secundum hoc quod mortalis et passibilis factus est : qui tamen omnibus major est, secundum hoc, quod Deus et creator omnium est. *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (295). Ex quo enim Joannes Baptista cœpit prædicare et dicere : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum; ex eo tempore regnum Dei, quod est Ecclesia, multis undique confluentibus crescere cœpit : et quia violenter a violentis diripitur, non immerito **59** vim pati dicitur. Bona violentia, qua acquiritur regnum Dei. Hanc enim violentiam habebat ille, cui cum amicus ejus tres panes accommodare nollet, propter improbitatem tamen illius dedit illi quotquot habebat necessarios. Vis igitur intrare in regnum cœlorum? Vis ascribi in exercitu et in militia sanctorum? Esto violentus et improbus. Audi quid Dominus dicat : « Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur (*Matth.* VII, 7). » Hæc est igitur violentia, qua diripitur regnum cœlorum. Omnes enim prophetæ, et lex usque ad Joannem prophetaverunt. Est igitur Joannes finis legis, quemadmodum et Christus. Joannes enim Veteris Testamenti prophetarum omnium ultimus, eum quem cæteri prophetarunt verbis, digito ostendit (296). Sic igitur usque ad eum prophetiæ venientes, in eo tandem completæ sunt, dum ipse monstravit eas esse completas. Omnis enim prophetia ibi finitur, ubi id quod prophetaverat, adimpletur. Nato etenim Christo completa est prophetia, qua dicebatur : « Ecce virgo concipiet et pariet filium (*Is.* XIV, 7). » Completæ sunt autem et aliter prophetiæ, quia jam non ad litteram sed spiritu aliter intelliguntur. Lex igitur usque ad Joannem prophetavit, quoniam in nube et caligine loquebatur : deinde vero prophetavit Christus, quoniam eamdem legem spiritualiter intelligere docuit. Propheta enim dicitur, et qui prophetat, et qui prophetias exponit. Eo enim tempore pœnitentia et misericordia exclusit sacrificium; et baptismus circumcisionem : venerat enim Dominus, non ut legem solveret, sed adimpleret. Sequitur : *Et si vultis accipere, Joannes ipse est Elias qui venturus est.* Interrogatus enim Joannes, an esset Elias, respondit, non sum. Quid est igitur quod Dominus eum dicit esse Eliam, qui se ipsum negat esse Eliam? Joannes enim in persona Elias non erat, in spiritu tamen et virtute Elias erat : sic enim de ipso prædixerat angelus : *Ipse præibit ante eum in spiritu et virtute Eliæ.* Sic itaque Joannes erat Elias, et non erat Elias. Unde et subditur : *Qui habet aures audiendi audiat.* Ille enim audiendi aures non habet, qui hoc ad litteram intelligens Joannem Eliam fuisse arbitratur.

XLII. (297) *Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt : Cecinimus vobis et non saltastis; lamentavimus et non planxistis. Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens,* sed cilicio indutus et pœnitentiam prædicans, in cunctis quæ agit, lamentationem et tristitiam ostendit. Quem cum plangendo et jejunando deberent imitari, et pœnitendo sequi debuissent, dicunt potius quia « dæmonium habet. » *Venit Filius hominis manducans et bibens*, cantans et prædicans; cui cum saltare et congaudere debuissent, dicunt : *Ecce homo vorax, potator vini, publicanorum et peccatorum amicus* (298). Neque igitur cantare, neque plangere volunt : neque jejunare, neque manducare eis placet. Quid igitur fiet? Quæ his vel qualis medicina subveniet? Ille enim æger qui medicum non audit, omnemque cibum fastidit, proximus est morti et desperationi. *Et justificata est sapientia a filiis suis.* Illi, inquit, quia stulti sunt, quia pueri sunt, quia veritatem non intelligunt, male loquuntur de me, dicentes me voracem, peccatorumque amicum : mihi tamen sufficit quod sapientiæ filii me justificant, et quod filii mei, discipuli mei, veritatis æquitatisque amici, mihi testimonium reddunt. Non enim decet, ut ab aliis sapientia laudetur vel justificetur, nisi a filiis suis, nisi a sapientibus, nisi ab his qui eam cognoscunt. *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam : Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent! Verumtamen*

(294) Multi de Salvatore hoc intelligi volunt, quod qui minor est tempore, major sit dignitate. Hæc et superiora Hieronymi exscripsit Beda. De Salvatore autem intelligit Chrysost. hom. 38; Isidorus Pelusiota ep. 68, et Ambrosius in Ps. XXXIV. V. Cæsarium, Dial. 3.

(295) Hieron. « Si primus Joannes pœnitentiam populis nuntiavit, consequenter a diebus illius regnum cœlorum vim patitur. » Aliter Hilar. « Vim regnum cœlorum patitur, quia gloria Israel Patribus debita, a prophetis nuntiata, a Christo oblata, fide gentium occupatur, et rapitur. »

(296) Præclare Chrysost. consequentiam horum verborum ostendit. « Nam, si usque ad Joannem illa completa sunt, ego ille sum qui venturus erat. »

(297) V. pulchram comparationem Joannis et Eliæ quam hic instituit Hieronymus.

(298) Ita ferme interpretes. Quorum aliqui de ludo apud Judæos usitato sermonem hic esse volunt et ab eo sumptam Christi reprehensionem, ex quibus est Theophilactus. Id tamen Maldonatus, Jansenius aliique eruditiores interpretes negant.

Digitized by Google

dico vobis : Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. Quare hoc? Quia in vobis virtutes plurimæ factæ sunt, quia ipsam Veritatem per se loquentem et audistis et vidistis, ei tamen credere noluistis : in illis autem nihil horum factum est; quod si factum fuisset, jamdudum credidissent, et pœnitentiam egissent. Hoc enim postea probatum est, quoniam Judæis in sua infidelitate persistentibus, atque in sua malitia perseverantibus, non solum Tyrus et Sidon, verum et cæteræ gentium civitates ad fidem conversæ sunt. *Et tu, Capharnaum, nunquid usque in cœlum exaltaberis? Usque in infernum descendes; quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi.* In hac enim civitate pueros centurionis, socrum Petri, et hominem paralyticum, aliosque innumeros **60** sanavit Dominus, quæ tamen in sua infidelitate sicut et aliæ Judæorum civitates, perduravit. Merito igitur in infernum descendet, quæ utique ad cœlum exaltari poterat, si Regi cœlorum credere voluisset, qui eam elegit ad inhabitandum. Dominus autem, cui nihil incertum est, in sua locutione posuit *forte* (299), quod est adverbium dubitandi; ut humanis verbis sicut verus homo suum sermonem temperaret. Illæ enim civitates propter peccata sua subversæ sunt; in quibus si tantæ virtutes factæ fuissent, quantæ sunt factæ in Capharnaum, forsitan sicut Ninivitæ ad pœnitentiam conversæ, mansissent usque ad hanc diem. Ideoque minorem pœnam, et majorem excusationem in judicio habebunt.

XLIII. *In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Et bene quidem dicit, *respondens Jesus;* quamvis tunc a nullo interrogari videretur, quoniam omnis ejus locutio, responsio est, et solutio quæstionum (300). Quando enim ista dicebat, et mihi et tibi et omnibus de hac maxima quæstione dubitantibus, respondebat. Maxima enim questio est : quare Dominus alios elegerit, et alios reprobaverit? Maxima vero solutio est, quia ita placuit sibi. Hæc enim in omnibus quæstionibus danda est, in quibus alia solutio non invenitur. *Confiteor,* inquit, *tibi,* id est laudo te (301), benedico te, et magnificabo te, *Pater, Domine cœli et terræ,* qui dominaris in cœlo et in terra. Sive etiam, ut alii codices habent : *Pater, Domini cœli et terræ,* in quo et Filius cœli terræque Dominus esse probatur. Unde et statim subinferens ait : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Sed unde laudo te? *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* Abscondit enim Dominus suæ virtutis redemptionisque secreta a sapientibus et prudentibus hujus sæculi, quoniam sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum; et revelavit ea parvulis; illis quibus Apostolus ait : « Nolite parvuli effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* XIV, 20) (302). » Sicut enim idem apostolus ait : « Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut perdat sapientia; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I, 27). » Sed quare hoc? Quia ita placuit sibi. Ipse enim *cujus vult, miseretur, et quem vult indurat :* elegit Jacob quia voluit; reprobavit Esau quia voluit. Non est enim volentis voluntas, neque currentis est cursus. Si bene volumus, Dei est; si bene currimus, ejusdem est. Sequitur : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo :* ideoque cœli terræque me quoque dominum esse non dubium est. Secundum hoc enim quod homo est, non solum Patre, sed etiam angelis minor est. Dicit igitur secundum hoc quod homo est, omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Sed dicit aliquis : Quis es tu, vel quis est Pater tuus? Cui ipse : *Nemo,* inquit, *novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Et ille : Si nemo novit Filium nisi Pater; ergo nec Spiritus sanctus novit Filium, nec ipse Filius novit se ipsum. Similiter autem nec Pater se ipsum novit, nec Spiritus sanctus eum novit, si solus Filius Patrem novit. Sed non est ita (303). Quia enim idem sunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; quidquid novit Pater, novit Filius, et Spiritus sanctus: et quidquid novit Filius, novit Pater et Spiritus sanctus : et quidquid novit Spiritus sanctus, novit Pater et Filius. Manifestum est igitur quia nemo novit Filium nisi Pater, id est nisi virtus et divinitas, quæ est in Patre : et nemo novit Patrem nisi Filius, id est virtus et divinitas quæ est in Filio. Similiter autem et de Spiritu sancto : una est enim virtus et divinitas trium, quia tres unum sunt. Ipsa igitur Trinitas essentialiter se ipsam novit, nemo vero alius eam novit, nisi cui Dei Filius eam voluerit revelare. Ipse est enim qui revelat mysteria, et pandit sacramenta. Ipse enim est Verbum et lux et sapientia et veritas. Quid enim auditur nisi verbo? quid videtur nisi luce? quid intelligitur nisi sapientia? quid cognoscitur nisi veritate? Accedamus igitur ad eum ut illuminemur : audiamus eum dicentem : *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Hæc enim refectio omnem indigentiam excludit, omnem sufficientiam inducit. Hanc

(299) Animadvertunt hoc Maldonatus, Jansenius et præcipue Cornelius a Lapide qui adnotant, esse in græco ἄν, quod non est proprie dubitandi particula, et ideo v. 21, licet sit in græco ab interprete nostro omissa est.

(300) Vide Maldonatum ad hunc locum.

(301) Ita etiam S. Aug. in quæst. in Matthæum cap. 9.

(302) Hilarius: « Cœlestium enim verborum arcana atque virtutes sapientibus abscondúntur, et parvulis revelantur; parvulis malitia, non sensu, sapientibus vero stultitiæ suæ præsumptione, non superbiæ causis. » V. Maldonatum ad h. l.

(303) V. Cornelium a Lapide ad h. l. De similibus Scripturæ locis S. Aug. lib. VI de Trinit., cap. 9.

Digitized by Google

enim refectionem nondum habebant apostoli, cum dicerent : « Domine, ostende nobis Patrem et sufficit nobis (*Joan.* XIV, 9). » Hanc et Moyses desiderans ait, « Si invenì gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam (*Exod.* XXXIII, 5, 13), » ut sciam te. Unde et Psalmista : « Sitivit, inquit, anima mea ad Deum vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » (*Ps.* XLI, 13.) Et Apostolus : « Cupio (304) dissolvi, et esse cum Christo. » Qui igitur sic **61** reficiuntur, omnia eorum desideria complentur. Vocat autem eos qui animi ægritudine laborant et peccatorum pondere onerati sunt (305), quoniam non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde.* Deponite jugum diaboli, quo onerati estis, et nolite jugum ducere cum infidelibus, neque cum eis laborare velitis in agro vanitatis : sed tollite jugum meum super vos, et humiliamini sub potenti manu Dei; et discite a me quia mitis sum et humilis corde; « Superbis enim Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (*I Petr.* V, 6). » Et cordis quidem humilitas vera est, quæ vero in facie apparet, plerumque mentitur. *Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est.* Quid enim levius quam credere et baptizari? « Qui autem crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 16). « Petrus quoque apostolus his qui circumcisionem et legem Moysi observare prædicabant, sic ait : « Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus, sed per gratiam Domini Jesu credimus nos salvari (*Act.* XV, 10). » Itemque : « Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, nisi ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine, et suffocato et fornicatione (*Ibid.*, 28). »

XLIV. [CAP. XII.] *In illo tempore abiit Jesus Sabbato per sata : discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas et manducare.* Præcipit enim Moyses (*Levit.* XXIII, 25) ut si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu tua conteres, falce autem non metes. Id ipsum ergo significat, et quod Moyses jubet, et quod apostoli agunt. Et nos igitur per hanc Evangelii segetem legendo et exponendo transeuntes, spicas frangamus, sententias aperiamus, et manu intelligentiæ eas conterentes, esurientem animam tali cibo reficiamus (306). Hanc autem segetem illi falce metunt, qui per hunc et alios libros velociter legendo, discurrunt, et vel parum, vel nihil colligendo, intelligunt. *Pharisæi autem videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis fucere Sabbatis.* Ac si dicerent Pharisæi : Licet quidem discipulis tuis spicas vellere et manducare, quoniam Moyses hoc dixit, Sabbato tamen hoc agere non licet, quoniam Moyses hoc interdicit. Moyses enim servile opus in Sabbato fieri prohibet. Est autem servile opus, si bene intelligatur, non quod servi faciunt, sed quod hominem servum facit : « Qui enim facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). » Peccatum igitur est servile opus, quia facit hominem esse servum. Hoc igitur in Sabbato fieri non licet : spicas autem omni die et vellere et manducare licet : si enim non licuisset, Dominus prohibuisset. Bene igitur celebrat Sabbatum non qui vacat ab operibus, sed qui vacat a peccatis. *At ille dixit eis : Non legistis quid fecerit David quando esuriit, et qui cum eo erant, quomodo intravit in domum Domini, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* Quid enim Salvatorem nostrum hac responsione egisse putamus; in qua apostoli quidem de Sabbati violatione defendi non videntur, et David cum pueris suis contra legem fecisse dicitur? Neque enim ideo reus defenditur, quia alius æque reus invenitur. Quæ enim defensio est Christi discipulis, quod David contra legis præceptum propositionis panes comedit? An fortasse non habuit aliud quod responderet; et, ut dici solet, palum palo pellens, objectionem objectioni opposuit? Non est ita : sed, quia Pharisæi solam legis litteram attendebant, noluit eis Dominus spiritualis intelligentiæ secreta revelare : neque enim recepissent ea. Dedit igitur eis hoc testimonium, ut a discipulorum suorum reprehensione cessarent, vel simul cum eis David quoque reprehenderent, quod eis inconveniens esse videbatur : panes enim quos solis sacerdotibus comedere licebat, majora sanctarum Scripturarum mysteria, significabant, quæ illis solis revelanda sunt, qui sacerdotum fidem et intelligentiam habent. Fecit igitur David contra legem quantum ad litteram, non quantum ad spiritualem intellectum (307). Nam et ipse spiritualiter sacerdos erat : unde et de filiis ejus dicitur : *Filii autem David sacerdotes erant*, non quod sacerdotis officio fungerentur; hoc enim non licebat nisi filiis Aaron, sed quia regi erant familiares, et ejus secreta et consilia noverant. Sequitur : *Aut non legistis in lege, quia Sabbatis sacerdotes Sabbatum violant, et sine crimine sunt?* Non enim poterant non violare Sabbatum illi, qui templo servientes ad ipsius templi ornatum et munitionem tam multa in Sabbato agere et præparare necesse erat. Quare igitur sine crimine erant? Quia omne quod ad Dei servitium pertinet non est pecca-

(304) Ad Phil. I, 23, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.

(305) Hilar. « Legis difficultatibus laborantes et peccatis sæculi oneratos ad se advocat, dempturumque se laborem, onusque promittit. »

(306) S. Hilarius n. 2. « Quia esuritio fames est salutis humanæ, spicas præcerpere ac vellere, scilicet sanctorum se salute satiare discipuli festinant. Neque enim homini congruit cibus spicæ, neque præceptarum esus est utilis aristarum, sed futuri fidem facti species exsequitur, et virtus interjecta verborum sacramentum et esuritionis, et satietatis absolvit. V. Bedam. »

(307) V. Interpretes ad I Reg., cap. XXI.

Digitized by Google

tum (308). *Dico autem vobis quia templo major est hic*; et quia Dominus est Filius hominis 62 etiam Sabbati. Si igitur templum templique servitium sacerdotes a crimine liberare poterat, quanto magis ego discipulos meos? Præsertim cum ipsius Sabbati ego sim dominus, quod violatum esse causamini. Mei sunt discipuli, meum est et Sabbatum, utrorumque dominus ego sum. Meum est igitur inter eos componere pacem. *Si autem sciretis, quid est misericordiam volo et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes?* Non enim sacrificio sed misericordia salvatus est mundus. Omnia enim legis sacrificia in illo sacrificio completa sunt, in quo, et per quod misericordia Domini plena est terra. Sicut igitur Dominus hoc tempore præfinito non vult sacrificium, ita etiam non vult neomenias et Sabbatum, cæterasque secundum litteram legis observantias : finis enim legis Christus est. Cessent igitur Pharisæi defendere Sabbatum, et Christi discipulos, imo etiam ipsum Christum condemnare propter Sabbatum, de quo ipsi dicebant : *Hic homo non est a Deo qui Sabbatum non custodit*; quoniam non solum Sabbatum, verum etiam ipsum sacrificium quod per singula Sabbata fiebat, in Christo completum est, et jam ulterius fieri non licet.

XLV. *Et cum inde transisset venit in Synagogam eorum. Et ecce homo habens manum aridam; et interrogabant eum dicentes, si licet Sabbato curare, ut accusarent eum.* Miseri Pharisæi non intellexerunt ea quæ modo superius Dominus dixerat. Si enim intellexissent, nihil erat quod jam de Sabbato quærere debuissent. Omnis autem homo manum aridam habet, qui eam ad bonum opus extendere non valet (309). Manum aridam habent avari, omnesque illi qui eleemosynas facere nolunt (310). *Ipse autem dixit illis : Quis erit ex vobis homo, qui habet ovem unam, et si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam? Quanto magis melior est homo ove? Itaque licebit Sabbatis benefacere. Tunc ait homini : Extende manum tuam : et extendit; et restituta est sanitati, sicut altera.* Optima similitudo, et insuperabile argumentum : quod enim valet in minori, valet necessario et in majori. Est autem homo major et melior ove. Valeat igitur in homine quod valet in ove. Si ergo licet ovem Sabbatis a periculo liberare, quare non licet Sabbatis hominem sanare? Manifestum est itaque, quia licet Sabbatis benefacere : et mox benefaciens sanavit hominem in Sabbato.

XLVI. *Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent. Jesus autem sciens, recessit inde, et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes.* Quomodo enim non sciret nefandum consilium Pharisæorum, qui novit cogitationes hominum, et occulta omnium secretorum. Recessit autem inde, non quod eos timeret; sed ut nos doceret : vult enim Dominus, ut ab illis recedamus, quos bonis monitis semper deteriores fieri videmus. *Et secuti sunt eum multi.* Sed quo fructu? *Et curavit eos omnes.* Si vis curari, si vis sanari, si vis a mortis periculo liberari, sequere, et imitare Jesum. Ipse enim neminem repellit, omnes sanat qui eum sequuntur. *Et præcepit eis, ne manifestum eum facerent.* Cur autem hoc præceperit, et inde recesserit, evangelista subinferens ait : *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem* (*Is.* XLII, 3) *; ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ : ponam Spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit : non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus : arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet; donec ejiciat ad victoriam judicium, et in nomine ejus gentes sperabunt.* Venerat enim Dominus judicium gentibus nuntiare, et quomodo mortem fugerent, et vitam susciperent, consilium dare. Non autem ideo venerat, ut contenderet, ut clamaret, et litigaret, ut armis pugnaret, et fortitudine superaret. Ideoque recessit inde, et non solum recessit, verum etiam occultum se esse voluit. Est autem vox ejus audita in plateis, cum humiliter verba vitæ omnibus loqueretur. Non est autem audita, ut superbe, alicui minaretur. Et cum omnes suos adversarios uno verbo perdere posset, arundinem tamen quassatam non confregit, et linum fumigans non extinxit. Per hæc enim (311) Pharisæos significat, quos Dominus tam facile confringere et exstinguere poterat, quam facile nos arundinem quassatam et jam pene fractam confringimus, et linum jam pene exustum exstinguimus, quod jam in se deficiente ignem fumigare incipit. Hanc autem suæ potentiæ virtutem non ostendet Dominus, *donec ejiciat et proferat judicium ad victoriam*, id est donec in ultimo judicio se ostendat esse victorem. Et in nomine ejus gentes sperabunt, in quem Judæi spem suam ponere noluerunt.

(308) V. hic Maldonatum.

(309) Theophylact. ad cap. VI Luc. : « Aridam manum habet qui nulla virtutum opera facit : manus enim operandi organum est. »

(310) Beda ad h. l. « Hic homo gentilis est populus, qui secundum Lucam dexteram habebat aridam et sinistram sanam; quia dexteram pauperi non porrigebat, et in terrenis laborans in divinis vacabat. »

(311) Beda arundinem quassatam interpretatur Israeliticum populum; linum fumigans gentiles.

Digitized by Google

63 PARS TERTIA

XLVII. *Tunc oblatus est ei homo dæmonium habens, cæcus et mutus : et curavit eum, ita ut loqueretur et videret.* Dæmonium habet omnis homo qui in aliquo magno peccato perseverat (312) : ideoque Apostolus nos admonet dicens : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore (*Rom.* VI, 12). » Quandiu enim peccatum in homine regnat, et cæcus et mutus est homo. Cæcus quidem, quia non sequitur lucem. « Ego, inquit, sum lux mundi ; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII, 12). » Mutus vero quia peccatum suum confiteri nescit. Hic autem cæcus et mutus si Domino offeratur, si ad pœnitentiam convertatur, mox Jesus curabit eum, ita ut ejecto dæmonio loquatur et videat. Loquatur utique non vana, et inutilia, ut prius, sed sancta et religiosa, qualia loqui convenit Christianum. Videat autem non vanitates oculis corporis, sed lumen vitæ et veritatis oculis cordis. *Et stupebant omnes turbæ.* Unde stupebant? Quia mutus loquebatur. Sic enim mirabantur omnes quando beatus Paulus, qui prius dæmonio plenus et cæcus et mutus Ecclesiam Dei persequebatur, postea melius excæcatus, ad fidem conversus, aqua baptismi regeneratus, a Domino illuminatus, Synagogam ingressus, os in Christi laudibus aperiens, eum, quem persequebatur, clara voce prædicare cœpit : « Stupebant autem omnes qui eum audiebant, et dicebant : Nonne hic est qui expugnabat eos in Jerusalem, qui invocabant nomen istud? Et huc ad hoc venit ut vinctos eos duceret ad principes sacerdotum (*Act.* IX, 21). » Sic igitur et tunc stupebant omnes turbæ, et dicebant : *Nunquid hic est filius David?* Sciebant enim Judæi Christum de semine David esse venturum, qui eas quas nunc fieri videbant virtutes operaretur : ideoque alii dubitabant, alii vero credebant eum esse Christum. *Pharisæi autem audientes dixerunt : Hic non ejicit dæmones* (313) *nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Quis, Pharisæi, vos ista docuit? Nisi enim Beelzebub discipuli essetis, hæc talia in ejus præconio non diceretis. Videtis Jesum mortuos suscitare, cæcos illuminare, leprosos mundare, omnes languores, omnesque infirmitates curare, et dicitis, quia in Beelzebub ejicit dæmonia? Nunquid enim Beelzebub Deus muscarum (314) hæc aliquando facere potuit? *Jesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis : Omne regnum divisum contra se, desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit; et si Satanas Satanam ejicit, contra se divisus est; quomodo ergo stabit regnum ejus?* (315) Si enim ita esset ut illi dicunt, jam quidem Beelzebub vires, principatum, et regnum penitus amisisset. Si enim contra se dæmonia bellum gererent, aut parvas aut nullas contra homines vires haberent. Sed, quod pejus est, vix inveniuntur aliqui homines, qui tantam concordiam habeant in bono, quantam maligni spiritus habent in malo : cum enim sint infiniti et innumerabiles, omnes tamen in eo concordant, quod nihil nisi malum facere desiderant. Si igitur hanc iniquitatis concordiam non habuissent, et ad pœnitentiam converti voluissent et potuissent, jam quidem regnum Beelzebub desolatum fuisset : hoc enim in aliis regnis fieri videmus. Non est igitur ut illi dicunt : neque Satanas Satanam ejicit, quin potius omnes in omnibus sibi invicem auxiliantur. Unde etiam per beatum Job a Domino de diabolo dicitur (*Job* XLI, 6) : « Corpus illius quasi scuta fusilia, et compactum squamis se prementibus : una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas : uni alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur. » His enim verbis malignos spiritus tantam inter se concordiam habere designat, ut nullatenus ab invicem separari queant. Corpus enim diaboli totus ille malignorum spirituum exercitus intelligitur. Dicuntur autem scuta fusilia maligni spiritus, propter fortitudinem. Dicuntur et squamæ se prementes, seque mutuo tenentes, sibique invicem adhærentes, propter mutuam concordiam et unitatem, quam habent in omni malitia et nocendi cupiditate. Utinam, si fieri posset, hæc tanta illorum pax et concordia rumperetur, et regnum illud iniquitatis solveretur. Sequitur : *Et si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Si inquit, de me talia cogitatis, quid dicitis etiam de discipulis meis? (316) Scio enim quia non bene intelligitis de discipulis, qui tam nefanda cogitatis de Magistro. Hoc est enim quod superius dixerat : *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Dicuntur autem apostoli filii Pharisæorum, 64 quoniam et ipsi, et cæteri omnes qui credebant resurrectionem, quam Pharisæi prædicabant, quasi patres et magistros, Pharisæos habebant. Unde etiam illius sectæ eos fuisse intelligi potest. Hæc enim secta cæteris melior erat, quamvis

(312) Hieron. et Beda interpretantur de infidelibus qui expulso dæmone primum fidei lumen aspiciunt, deinde in laudes Dei tacentia prius ora laxant.

(313) Dæmonia, vulg.

(314) V. Calmet, dissert. de Numinib. Philistæorum.

(315) Bene observat Beda ad Luc. XI : « Non ad dicta sed ad cogitata respondit; ut vel sic compellerentur credere potentiæ ejus qui cordis videbat occulta. »

(316) Hier. : « Filios Judæorum vel exorcistas gentis illius ex more significat, vel apostolos ex eorum stirpe generatos. »

Digitized by Google

et ipsa in pluribus bona non erat. Ideoque in Actibus apostolorum Paulus quoque apostolus clamasse legitur : « Pharisæus sum ; de spe, et resurrectione mortuorum ego judicor (*Act.* XIV, 6). » Hæc est igitur causa quare Christi discipuli Pharisæorum filii dicantur. Sequitur : *Ideo ipsi judices vestri erunt* (317). *Ipsi* enim *sedebunt super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones*, quod utique verum est, et dubitari non debet ; *igitur pervenit in vos regnum Dei.* Ubi enim est Spiritus Dei, ibi est et regnum Dei. Alius autem evangelista dixit, *in digito Dei ;* quod quid significet, hoc in loco aperitur (318). Vocatur autem *digitus Dei* Spiritus sanctus, propter multiplicem gratiarum divisionem ; in nulla enim corporis parte tanta divisio, quanta in digitis invenitur. Et tale est ac si diceret ; ego quidem in Spiritu Dei et in virtute divinitatis dæmones ejicio, quoniam mihi subditi sunt, quoniam in mea potestate sunt, quoniam mihi resistere non possunt, quoniam ligatos eos teneo et vinctos habeo. Et hoc est, quod ait : *Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? Et tunc domum ejus diripiet.* Fortis enim erat diabolus, sed fortior ego sum ; intravi in domum ejus, veni in hunc mundum, quem ipse ut domum propriam possidebat : sed prope est ut princeps hujus mundi ejiciatur foras ; ligavi eum, vasa ejus diripui, et miseros homines quos ipse invaserat, de ejus servitute liberavi. Non est igitur ipse mecum, neque congregat mecum, neque dæmones ejicit mecum, non sanat homines, ut ego, non liberat, ut ego, non congregat oves neque ad vitæ pascua ducit, sicut ego. Quid igitur facit? Vis audire quid ? Spargit, dissipat, occidit, et quoscunque potest ad mortem et æternam damnationem secum trahit. Hoc est enim quod dicit : *Qui non est mecum contra me est ; et qui non congregat mecum spargit. Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus ; spiritus autem blasphemiæ non remittetur.* Blasphemastis, inquit, et contra veritatem locuti estis, quoniam quod in Spiritu Dei facio, in Beelzebub me facere dicitis. Agite igitur pœnitentiam, si vultis, ut hoc peccatum et hæc blasphemia remittatur vobis. Omne enim peccatum, omnisque blasphemia remittetur hominibus, si se peccasse cognoverint, et pœnitentiam egerint : Spiritus autem blasphemiæ non remittetur hominibus. Illa enim blasphemia non dimittetur, quæ superbiæ spiritu inflata, vivificata, et roborata, ad pœnitentiam non inclinatur et humiliatur. Est autem blasphemia, dicere aliquid adversus Deum. Si igitur blasphemasti, moriatur in te blasphemia : moritur autem si spiritum amittit : spiritum utique superbiæ, qui te humiliare et ad pœnitentiam redire non patitur. Nunquam enim dimittitur peccatum, quandiu hoc spiritu vivificatur. *Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro.* Christus enim Dominus noster et Filius Dei est et Filius hominis : Pharisæi autem contra eum verbum loquebantur dicentes : Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Tale est igitur ac si diceret : Si contra Filium hominis loquimini, et me, secundum hoc quod homo sum et Filius hominis, hanc non habere potestatem ut dæmonia possim ejicere, creditis, remittetur vobis (319). Si autem secundum hoc quod Deus sum, et in virtute Spiritus sancti, dæmones ejicere et alia omnia quæcunque volo me facere posse, non creditis, et in hac infidelitate perseveratis, non dimittetur vobis, neque in hoc sæculo neque in futuro. Multa enim peccata igne purgatorio post hanc vitam solvuntur et remittuntur. Minora igitur peccata facile solvuntur, majora vero, nisi digna pœnitentia, non remittuntur. Digna vero pœnitentia non tantum carnis maceratione vel temporis longitudine, quantum cordis contritione compensatur. Sequitur : *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum ; aut facite arborem malam et fructum ejus malum ; si quidem ex fructu arbor cognoscetur.* Hoc autem exponit : *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Quia, inquit, mali et iniqui estis, non **65** est mirum si male loquimini. Ex sordido fonte sordidæ aquæ emanant. Fetor oris manifestat sordes cordis : quod enim in corde abundat, ore revelatur. Et hoc merito ; qualis enim arbor, talis et fructus ; si quidem ex fructu cognoscitur arbor. Dignum est igitur ut male loquamini, ne bonæ arbores esse videamini. *Bonus homo de bono thesauro profert bona ; et malus homo de malo thesauro profert mala.* Thesaurus hominis, est cor ejus : ibi enim et bona et mala reposita sunt : inde honestatis et turpitudinis, inde benedictionis et maledictionis verba prorumpunt. Mali igitur Pharisæi de malo thesauro cordis sui mala proferentes, de Christo Domino nostro dicebant, quia in Beelzebub ejicit dæmonia. Omnia enim hæc verba huic uni sermoni respondent. Quare autem progenies viperarum dicantur.

(317) Rursum Hier. : « Sin autem de apostolis dictum est, quod et magis intelligere debemus, ipsi erunt judices eorum ; quia sedebunt in duodecim solliis judicantes duodecim tribus Israel. »

(318) Hier. quem Beda sequitur ad Luc. c. XXI : « In Luca istum locum ita scriptum legimus : « Si « autem ego in digito Dei, » etc. « Si igitur manus et brachium Dei Filius est, et digitus ejus Spiritus sanctus, Patris et Filii et Spiritus sancti una substantia est. »

(319) Ita idem Hier. : « Qui verbum dixerit contra Filium hominis, scandalizatus carne mea... talis opinio atque blasphemia, quanquam culpa non careat erroris, tamen habet veniam, propter corporis vilitatem ; qui autem manifeste intelligens opera Dei, cum de virtute negare non possit, eadem simulatus invidia calumniatur ; et Christum Deique Verbum et opera Spiritus sancti dicit esse Beelzebub ; isti non dimittetur neque in præsenti sæculo, neque in futuro. » V. Aug., serm. 11 de Verb. Domini. Legendus S. Thomas 2,2. qu. 14.

Digitized by Google

ibi superius exposuimus, ubi a beato quoque Joanne « viperarum progenies » vocantur. *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Videte ergo quid de hac tanta blasphemia respondeatis, quam in Spiritum sanctum ore impio locuti estis (320). Est autem verbum otiosum, quod vel ratione caret vel utilitate. Rationem utique reddent de eo, nisi pœnitentiam egerint pro eo; nullum est peccatum quod pœnitentia deleri non possit. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. Sic enim homo ex bonis verbis justificatur, et ex malis condemnatur; sicut ex bona operatione justificatur, et ex mala condemnatur. Scriptum est enim, « quia mors et vita in manu linguæ (*Prov.* XVIII, 21). » Et Psalmista : « Dixi : Custodiam vias meas; ut non delinquam in lingua mea (*Psal.* XXXVIII, 2). » Utrumque ergo caveatur, quia in utroque peccatur.

XLVIII. *Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisæis, dicentes : Magister, volumus a te signum videre* (321). Quanta est superbia Scribarum et Pharisæorum, quanta est stultitia et infidelitas eorum! Non rogant, non humiliter postulant, sed inflato stomacho et erecta cervice dicunt : *Volumus a te signum videre.* Signa videre volunt, credere autem nolunt. Sed quare signa quærunt, qui jam tot signa viderunt? (322) Nunquid enim signa non sunt, quod mortui resurgunt, quod cæci illuminantur, leprosi mundantur, paralytici curantur, et dæmones ejiciuntur? Omnia enim hæc signa sunt. Unde et puerum centurionis sanaturus Dominus, ait : « Nisi signa et prodigia videritis non creditis (*Joan.* IV, 48). » Qui respondens ait illis : *Generatio mala et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei nisi signum Jonæ prophetæ.* Dum enim signa Pharisæi videre volunt, audiunt non immerito quod audire nolunt : generatio mala et adultera, quæ toties idolis est fornicata, et deos gentium est secuta, signum quærit. Judæi enim signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. *Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.* Magnum est enim signum Jonæ prophetæ, in quo Christi mors, sepultura et resurrectio (323), in quo Judæorum perditio et laus gentium significatur. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus.* Quis enim scire posset, quomodo in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus Jonas fuisset, nisi hanc similitudinem Dominus dedisset? Si enim Jonas ita fuit in ventre ceti, sicut Christus in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus, manifestum est quod unum diem integrum ibi complevit, et alterius diei finem, alteriusque principium. Tantum enim fuit Christus in corde terræ. Sed quid est *in corde terræ*, nisi in sepulcro? (324) Christi namque sepulcrum, quia de lapide est, non immerito cordi assimilatur. Sic est enim lapis in terra, quasi cor in corpore. Quia igitur tribus diebus et tribus noctibus secundum humanitatem Salvator noster in sepulcro jacuit, merito tantumdem in corde terræ fuisse dicitur. Sexta namque feria Christi corpus in sepulcrum positum est. Fuit igitur sexta feria in sepulcro; die vero Dominico de sepulcro resurrexit : erat itaque in sepulcro. Manifestum est ergo quia tribus diebus fuit in corde terræ; siquidem prima et sexta feria et toto Sabbato fuit in sepulcro. Nemo enim dicit oculum non esse in corpore, quia non est in toto corpore. Nemo igitur dicat Christum tribus diebus in sepulcro non fuisse, quia totis ex integro 66 tribus diebus ibi non fuit (325). Nam neque totus Christus hoc spatio temporis ibi fuit, tamen Christus ibi fuit, quia ejus caro ibi fuit. Videamus modo qualiter etiam tribus noctibus ibi fuerit. Fuit enim Christi corpus in sepulcro tota illa nocte quæ sequitur sextam feriam, et tota illa quæ sequitur sabbatum : de tertia vero nihil habemus. Quæramus igitur eam, si forte invenire valeamus. Nam etsi eam invenire non possem, tres tamen fuisse non dubitarem, quia tres eas esse Veritas dixit, quæ utique mentiri non potuit. Ego enim hanc tertiam noctem non dimensione temporis dici puto, sed quadam noctis similitudine. Sic enim cæcos quia in tenebris sunt semper in nocte esse dicimus. Sic et de civitate sancta Jerusalem dicitur, quia « nox non erit in ea, » quoniam

(320) Hieron. « Si otiosum verbum quod nequaquam ædificat audientes, non est absque periculo ejus qui loquitur, et in die judicii redditurus est unusquisque rationem sermonum suorum; quanto magis vos qui opera Spiritus sancti calumniamini... reddituri estis rationem calumniæ vestræ? » Atque addit : « Otiosum verbum est quod sine utilitate loquentis dicitur et audientis. » S. Greg. hom. 6 in Ev. « Otiosum verbum est quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justa necessitatis caret. » S. Bern. de triplic. custod. « Otiosum verbum est quod nullam rationabilem causam habet. » Vid. S. Thomam 1, 2, q. 4, at. 9.

(321) Est homilia Emiseno attributa ser. 4, post. 4 Domin. Quadrag. pag. 57, usque ad n. 51.

(322) Hier. « Sic signum postulant, quasi quæ viderant signa non fuerint. » Sed in alio Evangelista (*Marc.* VIII, 11) quid petant, plenius explicatur « Volumus a te signum videre de cœlo. » « Vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis, contra naturam loci tempore æstivo mugire tonitrua, » etc.

(323) Ita Chrysost. hom. 8 in Matth. De signo Jonæ prophetæ, « Crucem, mortem, sepulcrum, atque resurrectionem significabat. »

(324) Chrysost. « Non ait in terra, sed in corde terræ; ut et sepulcrum denotet, et nemo apparentiam fuisse suspicetur.

(325) S. Aug. lib. II Quæst. Evang. c. 7 : « Sextæ feriæ diei partem qua sepultus est cum præterita nocte, pro nocte et die accipias, hoc est pro toto die; Sabbati noctem et diem; et noctem Dominicam cum eodem die illucescente : ac per hoc accipiendo partem pro toto, habes triduum et tres noctes. Quod enim dicuntur decem menses prægnantis, novem sunt pleni; initium decimi pro toto accipitur. » Idem habet lib. III De conf. Ev., cap. 24, et lib. IV De Trin., cap. 6. Hieron. ad h. l. « Synecdochice totum intelligatur ex parte, non quod omnes tres dies et tres noctes in inferno Dominus steterit, sed quod in parte Parasceves et Dominicæ, et tota die Sabbati tres dies et totidem noctes intelligantur. » Vid. eumd. ad Jon. II, 2.

Digitized by Google

tenebræ non erunt ibi. Non solum igitur temporis et horarum dimensionem, sed etiam tenebras noctem vocamus (326). Unde et in Genesi dicitur : *Quia vocavit Deus lucem, diem; et tenebras, noctem* (*cap.* I, 5). Hanc igitur tertiam noctem et ipsam continuam habuit Jonas in ventre ceti, quia, quandiu ibi fuit, semper in tenebris fuit. Huic autem illas duas addamus quæ non similitudine sed proprie noctes dicuntur, et erunt tres. Tribus igitur noctibus fuit Jonas in ventre ceti, una quidem quantum ad se, qui nihil diei ibi sentiebat, duabus vero quantum ad cœli volubilitatem : sicut e contra quantum ad se, nulla die fuit ibi, quantum vero ad cœli volubilitatem, tribus diebus ibi fuit. Similiter autem et de Christo intelligatur; quantum enim ad se, Christi corpus una nocte in sepulcro fuit, quia usque ad diem Dominicum in tenebris et in morte jacuit, in quo redeunte anima et recepto lumine, a mortuis resurrexit. Fuit autem ibi et aliis duabus noctibus secundum temporis spatium et dimensionem, quæ simul junctæ tres noctes faciunt. Sequitur : *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; et ecce plus quam Jonas hic.* Bene quidem dicit cum generatione ista, quia sicut Apostolus ait : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur (*I Cor.* xv, 51). » Omnes enim, sive boni sive mali, astabimus ante tribunal Christi : condemnabunt autem Ninivitæ Judæos, quia eorum exemplo damnabuntur, quoniam non egerunt pœnitentiam in prædicatione Christi, sicut illi in prædicatione Jonæ; qui non solum minor, verum etiam servus est Christi. Similiter autem et *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis : et ecce plus quam Salomon hic.* Regina Austri Ecclesiam gentium significat, quæ ex omnibus mundi partibus Christi fidem et sapientiam audire et recipere venit.

XLIX. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem et non invenit. Tunc dicit : Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et ingressi habitant ibi; et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit generationi huic pessimæ.* Hanc autem similitudinem ideo Dominus dedit, ut Judæorum generationem (327) malam et adulteram, propter duritiam suam et cor impœnitens, non solum a Ninivitis, verum etiam ab aliis gentibus merito damnandam esse ostenderet : quoniam hæc impia generatio pœnitere nescit, sed quotidie se ipsa deterior fit, cujus novissima, pejora prioribus fient. Hoc enim ipsi significabant cum de Salvatore nostro dicerent : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* xxvii, 25). » Sic igitur erit generationi huic pessimæ, sicut illi homini qui ab immundo spiritu possidetur. Cum enim *immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem et non invenit.* Facile enim malignus spiritus et intrat in hominem et exit ab homine : quoties enim homo vel cogitatione, vel operatione nefandum aliquod agit, diabolus adest; si vero ex corde pœnitere incipiat, diabolus exit. *Exiens autem ambulat per loca arida et inaquosa,* eos videlicet tentando qui malitiæ et voluptatis 67 humorem non habent; in quibus *requiem non invenit,* quoniam fluxa et humida quærit. Unde et de eo dicitur, « sub umbra dormit in secreto calami, et in locis humentibus (328), » quibus loca genitalia significantur (329). *Tunc dicit : Revertar in domum meam unde exivi.* Quia enim in bonis requiem habere non potest, ad malos redit. Tentare namque bonos diabolus potest, requiem autem in eis habere non potest; quoniam nunc eorum orationibus, nunc eorum fletibus, nunc eorum elemosynis, aliisque similibus sollicitatur, movetur, et pellitur. *Veniens* autem in domum suam, *invenit eam vacantem.* Vacantem quidem, quia non invenit ibi charitatem, nec fidem rectam, nec humilitatem, nec patientiam, nec justitiam, nec misericordiam, nec cætera quibus sanctorum animæ muniuntur (330). Qualem igitur eam invenit? *scopis mundatam et ornatam :* talem eam invenit qualem invenire desiderat. Invenit enim eam malis scopis mundatam, et malis ornamentis ornatam : malæ scopæ quæ virtutes pellunt, et vitia relinquunt, malæ scopæ quæ pavimenta dissipant, et pulverem non ejiciunt.

(326) Veteres et recentiores exercuit hæc quæstio. Ex Vet. Isidorus Pelusiota, lib. I, ep. 114. « Sexta hora Parasceves in crucem actus est Dominus. Ab hac hora ad nonam usque tenebræ exstiterunt. Hoc tu noctem intellige. » Recentiores in eo convenire videntur; ut tres dies et tres noctes valeant idem ac si dicerentur tres dies naturales; quod sic Hebræi loquerentur. Cum ergo satis sit ad hoc ut dicatur Christus fuisse in sepulcro tribus diebus naturalibus, ut fuerit pars aliqua trium dierum; ita etiam satis est ut dicatur fuisse tribus diebus et tribus noctibus. Merito ergo Maldonatus dixit, plerisque hunc locum, multo quam sit difficiliorem esse visum, quod a diebus disjungere noctes voluerint. V. eumdem Maldonat. Jansenium, cap. 49, a Lapide, Calmet, etc.

(327) Hieron. « Ex eo quod finita parabola vel historia sequitur : *Sic erit et generationi huic pessimæ*, compellimur, non ad hæreticos, et quoslibet homines, sed ad Judæorum populum referre parabolam.

(328) Job. xl. Vid. Edit. S. Brunonis Rom. t. I., p. 295, c. 1.

(329) S. Gregorius lib. xxxiii Moral. cap. 3. « Antiquus itaque hostis humanum genus vel per elationem præcipue, vel per luxuriam premens, in secreto calami atque in locis humentibus dormit, quia hominem damnatum subolitione suæ dominationis aut per elationem spiritus, aut per carnis corruptionem tenet. » Beda : « loca arida corda sunt credentium non habentes humorem luxuriæ, in quibus circumiens, consensum pravæ suggestionis suæ non inveniet. »

(330) Beda : « Vacantem domum, id est torpentem ab operibus bonis inveniet. »

Digitized by Google

Luxuria vero, fornicatio, voluptas, superbia, avaritia, discordia, omnisque immunditia ornamenta diaboli sunt : his autem ornamentis invenit eam ornatam. « Tunc igitur vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et ingressi habitant ibi. » Non sufficit ei ut solus talem domum possideat ; socios quærit : spatiosus est locus ; multis indiget habitatoribus. Sed qui sunt isti septem spiritus? quare etiam septem? quare nequiores? Quia enim septem sunt gratiæ Spiritus sancti, quibus omnis anima ad fidem convertitur, et conversa defenditur : ideo iniquus iste septem spiritus illi contrarios secum assumpsit, quibus adversum eas domum suam tueatur. Opponens videlicet spiritum stultitiæ contra spiritum sapientiæ, et contra spiritum intellectus spiritum vertiginis et insaniæ : contra spiritum consilii spiritum temeritatis : contra spiritum fortitudinis spiritum inconstantiæ et timoris : contra spiritum scientiæ spiritum inscientiæ : contra spiritum pietatis spiritum impietatis : contra spiritum timoris Domini spiritum contemptus et odii. Infelix illa anima in qua isti spiritus regnant, et cui isti dominantur. Isti enim quodammodo nequiores illo sunt qui eos conduxit ; quoniam isti in hac vita animam corrumpunt, ille vero post hanc vitam animam cruciat ; ille tentat, isti occidunt ; ille januas aperit, isti intromissi cuncta perdunt et dissipant. Ille hominem tentare et vexare potest, animam vero nisi per istos occidere non potest. Sic igitur isti sunt nequiores illo, quia plus nocent isti quam ille. Ille enim consiliando et tentando est nequior, isti agendo et corrumpendo sunt nequiores : illi Apostolus hominem tradidit « in interitum carnis (*I Cor.* v, 5) : » de istis vero dicit : « Non regnet peccatum in vestra mortali carne (*Rom.* VI, 12). » Non est igitur mirum si fiunt novissima hominis illius pejora prioribus ; cum prius uno, et postea septem prematur dæmonibus.

L. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei.* Fratres enim ejus, beatæ Mariæ nepotes dicit (331), Jacobum scilicet et Joseph, et Judam et Simonem : mos est enim divinæ Scripturæ quoscunque propinquos, fratres vocare. *Dicit autem ei quidam : Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit : Ecce mater mea et fratres mei : quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est.* Cum extraneis loquitur Jesus mater ejus et fratres foris stant : isti cum eo in domo sedent, illi eum foris exspectant. Non vocat hoc a mysterio ; alicujus rei significatio est ; usque hodie namque videmus Jesum cum extraneis loqui. Cum extraneis enim loquitur Jesus, quando Gentium populo hoc Evangelium legitur : mater autem ejus Synagoga et frater ejus Judæi foris stant (332). Foris quidem quia in Ecclesia non sunt ; exspectant eum tamen, et cum eo loqui desiderant : ut enim Apostolus ait : « Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam (*Rom.* x, 2). » Verumtamen non loquentur cum eo, neque videbunt eum, nisi ipsius domum intraverint, et in Ecclesia baptizati fuerint. Nullum autem sibi Dominus alium dicit esse propinquum, nisi eos qui Patris ejus voluntatem faciunt. Eos autem *et matrem et fratres* vocat, quoniam quasi matrem et fratres eos diligit. Et his quidem verbis apertissime monstratur quod carnali amori spiritualis amor præferri debet. Eo enim amore et fratres, omnesque propinquos 68 nostros diligere debemus, quo matrem et fratres suos Christus dilexit. Diligebat enim eos, non quia magis secundum carnem propinqui erant, sed quia Patris ejus voluntatem magis faciebant. Ille igitur est Christo propinquior, qui melior.

LI. [CAP. XIII.] *In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare : et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet ; et omnis turba stabat in littore.* In illo, inquit, die, quo mater ejus et fratres foris stabant, exiens Jesus de domo, sedebat secus mare. Longus est iste dies ; nondum enim finitus est, quoniam adhuc mater ejus et fratres foris stant. Quotidie autem Jesus de domo exit, ut ab his qui extra sunt videatur, audiatur, et cognoscatur : extra enim sunt quicunque baptizati non sunt. (333) Sedet autem Dominus secus mare, id est juxta baptismatis aquas : ibi multæ turbæ congregantur ad eum ; multi enim et innumerabiles quotidie ad baptismum conveniunt. Sed ubi sedet? In navicula : hæc enim navicula unusquisque sacerdos et episcopus intelligitur. Per hos enim modo loquitur, per hos baptizat, et turbas docet. Ab his extra domum fertur : ab his, ignotis et extraneis revelatur. Omnis autem turba stat in littore. Tandiu enim omnis turba in littore stat, donec audita prædicatione in Christum credat, ad mare descendat, et aquis baptismi lavata resurgat.

LII. *Et locutus est eis multa in parabolis dicens : Ecce exiit qui seminat seminare semen suum : et dum*

(331) Hieron. « Nos .... fratres Domini non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris sororis Mariæ, liberos intelligimus materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Jacobi minoris, et Joseph, et Judæ, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos. »

(332) Hieron. « Mater ejus et fratres, hoc est Synagoga et populus Judæorum foris stant, et intrare desiderant, et sermone ejus indigni fiunt. »

(333) S. Hilar. « Facti istius genere significat eos qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiæ typum præfert, intra quam verbum vitæ positum et prædicatum, hi qui extra sunt .... intelligere non possunt. » Beda : « Navicula significat Ecclesiam .... qui vero in littore stant ... significant eos qui noviter ad fidem venientes, errore sunt infidelitatis exuti, et adhuc per lavacrum baptismatis Ecclesiam non intraverunt. »

Digitized by Google

seminat, quædam ceciderunt secus viam ; et venerunt volucres et comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa ubi non habebant terram multam, et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ : sole autem orto æstuaverunt, et quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas, et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Qui habet aures audiendi audiat. Totam parabolam posuimus; quam, quia Dominus ipse eam edidit, exposuit, ejus expositionem audiamus, neque aliam, quod utique non licet, in ea quæramus. *Et accedentes discipuli dixerunt ei : Quare in parabolis loqueris? Qui respondens ait illis : Quia vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum.* Vobis, inquit, qui creditis, vobis qui fidem habetis, vobis qui veritatem diligitis, vobis, qui non carnalia sed spiritualia quæritis, vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum : illis autem non est datum. Quare? Quia non credunt; quia spiritualia non quærunt : scriptum est enim : « Nisi credideritis non intelligetis. Qui enim habet dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo. » Qui enim habet fidem sicut vos habetis, ei dabitur et nosse mysterium regni cœlorum, et abundabit in scientia et omni bono. Qui autem fidem non habet, etiam id quod habet auferetur ab eo; quatenus infelix et nudus de hoc mundo exiens, nihil ei remaneat, nisi peccatum et pœna peccati (334). *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.* Merito enim in parabolis eis loquitur Dominus, qui videntes exterius virtutes et miracula quæ ipse operatur, non vident tamen oculis cordis, neque credunt ipsum esse Christum. Unde ipse ait : « Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent (*Joan.* xv, 24). » Et audientes verba vitæ et salutis quæ illis annuntiat, non audiunt tamen auribus cordis, neque intelligunt, ut pœnitentes convertantur, et sanentur : non enim habent aures audiendi. Hoc autem fit, ut adimpleatur in eis prophetia Isaiæ dicens : *Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis et non videbitis* (*Isai.* vi, 9). Audiunt enim et non intelligunt; vident et non vident, sicut modo exposuimus. *Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, et auribus audiant, et convertantur, et sanem eos.* Mala crassitudo, qua scientia tollitur, et stultitia nutritur. De hac enim crassitudine Psalmista ait : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum (*Psal.* lxvii, 7). » Ideo et Moyses omnem illam pinguedinem quæ operit vitalia, adolere et incendere jubet. Graviter autem illi audiunt, quibus quia non credunt, grave et difficile videtur esse quod audiunt. Graviter enim audiebant illi qui dicebant : « Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? » (*Joan.* vi, 61.) Oculos vero claudunt, qui ad cognoscendam veritatem mentis oculos aperire nolunt. Unde fit ut non convertantur, neque sanentur, ideoque in peccatis suis morientur. *Vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestræ quia audiunt.* Si enim de corporeis oculis et auribus hoc intelligatur, soli cæci et surdi miseri sunt, et non solum homines, verum etiam jumenta et alia animalia beata erunt. Hoc 69 igitur dicens (335), mentis oculos auresque requirit. *Amen quippe dico vobis : Multi prophetæ et justi voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt.* His autem verbis ostendit quod prophetæ et justi homines suum adventum exspectabant, et ejus verba audire et opera videre desiderabant. Quæ quamvis spiritualiter vidissent et intellexissent, hoc autem gaudii et beatitudinis solis apostolis et aliis fidelibus qui tunc temporis erant datum est, ut Christi colloquio corporaliter fruerentur. Unde et justus ille Simeon videns eum magno repletus gaudio dixit : « Nunc dimittis, servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum (*Luc.* ii, 29). » Vos ergo audite parabolam seminantis : omnis qui audit verbum regni et non intelligit, venit malus et rapit quod seminatum est in corde ejus : hic est qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud : non habet autem in se radicem, sed est temporalis : facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. Qui ergo in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum et intelligit, et fructum affert : et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero tricesimum. Hæc autem expositio brevis valde et plana est : quæ fortasse sine arte, et confusa, a grammaticis esse putabitur; quoniam et semen, et ipsum hominem in quem seminatur ita permiscet, ut nunc semen, nunc ipsum hominem seminatum dicat. In quo etiam apparet evangelistas non tantum artis grammaticæ regulis, quantum sententiis veritatis simplici sermone deservisse. Quamvis Deus unus idemque seminator sit et hominum et verbi : prius enim omnipotens Deus seminavit homines, deinde vero Evangelii verba seminavit in homines. Ille enim homo secus viam seminatus est, qui verbum audiens non intelligit, id est intelligere contemnit. Sed quid mirum, si hi tales verba Dei intelligere et facere contemnunt, qui juxta viam perditionis et mortis sedentes, malignis

(334) Vid. Hilarium, Hieron., Bedam.

(335) Hieron. « Nisi supra legissemus, auditores ad intelligentiam provocatos . . . . putaremus nunc oculos et aures quæ beatitudinem accipiunt, carnis intelligi. Sed mihi videntur illi beati oculi, qui possunt Christi cognoscere sacramenta, » etc.

Digitized by Google

spiritibus serviunt et obediunt? Verbum igitur quod seminatur in eos, facile a diabolo rapitur, et a vitiis solito itinere inde transeuntibus conculcatur. Ille autem homo super petrosa est seminatus, qui facile perit, et adeo separatur, quoniam fidei et charitatis radicibus non firmatur. Semen ergo quod in eum cadit et cito nascitur et cito siccatur, quoniam non habet fidei et virtutum humorem quo nutriatur. Ille vero homo inter spinas seminatus est, cui divitiæ et voluptates dominantur (336) : semen itaque quod in eum seminatur, sine fructu efficitur, quoniam ipsis divitiis et voluptatibus suffocatur. Hæc enim non corporis, sed animæ spinæ sunt, quia, etsi ad tempus carnem oblectant, animam tamen in æternum pungunt et cruciant. In eo quoque divites et voluptuosi inter spinas jacere videntur, quod cura et sollicitudine semper premuntur et punguntur. At vero ille homo in bonam terram seminatus est, qui fide, scientia, et bona operatione semper fructificat : semen igitur quod in eum cadit affert fructum et centesimum, et sexagesimum, et tricesimum. Hoc autem Evangelista non exposuit : nobis igitur exponendum reliquit. Quidam enim centesimum fructum virginibus; sexagesimum autem continentibus; tricesimum vero bonis conjugatis attribuunt (337). Bonum est itaque conjugium; sed melior continentia, optima vero virginitas. Erunt autem et illi fructum centesimum, qui, contemptis omnibus quæ mundi sunt, soli divinæ contemplationi vacant. Sexagesimum vero qui, prædicando et baptizando, Domino serviunt. Tricesimum autem qui, audiendo et credendo fidei, obediunt. Magnus igitur fructus est obedire et credere, major autem prædicare et baptizare, maximus vero cœlesti contemplationi vacare (338). Quoniam autem omnes homines in hujus mundi amplissimum agrum venientes, vitiis et malignis spiritibus, carnis quoque voluptatibus, cunctisque concupiscentiis tentandi traduntur, non immerito et secus viam, et super petrosa, et inter spinas seminari dicuntur. Terra enim bona est, sed aliunde corrupta, bonitatis nomen amisit. In eis igitur proprium nomen servat, in quibus vitiis et corruptioni non servit. Illa itaque terra fert fructum bonum, quæ bona persistit in bono : quæ autem a bonitate recedit, aut secus viam jacet, et 70 a transeuntibus calcatur, aut petrosa est, et humorem non habet, aut spinosa, et voluptatum aculeis horrescit.

(336) V. Hieron. hic, Basilium in psal. XLV. Chrysost. hom. 59 in Genes. Gregor. Moral., I, 4, etc.

(337) Hieron. : « Sicut in terra mala tres fuere diversitates, secus viam, et petrosa, et spinosa loca : sic in terra bona trina diversitas est, centesimi, sexagesimi, et tricesimi fructus . . . . centesimum fructum virginibus; sexagesimum viduis et continentibus, tricesimum casto matrimonio deputantes. » Fusius idem in epist. ad Pammach. et lib. advers. Jovin. Isidorus Pelusiot. lib. I, epist. 144. « Alius centum, alius sexaginta, alius triginta, virginitatem, et continentiam, et matrimonium significare po-

A LIII. *Aliam parabolam proposuit illis dicens* (339) : *Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus et super seminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem herbam* (340) *et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei : Vis, imus., et colligimus ea? Et ait : Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite autem utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite prius zizania, et alligate ea fasciculis ad comburendum*

B *triticum autem congregate in horreum meum. Tunc dimissis turbis venit in domum, et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait : Qui seminat bonum semen, est Filius hominis : ager autem, est mundus : bonum vero semen, hi sunt filii regni zizania autem, filii sunt nequam : inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus : messis vero, consummatio sæculi est : messores autem, angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania et comburuntur, sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis angelos suos et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc*

C *justi fulgebunt, sicut sol, in regno Patris eorum : qui habet aures audiendi audiat.* Et ego quidem aliud his superaddere timeo, ne, dum lucem illuminare velim, potius obscurem. Illud autem valde considerandum est quod Dominus ante messionis tempus, zizania a tritico separare interdicit, ne forte simul cum eis et triticum eradicetur. Ibi enim tolerandi sunt mali, ubi si commoveantur, in magnum periculum veniunt boni. Ubi enim fides non perit, melius est eorum vitiosos mores et actus tolerare, quam eos irritando, Ecclesiæ pacem et quietem solvere. Admoneantur igitur, non expellantur; sunt enim qui facilius monitis vincantur quam minis. Illa igitur zizania maneant inter triticum, quæ sine tritici eradicatione evelli non possunt. In omnibus

D enim est habenda discretio, neque omnes uno modo habere oportet (341).

LIV. *Aliam parabolam proposuit eis, dicens : Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens*

test. »

(338) Greg. hom. 17. in Ezech. : « Fructus terræ bonæ triginta affert, cum mens perfectionem fidei quæ est in Trinitate conceperit; sexaginta affert, cum bonæ vitæ opera perfecte protulerit; centum vero affert, cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. »

(339) Hæc et sequentes parabolæ duæ ab A. explicatæ continentur unica homilia Emiseno supposita Dominica 25 post Pent., pag. 180.

(340) Cum autem crevisset herba, etc. Vulg.

(341) Beda ad h. l. « Hinc habere docemur longanimitatem patientiæ, ut in longanimitate justitiam

Digitized by Google

homo seminavit in agro suo; quod minimum quidem est omnibus seminibus. Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor; ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus. Talis enim a principio fuit Ecclesia, quæ nunc regnum cœlorum appellatur, ad compartionem aliorum regnorum; quale est granum sinapis ad similitudinem aliorum granorum. Minimum est enim cunctis seminibus, quæ frequenti usu seminari solent ab hominibus; crescens autem fit cæteris oleribus majus, quod ipse visu probari potest. Similiter autem et Ecclesia (342) ab uno vel a paucis incipiens, in infinitam crevit multitudinem. Unde et per Psalmistam Dominus ait: « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* xxxix, 6). » Itemque: « Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum: dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur (*Psal.* cxxxviii, 17). »

LV. *Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Hæc autem parabola eadem est quæ superior. Sicut enim minimum granum sinapis in arborem crescit, ita et modicum fermenti magnam farinæ massam vivificat et crescere facit. Fermentum enim hoc loco non corruptionem, sed vivificationem operatur: regnum vero cœlorum, Ecclesia est (343): mulier autem, Dei sapientia: tria vero sata farinæ, tres mundi partes, Asia scilicet, Africa et Europa. Mulier igitur, id est Dei sapientia accepit fermentum, id est primitivam Ecclesiam, et abscondit in farinæ satis tribus, dicens discipulis suis: « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* xvi, 15). » Ex his enim totum pene mundum jam fermentatum et vivificatum in Ecclesiæ corpus crevisse videmus. « Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis: ut adimpleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: « Aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita a constitutione mundi (*Ps.* lxxvii, 2). » Est autem parabola similitudo, in qua aliud dicitur, et aliud rationabiliter intelligitur.

71 LVI. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum* (344). Regnum cœlorum hoc in loco cœlestem patriam dicit (345): quæ merito thesauro in agro abscondito comparatur, quoniam ejus divitiæ nondum omnibus manifestæ apparent. Invenitur tamen etsi non ad plenum; quoniam sanctorum doctrina, et prædicatione, qualis quantusve sit magna ex parte declaratur. Hunc enim thesaurum, Christo Domino prædicante, sancti apostoli invenerunt, et præ gaudio illius venditis omnibus, eum emerunt. « Si vis, inquit Dominus, perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me, et habebis thesaurum in cœlo (*Mat.* xix, 21). » Sic igitur ager iste cum suo thesauro perfectissime emitur: hunc autem thesaurum ille abscondit, qui cognito qualis sit, corde retinet, mente diligit, ejusque nullo modo obliviscitur: illud enim abscondimus, quod charum habemus, et amittere timemus.

LVII. *Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas; inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit universa quæ habuit, et emit eam.* Hæc autem similitudo, et ea quæ superius dicta est, pene idem significant (346), præter hoc quod regnum cœlorum non cœlestis patria sicut ibi, sed sancta Ecclesia intelligitur: quod vero ibi thesaurus dicitur, hic margarita vocatur. Simile est igitur regnum cœlorum, id est sancta Ecclesia, homini negotiatori, quoniam sicut ille unius margaritæ desiderio omnia vendidit, et eam emit; ita et ista pro amore patriæ cœlestis et æternæ felicitatis, non solum ea quæ habuit vendidit, verum etiam se ipsam servituti subjugavit, ut eam emere et possidere valeat. Callidus enim negotiator est qui et his quæ diu possidere non potest, tale aliquid emit quod nunquam amittere timeat, et in quo universa possideat.

LVIII. *Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congregati. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Merito enim regnum cœlorum, id est sancta Ecclesia, sagenæ (347) simile dicitur: quia et piscatoribus commissa est; et in aquis baptismatis quotidie innumerabiles pisces concludit et capit: de quibus ipse Dominus suis discipulis ait: « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum (*Matth.* iv, 19). » Hanc autem sagenam tunc in mare Dominus misit, quando eisdem discipulis præcepit, dicens: « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (348). » Mare enim vocetur mundus iste: de quo Psalmista: « Hoc mare, inquit, magnum et spatiosum; illic reptilia

meditemur, et in judicio patientiam non negligamus. »

(342) Hieron. « Regnum cœlorum prædicatio Evangelii est .... Hæc autem prædicatio quæ parva videbatur in principio .... non exsurgit in olera, sed crescit in magnam arborem. » Idem habet ex Hieron. Beda.

(343) Hieron. et Beda. « Mulier est supradicta apostolica prædicatio, sive Ecclesia, ex diversis gentibus congregata, » etc.

(344) Matth. xiii, 44. Hujus et sequentium duarum parabolarum explicationem leges in homilia sub Emiseni nomine vulgata in natali virginis unius, pag. 230.

(345) Beda ex hom. 2 S. Greg. in Ev.: « Thesaurus absconditus est cœleste desiderium..... quem profecto agrum venditis omnibus comparat qui cuncta sua desideria per custodiam cœlestis desiderii calcat. »

(346) Hieron. quoque hic: « Aliis verbis id ipsum quod supra, dicitur. »

(347) Matth. ult. 19. *Euntes ergo docete*, etc.

(348) Beda ex Hieron. « Sagena significat Ecclesiam quæ omnes communiter ad veniam peccatorum

Digitized by Google

quorum non est numerus (*Psal.* CIII, 25). » Congregavit autem hæc sagena ex omni genere piscium, quoniam sancta Ecclesia ad fidem vocavit, et in sinu suo collegit ex omni genere hominum. Ibi enim simul sunt Judæi et Græci, Latini et barbari, divites et pauperes, sapientes et insipientes, frumentum et zizania, granum et palea, justi simul et peccatores. Nondum autem impleta est; adhuc pisces ingrediuntur, adhuc homines baptizantur : implebitur vero, quando plenitudo gentium in eam introierit, et quando Israel salvus fiet. Tunc igitur eam educentes, et secus littus sedentes, bonos pisces eligent, malos autem foras projicient. Littus namque maris, finis est sæculi : hoc autem ipse Dominus exponens, ait : *Sic erit in consummatione sæculi : exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium.* Caminus iste infernus est, in quo neque vermis moritur; neque ignis exstinguitur : in fletu vero et dentium stridore, doloris nimietatem et pœnarum intolerantiam significat. *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Ac si diceret : Illis in parabolis locutus sum, et non intellexerunt, vobis autem parabolas ipsas exposui et intellexistis. Et illis quidem quia adhuc veteres sunt, protuli vetera; vobis autem quia novi estis, et nova et vetera; illis prophetarum consuetudine; vobis doctoris et magistri more locutus sum. Sic igitur loquimini, sic docete : hanc loquendi regulam tenete. Aliter enim in regno cœlorum; aliter in conventu Scribarum et Pharisæorum; aliter in Ecclesia; et aliter in Synagoga loqui oportet. **72** Ideo *omnis scriba doctus in regno cœlorum.* Omnis Ecclesiæ doctor et prædicator, si sapiens est, si doctus est, *similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo*, de divitiis pectoris sui, de scientia cordis sui *nova et vetera.* Synagogæ Scribæ, quia docti non sunt, proferunt vetera, Ecclesiæ vero Scribæ, quia docti sunt, et nova proferunt et vetera (349) : illi solam litteram, isti et litteram sequuntur et spiritum : istis denique datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem non est datum; ut videntes non videant, et audientes non intelligant (350).

LIX. *Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde. Et veniens in patriam suam, docebat eos in Synagogis eorum, ita ut mirarentur, et dicerent : Unde huic sapientia hæc et virtutes?* Patriam suam, civitatem dicit Nazareth, in qua mater ejus habitabat; in qua et ipse nutritus fuerat. Mirabantur vero omnes, qui eum audiebant, ejusque virtutes videbant recordantes quoniam inter eos conversatus, nec litteras didicisset, nec tale aliquid aliquando fecisset. Dicebant ergo : *Unde huic sapientia hæc et virtutes?* Hoc enim dicunt, quia nesciunt eum esse Dei virtutem, et Dei sapientiam. Verumtamen non facile patet, unde sit sapientia sapientiæ, et virtus virtuti. *Nonne hic est fabri filius?* Est utique filius fabri, sed non illius cujus vos putatis. Bonus faber Joseph, sed melior ille qui fabricatus est auroram et solem, cujus iste est filius (351). *Nonne mater ejus dicitur Maria?* Matrem quidem cognoscitis, sed Patrem ignoratis. Qui enim Filium non cognoscit, neque Patrem cognoscit. Unde ipse ait : « Qui videt me, videt et Patrem (*Joan.* XIV, 9). » Sed neque matrem ejus bene cognoscitis, dum filium Joseph eum esse putatis; mater enim ejus, virgo est. Dicite ergo : *Nonne mater ejus dicitur* Virgo *Maria?* Sic enim nos eam vocamus : *et fratres ejus Jacob et Joseph, et Simon et Judas, et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.* Fratres enim ejus atque sorores, nepotes matris ejus dicunt : Mos est enim divinæ Scripturæ fratrum vel sororum filios fratres vocare (352). *Jesus autem dixit eis, non est propheta sine honore, nisi in patria sua et in domo sua.* Ubique enim honoratur Christus, ubicunque virtutem et potentiam suam in signis et miraculis revelare dignatus est; soli vero Judæi eum inhonorant, cum quibus ad tempus conversatus est. *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.* Unde et Marcus dicit : « Et non potuit ibi facere virtutes multas (353). » Quare non potuit? Quia noluit. Quare noluit? Propter incredulitatem illorum. Poterat enim Dominus, si voluisset, etiam incredulos sanare, sed in salute corporis animæ sanitatem significabat. Anima enim, nisi per fidem, neque sanari neque salvari potest, quoniam ejus salutem in fide Deus constituit, dicens : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit condemnabitur (*Marc.* XVI, 16). » Immutabilis enim Dominus ita quædam constituit, ut jam omnino mutari non possent.

LX. [CAP. XIV.] *In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo* (354). Cujus opinionis beatus

invitat, quæ ad littus, id est ad finem sæculi trahitur, per doctrinam prædicatorum, et in fine sæculi in cœlestes mansiones recipiuntur; impii vero in exteriores tenebras mittuntur. »

(349) Cyrillus lib. III, in Jo. Duplici quadam gratia, legali scilicet et evangelica, in fide homines roborantur : quod per parabolam Dominus docuit : *omnis scriba*, etc.

(350) In homilia alia subjicitur ex Isaia, Psalmis, aliisque quæ quoniam ad Matthæi explicationem non faciunt, hic omittimus.

(351) S. Ambros. lib. III in Lucam, init. : « Non alienum etiam videtur, ut qua ratione fabrum patrem habuerit declaremus. Hoc enim typo eum Patrem sibi esse demonstrat, qui fabricator omnium, condidit mundum. » V. serm. 36 De temp. inter August. serm.

(352) V. Aug. quæst. ex Matth. cap. XVII.

(353) (*Marc.* VI, 5.) *Et non poterat ibi virtutem ullam facere.* V. S. Greg. Naz. orat. 4. et ad. Euthymium in Marc. VI.

(354) Est homilia inter cæteras Emiseno falso dictas in decollatione S. Jo. Bapt., pag. 194.

Digitized by Google

Joannes Baptista fuerit, et quam sanctus ab omnibus habebatur, satis manifeste his verbis declaratur. Omnes enim, ut in alio Evangelio legitur, existimabant de Joanne, ne forte ipse esset Christus. Audiens igitur Herodes virtutes quas Dominus operabatur, neque credens aliquem alium esse præter Joannem, qui talia facere potuisset, putabat eum resurrexisse a mortuis; unde et majoribus sumptis virtutibus ea operaretur. Hinc autem evangelista narrat qualiter virum sanctum Herodes impius interfecerit : *Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem, propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes : Non licet tibi habere eam;* non enim licet fratri, sicut lex dicit, fratris sui uxorem accipere, nisi ad suscitandum semen fratris sui, si tamen sine liberis defunctus fuerit. Iste autem non ad fratris semen suscitandum, sed ad libidinis voluptatem exercendam, Philippi fratris sui adhuc etiam viventis, ut dicitur, duxit uxorem. Quia igitur beatus Joannes hoc tantum scelus interdicebat, captus et ligatus, et in carcerem positus est. Volebat autem Herodes eum occidere, sed non audebat, tum quia sciebat eum esse virum sanctum et justum, tum etiam quia timebat populum, quoniam sicut prophetam eum habebant. Hac igitur causa, ejus mors aliquanto tempore dilata est : die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio, **73** et placuit Herodi. Quid enim placeat viro stolido et luxurioso, nisi vana gloria, comessatio, et muliebris saltatio; luxuriæ videlicet fomenta et instrumenta? In eo vero, quod puella non Herodis sed Herodiadis filia dicitur, Philippi filia fuisse monstratur (355). Hujus autem saltatio placuit Herodi, et nimium placuit : unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcunque postulasset ab eo. Ebrietas enim, stultitiæ et vanitati conjuncta in tantum hominem præcipitat, ut ea quæ dicit non consideret. Quid enim si puella oculos suos Herodi postulasset? Numquid eos eruisset et dedisset illi? Si enim non dedisset, poterat eum de perjurio appellare. Juraverat se illi esse daturum, nihilo excepto, quodcunque postulasset ab eo. Et plus quidem illa postulat quam oculos Herodis : non autem illa, sed mater ejus impia et adultera per illam; præmonita enim a matre sua, *Da mihi*, inquit, *in disco caput Joannis Baptistæ.* Merito enim scriptum est de muliere mala : « Non est malitia super malitia mulieris (*Eccli.* xxv). » Poterat enim regni medietatem habere si voluisset : sed hoc pro nihilo ducit : petit caput Joannis. Et contristatus est rex : propter jusjurandum autem (356) et eos qui simul recumbebant, jussit dari. Pœnituit eum jurasse, mentiri timet, vincit verecundia, facies hominum erubescit, et justitiæ obliviscitur. A Malum quidem est mendacium; sed pejus est homicidium. Multo melius fecit David, qui cum se Natal occidere jurasset, victus tamen precibus Abigail, non eum occidit (*I Reg.* xxv). Ubi igitur sine majori peccato minus peccatum aliquis evadere non potest, faciat illud quod minus est, ne majus peccatum incurat (357). Si enim dixeris quod aliquem hominem innocentem hodie interficies; si eum occideris verum dicis; si non occideris mentiris : sed melius est eum non occidere et mentiri, quam occidere et verum dicere. Melius igitur fuerat Herodi de perjurio judicari, quam ut de tanto homicidio damnaretur. Misit igitur et decollavit eum in carcere; et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ; et puella attulit matri suæ. O impietas! B o crudelitas! Justus decollatur, fit caput ejus pretium saltationis; in disco affertur, convivantibus apponitur : magnum quidem ferculum; sed ad videndum horribile. *Et accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud; et venientes nuntiaverunt Jesu* (358). *Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum : Et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. Et exiens vidit turbam multam et misertus est eis; et curavit languidos eorum.* Plana transcurrimus, ut in his quæ difficiliora sunt immoremur

LXI. *Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Desertus est locus, et hora jam præteriit : dimitte turbas, ut euntes in castella C emant sibi escas. Jesus autem dixit eis : Non habent necesse ire; date illis vos manducare.* Vespere enim Dominus turbas reficit, quia novissima hora, et ultima ætate prædicare cœpit. Unde Joannes ait : « Filioli, novissima hora est (*I Joan.* II, 18); » et Apostolus : « Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x, 11). » Hoc autem agit in deserto, id est in populo silvestri et indomito, indisciplinato et indocto. De quo Psalmista ait : « In terra deserta et invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam (*Psal.* LXXII, 3). » In hoc deserto et Joannes Baptista prædicabat, dicens : « Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domino (*Matth.* III, 3). « Si autem discipuli ejus scirent hoc quod Dominus fa- D cturus erat, sicut sciebat mater ejus ad nuptias invitata, nequaquam ei dixissent : *Dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas;* illa enim spiritu Dei plena, jam futura prænoscens dicebat : *Vinum non habent* (*Joan.* II, 3), quoniam sciebat filium suum novum vinum ibi esse daturum. Sed quid ait Dominus? *Date illis vos manducare. Responderunt ei : Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces.* Vides igitur quia nondum Christi discipuli intelligebant

(355) Josephus AA. 18, 6, Philippum tradit, nullis relictis liberis occubuisse. Hinc Calmet provenisse arbitratur quod hæc filia (nomine Salome) matrem secuta, cum Herode Antipa velut parente suo commoraretur.

(356) Hieron. : « Scelus excusat juramento, ut sub occasione pietatis impius fieret. »

(357) Euthymius : « Quia incircumspecte jurasti, melius erat pejerare : e duobus namque malis levius est eligendum. »

(358) Hactenus Homilia.

Digitized by Google

quid duo pisces et quinque panes significarent : ideoque tantæ turbæ putabant non posse sufficere, quod universo mundo sufficiebat. Quinque enim panes, quinque sunt libri Moysis (359); in quibus si spiritualiter intelligantur, totum et Novum et Vetus Testamentum plenissime continetur : quorum quidem divitiæ cunctis hominibus ad manducandum sufficiunt : semper enim crescunt sicut et isti panes, et qui plus comedit plus abundat. Duo vero pisces, intellectus et memoria sunt : sine his enim panes isti neque comedi, neque in ventre animæ retineri valent : talis enim cibus intellectu comeditur, et memoria retinetur. Igitur nec panes sine piscibus, nec pisces sine panibus saporem habent. Quid enim legere vales, si non intelligas? Quid vero 74 intelligere, si id quod intelligis memoriæ non commendes? Comedamus igitur panes, comedamus et pisces : legamus, et intelligamus, et ea quæ intelligimus memoria retineamus : qui enim aliter agunt, venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Jussit igitur Dominus panes illos sibi afferri, et cum fecisset turbam discumbere supra fenum, *acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in cœlum, benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes : discipuli autem turbis.* Ecce Salvator noster supra fenum turbam discumbere facit, quatenus hoc cibo ille se intelligat esse indignum, qui nondum supra fenum discubuit : Prophèta enim dicit : « Vere fenum est populus : siccatum est fenum et decidit flos (*Isa.* XL, 7). » Quicunque igitur es, qui vis saturari de panibus Christi, discumbe prius super fenum, imo prius te ipsum fenum esse cognosce. Non jam luxuriet in te viriditas carnis; audi Apostolum dicentem : « Mortificate membra, quæ sunt super terram (*Col.* III, 5) : » intelligite quia flos et pulchritudo hujus vitæ cito arescit (360). Accipiens autem Dominus quinque panes et duos pisces; *aspiciens in cœlum benedixit et fregit et dedit discipulis suis.* Magna munera discipulis daturus, prius in cœlum Dominus aspicit; ut nos intelligamus, quoniam omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum (*Jac.* I, 17). « Omnis enim sapientia a Domino Deo est, et cum eo fuit semper et est ante ævum (*Eccl.* I, 1). » Unde et de se ipso Dominus ait : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI, 41). » Illuc igitur Dominus aspicit, unde veniunt omnia bona. Benedicit autem panes, ut sua benedictione multiplicentur. Sic enim et primis seminibus a principio Dominus benedixit, cujus benedictione semel accepta, usque hodie fructificare non cessant. *Et fregit*, quod valde quidem necessarium erat : quid est enim panes frangere, nisi Scripturarum mysteria revelare? Ipse enim discipulis sensum aperuit, ut Scripturas intelligerent : ipse eos panes frangere et Scripturas exponere docuit. Hoc est enim quod ait, *et dedit discipulis suis : discipuli autem dederunt turbis* : ipse enim discipulos suos, discipuli vero nos docuerunt. Unde Apostolus ait : « Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis (*I Cor.* XI, 23). » Nos quoque hos panes aliis frangimus, quos a Christi discipulis fractos accepimus, eosque quotidie turbis apponimus, dum hæc sacri Evangelii verba exponimus. *Et manducaverunt omnes et saturati sunt.* Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis : non sunt panes nisi quinque, manducantes autem plus millibus quinque. Illi manducant, panes crescunt; certamen fit inter panes et homines. Illi sufficiunt, isti deficiunt : nisi enim manducare homines cessassent, fortasse in infinitum panes crevissent. Sic igitur et cibus spiritualis, sic panis utriusque Testamenti, quanto plus comeditur, tanto amplius crescit. Nonne vides quomodo panis iste mihi quoque in faucibus crescit? Pauca enim verba sunt, quæ exponuntur, quæ si quis comedendi avidus, et ruminandi validus, qui et dentes fortiores et stomachum saniorem haberet, ruminare adhuc et plus frangere voluisset, multa adhuc delicias ex his parare sibi potuisset. Sequitur : *Et sustulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.* Valde enim plures sunt reliquiæ panum, quam fuissent ipsi panes : duodecim enim sunt cophini reliquiarum; panes vero omnes antequam manducarentur infra unum cophinum poni potuissent. Si quis autem ista miratur, miretur et cætera omnia quæ Dominus operatur. Quid enim fecit Deus quod mirabile non sit (361)? Cœlum et terram fecit, mirabile est : homines et cuncta animalia creavit, et hoc mirabile. Sed nunquid illud quoque mirabile non est, quod ex pauco semine per singulos annos tanta nobis horrea replet? Quid? quod terræ humor cum idem sit, in unaquaque arbore vel herba mutat saporem? Et cum secundum se neque dulcis neque amarus sentiatur; in aliis tamen dulcis et in aliis amarus invenitur. Sic igitur quære per singula, et nihil invenies quod non sit mirabile. Noli autem ista mirari, sed potius illum mirare, qui hæc et alia omnia tam admiranda creavit. Illud quoque considerandum est, quia tot sunt cophini quot et apostoli : unusquisque enim apostolorum ex istorum quinque panum fragmentis cophinum suæ mentis replevit, ut haberet unde sibi commissum populum reficere posset (362). Vide

(359) S. Aug. tract. 24, in Joan. : « Quinque panes intelliguntur quinque libri Moysi, merito non triticei, sed hordeacei; quia ad Vetus Testamentum pertinent; » idem Beda ad h. l. Ante hos Hilarius de discipulis « solos se quinque panes responderunt habere, quia adhuc sub quinque panibus, id est 5 libris legis continebantur. »

(360) Beda, ex Hieron. : « Discumbere, est flores et voluptates istius sæculi et illecebras carnis mente despecta calcare. »

(361) Hilar. : « Ne mirere fontes fluere, inesse uvas vitibus, ex uvis vina diffundi, et omnes mundi opes quodam meatu indefessoque diffluere; auctorem enim hujus universitatis tantus panum profectus ostendit. »

(362) Hilar. : « Saturato populo in tantum dein-

Digitized by Google

modo in hoc uno cophino beati Matthæi evangelistæ; quem ante nostræ mentis oculos effudit, quantæ deliciæ contineantur : quem de piscibus quoque multum suscepisse dubitare 75 non possumus, cum tam bene hæc omnia intellexerit, et intellecta memoriæ commendaverit. Similiter autem et beatus Joannes cophinum suum ex his panibus implevit, qui eos hordeaceos fuisse describit. Vere utique hordeacei erant, et ad comedendum insuaves et difficiles : ideoque Dominus eos fregit, et pisces eis addidit, cum quibus facilius comedi potuissent.

LXII. (363) *Et statim jussit discipulos ascendere in naviculam et præcedere eum trans fretum donec dimitteret turbas.* In hoc enim passionem suam significasse videtur, quia eo relicto, discipulis fugientibus, ipse solus inter Judæorum turbas remaneret : ait enim (364) : « Si me quæritis, sinite hos abire. » Sed quia in naviculam ascendere et per maris periculosum iter discipulos ire jubet, eos quoque in illa tanta perturbatione securos non fuisse ostenditur. *Et dimissa turba ascendit in montem solus orare.* Turbam enim Dominus dimisit, et in montem ascendit, quando relictis Judæis ad cœlos rediit, et solus quidem, quia nemo corporaliter cum eo ivit. Ibi vero orat, quia, ut Apostolus ait (365), pro nobis ad Patrem interpellat. *Vespere autem facto solus erat ibi, navicula vero in medio mari jactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus.* Ex eo autem tempore Judæorum populo vesperum fuit, ex quo Christus Sol justitiæ de hoc mundo recessit : eo enim nascente lux orta est eis, eo vero moriente, tenebræ factæ sunt eis. Quod autem navicula in medio mari fluctibus jactabatur, hoc significabat, quod post Christi ascensionem sancta Ecclesia in hoc mundo multa adversa esset passura. Unde et bene dicitur, quia ventus erat ei contrarius : quid enim ventus contrarius, nisi tyrannorum sæviens persecutio ? *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.* Quarta enim vigilia ex eo tempore agitur, quo Salvator noster in mundum venit : prima enim vigilia fuit ab Adam usque ad Moysen ; secunda a Moyse usque ad David ; tertia a David usque ad Christum (366). Prima enim vigilia nimio somno gravata sine lege fuit : secunda legem habuit : tertia prophetas : quarta Evangelium. Quarta igitur vigilia venit ad eos, quia magis in hac quam in aliis omnibus servos suos Dominus visitare dignatur. Ambulat autem super mare, quia totus ei subjectus est mundus. *Et videntes eum super mare ambulantem turbati sunt, dicentes, quia phantasma est, et præ timore clamaverunt.* Clamor enim confusus et inordinatus eos timore nimio indicat fuisse turbatos. *Statimque Jesus locutus est eis, dicens : Habete fiduciam ; ego sum, nolite timere.* Sic enim et Moysi Dominus ait : « Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos (*Exod.* III, 14). » Vel ideo fortasse dixit, *Ego sum*, ut eum quis esset agnoscerent, audita voce quam cognitam habebant : sæpe enim alicujus vocem a longe audientes, quis sit, confestim agnoscimus, etsi eum non videamus. *Respondens autem Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* At ipse ait : *Veni.* Ubique enim beatus Petrus ferventissimæ fidei fuisse monstratur (367). Neque enim profundissimo pelago sese crederet, nisi fidem certissimam de Domino haberet : sciebat enim Salvatorem nostrum omnia posse, et nihil minus in mari quam in terra potestatem eum habere credebat. Verumtamen quod Petrus super mare graditur, non solum magistro, verum etiam discipulis mundus iste subjectus esse monstratur. Quamvis propter hæreticos ita fieri oportebat, qui Christum Dominum eo quod super mare ambulaverat, non verum, sed phantasticum corpus habuisse postea dicebant : vincuntur enim isti, dum beatum quoque Petrum super mare ambulasse audiunt, quem utique verum corpus habuisse non dubitant. *Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum timuit, et cum cœpisset mergi clamavit dicens : Domine, salvum me fac ; et continuo Jesus extendens manum apprehendit eum ; et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti ?* Hoc enim facto beatus Petrus ea quæ sibi futura erant jam ex tunc significabat. In Christi namque passione, quasi super aquas confidenter ambulabat, cum diceret : « Et si omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor (*Matth.* XXVI, 33). » Videns vero ventum validum timuit, quia, cum Dominus a Judæis teneretur, ipse quoque simul cum aliis discipulis fugit. Mersus est autem quando negavit : deinde vero clamavit dicens : *Domine, salvum me fac*, quando egressus foras flevit amare : ipsum enim flere, clamare fuit. Sed continuo Jesus *extendens manum apprehendit eum*, quando voce angelica eum consolando, et quodammodo a se trahendo dictum est mulieribus : « Ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam (*Marc.* XVI, 7) : » in eo enim 76 quod proprio nomine eum vocavit, quasi manu apprehensum trementem et jam perire timentem ad spem gratiæ

ceps cumulantur augmentum, quantus et credentis populi, et explendorum cœlesti gratia apostolorum numeras destinabatur. » Hier. « Unusquisque apostolorum de reliquiis Salvatoris implet cophinum suum, ut vel habeat unde postea gentibus cibum præbeat, vel ex reliquiis doceat veros fuisse panes qui postea multiplicati sunt. » Beda : « Duodecim cophini duodecim apostoli sunt qui inde sacramenta collegerunt ; quia quæ a rudibus intelligi nequeunt, a perfectis inquirenda sunt. »

(363) Et statim compulit. Vulg.

(364) Joan. XVIII, 9. Hilar. « Quod vespere solus est, solitudinem suam in tempore passionis ostendit, cæteris trepidatione dilapsis. »

(365) Ad Hebr. VII, 25 : « Semper vivens ad interpellandum pro nobis. »

(366) Hilar. : « Sed quarta vigilia Dominus venit : quarto enim tum ad Ecclesiam vagam et naufragam revertetur.... Prima enim vigilia fuit legis ; secunda prophetarum ; tertia corporalis adventus ; quarta autem in reditu claritatis. »

(367) Hieron. : « In omnibus locis ardentissimæ fidei invenitur Petrus ; » quæ exscribit Beda. Vid. Hilar.

Digitized by Google

eum elevavit. In his autem Ecclesiæ quoque prospera et adversa significari possunt : quæ quidem aliquando mergi, aliquando vero exsurgere videtur. *Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus.* Non est autem intelligendum, ut tunc Jesus in naviculam ascendisset (368); prius enim venit Capharnaum, ibique multa in synagoga locutus est, quæ Joannes quidem scribit, Matthæus vero et Marcus prætermittunt. Dicit enim Joannes, quia voluerunt eum discipuli in naviculam suscipere, sed statim fuit navis ad terram ad quam ibant, id est Capharnaum : unde manifestum est eum tunc in naviculam non ascendisse. Jusserat enim Dominus, ut superius dictum est, ut discipuli sui eum præcederent; qui cum venissent Capharnaum, ibique eum non invenissent, flectentes iterum ad eum revertebantur : et tunc quidem apparuit eis Dominus ambulans super mare. Et expletis omnibus quæ modo in hoc Evangelio dicta sunt, postquam ea locutus est, quæ Joannes narrat usque ad illum locum in quo dicitur : *Hæc autem locutus est Jesus in Synagoga docens in Capharnaum*, redierunt ad navem; et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. Nondum enim ventus cessaverat, nec mare a suo fervore quieverat, sed sicut in nocte, ita et in die, eisdem adhuc fluctibus agitabatur : ut autem Jesus ascendit in naviculam, mox ventus cessavit. *Qui autem in navicula erant*, viso tanto *miraculo stupentes venerunt et adoraverunt eum dicentes; Vere Filius Dei es :* Marcus vero eos redarguit, et oblitos et excæcatos dicit, quod ex hoc stupentes admirarentur, qui præterita die tam magnum miraculum in quinque panibus Dominum fecisse cognoverant : unde et ait (369) : *Non enim intellexerant de panibus.* Si enim de panum miraculo recordarentur, jam non erat, ut de maris sedati miraculo mirarentur. *Et cum transfretassent, venerunt in terram Genezareth et applicuerunt. Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum.* Hoc autem Matthæus manifestius dicit : videtur enim Marcus dicere, quod discipuli eum non cognoverint, donec de navi egrederentur. Sed non est ita : non enim hoc de discipulis dicitur, sed de hominibus regionis illius, qui statim eum cognoverunt, et undique infirmos suos ei ad sanandum obtulerunt. Et hoc est quod Matthæus ait : *Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes : et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent : et quicunque tetigerant salvi facti sunt.* Oremus autem et nos Dominum, ut in naviculam pectoris nostri ascendere dignetur, et superbiæ ventositatem et vitiorum insurgentium procellas quiescere faciat (370). Ascendat etiam in naviculam suam, id est in sanctam Ecclesiam (371), et se ibi esse manifestat, qui ibi quodammodo non esse videtur, dum tanto eam persecutionum turbine patitur agitari; et imperet ventis et fiat tranquillitas magna. Quod autem ait : *Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes, ut eos sanaret;* quid aliud significat, nisi quia viri sancti qui Deum cognoscere meruerunt, pro aliorum peccatis orare, et alios Deo commendare et offerre debent? Sed quid est Christi vestimenti fimbriam tangere (372)? Aliud enim est tangere Christum, aliud vestimenta Christi. Thomas enim Christum tangens dicebat : « Dominus meus et Deus meus (*Joan.* xx, 28) : » Philippus vero vestimenta tangebat et non Christum, cum diceret : « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis (*Joan.* xiv, 8). » Propinquius igitur Thomas Christum tangebat, quam Philippus : unde et illi dicitur : « Quia vidisti me, credidisti; » huic autem : « Non credis quia ego in Patre et Pater in me est? Qui videt me, videt et Patrem. » Ille igitur jam vidisse et credidisse, iste vero nondum bene vidisse, vel credidisse dicitur. Illi igitur tangunt Christum, qui in eum perfecte credentes, catholicæ fidei veritatem cognoscunt. Illi vero tangunt vestimenta Christi, qui quamvis intelligere non valeant, credunt tamen quod eis a viris catholicis prædicatur. Tanto itaque unusquisque longius tangit Christum, quanto minus intelligit et cognoscit Christum. Omnes tamen sanantur, qui vel fimbriam vestimenti ejus tangunt, quoniam « omnis qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* xvi, 16). »

LXIII. [CAP. XV.] *Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisæi, dicentes : Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducent.* Seniorum namque traditiones, non prophetarum dicta, sed majorum consuetudines vocantur : quibus docentur et manus et 77 urceos et calices et omnia vasa frequenter lavare, semperque munda et nitida habere (373). His autem Judæi magis quam legi et prophetis obedientes erant. Habebant autem et alias multas traditiones, et consuetudines, quæ etiam legi et prophetis contrariæ erant; de quibus Dominus subsequenter eos redarguens ait : *Quare et vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit : Honora patrem et matrem : et qui*

(368) Vid. S. Aug. lib. II De consens. Evang., c. 17, et S. Hilar. hic v. 49.

(369) Marc. VI, 52, 53 : « Erat enim cor eorum obcæcatum. »

(370) Beda. « In quodcunque enim cor Deus per gratiam sui amoris venerit, mox universa mundi vitiorumque et spirituum malignorum prælia compressa quiescunt. »

(371) Hilar. : « Ascensu autem ejus in navim, ventum et mare esse sedatum; post claritatis suæ reditum æterna Ecclesiæ pax, et tranquillitas indicatur. »

(372) Matth. hic v. 36 : « Et obtulerunt ei omnes male habentes, et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicunque tetigerunt salvi facti sunt. »

(373) Euthymius : « Neque enim jubebat lex divina, ne ederent priusquam lavarent, sed seniores populi. »

Digitized by Google

maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis : Quicunque dixerit patri vel matri : Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam, et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hoc autem Marcus evangelista aliquanto planius dicere videtur : ait enim (*Marc.* VII, 11) : *Vos autem dicitis : Si dixerit homo patri aut matri : Donum quodcunque est ex me, tibi profuerit ; et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei.* Quod tale est ac si diceret : Deus parentes honorare præcipit ; vos autem male honorem interpretantes, parentes suos filios inhonorare docetis : dicitis enim hoc parentibus ad honorem sufficere, si verbis et ratione a filiis honorentur ; quoniam Moyses eos quidem honorare præcipit, sed quomodo honorentur non præcipit. Et hoc agentes, non dimittitis eos quidquam ultra facere parentibus suis, quoniam male a vobis instructi, vanis verbis eos consolantur, ut sic eos honorare videantur. Honor enim in divina Scriptura magis in obsequiis quam in verbis intelligitur ; secundum illud : « Honora Dominum de tua substantia (*Prov.* III, 9) ; » et Apostolus : « Honora viduas, quæ vere viduæ sunt (*Tim.* V, 2). » Unde et homines dicere solent : Ille et ille bene me honoravit, si illum in domum suam susceepit, et libenter ei servivit, et affluenter necessaria ministravit. Tali igitur honore parentes nostros honorare debemus : per hæc autem intelligere datur, quod Scribæ et Pharisæi suis utilitatibus providentes, a parentum servitio filios retraherent, et ad templi servitia et munera et sacrificia offerenda eos invitarent. Quibus cum illi se id minime facere posse responderent, quoniam pauperes suos parentes de suis facultatibus eos sustentare oporteret, dicebant magis Deo obtemperandum esse quam hominibus. At illi e contra ; Cur igitur Deus parentes honorare præcepit ? quibus illi : Nemo melius parentes suos honorat, quam ille, qui pro se et pro illis munera Domino offert : qui igitur bene parentes suos cupit honorare, dicat patri et matri suæ : Munus quodcunque est ex me, non mihi tantum, sed et tibi proderit. Sicut pro me, ita et pro te munera offero : omnis mea oblatio, non mea tantum, sed et tua est. Hoc autem parentes cum audirent, magis volebant fame torqueri, quam talia munera impedire. Hoc igitur ingenio Scribæ et Pharisæi et parentes fame cruciabant, et filios suis facultatibus spoliabant. Et hoc est quod ait : *Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei.* Verbum enim Dei rescindunt, qui illud tam male interpretantur.

A Mala interpretatio, qua homo decipitur, misericordia tollitur, et avaritia nutritur. Nihil ultra parentibus faciunt : omnia eis offerunt quæ parentibus dare debuerant. Peccant equidem illi qui sic suos parentes honorant, sed plus peccant qui sic eos honorare docent (374). *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum* : isti enim sunt de quibus dicitur : « Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum (*Psal.* XXVII, 3). » *Sine causa autem Deum colunt*, quia nullam de servitio suo retributionem suscipient ; Deus enim non verba sed corda attendit. Redarguit autem eos, quia legis et prophetarum præcepta relinquentes, hominum doctrinas et mandata docebant : ea scilicet quæ seniorum traditiones vocabant. *Et convocatis ad se turbis dixit eis : Audite et intelligite : non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Vos, inquit, audite et intelligite quoniam isti audire quidem volunt, sed intelligere nolunt : excæcavit enim eos malitia eorum. *Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei : Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt ? At ille respondens ait : Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Omnis igitur plantatio philosophorum, omnis plantatio hæreticorum, omnis plantatio Scribarum et Pharisæorum, quæcunque contra Deum est, contra veritatem est, contra justitiam est, eradicabitur. Quæ enim plantatio contra hæc non est, etiamsi ab illis fiat, illorum tamen non est. Plantat autem Deus plantationem suam, non solum per bonos, **78** verum etiam per malos : unde etiam eorumdem Scribarum et Pharisæorum plantationem alibi Dominus commendat dicens : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi ; quæcunque dixerint vobis, facite (*Matth.* XXIII, 2). » Non tamen simpliciter quæcunque, sed illa tantum omnia quæ Moysi cathedræ doctrinæque conveniant : talis enim doctrina et plantatio et illorum est, quia per eos fit ; et illorum non est, quia eorum traditio non est : omnis enim doctrina si bona est, a quocunque fiat, Dei est. *Sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum : cæcus enim si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Hæc enim cæcitas non corporis sed cordis est : cæcus enim est, qui errorem sequitur, et veritatem non intelligit, quamvis lumen mentis, intellectus est. In foveam autem cadunt qui in infernum descendunt. *Respondens autem Petrus, dixit ei : Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit : Adhuc et vos sine intellectu estis ?* Eras

(374) Difficilium hunc locum judicio Origenis, et Euthymii, quemadmodum A. noster explicavit, explicant recentiores interpretes Jansenius Concord. cap. 60., Maldonatus, Cornelius a Lapide, etc., quasi filii a parentibus egentibus interpellati responderint ; donum quodcunque in cultum Dei contulero, etiam vobis proderit, quin illud eo animo conferam, ut eo non minus vos, quam me adjuvare, et Deum vobis propitium reddere velim : qua doctrina Scribæ et Pharisæi prætextu religionis suo quæstui studebant. V. Hier. et Bedam ad hunc locum, Victorem Antiochenum ad cap. VII Marci, Augustinum lib. I Quæst. Evang., cap. 16.

Digitized by Google

enim apostoli sine intellectu, dum ea in parabolis dicta esse putabant, quæ non in parabolis, sed plano sermone Dominus dixerat : unde et illi merito redarguuntur, qui ea quæ ad litteram intelligi debent, allegorice exponere conantur. Nonne *intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur?* Manifestum est enim quod cibus in ventre digeritur, ejusque pars ad corpus nutriendum per membra diffunditur (375) : alia vero pars quæ corpori necessaria non est, in secessum emittitur. Unde etiam vigilanter dictum est *omne* et non *totum :* si enim totum dixisset, non esset verum ; non enim totum quod in ventrem vadit, in secessum emittitur. Aliud est enim *totum*, et aliud *omne ;* si enim dicas : Omnis homo corporeus est, verum dicis ; si vero dicas : Totus homo corporeus est, verum non dicis, quoniam anima cum sit pars hominis incorporea est. Sic igitur omne quod in ventrem vadit in secessum emittitur, non totum tamen quod in ventrem vadit in secessum emittitur. Omnia enim quæ ad corpus nutriendum in ventrem vadunt, etiamsi minima sint, et digestionem et egestionem suscipiunt : *quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem.* Taceant igitur philosophi, qui mentem et rationem, memoriam et intellectum in cerebro esse confirmant. Qui enim fecit hominem, ipse scit quid in unaquaque hominis parte posuerit : ipse enim scrutatur renes et corda. Sed dicunt : Si hæc in corde et non in capite sunt, quare capitis ægritudine amittuntur, et ejusdem bona valetudine recuperantur ? Cur insanis et phreneticis ut ad mentem redeant, capiti et non cordi medicamen apponitur? eis enim qui talia patiuntur, pene omnis cura non cordi sed capiti adhibetur. Sciant autem isti, mentem et rationem, memoriam et intellectum principaliter et proprie in corde sedem habere (376), quæ sicut capitis infirmitate aliquando impediuntur, ita et ejusdem sanitate convalescunt. Scimus enim visum in oculo esse, cui si manum opponas, mox visus tollitur, si manum tollas, visus recipitur ; sed nunquid idcirco non in oculos, sed in manu visum esse dicis, quia ejus impedimento visus tollitur? Sic igitur ratio, quamvis capitis impedimento tollatur, non in capite tamen, sed in corde esse credatur. Calor enim naturalis, qui pulsuum vehiculo per totum corpus ex corde diffunditur, in infirmo capite, aliqua re nobis incognita, aliquando corrumpitur, cujus corruptione postquam cor tangitur, et mens et ratio in eo obscuratur. Unde fit ut, sanato capite, corruptio tollatur, et mens et ratio revertatur. Sequitur : *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ : hæc sunt quæ coinquinant hominem.* De corde enim exeunt, quia in corde generantur, ibique sedem habent : sive enim hominis adinventione, sive diabolica persuasione ibi fiant, de corde tamen ea exire non dubium est. Hæc autem coinquinant hominem ; hæc hominem a Deo separant, et abominabilem faciunt. « Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem : » Manducare autem non lotis manibus, rusticitas est, non peccatum.

LXIV. (377) *Et egressus inde Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis : et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit dicens : Miserere mei, Domine fili David ; filia mea male a dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes : Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Hæc est igitur causa, cur clamantem mulierem 79 Deus non exaudit : hæc est causa, cur misericordia non miseretur : hæc est causa, cur ille qui in principio erat Verbum, quamvis multa verba mulier multiplicet, non tamen respondit ei verbum. *Non sum*, inquit, *missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Quid est igitur quod Propheta ait : « Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt? (*Rom.* xv, 12.) Si non es missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, quid est quod tibi a Patre dicitur : « Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ? » (*Ps.* II, 8.) Itemque, si non es missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, quid est quod in Isaia tibi Pater loquitur dicens : « Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et ad feces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ? » (*Is.* XLIX, 6.) Hoc enim testimonio magis ad gentes quam ad Israel missus esse videris. Parum enim videtur Patri, et merito quidem parum, ut qui ei æqualis es, pro tam vili pretio ejus servus sis, homo fias, servilem formam suscipias, si tantum tribus Jacob, et feces Israel convertere et vocare venisti. Pater dicit : *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ ;* et tu dicis, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel?* Contraria hæc esse videntur : contraria tamen non sunt. Missus est enim Dominus ad oves quæ perierunt domus Israel, ut eas vocaret, eas sanaret, eas prædicaret, et ad fidem eas converteret ; et hoc per se. Missus

(375) Hier. : « Ex hac sententiola quidam calumniantur, quod Dominus physicæ disputationis ignarus putet omnes cibos in ventrem ire et in secessum digeri, cum statim infusæ escæ per artus et venas, ac medullas, nervosque fundantur ; » cui calumniæ respondet ibidem Hieron.

(376) Idem Hieron. ad h. l. : « Ergo animæ principale non secundum Platonem in cerebro, sed juxta Christum in corde est, et arguendi ex hac sententia sunt qui cogitationes a diabolo immitti putant. » Idem ferme habet epistola 64 ad Fabiolam, et lib. I Contra Jovinianum. Origenes quoque hom. 9, in Exodum, et Tertullianus lib. De resurrectione carnis cap. 15, multis id Scripturæ testimoniis contendit. Philo quoque in opusculo De deteriori potiori insidiante, Nyssenus or. I De resur., Theodoretus serm. 3 De providentia. Lactant. vero lib. I de Opif. rem in ancipiti relinquit, utrum in cerebro an in corde sit.

(377) Brunoni suo auctori hæc. homil. Fer. V, post I Dom. Quadrag. assignatæ inscribatur.

Digitized by Google

est etiam ad gentes vocandas, sanandas, prædicandas, et ad fidem convertendas; sed hoc per discipulos suos, et non per se. Missus est denique prius prædicare ad Judæos (378), deinde Gentiles : unde et eisdem Judæis Apostolus ait : (379) « Vobis primum oportuerat prædicari verbum Dei : quia repulistis illud, et indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). » Sic igitur et missus, et non missus est Dominus. Audivimus autem quid mulier Chananæa dixerit : audivimus quid discipulis suis pro ea interpellantibus in itinere Christus responderit : nunc autem videamus quid etiam domum veniens egerit. Marcus enim evangelista, qui omnia hæc, quæ in itinere dicta sunt, prætermittit, cætera quæ sequuntur, non in via, sed in domo facta fuisse describit : ait enim : (380) *Et inde surgens abiit in fines Tyri et Sidonis : et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere. Mulier autem statim, ut audivit de eo, cujus habebat filia spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes ejus : erat enim mulier gentilis Syrophœnissa genere.* Quia enim non erat missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, ideo clamanti mulieri nihil in via respondit. Insuper et domum ingressus, neminem scire voluit, et tamen latere non potuit. Sed quare neminem scire voluit? Quia omnes illi Gentiles erant : Gentilibus autem nondum revelari volebat. Quare ergo latere non potuit? inconveniens enim esse videtur, ut ille qui omnia potest, latere velit, et latere non possit. Non igitur sic est accipiendum, quasi latere voluisset, et latere non potuisset; simplici enim sermone hoc in loco utitur evangelista. Quid est enim, neminem voluit scire, nisi quia præcepit discipulis, ut eum ibi esse nemini dicerent? Neque enim hoc aliter discipuli intelligerent, nisi ipse eis, ne eum manifestarent præciperet. Sciri igitur voluit, et quia voluit, latere non potuit. Similiter autem de eodem ipso alibi quoque dicitur : quia ipse *se finxit longius ire* (*Luc.* XXIV, 28), cum utique ire longius noluisset. Latere igitur nolebat, domum tamen ingressus se latere velle ostendebat; quia nondum tempus advenerat quo gentili populo prædicandus erat. Mulier autem quæ post eum in via clamaverat, postquam eum inter discipulos non invenit, interrogans ubi esset, ut audivit de eo, statim domum intravit, et procidit ad pedes ejus. Sed quid dixit? *Domine, adjuva me. Qui respondens ait : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Misera misericordiam sequitur, repulsa non erubescit, domum ingreditur, importuna clamat, Salvatorem adorat, et jam tandem responsum audire meretur. Probat eam Dominus, an patientiam habeat, an humilitatem teneat, canem eam vocat, canem se illa esse fatetur. *Non est*, inquit, *bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* Dicit illa : *Etiam, Domine :* canis ego sum, de populo gentili, de genere Chananæo, non sum digna pane filiorum, non sum digna beneficio sanctorum. Sed quia canis sum, porrige mihi micas : *Nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Docet nos mulier ista qualiter orare debeamus. Evangelium non legerat, et sicut Evangelium præcipit, orat (381). Scriptum est enim (382) *Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Tunc respondens Jesus ait illi : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis.* Cum improbitate panem petisti, propter improbitatem tuam dabuntur tibi quotquot habes necessarios. Vade, quia sana est filia tua : *sanata est filia ejus ex illa hora.* Oremus igitur et nos Dominum ut sanet filias nostras; oremus ut sanet, et a peccatis liberet animas nostras. Illa enim anima vexatur a dæmonio, quæ peccare non cessat, et in crimine perseverat. Quæ si bene conversa fuerit, et de Christi misericordia non desperaverit, dicetur ei a plissimo Domino : *Fiat tibi sicut vis, et sanabitur ex illa hora;* quia peccator quacumque hora conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet et non morietur.

LXV. *Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ : et ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos, et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos, ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, et cæcos videntes; et magnificabant Deum Israel.* Merito enim Jesus in montem ascendit, tanta et talia miracula facturus, ut in monte ejus potestatis altitudo, et in miraculis ejus divinitatis virtus appareat.

LXVI. *Jesus autem convocatis discipulis suis dixit : Misereor turbæ, quia jam triduo perseverant mecum, et non habent quod manducent.* Tres enim dies, tres sæculi tempora sunt : ante legem scilicet, sub lege, et sub gratia (383). Tribus igitur diebus turbæ cum Domino perseverant, quia totis his tribus temporibus viri sancti, Spiritu Dei pleni, in Christum credunt, Christum exspectant, ejusque panibus et de-

(378) Hieron. « Non quod et ad gentes non missus sit, sed quod primum missus sit ad Israel, ut illis non recipientibus Evangelium, justa fieret ad gentes transmigratio. » Hilarius : « Non quod non et gentibus impertienda salus esset; sed suis Dominus atque in sua venerat : primitias ergo fidei ab his, quibus erat ortus, exspectans, cæteris deinceps apostolorum prædicatione salvandis. »

(379) Act. XIII, 46 : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, » etc.

(380) Marc. VII, 24 : « Vid. S. Aug. De cons. Evang., cap. 49.

(381) Hieron. : « Mira sub persona Chananitidis Ecclesiæ fides, patientia et humilitas prædicatur : fides, qua credidit sanari posse filiam; patientia, qua totics contempta in precibus perseverat; humilitas, qua se non canibus, sed catulis comparat. »

(382) Matth. VII, 7 : « Petite et dabitur vobis, » etc.

(383) « Turbam triduo illum sustinentem, id est in fide S. Trinitatis, sive ante legem, sub lege, sub gratia secum perseverantem Dominus non vult jejunam dimittere. » Beda ad h. l.

Digitized by Google

ctrina magno desiderio refici cupiunt : et non habebant quod manducarent, quia panis vivus qui de cœlo descendit, nondum eis appositus fuerat ; nondum Leo de tribu Juda librum aperuerat, neque septem ejus signacula solverat. Tertio igitur die, id est hoc tertio suæ Incarnationis tempore turbas reficit, neque ultérius eas fame perire patitur. Unde et dicit, *et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via*. Omnes enim in via sumus, omnes ad patriam tendimus. De hac via Psalmista ait : « Viam mandatorum tuorum cucurri (*Psal.* cxviii, 32); » itemque : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal.* v, 1). » In hac autem via deficiunt jejuni ; per hanc viam currere non possunt, qui Christi pane non sunt refecti : præsertim si de longe venerunt ; longe est enim a peccatoribus salus (*Psal.* cxviii) : sicut enim hæc via brevis et facilis est bonis, ita longa et difficilis est malis. *Et dicunt ei discipuli : Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?* Fortasse immemores erant Christi discipuli, quod Dominus ex quinque panibus quinque millia hominum jam superius satiaverat. *Et ait illis Jesus : Quot panes habetis? At illi dixerunt, Septem, et paucos pisciculos.* Septem enim panes, septem gratiæ sunt Spiritus sancti : pauci vero pisciculi pauci libri Novi Testamenti (384). Valde enim pauci sunt libri Novi Testamenti ad Veteris Testamenti comparationem : isti tamen pauci si illis septem panibus conjungantur, cunctis hominibus ad animarum refectionem sufficiunt : sine illis enim neque comedi possunt, neque saturitatem vel fortitudinem comedentibus tribuunt. Sunt enim septem illi panes, sapientia et intellectus, consilium et fortitudo, scientia et pietas et timor Domini. Sed quis sine sapientia sapiat? quis sine intelligentia intelligat? quis sine consilio providus? quis sine fortitudine fortis? quis denique sine scientia sciens, sine pietate pius, et sine Dei timore fidelis? Non igitur hi pisces sine illis panibus comedi possunt. Et merito pisces, libri isti dicuntur, quoniam in vivo fonte natant ; de quo scriptum est : « Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram (*Psal.* xxxv, 10). » Super terram enim discumbunt, quicunque terram et pulverem se esse cognoscunt. Unde et dicitur (385) : « Quid superbis, pulvis et cinis? » *Et accipiens Jesus septem panes et pisces, gratias agens, fregit et dedit discipulis suis.* Frangit autem Dominus, et panes et pisces, quoniam prout vult, et sancti Spiritus gratias unicuique tribuit, et profunda sanctarum Scripturarum mysteria pandit. Sed quibus dat, nisi discipulis suis? Quibus hæc prædicanda largitur, nisi episcopis et sacerdotibus? Isti enim sunt quos « constituit Dominus super familiam suam, ut dent illi cibum in tempore. » Isti cæteros pascunt : isti pane divini eloquii totam Ecclesiæ turbam reficiunt. *Et comederunt omnes et saturati sunt.* Comedamus igitur et nos, ut saturemur : legamus, ut intelligamus ; hunc enim cibum qui plus comedit, plus **81** comedere appetit. Hic cibus mentem exhilarat, et stomachum non gravat. Quanto plus comeditur, tanto amplius crescit. Unde et subditur, et *quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.* Plura sunt fragmenta quam panes ; quia plures sunt qui nunc fragmenta suscipiunt, quam illi qui tunc illos panes et pisces comederunt (386). Nonne vides, quanta librorum volumina ex his quatuor Evangeliis multiplicata sunt? Sed quid per septem sportas, nisi septem Ecclesiæ significantur, per quas omnes aliæ Ecclesiæ intelliguntur? Unde et Joannes evangelista *septem Ecclesiis* scribit. Unde et Isaias ait : « Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedemus (*Is.* iv, 1) ; » panem nobis modo datum, panem quo repletæ et refectæ sumus ; et quasi dicerent : Nos enim sumus illæ septem sportæ, quas plenas fragmentis olim in deserto apostoli sustulerunt ; quia igitur panem habemus, panem nostrum comedemus. *Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres.* Quare autem parvuli et mulieres non numerantur, nisi quia in Dei populo computari digni non sunt, qui vel parvulos in stultitia et fatuitate, vel mulieres in mollitie et debilitate imitantur. Unde Apostolus : « Nolite, inquit, parvuli effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* xiv, 20). »

LXVII. (387) *Et dimissa turba ascendit in naviculam, et venit in fines Magedda.* Marcus enim dicit : quia « ascendens navem cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha (*Marc.* viii, 10). » Unde vel proxima sibi loca, vel binomium ejusdem loci (388), vel alterum nomen generale provinciæ ; et alterum proprium ipsius loci intelligere oportet (389). [Cap. XVI.] *Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi tentantes, et rogaverunt eum, ut signum de cœlis ostenderet eis.* Quid est enim quod isti signum de cœlis videre volunt? An fortasse non credunt Salvatorem nostrum in cœlis habere potestatem, qui tot et talia signa in terris operatur? hoc enim in terris agere non posset, si in cœlis potestatem non habuisset. *At ille respondens ait eis : Facto vespere di-*

(384) S. Hilar. : « Panes igitur septem offeruntur : nulla enim ex lege, et prophetis gentibus salus sumitur, sed per gratiam spiritus vivunt, cujus septiforme, ut per gratiam traditur, munus est. » S. Ambrosius, lib. VI in Lucam ; « Plerique septiformis spiritus gratiam in panibus definitam, in piscibus quoque duplicis Testamenti figuram intelligendam putarunt. »

(385) Eccl. x, 9 : « Quid superbit terra et cinis? »

(386) S. Hilar. : « Ad formam enim futuri in tot partium millia plebs dinumerata sanatur, quotidem de partibus, ad cœlestis cibi donum concursura essent millia creditorum. »

(387) Magedan. Vulg.

(388) Ita Beda, et Euthymius.

(389) V. Jansenium, cap. 64, Maldonatum, Cornelium a Lapide qui auctori nostro ferme consentiunt. Vid. etiam Calmet ad h. l. et Bonfrerium in onomastico.

Digitized by Google

citis : Serenum erit, rubicundum est enim cœlum; et mane : Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire? Ac si dicat : In aliis oculos apertos habetis, in me autem cæci estis. Quid est enim signa temporum, nisi signa quæ in temporibus fiunt? Videtis vestris temporibus signa fieri, quæ nullis aliis temporibus facta sunt, et adhuc tamen signa quæritis; et videntes non videtis? De hoc autem Lucas sic ait : « Dum videritis nubem orientem ab occasu statim dicitis, Nimbus venit, et ita fiet; et cum austrum flantem, dicitis quia æstus erit, et fit. Hypocritæ, faciem cœli et terræ nostis probare (*Luc.* XII, 54); » hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est? Si enim judicarent quod justum est, dicerent utique hunc esse Dei Filium, in cujus tempore fieri cuncta videbant, quæ de Christo prophetæ prædixerant. Non mirum, si evangelistæ idem non dicunt, quia non omnes omnia scribunt. Scribit enim Lucas quod prætermittit Matthæus; scribit et Matthæus quod Lucas prætermittit : sic et in aliis. Nemo tamen dubitet Christum Dominum nostrum omnia dixisse, quæ vel omnes vel singuli narrant. Sequitur : *Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei nisi signum Jonæ.* De signo namque Jonæ satis superius dictum est. *Et relictis illis abiit. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis : Intuemini et cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum. At illi cogitabant inter se dicentes : quia panes non accepimus.* Dixit eis : *quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis: Neque septem panes in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis? cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum.* Sic enim redarguisse, docere fuit; unde et subditur : *Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum et Sadducæorum;* fermentum enim doctrina vocatur, quia sicut *modicum fermentum totam massam corrumpit*, ita modicum hæreticæ doctrinæ totam fidem commaculat (390).

LXVIII. *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens : Quem dicunt homines* 82 *esse filium hominis?* Interrogat Dominus discipulos suos, quam opinionem de eo homines habeant, et quem eum esse putent; non quod diversas vulgi sententias ignoret, sed ut eos veritatem instruat, et doceat. *At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam; alii autem Eliam; alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.* Jam enim Joannes defunctus erat, qui cum adhuc viveret, omnes æstimabant, ne forte ipse esset Christus. Herodes quoque audiens famam Jesu dixit pueris suis : « Hic est Joannes Baptista, et ipse surrexit a mortuis (*Matth.* XIV, 2). » Stultissimus populus qui nunc Joannem, Christum; nunc Christum, Joannem esse putabat. Stultissimus, inquam, qui dum videt prophetas, eos persequitur et vituperat; post mortem vero eos veneratur et monumenta eis ædificat; neque tales alterius nasci posse arbitrantur, quales illi fuerant, quos ipsi occiderant. Unde videntes Joannem, non Joannem sed Christum vel Eliam vel aliquem alium præcedentium prophetarum eum esse putabant. Similiter autem et Christum videntes, Christum non esse credebant. Sciebant enim eum esse venturum, sed quia eum videbant, credere non poterant. Quid enim, si Eliam vel Jeremiam isti vidissent? non utique eis credidissent; viderunt enim eos patres eorum; eis tamen credere noluerunt. *Dicit illis Jesus : Vos autem quem me esse dicitis?* Hæc est, inquit, sententia populi : sic de me loquuntur qui me non cognoscunt, non me dicunt esse, quod sum; dicunt me esse quod non sum : prius Joannem Christum esse dicunt : jam neque me, neque Joannem putant esse Christum : *Vos autem quem me esse dicitis!* Numquid et vos eamdem opinionem habetis? *Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi.* Decuerat enim hoc Petrum respondisse; quatenus ipse esset princeps apostolorum (391). Sed videamus quid responderit Petrus. Dicit enim Christus : *Quem dicunt homines esse filium hominis;* dicit Petrus : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Ille de homine interrogat; iste Dei Filium hominis filium esse dicit. Ille igitur qui est Filius Dei vivi, idem ipse est et filius hominis. Unde et beata Virgo Maria *Theotocos* vocatur, id est Deum et hominem pariens (392) : « quod quia Nestorius confiteri noluit, ab Ecclesia expulsus et damnatus est. Respondens autem Jesus dixit ei : *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Beatus, inquit, es Simon Barjona : Simon filius columbæ; Barjona enim *filius columbæ* interpretatur (393). Sed quare columbæ filius Petrus dicitur? Quæ est ista columba? Legimus enim, in spe-

(390) Hier. : « Hoc est fermentum, de quo et Apostolus loquitur « Modicum fermentum totam massam « corrumpit. » Istiusmodi fermentum, quod omni ratione vitandum est, habuit Marcion, et Valentinus, et omnes hæretici. Fermentum hanc vim habet, ut si farinæ mistum fuerit, quod parvum videbatur crescat in majus, et ad saporem suum universam conspersionem trahat; ita et doctrina hæretica, si vel modicam scintillam in tuum pectus jecerit, in brevi ingens flamma succrescit, et totam hominis possessionem ad se trahit. »

(391) S. Aug. Serm. XIII De verb. 9, etc. « Ipse enim Petrus in apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpe unus respondit pro omnibus. » Id. serm XXXII De Verbis apostol.

(392) Deiparam Latini interpretantur. Synodicos adversus tragœdiam Irenæi cap. 15 apud Baluzium, Collect. nov., etc. « Dei partricem; » A. Græcis, at Ephremio ap. Photium Cod. 228. dicitur aliis verbis μήτηρ Θεοῦ. Vid. Allat. De liturg. S. Jacob. Sviceram, De Cangium, etc.

(393) S. Hieron. : « Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu sancto habeat, cujus et filius appellandus sit. Siquidem Barjo-

Digitized by Google

c'e colombæ Spiritum S. super Christum Dominum apparuisse. Hujus igitur columbæ filius est, qui tam sanum tamque spiritualem sensum habet. Ut enim Dominus ait : *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est* (*Joan.* III, 6). Unde et subditur; *Quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Non est hæc scientia carnalis, non est hæc fides carnis et sanguinis; non parentes tui vel caro tua ista te docuerunt, sed Pater meus qui est in cœlis (391). Sic enim et Apostolus dicit (*ad Gal.* I, 16) : quia non acquievit carni et sanguini, sed venit Jerosolymam videre Petrum. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tu dicis, et verum dicis, quia ego sum Christus Filius Dei vivi : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, fide fortis, et doctrina stabilis. Nisi enim in hoc nomine fortitudinem et stabilitatem Christus intellexisset, non ea quæ sequuntur protinus addidisset, dicens; *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si Petrum non intelligis, petram respice · *petra autem erat Christus.* Sic igitur a petra Petrus, sicut a Christo Christianus (393). Videamus itaque quid sit *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Super hanc petram, quam tu modo in fidei fundamentum posuisti; super hanc fidem, quam tu modo docuisti, dicens : *Tu es Christus, Filius Dei vivi;* super hanc petram et super hanc fidem ædificabo Ecclesiam meam. Huic enim sententiæ Apostolus concordans, ait : « Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » Ac si dicat : Non est aliud fundamentum, nisi illa petra quam Petrus posuit in fundamentum, cum diceret : *Tu es Christus, Filius Dei vivi :* super hanc autem petram ædificatur tota Ecclesia Dei (396). *Et portæ inferi non præ-*
83 *valebunt adversus eam.* « Qui enim ceciderit super hunc lapidem confringetur; super quem vero ceciderit lapis iste, conteret eum. » Tanto enim impetu, tantaque fortitudine hæc petra fertur, ut muros conterat, portas comminuat, et nulla virtus vel fortitudo ei resistere valeat. Sed si vis et aliter intelligere *portas inferi*, cognosce prius portas cœli. Portæ namque cœli apostoli sunt, episcopi et sacerdotes, et alii quorum doctrina et exemplis cœli palatium fidelium animæ ingrediuntur. Sunt igitur e contra portæ inferi, Judæi, et hæretici, omnesque seductores, et fidei catholicæ corruptores : per hos enim infidelium animæ in infernum intrant, et in tenebras demerguntur. Et isti quidem contra hanc petram, et adversus Ecclesiam, quæ super eam ædificata est, prævalere non poterunt. *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Hoc enim quod principaliter Petro dicitur, cæteris quoque apostolis dictum esse intelligi debet : et non tantum apostolis, verum etiam episcopis et sacerdotibus. Istis enim et claves et potestas a Domino data est, ut non solum Ecclesiam, sed et cœlos aliis aperiant. *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Hoc episcopi audiant, de munere gaudeant, de potestate non superbiant. Si enim sic ligaverint ut Petrus, quidquid ligaverint ligatum erit; et quidquid solverint solutum erit. Imitentur igitur illam in discretione et justitia, quem imitari volunt in ligandi atque solvendi potestate. Si enim aliter egerint non erit ratum quod egerint (397) Ideo enim hæc soli Petro dicta sunt, quia nemo fidelior, nemo justior, nemo discretior, et nemo melior erat, cui hæc verba dici potuissent. Ideo illi soli dicta sunt, ut omnes alii se in illo quasi in speculo videant, sic vivendo, sic agendo, sic ligando, sic solvendo, et a pace et concordia non recedendo. Verumtamen, sicut prælati si injuste ligant, ligandi potestate se ipsos privant, ita et subjecti etiam, si iniuste ligati sint, si tamen se ligatos esse parvi-

na in nostra lingua sonat filius columbæ. »

(394) S. Leo, serm. 4, ex recen. Baller. cap. 2. « Ideo beatus es quia te Pater meus docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit, et non caro nec sanguis, sed ille me tibi, cujus sum unigenitus filius, indicavit. »

(395) S. Aug. serm. 270, n. 2. « Petrus unus pro cæteris, unus pro omnibus: Tu es, etc., merito tale responsum accipere meruit. Beatus, etc., quia ego petra, tu Petrus; neque enim a Petro petra, sed a Christo Christianus. » Idem ferme serm. 76, n. 1.

(396) Hanc evangelicæ sententiæ interpretationem communem habet A. Noster cum PP. aliis, quos recenset eminentissimus Orsi De irr. R. P. jud. t. II, p. 310, et quid de ea decernendum sit fuse explicat. De eadem sententia ex TT. Gallis Carolus du Plessis d'Argentre Elem. Th. pag. 260, scribit : « Manifestum est hæc verba « Tu es Petrus, etc. » a Christo dicta fuisse de persona Petri, quem præcipuum Ecclesiæ suæ fundamentum et unitatis Ecclesiæ quasi centrum esse volebat : ut ex perpetua Ecclesiæ traditione constat, sexcentisque veterum testimoniis, qui disertis verbis asseruerunt, Petrum, ipsiusque successores in Romana sede hanc esse Petram firmissimam, super quam Christus Ecclesiam suam fundavit. Porro cum eadem Scripturæ loca variis sensus sæpissime pati possint, ne mireris, si quidam ex sanctis Patribus interdum alio sensu, qui magis ad scopum suum faciebat, illum locum a nobis adductum intellexerint. Sic S. Hilarius cum aliis quibusdam quandoque asserit, hanc petram, super quam Christus Ecclesiam fundavit, esse confessionem divinitatis Christi a Petro factam. Sed hæc interpretatio non excludit, imo confirmat priorem sensum jam allatum : nam confessio a Petro facta, ipsemet Petrus est, quatenus illam confessionem edidit. Ab ista expositione non multum abludunt ii, qui petram interpretantur *Christum*, quem Petrus erat confessus. Non enim intelligunt Christum simpliciter in se spectatum, esse illam petram, de qua in celeberrimo loco, « Tu es Petrus, et super hanc petram, etc. » Christus loquitur; sed esse Christum, quatenus eum confessus est Petrus, seu ipsum esse Petrum, quatenus confessus est Christi divinitatem. S. Augustinus, qui hac interpretatione sæpius usus est contra Donatistas, quia scilicet ad propositum suum magis faciebat, alteram quoque approbat in libro Retractationum cap. 11.

(397) V. Hier. ad hunc locum.

Digitized by Google

pendant, ipsa sua superbia se ipsos arctius ligant. Desiderent igitur solvi etiam illi qui sic ligantur, spondeant satisfactionem, quam si prælatus recipere noluerit, tunc sciant se esse solutos. *Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Christus.* Vult enim Dominus ut suo tempore omnia dicantur et fiant : nondum enim tempus advenerat, quo discipulorum præconio manifestandus erat (398). *Exinde cœpit Jesus dicere discipulis suis, quia oportet eum ire Jerosolymam; et multa pati a senioribus et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi et tertia die resurgere.* Quod enim Dominus discipulis futura prædicit, et se sponte pati ostendit, et eorum fidem confirmat : secundum quod ipse alibi ait : « Et nunc dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis (*Joan.* XIV, 29). » *Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens; absit a te, Domine; non erit tibi hoc. Qui conversus dixit Petro : Vade post me, Satanas, scandalum es mihi; quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Vade, inquit, post me; sequere et imitare me; ut sicut ego morior pro te, ita et tu moriaris propter me (399). Noli mihi esse contrarius, noli meæ voluntati resistere, noli divinis consiliis obviare. Sic enim oportet fieri, quia sic est ante tempora prædestinatum, et a prophetis prænuntiatum. Hoc est enim quod alibi ait : « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ : nonne sic oportuit pati Christum et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam (*Matth.* XXIV, 25). » Sapiebat igitur Petrus quæ hominum sunt, quia humanum consilium dabat, sed non sapiebat quæ Dei sunt, quia hæc secreta divini consilii quibus homo redimeretur, ignorabat.

LXIX. *Tunc Jesus dixit discipulis suis. Si quis vult post me venire, abneget* **84** *semetipsum.* Debet enim unusquisque homo negare seipsum, non quod homo sit, non quod fidelis et Christianus sit : sed si idololatra fuit, si infidelis, si adulter et fornicator, si cupidus et avarus, talem se esse neget, talem se non esse ostendat. Ostendat autem non voce, sed operatione : dicat cum Apostolo : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Galat.* II, 20). » Vivebat enim Apostolus, sed non ipse, vivebat non Saulus, sed Paulus : negaverat igitur se ipsum, multum jam differens a seipso. Sequitur : *Et tollat crucem suam et sequatur me.* Crucem enim suam tollit, qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucial, et affligit. Sed quia non sufficit crucem tollere, ideo mox subdidit dicens, *et sequatur me* (400). Qui enim Deum non sequitur, ei quidem neque crucem tollere, neque carnem affligere prodest. Unde Apostolus : « Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest (*Cor.* XIII, 3). » Et Dominus de his qui omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, quamvis multum jejunent et carnem crucient et affligant, dicit tamen quia *receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2). Non prodest igitur Judæo, non prodest hypocritæ et hæretico crucem portare. Quare? quia non sequuntur Christum. Christum enim sequitur qui eum imitatur. Vis sequi Christum? Esto humilis, patiens et misericors; esto sine odio et simulatione; sis Deo obediens et proximum diligens. Hac enim via Christus incedit. per hanc igitur ambula, si vis eum sequi. Nisi enim per hanc ambulaveris, cum non sequeris, etiamsi sequi videaris. Multi enim diabolum sequuntur, qui Christum sequi videntur. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Quis igitur salvabit animam suam, si ille eam perdit, qui eam salvare contendit? Quæ est ista anima quam perdere dolemus? Ista enim anima, hæc vita præsens est : qui igitur alterius vitæ oblitus, hanc solam præsentem vitam diligit; et hanc quidem perdet, et aliam non habebit. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Beati itaque martyres qui hanc vitam perdiderunt, et animas suas usque ad mortem non dilexerunt, isti enim invenient vitam, non quamcunque sed æternam vitam. *Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Quid enim prodest Romanorum principibus mundum ad tempus possedisse, et pro animarum salute nihil egisse, cum illorum cadavera in pulverem revertantur, et animæ in inferno torqueantur? Si enim diceretur tibi : Sis toto hoc mense dives et potens, facias quidquid velis, utere carnis voluptatibus sicut placet, ea tamen conditione, ut tibi oculi eruantur, omne solatium tollatur, et toto tempore vitæ tuæ in fame et siti, in omni cruciatu et omni miseria vivas : nunquid illud tale bonum hoc tenore susciperes? Et quidem tota hæc vita præsens, nec mensis est, nec unius diei, vel horæ spatium, ad illius æternæ infelicitatis comparationem : cui miseriæ neque finis est, neque pœna similis invenitur (401). *Aut quam dabit homo*

(398) Hieron. « Potest autem fieri, ut idcirco ante passionem, et resurrectionem se noluerit prædicari, ut completo postea sanguinis sacramento opportunius Apostolis diceret : « Euntes docete omnes gentes. »

(399) Est hæc interpretatio S. Hilarii capite 16, n. 10. Petro ait : « Vade retro post me, id est ut exemplo se passionis sequatur. » Editor Maurinus adnotat, ita eadem verba explicasse Origenem, in editione Huetii, pag. 285. Ambrosium lib. 1 de Abraham, num. 55, et Eusebium lib. 1 contra Marcellum, c. 2.

(400) Chrysost., homil. 56. Tria distinguit abnegare seipsum, tollere crucem suam, et Christum sequi. « Posset enim, inquit, aliquis talia pati, Christum tamen non sequi, si nihil videlicet propter ipsum pateretur. »

(401) Hilar. « Quid enim prodest occupasse mundum et toto terrenæ potestatis dominatu opibus sæculi incubare, si perdenda anima, et suscipiendum vitæ detrimentum est?.... quid afferemus ad vitam? præparatos, credo, terrenarum opum futuris commerciis thesauros, ambitiosos dignitatum famæque titulos, aut veteres delicatæ nobilitatis imagines? neganda sunt hæc omnia, ut melioribus abundemus, et contemptu universorum, Christus sequendus est, et æternitas, spiritalium terrenorum damno, est comparanda. »

Digitized by Google

commutationem pro anima sua? Nulla enim commutatio est, nullum pretium est, quo salvari anima possit, nisi fides et pœnitentia : si enim sine his de hac vita exierit, jam nullo pretio ulterius redimi potest. Unde Psalmista ait : « Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Frater non redimet, redimet homo : non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ (*Psal.* XLVIII, 7). » Ideoque laborabit in æternum, et vivet in tormentis usque in finem. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique* (402) *secundum opus ejus.* Venit enim prius humilis, ut judicaretur filius hominis; veniet autem iterum sublimis et excelsus in gloria et honore et majestate paterna, ut judicet mundum, et reddat unicuique secundum opera sua. *Deus* enim *manifestus veniet, Deus noster, et non silebit* (*Psal.* XLIX, 3). Et quasi aliquis diceret : Utinam illam gloriam aliquando videamus, subdidit dicens : *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Si enim de illo regno et de illa gloria hoc intelligamus, in qua modo cum angelis suis se judicaturum venire promisit, stare non potest : nemo enim ibi erat, ubi Dominus ista dicebat, qui mortem jam non gustaverit; ipse tamen ad judicium nondum venit. Qualiter autem hæc intelligi debeant sequentia manifestant.

LXX. [CAP. XVII.] (403) *Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.* Isti igitur sunt de quibus modo dixerat : « Qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo (*Matth.* XVI, 28); » id est apparentem in virtute et gloria regni sui. Transfiguratus enim Dominus, talis tunc in monte tribus istis suis discipulis apparuit, qualis post hanc vitam (404) in regno suo cunctis suis fidelibus apparebit. Sed quare Salvator noster in illam suæ claritatis speciem transfigurare se voluit, nisi ut illius gloriæ quam prædicabat nos redderet certiores? Unde et tres suos discipulos, qui Ecclesiæ columnæ alibi vocantur (*Galat.* II, 9), adesse voluit, qui hujus tantæ visionis testes existerent. Sufficiunt enim isti tres ad hoc testificandum, quia sicut scriptum est, « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum (*Matth.* XVIII, 16). » Quis enim non credat quod Petrus, Jacobus, et Joannes testantur? Recte autem in excelso monte ista fiebant, quæ postmodum in cœlis fieri debebant. Fiunt vero post dies sex, quia ut Apostolus ait : A hujus vitæ labore finito qui in sex diebus agitur, relinquitur « sabbatismus, et requies populo Dei (*Hebr.* IV, 9). » Multum igitur desiderare debemus, ut hi sex dies transeant, quatenus regem nostrum in suo decore suæque majestatis gloria videamus. « Scimus enim, ait Joannes, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » *Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Nihil evangelista sole splendidius, nihil nive candidius invenire poterat, cui Christi faciem et vestimenta assimilaret (405). Nos tamen sole splendidiorem eum esse non dubitamus : non enim creatura Creatori ad plenum similis potest esse. *Et ecce apparuit illis Moyses et Elias cum eo loquentes.* Sed quare B Moyses et Elias? In Moyse namque legem, in Elia prophetas videmus (406) : vident igitur apostoli Moysen et Eliam cum Christo loquentes, vident legem et prophetas ei testimonium dantes. Unde et Habacuc propheta : « In medio duorum animalium cognosceris (407). » Usque hodie namque in medio duorum animalium, in medio Moysis et Eliæ, id est in lege et prophetis Christus cognoscitur et videtur. Lege libros Moysis, lege prophetarum libros, ibi Christum invenies, ibi eum cognosces, et videbis : ibi enim transfiguratur, ibi suis fidelibus ejus majestatis gloria revelatur. Loquebantur autem isti duo viri, ut Lucas ait (*cap.* IX, 31), simul cum Jesu de morte ejus, quam in proximo passurus erat in C Jerusalem : et fortasse læti, quia videbant suæ redemptionis totiusque humani generis diem appropinquare. *Respondens autem Petrus dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Cognovit igitur Petrus et Moysen et Eliam, quos nunquam amplius viderat, quamvis ut alii evangelistæ dicunt, quid diceret, ignoraret. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos; et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* In nube enim Deus apparuit, quia in sua majestate ab hominibus videri non potest; sicut ipse ait : « Non me videbit homo et vivet (*Exod.* XXIII, 20). » Possumus autem per hanc nubem divinam Scripturam D significare, quæ aqua sapientiæ plena, intelligentibus lucida, non intelligentibus obscura apparet. In hac autem nube omnipotens Deus audiri quidem potest, videri autem et intelligi sicuti est, omnino non potest. Ubique enim cum loquentem audimus, nusquam autem, nisi per speculum et in ænigmate, eum videmus : ipse enim in prophetis, ipse in apostolis loquitur. Unde ipse Dominus ait : « Non enim

85

(402) Secundum opera ejus.

(403) Est homilia supposiiti Emiseni Sabb. post 1, Domin. Quadrag., pag. 62.

(404) Beda : « Qualis apostolis tunc apparuit, talis post judicium omnibus electis apparebit. »

(405) Beda: « Nam qui nihil sole clarius novimus videre, ideo non solum Domini, sed et sanctorum gloria in resurrectione, solis aspectui comparatur. »

(406) Hieron. « Lex ostenditur et prophetæ, qui et passionem Domini, et resurrectionem crebris vocibus nuntiarunt. »

(407) Cap. III, 2, ex vers. LXX, quam memorat quoque Hieron. ad Habac. et adhibet Ecclesia in tractu ad 1. Propb. fer. 6 Parasc. « In medio duorum animalium innotesceris. »

Digitized by Google

vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* x, 20). » Nubem igitur videre possumus, ipsum autem qui in nube loquitur, videre non possumus. Nam et modo in hac nube sacri Evangelii (408) eum loquentem audimus, eum tamen non videmus : cujus enim nisi illius vox est hoc quod istæ litteræ sonant : *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui?* Bene enim in Filio suo sibi complacuit, qui in hominis creatione sibi displicuit. Unde ipse ait : « Pœnitet me fecisse hominem (*Gen.* IV, 7). » Hunc autem audire, huic et credere et obedire nos admonet. Cui enim nisi sapientiæ, justitiæ, et veritati credere debemus? Ipse enim est Dei virtus, et Dei sapientia : ipse est via, veritas, et vita. *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.* Quid enim, si speciem ejus vidissent, qui ejus vocem ferre non potuerunt? *Et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis : Surgite, nolite timere.* Beati illi quos tangit Jesus : beati illi quos salus tangit et vita. Illi enim surgunt, illi sine timore et securi fiunt (409). Rogemus igitur eum, ut et nos tangat, et a sommo stuporis et 86 insipientiæ excitet, atque ad se videndum oculos nobis aperiat. *Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.* Sufficit enim videre Jesum : sufficit videre illam lucem, quam qui sequitur non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Et descendentibus illis de monte præcepit Jesus dicens : Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.* Conveniens enim erat, ut hæc tanta ejus gloria tunc primum prædicaretur, quando carnis mortalitate exutus, novæ resurrectionis gloria et decore indueretur.

LXXI. (410) *Et interrogaverunt eum discipuli dicentes : Quid ergo scribæ dicunt quod Eliam oportet primum venire?* Audientes enim discipuli de resurrectione filii hominis, ultimam et generalem resurrectionem intellexerunt; quam quidem propter hæc verba, jam proximam esse arbitrabantur : sed ad hæc scribarum dicta repugnabant, qui nisi prius veniret Elias, eam fieri non posse prædicabant. *At ille respondens ait eis : Elias quidem venturus est, et restituet omnia.* Verum est, inquit, quod scribæ dicunt, quia prius venturus est Elias, quam illa, de qua vos intelligitis, resurrectio fiat : et ipse cum venerit, restituet omnia; quoniam ad ejus prædicationem, Judæorum populus usque ad illud tempus in sua infidelitate persistens, ad Ecclesiam convertetur et fidei restituetur. Tunc enim et plenitudo gentium intrabit et Israel salvus fiet. *Dico autem vobis, quia Elias jam venit et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quæcunque voluerunt : sic et filius hominis passurus est ab eis.* Venturus, inquit, est Elias, et jam venit : et ille quidem qui jam venit, meam resurrectionem præcessit : ille vero qui venturus est, generalem omnium resurrectionem præcedet. His autem verbis *tunc intellexerunt discipuli quia de Joanne Baptista dixisset eis;* dictus est enim Joannes Elias, quia præivit ante Dominum in spiritu et virtute Eliæ.

LXXII. (411) *Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus ante eum provolutus dicens : Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est et male patitur.* Tales enim lunatici dicuntur, quia secundum lunæ innovationem magis vexantur (412). *Nam sæpe in ignem cadit et crebro in aquam; et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum. Respondens Jesus ait : O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum, usquequo patiar vos?* Tædet jam Dominum cum incredula Judæorum gente habitare. Unde et alibi ait : *Relinquetur vobis domus vestra deserta. Afferte huc illum ad me. Et increpavit illum Jesus, et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora.* (*Matth.* XXIII, 38). Quæret autem fortasse aliquis quid ista significent, quoniam Christi miracula sine aliqua significatione raro inveniuntur. Potest igitur homo iste Judæorum populus intelligi, cujus filius spiritus est, qui et anima vocatur : secundum hoc, quod de ipso Domino dicitur, quia *inclinato capite tradidit spiritum*, id est animam. Rogat igitur homo iste pro filio suo, rogat populus iste pro spiritu et anima sua. Quare? Quia lunaticus est : *Stultus* enim, ait quidam, *ut luna mutatur* (*Eccl.* XXVII, 12). Nisi enim Judæi lunatici essent, nequaquam eis Dominus dixisset : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44). » Vexati itaque a diabolo sæpe in ignem invidiæ et furoris, et sæpe in aquam pravæ doctrinæ et erroris mergebantur. Hæc autem generatio, qui vult intelligere, quam incredula semper et perversa fuerit, legat Moysi et prophetarum libros : et quoniam populum istum neque sacerdos neque levita sanare potuerunt, ideo hic

(408) Simili modo Gregorius lib. XVII Mor., cap. 14, « Nubium nomine prædicatores Evangelii venire docet. Nam ut auctores rudes non inundatione scientiæ, sed moderata prædicationis distillatione foveantur, ligat Deus aquas in nubibus, » etc.

(409) Hieron. « Quia illi jacebant et surgere non poterant, ipse clementer accedit et tangit eos, ut tactu timorem fuget, et debilitata membra solidentur. Quos manu sanaverat, sanat imperio : « Nolite timere; » primum timor expellitur, ut postea doctrina tribuatur. »

(410) Chrysost., homil. 58. « Non ergo a Scripturis id sciebant, sed quoniam scribæ illis declarabant, vulgo hæc opinio ferebatur... Divinæ namque Scripturæ duos adventus Christi testantur, quorum alter jam factus est, alter vero futurus est.... Sed scribæ ista confundentes et populum pervertentes, secundi adventus solummodo recordabantur, et dicebant ad plebem; si Christus hic esset, jam Elias venisset... Hac de causa Pharisæi miserunt ad Joannem ac interrogabant; Elias ne es tu? nullam prioris adventus mentionem facientes. Quam solutionem attulit Christus; quia scilicet Elias tunc veniet, scilicet ante secundum meum adventum; et nunc jam Elias venit, ipsum Joannem ita vocans, etc. » Vid. Origen. tract. 3 in Matth., Hier. hic et in epist. ad Algas et ad Malach. c. 3 et 4.

(411) « Genibus provolutus ante eum.... cadit in ignem. »

(412) V. Franciscum Valesium sacr. Philos. c. 71.

Digitized by Google

dicitur, *et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum.* Oportebat igitur ut eum sanaret Samaritanus. Interrogavit autem Dominus patrem pueri, ut Marcus ait, quantum temporis esset, ex quo illi hoc accidisset, et respondit, « ab infantia : » per quod populus iste semper a primæva ætate incredulus et infidelis fuisse intelligitur. Unde Moyses eidem populo ait : « Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum, quanto magis cum mortuus fuero? (*Deut.* xxxi, 27). » *Tunc accesserunt discipuli ad Jesum, et dixerunt ei : Quare nos non potuimus ejicere illum? Dicit illis : Propter incredulitatem vestram.* Nondum enim apostoli perfectam fidem habebant (413); ideoque alibi dicunt : « Domine, **87** (414) auge nobis fidem (*Luc.* xvii, 5); » temque : « Neque enim fratres ejus credebant in eum (*Joan.* vii, 5) : « Unde et « Stulti et tardi corde ad credendum (*Luc.* xxiv, 25) : » a Domino vocantur *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis.* Dixit enim superius de grano sinapis, « quia minimum est omnibus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus (*Matth.* xiii, 32). » Hoc autem granum non solum in arbore crescit, sed semen quoque plusquam centesimum et millesimum reddit. Qui igitur habuerit talem fidem, quæ ita crescat et multiplicet, semperque fortis et indeficiens perseveret, nihil ei impossibile erit. Unde Apostolus : « Sancti, inquit, per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissionem : obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello (*Hebr.* xi, 33). » Si autem velis cognoscere quid fides possit, lege et cætera quæ in eadem Epistola continentur. Sed quid est quod ait : *Dicetis monti huic, Transi hinc, et transibit?* Quid est monti huic, nisi illi iniquo, quem apostoli de supradicto homine nec ejicere nec movere potuerunt? Quamvis enim propter superbiæ altitudinem mons diabolus dici possit (415), hoc tamen in loco propter ponderis gravitatem qua hunc miserum hominem opprimebat, et a talibus tantisque viris moveri non poterat, satis congrue mons vocatur. *Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.* Quamvis, inquit, hic mons et hoc genus dæmonum per fidem moveatur et ejiciatur, ad hoc tamen agendum et orationes et jejunia necessaria sunt. Est igitur hoc magnum et singulare præsidium cunctis fidelibus, ut in magnis tentationibus ad orationem et jejunia confugiant; siquidem illa malignorum spirituum genera his vincuntur et ejiciuntur; quæ alio modo nec ab ipsis Christi discipulis moveri possunt. Hoc itaque valde notemus, hoc valde memoriæ commendemus, hujusque clausulæ semper in omnibus tentationibus memores simus. Hoc autem maxime illi audiant, qui in ignem et aquam a diabolo præcipitantur, id est (416) qui spiritu fornicationis, concupiscentiæ flamma et voluptate vexantur : luxuria enim et ignis et aqua est; ignis quidem quia accendit : unde per Osee dicitur. « Omnes adulterantes, quasi clibanus succensi sunt a coquente (*Ose.* vii, 4). » Aqua vero, quia totum hominem effeminat et in mollitiem revolvit.

LXXIII. *Conversantibus autem in Galilæa, dixit, illis Jesus : Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum, et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.* Hoc autem ut alii evangelistæ dicunt, discipuli non intelligebant, et quid significaret interrogare timebant : inde ergo contristati sunt vehementer, per quod datur intelligi, quia prius quidem non intellexerunt, sed postea intelligentes vehementer contristati sunt. *Et cum venissent Capharnaum accesserant qui didrachma accipiebant ad Petrum, et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma? Ait, etiam; et cum intrasset domum, prævenit eum Jesus dicens : Quid tibi videtur Simon, Reges terræ a quibus accipiunt tributum et censum, a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii.* Si, inquit, reges terræ non a filiis suis, sed ab alienis tributa accipiunt; manifestum est quod regum filii ab omni solutione tributi liberi sunt. Quod si filii regum tributa non solvunt, quanto magis ego tributa solvere non debeo, qui illius regis filius sum qui est Rex regum et Dominus dominantium (417)? *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te.* Ecce enim Salvator noster qui tributa solvere non debebat, tamen ne candalum fieret, tributa persolvit. « Væ igitur illi per quem scandalum venit (*Matth.* xviii, 7); » si tamen sine peccato scandalum evitare potest. Non enim peccat qui sua tribuit : peccat autem qui aliena rapuit. « Cui igitur tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui ti-

(413) Hilar., num. 6 : « Crediderant quidem apostoli; nondum tamen erant perfectæ fidei. Nam Domino in monte demorante, et ipsis cum turba residentibus, quidam tepor eorum fidem relaxaverat. »

(414) Vulg., *aa auge.*

(415) Hilar., « Diabolum montem cognominavit, quia in illo spiritales nequitiæ sunt, cœlestesque virtutes per eos ejiciendæ, et in abitudinem maris tanquam in profundum inferni abjiciendæ. »

(416) Beda ex Hieron. : « Lunaticus qui in cœpto non persistit, significat eos, qui nunc in ignem libidinis, nunc in aquam cupiditatis feruntur. »

(417) S. Hilar. : « Ut ostenderet se, dum se non esse subjectum, et ut in se paternæ dignitatis filium contestaretur, terreni privilegii posuit exemplum : censu aut tributis regum filios non teneri, potius quæ se Redemptorem animæ nostræ corporisque esse, quam in redemptionem sui aliquid postulare; quia regis filium extra communionem oportet esse reliquorum. Scandalum igitur præstat, ut solvat; cæterum debito legis est liber. »

Digitized by Google

morem, timorem; cui honorem, honorem (*Rom.* xiii, 7). » Apostoli verba sunt. Melius est enim viris catholicis et ecclesiasticis indebita dare, quam iniquorum contra Ecclesiam arma concitare, et impios et tyrannos scandalizare. Considerandum est autem quia Salvator noster, et secundum aliud, tributa ab aliis suscipit; et secundum aliud, ipse aliis tributa persolvit. Regis enim filius tributa recipit, hominis autem filius tributa persolvit. Cui enim nisi regis **88** filio pisces maris tributa persolvunt? Unus piscis vocatus est : statim cum tributo affuit. Si omnes vocarentur, simili modo omnes accurrerent (418), omnesque sua tributa persolverent : et quidem multo plures sunt pisces quam homines. Vide igitur si voluisset, quanta a tributariis suis tributa Dominus suscepisset.

LXXIV. [Cap. XVIII.] *In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum?* Accesserunt utique discipuli ad Jesum, non loquendo sed cogitando. Audiebat enim Dominus eorum cogitationes non minus quam locutiones; quoniam simili modo in ejus auribus utræque sonabant : unde et cogitationibus sæpe respondet. Hoc autem ideo præmisi, quia alii evangelistæ discipulos ad Jesum non accessisse, sed cogitasse, et inter se in via tractasse dicunt : quis eorum major esse videretur (419) : *Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit : Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Merito parvulum Dominus vocat, ut ejus exemplo instruantur qui majores videri volunt. Videtis, inquit, hunc parvulum? nisi ab hac stulta sublimitate, quæ vestros animos perturbat, ad hujus patientiam et humilitatem conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, sine invidia, sine odio, sine superbia, sine ambitione; non solum majores in regno cœlorum non eritis, verum etiam illuc non intrabitis. Ideo enim diabolus inde ejectus est, quia major ibi esse voluit. « Deponit enim Dominus potentes de sede et exaltat humiles (*Luc.* i, 52). » *Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Quicunque, inquit, ex vobis plus se humiliaverit, plus exaltabitur et major fiet : et si ad hujus parvuli similitudinem omnes vos humiliaveritis, omnes ibi inter omnes majores eritis (420). Non igitur ambitio, sed humilitas majores facit; ille major qui humilior. *Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit.* Talem videlicet non ætate, sed conversione, ut quod isti attulit ætas, hoc illi afferat sanctitas et humilitas. Sit igitur humilis et patiens, sit absque odio et invidia, sit sine dolo et simulatione, sit sine superbia et ambitione : sine his enim parvuli sunt, sine his et apostoli fuerunt : qualescunque enim prius fuerint, magistri tamen monita non surdis auribus suscipientes, tales postea facti sunt, quales eos fieri monuit. De his igitur parvulis Dominus dicit : *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* Quid est *in nomine meo* nisi propter nomen meum, quia Christianus est, quia meus discipulus est, quia meo nomine insignitus est (421) ? Qui autem hunc in Christi nomine suscipit, non solum suscipit istum, verum etiam Christum habitantem in isto. *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt; expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* Multis enim modis scandalizantur homines, multisque modis dicuntur scandala. Quocunque enim modo aliquem offendas, et ad iram et indignationem commoveas, scandalum est : tale autem scandalum non est ad mortem. In fide vero scandalizare aliquem, qualiter Judæi et hæretici sæpe Ecclesiam scandalizant, ad mortem est. De hoc autem Dominus ait : « Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me (*Luc.* vii, 25). » Melius est igitur homini ut moriatur, et non qualicunque morte, sed illa quæ magis tremenda esse videtur, videlicet ut cum magno lapide in profundum maris demergatur, quam simplicem (422) aliquem et pusillum in Christum credentem scandalizet, et a fide catholica deviare faciat. Melius est enim occidi quam occidere; qui enim occiditur non ideo beatitudine privatur. Legimus enim quosdam sanctorum martyrum, lapidibus collo ligatis, in profundum maris fuisse demersos : non ideo tamen eos credimus beatitudine esse privatos, qua privantur illi, qui aliquem scandalizant. Melius est igitur homini ut in corpore occidatur quam ut in fide aliquem scandalizet. *Væ mundo a scandalis.* Væ illis qui scandala concitant, et qui scandalizantibus credunt : Væ hæreticis et schismaticis, et his qui illorum sequuntur errores. *Necesse est enim ut veniant scandala,* Unde Apostolus ait « Oportet hæreses esse, ut hi qui probati sunt, manifesti fiant (*I Cor.* xi, 19). » Quod igitur hæreticis et schismaticis fuit væ, hoc viris catholicis necessarium et utile fuit. Per hoc enim Ecclesiæ fides magis claruit; et illi multo amplius nocuissent, si semper occulti latuissent. Necesse igitur fuit bonis, ut venirent scandala. Verumtamen *væ homini illi per quem scandalum venit.* Quamvis enim multa bona e hoc malo subsecuta sint, væ tamen illi per quem scandalum venit. Non enim ideo mala faciebat malus, ut

(418) Hilar. « Cum primum piscem admonetur inquirere, ascensuri ostenduntur, et plures. »

(419) Chrysost. alio modo solvit hom. 59 in Matth. « Si non interrogasse sed secum id cogitasse Marcus scribit, non sunt opposita; nec semel, sed bis ac tertio hæc eos cogitasse crediderim, et tum demum interrogasse. »

(420) Hilarius. « Revertendum igitur est ad simplicitatem infantium; quia in ea collocati, speciem humilitatis Dominicæ circumferemus. »

(421) Hieron. « Qui talis fuerit, ut Christi imitetur humilitatem et innocentiam, in eo Christus suscipitur. »

(422) Hieron. « Secundum ritum provinciæ loquitur, quo majorum criminum ista apud veteres damnatorum pœna fuerit, ut in profundum ligato saxo demergeretur. »

Digitized by Google

ia venirent; quæ si fecisset, non tamen pro se, sed contra 89 se fecisset; sicut et ille de quibus Apostolus ait : « Faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est (*Rom.* III, 8). » *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum* Quid enim per manum et pedem intelligamus, nisi amicos et propinquos nostros (423), quos velut propria membra diligimus, qui etiam quasi manus et pedes nobis necessarii sunt? Isti autem si nos in fide scandalizant, et eorum iniqua conversatione animas nostras perire sentimus, abscidamus eos a nobis et a nostro consortio separemus. Nihil enim est quod contra animam diligere debeamus : non patrem, non matrem, non fratrem, neque uxorem, vel filios. Melius est enim nobis ut sine his ad vitam intremus, quam ut simul cum eis ad pœnas et mortem ducamur æternam. Id ipsum autem et per oculum significatur : sic enim dicere solemus de his, qui nobis aliquem valde amicum et necessarium auferunt : Oculum mihi eruit, pedem mihi abscidit, manum mihi abstulit : non tamen ipsa re, sed quadam rei similitudine. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* De illis pusillis dicit, qui a superba altitudine se humiliantes, patientia et humilitate, pusilli et parvuli sponte sua fiunt. Tales autem contemnendi non sunt : de quibus adhuc subditur : *Dico autem vobis quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* De angelis enim Apostolus ait, *quia sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I, 14) : venit enim Filius hominis salvare quod perierat. Valde igitur timendum est ne quis eos scandalizet, et in errorem inducat, pro quibus Dei Filius in mundum veniens, et carnem suscipiens, semetipsum humiliavit factus obediens usque ad mortem.

LXXV. *Quid vobis videtur : si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis, nonne relinquet nonaginta novem in montibus et vadet quærere eam quæ erravit? Et si contigerit ut inveniat : amen dico vobis quia gaudebit* (424) *super eam magis quam supra nonaginta novem quæ non erraverunt. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Quis est enim iste qui habet centum oves, nisi idem ipse qui loquitur, Jesus Christus Dominus noster (425)? Centum enim oves, tota angelorum et hominum multitudo intelligitur. Ovis enim centesima, homo est, qui non solum decima, verum etiam *decima decimæ* (426) a Moyse sæpe vocatur. Hic autem tunc erravit, quando præceptum Dei transgrediens, pomum vetitum comedit. Pro hac itaque una, nonaginta novem, id est totam illam angelorum multitudinem, in altis cœlorum montibus Dominus dereliquit (427), et hanc unam quæ erraverat, quærere venit : quæ postquam inventa est et Christi sanguine redempta, tanta pro ipsa in cœlis exsultatio fuit, quanta pro cæteris omnibus prius non fuerat. Hoc autem non ideo factum est, ut plus cæteris ista diligatur, sed quia nulla alia de periculo mortis ad vitam rediit, in qua sui amoris gaudium cæteræ ostendere potuissent. Quamvis autem ad angelorum numerum, fidelium numerus augeri credatur, homo tamen quasi una ovis inter centum erat, quando unus tantum cum uxore et non plures erant : hæc enim una erravit, pro hac de cœlis Christus descendit (428).

LXXVI. (429) *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Hæc autem apostolis eorumque successoribus, episcopis videlicet, et sacerdotibus Dominum specialiter dixisse, ex eo maxime intelligi potest, quod mox ipse in sequentibus ait. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram erunt* 90 *soluta et in cœlo.* Unde et bene dicitur : *si peccaverit in te frater tuus* : peccat autem in pastorem qui oves affligit : peccat in episcopum qui populo sibi commisso injuriam facit. Ad hos enim pertinet corripere ; ad hos pertinet excommunicare, et de Ecclesia pellere, hoc autem quo ordine faciamus, ipse Dominus nos docuit dicens : *Vade, et corripe eum inter te et ipsum solum.* Si enim hoc faciamus, non est unde frater noster merito (430) scandalizari debeat, præsertim cum

(423) Hilar. c. 4, n. 21 : « Abjicere a nobis vel potius eruere propinquitates charissimorum nominum admonemur, si in illis aliquid tale cernamus, ne in consortium criminis eorum de familiaritate veniamus. » Hieron. ad h. l. « Si, inquit, ita est, quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, et est utilis atque sollicitus et acutus ad perspiciendum? Scandalum autem tibi facit, et propter dissonantiam morum te pertrahit ad gehennam, melius est ut et propinquitate ejus, et emolumentis carnalibus careas, ne dum vis lucrifacere cognatos et necessaries, causam habeas rumarum. Itaque non frater, non uxor, non filii, non amici, non omnis affectus qui nos excludere potest a regno cœlorum, amori Domini præponatur. »

(424) Vulg. *relinquit... vadit... gaudet.*

(425) Chrysolog. serm. 168. « Non terrenus pastor iste est, sed cœlestis.... Homo habens centum oves, Christus est. » Ita et Hilar. ad h. l., Ambrosius, *lib.* VII, in Luc. V, alios ap. Hieron. ad h. l.

(426) Vid. Num. c. XXVIII, v. 13, 21, 29; c. XXIX. v. 10, 15, etc.

(427) Ambros. lib. VII in Luc., ad cap. XV. « Dives igitur pastor cujus omnes nos centesima portio sumus, habet Angelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit. » V. Hieron.

(428) Hilar. : « Ut ingentem esse in cœlis lætitiam reditu humanæ salutis ostenderet, comparationis posuit exemplum, etc. In unius Adæ errore omne hominum genus aberravit ; ergo nonaginta novem non errantes, multitudo angelorum cœlestium opinanda est.... et quærens hominem Christus est, et nonaginta novem relicti, cœlestis gloriæ multitudo est, cui cum maximo gaudio errans homo, in Domini corpore est relatus. »

(429) In hunc locum. Vide sermon. S. Aug. 82.

(430) Hieron. « Corripiendus est autem frater seorsum, ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato. » Beda : « Quo igitur

bona suadentes, veritatem ei dicamus. *Qui si nos audierit*, nostra humili allocutione Domino reconciliabitur : *si autem non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in medio duorum vel trium testium stet omne verbum.* Paucos adhuc Dominus adhibere jubet, ne ille qui corrigitur multorum redargutione scandalizatus deterior fiat. Sufficiunt tamen isti ad testimonium, si vel de injusta conventione, vel se non ita ut dicitur, eis respondisse, contra episcopum vel sacerdotem aliquando agere voluerit. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ;* quatenus vel omnium objurgatione erubescat, qui paucorum humili allocutione satisfacere noluit. Unde et Apostolus ait : « Sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio quæ sit a pluribus. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus (*I Cor.* XI, 6) : » ut excommunicatus, et ab Ecclesia separatus: nullus Ecclesiæ finus ei communicet, qui Ecclesiæ credere noluit, ejusque consiliis obedire contempsit; et cæteri hoc audientes timeant, atque unius exemplo corrigantur multi. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Hoc episcopi audiant; et hunc ligandi et solvendi ordinem teneant (431); prius singulariter aut per se aut per alium peccantes conveniant, deinde cum paucis, postmodum vero cum tota Ecclesia, quam si audire contempserint, jam tunc eos ligare non dubitent. Qui enim sic ligantur, et in cœlo et in terra ligati sunt : *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quodcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est: ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Qualiter enim intelligere debeamus hoc quod ait de omni re, determinatur, dum dicitur *in nomine meo.* Non enim malam petitionem facere possunt, qui in ejus nomine congregantur, et in quorum medio ipse est; id est in quorum corde ipse præsidet, quia ideo ibi est ut corda regat, consilia dirigat, petitiones disponat, eosque sibi invicem in bono consentire faciat. Videtur autem huic loco illud convenire, quod alibi dicitur: « Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XVI, 23). » Illi enim sibi in bono consentiunt, illi in nomine Jesu congregantur et petunt, qui ea postulant quæ ad salutem pertinent. Quid enim nisi salus, Salvatoris (432) nomine quæritur? Jesus enim *Salvator* interpretatur : qui igitur salutem non petit, quamvis vocet Jesum, non tamen petit in nomine Jesu, quia non hoc petit quod interpretatur Jesus. Dicatur ergo : si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quodcunque cum fide et sine hæsitatione petierint in nomine meo, fiet eis. Unde hoc? Quia *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quod si duo vel tres in bono consentientes et in Christi nomine petentes sic exaudiuntur quanto magis plures, quanto magis totam Ecclesiam Deus exaudit? Sed dicis : Quid si in nomine Jesu pro damnatorum salute petant? Nunquid exaudiuntur? Nam pro Judæis et schismaticis et hæreticis quotidie Ecclesia orat et non exauditur. Oravit et Dominus pro Judæis, dicens : « Pater, ignosce illis non enim sciunt quid faciunt. » Sic igitur et pro multorum salute orant sancti, et non exaudiuntur. Determinandum est igitur et istud, ut sic dicatur *Si duo ex vobis in bono consenserint super terram, de omni re, quodcunque petierint in nomine meo;* si tamen tale sit quod Dei ordini et dispositioni conveniat, fiet *eis a Patre meo, qui in cœlis est:* aliter enim non exaudiuntur, quamvis sibi consentiant, quamvis petant in nomine Jesu. Quoties igitur oramus, et non exaudimur, ideo fit quia aut in nomine Jesu non petimus, aut quia contra ejus ordinem, et dispositionem petimus; ipse enim scit quos elegerit, ipse scit quid nobis opus sit, priusquam petamus. Tunc accedens Petrus ad eum dixit : *Domine, quoties peccaverit in me frater* **91** *meus, et dimittam ei; usque septies?* Dicit illi Jesus : *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Quod tale est ac si diceret : Quoties peccaverit, toties dimitte (433), si septies septies; si decies, decies; si centies, centies; si millies, millies : ut non ille plus in te peccet quam tu illi dimittere possis : aliter enim non dimittetur tibi. Unde superius dixit : « Nisi dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* VI, 15), » Putabat autem beatus Petrus sibi sufficere si septies dimitteret, quoniam Scribæ et Pharisæi legem et prophetas exponentes, et non intelligentes, multum in suis sermonibus hunc numerum (434) commendabant, quem satisfactioni et emendationi sufficere posse putabant; unde septem diebus azyma comedunt; unde et leprosus quando mundatur; et vir qui fluxum seminis

ordine scandala declinare possimus, insinuat, si nos ipsos ne quem lædamus attendimus, si peccantem zelo justitiæ corripimus, si ex corde pœnitenti misericordiæ pietatisque viscera pandimus. »

(431) Hilarius. « Eum ordinem continendæ charitatis nobis Dominus imposuit, quem ipse in conservando Israel tenuerat. » Vide cætera apud eumdem.

(432) S. Aug. tract. 73, in Joan. n. 3. « Jesus significat Salvatorem.... ac per hoc quodcunque petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris. » Ita et tract. 102, n. 1. Atque ex Augustino, ut videtur, Greg. hom. 27. in Evang. « Sed quia nomen filii, Jesus est, Jesus autem Salvator, vel etiam salutaris dicitur; ille ergo in nomine Salvatoris petit qui illud petit quod ad veram salutem pertinet. Nam si id quod non expedit petitur, non in nomine Jesu petitur Pater. »

(433) S. Aug. serm. 83, n. 7. « Omnia enim peccata dixit : quando septuagies septies dixit... omnia ergo dimitti peccata voluit qui ea septuagesimo septimo numero præsignavit. » Vide et serm. 114, ubi fusius idem et totum locum explanat.

(434) Vide ad hunc Evangelii locum de numero septenario Chrysologum serm. 137, præter Origenem tom. XIII in Matth. Ambrosium l. VIII in Luc., n. 3, Augustinum, etc.

Digitized by Google

patitur, septem diebus separatur : separatur autem septem diebus et mulier menstruata : similiter quando pariebat, septem diebus immunda erat. Naaman quoque ex præcepto Elisæi septies mergitur in Jordanem, et sacerdos offerens sacrificium, tingens digitum in sanguine, septies illum contra Dominum spargit. Psalmista quoque sic ait: « Septies in die laudem dixi tibi. » Propter hæc igitur et alia multa quæ de hoc numero secundum litteram Judæi intelligebant, dixit beatus Petrus *usque septies :* legis vero et prophetarum magister altius omnia intelligens, addidit super hæc, *usque septuagies septies.* Verumtamen si bene intelligatur septies, nihil minus est septies quam septuagies septies. De hoc autem in Levitico sufficienter diximus (435).

LXXVII. *Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta.* Iste enim rex ipse est qui loquitur Deus et homo Jesus Christus Dominus noster : qui quotidie cum servis suis rationem ponit (436), quoniam per episcopos et sacerdotes hominum peccata dijudicat, dum unusquisque ad pœnitentiam veniens, quantum debeat, et in quibus peccaverit, Domino confitetur. Ille autem unus qui decem millia talenta debebat, quis alius intelligitur, nisi omnes illi, qui plus cæteris in omnibus peccant? Sed quare cum hoc prius rationem Dominus ponere voluit, nisi ut hujus exemplo cæteri intelligerent quid in suis rationibus responderent, et quantam spem habere potuissent? Si enim ei qui plus cæteris debebat, quoniam se humiliavit, omne debitum Dominus dimisit, quanto magis aliis qui non tantum peccaverunt, si digne pœnituerint, omnia peccata dimittet? Ideo enim *decem millia talenta* posuit, quia hoc debito nullum aliud debitum majus est : omnes enim numeri in hoc numero continentur, quoniam ex denis numeris multiplicatur: cujus unaquæque pars tam perfecta est, ut replicari quidem possit, crescere vero non possit (437). Cum enim usque ad decem numeramus, ni iterum ab uno incipiamus, nihil habemus quid dicamus : similiter autem fit cum venimus ad centum; et similiter cum venimus ad mille; atque similiter cum venimus ad decem millia; decies enim decem fiunt centum, et decies centum fiunt mille; et decies mille fiunt decem millia. Hoc igitur debito majus debitum non est. Sed videamus quod sequitur. *Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus venundari et uxorem ejus et filios, et omnia quæ habebat, et reddi.* Peccator enim ad pœnitentiam veniens, non prius habet unde debitum solvat, donec ex toto humiliatus, sacerdotum consilio se per omnia obedire promittat. Ideoque ei a sacerdotibus dicitur : Nisi debitum solveris, et pœnitentiam egeris, tu et uxor tua, filii tui et cuncta quæ possides, in æternum peribitis : per quod datur intelligi quod ipse totus carneus simul cum anima sua, cunctisque sensibus corporis sui, incendiis tradetur æternis : qui enim cum his omnibus cruciatur, in nulla parte sui requiem habet. Si autem his auditis contremiscat, et se satisfacere et obedire ex corde promittat, fiet ei quod sequitur. *Procidens autem servus ille rogabat eum dicens, Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum : et debitum dimisit illi.* Ecce dimissum est tibi debitum; vide ut in bono perseveres : dimitte tu quoque debitoribus tuis, sicut et tibi dimissum est debitum tuum : quod si facere nolueris, audi et exspecta quod sequitur: *Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes.* Valde parvum **92** debitum est centum denariorum ad comparationem decem millium talentorum; stultissimus igitur est, qui centum denarios non vult dimittere, ea conditione, ut ei decem millia talenta dimittantur. *Et procidens conservus ejus rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autem noluit : sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Fortasse iste non audivit; aut si audivit non intellexit; aut si intellexit parvipendendo neglexit quod Dominus alibi ait : « Eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur vobis (*Luc.* VI, 38). » *Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde, et venerunt et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.* Isti enim conservi, et angeli et homines intelliguntur (438). Omnes enim sunt conservi qui unius sunt domini servi : et isti quidem iniquorum oppressionem et miserorum afflictionem domino narrant, quia pro his assidue ad Deum clamant. *Tunc vocavit illum dominus suus et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum.* Tortores isti, maligni spiritus sunt (439), quibus miser homo ad puniendum traditur, neque de eorum potestate eripitur, donec universum debitum reddat. Nunquam igitur de illorum potestate eripitur, quoniam hoc debitum semper redditur, nunquam tamen in

(435) Ad cap. 4 edit. Rom. pag. 132, et ad cap. 14, pag. 153.

(436) Origenes de tempore hic designato reddendæ rationis fuse disserit tom. I. Origen. Huet. pag. 350 et tom. III edit MM. pag. 650. Ibid. pag. 343 et MM. 622. « Quisnam dicendus est rex nisi filius Dei, etc.? »

(437) Vid. S. Aug. serm. 51, num. 34 et serm. 231, n. 6, lib. II. Inquisit. ad Jan. ep. 55, n. 28, etc.

(438) V. Origen. l. all. qui negat explicari posse quinam intelligi conservi debeant. Theophylactus tamen. « Videntur hi conservi esse angeli, osores mali, et amantes boni. » V. Aug. quæst. in Matth.

(439) Origen. ib. « Quinam hi sunt, præterquam ii quibus suppliciorum cura demandata est? »

Digitized by Google

integrum solvitur. Hanc autem totam similitudinem ad quid attulerit, ipse Dominus protinus exponit dicens : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Nota quod ait *de cordibus vestris :* non enim sufficit labiis dimittere, nisi et corda conveniant.

[CAP. XIX.] *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilæa, et venit in fines Judææ trans Jordanem : et secutæ sunt eum turbæ multæ ; et curavit eos ibi.*

PARS QUARTA

LXXVIII. *Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum et dicentes, si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa.* Quod enim ait ; *quacunque ex causa*, tale est ac si diceret, pro aliqua causa, non ut sonare videtur pro omni causa (440). *Qui respondens ait eis : Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos ? Et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro : quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Deus est qui loquitur, et virum cum uxore unam carnem esse dicit, qui quamvis personaliter duo sint, tamen de una carne ambo, sic se diligere et charitatis vinculo jungere, et nunquam a se separare debent ; ac si non duo, sed una ex toto caro fuissent. *Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit, dare libellum repudii, et dimittere ?* Si, inquiunt, una caro sunt, si inseparabiles sunt, tantoque dilectionis vinculo jungi debent, cur Moyses dimittere mandavit ? *Ait illis : quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic.* Quomodo sic ? Ut homo dimitteret uxorem suam pro qualibet causa. Moyses autem dicit, ut qui propter aliquam fœditatem dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. Sed aliter hic, et aliter ibi loquitur Moyses, imo Dominus per Moysen. Hæc enim uxor quæ propter aliquam fœditatem dimittitur, unaquælibet hæresis intelligitur : quam quidem non verbis simplicibus, sed scripto et juramento, firmaque stipulatione dimittere convenit, qualenus ille qui eam dimittit, ad eam ulterius non revertatur. Hoc igitur quod spiritualiter intelligi debet, juxta litteram Moyses intelligere et observare Judæos **93** permisit ; sed propter duritiam cordis eorum : ne videlicet uxores suas interficerent, vel nimium affligerent, cum eas propter aliquam fœditatem odio haberent (441). De his autem in Deuteronomio sufficienter diximus (442). *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.* Et hoc quidem in hoc eodem libro superius exposuimus. *Dicunt ei discipuli ejus : Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere :* id est si tali vinculo juncti sunt, et hanc fidem sibi mutuo custodire oportet, non expedit vel nubere, vel uxorem ducere (443). Similiter enim et Apostolus ait : « Solutus es ab uxore ? noli quærere uxorem : » itemque : « Dico autem non nuptis, et viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego : quod si non se continent, nubant ; melius est enim nubere quam uri (*I Cor.* VII, 27). » Dixitque Dominus : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Hoc, inquit, verbum quod dicitis, scilicet quia non expedit nubere ; hoc præceptum castitatis et continentiæ non omnes capiunt, non omnes custodiunt vel recipiunt : sed illi tantum quibus divinitus datum est. *Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt.* Illi videlicet qui frigidæ naturæ existentes, facillime carnis ferunt titillationem. *Et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus :* per quos non solum contritos testibus intelligimus, verum etiam eos, quos præpositorum suorum diligentissima cura, etiam nolentes, cælibes facit. *Et sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Illi enim cæteris meliores, non ferro sed carnis maceratione fiunt (444). *Qui potest capere capiat.* Qui potest continentiam custodire, custodiat ; qui vero non potest, cui vult nubat, tantum in Domino (445). Hæc autem licentia non datur illis qui castitatem voverunt, vel qui majoris religionis ordinem susceperunt.

LXXIX. *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus ei imponeret et oraret ; id est ut eos tangeret et benediceret : discipuli autem increpabant eos.* Adhuc enim discipuli carnales erant, et eos qui carnaliter sapiunt, significabant. Multi enim sunt in Ecclesia, qui se in eo placere Deo putant, quod parvulos et simplices ab ejus regimine removere conantur, volentes potentes et astutos eligere, quorum fortitudine

(440) Contra stare videtur Hieron. « Interrogat eum, utrum liceat homini dimittere uxorem suam qualibet causa, » et Origenes tom. I Huet. recens., pag. 355 κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, ex omni causa. De toto hoc Matthæi loco fuse Nazianzenus orat. 36. Ambros. lib. VIII in Luc. Aug. adulterin. conjug. Vide etiam Irenæum lib. IV cap. 15, et Chrysost. homil. 10, contr. Anomœos.

(441) Ita et Hieron ad h. l.

(442) In cap. 24 edit. Rom., p. 208.

(443) Præclare Bernard. De præcept. et dispens. magnæ revera angustiæ : « Si tenuerit exosam, nihil onerosius ; si dimiserit invitam, nihil inchristianius. »

(444) V. Epiphanium hæres. 58.

(445) Hieron. ad h. l. « Ut unusquisque consideret vires suas, utrum possit virginalia et pudicitiæ implere præcepta. Per se enim castitas blanda est, et quemlibet ad se alliciens. Sed considerandæ sunt vires, ut *qui potest capere capiat ;* quasi hortantis vox Domini est, et milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis : *qui potest capere capiat :* qui potest pugnare, pugnet, superet ac triumphet. »

Digitized by Google

et prudentia temporaliter Ecclesia crescat : non attendentes quia « sapientia ejus mundi stultitia est apud Deum. » Sed videamus quod sequitur : *Jesus autem ait eis : Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire ; talium est enim regnum cœlorum.* Tales, inquit, eligite, tales prohibere nolite, tales in Ecclesia constituite, et talibus manus imponite. *Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.* Multis enim modis manus impositio dicitur (446) : hic autem consecrationem significat : de qua Apostolus ait : « Nemini cito manum imposueris (*I Tim.* v, 22). »

LXXX. *Et ecce unus accedens, ait illi : Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam ? Qui dixit ei : Quid me interrogas de bono ? unus est bonus, Deus.* Quid est igitur quod dicitur : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Si enim Deus omnia fecit, et cuncta quæ fecit non solum bona sunt, sed et valde bona, quomodo unus et solus Deus, bonus ? (447) Ipse enim solus naturaliter est bonus, quia se ipso et non ab alio est bonus : cætera vero non a se ipsis, sed ab eo sunt, a quo bona in principio creata sunt (448). *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit ille : Quæ ? Jesus autem dixit : Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices ; honora patrem et matrem, et diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicit illi adolescens : Omnia hæc custodivi a juventute mea : quid adhuc mihi deest ?* Si enim, ut Apostolus ait, *plenitudo legis est dilectio*, aut iste non bene intellexit *diliges proximum tuum sicut teipsum*, aut si intellexit, non bene respondit (449). Quid enim ei deesse potest qui totam legem custodit ? Putabat enim iste, sicut videtur, proximum suum se bene diligere, quia eum non occidebat, quia bona sua ei non auferebat, aliasque injurias ei non faciebat. Ideoque qualiter hoc intelligere debeat, Dominus subinferens ait : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veniens sequere me.* Hæc est vera mensura perfectionis : ille implet legem, qui ista custodit. Nec in 94 Dei dilectione peccat qui Christum sequitur ; nec in dilectione proximi, qui indigentibus omnia largitur. Non desperet tamen cui ad hanc perfectionem venire non datur : multi enim salvantur qui neque omnia relinquunt, neque omnia pauperibus tribuunt : ad culmen tamen perfectionis non perveniunt. *Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones ;* ecce qualiter erat adolescens ostenditur : bonus erat quia aliis non nocebat, sed non erat bonus quia aliis non subvenicbat ; nec sua largiri, nec aliena rapere noverat : loquebatur cum Deo, qui veras divitias ei ostendebat, magis tamen in terrena possessione quam in cœlestis thesauri promissione spem habebat. De talibus enim Apostolus ait : « Præcipe divitibus hujus sæculi non sperare in incerto divitiarum (*I Tim.* vi, 17). » Aliud est enim divitem esse ; aliud in divitiis spem habere : qui enim in divitiis spem suam ponunt, valde difficile salvari possunt (450). Unde et Dominus subinferens ait : *Amen dico vobis quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Prius difficile, deinde impossibile dixit : impossibile est enim ut divites in divitiis spem habentes intrent in regnum cœlorum : de illis enim hoc intelligitur. Sic enim Marcus evangelista Dominum dixisse narrat : « Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis regnum Dei introire ! » (451) Sed quid per camelum cujus unicum et singulare officium est onera portare, nisi eos intelligamus qui peccatorum pondere prægravantur ? Quibus se Psalmista connumerans ait : « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me (*Psal.* xxxvi, 5). » De divitibus autem quid dicit ? « Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem sibi, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua (*Psal.* li, 9). » Facilius igitur est camelum, id est aliquem valde peccatorem transire per foramen acus, id est per arctam et angustam viam quæ ducit ad vitam, quam hujusmodi divitem intrare in regnum cœlorum (452) ; quoniam ille facilius a peccatis, quam iste a divitiarum spe separari potest. *Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes : Quis ergo poterit salvus esse ?* Hoc enim discipuli non dixissent, si de quo divite Dominus loquebatur, intellexissent. *Aspiciens autem Jesus, dixit illis : Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Quod enim ait apud homines, hoc est secundum intellectum humanum ; quod vero ait apud Deum, hoc est secun-

446) V. Morinum de sacr. Ordinat. Exercit. v. cap. 11, num. 9 ; Albaspinæum, lib. II Observ., c. 31. Habert Pontif. Græc. obs. 2 ad part. VIII, etc.

(447) Ambros., lib. VIII in Luc. n. 65. « Addendo *magister bone* in portione bonum dixit, non in universitate, nam Deus universitate bonus, homo ex parte... Bonus enim quid est, nisi plenus bonitatis ? »

(448) Hinc initium sumit homilia 4 In natal. apost. sub Emiseni nom. edita continetque hunc et sequentem numerum.

(449) « Mentitur adolescens, » ait hic Hieron. « Si enim hoc quod positum est in mandatis *Diliges proximum*, etc., opere complesset, quomodo postea tristis recessisset ? » etc.

(450) S. Aug. QQ. Evang. lib. II, c. 47. « Divitem hic appellat cupidum rerum temporalium, et de talibus superbientem. »

(451) C. 10, 24. Hieron. « Quia difficulter divitiæ contemnuntur, non dixit : impossibile est divites intrare in regnum cœlorum, sed difficile. Ubi difficile ponitur, non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. »

(552) Iterum Hier. « Videbimus quomodo et isti cameli, quibus divites comparantur, cum deposuerint gravem sarcinam peccatorum, et totius corporis gravitatem, intrare possint per angustam portam et arctam viam, quæ ducit ad vitam. »

Digitized by Google

dum spiritualem intellectum et divinum; non est enim impossibile Deo, qualemcunque divitem ad suæ voluntatis viam convertere (453), quamvis valde difficile sit ut pauper esse velit, qui semper dives fuerat. Si igitur ad litteram intelligatur, impossibile est : si vero spiritualiter, sicut modo exposuimus, impossibile non est. Impossibile est enim quantum ad litteram, ut per foramen acus transeat camelus; quantum vero ad spiritualem intelligentiam, non est impossibile.

LXXXI. *Tunc respondens Petrus dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te : quid ergo erit nobis ?* Ille, inquit, dives, de quo superius locutus es, neque omnia dimittere, neque te sequi voluit, cui etiam quid responderis audivimus; de nobis autem quid dicis, qui omnia reliquimus et te secuti sumus? Omnia enim Petrus reliquerat, quia non solum ea reliquerat quæ habebat, sed ea quoque quæ habere poterat, ut ulterius in hoc mundo nihil proprium possideret, nihilque possidere desideraret (454). Unde ipse nos quoque admonet dicens : « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt (*I Joan.* II, 15) : » Et majus quidem est habendi voluntatem, quam ipsum habere derelinquere. *Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Duo Petrus proposuerat, sed alterum Christus assumpsit : non enim dixit, « Vos qui reliquistis omnia. » Sed quid dixit? *Vos qui secuti estis me* (455): Omnia enim derelinquit qui perfecte sequitur Jesum. Sufficiens ergo fuit alterum dicere, quia utraque in uno continebantur. Vos, inquit, *qui secuti estis me*, qui mecum per eamdem viam inceditis, qui ad cœlestia festinatis, qui terrena cuncta despicitis, qui justitiam et veritatem, pacem et misericordiam diligitis, vos sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Sedebunt utique apostoli super sedes duodecim : sedebunt et alii super sedes suas, qui eorum exemplo 95 vixerunt (456), et Christum Dominum sunt secuti. Plures enim sunt ibi sedes quam duodecim, pluresque judices ibi erunt : non solum enim episcopi et sacerdotes ibi judicabunt, verum etiam, ut superius dicitur, regina Austri, et Ninivitæ resurgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam. Sed quæ sunt istæ sedes, super quas isti judices sedent? Istæ enim sedes, singulæ Ecclesiæ sunt : unde et episcopi Ecclesias quibus præsunt, sedes suas vocare consueverunt. Sedebit igitur unusquisque in sede sua, quoniam unusquisque in populo quem rexit et prædicavit major et sublimior apparebit. *Sedebit* autem et Dominus *in sede majestatis suæ*, quoniam excelsus super omnes gentes Dominus, cunctis et angelis et hominibus præsidebit. Judicabit igitur Dominus, judicabunt et apostoli, judicabunt insuper episcopi et sacerdotes : omnes præterea ibi judicabunt quorum exemplo cæteri damnabuntur. *Et omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Alii autem evangelistæ dicunt : « centuplum accipiet in hac vita; post hanc vitam, vitam æternam. » Quibus et Marcus addit (457) « cum persecutionibus; » centuplum enim cum persecutionibus in hac vita suscipiunt sancti, quia quicunque Deum diligunt ejusque voluntatem faciunt, sanctorum fratres et sorores, patres et matres, amici et propinqui fiunt. Sic enim de se ipso Dominus ait : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse mihi frater et soror et mater est* (*Matth.* XII, 31). Fratres autem et sorores, patres et matres, uxores et filii, isti dicuntur, non natura sed officio et affectione : quos enim multum diligimus, his nominibus vocare solemus.

LXXXII. *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi* (458). Hanc enim propositionem ad quid attulerit, sequentia manifestabunt : ad hanc enim spectat tota subsequens similitudo : unde et in conclusione dicitur : *Sic erunt novissimi primi et primi novissimi.* Quod quidem si de mundi ætatibus intelligatur, non video qualiter primi sint novissimi, vel novissimi primi. Primi enim fuerunt patriarchæ et prophetæ, et cæteri prioris Testamenti, ad vitam prædestinati : novissimi autem nos sumus; de quibus Joannes ait : « Filioli, novissima hora est (*I Joan.* II, 18) : » Et Apostolus : « Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X, 11). » Et isti quidem sicut tempore primi fuerunt, ita et primi denarium susceperunt. Hos enim statim post passionem suam Christus Dominus a pœnis eripiens, in gloriam introduxit. Apostolus quoque ait : « Quia nos qui vivimus, qui residui sumus, non prævenimus eos qui dormierunt : quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino (*I Thess.* IV, 14, 15, 16). » Quomodo igitur sunt

(453) V. S. August. epist. ad Hilar. q. 4, et ep. ad Probam, cap. 1.

(454) S. Aug. in psal. CIII. « Non solum dimisit quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat. »

(455) V. Hieron. ad h. l.

(456) Beda hic. « Quia enim duodenario sæpe numero solet universitas designari, per duodecim sedes apostolorum judicantium, omnium numerositas, et per duodecim tribus Israel, universitas eorum qui judicandi sunt, ostenditur. » Idem fusius Aug. in Psal. XLIX.

(457) Cap. X, 29, 30. *Nemo est qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc; domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros cum persecutionibus et in sæculo futuro vitam æternam.*

(458) Hoc et sequenti numero continetur homilia Emiseni Domin. in septuages. id est S. Brunonis.

Digitized by Google

novissimi primi? Nunc autem ipsam parabolam audiamus. [CAP. XX.] *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Hoc autem tale est, ac si diceret : Sic fit in regno cœlorum, sicut factum est in vinea patrisfamilias, in quam ipse, primo mane exiens, operarios conduxit. Regnum cœlorum, Ecclesia est; paterfamilias, Christus Dominus noster : ejus namque familia, et angeli et homines sunt : magna quidem est familia, quia magnus est et paterfamilias. Venit autem iste paterfamilias ut conduceret operarios in vineam suam. Vinea enim Domini Sabaoth, domus Israel est : vinea, Dei Ecclesia est : extra quam qui laborat, mercedem non recipit : in qua qui laborat, denarium suscipit. Ille enim denarius, remuneratio est æternæ beatitudinis : ideo unus denarius omnibus datur : unus primis, et unus novissimis. Et alii quidem primo mane laborare incipiunt : alii vero circa horam tertiam : alii autem circa sextam, et nonam horam : alii quoque circa horam undecimam. Hoc est enim quod ait : *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis : illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, et nonam horam, et fecit similiter. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis : Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt illi : Quia nemo nos conduxit. Dixit illis : Ite et vos in vineam meam.* Primo namque mane in vinea Dei laborare incipiunt, qui a primæva ætate, id est a pueritia in Ecclesia Dei Domino serviunt (459) : illi **96** autem circa horam tertiam laborare veniunt, qui in adolescentia servire incipiunt : veniunt autem et illi circa sextam et nonam horam, qui vel in juventute, vel in senectute, ad pœnitentiam convertuntur. Undecima vero hora illa est, quæ in qualibet ætate fini appropinquat et morti proxima est. Hanc enim horam non solum juvenes et senes, verum etiam pueri habent. In hac igitur hora laborare incipit et ille qui in decrepita ætate, et ille qui in gravi infirmitate ex toto corde ad Dominum convertitur. Nullus ergo locus desperationi, nullus locus restat excusationi; siquidem in omni ætate et in omni hora peccator suscipitur : « Peccator enim quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet et non morietur (460). » Convertatur igitur vel undecima hora, convertatur vel in ultimo vitæ termino, qui prius in bono otiosus, et in malo sedulus fuit. Nam et ipse si voluerit, et si conversus fuerit, etsi vel ad horam laborare cœperit, simul cum aliis mercedem denariumque recipiet. Unde et subditur : *Cum sero autem factum esset, dixit Dominus vineæ procuratori suo. Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.* Sero enim unicuique fit, quando ultimum diem cum vita finit : Dei vero procuratores, angeli sunt, qui sanctorum animas Deo repræsentant, et in requiem inducunt; de quibus Apostolus : « Omnes enim sunt administratores Spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14). » Fit autem plerumque, ut illi qui posterius veniunt, primi denarium et mercedem recipiant; quoniam sæpe contingit, ut primi de hac vita exeant, qui posterius laborare et Deo servire incipiunt. Primus enim denarium recipit, qui primus de hac vita exiit. Multi enim sanctorum eadem die qua crediderunt, de hoc mundo per martyrium exierunt : isti igitur una et ultima hora in Dei vinea laborantes, prius susceperunt denarium, quam illi qui a primæva ætate Domino servientes, et post eos de hoc sæculo exeuntes, sicut prius laborare cœperunt, ita post eos denarium acceperunt. Fit igitur aliquando, etsi non semper, in Ecclesia Dei, quod in vinea patrisfamilias factum fuisse narratur : ut videlicet primi sint novissimi, et novissimi primi. Hoc autem quia non semper fit, ideo in principio hujus similitudinis Dominus ait : *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Si enim semper hoc fieret, non *multos*, sed *omnes* dixisset : sic igitur multi novissimi et in mercede suscipienda honorantur, et in pretio non minorantur. Unde et cæteri murmurantes dicunt : *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti qui portavimus pondus diei et æstus?* Quos quidem digne satis Dominus redarguit, dum uni eorum respondit dicens : *Amice, non facio tibi injuriam; nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade : volo autem et huic novissimo dare, sicut et tibi. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Hæc autem non ideo dicuntur, ut de proventu aliorum sanctos murmurare, vel nequam (461) et invidos oculos habere intelligere debeamus; sed potius, ut murmurationis et invidiæ malum, quantum sit intelligamus, et caveamus. Magnum enim vitium est quod tantopere a Domino redarguitur. Sancti quidem et boni sunt quicunque hunc denarium accipiunt : hunc autem accipiunt et primi et novissimi. Et primi igitur et novissimi boni sunt. Quomodo ergo murmurare possunt? Quomodo nequam et invidos oculos habent? Tales igitur isti non sunt, et ne tales fiant, illorum exemplo admonentur. Bonum est enim in hac vinea laborare, sed malum est murmurare. Laboremus igitur, nec murmuremus : illorum reprehensio sit nostra correctio. Alterum nos invitat ad bonum, alterum dissuadet a malo. Illorum enim labor et remuneratio nos invitat; illorum vero murmurationis reprehensio nos a murmuratione com-

(459) Hieron. ad h. l. duas affert explicationes; primam de hominis ætatibus, quæ est Auctoris nostri, Chrysost. hom. 65, etc., et alteram de ætatibus mundi, quæ est S. August. serm. 59, De Verbis Domini, Ambrosii lib. VII in Luc. Bedæ, etc., Gregorius hom. 19, in Evang. utramque habet.

(460) Vid. Ezechiel, cap. XXIII.

(461) Vid. Chrysost. et Gregorium l. all. Vid. etiam A. De vocation. l. I, c. 7.

Digitized by Google

pescit. In utroque igitur consulit nobis Dominus, dum nos in altero laborare admonet, in altero vero murmurare dissuadet. Quod autem sequitur, *multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, valde paucos esse ostendit eos qui salvantur, ad comparationem eorum qui per singulas horas vocantur (462). Suscipiunt igitur denarium et primi et novissimi; sed neque omnes primi, neque omnes novissimi; quoniam multi vocantur, et ad vineæ laborem invitantur, qui neque inter primos, neque inter novissimos connumerantur.

LXXXIII. *Et ascendens Jesus Jerosolymam assumpsit duodecim discipulos suos secreto, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et condemnabunt eum morte : et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum : et tertia die resurget.* His autem paucis verbis totam suæ passionis seriem Dominus prophetavit, ut eum sua sponte ad passionem venisse, intelligamus (463). **97** *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo.* Mulier ista religiosa et Christo familiaris erat, ideo et magna petit, et confidenter ad Dominum accedit. Valde enim de Christo præsumebat, dum hoc pro filiis orat, quod ipsi filii per se petere timebant (464). Sed quid dicit? *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.* Cum ambitione loquitur mater, et carnali affectu ambitiosis filiis primas in cœlo cathedras postulat; unde et merito eis a Domino dicitur. *Nescitis quid petatis.* Neque ita petere, neque ita dare convenit primas sedes. « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei : Possumus. » Obscure eis loquitur Dominus, et fortasse nondum intelligebant, de quo calice eis loqueretur. Dicebat enim de calice passionis, de quo et Petro apostolo alibi ait : « Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? » (*Joann.* XVIII, 11.) Et Psalmista : « Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*Psal.* CXV, 13). » Et ait eis : *Calicem quidem meum bibetis.* Biberunt enim Jacobus et Joannes calicem Christi; non quod ambo martyrio vitam finierint, sed quod multas persecutiones, angustias, et tribulationes ambo sustinuerint. Et Jacobum quidem occidit Herodes : sic enim scriptum est : « Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio (*Act.* XII, 2). » Joannes vero non occisus, sed in ferventis olei dolio missus, et in Pathmos insula in exsilio relegatus, magnæ afflictionis et amaritudinis calicem, bibit (465). *Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Ac si dicat : Quod vos modo petitis, jam datum est; non est meum dare modo; non ad me pertinet ordinare et disponere modo quis ad dexteram meam vel ad sinistram sedere debeat in regno meo. Hæc dispositio non est hominis, non est hujus temporis; ab æterno factum est, quod modo fieri postulatis; simul cum Patre ante tempora disposui, neque iterum disponere habeo, quam sedem sibi unusquisque suscipiat. Quibus igitur paratum est sedere ad dexteram meam, vel ad sinistram (466), sive vobis, sive aliis, illorum erit; mutari non potest quod paratum et dispositum est. *Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.* Adhuc enim et isti carnales erant, neque minus ambitiosi quam illi; ideoque indignabantur, et quod sibi unusquisque affectabat, hoc dari alii invidebat (467). *Jesus autem vocavit eos ad se, et ait : Scitis quia principes gentium dominantur eorum? Et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Non ita, inquit, erit inter vos, sicut est inter mundi hujus potestates, ut ille cæteris dominetur qui major cæteris videtur : sed potius omnibus erit inferior, qui voluerit esse sublimior : et qui plus se humiliaverit, major a Deo constituetur. Hoc autem ad exemplum sui ostendit dicens : *Sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis.* Sicut, inquit, Filius hominis se humiliavit, sic se humiliet qui major esse voluerit. « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem (*Philip.* II, 6) : » et quasi servus et minister, suorum discipulorum pedes lavare non est dedignatus (468).

LXXXIV. *Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret et clamave-*

(462) De numero Christianorum adultorum qui salvantur quæstio nostra iterum ætate mota est. Hic fortasse auctoris nostri locus qui de adultis fidelibus loqui videtur, addi potest aliorum testimoniis quæ congessit cl. auctor libri Romæ editi ann. 1752. PP. Ec. De paucitate adultorum fidelium salvandorum consens.

(463) Ita etiam Chrysost. hom. 66. « Ut postea recordati, credant, illum volentem, non ignorantem, neque coactum passionem subiisse. »

(464) « Pudore victi matris patrocinium assumpserunt, » ait ib. Chrysost.

(465) Hoc totum, ut videtur, ex Hieron. ad h. l. ubi et de fervents olei dolio, et de relegatione in Pathmos insulam; quæ qui consideraverit, visurum ait « martyrio animum non defuisse, et bibisse Joannem calicem confessionis. »

(466) Locum evangelicum hunc præclare omnino et mire exposuit Chrysost. l. all.

(467) Chrysost. idem. « Perspicis, quomodo imperfecti adhuc omnes erant, et duo adversus decem primum eripere consessum nitebantur, et decem duobus invidentes indignabantur. »

(468) Egregie hic Chrisost. monet. « Noli ergo timere, ne quasi honorem tuum humilitate amittas; nunquam enim poteris tantum humilitatis ostendere, quantum pro te Dominus suscipit. »

Digitized by Google

dicentes : Domine, miserere nostri, fili David. Invenitur enim quibusdam in locis beatus Matthæus evangelista non tantum narrationi quantum significationi operam dare : unde et duos cæcos fuisse dicit, quos alii evangelistæ unum fuisse narrant. Marcus quoque dicit hunc cæcum (469), Timæi filium fuisse. Similiter autem et in finibus Gerasenorum duos homines a legione dæmonum, Christum Dominum nostrum liberasse, et eos in porcos misisse dicit, cum alii unum tantum et non duos scribant (470). Scribit etiam Jesum venientem Jerusalem super 98 asinam et pullum sedisse, cum alii pullum solummodo ad eum adductum fuisse dicant. Unde manifestum est eum non tantum attendere ad rem ipsam, quantum ad rei significatum. Iste enim cæcus, et unus est in se, et duo sunt in significatione; in significatione quidem, quia duos populos, id est Judæos et Gentiles significat (471). Hos enim illuminavit Dominus quando appropinquavit Jericho, id est quando nostræ carnis mutabilitatem suscepit; Jericho namque interpretatur *luna*, quæ in tantum mutabilis est, ut nunquam in eodem statu permaneat. Quod enim ait, *egredientibus illis ab Jericho*, tale est ac si diceret, trauseuntibus illis per fines Jericho : unde et Lucas ait : « Factum est autem dum appropinquaret Jericho (472) (*Luc.* XVIII, 35). » Sedent autem illi secus viam, qui jam et credere et currere parati sunt; quæ sit autem ista via, et quis iste cursus, intelligis; hinc autem longe sunt qui Christi adventum et transitum non sentiunt. Et illi quidem altius clamant, qui attentius orant : clamor iste, non oris sed cordis est. Sed quid clamant? *Domine, miserere nostri, fili David :* ut et nos tuas misericordias in æternum cantemus simul cum David. *Turba autem increpabat eos ut tacerent : at illi magis clamabant dicentes : Domine, miserere nostri, fili David.* Si enim cæci tacuissent, et turbæ increpanti credidissent, adhuc illuminati non fuissent. Mala turba, quæ a tali clamore hominem exturbat: hæc enim turba, vitiorum et malignorum spirituum exercitus intelligitur, qui nos ad Deum clamantes, et misericordiam postulantes, A semper impedire conantur. Imitemur igitur istos cæcos (473) : non enim sunt isti de illis, quos qui sequitur, in foveam cadit. Non vincamur a turba, clamemus, instemus, oremus, ut et nos a Domino illuminemur. Dicamus cum Psalmista : « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus : Pravalui adversus eum (*Psal.* XII, 4). » *Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait : Quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi : Domine, ut aperiantur oculi nostri.* Ecce quantum oratio potest; ecce quantum valet clamor mentis, turbam vincit, Christum sistit, clamore tenetur, qui fortitudine teneri non posset. Stat Jesus, vocat et exspectat eos, interrogat quid velint, nihil nisi lumen requirunt. Cum lumine loquuntur, lumen quærunt, ut lumen videant. Nihil melius quærere poterant « Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). » *Misertus autem Jesus tetigit oculos eorum; et confestim viderunt, et secuti sunt eum.* Cæci quidem erant, sed tacti lumine, lumen recipiunt, vident, sequuntur Jesum : qui enim sequitur eum, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ; nemo vero eum sequitur, nisi ab eo tactus et illuminatus. B

LXXXV. [CAP. XXI.] *Et cum appropinquassent Hierosolymis et venissent Bethphage, ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos suos, dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea; solvite, et adducite mihi.* Duos discipulos suos ante se Dominus mittit, per quos duo testamenta intelligimus (474). Hos enim discipulos ipse docuit : hæc duo testamenta ipse edidit : omnisque sapientiæ et scientiæ plenitudine ea replevit. Sapientes sunt isti discipuli, et a sapientissimo magistro instructi, sine quorum doctrina nemo sapiens invenitur. Hos ante se Dominus mandat : isti pullum et asinam solvunt, eosque solutos ad eum ducunt. Sed quid per asinam, nisi Synagoga? quid per pullum, nisi gentilis populus figuratur? (475) Illa enim a prophetis domita, et legis pondere onerata erat; hic autem lascivus erat et indomitus, supra quem nullus C

(469) Cap. X, 46 : « Filius Timæi, Bartimæus cæcus sedebat juxta viam mendicans. »

(470) S. Aug. De consens. Evang., lib. II, cap. 65. « Quæ ita solvitur quæstio, ut illa soluta est de duobus qui legionem dæmonum patiebantur in regione Gerasenorum. Nam duorum etiam cæcorum, quos modo interposuit, unum fuisse notissimum et illa civitate famosissimum, ex hoc etiam apparet, quod et nomen ejus et patris ejus Marcus commemoravit... Procul dubio itaque Bartimæus iste Timæi filius ex aliqua magna felicitate dejectus, notissimæ et famosissimæ miseriæ fuit, quod non solum cæcus, sed etiam mendicus sedebat. » D

(471) Hieron. « Cæcos appellat qui necdum videre poterant... secus viam, quia videbantur quidem legis habere notitiam, sed viam quæ Christus est, ignorabant, quos plerique Pharisæos intelligunt et Sadducæos; alii vero utrumque populum et Veteris Testamenti et Novi; quod alter scriptam legem, alter naturalem sequens, sine Christo cæcus erat. » Hæc Hieronymi, et superiora Augustini descripsit Beda : utrumque populum disertius interpretatur Hier. in Epitaph. Paul. et Aug. serm. 88. De verb. Evang. Matth. X.

(472) Vid. Aug., lib. II QQ. Evangelicarum, cap. 48.

(473) Præclare ad idem faciendum nos hortatur S. Aug. serm. 18. De verb., D., n. 13. « Qui diligunt sæculum contradicunt : quid insanis? Nimius es; nunquid alii non sunt Christiani? ista stultitia est, ista dementia est; et cætera talia, turba clamat... Bonos Christianos, vere studiosos, volentes facere præcepta Dei... Christiani mali et tepidi prohibent., Clament illi, non deficiant, neque ducantur, quasi auctoritate turbarum, » etc.

(474) Non multum absimili modo Origenes. Origen. Huet., t. I, pag. 436. « Duos discipulos si interpreteris, anagogice dices, unum quidem esse ordinem eorum qui ministrant circumcisis, alterum autem qui gentibus. »

(475) Hieron. « Asina ista quæ subjugalis fuit et edomita et jugum legis traxerat, Synagoga intelliga-

Digitized by Google

unquam hominum sederat. Uterque autem ligatus erat, uterque solutione indigebat. Non poterant solvi ab uno, solvuntur autem a duobus : nemo enim nisi utriusque Testamenti manibus solvitur ; nemo nisi utriusque Testamenti fide et doctrina a peccatorum vinculis liberatur. Sequitur : *Et si quis vobis aliquid dixerit : Dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos. Dominus*, inquit, *his opus habet*. Et non qualiscunque dominus, sed horum quoque, et omnium Dominus. 99 Unde et sine adjectione dicitur Dominus : in eo enim quod Dominus dicitur et non additur cujus, omnium Dominus esse ostenditur. Quis igitur tenere audeat, quos omnium Dominus solvere jubet. *Hoc autem factum est ut adimpleretur quod scriptum est per prophetam dicentem : Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subjugalis.* Exposuit evangelista cur Dominus omnia hæc facere voluerit, ne forte inconveniens et indecens hoc alicui esse videretur, ut, in illo tam parvo itineris spatio, quasi fatigatus super asinum Dominus sederet. Alii enim evangelistæ non super asinam et pullum, sed super pullum solum, Christum Dominum sedisse narrant. Matthæus autem suo more, non rem ipsam, sed significationem sequens, simul cum propheta eum super utrumque sedisse dicit : corporaliter enim super pullum, spiritualiter autem super utrumque Dominus sedit. Qui enim intelligit quid uterque significet, intelligit etiam quomodo in utroque Dominus sedeat : anima enim justi sedes est sapientiæ. *Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus, et adduxerunt asinam et pullum; et imposuerunt super eos vestimenta sua ; et eum desuper sedere fecerunt.* Si enim, ut superius dictum est, duo isti discipuli duo testamenta intelliguntur, quæ erunt eorum vestimenta, nisi singulæ sententiæ quibus ornantur et vestiuntur? Si igitur Christum portare et ejus asinus esse velis, necesse est ut his sententiis vestiaris, et hac doctrina et fide orneris : his enim vestibus induitur anima, his ornatur et decoratur : nuda enim et paupercula est, quæ his induta et ornata non est (476). *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via.* Testamenta quidem duo sunt. Testamentorum vero libri plures sunt : A plurima igitur turba, id est omnis patriarcharum et prophetarum multitudo vestimenta sua in via straverunt; viam Domino paraverunt, et fidem suam alios docuerunt. *Alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via.* Isti enim alii, apostoli sunt et doctores, isti de singulis prophetarum libris, quasi de quibusdam arboribus, ramos cædunt, sententias exponunt, et viam parant et sternunt, per quam Christi animalia incedere debeant. Et bene isti ramos de arboribus cædere dicuntur, quia non suam sed aliorum fidem et doctrinam exponunt et prædicant. *Turbæ autem quæ præcedebant et quæ sequebantur, clamabant, dicentes : Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini : Hosanna in altissimis.* Turbæ enim B præcedentes et sequentes, utriusque Testamenti populi sunt : ambæ igitur clamant, quia uterque populus Christum prædicat, et benedicit. Quid enim aliud significat *Hosanna filio David*, nisi gloria, laus et honor filio David, sive etiam, salus sit nobis, filio David? Quamvis enim hæc vox certam significationem non habeat (477), laudem tamen potius significare videtur, quæ in ore totius populi de Christi laudem et gloriam personabat.

LXXXVI. *Et cum intrasset Jerusalem, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic? Populi autem dicebant : Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ.* In proximo enim bella acturus, et de hostibus triumphaturus, cum triumpho et gloria ad impiam civitatem, et ad locum certaminis Dominus C venit. Certus enim de victoria ante bellum, quod fieri non solet, triumphum suscepit. Ingressus igitur civitatem cum hac tanta gloria, *commota est universa civitas, dicens : Quis est hic?* Omnes ei obviam ruunt, omnes eum videre desiderant, et ipsa facie cognoscere cupiunt, quem jam in miraculorum fama cognoverant : suscitaverat enim Dominus Lazarum illis diebus, ad cujus miraculi magnitudinem omnes stupebant. *Et intravit Jesus in templum Dei, et ejecit omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.* Audite hæc, Simoniaci, audite, nefandi negotiatores : aut cessate a negotiis aut exite de templo. Non enim unum vel duos, sed indifferenter omnes et vendentes et ementes Domi- D

tur ; pullus asinæ lascivus et liber, gentium populus, quibus sederit Jesus, missis ad eos duobus discipulis suis, uno in circumcisionem, et altero in gentes. » Idem ex Hieronymo, Beda.

(476) Hieron. « Pullus iste et asina.... ante adventum Salvatoris nudi erant.... Vestis autem, apostolica vel doctrina virtutum, vel edissertio Scripturarum intelligi potest, sive ecclesiasticorum dogmatum varietates, quibus nisi anima instructa fuerit et ornata, sessorem habere Dominum non meretur. » Idem iisdem Hieronymi verbis Beda. Fuse de allegoria vestium; et substratorum ramorum Ambrosius l. IX in Luc. ubi inter cætera monet : « Cave ne lutulentis pedibus incedas, cave ne transversis gressibus perstrata tibi propheticarum viarum itinera derelinquas. »

(477) Quam verum hoc sit, constat ex epistola Hieronymi ad Damasum 20. Vallars. ubi Hilarii, et veterum aliorum explicationem ponit, ac deinde suam; quam epistolam memorat hic in Comment. breviusque idem quod ibi fusius dixerat, significationem vocis exponit, « quod adventus Christi salus mundi sit. » Hieronymi explicationem, eo laudato, memorat et sequitur Beda ad cap. 11. Marc. « Hosanna » id est *salus* : « Hosanna » *Salva, obsecro*. « significat. » Alias explicationes quas A. memoravit, V. ap. Hieronymum. Alii opinati sunt Hosanna *gloriam* dici, etc. Fuse recentiores quoque de hac voce Jansenius Concord., c. 110; Maldonatus, a Lapide, etc. V. et Macri in Dict., etc. Oratorium Hosannæ in patriarchio ornatum in nomine B. Petri Ap. memorat in Gregorio II. Anastasius juxta lectionem Vignolii, num. 10.

Digitized by Google

nus templi ejecit de templo. Ipse et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit. Vos nummularii estis, vos columbas venditis, vos sine nummo et pretio nihil agitis. Columbas enim vendunt, qui vel ecclesias vel Sancti Spiritus gratias pretio largiuntur : horum autem cathedras Dominus evertit, ut per hoc eos non esse episcopos intelligamus (478). *Et dicit eis :* **100** *Scriptum est : Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Latrones enim vos estis : « Qui enim non intrat per ostium in ovile ovium, fur est et latro (*Joan.* x, 1). » Ostium enim Christus est, qui, quoniam per eum non intrastis, vestras cathedras evertit : per hoc enim ostium illi intrant, qui secundum canonum instituta constituuntur. Exite igitur de domo orationis, quæ, quoniam vos in ea habitatis, facta est spelunca latronum. *Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos.* Qui igitur cæcus est et veritatem non intelligit; qui claudus est et recto itinere non incedit, festinet ad templum! ibi inveniet Jesum, ibi illuminabitur et sanabitur. *Videntes autem principes sacerdotum et Scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo et dicentes : Hosanna filio David, indignati sunt, et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis : Utique; nunquam legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* Quod enim principes sacerdotum et Scribæ indignantur, invidia est; quod vero pueri Deum laudant, prophetiæ adimpletio est. Sic enim prophetaverat ipse David, quo ex ore infantium et lactentium prædicandus et laudandus Dominus esset. *Et relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit.* Manet enim Dominus usque nunc in Bethania, quæ *domus obedientiæ* interpretatur (479); quia relicta Synagoga, in Ecclesia habitat, quæ ejus est obediens voluntati. *Mane autem revertens in civitatem esuriit, et videns ſci arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum, et ait illi : Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Dominus enim qui nunquam sine ratione aliquid agit, quando sine ratione aliquid agere videtur, alicujus magnæ rei significatio est. Cui enim rationabile videatur, ut eo tempore in arbore fructum quærat, quo sine fructu arbores sunt? Nunquid enim fructuum tempus ignorat, fructuum et arborum temporumque Creator? Esurit igitur Dominus non ficus, sed fidem : non fructus arboris quærit, sed fructum operis. Hæc enim ficus Synagoga est (480) : quæ secus viam plantata, nullum transeuntibus solatium parat. Venit Dominus ad eam, et nihil nisi folia invenit in ea. Folia enim verba sunt, folia litteræ sunt; hæc habet Synagoga; bene enim loquitur, sed non agit quod loquitur. Omnia autem hæc de illa parte Synagogæ intelligi debent, quæ in sua infidelitate perdurat (481), et loquacitatis foliis obumbrata spiritualis intelligentiæ fructum non reddit : huic enim maledixit Dominus. Pro alia vero Synagogæ parte oravit, dicens : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* xxiii, 34). » Isti igitur qui maledicuntur, et qui in æternum fructum non reddunt, Scribæ et Pharisæi sunt, qui in Salvatoris nostri morte nimia invidia exarserunt. *Et arefacta est continuo ficulnea; et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes : Quomodo continuo aruit!* Altera vero die, ut Marcus ait, *cum mane* inde *transirent* (482), dixit Petrus ad Jesum : *Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit.* Quotidie Dominus infructuosis arboribus et iniquis hominibus maledicit, et quotidie arefiunt et igni traduntur quibus maledicit. Maledicit autem et per se et per servos suos. Unde et subditur : *Respondens autem Jesus, ait eis : Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis : Tolle et jacta te in mare, fiet.* Hanc enim fidem Christi discipuli postea habuerunt, quia cæcos illuminantes, leprosos mundantes, mortuos suscitantes, et alia miracula facientes (483), verum esse quod Dominus promiserat, ipso experimento didicerunt. *Et omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis.* Hoc autem aliter intel-

(478) Vid. præfationem ad h. op. et animadvertas auctoris in Simoniacis insectandis vehementiam quasi adversus vitium quod suam ætatem inficeret. Non enim negamus, ad hunc ipsum locum aliquid contra istam pestem PP. dixisse. Nam Hieronymus (quem suo more Beda ferme exscribit) : « Quotidie Jesus ingreditur templum Patris, et ejicit omnes tam episcopos, et presbyteros, et diaconos, quam laicos et universam turbam de Ecclesia sua et unius criminis habet vendentes pariter et ementes. Scriptum est enim : » *Gratis accepistis, gratis date.*

(479) Sic Origenes interpretatur ad h. l. et Hieron. « Ivit Bethaniam quod interpretatur *domus obedientiæ*, jam tunc vocationem gentium præfigurans. » Atque ita etiam S. Bernardus serm. ad milit. templ. cap. 13, unde informationem ad virtutem obedientiæ colligit. « Hoc ergo in loco, » ait, « breviter intimatum. Sufficiat, quod quidem nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacrymam pœnitentis extra Bethaniam accepta esse poterunt illi, qui tantam habuit obedientiam, ut vitam suam ipsam perdere maluerit, factus Patri obediens usque ad mortem. »

(480) S. Aug., serm. 89, n. 1, « ea est Synagoga non vocata sed reprobata. » S. Augustinum laudat S. Gregorius lib. VIII, quæst. 42 : « Hoc quod de ficulnea dixistis in eo sensu proprie B. Augustinus loquitur, quia cum evangelista subjungit : » *Nondum enim erat tempus ficorum* « aperte cognoscitur, quod per ficum Dominus in Synagoga fructum quæsierat, quæ folia legis habuit sed fructum operis non habebat. » Synagogam interpretatur hic quoque Hieronymus, Ambrosius lib. VII in Lucam, Chrysologus serm. 106, et maxime Origenes, pag. 446, Huet.

(481) S. Aug. ibid. « Nam et inde vocatus est populus Dei qui veraciter et sinceriter in prophetis exspectabat salutare Dei Jesu Christi. »

(482) C. XI, 12. « Et cum vespera facta esset egrediebantur de civitate, et cum mane transirent, » etc.

(483) V. Hieronymum eos arguentem qui negabant apostolos, ob id quod fidem non haberent, miracula fecisse.

Digitized by Google

ligi debeat, superius exposuimus : ibi videlicet ubi dicitur : *Quia si duo ex vobis consenserint sibi super terram, de omni re quodcunque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est. Et cum venisset* **101** *in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum et seniores populi dicentes : In qua potestate hæc facis? Et quis dedit tibi hanc potestatem?* Stulti principes sacerdotum ! vident mortuos resurgere, et dicunt Christo : In qua potestate hæc facis? In qua enim potestate resurgunt mortui? Quis præter Deum hanc potestatem aliquando alicui dedit? Hæc est enim illa insania, qua alibi blasphemantes dicunt : « In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia (*Matth.* IX, 34); » quorum vesaniam intelligens, *respondit Jesus, et dixit eis : Interrogabo vos et ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, et ego dicam vobis in qua potestate hæc facio. Baptismum Joannis unde erat? e cœlo, an ex hominibus?* id est creditis, baptismum Joannis an ex præcepto Dei, an ex hominis adinventione factum esse? (484) Si enim huic interrogationi secundum veritatem responderent, ipsimet suam quæstionem exposuissent : qui enim credit Joanni, credit utique et Christo, quoniam Joannes Christo testimonium perhibuit. *Hoc autem illi intelligentes, cogitabant inter se dicentes : Si dixerimus e cœlo, dicet nobis, quare ergo non credidistis illi?* Joannes enim Christum prædicaverat, et eum Dei filium esse nuntiaverat. *Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam : omnes enim habebant Joannem sicut prophetam. Et respondentes Jesu dixerunt : Nescimus.* Veritatem dicere nolunt (485), mentiri timent, mentiuntur tamen dicentes, Nescimus. *Ait illi et ipse : Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.*

LXXXVII. *Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum dixit : Fili, vade hodie, operare in vinea mea. Ille autem respondens ait : Nolo; postea pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens ait : Eo, domine, et non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris. Dicunt ei : Primus. Dicit illis Jesus : Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei; publicani et meretrices crediderunt ei; vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.* Duo enim filii duæ partes populi sunt : altera quidem Scribæ et Pharisæi, et cæteri qui se justos esse fingebant; altera vero publicani et meretrices (486) : unde et alibi dicitur, quia « duo homines ascenderunt in templum ut orarent : unus Pharisæus et alter publicanus (*Luc.* XVIII, 10) : » hæc enim et illa parabola idem significare videntur. Accessit autem Dominus ad primum, id est ad publicanos et peccatores, qui quoniam plures sunt, primi dicuntur. Sed quomodo accessit? per nuntios suos, per Joannem Baptistam : ipse enim in deserto hos duos filios admonebat dicens : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Huic autem a principio publicani et peccatores credere noluerunt, sed postea pœnitentia ducti, undique confluentes baptizabantur ab eo in Jordane flumine, confitentes peccata sua : at vero principes sacerdotum et seniores populi, et cæteri tales qui semper se Deo servire et obedire fingebant et promittebant, videntes eum, neque pœnitentiam egerunt, neque ei credere voluerunt. Unde etiam quibusdam eorum ad baptismum venientibus quasi admirans, ait : « Progenies viperarum, quis docuit vos fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ (*Matth.* III, 7) : » Sic igitur publicani et meretrices præcedunt eos in regnum Dei.

LXXXVIII. *Aliam autem parabolam audite. Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei; et fodit in ea torcular, et ædificavit turrem in medio ejus; et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.* In figura (487) hujus hominis patrisfamilias Deum Patrem significat, qui vineam Sorec ex Ægypto transtulit, et in montibus Israel eam plantavit : unde Psalmista : « Vineam, inquit, ex Ægypto transtulisti; ejecisti gentes et plantasti eam (*Psal.* LXIX, 9). » De qua et propheta ait « Vinea facta est dilecto in cornu filio olei (*Isai.* V, 1) : » et paulo post : « Vinea enim Dei Sabaoth domus Israel est. » Huic autem *sepe circumdedit*, quia sua virtutis præsidio eam muniit : et *fodit in ea torcular*, per quod altare intelligitur, in quo quasi vinum in torculari, hostiarum sanguis quotidie fundebatur. *Ædificavit autem turrim in medio ejus*, templum videlicet, in quo Judæorum populus maxime confidebat. *Et locavit eam agricolis*, quia terram illam lacte et melle **102** manantem Judæis tradidit ad inhabitandum. *Et peregre profectus est*, quia longe est a peccatoribus salus. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus; et agricolæ, apprehen-*

(484) V. Tertull., lib. De baptismo, cap. 10.

(485) « Illi in eo quod nescire se responderant, mentiti sunt, » Hier.

(486) Duos filios gentilem populum et Judaicum interpretantur Origenes, p. 456, Huet., Hieronymus, Chrysostomus hom. 68, Beda, etc. Proxime ad A. Hilarius. « Primus est filius, populus ex Pharisæis... Hic insolens et inobediens et dictis præsentibus contumax fuit, habens in lege fiduciam... filius autem minor plebs est publicanorum et peccatorum, ipsa peccati, in qua tum demorabatur conditione, posterior, » etc. Quin etiam Hieron. ad v. 31. « Publicani et peccatores præcedent, » etc., scribit : « eo quod illi qui per mala opera Deo se servire negaverant, postea pœnitentiæ baptismum acceperint a Joanne : Pharisæi autem, » etc.

(487) Origenes pag. 458, Huet. « Qui nos præcessit populus et Dei pars fuit, vinea erat... Deus autem, quo tutus erat, præsidium, ea erat sepes; ipse templum turris erat; torcular vero libationum locus; agricolæ autem sacerdos, et sapientes populi; hic vero profectio, quando Dominus non ita ampla apparuit; » Hieron. in eamdem ferme sententiam « sepem » interpretatur vel *murum urbis*, vel *angelorum auxilia*; « torcular, » *altare*, et de turri, « haud dubium, quin templum. »

Digitized by Google

sis servis suis, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Hoc est enim quod propheta ait : *Et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas* (*Isai.* v, 2). Isti enim servi viri sancti et prophetæ fuerunt (488), quos ad illum populum corrigendum, et ad suum servitium invitandum Dominus misit. *Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter :* Unde et beatus Stephanus ait : « Quem enim prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis. Novissime autem misit ad eos filium, dicens : Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se : Hic est hæres; venite occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus (*Act.* VII, 52). » Manifesta sunt hæc, in quibus passionem suam Dominus prophetabat; nos autem omnia jam completa videmus et credimus. Agricolæ enim, id est principes sacerdotum, nisi Christum interficerent, et locum et gentem se amittere timuerunt : ideoque dederunt consilium populo, ut eum interficerent. *Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.* Quid est enim extra vineam, nisi extra civitatem? Hoc est enim quod Apostolus ait : « Quorum enim animalium infertur sanguis in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra (*Hebr.* XIII, 11). » Ita et Jesus « ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est (489). » Compleverunt igitur isti malo suo, quod illi significabant in sacrificio suo. *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Interrogat eos Dominus sententiam judicii, ut ipsimet suo judicio seipsos damnent (490). *Aiunt illi : Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Quid est, o principes sacerdotum, quod modo non respondetis, *nescimus*, sicut superius, cum de baptismo Joannis vos Dominus interrogaret, nisi quia hanc parabolam nondum intelligitis? si enim intelligeretis eam, aut nullum, aut aliud daretis responsum. Lucas tamen dicit, quod Pharisæi audito verbo responderint : « Absit! » (*Luc.* XX, 17) quod tale fuit ac si dicerent : Absit ut te occidamus, et ideo pereamus! *Dicit illis Jesus : Nunquam legistis in Scripturis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.* Hæc enim et superior parabola idem significant (491). Principes enim sacerdotum et Scribæ et Pharisæi, qui, legem exponentes et populum docentes, Synagogam ædificabant, Christum Dominum nostrum, lapidem videlicet angularem non solum reprobaverunt, verum etiam morte turpissima occiderunt. Hic autem *factus est in caput anguli, jungens duos parietes*, unum ex circumcisione, alterum ex præputio venientem : et hoc quidem a Domino *factum est, et est mirabile in oculis nostris.* Cui enim non videatur esse mirabile, quod ille, qui modo cum latronibus suspensus fuit, nunc ab utroque populo caput et Dominus habeatur, et ubique regnans ab omnibus adoretur? *Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Quia enim hæc et illa fecerunt, quia hunc lapidem reprobaverunt et Dei Filium occiderunt, ideo regnum Dei auferetur ab eis, et dabitur gentili populo qui est melior eis. Unde et per prophetam Dominus ait : « Vocabo non plebem meam plebem meam : et non misericordiam consecutam misericordiam consecutam (*Rom.* IX, 25) : » *et qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem vero ceciderit conteret eum.* Illi enim super istum lapidem cadunt, qui male de Christo intelligentes et a fide catholica aberrantes, in eum offendunt (492) : unde Apostolus ait : « Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali, et omnis qui crediderit in illum, non confundetur (*Ibid.*, 33). » Ipse quoque Dominus ait : « Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me (*Luc.* VII, 23). » *Super quem vero ceciderit, conteret eum.* Super quem enim cadit Dominus, nisi super eos quibus irascitur et indignatur? Ipse est enim ille lapis, qui in Daniele, « abscisus de monte sine manibus (*Dan.* II, 34), » totam illam famosissimam statuam comminuit, per quam omnis iniquorum multitudo figuratur. *Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.* Apparet igitur quod ejus verba prius non intellexerunt, atque ideo sua se responsione damnaverunt.

103. LXXXIX. [CAP. XXII.] *Et respondens Jesus dixit iterum in parabolis, dicens eis : Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Tunc enim Deus Pater qui omnium rex et Dominus est, filio suo Jesu Christo Domino nostro nuptias fecit (493), quando eum ut carnem nostram

(488) Prophetas Hieron. quoque interpretatur. Hilarius quoque « in servis qui missi sunt, ut fructus perciperent, varius et sæpe repetitus progressus est prophetarum. »

(489) Hier ad h. l. et « Apostolus loquitur quod extra portam Jesus crucifixus sit. »

(490) Hic quoque B. Hieronym. videtur A. præ oculis habuisse « interrogat eos Dominus non quod ignoret quid responsuri sint, sed ut propria responsione damnentur. »

(491) Idem observavit Hieron. ad h. l., « variis parabolis diversisque, res eædem contexuntur. »

(492) Hieron. « Aliud est offendere Christum per mala opera, aliud negare. Qui peccator est et tamen in illum credit... confringitur, sed non omnino conteritur..... qui Christum penitus negaverit sic conteret eum, ut ne testa quidem remaneat, in qua hauriatur aquæ pusillum. »

(493) Origenes pag. 472. « Homo rex tropice Deus et Christi pater esse dicitur; nuptiæ autem filii regis, Ecclesiæ Christi, sponsæ sponso ipsius Christo, restitutio; servi vero ad vocandos eos missi

Digitized by Google

susciperet in mundum misit. Ipse enim speciosus forma præ filiis hominum, nostræ carni conjunctus, tanquam sponsus processit de thalamo suo. Ipse sibi gloriosam Ecclesiam, ut Apostolus ait, « sponsam elegit, non habentem maculam neque rugam (*Ephes.* v, 27). » Instar enim cantici nuptiarum totus ille liber editus est, qui Cantica canticorum vocatur. *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.* Omnes enim patriarchæ et Prophetæ ad Christi nuptias Judæos invitaverunt, omnes ejus adventum prædixerunt, omnes Novi Testamenti delicias laudaveruut; ipsi tamen venire et eas recipere noluerunt. *Iterum misit alios servos, dicens : Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa, et omnia parata sunt, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt.* Isti enim alii servi, apostoli sunt et doctores qui, jam paratis nuptiis et Scripturis ad intelligendum apertis, prædicare et ad nuptias Judæos invitare, a Domino missi sunt. Totum hoc prandium, quid aliud est, nisi spiritualis intelligentia utriusque Testamenti? Hic enim tauros, agnos, et aves et cuncta ad alendum et edendum deliciosa invenies : his enim cibis reficitur anima (494), his deliciis saturatur et pinguescit intelligentia, quasi enim tauri sunt, quæque sententiæ majores, et ad tenendum et ad intelligendum difficiliores; aves vero sunt sive alites quæ altius volando, et de spiritualibus loquendo, mentes nostras ad cœlestia elevant. Hæc autem tunc occisa et parata sunt, quando intellectu et ratione superata, et memoriæ commendata, jam neque fugere, neque intelligentiæ resistere possunt. De tauris enim sive vitulis per Osee dicitur : « Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum et reddemus vitulos labiorum nostrorum (*Ose.*, xiv, 3). » Quid sunt enim vituli labiorum, nisi sententiæ Scripturarum, et laudes Dei, quæ in eis continentur? Quod vero etiam avis, sacra Scriptura dicatur, audi quid per Moysen Dominus dicat : « Si ambulans per viam nidum avis in arbore vel in terra invcneris, et avem pullis vel ovis desuper incubantem, dimitte avem, captos tenens filios, ut bene sit tibi et longo vivas tempore (*Deut.* xxii, 6). » Hæc enim avis, littera est, quæ sub alarum velamine pullos vel ova, id est spiritualem intelligentiam clausit : quæ quidem per loca difficiliora in arbore, per planiora vero in terra nidificat. Per hujus igitur volumiuis viam ambulantes hu'us avis nidum aliquando in arbore, aliquando in terra invenimus : ut ergo longo vivamus tempore, dimittamus avem et litteram quæ occidit, teneamus pullos et ova, id est spiritualem intelligentiam quæ vivificat. Et isti quidem sunt illi tauri : hæ sunt illæ aves; hæc sunt illa altilia, quæ in nuptiis Filii sui nobis Deus præparavit. Has autem delicias Judæi *neglexerunt*, has recipere et comedere noluerunt : ideoque *abierunt : alii in villam suam, alii vero in negotiationem sûam.* Nos enim in civitate Dei, nos in sancta Ecclesia harum nuptiarum delicias edimus : illi autem in villa morantur; illi in grosso pane litteræ et rusticano cibo delectantur. In villa enim sunt quicunque extra Ecclesiam sunt. Possunt autem Judæorum villæ, singuli legis et prophetarum libri intelligi. Et quoniam Judæi ubique terrarum de fraude, mercato, usura et deceptione vivunt, non immerito ad negotiationem suam abiisse dicuntur. *Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumelia affectos occiderunt.* Per hos enim illos intelligimus, qui primitivam Ecclesiam persecuti sunt : unde et apostolis dicitur : « Quia ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumelias pati (*Act.* v, 41). » *Rex autem cum audisset, iratus est; et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.* Hæc autem quia secundum litteram facta sunt, allegorice exponere, non videtur esse necessarium. Post namque quadraginta et duos annos (495) exercitus suos, id est Romanorum principes adversus Judæos Dominus misit, qui eos occiderunt et vendiderunt, et non solum **104** eorum civitates, verum etiam ipsum templum famosissimum et nobilissimum succenderunt. *Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt : sed qui invitati erant, non fuerunt digni.* Quid nuptiæ significent, superius diximus : quibus quoniam Judæi indigni fuerunt, gentilis populus ad eas comedendas vocatur. Quid est autem præparatio nuptiarum, nisi sanctarum expositio Scripturarum (496). *Ite ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.* « Non est enim personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* x, 34). » Ubique suos discipulos mandat, omnes ad fidem vocat, cunctos ad regni sui gloriam invitat. *Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt malos et bonos : et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.*

qui ad nuptias fuerant invitati, ii sunt prophetæ. » Hieron. « Rex iste qui fecit nuptias filio suo, Deus omnipotens est; facit autem nuptias Domini nostri Jesu Christi et Ecclesiæ; » *Et misit servum suum* « haud dubium quin Moysen per quem legem invitatis dedit. Si autem » *servos* « legerimus, ut pleraque habent exemplaria, ad prophetas referendum est... Servi qui secundo missi sunt, melius est ut prophetæ intelligantur, quam apostoli. » Spectavit, credo, ad Hilarium scribentem « servi missi qui invitatos vocarent, apostoli sunt. »

(494) Hieron. « Prandium paratum et tauri et altilia, occisa vel per metaphoram opes regiæ describuntur, ut ex carnalibus intelligantur spiritualia; vel certe dogmatum magnitudo, et doctrina Dei lege plenissima sentiri potest. »

(495) Cum constet Jerosolymam captam atque eversam anno vulg., ær. LXX, hinc retrocedendo per annos 42, perveniemus ad an. 28, qui, ex maxime recepta chronologorum sententia, præcessit annum Christi mortis, quando hæc Dominum prænuntiasse, constituere facile possumus; ut mira sit ea ætate auctoris nostri in chronologicis istis accuratio.

(496) V. Gregor., hom. 38 in Evang.

Digitized by Google

In hac enim arca frumentum, et paleæ, triticum et zizania boni et mali simul versantur (497). Impletæ sunt nuptiæ; convenerunt gentes; annuntiaverunt apostoli et locuti sunt, multiplicati sunt super numerum. *Intravit autem rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Quomodo enim alicubi intrat, qui ubique est? Quia enim omnipotens Deus non statim punit, et in multa patientia nos sustinens, peccata nostra videre dissimulat, quasi abesse videtur: adest autem quando nos punire et affligere incipit. Veste autem nuptiali indutus non est, qui fidem non habet et Christum non imitatur: unde Apostolus ait : « Exuite vos veterem hominem, et induite novum (*Ephes.* IV, 22). » « Quicunque enim baptizati estis in Christo Jesu, Christum induistis (498) (*Galat.* III, 27). » Et ait illi : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Hoc enim specialiter illis dicere videtur, qui ad Christi corporis et sanguinis sacramenta indigne accedunt. Poterat enim iste respondere se cum veste nuptiali ad convivium venisse, sed eam postea amisisse ; nisi quia stupore et timore oppressus, obmutuit. *Tunc dicit rex ministris : Ligatis pedibus ejus et manibus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium.* Hæc enim sententia datur in illos, qui excusationis verbum nullum habent, quod Deo respondeant. Semper enim his nuptiis Deus interest; semper bene et male indutos videt; et quamvis ipse a nemine videatur, semper tamen alios ad pœnam, alios ad gloriam parat et judicat. Quod autem pedibus manibusque ligantur, sine viribus et fortudine eos esse ostendit. Tenebræ vero exteriores illæ sunt, ultra quas aliæ tenebræ non sunt. In fletu vero et stridore dentium, doloris immensitas significatur. *Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.* Multi enim vocantur ad nuptias, pauci vero introducuntur in regis thalamum et gloriam.

XC. *Et abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone* (499). Stulti Pharisæi, qui A se in sermone verbum Dei capere putant, et suis consiliis sapientiam fallere arbitrantur. *Et mittunt ei discipulos suos.* Cum quibus? cum Herodianis, id est cum Herodis ministris, qui tributa colligebant (500). Hæc est igitur Ecclesia malignantium, hoc est concilium veritatis! Mali magistri, mali discipuli, malis ministris sociantur. Cum fraude veniunt, cum calliditate loquuntur. Sed quid dicunt? *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo ; non enim respicis personam hominum.* Valde **105** bene loquuntur Pharisæi; sed aliud ore et aliud corde loquuntur. Ex venenoso fonte dulcia verba prorumpunt. Huic enim tantæ simulationi Psalmista respondens ait : « Si vere utique justitiam B loquimini, recte judicate filii hominum (*Psal.* LVII, 2). » Quem magistrum vocatis, et veracem dicitis, sicut magistrum et veracem diligite, colite, et sequimini. *Dic ergo nobis quid tibi videtur : licet censum dare Cæsari an non?* Putaverunt enim isti Christum Dominum nostrum, quem pietatis et justitiæ amicum esse cognoverant, respondere ut potius templo et Deo offerrent quam Cæsari, homini scilicet iniquo, tributa darent : qua occasione Herodiani commoti cum raperent, ad judicem traherent, et quasi reum accusarent. Sed si censum dare non liceret et si tributa solvere esset peccatum, ipse utique tributum pro se dari non præcepisset. Sic enim superius ait : « Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus C accipiunt tributum vel censum? a filiis suis an ab alienis? Et ille dixit : Ab alienis. Respondit Jesus : Ergo liberi sunt filii, ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primum ascenderit tolle : et aperto ore ejus, invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te (*Matth.* XVII, 24). » Qui igitur, ne scandalum fieret, quamvis non deberet, tributa persolvit, non erat conveniens ut ad lites et scandala concitanda, censum dare alios prohiberet. *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait : Quid me tentatis, hypocritæ?*

(497) V. Hier. ex Apostolo ad Rom. hæc explicantem, et Aug.

(498) Tertullian. De ressurrection. carn., c. 22. « In Evangelio indumentum nuptiale sanctitas carnis agnosci potest. » Cap. 35. « Si quis in nuptiis D minus dignis operibus fuerit indutus, constringendus statim manibus et pedibus, » etc. Origenes, pag. 480, Huet. « Unum autem veste nuptiali non indutum vidit, omnes comprehendens, qui nequitiam sibi ante fidem adhærescentem retinuerunt. » Hilar. « Vestitus autem nuptialis est... candor habitus cœlestis qui bonæ interrogationis confessione susceptus, usque in cœtum regni cœlorum immaculatus et integer reservatur. » S. Aug., serm. 90, ubi totam hanc parabolam explanat. « Charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, hæc est vestis nuptialis. » Idem, serm. 114, num. 7, et ad Donat. post collat., n. 27 : « Isti in honore sponsi induti sunt veste nuptiali, non sua quærentes, sed quæ Jesu Christi; illi autem non habent vestem nuptialem, hoc est fidissimam sponsi charitatem, sua quærentes, non quæ Jesu Christi. » S. Leo, ser. 12 De Quadr. 50, ex rec. Ball. « Qui sacramentum suæ reparationis intelligit, carnis se vitiis debet exuere, et omnes sordes abjicere peccatorum, ut intraturus nuptiale convivium splendeat veste virtutum. » Hieron. et Beda : « Vestis autem nuptialis præcepta sunt Domini et opera quæ complentur ex lege et Evangelio, novique hominis conficiunt vestimentum. » S. Bernardus, serm. 2, in cap. jejun. « Vestes enim nostræ virtutes sunt, bona vestis charitas, bona vestis obedientia est. » Atque hinc interpretes, Jansen., Concord., cap. 115, Malvenatus, Cornelius a Lapide, etc. admonent contra recentiores hæreticos, a PP. pro nuptiali veste nequaquam intelligi solam fidem : quare bene A. noster adjunxit fidei Christi imitationem.

(499) « Tunc abeuntes Pharisæi, » etc. Est hom. S. Brunonis Eusebio Emis. attributa.

(500) Origenes, pag. 482. « Veri quippe simile est qui tributum Cæsari in populo pendi vellent, Herodianos ab iis fuisse appellatos, qui id nequaquam faciendum esse statuebant; qui autem libertatis specie ducti, quominus vectigal Cæsari pensitaretur, impediebant, ii fuisse videntur Pharisæi. » S. Hieron. quoque ad h. l. « Cum Herodianis » expli-

Digitized by Google

Stultum est enim ei per hypocrisim et simulationem loqui, quem occulta non fallunt, qui corda videt et cogitationes considerat. *Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.* In denario autem scripta erant Cæsaris nomen et imago. *Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei : Cæsaris* (501). Vide quomodo ipsa sua responsione eos ligat; vide quomodo Dei sapientia comprehendit hujus mundi sapientes in astutia eorum! Ipsi enim testes sunt Cæsaris hoc esse quod ostendunt : quod si Cæsaris est, quare Cæsari non reddatur? imo quare Cæsari tollant quod Cæsaris esse fatentur? *Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Nolite Cæsari injuriam facere, nolite ei sua auferre, ne si sua ei auferre velitis, ipse qui vobis potentior est, et sua et vestra auferat vobis. Quam bene huic loco convenit quod quidam ait : « Arma tenenti omnia dat qui justa negat. » Et quæ sunt Dei, reddite Deo. Nihil enim est quod Dei non sit; illud tamen specialiter ejus esse dicitur, quod magis ab eo diligitur. Diligit enim omnem suam creaturam, secundum illud : « Misereris omnium, Domine; et nihil odisti eorum quæ fecisti (*Sap.* XI, 24, 25) : » sed illam præcipue diligit, per quam fecit cæteras creaturas. Sua igitur imago reddatur Cæsari, et sua imago reddatur Deo; ad imaginem namque Dei factus est homo. Reddamus Deo imaginem suam (502); reddamus Deo animas nostras : nil charius habemus; hoc igitur tributum solvere debemus. *Et audientes mirati sunt; et relicto eo abierunt.* Mirantur Pharisæi se tam facile esse conclusos; et qui ad hoc venerant, ut Christum caperent in suo sermone, se ipsos in suis sermonibus captos esse cognoscunt.

XCI. *In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.* In illo, inquit, die quo Pharisæi victi recesserunt, in illo Sadducæi vincendi accesserunt. *Et interrogaverunt eum dicentes : Magister, Moyses dixit : Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres, et primus uxore ducta defunctus est; et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus et tertius usque ad septimum : novissime autem omnium et mulier defuncta est. In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam.* Verum est utique ses hoc dixit, ut frater uxorem fratr suscitandum semen fratris sui; hæc a qua septem fratres unam uxorem hab Sadducæorum adinventio est (503). quosdam in his septem fratribus sept est Eptaticum (504) intellexisse : hanc adinventionem ideo Sadducæi Domin ut, per hanc, resurrectionem mortuor probarent, **106** dicentes : Aut enim eam habebunt, aut nullus : si enim unu habeat, cæteris injuriam faciet; quoc mune est, nemo sibi quasi proprium v bet. Huic autem tanto errori veritatis spondens ait : *Erratis, nescientes Scri virtutem Dei.* Et mox ipsum errorem in ostendit, dicens : *In resurrectione en bent, neque nubentur.* Per quod signifi bare voluisse, ut si homines resurger hoc sæculo, ita etiam in futuro viri commiscerentur. Sed quare sic erraba *sciebant Scripturas neque virtutem Dei* illud intelligebant quod Moyses dixer virtutem et omnipotentiam credebant, tam omnium resurrectionem posse bant. Non enim sicut hic, ita et ibi fiet modo, ita tunc voluptati operam dabu *sicut angeli Dei in cœlo.* Angeli enim casti et virgines sunt : tales igitur et ho Quod autem mortuorum resurrectio fi pturæ testimonio subinferens, ait : *De mortuorum non legistis quod dictum est vobis : Ego sum Deus Abraham, Deus I Jacob : non est Deus mortuorum sed* si dicat : Si, ut vos male putatis, homo non esset, nequaquam se Deus, patriar esse diceret, cum utique ipse sit Deus non eorum qui non sunt, sed eorum *audientes turbæ mirabantur in doctrina* autem Sadducæi errantes, neque Scrip gunt neque virtutem Dei, videamus quid illa Scriptura significet, quam suscitando fratris semine Domino Non enim hoc secundum litteram in E ditur, imo vero ne custodiatur omnino aliter igitur eam intelligere oportet.

cat, « id est militibus Herodis, seu quos illudentes Pharisæi quia Romanis tributa solvebant Herodianos vocabant, et non divino cultui deditos, » additq. ; « Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant qui Herodem Christum esse credebant : quod nusquam omnino legimus. » Ex Latinis hisce Philastrius fuit hær. 28, et auctor appendicis ad Tertullianum de præscriptionibus. Vid. Huetium, Baronium, et interpretes.

(501) Non quod certus esset statutusque nummus, i l est nummi genus, quod id censum solveretur, sed talis esset denarius quem stulte Christo ol.tulerunt. Ita Fucher., De num. cens.; Vales., De num. Hebr., l. II, c. 20, et eruditiores interpretes.

(502) Vid. auct. Imperfecti, hom. 42.

(503) Hieron. : « Turpitudinem fabulæ opponunt, ut resurrectionis denegent veritatem. homil. 71 : « Audacia temeritatis plen simul et pertinax adeo est, ut impos invadere non vereatur... rem non fa puto, confingunt, putantes ambigentem et resurrectionis mysteria postea derid

(504) Pro *Heptateucho*, id est collect tateucho et seqq. duobus libris Josue Utitur hoc nomine Eptatici Alcuinus prælixo libris sacris :

Eptaticus enim librum decurrit in i
Quem Ruth consequitur femina cla

Cl. Lambecius mendosam vocem putav lem non esse videre poterat ex Hiero lib. I, Paralipomenon, ex Aratore, lib Gregorio lib. XII, ep. 30, etc.

Digitized by Google

quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. Isti enim sunt illi fratres de quibus dicitur : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII, 1). » Isti, etsi non corpore, mente tamen et spiritu omnes simul habitant. Ex his autem unus quilibet absque liberis moritur, quando aliquis episcopus ex hac vita transiens, nullum ex omnibus suis subjectis in Ecclesia sua talem relinquit, qui ejus cathedra dignus habeatur (505). Quæritur igitur ex alia Ecclesia cui uxor defuncti conjungatur : et ipse quidem non alius eligitur, nisi qui ejusdem defuncti frater fuerit : frater utique non natura, sed moribus, ut ejusdem bonitatis et humanitatis, ejusdem sit fidei et charitatis, et quasi frater fratri consimilis. « Iste autem suscitabit semen fratris sui (*Deut.* XXV, 5), » ut quos vel in peccatis mortuos, vel malo somno gravatos invenerit, ad bonum opus evigilare faciat. *Et primogenitum nomine illius appellabit.* Primogenitum quidem, non qui prius genitus sit, sed qui merito sanctitatis inter omnes ejus genitos primus et maximus habeatur. Et iste quidem vocabitur episcopus; hoc est enim nomen defuncti. Quare hoc? Ut non deleatur nomen ejus ex Israel : ut nunquam Ecclesia episcopo careat, et nunquam hoc nomen in ea deficiat. « Si autem noluerit accipere uxorem fratris sui quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis et interpellabit majores natu, dicetque : Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel, nec me in conjugium, sumere. Statimque accersiri eum facient et interrogabunt ; si responderit, nolo eam uxorem accipere, accedat ad eum mulier coram senioribus et tollat calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius et dicet : Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel, domus discalceati (*Deut.* XXV, 7). » Quare enim ante portam civitatis judicium quæritur, nisi quia ibi judices sedent? Dominus enim de ipso loquitur dicens : « Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* X, 9). » Ante hoc igitur ostium et ante hanc portam sedent episcopi, ut ejus lumine illustrati, nusquam recedant a veritate. Ad hos autem omnes causæ deferri eorumque judicio definiri debent. His ergo præsentibus accedit mulier ad fratrem viri sui, et quia eam in conjugium sumere noluit, tollit calceamentum de pede ejus. Quid est enim calceamentum de pedibus tollere, nisi evangelizandi licentiam auferre? Unde Apostolus : « Calceati, inquit, pedes in præparatione Evangelii pacis (*Ephes.* VI, 15). » Spuit insuper in faciem ejus, quia palam et manifeste eum contemptibilem et tanti honoris indignum esse ostendit. Hoc autem de illis rectissime intelligi potest, qui majores Ecclesias ambientes, minori se Ecclesiæ jungere despiciunt; quos non animarum salutem, sed honoris gloriam quærere, non dubium est. Justum igitur esset ut semper excalceati et consputi nunquam tali conjugio digni judicarentur. Hoc est enim quod ait : « Et vocabitur nomen ejus in Israel domus discalceati. » **107** Quis enim eum calceare audeat, quis calceati officium illi tribuat, qui ipsa nominis appellatione se excalceatum esse demonstrat? Sic igitur nunc in Ecclesia spiritualiter custoditur, quod prius secundum litteram in Synagoga custodiebatur (506).

XCII. *Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum.* Recedentibus Pharisæis, veniunt Sadducæi, et iterum recedentibus Sadducæis, veniunt Pharisæi : nunc isti, nunc illi eum tentant, et quia rationibus eum capere et tenere non possunt, frequenti congressu eum movere et fatigare conantur (507). Ipse tamen omnibus respondens, aliis satisfacit, alios concludit. *Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum, magister, quod est mandatum magnum in lege?* Omnes eum tentant, omnes eum magistrum vocant : non tamen, quasi a magistro, veritatem ab eo volunt discere, sed potius si fieri possit, eum quasi incautum in aliquo sermone capere desiderant (508). Sed quid eis prodest? Nihil enim sapientia ignorat. Quid autem responderit Dominus, audiamus : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum : in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ.* Hæc est igitur causa quare hæc duo mandata prima dicantur, et maxima ; quia tantum possunt hæc duo, quantum et cætera omnia (509) : aliter enim hæc mandata, neque prima, neque secunda sunt, quoniam in tabulis lapideis scripta non sunt. Decem enim sunt verba legis, quorum primum est : « Non habebis deos alienos coram me (*Exod.* XX, III). » Primum igitur dicitur hoc mandatum, non quod in ordine Scripturæ primum sit, sed quod in virtute significationis principale et maximum sit. Huic autem secundum et simile est : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, quoniam secundas et similes vires habet post ipsum. Unde Joannes apostolus ait : « Qui enim non diligit fratrem suum quem videt,

(505) Ita idem auctor explicaverat in comment. d h. l. Deuteronomii in edit. Rom. cap. XXV, pag. 10, c. 2.

(506) Vide allegoricas plures explicationes alias p. Origenem a pag. 489. Huet.

(507) « Quod de Herode et Pontio Pilato legimus, n Domini nece eos fecisse concordiam; hoc etiam unc de Pharisæis cernimus et Sadducæis qui inter se contrarii sunt, sed ad tentandum Jesum pari mente consentiunt. » Hieron.

(508) Hier. iterum. « Interrogat unus ex legis doctoribus non scire desiderans, sed tentans, an interrogatus nosset quod interrogabatur. »

(509) V. S. Aug. Enchirid. de fide, spe, et charitate, sub fin.

Digitized by Google

Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum (*I Joan.* IV, 20). » Qui enim Deum non diligit, neque seipsum, neque fratrem diligit. Primum est igitur ut Deum diligat, deinde seipsum, postmodum vero fratrem suum tanquam seipsum (510). Qui enim seipsum odit, si fratrem suum diligat sicut seipsum, et fratrem suum odit. Omnis enim « qui diligit iniquitatem, odit animam suam (*Psal.* X, 6) ; » odit igitur et animam fratris sui, si fratrem suum diligat sicut seipsum. Nulli igitur alii dicitur, ut diligat fratrem suum sicut seipsum, nisi illi qui diligit seipsum : nemo autem seipsum diligit, nisi ille qui Deum diligit. Sic igitur primum mandatum est diligere Deum, deinde vero proximum propter Deum. Modus autem dilectionis hic est, ut ex toto corde, tota anima, tota mente, et cunctis viribus Deum diligamus, proximum autem tanquam nos ipsos (511). Plus est enim si ex toto corde aliquem diligas, quam ut sicut teipsum eum diligas, quia potest fieri ut teipsum non diligas, non potest autem fieri ut ipsum non diligas, quem ex toto corde et tota anima diligis. Si vis igitur teipsum diligere, prius dilige Deum ex toto corde, deinde vero quia jam diligis teipsum, dilige proximum tuum sicut teipsum. Toto enim corde, tota mente, et in cunctis viribus sancti apostoli et martyres Deum dilexerunt, qui occidi quidem potuerunt, ab ejus tamen amore et dilectione separari nullatenus potuerunt. Et isti quidem bene dilexerunt seipsos, quia vitam æternam, gloriam et honorem, omnemque felicitatem adepti sunt sibi ipsis ; dilexerunt autem et proximos suos sicut se ipsos, quoniam hanc eamdem gloriam et beatitudinem desideraverunt illis tanquam sibi ipsis. *In his enim duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ :* omnis enim qui peccat, aut in Deum, aut in seipsum, aut in proximum peccat. Qui vero prædicto dilectionis modo Deum et proximum diligit, quomodo eos offendet quos tantopere diligit ? Nam et in se ipso peccare timet, ne in hoc quoque Deum offendat. Si igitur in his duobus mandatis charitas adimpletur, et omnia peccata tolluntur, manifestum est quod in eis universa lex pendeat et prophetæ. Quid enim aliud lex et prophetæ præcipiunt, nisi ut Deum et proximum diligamus, et a vitiis et peccatis cunctisque offensionibus nos abstineamus?

XCIII. *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens : Quid vobis* **108** *videtur de Christo, cujus filius est ? Dicunt ei David : Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est ?* Idem enim ipse et filius est et Dominus David : filius quidem secundum humanitatem ; Dominus autem secundum divinitatem : de stirpe namque David secundum carnem natus est Christus. Hoc autem Pharisæi non intelligebant, sed sicut cæteros, hominem tantum, et non Deum, Christum quem ipse Messiam vocant, fore credebant (512). Hac igitur interrogatione seipsum et Deum et hominem, omniumque creaturarum regem et principem esse ostendit (513). Quia enim filius est David, homo est : Deus vero, quia ejus Dominus est, et ad Patris dexteram sedet ; in eo autem quod omnes ejus inimici illius pedibus sunt subjecti, omnium Dominus esse ostenditur. David enim in Spiritu sancto videns Christum Dominum nostrum post resurrectionem suam ad Patrem revertentem, illa quæ ibi agebantur secreta intelligens, ait : « Dixit Dominus » Patri « Domino meo » Filio suo, « sede a dextris meis (*Psal.* CIX, 1), » ut, sicut in una sede sedemus, ita æquales ab omnibus esse credamur. Sede, inquam, donec ad judicium revertaris, omnesque tui inimici tuis pedibus subjiciantur. Et hoc quidem quia Pharisæi non intellexerunt, *nemo illorum ei poterat respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.*

XCIV. [CAP. XXIII.] *Tunc Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos, dicens : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi ; omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt.* Quid est enim sedere super cathedram Moysi, nisi Moysi doctrinam et legem (514) prædicare, et populum regere et admonere? Hoc autem erat officium Scribarum et Pharisæorum : unde super cathedram Moysi sedere dicuntur. Sed quod est quod Dominus alibi præcipit, dicens : « Cavete a fermento Pharisæorum quod est hypocrisis (*Luc.* XII, 1) : » hic autem dicit : « Omnia quæcunque dixerint vobis, servate et facite ? » (515) Pharisæorum enim doctrina *fermentum* dicitur, sed non illa quæ docent quando sedent super cathedram Moysi ; sedent enim super cathedra Moysi, quando non aliud prædicant, nisi ea quæ præcipit Moyses; hæc autem et servanda et facienda sunt. Quando vero per fraudem et hypocrisin non legis verba, sed suas traditiones docent, tunc eis obedire et credere

(510) S. Aug., lib. XIX. De civ. Dei, cap. 14. « Jam vero quia duo præcipua præcepta, h. e. dilectionem Dei et dilectionem proximi, docet magister Deus : in quibus tria invenit homo quæ diligat, Deum, seipsum, et proximum. »

(511) Fuse S. Aug. de his duobus mandatis integro sermone De disciplina Christiana, et Bernard. in tract. De diligendo Deo.

(512) Hieron. « Interrogatio Jesu nobis proficit usque hodie contra Judæos. Et hi enim qui confitentur Christum esse venturum, hominem simplicem et sanctum virum asserunt de genere David. »

(513) Chrysost., hom. 72. « Ita omnibus modis fidem eos invitabat. Respice quemadmodum submisse opinionem prophetæ atque sententiam de recitavit. »

(514) Hier. « per cathedram doctrinam legis ostendit. » Iisdem verbis utitur hic Beda.

(515) V. Chrysost. hom. 73, qui eodem plane modo hæc solvit; ut scilicet servent « omnia quæ mores hominum corriguntur, quibus meliores efficimur, » etc.

Digitized by Google

oportet, quoniam in Moysi cathedra non sedent. Qualiscunque igitur sit prædicator, si tamen non sua sed Dei verba annuntiat, populus ei obedire et credere debet : sequatur eum in his quæ dicit, non sequatur eum in his quæ agit : quod enim dicit, Dei est, quod autem agit, suum est (516). *Alligant autem onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* His autem verbis clementissimus Dominus nos admonere videtur, ut in peccatoribus ad pœnitentiam conversis pietatem et misericordiam habeamus : eorumque onera potius cum eis portemus, quam supra vires eos oneremus. Unde et sacerdotes in lege iniquitatem sanctuarii portare jubentur (517) : unde et per Moysen Dominus ait : « Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus suis, criminis reus erit (*Exod.* XXI, 20). » Fit enim multoties ut pastor Ecclesiæ peccantem servum vel ancillam, id est masculum et feminam sibi subjectos, eorum facinora exaggerando et tormenta futura minando, duramque canonum pœnitentiam nuntiando, nimis aspere virga correctionis percutiat. Qui, si in ejus manibus mortui fuerint, id est si eos propter immanitatem sceleris et importabile onus pœnitentiæ, veniam desperare senserit, eosque verbis mitioribus et antidoto pietatis non confortaverit, quasi qui male medendo] ægrum occiderit, reus erit. Habeat igitur pœnitentia modum; et unicuique rationabiliter onera imponantur (518) : magis enim ad cordis contritionem, quam ad jejunia et carnis macerationem respicit Deus. Magna enim misericordia ei fieri potest, **109** qui jam ex corde pœnitet, et peccare cessat : qui vero aliter agit, etsi multum jejunet, tamen nihil agit. *Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Ideo enim Scribæ et Pharisæi nullam de operibus suis mercedem suscipiunt, quia omnia opera sua faciunt, non pro justitia vel animarum salute, sed pro vana gloria, ut videantur et laudentur ab hominibus. *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.* Phylacteria enim chartulas quasdam dicit, quas in manibus vel circa collum appensas ferebant, in quibus verba legis scripta erant, ut semper ad ea respicientes a justitia non declinarent. Hanc autem consuetudinem ex eo loco sumpsisse videntur, ubi dicitur : « Erit igitur hoc quasi signum in manu tua, et quasi appensum quid ob recordationem ante oculos tuos (519) (*Exod.* XIII, 16). » Quod quidem si bono et simplici animo fecissent, non valde reprehensibile esse videbatur. De fimbriarum quoque usu Moysi a Domino dicitur : « Loquere filiis Israel, et dices ad eos ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas : quas cum viderint, recordabuntur omnium mandatorum Domini, ne sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini faciant ea (520). » Hoc autem quid significet non multa indiget expositione, siquidem ipse qui scripsit, exposuit. Ad hoc enim vittas hyacinthinas in fimbriis ponere jussit, ut signum quoddam eis esset, quo cœlestium mandatorum memores vana et inutilia non cogitarent (521). Sunt igitur fimbriæ, legis mandata : vittæ vero hyacinthinæ, sanctæ cogitationes : quæ si simul vinctæ fuerint, ab omni vanitate oculos avertunt, et totam mentem ad cœlestia dirigunt. Videntes enim hyacinthum cœli recordamur; quoniam unius coloris sunt cœlum et hyacinthus. Hæc autem in Pharisæis Dominus non reprehendisset (522), nisi quia omnia opera sua faciebant, ut viderentur ab hominibus. De quibus adhuc subditur : *Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in Synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.* His autem verbis Scribæ et Pharisæi de vana gloria,

(516) Chrys. homil. 37, ad Ant. ostendens, « quod licet præceptorem habeas improbum, nihil hic tibi obesse poterit, cum dictis intendas. Non enim ex his quæ sacerdos agit, sed quæ audita neglexisti, ex his tibi Deus sententiam feret. »

(517) Num. XVIII, 1 : « Dixitque Dominus ad Aaron; Tu, et filii tui, et domus patris tui tecum portabitis iniquitatem sanctuarii. »

(518) Beda hic de Pharisæis : « Horum in Ecclesia nunc exempla imitantur qui subjectos docent, quod ipsi implere dissimulant, sed peccantibus pondus pœnitentiæ aggravantes, ut aut necesse est pœnitentiam rejiciat, aut suscipiens, dum ferre non valet, scandalizatus amplius peccet, quasi non melius sit, propter misericordiam dare rationem, quam propter crudelitatem. »

(519) Ex alio loco hunc morem eos hausisse dicit Hieronymus, ex Deut. VI, 8 : « Ligabis ea in manu tua, et erunt immota ante oculos tuos : » Subditque : « Hoc Pharisæi male interpretantes scribebant in membranulis Decalogum Moysi, id est decem verba legis, complicantes ea, et ligantes in fronte, et quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur; quod usque hodie Indi, Persæ et Babylonii faciunt. » Idem scribit ad cap. 24 Ezechiel. Si qua tamen fides Rabbinis et recentior consuetudo antiqui moris testis esse potest, non Decalogum, ut Hieronymus ait, aut verba legis omnia scribebant in phylacteriis, sed tantum sententias ex Pentateucho quasdam. V. Leonem a Mutina Cæremon. Jud. I p., c. 11. Calmet phylacteriorum formam pictam exhibet Diction. S. Scr. V. Chrysost., homil. 73, ubi vocat βιβλίους μικρους.

(520) Num. XV, 38, 39, 40. Vid. edit. Rom. Expos. in hunc locum, p. 181

(521) Hoc quoque ibid. Hieron. explicat. « Jusserat quoque aliud Moyses ut in 4 angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent ad Israelis populum dignoscendum... superstitiosi magistri... faciebant grandes fimbrias, et acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet ambulantes et sedentes interdum pungerentur, et quasi hac admonitione retraherentur ad officia Domini. »

(522) Reprehendit Hieron. suorum temporum mores in phylacteriis imitandis. « Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ, in parvulis Evangeliis, et in crucis ligno et istiusmodi rebus... usque hodie factitant. » Mitius aliquando de hoc more Chrysost., homil. 73. « Hæc phylacteria vocabant, sicuti multæ mulierculæ modo faciunt, Evangelia ex collo dependentes, et ut aliunde in memoriam reducantur, quod obliviosi crebro facere solent, filo digitum strictius ligantes; id Deus ceu infantulis jussit facere. »

Digitized by Google

superbia et ambitione notantur : his et nos admonemur, ne eos in talibus imitemur (523). Primæ namque cathedræ ad ambitionem, cætera vero ad superbiam et vanam gloriam spectant. *Vos autem nolite vocari Rabbi; unus est enim magister vester.* Quia enim omnis vana gloria peccatum est; peccat utique qui pro vana gloria sic vocari desiderat. Discipulus quoque non effugiet culpam, qui magistri nomen sibi usurpat. *Omnes autem vos fratres estis, et patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim pater vester qui in cœlis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.* Unus est pater, unus est et magister. Unde et Jacobus ait : « Nolite plures magistri fieri, fratres mei (*Jac.* III, 1). » Ubi enim plures magistri, ibi plures sententiæ, ibi schisma; unde Apostolus admonet ut « idipsum dicamus omnes (*I Cor.* I, 10). » Bonum habemus magistrum; ipsum sequamur, ipsius sententia una sit et omnis. Patrem vero in terra quærere non debemus, quia omnes fratres sumus, et unum in cœlis patrem habemus. Illi credere, illi obedire oportet, cujus amore patres et matres, fratres et sorores, magistros et doctores, et quæcunque in mundo sunt et in terra versantur, abjicere et abnegare debemus. *Qui major est vestrum, erit minister vester.* Hoc enim de seipso Dominus ait, qui usque **110** ad lavandos pedes discipulorum se humiliare dignatus est, præbens nobis humilitatis exemplum. Unde et subditur : *Qui autem se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur* (524). Deus enim *superbis resistit : humilibus autem dat gratiam.* Deponit enim potentes de sede et exaltat humiles.

XCV. *Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Eorum enim exemplum et doctrinam cæteri sequuntur (525). Sicut igitur illuminant et salvant alios, si boni sunt, ita excæcant et perdunt, si mali. *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, oratione longa orantes : propter hoc, amplius accipietis judicium.* Longis enim orationibus et

A aliis simulationibus domos viduarum Scribæ et P
risæi comedebant, quia putantes eos religiosos
justos, ea quæ habebant sanctæ mulieres eis trib
bant. Sic enim prius ministrabant istis pro simu
tione, sicut postea ministraverunt apostolis pro
ligione (526). *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocri*
qui circuitis mare et aridam ut faciatis proselyt
unum : et cum factus fuerit, facitis eum filium
hennæ duplo quam vos. Studebant enim Scriba
Pharisæi quos poterant ex gentili populo ad Ju
smum convertere, quorum post conversionem nul
curam habentes, eos in pejus ruere cogebant (5
In quo nos quoque admonemur ne eorum quos
fidem convertimus negligentiam habeamus. *Væ*
bis, duces cæci, qui dicitis : quicunque juraverit
B *templum, nihil est; qui autem juraverit in auro tem*
debet. Stulti et cæci! quid enim majus est, aurum,
templum quod sanctificat aurum? Et quicunque ju
verit in altari, nihil est; qui autem juraverit in do
quæ est super illud, debet. Cæci! quid enim majus
domus, an altare quod sanctificat domum? Ut
autem hanc stultissimam opinionem Scribæ et P
risæi habuerint, incertum est (528). Omnia e
hæc sancta sunt : sanctius tamen altare quam t
plum ; et sanctius templum quam aurum templi.
illud quidem propter sacrificium ; hoc autem prop
dedicationem. Quamvis enim totum templum san
ficatum esset, nusquam tamen nisi in altari sa
ficium fieri licebat : sanctius igitur altare. Sequit
C *Qui ergo jurat in altari, jurat in eo et in omnibus q*
super illud sunt, et qui jurat in templo, jurat in
et in eo qui habitat in ipso, et qui jurat in cælo,
rat in throno Dei et in eo qui sedet super eum.
enim jurat in altari, non lapides attendit, sed a
ris consecrationem, et eum in cujus nomine co
cratum est : ideoque non lapidibus sed Deo ejus
se obligat sacramentis. Similiter autem de tem
et de cœlo intelligatur. Nos quoque cum super Ev
gelia juramus, non chartas, et atramentum,
Christum et ejus verba consideramus : unusquis
enim in eo jurat, ad quem jurando attendit. *Væ*
bis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis

(523) Bene A. non de simplici appellatione, sed de eo, quo l per superbiam fit, hunc locum explicat, in quem Hieron. « Quæritur quare adversus hoc præceptum, « Doctorem gentium » Apostolum se esse dixerit; aut quomodo vulgato sermone, maxime in Palæstina, et Ægypti monasteriis se invicem Patres vocent ; quod sic solvitur : aliud esse natura patrem vel magistrum, aliud indulgentia. Nos si hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non auctorem nostræ ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur, et consortio veri magistri; et... quomodo unus per naturam Deus, et unus filius non præjudicat cæteris, ne per adoptionem dii vocentur et filii, ita et unus pater et magister non præjudicat aliis, ut abusive appellentur patres et magistri. » Brevivit Hieronymum Beda. Brevius etiam Chrysost., hom. 73, « non ut neminem patrem vocent, sed ne ignorent quem principaliter patrem vocare oporteat... quemadmodum nemo principaliter magister est. »

(524) I Petri v, 5. Vide hic Chrysostomum fuse de humilitatis virtute disserentem.

D (525) Christ. Beda : « Arguit omnem magist
qui malis operibus ante discipulos suos introit
regni cœlestis claudit. » Præclare Chrysost., hom
74. « Probos enim doctores vix imitari qu
improbos autem, quoniam faciliores ad mala sun
etiam superamus. »

(526) Hinc, I Cor. IX, 5 : *Nunquid non habe*
potestatem mulierem sororem circumducendi, s
et cæteri apostoli, et fratres Domini et Cep
Vid. etiam Matth. XXVII, 55, et Hieron., lib. I co
Jovinian., cap. 14.

(527) Chrysost., homil. 74. « In duobus ma
eos criminatur : 1° quia inutiles ad salutem mu
rum existentes, vix magno sudore quemquam p
sunt attrahere; 2° quia desides ad custodiem
attractos sunt, imo vero etiam proditores, cum
malo vivendi exemplo deteriores faciant. »

(528) Ad stultas traditiones eorum refert Hie
quem V.

Digitized by Google

ham et anethum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium et misericordiam et fidem. Væ, inquit, vobis qui hæc decimatis, non quia hæc decimatis, sed quia hæc decimando, majora reliquitis (529). *Hæc enim oportuit facere, et illa non omittere :* unde manifestum est, quia parum prodest minora legis observare præcepta, si majora relinquamus. Ruit enim quidquid superædificatur, nisi firmum fuerit fundamentum. *Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Hoc enim interest inter minora et majora legis præcepta, quod inter culicem et camelum. Excolant autem culicem, qui in minoribus offendere timent; glutiunt vero camelum qui contra majora agere non metuunt (530). Tractum est autem ab illis qui aquas colant, ne horridum aliquod bibant. Hypocritæ igitur culicem in gutture bibendo sentiunt, camelum vero non sentiunt; dum minora **111** peccata simulatione quadam agere metuunt, majora vero facere non timent.

XCVI. *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia.* Calicem et paropsidem eosdem ipsos Scribas et Pharisæos methaphorice dicit, qui cum rapina, immunditia et omni iniquitate interius pleni essent, justos et mundos se de foris ostendebant (531). De quibus adhuc subditur : *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id quod de foris est mundum.* Si enim cor interius mundum fuerit, omnia erunt munda quæ exterius apparent : unde Psalmista : « Cor mundum crea in me, Deus (*Psal.* L, 2); » et Apostolus : « Nihil enim mihi conscius sum : ex corde enim exeunt cogitationes malæ (*I Cor.* IV, 4). » — *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omnium spurcitia : sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.* Expositio est eorum quæ superius dicta sunt, nullaque indiget expositione (532).

XCVII. *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum* (533). Ita testimonium (534) estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt. Væ, inquit, vobis (535), non quia ædificatis et ornatis sepulcra prophetarum : hoc enim pietatis opus est; sed quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt; filii quidem non tantum natura, quantum imitatione et iniquitate. Sicut enim omnes boni dicuntur filii Abrahæ, quia imitantur Abraham; ita omnes iniqui, iniquorum filii dicuntur, quia imitantur iniquos. Unde et Dominus his talibus ait : « Si filii Abrahæ essetis, opera utique Abrahæ faceretis (*Joan.* VIII, 39). » Væ igitur illis, quia non Abraham, non prophetarum, non justorum filii sunt, quia non eos imitantur, imo vero eorum filii sunt qui prophetas occiderunt in omni malitia et iniquitate eos imitantes. Dicunt præterea, si fuissent in diebus patrum suorum, non fuissent socii eorum in sanguine prophetarum : cum valde illis nequiores non solum prophetas occiderunt, verum etiam ipsum Dominum prophetarum. Unde et subditur : *Et vos igitur implete mensuram patrum vestrorum :* currite, festinate, ut usque ad eorum iniquitatis integram perfectamque mensuram perveniatis; turpe est enim ut a patribus vestris degeneretis, et minores ab illis in nequitia inveniamini. Hoc autem ideo dicit, quia in sua, suorumque discipulorum nece, jam nimium eos per invidiam accensos esse videbat (536). Hic autem locutionis modus a grammaticis *ironia* vocatur (537). *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Serpentes enim sunt,

(529) Ita explicat Hieron. et ex Hieron. Beda : Arguit eos avaritiæ, quod propter alimoniam sacerdotum et levitarum, quorum pars erat Dominus, studiose etiam vilium olerum decimas exigant, et judicium in disceptatione negotiorum, misericordiamque in pauperes, pupillos et viduas, et fidem in eum, quæ magna sunt, prætermittant. » Gregor. Reg. past., adm. 34. « Neque enim negligenter audiendum est, quod cum decimari minima diceret, extrema quidem de oleribus maluit, sed tamen bene mentia memorare, ut profecto ostenderet, quia simulatores cum parva custodiunt, odorem de se ostendere sanctæ conversationis quærunt, et quamvis implere maxima prætermittunt, ea tamen minima observant, quæ humano judicio longe lateque redolent. »

(530) Hieron. : « Camelum puto esse juxta sensum præsentis loci, magnitudinem præceptorum, et misericordiam, et fidem; culicem autem, decimas olenthæ, etc. Hæc, contra præceptum Dei, quæ magna sunt, devoramus atque negligimus, et opinionem religionis, in parvis quæ lucrum habent, diligentiam demonstramus. » V. Aug. lib. I, qq. evang., cap. 35; Greg. lib. I Moral., cap. 14.

(531) Hier. : « Diversis verbis eodem sensu quo supra arguit Pharisæos simulationis atque mendacii, quod aliud ostentent hominibus foris, aliud domi agant, non quod in calice et paropside eorum superstitio moraretur. » V. Chrysost., hom. 74.

(532) Ita et Hieron. : « Quod in calice et paropside demonstrarat... hoc nunc per exemplum sepulcrorum explicat. »

(533) Est hom. sub Emiseni nomine edita in nat. S. Stephani, pag. 19.

(534) « Prudentissimo syllogismo coarguit eos filios esse homicidarum. » Hieron.

(535) « Non quia ædificant (ait Chrysost., init. homil. 75) nec quia patres suos accusant, væ illis dixit, sed quoniam ita facientes, et ita dicentes, patres suos condemnare simulabant, cum ipsi pejora committerent. » Item Beda.

(536) Hier. : « Probato superioribus dictis, quod filii essent homicidarum, nunc concludit quod voluerat, et quasi extremam syllogismi partem ponit; » *et vos* implete, etc. « Quod illis defuit vos adimplete : illi interfecerunt servos, vos Dominum crucifigite. »

(537) Bene monet Chrysost. l. all. et ex eo Beda « non imperans, sed quod futurum erat prædicens. »

Digitized by Google

quia callidi et venenosi; genimina vero viperarum (538), quia cunctis iniquis iniquiores : cum nec uxor viro, nec filii parentibus parcant. Qui utique gehennæ judicium aliter fugere non poterunt, nisi matrem suam occiderint, sicut ipsa quoque eorum patrem interfecit. Viperarum enim hæc natura dicitur esse, ut quando femina concipit masculum interficiat; quando vero parit, ipsa nihilominus a filiis occidatur (539) : neque enim exspectant, ut assueto naturæ ordine oriantur, sed rupto matris utero violenter foras erumpunt. Vipera igitur, Synagoga; vir ejus, Christus : venit Christus ad Synagogam, venit ad uxorem suam, quam postquam suo semine impregnavit, totamque evangelicæ prædicationis sementem in eam infudit, illa sicut vipera venenosa et impia contra eum assurgens, eum interfecit. De cujus impio utero filii ejus erumpentes eam occidunt, quoniam Judæi ad fidem venientes eam excommunicant et damnant. Unde Apostolus ait : « Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris **112** meæ, et vocavit per gratiam suam (*Galat.* I, 15), » et cætera. Omnes enim hæreses damnant, quicunque ab hæresibus ad Ecclesiam veniunt. Sequitur :

XCVIII. *Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes, et Scribas; et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in Synagogis vestris; et persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram.* Apostoli enim martyres et doctores, prophetæ, sapientes, et scribæ fuerunt; quod ad Judæos, omnesque mundi nationes prædicandas Dominus misit. Hos autem Judæi occiderunt, crucifixerunt, flagellaverunt et de civitate in civitatem persecuti sunt. Nemo enim Christianorum usquam occisus est, qui eorum vel manibus vel affectu non sit occisus; unde et omnium rei esse dicuntur, omniumque justorum sanguis super eos venire Dominus ipse testatur. Hoc autem ex quo et usque quo exponit, dicens : *A sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.* Cum enim alibi scriptum sit, quod « filius non portabit iniquitatem patris, sed unusquisque in peccato suo morietur (*Ezech.* XVIII, 20; *Jer.* XXXI, 30) : » quid est, quod modo hic dicitur, quod omnis sanguis justus veniet super generationem istam? His enim verbis Salvator noster dicere videtur; quod hæc impia generatio tantam pœnam pro suo scelere patiatur, quantam pateretur, si omnium justorum sanguinem fudisset, qui ab Abel fusus est usque ad A Zachariam (540). Et hoc merito : majus enim Christum occidere, ejusque corpus, quod est Ec sia, iniquo odio persequi, quam si omnium pr dentium justorum sanguinem fudissent. Zach autem Barachiæ filius nusquam legitur fuisse sus : at vero Zacharias filius Joiadæ in atrio te legitur interfectus. Inter templum videlicet et al quod sub divo erat, ubi hostiarum sanguis fu batur. Hæc igitur, quia historiæ non veniunt (5 spiritualis intelligentia quærenda est. Puto quod Dominus noster se ipsum Zachariam voca præterito pro futuro utitur : interpretatur Zacharias *memoria Domini*. Sicut enim Chr Jesus dicitur verbum Domini, sermo Domini et sapientia Domini; ita iste quidem est Bara B filius, qui *benedictus Dominus* interpretatur. et principi sacerdoti se interroganti, an esset C stus filius benedicti, respondit : *Ego sum.* autem Judæi occiderunt inter templum et al quoniam ibi Christi mortem inter se consiliati Neque enim aliter Christum Dominum Judæi derunt, nisi consiliando, accusando et damnan unde et ipsi quoque dicebant : « Nobis non interficere quemquam (*Joan.* XVIII, 31). » Quod in atrio templi de ejus morte consilium habi sit, ipse per Psalmistam ostendit, dicens : versus me exercebantur qui sedebant in porta, in me psallebant qui bibebant vinum (*Psal.* LV 13). » Sic igitur Zacharias filius Barachiæ templum et altare occisus est. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt : quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.* Ego, inquit, filios tuos multoties congregare, et a malignorum spirituum incursu desuper circa volantium defendere volui, sicut gallina pullos suos congregat, et sub alas suas eos absconditi, ab importunis avibus ei subripiantur (542), sed tu luisti. Ego igitur volui, sed ea conditione, si tu que voluisses. Quia ergo tu congregari et salv noluisti, ego quoque jam nunc eos congregare salvare nolo. Unde et dico : « Disperge illos in tute tua et destrue eos protector meus, Dom (*Psal.* LVIII, 12). » Dominus enim qui potest qu cunque vult, nullum alium salvare vult, nisi D qui vult salvari ab eo (543). *Ecce relinquetur domus vestra deserta :* sic et in Psalmis : « elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* 8). » Relictis enim Judæis, in gentibus Dom

(538) Hier. : « Sicut ergo de viperis nascuntur viperæ, sic de homicidis patribus vos, inquit, nati estis homicidæ, » etc. Iisdem verbis Beda.

(539) Vide ad cap. III, v. 7, Bedam qui eadem habet ex Aristot. fortasse l. V Hist. an., c. 34; Plinio l. X, c. 62, quibus Gesnerus et recentiores contradicunt, sive magis ex nostris Hieronym. ep. ad Præsid.; Chrysost. hom. 11 in Matth.; Isidor. Pelusiot., lib. I, ep. 105; A. serm. 83 De temp. inter Augustin.; Gregor. Moral. l. XV, c. 9, etc.

(540) Chrys. hom. 75, affert hic Exodi illud II, 9 : « Reddens peccata parentum in filios in tertiam et quartam generationem, » subdens, « non quo alieni peccati quispiam supplicia luat, sed quo qui multos propter peccata sua vexatos esse ignorat, neque idcirco factus est melior, sed committens non curat, illorum quoque pœnas sustinebit. » V. Jansenium, Concord., c. 84, et donatum ad h. l.

(541) V. Hier. ad h. l. Maldonatum, a Lapide.

(542) V. August., lib. I, qq. Evang., c. 36 et 15 in Joan.

(543) Plura interjiciuntur in homilia, pag. 81.

Digitized by Google

habitat. *Dico enim vobis, non me videbitis amodo donec dicatis, benedictus qui venit in nomine Domini.* Postquam, inquit, hac corporali præsentia, qua vobiscum ad tempus conversatus sum, vos relinquam, non me videbitis amodo donec me iterum ad judicium venientem melius cognoscatis, simulque una et consona voce omnes dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini (544). Hoc est enim quod alibi ait : *Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua* (545).

XCIX. [CAP. XXIV.] *Et egressus Jesus de templo ibat: et accesserunt discipuli ejus ut ostenderent ei ædificationem* **113** *templi : ipse autem respondens dixit illis : Videtis hæc omnia ? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Hæc enim sub Tito et Vespasiano completa sunt. *Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes : Dic nobis quando hæc erunt, et quod signum adventus tui et consummationis sæculi?* Ipsa eorum interrogatio docet, quid Christi discipuli intellexerint. Audientes enim templi destructionem, sæculi consummationem subito fore putaverunt (546). *Et respondens Jesus dixit eis : Videte ne quis vos seducat : multi enim venient in nomine meo dicentes : Ego sum Christus, et multos seducent.* Hoc enim Simonem Magum fecisse audivimus (547) : hoc et Antichristum facturum esse legimus. Ipse enim, ut Apostolus ait : « Se exaltabit supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur : ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus (*II Thess.* XXI, 4). » — *Audituri autem estis prælia et opiniones prœliorum, videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, sed nondum finis.* A Christi namque nativitate, ex quo angeli cecinerunt, « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14) : » quanto tempore princeps pacis Dominus noster in hoc mundo conversatus est, magna ubique gentium pax et concordia fuit (548). Quo recedente paulatim prœlia fieri, seditiones moveri, et bellorum rumores undique audiri cœperunt. Sed non erant hæc signa finis, sæculique consummationis : multo enim maora illa erunt magisque terribilia quæ mundi finem præcedent. De quibus subditur : *Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum ; et erunt pestilentiæ, et fames et terræmotus magni per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.* Omnia enim hæc jam præcesserunt, sed ad comparationem illorum, quæ futura sunt, tam parva fuerunt, ut illa cum venerint, pro signo habeantur, et jam mundum stare, et diutius morari vel durare non posse manifeste denuntient. Ut enim in sequentibus dicitur, *erit tunc tribulatio talis, qualis non fuit, neque fiet* (549). Quia enim tunc nascetur perditionis et discordiæ filius, bella, lites, contentiones, et omnia mala ubique fieri oportebit. Ut enim pax præcessit Christum, ita discordia præcedet Antichristum. *Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus, propter nomen meum.* Hæc enim, etsi apostolis accidissent, ad finem tamen referenda sunt, quoniam hæc talia signa apostolorum tempore fuisse non legimus. *Et tunc scandalizabuntur multi et invicem tradent, et odio habebunt invicem. Et multi pseudoprophetæ surgent et seducent multos.* Isti enim erunt maxima et principalis causa totius scandali, omnisque odii et tribulationis : qui secundum operationem Satanæ, dabunt signa et prodigia multa, *ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (550). Unde et subditur : *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Multorum enim charitas a divini amoris igne deficiet, et refrigescet, quoniam multis modis iniquitas abundabit. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Qui, inquit, in bono perseveraverit, et neque minis, neque blanditiis, neque signis vel prodigiis a fide catholica deviaverit, hic et non alius salvus erit. *Et prædicabitur Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus.* Sicut enim in primitiva Ecclesia in omnem terram exivit sonus apostolorum, et in fines orbis terræ verba eorum, sic et in ultima Evangelium regni Dei in universo mundo cunctis gentibus prædicabitur, ut nulla nulli possit fieri excusatio. *Et tunc veniet consummatio.* Postquam enim ad hanc prædicationem plenitudo gentium introierit, et Israel salvus fiet, tunc et mundus finiet (551), et Ecclesia consummabitur, et de suorum filiorum pleni-**114** tudine gratulabitur.

C. *Cum ergo videritis abominationem desolationis,*

(544) Isaiæ XLIX, 18 et XLV, 24. Beda : « Hoc profecto mystice de illo ejus adventu intelligere coginur quo in claritate venturus est. » Ex Chrysostomo ortasse (nam cætera ex Hieron. exscribit Beda) qui iom. 75 : « Futurum enim secundi adventus diem ioc loco significat. »

(545) Hactenus homilia Eusebio Emiseno suppoita.

(546) Ita Chrysost., hom. 76 : « Putabant enim unc etiam statim adventum ipsius futurum. »

(547) Simonem Magum nominat hic quoque Hieon. et Beda : « quorum primus, inquit, Simon Magus fuit, extremus autem ille major cæteris, est Anichristus. »

(548) Excusatione sive benigna aliqua interpretatione, de certo aliquo bellorum genere hic opus est. Nam ex Floro, Velleio Paterculo, etc. Armeniacum bellum paulo post Christi ortum secutum est, ad quod Caius Cæsar missus; et Armeniis juncti erant Parthi. Adde tumultuantes Judæos. Celebris etiam Variana clades in Germania a. ar. vulg. IX et Dalmatarum defectio; triumphus etiam a Germanico a 17 de Cheruſiis Chattis, etc. Galli a Romano duce defecere, et Tacfarinates in Africa; Thraces a Sabino domiti; Frisii, licet sub Christi mortem clade Romanos affecere. Sed revera bella hæc fuere non tanto discrimine, quanto superioribus temporibus alia nonnulla.

(549) « Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. »

(550) Hier. : « Non omnium negavit fidem, sed multorum, nam in apostolis et similibus eorum permansura est charitas. »

(551) De tempore præcedente eversionem Jerosolymæ interpretatur hoc Hilarius : « Et cum universis fuerit cognitio sacramenti cœlestis invecta, tunc Jerusalem occasus et finis incumbet. » Victor quoque Antiochenus ad cap. XIII Marc. et Chrysostomus,

Digitized by Google

quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto qui legit, intelligat (552). Cum, inquit, videritis abominationem desolationis : eum videritis abominandum et desolandum Antichristum (553), qui multam in populo Dei abominationem et desolationem faciet in tantum elevatum et exaltatum, ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, tunc qui hæc et alia legit, intelligat jam finem rebus adesse. Regnabit enim ut in Daniele scriptum est; « *Per tempus et tempora et dimidium temporis* (*Dan.* XII, 7), » id est per unum et duos et dimidium annum, in quibus tanta persecutio fiet, ut omnis præterita persecutio, etsi magna fuerit, oblivioni tradatur. *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.* Magni terroris hæc verba indicativa esse videntur, in quibus omnium obliti, omnibus sola fuga placere narratur. Allegorice autem a Judæa ad montes fugiunt, qui relicto Judaismo sive littera in qua Judæi confidebant, ad spiritualem intelligentiam vel ad Ecclesias se transferunt (554). Qui vero in tecto sunt, et in fidei sublimitate, sive etiam qui majores sunt et Ecclesiis præsunt, non descendant, non ad fugitiva bona, et vilem substantiam se inclinent, sed potius omnibus relictis, Christo jam propinquanti obviam pergant. At vero qui in agro sunt, et novum Evangelii semen in populo seminant, non revertantur, nec prioris tunicæ recordentur, sed currant, quia prope est ut veteribus exuti, nova immortalitatis tunica induantur. *Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus* (555). Prægnantes enim sunt illæ animæ quæ per hypocrisim peccata sua abscondere volunt, sed tamen per superbiæ inflationem abscondere nequeunt; et intus igitur peccata latent, et foris quodammodo clarent. Nutrientes autem sunt, quæ jam quidem mala opera pepererunt, et in eis persistentes, ea facere non erubescunt. Atque utinam adhuc prægnantes essent, aliisque peccandi occasionem suo exemplo non dedissent. Malum est igitur peccata celare, sed pejus est modo revelare : aliter enim et sibi, aliter et sibi aliis nocet. *Orate autem, ut non fiat fuga vestra hieme, vel Sabbato.* Ne forte tunc fugere incipiatis quando fugere non potestis. Temporis enim asperitate fuga in hieme impeditur; in Sabbato vero fugere non licet, quia hoc lex fieri interdicit. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Erit, inquit, tunc tribulatio magna. Quando? Vis audire quando? *Cum abominatio desolationis stabit in loco sancto. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi.* Non ergo breviabuntur dies illi quantum ad Dei dispositionem, breviabuntur tamen quantum ad spem et vitam iniquorum, quia non tantum regnabit Antichristus quantum ipse se ipsum et sui eum regnare sperabunt. Hoc autem fiet propter electos : si enim tantum viveret quantum eum infideles vivere sperabunt, valde pauci salvari potuissent. Quid enim, si semper viveret, faceret, qui in tribus annis tantam stragem faciet? *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere.* His enim verbis non solum Antichristum sed et multos alios tunc fore significat, quos propter varias simulationes miseri homines Christum esse putabunt. Unde et subditur : *Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis.* Sed quare prædixi vobis? Ut cautiores sitis, et non ab eis decipiamini. *Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.* Alii enim in deserto, ut Elias et Joannes Baptista, alii in Synagogis et in domibus, sicut Christus, prædicabunt. Omnes enim simulabunt, quæ homines fecisse audient. *Sicut* **115** *enim fulgur exit ab Oriente et paret usque in Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.* Hoc est enim quod Psalmista ait : « Deus manifestus veniet; Deus noster et non silebit (**Ps.** XLIX, 3). »

hom. 76 : « Maximum omnipotentiæ Christi argumentum est. Viginti enim annis, aut ad summum triginta ad omnes oras orbis Evangelium transcurrit, post hæc Jerosolymorum finis aderit. » At cum A. nostro, de mundi fine interpretatur Beda : « Perspicue significat non ante advenisse mundi finem, quam Evangelium in toto Orbe prædicetur. » Hieronymus quoque etsi mundi finem suæ ætati proximum existimasse videtur. « Signum Dominici adventus est, Evangelium in toto orbe prædicari, ut nullus sit excusabilis; quod aut jam completum, aut in brevi cernimus esse complendum : non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare. » Sed maxime Aug. ep. 197 et 199 ad Hesychium; in quorum altera, n. 49. « Quo pacto igitur ab apostolis est prædicatio ista completa, quando adhuc usque sunt gentes, quod certissimum est nobis, in quibus modo cœpit, et in quibus nondum cœpit impleri? »

(552) In homilia Emisen. nonçup. Domin. XXVII. post Pentec. præmittuntur quæ habentur in Daniel. de 70 hebdomad.; deinde venitur ad explicationem Matthæi, pag. 183, qualis hic habetur.

(553) Etsi multi PP., ut Chrysost., homil., hoc interpretantur de Cæsaris statua in templo posita, quam sententiam memorat Hieronymus, Victor. Beda : tamen hi Antichristum quoque cum auctore nostro intelligi posse putant, « sicut manifestissime apostolus Paulus prædicabat, » sit Beda ex Hieronymo, qui locum Apostoli allegat ad Thess. II, II, 4.

(554) Hieron. : « Debemus fugere de Judæa montes, hoc est dimissa occidente littera, appropinquare montibus æternis, de quibus illuminat mirabiliter Deus; et esse in tecto, et in domate, quo non possunt ignita diaboli jacula pervenire; non descendere et tollere quid de domo conversationis pristinæ », etc. Idem Beda.

(555) Beda : « Anima quæ desideriis carnalibus illa ultima persecutione occupata invenitur, æterna væ invenire oppressa cogitur. »

Digitized by Google

in hac enim area frumentum, et paleæ, triticum et zizania boni et mali simul versantur (497). Impletæ sunt nuptiæ; convenerunt gentes; annuntiaverunt apostoli et locuti sunt, multiplicati sunt super numerum. *Intravit autem rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Quomodo enim alicubi intrat, qui ubique est? Quia enim omnipotens Deus non statim punit, et in multa patientia nos sustinens, peccata nostra videre dissimulat, quasi abesse videtur: adest autem quando nos punire et affligere incipit. Veste autem nuptiali indutus non est, qui fidem non habet et Christum non imitatur: unde Apostolus ait: « Exuite vos veterem hominem, et induite novum (*Ephes.* IV, 22). » « Quicunque enim baptizati estis in Christo Jesu, Christum induistis (498) (*Galat.* III, 27). » Et ait illi: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Hoc enim speciatim illis dicere videtur, qui ad Christi corporis et sanguinis sacramenta indigne accedunt. Poterat enim iste respondere se cum veste nuptiali ad convivium venisse, sed eam postea amisisse; nisi quia stupore et timore oppressus, obmutuit. *Tunc dicit rex ministris: Ligatis pedibus ejus et manibus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.* Hæc enim sententia datur in illos, qui excusationis verbum nullum habent, quod Deo respondeant. Semper enim his nuptiis Deus interest; semper bene et male indutos videt; et quamvis ipse a nemine videatur, semper tamen alios ad cœnam, alios ad gloriam parat et judicat. Quod autem pedibus manibusque ligantur, sine viribus et fortitudine eos esse ostendit. Tenebræ vero exteriores illæ sunt, ultra quas aliæ tenebræ non sunt. In fletu vero et stridore dentium, doloris immensitas significatur. *Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.* Multi enim vocantur ad nuptias, pauci vero introducuntur in regis thalamum et gloriam.

XC. *Et abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone* (499). Stulti Pharisæi, qui se in sermone verbum Dei capere putant, et suis consiliis sapientiam fallere arbitrantur. *Et mittunt ei discipulos suos.* Cum quibus? cum Herodianis, id est cum Herodis ministris, qui tributa colligebant (500). Hæc est igitur Ecclesia malignantium, hoc est concilium veritatis! Mali magistri, mali discipuli, malis ministris sociantur. Cum fraude veniunt, cum calliditate loquuntur. Sed quid dicunt? *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum.* Valde **105** bene loquuntur Pharisæi; sed aliud ore et aliud corde loquuntur. Ex venenoso fonte dulcia verba prorumpunt. Huic enim tantæ simulationi Psalmista respondens ait: « Si vere utique justitiam loquimini, recte judicate filii hominum (*Psal.* LVII, 2). » Quem magistrum vocatis, et veracem dicitis, sicut magistrum et veracem diligite, colite, et sequimini. *Dic ergo nobis quid tibi videtur: licet censum dare Cæsari an non?* Putaverunt enim isti Christum Dominum nostrum, quem pietatis et justitiæ amicum esse cognoverant, respondere ut potius templo et Deo offerrent quam Cæsari, homini scilicet iniquo, tributa darent: qua occasione Herodiani commoti cum raperent, ad judicem traherent, et quasi reum accusarent. Sed si censum dare non liceret et si tributa solvere esset peccatum, ipse utique tributum pro se dari non præcepisset. Sic enim superius ait: « Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Respondit Jesus: Ergo liberi sunt filii, ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primum ascenderit tolle: et aperto ore ejus, invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te (*Matth.* XVII, 24). » Qui igitur, ne scandalum fieret, quamvis non deberet, tributa persolvit, non erat conveniens ut ad lites et scandala concitanda, censum dare alios prohiberet. *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ?*

(497) V. Hier. ex Apostolo ad Rom. hæc explicantem, et Aug.

(498) Tertullian. De ressurrection. carn., c. 22. In Evangelio indumentum nuptiale sanctitas carnis agnosci potest. » Cap. 35. « Si quis in nuptiis minus dignis operibus fuerit indutus, constringendus statim manibus et pedibus, » etc. Origenes, pag. 480, Huet. « Unum autem veste nuptiali non indutum vidit, omnes comprehendens, qui nequitiam sibi ante fidem adhærescentem retinuerunt. » Hilar. Vestitus autem nuptialis est... candor habitus cœlestis qui bonæ interrogationis confessione susceptus, usque in cœtum regni cœlorum immaculatus et integer reservatur. » S. Aug., serm. 90, ubi totam hanc parabolam explanat. « Charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, hæc est vestis nuptialis. » Idem, serm. 114, num. 7, et ad Donat. post collat., n. 27: « Isti in honore sponsi induti sunt veste nuptiali, non sua quærentes, sed quæ Jesu Christi; illi autem non habent vestem nuptialem, hoc est fidissimam sponsi charitatem, sua quærentes, non quæ Jesu Christi. » S. Leo, ser. 12 De Quadr. 50, ex rec. Ball. « Qui sacramentum suæ reparationis intelligit, carnis se vitiis debet exuere, et omnes sordes abjicere peccatorum, ut intraturus nuptiale convivium splendeat veste virtutum. » Hieron. et Beda: « Vestis autem nuptialis præcepta sunt Domini et opera quæ complentur ex lege et Evangelio, novique hominis conficiunt vestimentum. » S. Bernardus, serm. 2, in cap. jejun. « Vestes enim nostræ virtutes sunt, bona vestis charitas, bona vestis obedientia est. » Atque hinc interpretes, Jansen., Concord., cap. 115, Maldonatus, Cornelius a Lapide, etc. admonent contra recentiores hæreticos, a PP. pro nuptiali veste nequaquam intelligi solam fidem: quare bene A. noster adjunxit fidei Christi imitationem.

(499) « Tunc abeuntes Pharisæi, » etc. Est hom. S. Brunonis Eusebio Emis. attributa.

(500) Origenes, pag. 482. « Veri quippe simile est qui tributum Cæsari in populo pendi vellent, Herodianos ab iis fuisse appellatos, qui id nequaquam faciendum esse statuebant; qui autem libertatis specie ducti, quominus vectigal Cæsari pensitaretur, impediebant, ii fuisse videntur Pharisæi. » S. Hieron. quoque ad h. l. « Cum Herodianis » expli-

Digitized by Google

diem quo intravit in arcam Noe, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes; ita erit et adventus Filii hominis. Mortuo enim Antichristo, tunc terris reddita pace, sanctis omnibus propter signa quæ non videbunt, diem ultimum exspectantibus, infideles et peccatores, sola terrena et transitoria cogitantes, omni voluptati sicut prius operam dabunt : vendentes et ementes, comedentes et bibentes, nuptias contrahentes, et similia facientes. Sed ecce subito cum dixerint, pax et securitas, « tunc repentinus eis superveniet interitus (*I Thess.* v, 3). » *Tunc duo erunt in agro; unus assumetur, et unus relinquetur.* Ager enim est mundus, sicut ipse Dominus ait, exponens parabolam qua dicitur, « Simile est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo (*Matth.* XIII, 24). » In hoc autem agro sunt duo, scilicet fidelis et infidelis : et fidelis quidem assumetur in gloriam, infidelis autem relinquetur in pœna. *Duæ molentes in mola, una assumetur, et una relinquetur.* Hæc enim mola sancta Ecclesia esse videtur, in qua dum sententiarum frumenta frangimus, dum Scripturas exponimus, dum in farinam cuncta convertimus, verbi Dei panem, quo animæ nutriuntur, conficimus. Molentes autem non omnes, sed soli boni in gloriam suscipientur : et merito quidem non duo, sed duæ dicuntur, quoniam ita molere ad animas pertinet; quamvis hoc de Synagoga et Ecclesia satis congrue intelligi possit (563); utraque enim molit, utraque Scripturas exponit : altera tamen et non ambæ assumuntur. *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus est.* Unde hoc? Quia *de die illa, vel hora,* ut modo diximus, *nemo scit. Illud autem scitote quia si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.* Quia igitur nescit, quia dormiens negligit, sæpe domus perfoditur, et quidquid in ea melius est, fit rapina latronum. Vos autem estote parati, estote solliciti, et quia illam unam horam nescitis, omnibus horis vigilate, ne in illa incauti et dormientes inveniamini. Et hoc est quod ait : *Ideo et vos estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis est. Quis putas est fidelis servus et prud constituit Dominus super familiam suam, cibum in tempore?* Quis, inquit, nisi un vestrum, et cæteri similes vestri? quis servus et prudens, quos ad hoc super suam, super domum et Ecclesiam suam constituit, ut eam regatis, doceatis, et n pro tempore et mensura, ordine et ratio faciatis? *Beatus ille servus, quem cum vene nus ejus, invenerit sic facientem.* Sed und Vis audire unde? *Amen dico vobis quon omnia bona sua constituet eum.* Quis enim tior erit, qui super omnia constituetur? In fidelis servus major erit et superior omnib se magis humiliaverat, et ministraverat *Si autem dixerit malus servus ille in co moram facit Dominus meus venire, et cæpe tere conservos suos, manducet autem et ebriosis; veniet Dominus servi illius in di sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum que ejus ponet cum hypocritis; illic erit stridor dentium.* Qui enim multum se in vivere sperans, sola caduca et transitoria ligens, cunctis carnis voluptatibus se s non cum sobriis sobrie, sed intemperate c sis manducat et bibit, servos percutit, affligit, subjectos despicit : iste quidem, voce, corde tamen et opere clamat : mo Dominus meus venire, securus sum; jan meo; meæ igitur obediam voluntati. *Veni Dominus ejus die qua non sperat, et hora rat,* subito eum de hac vita exire compell dit eum. Quid est enim mors nisi corporis divisio et separatio? Tunc ergo homo quando corpus ab anima separatur. Pon partem ejus cum hypocritis, modo interim animam, postmodum vero et corpus et ani

Cl. [Cap. XXV.] (564) *Tunc simile es cœlorum decem virginibus, quæ accipientes suas, exierunt obviam sponso et sponsæ.*

nes : qua interpretatio cum alia coincidit Jansenii Conc. c. 125, et communis ferme est; dici nescire, quia nescientes nos facit, ut loquitur Aug. lib. LXXXIII, q. 60, et lib. I De Trin., c. 12, et Beda ad h. l., id est nobis non revelat, et a Patre id non communicandum hominibus accepit : sive ad eum referendum, non « juxta hoc quod caput est, sed juxta corpus ejus, » quemadmodum idem Gregorius l. all. Nec valde imo nihil omnino ab hac explicatione explicatio differt Hilarii, qui hac de re fuse agit l. IX De Trin. scribens, num. 63. Deum tunc ignorantiam profiteri, cum « aut tempus non est loquendi, aut dispensatio est non agendi; » quæ postrema verba aliam præterea explicationem suppeditant, quæ est Epiphanii hær. 69, n. 44, dici ignorari judicii diem, quod non dum judicii instituendi dies advenerit; quam scientiam experimentalem vocant, et de ea quoque exponunt Lucæ locum de Christi profectu, et sapientia; quatenus « secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat, » ut ait S. Thomas III, p., qu. 7, art. 12, ad 3, qui etiam de scientia Christi experimentali agit ib., qu. 15, art. 8. Alii alio modo sapientiam mentalem, juxta quam Christus proficiebat mirum acquisitam, ut Tirinus exponunt, si dicamus Christum ut hominem nesci illum scientia experimentali, quatenus eo articulo adfuturus sit, ut ad eum prænoscen lus usus rerum, nulla temporum cognitio, jectura pervenire possit desumpta ex hu rerum experientia? Hoc certe esset contex Domini sermoni accommodatissimum.

(563) Hieron.: « In duobus qui in agro co tur, et in duabus quæ pariter molunt, vel gam intellige et Ecclesiam, quod simul m deantur in lege, et de iisdem Scripturis dedere præceptorum Dei; vel cæteras hær de utroque testamento, aut de altero vide lere farinam doctrinarum suarum... et non mercedem recipiunt, aliis assumptis, et ali ctis. » V. Hilar., c. 26, n. 5.

(564) Est homilia Emiseni in nat. V p. 232. Intellige semper S. Brunonem As

Digitized by Google

enim *tunc* ? Nunquid et modo simile non est? Simile quidem est et modo; sed hæc similitudo nondum manifeste apparet. Tunc igitur simile est, quando hæc similitudo manifesta est, nondum enim apparet quæ virgines fatuæ sint, et quæ prudentes. Multæ enim exterius videntur esse prudentes, quæ interius fatuæ sunt : quicunque enim opera sua faciunt ut videantur ab hominibus, fatui quidem sunt, etsi prudentes esse videantur. Magna enim fatuitas est jejunare, vigilare, carnem affligere et macerare, et per hoc nullam aliam mercedem, nisi vanam gloriam exspectare. De talibus enim Dominus ait : « Amen dico vobis receperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 2). » Inde enim et virgines dicuntur omnes, quia boni videntur ab omnibus. Sunt igitur in actione virgines, in intentione corrupti, quia bona quæ agunt non casta et sincera intentione faciunt. Sed quare hæ virgines decem dicuntur? Hic enim numerus omnes significat, quia omnes in se numeros continet (565). Quod ergo ait simile est regnum cœlorum decem virginibus, tale est ac si diceret, similis est sancta Ecclesia cunctis virginibus. Et mox ipsam similitudinem exponit dicens : *Quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ.* Quia enim quotidie morti appropinquamus, quotidie sponso et sponsæ, id est Christo et Ecclesiæ, obviam pergimus : hæc enim via simul cum vita finitur. Lampades autem accipimus, si bona opera nobiscum ferimus (566). Quod enim bona opera lampades dicantur, ipse Dominus ostendit dicens : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes vestra bona opera glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V, 16). » Quinque autem ex eis erant fatuæ et quinque prudentes : quod quidem alios in Ecclesia vanos et fatuos, alios vero prudentes et justos esse significat. Quamvis et ipso numero aliquid intelligi possit : quinque enim sunt corporis sensus, quibus aut prudentes aut fatui homines fiunt. *Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus* (567). Quasi sine oleo sunt fatuarum lampades, quia etsi ad tempus eorum opera lucere videantur, simul tamen cum eis exstinguuntur, quoniam post hanc vitam nullum eis lumen ministrant. At vero prudentium lampades, quoniam sincero pietatis et misericordiæ oleo nutriuntur, tunc clarius lucent, quando de his tenebris ad vitam transferuntur. Ideoque Apostolus ait : « Nolite itaque ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus; qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo (*I Cor.* IV, 5). » Tunc enim quæ lampades habeant oleum, et quæ non habeant, omnibus revelabitur. Tunc fiet sermo, qui de Ecclesia scriptus est, « Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus (*Proverb.* XXXI, 31). » *Moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes, et dormierunt.* Moratur enim sponsus, et venire retardat, donec ad judicium Dominus veniat. Tanta igitur est hæc mora, quantum est et hujus sæculi spatium. Interim autem omnes dormitant, et dormiunt; quia post multos langores tandem somno mortis oculos claudunt (568). Quasi enim ante somnum dormitare est, ante mortem languescere et ægrotare. *Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite* **118** *obviam ei.* In hoc enim clamore Apostolus ait: « Clanget enim tuba, et mortui resurgent incorrupti (569). » Hic autem clamor media nocte fiet; quia cunctis ignorantibus, dies Domini, quasi fur in nocte veniet (570). In nocte enim fit, quia in tenebris ignorantiæ fit. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas.* Ut enim Apostolus ait : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur (571). » Lampades autem ornant, dum opera sua secum retractant, et dignæ responsionis verba invenire interius cogitant (572) : quæ postquam fatuæ invenire non possunt, indicare incipiunt, et de suo testimonio diffidentes aliorum ipsæ testimonia flagitant. Et hoc est quod ait : *Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur.* Oleum fatuæ quærunt, quoniam misericor-

(565) Hier. « Decem virgines omnes homines complectuntur, qui videntur Deo credere. » Hilar. « Absolute in quinque prudentibus et in quinque fatuis fidelium atque infidelium est constituta divisio. » Aug., serm. 93, n. 2 : « Istæ quinque et quinque virgines omnes omnino sunt animæ Christianorum. »

(566) Aug., LXXXIII qq., 59 : « Lampades autem sunt, quia manibus gestantur opera, quæ secundum continentiam istam fiunt. » Idem, epist. 104, n. 75 : « Ipsæ autem sunt lampades accensæ, opera scilicet bona. » Et S. Greg., lib. IX, ep. 39 : « Lampades quippe nostræ bona sunt opera. »

(567) Hieron. « Possumus quinque virgines sapientes et stultas quinque sensus interpretari, quorum alii festinant ad cœlestia, et superna desiderant, alii, terrenis fecibus inhiantes, fomenta non habent veritatis quibus sua corda illuminent. » Vide Aug., lib. LXXXIII qq. all., et ep. 140, n. 33.

(568) « Omnes dormitaverunt, id est mortuæ sunt, quia sanctorum mors somnus appellatur. » Hier. Greg., hom. 12 in Ev. : « Dum venire Judex ad extremum judicium differt, electi et reprobi in mortis somno sopiuntur. Dormire etenim mori est. Ante somnum vero dormitare, est ante mortem a salute languescere. »

(569) I Corinth. XV, 52. Hier. pariter : « Subito eum quasi intempesta nocte, et securis omnibus, quando gravissimus somnus est, per angelorum clamores et tubas præcedentium fortitudinum Christi resonabit adventus. » S. Aug. l. all. « Nimirum clamor iste, ipse est tuba illa, quam commemorans Apostolus dicit, canet, » etc.

(570) Greg., hom. 12 : « De adventu sponsi clamor in media nocte, quia sic dies judicii subrepit, ut prævideri non valeat, quando venit, unde scriptum est; » *Dies Domini sicut fur*, etc.

(571) I Corinth. XV, 53. V. Aug., epist. 140.

(572) S. Aug. lib. LXXXIII qq. all., « aptaverunt lampades suas, id est rationes reddendas operum suorum. » Et ep. all. cap. 34, « aptant lampades suas, id est patiens reddere præparant de operibus suis »

Digitized by Google

dia indigent, et tale est ac si dicerent : Quia opera nostra lucere deficiunt, illuminate ea vos testimonio vestro (573). *Responderunt sapientes, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis : ite potius ad vendentes, et emite vobis.* Non nobis, inquiunt, oleum quæratis, neque nos imitari admoneatis : ite potius ad venditores; ite ad adulatores, qui vili pretio laudis et favoris omnia vestra bona vobis subripuerunt; quoniam ideo cuncta agebatis, ut videremini ab eis (574). Nos enim de nobis ipsis nondum ad plenum securæ sumus (575). Unde beatus Petrus apostolus ait : « Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? (*I Petr.* IV, 8). » *Dum autem irent emere, venit sponsus; et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias; et clausa est janua.* Dum emere, inquit, irent, id est dum ad ea quæ in hoc sæculo egerant, mente redirent; dum opera sua, qua intentione ea fecissent, secum tractarent; dum se pro eis laudis mercedem jam suscepisse recogitarent, venit sponsus. Emere enim tunc nihil aliud erit, nisi emptionis et venditionis modum cogitare. *Novissime autem veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait : Amen dico vobis, nescio vos.* Dominus enim qui omnia scit, fatuas virgines se nescire dicit (576); quoniam earum nomina non sunt scripta in libro vitæ. Nescire namque Domini, reprobare est.

CII. *Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua* (577); et reliqua. Sicut enim homo peregre (578) proficiscens servis suis bona sua tradidit, ita et Salvator noster de hoc mundo ad Patrem rediens, prius fidelibus suis bona sua largitus est. *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum; unicuique secundum propriam virtutem; et profectus est statim.* Quinque enim talenta (579) quinque sunt corporis sensus; duo vero intellectus et operatio; unum autem intellectus tantum. Hæc autem etsi natu ab initio hominibus data sunt; ea tamen fi suis iterum Dominus dedit, et quodammodo vavit, dum magis interius, quam exterius ha monstravit. Habet enim et anima visum, au gustum, odoratum, et tactum; et quidem digniores illis qui in corpore sunt. Sensus corporis cum aliis animalibus; sensus vero cum angelis communes habemus. *Abiit qui quinque talenta acceperat, operatus est et lucratus est alia quinque : Similiter et qui ceperat, et lucratus est alia duo;* **119** *qui unum acceperat abiens fodit in terrum, condit pecuniam domini sui.* Hæc autem on sequentibus exponemus. *Post multum vero te venit dominus servorum illorum, et posuit ra cum eis.* Post multum namque temporis venit multum temporis est inter primum et sec Christi adventum (580). Tunc enim cum serv rationem Dominus ponet, quia ut Apostolu « Omnes astabimus ante tribunal Christe (581 reddat unusquisque rationem de his quæ gessi bona, sive mala fuerunt. *Et accedens qui q talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta Domine, quinque talenta tradidisti mihi; ec quinque superlucratus sum.* Visum mihi de operatus sum in eo, et multos illuminavi : vidi, ostendi; quæ intellexi, docui; non celav abscondi ea quæ tu meis oculis revelare dig fuisti (582) : habeo ergo hoc talentum mult tum. Dedisti mihi et auditum; in hoc quoqu ratus sum, et multis aliis aures aperui tuor secretorum verba eos audire et intelligere Hoc enim talentum Dominus requirebat, cum ret; « Qui habet aures audiendi, audiat (*Matth* 43; *Marc.* IV, 9); » itemque : « Vobis datu nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in bolis, ut videntes non videant, et audientes

(573) Greg., lib. VIII Mor., cap. 31 : « Oleum quippe a proximis petere, est gloriam boni operis a testimonio alieni oris implorare. »

(574) Id. ibid. : « Fatuæ virgines quæ oleum in vasis non sumpserant, quia in alienis scilicet vocibus gloriam, et non in suis conscientiis habebant; » et hom. 12 in Evan., « venditores quippe olei, adulatores sunt. » S. Aug., ser. 93, n. 12 : « Quid est oleum peccatoris, nisi blandimenta adulatoris. » Idem habet enarr. in Ps. CXL, n. 13; et in Ps. CXLVII, n. 11 in quibus locis de hac parabola loquitur; et epist. 140, n. 70 : « hoc est portare oleum suum, non ex aliena laude dependere. »

(575) S. Aug., ep. 140, c. 31 : « Ne forte non sufficiat nobis et vobis, non desperanter, sed humiliter dictum est : quis enim sic præsumat de conscientia sua, ut certus sit, eam sibi in judicio Dei posse sufficere, nisi misericors misericorditer judicet? » Et cap. 34 : « Illis respondentibus, se nescire, utrum sibi sufficiat ipsa conscientia, qua expectant misericordiam sub illo Judice; qui cum in throno sederit, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato, » etc.

(576) S. Aug., ser. 93, n. 16, « non illas novit, qui omnia novit? Quid ergo est, non novi vos? improbo vos, reprobo vos. »

(577) Matth. XXV, 14. Est homilia Emiseni posita in natali confess. 1, p. 222, cujus init « Homo iste Dominus et Salvator noster int tur, qui de hoc mundo ad Patrem rediens,

(578) Hier. : « Homo iste paterfamilias hau bium quin Christus sit, qui ad Patrem post rectionem victor ascendens, vocatis apostolis d nam evangelicam tradidit, » etc.

(579) Id totum ex Gregorio, hom. 9, in Evan quod auctor etiam magis dilatat atque ex S. Ambrosius quoque libro VIII in Lucam si parabolam exponens, scribit : « Denique ex un cem unas alius fecit, alius quinque; fortass moralia habet, quia quinque sunt corporis se ille duplicita, id est mystica legis et moralia tatis : unde et Matthæus quinque talenta e posuit. »

(580) Hieron. : « Grande tempus est inter a sionem Salvatoris, et secundum ejus advent

(581) Ad Rom. XIV, 10, et II Cor. V, « Omnes enim stabimus, » etc. ut referat unus que propria corporis, prout gessit, sive bo sive malum. »

(582) S. Gregorius in Cantic. cap. 2, de sponsa agens, per lacrymas populos illuminare docet : « Lacrymis se lavant, ut per eos populi venienter coram Deo mundentur. »

Digitized by Google

intelligant (*Luc.* VIII, 10). » Gustum quoque mihi dedisti, quo tuæ dulcedinis saporem intelligens, dico : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII, 103) : » et in hoc quoque operatus sum, aliosque mecum ad degustandum invitavi, dicens : « Gustate et videte, quam suavis est Dominus; beatus vir qui sperat in eo (*Psal.* XXXI, 9). » Sed quid dicam de odoratu, quo fideles tuos instruxi, qua ratione discernere valeant inter catholicam doctrinam, et fetentem hæreticam pravitatem? hoc enim servi tui illecti, te sequuntur, dicentes : « Trahe nos post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I, 3). » Propter hoc et sancta Ecclesia de naso laudatur, ubi dicitur; « Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum (583) (*Cant.* VII, 3). » At vero et in tactu operatus sum; et non minus in eo, quam in aliis talentis lucratus sum. Tactus animæ, fides est : hac enim Dominus tenetur et tangitur (584). Quanto enim unusquisque fidelior est, tanto familiarius, et propius Dominum tangit. Alii enim ipsum; alii ejus vestimenti fimbrias tangunt. Hoc autem talentum duplicamus, quando fidem nostram aliis prædicamus. Sed audiamus, quid huic Dominus responderit, qui et quinque talenta duplicata obtulit : *Euge, bone serve et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. Euge* namque vox gaudentis est (585). Sed nota, quod pauca Dominus reputat quæque in hoc mundo meliora habemus. Qua in re illius regni divitias inæstimabiles esse ostendit : de quibus Apostolus ait : « Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II, 9). » Parva sunt igitur hæc talenta illis divitiis comparata; si quidem eas quales sint, per hæc neque videre, neque audire, neque ad plenum cogitare possumus (586). Quis enim illud cogitare valeat, quod in cor hominis non ascendit? *Intra in gaudium Domini tui.* De his enim gaudiis Psalmista, ait : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæculum sæculi laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5) : » itemque : « Unam petii a Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI, 4). » Hæc autem de quinque talentis dicta sunt : nunc vero de duobus audiamus; per quæ intellectum et operationem significari diximus (587) : quæ nimirum etsi numero sint pauciora, pretio tamen et significatione non sunt inferiora. Qui enim bene intelligit, et quæ intelligit operatur, nihil in visu et auditu, nihil in gustu, odoratu et tactu minus habet. In his enim duobus illa quinque plenissime continentur : quæ quidem sibi mutuo conjuncta sunt, et sine altero alteram non valet. Inutilia enim sunt et intellectus sine operatione, et operatio sine intellectu : unde bene dicitur : « Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in sæculum sæculi (588). » Accessit igitur et qui duo talenta acceperat, et ait : *Domine, duo talenta tradidisti mihi; ecce alia* **120** *duo superlucratus sum.* Intellectum et operationem mihi dedisti; tu enim das intelligentiam intelligentibus (589); tu et bonam voluntatem, et bene operandi effectum tribuis; unde Apostolus : « Neque volentis, inquit, neque currentis, sed miserentis est Dei (*Rom.* IX, 16). » Nam neque volentis est voluntas, neque currentis est cursus, sed miserentis est Dei, qui prius bene agendi voluntatem, deinde bene currendi tribuit facultatem. Duo igitur talenta mihi dedisti, ecce alia duo superlucratus sum; quoniam quid intelligant, et qualiter intelligentes operari debeant, alios docere, piger non fui. Huic itaque Dominus respondens et congaudens, non minora dona largitur, quam illi alii modo superius largitus fuerat. Nunc etiam de illo videamus, qui *abiens fodit in terram et abscondit pecuniam domini sui;* per quem scilicet eos intelligimus, quibus ingenium et intellectum Dominus dedit, quem ipsi in terreno et carneo corde suffodientes et abscondentes, neque in sua neque in aliorum salute eum expendunt. Tales autem multos videmus, qui, si voluissent, multis prodesse potuissent (590). Et isti quidem digne satis, amisso intellectu quo male usu fuerant (591), dum se excusare putant, judicis iram contra se provocant, dicentes : Domine, scio quia *homo*

(583) Gregor. l. all. explicans hunc canticorum locum : « In naso, inquit, odoris discretio habetur. Per nasum ergo discretio prædicatorum designatur, quia per eos nobis virtutum odores, et vitiorum fetores demonstrantur. »

(584) Beda ad cap. 8 Marc. : « Tangimus autem Dominum nos, cum ei fide integra, et sincera adhæremus. »

(585) Beda : « Euge, interjectio est lætantis, et bene gaudens Dominus servum bonum et fidelem in gaudium suum intrare jubet. »

(586) Hieron. : « Et notandum quod omnia quæ in præsenti habemus, licet magna videantur et plurima, tamen comparatione futurorum parva et pauca sunt. Intra, inquit, in gaudium Domini tui, et suscipe quæ nec oculus, » etc.

(587) Hier. : « Et iste... Scientiam et opera præsentis vitæ, futuræ beatitudinis typos intellexit. »

(588) Psalm. CX, 115. S. Prosper ad h. l. Psalmi: « Is bonum habet intellectum, qui quod faciendum recte, intelligit, facit. » Nazianzenus, orat. 15, pag. 226. « Præstantior est sapientia quæ per opera demonstratur, quam quæ sermone nitet. Intellectus enim bonus, » etc.

(589) V. Aug., lib. XIX De civ., cap. 14, serm. 365, n. 3, serm. 18, in Ps. CXVIII, etc.

(590) De hoc fuse S. Aug. in explicatione hujus parabolæ serm. 114 : « Nos ergo dispensatores sumus, lucra, quærimus; bene vivite : lucra enim erogationis nostræ ista sunt. Sed etiam ad vos nolite existimare non pertinere erogationem. Non potestis erogare de isto loco superiore, sed potestis ubicunque estis. Ubi reprehenditur Christus, defendite; murmuratoribus respondete, blasphematores corripite, ab eorum vos societate alienate. Sic erogatis, si aliquos lucramini. Agite vicem vestram in domibus vestris, » etc. V. etiam Greg., hom. 6, in Evang.

(591) Hieron. hic : « Multi cum sapientes sint naturaliter et habeant acumen ingenii, si fuerint negligentes. . . perdunt bonum naturæ. »

Digitized by Google

durus es ; metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti, et timens abii, abscondi talentum in terra : ecce habes quod tuum est. Si enim intellectum habuissent, et sensum non amisissent, nequaquam durum, et injustum vocarent, cujus benevolentiam captabant. Talis igitur excusatio quam sit vana et inutilis omnisque ingenii et rationis expers, ipse Dominus ostendit, dicens : *Serve male et piger, sciebas, quia meto ubi non semino : et congrego ubi non sparsi : oportuit ergo te dare pecuniam meam nummulariis; et ego veniens recepissem utique quod meum est cum usura.* Ac si diceret : Non fuit conveniens, ut meam pecuniam nummulariis committere timeres, cum me tam fortem esse cognoveras, ut non solum mea, verum etiam aliena mihi ubique vindicare valeam (592). Qua in re te nullam excusationem habere, manifestum est. Hæc autem pecunia, verba vitæ æternæ sunt ; nummularii vero, quibus ea nuntiantur (593) ; si tamen in ea negotiantes otiosam eam esse non patiuntur. Hanc autem cum usura Dominus recipit, qui multos fideles cum fructu boni operis per eam acquirit. Nusquam autem est, ubi Dominus non seminaverit; nusquam est, ubi suæ gratiæ sementem non sparserit; quia, præter hoc, quod in omnem terram exivit sonus apostolorum omnibus hominibus rationem et intellectum, memoriam et ingenium largitus est (594). Constat igitur, hunc malum servum adversus eum esse mentitum. De quo Dominus subinferens, ait : *Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet quinque talenta.* Per quod intelligere possumus, solos bonos eam beatitudinem possidere, quam simul cum eis et mali possedissent, si in bonitate perstitissent. Talentum enim, id est talenti retributionem et meritum, soli boni habebunt. Unde et subditur : *Omni enim habenti dabitur, et abundabit ; ei autem qui non habet et quod videtur habere auferetur ab eo.* Quicunque enim hæc talenta duplicata habuerit, ei et talentorum meritum dabitur, et omnium divitiarum plenitudine abundabit; ei autem qui talentum non habuerit duplicatum, sed otiosum, et sine fructu illud esse permiserit, etiam id quod videtur habere, auferetur ab eo; quoniam sine rati intellectu, stolidus et insipiens apparebit; e inutilis servus ejicietur in tenebras exteriores *erit fletus et stridor dentium.*

CIII. *Cum autem venerit Filius homi majestate sua, et omnes angeli cum eo, sedebit super sedem majestatis suæ, et congre tur ante eum omnes gentes; et separabit eos vicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis;* tuet **121** *oves quidem a dextris suis, hœdos a sinistris* (595). Dominus enim qui prius h venit, et in forma servi ; iterum excelsus et su venturus est in majestate sua, et in gloria Patris Venient autem et omnes angeli cum eo; ut sui exercitus multitudine, ejus virtus et omn tentia manifestetur. Et tunc quidem sedebit majestatis suæ ; quoniam tunc Patri cœterno lis et similis revelabitur. Nusquam enim regia dignitas; quam in sede regia manifestat *congregabuntur ante eum omnes gentes :* secu illud : « Vivo ego, dicit Dominus (*Isai* XLIX, quoniam curvabitur omne genu, et confitebitu nis lingua (*Isai* XLV, 24). » Non autem erit d omnes gentes congregare; cum difficile no creare et resuscitare. Et ipse quidem pastor h qui oves suas bene cognoscit, bonos a malis se bit, ovesque statuet a dextris, hædos autem a stris. Oves enim dicuntur boni propter simplici et innocentiam; hædi vero dicuntur mali pr vanitatem et petulantiam (597). In ipsa autem tione dexteræ et sinistræ, jam ex tunc utraque cognoscere poterit, cui misericordia, et cui p immineat. *Tunc dicet rex his qui a dextris ejus e Venite, benedicti Patris mei, possidete,* par *vobis regnum a constitutione mundi.* Quare hoc? audire, quare? *Esurivi enim, et dedistis mihi m care; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes era collegistis me; nudus, et operuistis me; in ca eram, et venistis ad me.* Si enim ante mundi co tutionem regnum eis erat paratum ; constat, antequam fierent, ad vitam erant prædestinati vero ad vitam prædestinati sunt, illi nullatenu

(592) Hier. : « Quod putaverat pro excusatione dixisse, in culpam propriam vertitur. Si, inquit, durum et crudelem esse me noveras . . . quare non tibi istiusmodi cogitatio incussit timorem, ut scires, me mea diligentius quæsiturum, et dares pecuniam meam, sive argentum nummulariis? »

(593) Iterum Hieron. : « Pecunia ergo et argentum prædicatio Evangelii est, et sermo divinus, qui dari debuit nummulariis et trapezitis, id est vel cæteris doctoribus, . . vel cunctis credentibus, qui possunt pecuniam duplicare, et cum usuris reddere, ut quidquid sermone didicerint, opere explerent. » Hæc et superiora Hieronymi breviavit Beda.

(594) S. Greg., hom. 6, in Evang.: « Nemo dicat admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum : quantum potes exhibe, ne male servatum talentum quod acceperas, in tormentis pendere exigaris. » Et hom. 9 : « Alius nempe accepit intelligentiam prædicationis ; ministerium debet ex talento : alius terrenam substantiam, etc. Habens ergo intellectum, curet omnino ne taceat ; habens rerum affluentiam, vigilet, ne a misericordiæ largitate torpescat; ha loquendi locum apud divitem, damnationem pro tento talento timeat, » etc.

(595) Hinc homilia S. Brunonis, ser. 2, pos Domin. Quadrag.

(596) Chrysost., hom. 80 : « Nunc enim ven ignominia, in contumeliis, in opprobriis; tunc au sedebit super thronum gloriæ suæ ; ac freque gloriam memorat; quia enim crux prope erat, res maxime vituperabilis videbatur, ideo erigit ditorem, et ante oculos ipsi judicium ponit, ord que totum sistit. » V. Hieron.

(597) Ita ferme ex recentior. a Lapide. Ch sostomus vero : « Illos hædos, hos oves appell ut illorum sterilitatem indicet : nullus enim ex ha fructus proficiscitur ; horum vero proventus mul qui ex ovibus paritur, ut lana, lac et fetus, qui omnibus vacuus est hædus. » Oves nomen innoc tiæ sit S. Bern., ep. 229, n. 5; Proprius ad A. H ron., « nec dixit capras quæ possunt habere fetus sed hædos lascivum animal et petulcum. »

Digitized by Google

rire possunt. Fit autem conditionaliter prædestinatio Dei; nihilque sine aliqua conditione prædestinatum est. Prædestinatum est et ut salvaretur mundus, sed per aquam baptismatis et mortem Filii Dei. Prædestinati sunt omnes boni ad gloriam. Sed ea conditione, si fidem tenuerint, si charitatem, si humilitatem, si patientiam, si misericordiam et pietatem, et his similia habuerint. Tales enim eos futuros prævidit, quos Dominus ad vitam prædestinavit, et quasi prædestinando eis diceret : Ego quidem vos ad vitam prædestino, si tamen tales et tales fueritis, si mea mandata custodieritis, si fidem et misericordiam habueritis, et si in bono tandem inventi fueritis. Qui igitur talis esse non vult; qui Dei mandata custodire non nititur; ideo non venit ad prædestinationem, quia non servat conditionem. *Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus? Sitientem et dedimus tibi potum? quando autem vidimus hospitem et collegimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te?* Stupescunt enim admiratione (598), dum eum esurientem vel sitientem; dum hospitem, infirmum, aut in carcere aliquando fuisse audiunt; quem tunc in tanta gloria tantaque sublimitate conspiciunt. Unde et non immerito eum interrogant, quando vel sic eum viderunt, vel sic ei ministraverunt? *Et respondens rex dicit illis : Amen, amen dico vobis, quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* In membris suis (599) suscipitur Christus : membra enim, sua sunt omnes Christiani; ideo enim Christiani dicuntur, quia membra sunt Christi. Unde et Apostolus ait : « Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit (*I Cor.* VI, 15). » Christus igitur in esurientibus esurit (600), in sitientibus sitit, in infirmis ægrotat, et in aliis similiter patitur. Magna ergo reverentia suscipiendi sunt pauperes Christi; cum magna veneratione serviendum est eis; si quidem Christus in eis suscipitur, et honoratur in eis. *Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui preparatus est diabolo et angelis ejus.* Quare autem eis præcipiat, subjungit causam : *Esurivi enim et non dedistis mihi manducare; sitivi et non dedistis mihi bibere; hospes eram et non collegistis me; infirmus et in* **122** *carcere, et non visitastis me.* Si igitur ignis æternus paratus est diabolo et angelis ejus, manifestum est quoniam sic prædestinati sunt mali ad mortem, propter malitiam suam, sicut boni ad vitam pro bonitate sua. Sic, quæ tormenta patientur qui aliena rapiunt, cum isti talia patiuntur, quia sua non tribuunt (601)? Si talia sustinebunt immisericordes, qualia passuri putamus crudeles? *Et ibunt isti in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* [CAP. XXVI.] *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis* (602).

CIV. *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur* (603)? Nuntiat Dominus Pascha post biduum, nuntiat et passionem suam, ut in Pascha occidatur, qui per Pascham significabatur. Tota enim illa festivitas per tot annos antea celebrata, nihil aliud nisi Christi passionem significabat (604). Merito igitur simul conveniunt et significatio et significatum. Merito illa et non alia die jam tandem morti traditur; qui per singulos annos in hujus facti significatione illo die immolabatur. *Pascha* enim sive *Phase* (605) transitus dicitur; sive quia tunc Dominus transiens per castra Ægyptiorum, omnia eorum primogenita interfecit; sive etiam quia tunc Salvator noster transivit de hoc mundo ad Patrem. Unde Joannes ait : « Sciens Jesus quia venit ejus hora, ut transeat de hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos (*Joan.* XIII, 1). » Hæc autem solemnitas septem diebus celebratur, de qua in Exodo sufficienter diximus (606). *Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum qui dicebatur Caiphas, et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent.* Sicut enim per singulos annos omnes Judæi convenire solebant, ut

(598) Beda : « Sive per gloriam Christi mirantes dicunt, sive quod parvum eis tunc videtur omne bonum quod fecerunt, pro magnitudine terroris et abundantia retributionis. »

(599) Hilar. : « Ita enim in universorum fidelium corporibus mentibusque transfunditur, ut hæc humanitatis officia, aut gratiam suam impensa mereantur, aut offensam negata commoveant. »

(600) S. Leo, serm. 7 De Quadr., cap. 3 : « Ne dubitemus Deo tribui quod tribuitur indigenti... Quid hoc opere fructuosius? quid hac humanitate felicius? quæ utique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturæ communionem juvando homini ab homine præberetur; sed quia quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit : alia est conditio operum cœlestium, alia terrenorum... Christiana pietas in suum transit auctorem, cum in ipsum dicamur benigni, quem in nobis fatemur operari. » V. serm. 2 De jejun., 7 mens., cap. 4; Gregorium, hom. 39, in Evang., etc.

(601) S. Greg., Reg. past., p. 3, 21 : « Ecce nequaquam audiunt, quia rapinas, vel alia quælibet violenta commiserunt, et tamen æternis gehennæ ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est quanta damnatione plectendi sunt qui rapiunt aliena, si tanta animadversione feriuntur qui sua indiscrete tenuerunt. » V. Chrysost., hom. in Ps. IV et hom. 5. De pœn.; Basilium in prooem. De jud. D., etc.

(602) Quæ verba cum sequentibus in Evangel. junguntur.

(603) Est hom. S. Brunonis in ramis Palmarum, pag. 105, Emiseno supposita.

(604) Ob hanc significationem fuere qui nomen ipsum, Græcum putarent et a πάσχω *patior* derivarent; quod falsum est, ut Jansenius, cap. 128 et alii multi observant; præsertim vero Pererius in cap. XII. Exod. disput. 8. Certa tamen est significatio, ut ipsum nomen J. C. Paulus I Cor. V aptarit : « Pascha nostrum immolatus est Christus. »

(605) Pascha est Hebraica dictio a LXX interpretibus sic posita Exod. XII: πάσχα ἐστὶ Κυρίῳ. Hæbraicum verbum Pesah פסח Phase, legit Hieron.

(606) Vid. Edit. Rom. S. Brunonis tom. I, p. 60.

Digitized by Google

in hac solemnitate unum hædum immolarent ; ita et nunc omnes colliguntur in unum, ut Christum dolo teneant et occidant, quem ille hædus significabat. De quo scriptum est : « Juxta quem ritum tolletis et hædum, et immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel ad vesperum (607). » Cui enim non videtur esse ridiculum ut sexcenta millia hominum et eo amplius in unum convenirent ut unum hædum interficerent; nisi quia hoc tam magnum sacramentum in illo facto significabatur? *Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Timebant enim, ne populi seditione de illorum manibus Christus tolleretur, qui illuc ad diem festum undique convenerat. *Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis.* Simon iste leprosus fuerat, quem jam antea sanaverat Dominus (608). Hæc autem mulier utrum eadem sit quæ lacrymis pedes ejus rigavit, an alia, non contendo (609). Mihi tamen non videtur inconveniens, si ad Christi caput ungendum accessit, cui jam Dominus peccata dimiserat, dicens : « Mulier, remittuntur tibi peccata (*Luc.* VII, 48). » Hoc autem unguentum alius evangelista «spicatum (*Marc.* XIV, 3), alius pisticum (610) vocat. Et spicatum quidem dicitur ab ea specie quæ spica

A *nardi* **123** vocatur. *Pisticum* autem *fidele* (61
pretatur : cui illud contrarium est, de quo
« Oleum autem peccatoris non impingue
meum (*Psal.* CXL, 5). » Manifestum est igit
utrumque significet. *Videntes autem discip
gnati sunt dicentes : Ut quid perditio hæc?
enim hoc venundari multo, et dari pauperib
autem solum Judam dixisse Joannes evangeli
rat (*Joan.* XII, 5) : et hoc fortasse, quia
teris ille locutus est, quamvis et cæteris h
displicuisset, et cæteris quidem, propter pa
Judæ vero, quia fur erat et loculos habeba
Quia enim hujus rei significatum non intelli
inutiliter eis fieri videbatur. *Sciens autem J
illis : Quid molesti estis huic mulieri? Op
B bonum operata est in me.* Sciens enim Jes
hoc significaret, defendit et laudat mulier
opere bono. Nam semper pauperes habebiti
cum, me autem non semper habebitis. Hoc
præsentia sui corporis dicit, quam illi modi
cum habituri erant. *Mittens enim hæc ung
hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*
ficatio, inquit est, non perditio. In proxim
passurus sum; ideoque hæc mulier hoc u
tum mihi obtulit ad sepeliendum? Mos eni
quus fuit, ut nobilium corpora sepelienda un

(607) Exod. XII, 6. In quem locum fuse disputat Pererius disput. 5, ita hunc locum explicans, ut non simul uterque, agnus et hædus, sed alterutrum animal immolaretur, ut Theodoretus q. 54 in Exod. statuit : in quam sententiam Cornelius a Lapide, C Tirinus, Calmet., aliique passim abeunt, neque ulla est difficultas in eo quod unus hædus satis esset plurimis : « Sicut, ait Pererius, unus panis benedictus minutatim divisus sufficit omnibus qui sunt in templo, parvum frustum quolibet eorum sumente : » non enim ad explendam famem, sed ad mysterium adhibebatur; mysterium vero fuisse hujusmodi, ut sicuti agnus, ita ejus loco hædus immolatus Christi immolationem significaret, notius est quam ut testibus egeat et PP. auctoritate, quam tamen hic non omittunt interpretes.

(608) Hieron.: « Non quod leprosus et illo tempore permaneret, sed qui antea leprosus, postea a Salvatore mundatus est, nomine pristino permanente, ut virtus curantis appareat. » Idem habet Beda ; ex recent. Maldonatus, etc.

(609) Si Jansenium audimus, Concord., c. 48. postquam mota apud veteres quæstio hæc, maxime Græcos (inter quos Origenes tres diversas esse mulieres putaverat) composita seu sopita fuerat S. Augustini ætate, primi eam renovarunt Jodocus Clictoveus, et Jacobus Faber, atque etiam hac nostra ætate fervet; de qua Bollandiani tom. V, Act. Jul. a pag. 187.

(610) Quantus est eruditiorum interpretum, veterum, et recentiorum consensus in explicando unguento *spicato*, et *pretioso*, quod a Plinio, Galeno, Dioscoride, etc., duplex nardi unguenti genus ponatur, spicati ex nardi spica confecti (nam ex Plinio XII, 12, « cacumina nardi in aristas se spargunt, ideo gemina dote nardi spicas, et folia celebrant). » quod optimum est, adeoque pretiosum dicitur, et *foliati* ex nardi foliis; tantus, eoque major dissensus in explicando unguento *pistico*. Sunt qui a loci nomine accersunt, ut Augustinus tractatu 50 in Joannem, et Theophylactus in Marcum; ex quibus Bistam, seu Pistam caput Caramaniæ, vel provinciæ Cabul apud

In los quidam nominant; vel opisticum le
Urbem Opis prope Babyloniam. Sunt qui pi
vel amanuensium errore legi, vel metathesi
arbitrantur; Erasmus, Castalio, Grotius, de q
tathesi fuse Cornelius a Lapide, quibus adnu
Beda potest, spicatum in utroque evangelista
Sunt, qui πιστικόν ἀπὸ τοῦ πιεῖν revocare
quod non hoc, ut aliud unguenti ejusdem
crassum, et solidum fuerit, sed liquidum; u
effundi ad ungendum posset, potui etiam
stum, ut Hirtius De Bel. Hisp. perhibere vi
unde etiam Æschilus πιστὸν habeat pro
quod et Maldonatus censuit, et Casaubonus, S
nus, etc. Sunt denique, qui vocem *pisticum* d
a πίστις *fides*, quasi verum, probum, sincerum
adulterinum unguentum : quæ sententia est
mii, Theophilacti, Vatabli, Laurentii Valla,
Clari, Toleti; item Erasmi Zegeri, Cappelli, d
Clerici, etc.; ut non modo verum sit, quod d
sua Maldonatus dixit, communem esse sente
et magis receptam, sed de consequentibus
ætatibus. Atque hanc auctor noster amplexus

(611) Secutus credo Bedam, qui scribit, u
D tum illud ab evangelistis perhiberi « pistic
est fidele eo quod solent aliqui medicorum sin
herbis unguenta adulterare : πίστις enim Græc
dicitur.... Mystice fidem designat Ecclesiæ,
Atque hinc mysticam interpretationem illam q
auctor indicat. Vide Nicolaum Graberg., et F
cum Bucherum, De unctione in Bethania.

(612) Hier. : « Apostoli vere propter pauperes
gnati sunt, Judas autem propter lucra sua. U
mussitatio ejus cum crimine ponitur, quod n
ram pauperum habuerit, sed suo furto volueri
videre. » Ita ferme et S. Aug. De consensu
lib. II., cap. 79, scribens, posse hoc explicari
« alii discipuli aut senserint hoc, aut dixerint
eis Juda dicente persuasum sit, atque omniu
luntatem Matthæus et Marcus etiam verbis ex
serint : sed Judas propterea dixerit, quia fu
cæteri vero propter pauperum curam, Joanne
tem de solo illo id commemorare voluisse, cuj

Digitized by Google

retiosis ungerentur (613). *Amen, dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus.* Vos, inquit, insipientem pro eo facto eam reprehenditis, pro quo ipsa laudanda est in universo mundo (614.) Tunc ablit unus de duodecim qui dicebatur Judas Scharioth (615) ad principes sacerdotum, et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? Et illi constituerunt ei triginta argenteos. Exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet. Hoc enim totum a prophetis prænuntiatum fuerat, et quod a discipulo traderetur, et quod triginta argenteis venderetur. Unde Psalmista: « Homo pacis meæ, in quo sperabam, qui edebat panes meos ampliavit adversum me supplantationem (*Psal.* XL, 10); » et alibi: « Appenderunt mercedem meam triginta argenteis, decorum pretium, quo appretiatus sum a filiis Israel (*Zach.* XI, 12). » Decorum autem pretium ironice dixit (616); quia indecorum et inconveniens erat ut mundi Salvator tam vili pretio venderetur. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? Pascha enim hoc loco agnum illum vocat qui in Pascha immolabatur, quem nocte illa comedebant in azymis et lactucis agrestibus. At Jesus dixit. Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est; apud te facio Pascha cum discipulis meis. Iste enim quidam non parvi meriti fuisse credendus est, apud quem non solum Pascha Dominus facit, verum etiam suæ passionis revelat arcanum, dicens ei: *Tempus meum prope est.* — *Et fecerunt discipuli, sicut præcepit illis Jesus, et paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis, et edentibus illis dixit: Amen dico vobis quia unus vestrum me traditurus est; et contristati sunt valde, et cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum, Domine?* **124** *At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum* (617) *in paropside hic me tradet.* Prius dicit: Unus vestrum tradet me; deinde dubitantibus omnibus et unoquoque timente pro se (sciebant enim, eum mentiri non posse) manifestius eum ostendit, dicens: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Utrumque enim prophetatum est, et quod Filius hominis traderetur, et quod væ illi esset, per quem traderetur; utrumque enim præviderat Dominus, et mortem suam, et iniquitatem proditoris sui; utrumque enim prædicere voluit, ut eo amplius sibi suisque caveret, et proditionem facere timeret. *Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille.* Simplici sermone et vulgata locutione loquitur (618); non quod bonum vel malum ei sit, quod omnino non est nisi forte quis hoc subtilius intelligere velit, ut formato corpore et suscepta anima, si Judas in matris utero, priusquam nasceretur, moreretur, melius illi esset quam ut ad hoc tantum scelus pervenisset; quoniam et si beatitudinis gloriam non haberet, pœnam tamen proditionis non sustineret. Credimus enim omnes homines, etiam non natos resurgere, quibuscunque vel ad horam concessum est vivere (619). *Respondens autem Judas qui tradidit eum dixit: nunquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.* Ecce, miser, vides Dominum omnia scire, nec tuam conscientiam cum latere; cessa igitur, et confitere. *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et comedite; Hoc est corpus meum.* Exponit Dominus hoc in loco quod significaret, cum alibi diceret. « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, 54). » Ecce sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech panem et vinum virtute ineffabili in sui corporis et sanguinis substantiam convertit. Sicut enim tunc et vivebat, et loquebatur, et tamen a discipulis comedebatur et bibebatur (620); ita et modo integer et incorruptibilis manet, et a fidelibus suis in panis et vini sacramento quotidie bibitur et manducatur. Nisi enim panis et vinum in ejus carnem et sanguinem verterentur, nunquam ipse corporaliter manducaretur

occasione furandi consuetudinem credidit intimandam. »

(613) Vid. Gutherium, De jur. man. lib. I, c. 15; Kirchranum, De funer. l. I, c, 8; Spencerum Rit. funebr. cap. 1, sect. 3; Blasium Ugolin., Sacerd. Hebraic., cap. 4 et interpretes ad Genes. I, 2.

(614) Patet hoc vel ex PP. homiliis. Unus Petrus Chrysologus tres sermones habet 93, 94, 95. Nysseni sive Asterii unus recensetur, Gregorii homil., etc.

(615) Vetus hic codd. mss. lectio. Colbertinus, unde Italam versionem repræsentavit Sabatier, habet *Scarioth*. *Scarioth* vero Sangermanenses duo Corbeienses duo, R. Sat. et Maj.-Mon.-Claramontanus, etc., ap. eumdem Sabatier.

(616) Hieron. ad loc. Zach. εἰρωνικῶς « pretium suum, id est divinæ majestatis in triginta cernens argenteis, et tam viti mercede se proditum *Decoram*, etc. hoc autem pressius legendum cum irrisione et subsannatione dicentis. » Ironice pariter hoc dicl censent recentiores Lyranus, Ribera, Cornelius a Lapide, Menochius, etc.

(617) Ita scribitur constanter, et est in editis nomine Emiseni, pag. 107, *Paropside*: imo, teste Ducangio in Gloss. Latin. in aliis cæterorum mss.; cui scriptioni favet ratio nominis, si vera est, quam dat Isidorus XX Originum, cap. 4. « Paropsis quadrangulum et quadrilaterum vas, id est paribus absidis. »

(618) Hieron.: « Non ideo putandus est ante fuisse. Quam nasceretur, quia nulli possit bene esse, nisi ei, qui fuerit; sed simpliciter dictum est, multo melius esse non subsistere, quam male subsistere. » Idem iisdem fere verbis Beda.

(619) Vid. S. Thomam in 4, dist. 43, et supplem., q. 75, art. 2, ad 5.

(620) Vid. S. Th. III p., q. 81. Vide etiam Aug. in Ps. XXXIII, Enarr. 2, n. 10: « Ferebatur in manibus suis. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non inveniemus; in Christo invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: *Hoc est*, » etc. V. Hier. epist. 120 ad Hedib., qu. 2.

Digitized by Google

vel biberetur. Mutantur enim ista in illa ; comeduntur et bibuntur illa in istis : quod qualiter fiat, ipse solus novit qui omnia potest et omnia novit. Dixit enim tunc per se ; dicit et modo per suos ministros. *Hoc est enim corpus meum ;* et tanta est ejus verbi virtus et efficacia, ut statim fiat quod dicitur. Similiter autem, dum dicit : *Hic est sanguis meus,* mox in ejus sanguinem vinum convertitur (621). *Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes : hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hic, inquit, est sanguis meus qui fundendus est, non alius iste, et alius ille ; sed unus idemque et iste, et ille. Cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem vos modo bibitis, et videtis in calice. Aliter enim testamentum novum confirmari non potest : et hoc est quod Apostolus ait : « Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris : testamentum enim in mortuis confirmatum est ; alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est ; unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est (*Hebr.* IX, 16). » Sanguine igitur vetus testamentum, sanguine dedicatur et novum. Sed illud quidem sanguine hircorum, hoc autem sanguine Christi. *Dico autem vobis. Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Regnum Dei Ecclesia est, in qua vinum vetus non bibitur, nec vetus doctrina suscipitur, quia non ad litteram, sed spiritualiter Scriptura intelligitur (622). In hac igitur Christus vinum novum bibit nobiscum ; quoniam nobiscum manens, in nobis esurit et sitit, **125** in nobis cibatur atque potatur. Si enim ipse ait : « Esurivi et dedistis mihi manducare ; sitivi et dedistis mihi bibere (*Matth.* XXV, 35). » Ipse enim secundum se jam nunc neque esurit, neque sitit, neque manducat, neque bibit. Spreto igitur vino veteri, vinum novum nobiscum in Ecclesia bibit ; quia repulsa Judæorum fide atque doctrina, nostram fidem et doctrinam recipit. Quasi enim de uno vino bibimus, dum unam fidem et doctrinam tenemus. Lucas autem duos calices (623) ponit, duo significans testamenta, et in primo quidem calice dicitur : *Non bibam de hoc genimine vitis,* ut intelligamus vetus mentum juxta litteram esse completum : mox subditur : *Donec bibam illud vobiscum regno Dei. Et, hymno dicto, exierunt in Oliveti.* Merito enim post talem refectionem dicunt, et in montem Oliveti ascendunt ; qui Christi carne et sanguine reficiuntur laudare, et montem pacis ascendere dig *Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandal tiemini in me in ista nocte.* Scandalum eni tationis passi sunt, dum eum quasi impote neri, ligari et flagellari viderunt. « Scrip enim : Percutiam pastorem, et dispergen gregis (*Zach.* XIII, 7). » Scripturæ testimon quod dixerat. Nam Psalmista ait : « Quoni tu percussisti persecuti sunt (*Psal.* LXVII Percussit enim Pater Filium ; quia, sicut « Non haberent in eum potestatem, nisi ho tum fuisset desuper (*Joan.* XIX, 11). » *autem resurrexero, præcedam vos in Galilæ* enim prophetia consolatione plena est. In eos præcedit, id est in patriam eorum ; omn Galilæi erant, significans, se tandem illos liorem patriam ducere. *Respondens autem P illi : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, quam scandalizabor.* Non enim putabat B. P alicujus persecutionis timore, suæ fidei et di flamma exstingui potuisset. *Ait illi Jesus : A tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cante negabis. Ait illi Petrus : Etiamsi oportuerit tecum, non te negabo. Similiter et omnes dixerunt.* Nemo igitur in se, nemo in viri confidere potest (624) : omnis constantia virtus et fortitudo, non hominis, sed Dei e *venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur mani, et dixit discipulis suis : Sedete hic, dum illuc et orem.* Quia enim Gethsemani (62 *pinguium* interpretatur, illuc oraturus Dom nit ; ut ex ipsa loci appellatione ostenderet pietatis et misericordiæ pinguedine abunda pro suis quoque inimicis Patrem oraret. *Et a*

(621) Indicat A. sententiam, quæ communis ferme est inter TT. De verbis essentialibus consecrationis, de quibus Bellarminus lib. IV. De Euch., cap. 12, 13, asserens, hanc esse sententiam communem TT. sed et Vett. PP. V. Estium in 4, dist. 8, § 11. Suarez in III p., disp. 59, 60. Et quanquam de mente S. Thomæ quæstio sit aliqua, tamen Silvius in III. p., qu. 78, q. 3 ; Drovet, lib. IV, cap. 3 ; Billuart, t. XVII, idem hoc tuentur. Vide etiam Bougeant, Refut. diss. le Brun., et Traité théolog. sur la forme de l'Euch.

(622) Modo non multum dissimili Beda : « Id est non ultra carnalibus Synagogæ cæremoniis delectabor... aderit dies illa, cum ipse in regno Dei positus, de salute ejusdem populi, fonte gratiæ spiritualis regenerati novo vobiscum gaudio perfundar. » Hieron., in epist. ad Hedib. « novum vinum bibimus de regno Patris nequaquam in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus, » etc.

(623) Lucæ XXII, 18 et 20 : « Et accepto calico gratias egit, et dixit : Accipite et dividite inte Et accepto pane gratias egit et fregit et d dicens : *Hoc est,* etc. Similiter et calicem po cœnavit. » In hunc Lucæ locum idem adnotavit « In Luca legimus duos calices, quibus di propinavit, unum primi mensis, et alterum se Quales fuerint hi calices fuse quærit et explic gentius, qu. 5 ad Ferrandum, *ubi* pag. 261, tur.... ut in utroque calice utrumque intelligi testamentum. »

(624) Ambros. De fide resurr., n. 27 : « quoque quamvis plenus fide devotionis, tam nondum conscius nostræ infirmitatis... tenta præsumptionis antequam tertio gallus canta currit : licet illa tentatio documentum fuerit lutem, ut discamus non contemnere carnis i tatem.... si Petrus tentatus est, quis præsum

(625) Hier. hic « Gethsemani interpretatu *pinguissima.* » Bonfrer. in Onom. « Signific vox *vallis olei* vel *pinguedinis.* »

Digitized by Google

Petro, et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse. Quod enim Dominus orat, quod contristatus et mœstus sit, omnia ad hominem referenda sunt (626). Hoc autem tribus discipulis testibus agit, sive ut nos doceret pro inimicis orare, sive etiam ut se ostenderet, Judæos velle salvare, si voluissent; unde et Jerusalem loquitur, dicens: « Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti (*Matth.* XXIII, 37). » Nemo enim salvabitur qui salvari non vult. *Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic et vigilate mecum.* Tristis est enim Dominus de perditione Judæorum (627). Sed hæc tristitia cito finitur, quoniam mors proxima est (628). Usque ad mortem itaque tristis est, quia post mortem nulli tali subjacet passioni. Ut enim de Domino taceamus, nemo sanctorum post resurrectionem tristitiæ vel dolori subjacebit; alioquin beati non essent. Qui enim aliquo indiget, vel sui voti compos non est, beatus dici non potest. Tristis vero **126** lætitia indiget, et tristitia carere desiderat. Non est igitur tristis beatus. *Sustinete hic et vigilate mecum.* Mecum, inquit vigilate, mecum hoc onus sustinete; et quod me pro meis inimicis facere videtis, hoc et vos facite pro inimicis vestris: aliter enim non eritis hic, id est in villa Gethsemani, in loco pinguedinis et misericordiæ. *Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Separatus a discipulis pusillum progreditur, in faciem procidit: quatenus nos doceat quid in nostris orationibus agere debeamus (629). Nemo autem putet, timore mortis eum orare, ut calix passionis ab eo transferatur; cum Petro de passione dissuadenti dicat: « Vade retro, Satana; scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt (*Matth.* XVI, 23). » Non enim absolute orat (630) ut calix ab eo transferatur, sed calix iste; quia etsi pro salute mundi mori venerat, a Judæis tamen, si fieri posset, occidi nolebat. Pater vero econtra ab illis eum occidi volebat, quia aliis omnibus nequiores erant; quatenus ad suæ damnationis cumulum hoc addidissent, qui utique damnandi erant, etiamsi Christum non occidissent. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* His autem verbis aperte ostendit, se non divinitatis, sed humanitatis affectu omnia illa fuisse locutum; quoniam una eademque voluntas est, ei cum Patre secundum divinitatem (631). *Et venit ad discipulos et invenit eos dormientes; et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* Sic, inquit, agitis, sic mei memores estis, sic mecum vigilatis? *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Ille enim intrat in tentationem, qui jam quasi victus, ipsa tentatione tenetur illaqueatus. Aliud igitur est tentari, aliud in tentationem intrare (632). *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Quamvis enim anima tentationibus potenter resistat, caro tamen quæ illam gravat infirma et fragilis est, nisi oratione, et attenta sollicitudine roboretur. *Iterum secundo abiit, et oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Si non potest, inquit, fieri, ut me Judæi non occidant, et sic in voluntate tua positum est, fiat voluntas tua. Voluntas igitur Patris fuit ut Christum Judæi interficerent (633). Quia enim pro sa-

(626) Cyrill., in Thes., pag. 232: « Ubi audieris eum flevisse et mœrore ac motu affectum fuisse, præter id quod fuerit Deus, hominem quoque fuisse intelligas, et tribue humanæ naturæ quæ illi debentur. »

(627) Hier.: « Contristabatur autem non timore patiendi.... sed propter infelicissimum Judam, et scandalum omnium apostolorum, et rejectionem populi Judæorum, et eversionem miseræ Jerusalem. » Ambros., lib. X, in Luc. II, 56. « Ego nusquam magis pietatem ejus majestatemque demiror; minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habet quod doleret, et sequestrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur, » etc.

(628) Lyranus ad h. l.: « Potest *usque* accipi dupliciter; uno modo intensive, quia tantum intensa erat, quantum poterat esse. Alio modo extensive, quia duravit usque ad horam mortis. » Altero hoc sensu acceperat A. noster; et præiverat S. Hieron. « Quæ contristatur anima est, et non propter mortem, sed usque ad mortem contristatur, donec apostolos sua liberet passione; » et Hilar. « Numquid ait; Tristis est anima mea propter mortem? Certe non ita... Sed aliud est usque in id, aliud ob id metuere... Tristis ergo est usque ad mortem. Non itaque mors, sed tempus mortis in metu est; quia post eam, resurrectionis virtute fides esset firmanda credentium. »

(629) Euthym.: « Solus abiit ad orationem, docens, oportere eum qui ferventer oraturus est, solitarium stare. »

(630) Hier.: « Postulat non timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum: unde et signanter non dixit: *Transeat a me calix*, sed *calix iste*, hoc est populi Judæorum qui excusationem ignorantiæ habere non potest si me occiderit; » quæ verba excripsit Beda.

(631) Cyrill., l. IV in. Jo. cap. I: « Vides quemadmodum natura humana etiam in ipso Christo patitur, et formidat? Sed a conjuncto sibi Verbo in convenientem Deo fortitudinem, et robur reducitur, docetur que ne quod sibi videtur, sed divinam voluntatem sequatur. » Et in Thess. l. X, cap. 3: « Quando igitur formidasse mortem, ut homo dicebat: *Pater, transeat a me calix iste; sed non ut ego volo*, etc., quamvis mortem ut homo abhorrebat, voluntatem tamen Patris et suam, ut Verbi, perficere, ut homo non recusabat... cum infert: *Sed ut tu Pater, vis* de se ipso etiam intelligere debemus: omnia enim quæ Pater vult, vult Filius, » etc. Epiphan. hær. 69 n. 58: « Nec Filii voluntas erat a paterna diversa. Sed in hoc demonstranda ab ipso illa fuerunt, ut singularitatem omnem ad Patrem, velut ad principium referret ne unitas illa et œconomia aliqua ex parte divideretur. »

(632) Hieron.: « Inpræsentiarum non ait: *Vigilate et orate ne tentemini*, sed, *ne intretis in tentationem*; hoc est ne tentatio vos superet et vincat. »

(633) Epiphan. l. all.: « Voluntas autem erat Patris ut œconomia sic impleretur, cum proditionis Filii sibimetipsis Israelitæ forent, neque a Deo cogerentur. »

Digitized by Google

lute mundi moriturus erat, ut aliqua gens eum occideret, oportebat : « Oportebat enim pati Christum et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* XXIV, 26). » Sed quæ alia gens Christum occidere debuit, nisi illa quæ iniquior erat, et quæ plus cæteris ejus sanguinem sitiebat? Deus enim neminem cogit ad peccandum; eos tamen peccare permittit, qui vehementer peccare desiderant. Vult igitur Deus, ut hi tales, quorum tota voluntas prona est ad malum, sanctos suos interficiant, quatenus et his major pœna, et illis abundantior gloria crescat. Fit itaque in morte martyrum duplex bonum; quoniam et mali, qui etiamsi eos non occiderent tamen perituri erant, in eorum morte majorem sibi pœnam acquirunt; et boni, dum pro Christi fide occiduntur, majori gloria cumulantur. Ac per hoc voluit Deus Pater, ut Filium suum Judæi interficerent; et quia iniquissimi erant, maximum scelus perpetrarent, quatenus nullam habeant excusationem, et majori pœnæ subjiciantur; ut veniat super eos *omnis sanguis justus qui effusus est super terram. Et venit iterum et invenit eos dormientes : erant enim oculi eorum gravati.* Somnus iste discipulorum, Ecclesiæ somnum et torporem significabat (634), quæ in magnis tentationibus sæpe tabescit, et deficit, nisi Christi frequenti visitatione excitetur. *Et relictis illis iterum abiit, et oravit tertio, eumdem sermonem dicens. Tunc venit ad discipulos, et dicit illis : Dormite jam et requiescite; ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet.* Hæc enim non præcipiendo, **127** sed redarguendo dicit. Non enim dormiendum vel quiescendum, sed potius vigilandum est, et orationibus instandum in magnis pertentationibus : ideoque protinus eos excitans, ait : *Surgite, eamus.* Quod utique non dixisset, si eos dormire et quiescere voluisset. *Adhuc ipso loquente Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus missi a principibus sacerdotum, et senioribus populi.* Ubi enim ille qui impetitur se defendere non vult, fustes et gladii necessarii non sunt (635). Si enim Dominus se defendere voluisset, neque fustes, neque gladii ei resistere potuissent (636). Hoc enim ipse monstravit, cum ad unam responsionem eos prostravit (*Joan.* XVIII, 6). A *Ut enim dixit : Ego sum, abierunt retrorsu derunt in faciem suam. Qui autem tradidit eis signum dicens : Quemcunque osculatus est tenete eum. Et confestim accedens dixit : Ave, Rabbi, et osculatus est eum.* signum propter Romanorum milites qui non cognoscebant, proditor Judas dediss *Dixitque illi Jesus : Amice ad quid venisti* eum per contrarium vocat (637), qui ei erat. Sic et beatus Job « benedicere » pro m ponit, dicens : « Ne forte peccaverint fil benedixerint Domino in cordibus suis (638 *accesserunt, et manus injecerunt in Jesum runt eum : et ecce unus ex his qui erant extendens manum exemit gladium suum, et* B *servum principis sacerdotum, amputavit ejus.* Iste *unus* B. Petrus apostolus fuit, qui, Dominum suum teneri vidit, dolore com ulterius cohibere non potuit (639). Amput auriculam servi principis sacerdotum, qua circumcisa fuerat (640), et idcirco malis obedierat. Vocabatur autem Malchus se qui *regnaturus* interpretatur (641). Soli regnabunt et vivent, qui aures circumcis bunt. Unde et hujus aures Dominus te sanasse (*Luc.* XXII, 51) ab alio evangelist Quæ enim aures ab apostolis et doctoribu ciduntur, illas Dominus tangit et sanat. *Tu Jesus : Converte gladium tuum in locum suu enim qui acceperint gladium, gladio peribun* C cet Domino factum Petri; quoniam ets significabat, non tamen bono animo fieba *enim qui acceperint gladium;* id est qui inju commotione aliquem interfecerint, nisi fo pœnituerint, *gladio peribunt;* gladio utique ultionis (642). Omnis enim pœna *gladius* vo autem Petrus justam causam habebat. Sed ne neque injustis Dominus armis defendi vole et subditur : *An putas, quia non possu Patrem meum et exhibebit mihi modo plus q decim legiones angelorum?* Vos, inquit, homines estis, qui pro me utcunque pugn tenditis; ego autem, si volo, plus quam legiones angelorum subito habere possu igitur me non defendo, non est impotentia D

(634) Hilar. : « Quod iterum reversus reperit dormientes, ostendit absentiæ suæ tempore plures quodam fidei somno detinendos. »

(635) « Stultum est inquit (ait Hieron. ad h. l.) cum cum gladiis et fustibus quærere, qui ultro se tradat vestris manibus. »

(636) Chrys. : « Nisi ultro seipsum tradidisset, nihil etiam tunc ipsi potuissent. Si enim cum inter manus eum habebant, et medium ipsum nacti erant, retinere tamen non potuerunt, nec superare; utique nec tum potuissent, nisi voluisset. »

(637) Hieron. : « Verbum *amice* vel κατὰ ἀντίφρασιν intelligendum, vel certe juxta illud quod supra legimus. » *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem.*

(638) Job I, 5; Vid. S. Gregorium, l. 1 Expos. in Job cap. IX.

(639) Hier. : « In alio evangelista (*Job* x scriptum est, quod Petrus hoc fecerit, eode ardore, quo cætera. »

(640) Hilar. : « Ab apostolo servo princip dotum auricula desecatur, populo videlicet tio servienti, per Christi discipulum in auditis exciditur, et ad capacitatem verit quod erat inaudiens amputatur. »

(641) Hieron. : « Transitorie dicendum, q chus, id est rex, » etc.

(642) Hier. : « Quo gladio? illo nempe q vertitur ante paradisum, et gladio Spiritus Dei describitur armatura. » Beda : « Id peccato animæ moriuntur qui semetipsos senti, vice talionis, ulcisci desiderant. »

Digitized by Google

ntas. Si enim me defendero, nihil poterunt adver- A
m me. Quod si nihil poterunt, *quomodo ergo*
plebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? In illa
ra dixit Jesus turbis; tanquam ad latronem existis
m gladiis et fustibus comprehendere me; quotidie se-
bam apud vos docens in templo, et non me tenuistis.
uod quidem, non sine ratione, et Dei nutu eve-
sse, evangelista exponit, dicens : *Hoc autem totum*
ctum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum.
unc discipuli omnes relicto eo fugerunt : et illi te-
ntes Jesum, duxerunt illum ad Caipham principem
cerdotum, quo Scribæ et seniores convenerant. Pe-
us autem sequebatur a longe usque in atrium prin-
pis sacerdotum; et ingressus intro sedebat cum
inistris, ut videret finem. Adhuc, inquit, Petrus
quebatur Dominum, sed jam a longe : proximus B
iim erat negationi (643). Unde et non immerito
im ministris sedebat, finem rei videre desiderans.
bi enim sedet qui Christum negat, nisi inter Ju-
eos, Judæorumque ministros? *Principes autem*
cerdotum, et omne concilium quærebant falsum
stimonium contra Jesum, ut eum morti traderent,
non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent.
ecundum legem Christum damnare volunt, et falsa
stimonia quærunt **128** cum lex ipsa falsa testi-
onia non suscipiat Qua in re maxima Judæorum
iquitas, et odium crudele et exsecrabile comproba-
r. *Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixe-*
unt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et
ost triduum reædificare illud. Hoc enim Christus
m dixerat. Quod si dixisset, facere utique po- C
isset. Dixerat enim : Solvite templum hoc, et in
iduo excitabo illud. Quod quid significet, evange-
sta exponens, ait : hoc autem dicebat de templo
rporis sui (644). *Et surgens princeps sacerdotum*
t illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversum
testificantur? Jesus autem tacebat. Tacet Christus,
respondere non vult, tum quia vana et inutilia
idit, tum quia scriptum est : « Ex ore Altissimi
m exierunt nec bona nec mala (*Thren.* III, 38). » —
t princeps sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum
vum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei
ri. Dicit illi Jesus : Tu dixisti. Ad ea enim respon-
t Dominus, quæ videt esse digna responsione. Si
iim a principe sacerdotum, qui pro sui officii digni- D
te ab omnibus venerabatur, sic adjuratus non
spondisset, Deum non timere, et parvipendere
deretur. Sequitur : *Verumtamen dico vobis; Amodo*
videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis
Dei, et venientem in nubibus cœli. Hoc autem erit
in judicio, quando omnis oculus ut eum videbit.
Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, di-
cens : Blasphemavit; quid adhuc egemus testibus?
Ecce nunc audistis blasphemiam : quid vobis videtur?
At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis.
Vestimenta sua scindit princeps sacerdotum, se
ipsum maximam, et principalem causam esse signi-
ficans, cur Judæorum sacerdotium scindatur et
destruatur (645). *Tunc exspuerunt in faciem ejus, et*
colaphis eum cæciderunt. Sic enim prophetatum
fuerat. *Alii autem palmas in faciem ejus dederunt,*
dicentes : prophetiza nobis, Christe, quis est qui te
percussit? Nusquam respondet Dominus, nisi ubi
ejus responsio necessaria et utilis est. *Petrus verò* B
sedebat foris in atrio; et accessit ad eum ancilla dicens :
Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coram om-
nibus, dicens : Nescio quid dicis. Negat Petrus ut Ma-
gistri prophetia compleatur. *Exeunte autem illo ja-*
nuam, vidit illum alia ancilla, et ait his qui erant ibi; et
hic erat cum Jesu Nazareno; et iterum negavit cum
juramento, quia non novisset hominem. Et post pu-
sillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro :
Vere tu ex illis es : nam et loquela tua manifestum
te facit. Tunc cœpit detestari et jurare, quia non no-
visset hominem. Ecce pastor Ecclesiæ non solum a
viris, verum etiam a mulieribus compellitur negare
Dominum. Hoc autem non semel, sed et bis, et ter.
Qua in re et illi ad indulgendum (646) regula datur,
ut in se ipso aliorum fragilitatem cognoscens, aliis C
misereatur; et nobis etiam in maximis excessibus
delictorum veniam sperare conceditur. *Et continuo*
gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Jesu
quod dixerat : Priusquam gallus cantet, ter me nega-
bis; et egressus foras, flevit amare. In alio vero evan-
gelista legitur, quia respexit Dominus Petrum (647)
(*Luc.* XXII, 61). Tenebatur Dominus a turbis, trahe-
batur, et flagellabatur; et tamen discipuli memor,
quem verbis, ne proderetur et caperetur consolari
timebat, solo respectu consolatur, et sanat, et sui
vultus illuminatione ad spem veniæ invitat. Cogno-
scit igitur Petrus reatum suum, cognoscit et volun-
tatem Domini sui, dolet et pœnitet, egreditur foras;
relinquit concilium malignantium, locum petit secre- D
tum lacrymis et pœnitentiæ amicum, flet amare, cer-
tissime intelligens, quia sacrificium est Deo spiritus
contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus

(643) Hieron. in h. l. : « A longe sequebatur, qui
ominum erat negaturus. »

(644) Hieron. : « Dominus dixerat de templo cor-
oris sui. Sed et in ipsis verbis calumniantur, et
nucis additis vel mutatis, quasi justam calumniam
ciunt. Salvator dixerat : *Solvite templum hoc;*
ti commutant, et aiunt : *Possum destruere tem-*
um Dei. Vos, inquit, solvite, non ego, quia illi-
tum est, ut ipsi nobis inferamus manus. Deinde illi
ertunt; *et post triduum reædificare illud;* ut
roprie de templo Judaico dixisse videatur. Dominus
item, ut ostenderet animale, et spirans templum,
xerat : *Et ego in triduo suscitabo illud.* Aliud
t ædificare, aliud suscitare. » *Idem Beda* ad h. l.

(645) Hier. : « Scidit vestimenta sua, ut ostendat
Judæos sacerdotii gloriam perdidisse, et vacuam se-
dem habere pontifices. »

(646) S. Leo, serm. 9. De Pass. D., cap. 4 : « Pe-
trus, ancilla sacerdotis calumniante, perterritus, ex
infirmitate periculum negationis incurrit, ob hoc, si-
cut apparet, hæsitare permissus, ut in Ecclesiæ prin-
cipe remedium pœnitentiæ conderetur. » Euthym.,
ad h. l. : « Permissus est cadere Petrus... ut igno-
scere discat his, quoque qui labuntur, horum imbe-
cillitatem ex sua cognoscens. »

(647) Hieron., ad h. l. : « In alio Evangelio legimus,
quia post negationem Petri et galli cantum respexerit
Salvator Petrum, intuitu suo eum ad amaras lacry-

Digitized by Google

non spernit. Hic est pœnitentiæ modus : peccasti? quiesce, dole, et lacrymare; et disce cum apostolo flere amare (648). [Cap. XXVII.] *Mane autem facto concilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent; et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio* **129** *Pilato præsidi.* In unum Judæi conveniunt, concilium faciunt, conjurant adversus Jesum; timent ne aliquis bonus et justitiæ defensor inter eos inveniatur : vinctum Jesum Pilato tradunt, ut ex hoc reus mortis et venia indignus esse credatur. *Tunc videns Judas qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens : Peccavi tradens sanguinem justum.* Cognovit Judas se peccasse, argenteos reddit, quasi eodem pretio quo eum vendidit, Christum Dominum redimere possit. *At illi dixerunt : Quid ad nos? tu videris.* Tu, inquiunt, videas quid egeris, nam ad nos non pertinet, si tu peccasti, et si justum sanguinem tradidisti. *Et, projectis argenteis in templo, recessit, et abiens, laqueo se suspendit.* Infelix Juda! ad vitam salutis redire cœpisti; sed diabolus, qui te ad tradendum magistrum et Dominum incitavit, ipse tibi ut te occideres consilium dedit (649) : hoc enim solum sufficiebat tibi ad perditionem, etiamsi Dominum non tradidisses. Quanto tibi melius fuerat ut Christi pedibus te humiliares, et ab eo indulgentiam peteres, qui neminem ad se venientem repellit (650). *Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet mittere eos in corbanan* (651), *quia pretium sanguinis est.* Dico ego : Si non licet mittere eos in corbanan, quia pretium sanguinis est, neque licuit eos trahere de corbanan, ut pretium sanguinis fierent. *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Iste finxit (652); hujus ager Christi pretio quo ejus peregrini sepeliuntur et requ *pter hoc vocatus est ager ille Achel dema est ager sanguinis usque in hodiernum* enim ager sanguinis vocatur, qui Chr comparatur. Ager enim iste terra vive qua qui sepeliuntur non moriuntur. *T est quod dictum est per Jeremiam pro tem : Et acceperunt triginta argenteos p tiati quem appretiaverunt a filiis Israe eos in agro figuli, sicut constituit mihi* dis quia Dominus hoc constituit, hoc disposuit, quod triginta argenteis Chri venderetur, ex quibus ager figuli emer tem exemplum non in Jeremia, sed in Z (*Zachar.* XI, 13) invenitur. Dicitur tam dam Jeremiæ exemplariis hoc invenir utimur. *Jesus autem stetit ante præsid gavit eum præses, dicens : Tu es rex Ju cit ei Jesus : Tu dicis.* Quod præses dixit, Christus affirmative suscepit. *E retur a principibus sacerdotum et sen respondit.* Præsidi, inquit, respondit vero sacerdotum et senioribus non re niam ille simpliciter eum interrogavit, litiose contra eum loquebantur : per o contradicendum parati, indigni erant minus responderet (655). Tunc dicit *Non audis quanta isti adversum te dicu Et non respondit ei ad ullum verbum, tur præses vehementer.* Non enim co ut tunc Pilato Dominus responderet, ad litigandum contra falsos et invidos Nihil enim est, nisi labor, eis respond

mas provocarit. Nec fieri poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerit mundi. »

(648) Chrys., hom. 41, ad Antioch. : « Vis autem perfectam discere pœnitentiam? Audi post negationem Petri pœnitudinem. Narrans enim quæ gesta sunt ab eo nobis evangelista dicit : *Egressus flevit amare*, etc. Ambr., lib. x, in Luc. « Respice, Domine Jesu, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum... flevit ergo amarissime Petrus, ut lacrymis suum posset lavare delictum. Et tu, si veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam; eodem momento, eodem tempore respicit te Christus... imitare Petrum. » etc.

(649) Chrysost., hom. 86 : « Tu vero cogita quando illum pœnituit, quando ad exitum scelus jam omnino pervenit. Talis nempe diabolus est, ut non dimittat hominem (nisi vigilet), ante ultimum effectum magnitudinem peccati prævidere, ne pœnitentia ductus, a peccato resiliat... Quod vero seipsum suffocavit, id ab omni venia remotum, perniciosum fuit consilium dæmonis. »

(650) Fulgent., epist. 7, cap. 5.: « Judas peccati sui pœnitentiam gessit, sed salutem perdidit, quia indulgentiam non speravit... ideo sibi fructum pœnitentiæ denegavit, quia peccatum traditionis suæ, ipso quem tradidit diluendum sanguine, non speravit. » V. S. Leonem, serm. 1 De Passion. D., c. 5.

(651) Ita Græc. κορβανᾶν, et mss. codd. ap. Sabatier.

(652) Hieron. : « Nos qui peregrini eramus a lege et prophetis, prava eorum studia suscepimus in salutem, et in pretio sanguinis ejus Figuli autem ager appellatur, quia figu Christus. » Ex Hieronymo sua descrip 114 De temp. inter Augustin. Ambros Luc. : « Dum pretium sanguinis a Judæo laciis separatur, et ager figuli ea qua stus comparatur pecunia, dum is loc peregrinorum reliquiis dicatur; et prop tur oraculum, et surgentis Ecclesiæ n velatur. Ager enim... mundus hic omni autem ille qui nos formavit e limo terr quoque sanguinis est pretium Dominic ergo pretio sanguinis emitur mundus a V. etiam A. serm. 128 De T. int. Aug primis Hilarium : « Magnum in hoc pro mentum, » etc.

(653) Ita legit Aug. De cons., l. II, in hala.

(654) V. Hieron. hic, et in ep. ad E opt. gen. int.; Eusebium, l. x, Dom 4; Aug., l. III De cons., cap. 7; Bedam

(655) Hieron. hic : « Attendite quoc invitus promebat sententiam, aliqua sponderit; sacerdotibus autem et princi dere noluerit, indignos suo sermone Chrysost., hom. 87. « Quia cum a rebu hæberent argumenta virtutis eximiæ ac sua sponte excæcati maligne agebant, ipsum plane erat corruptum, propterea etiam Ambrosius, l. x in Luc.

Digitized by Google

m audire nolunt (656). *Per diem autem solem-*
consueverat præses dimittere populo unum vin-
n quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum
gnem qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo
, dicit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis, Bar-
m an Jesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim
d per invidiam tradidissent **130** *eum. Sedente*
m illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus di-
: Nihil tibi et justo illi : multa enim passa sum
ie per visum, propter eum. Quamvis enim et mali
isione multa prævideant; ego tamen hanc mulie-
boni spiritus fuisse crediderim (657). *Principes*
m sacerdotum et seniores persuaserunt populis
eterent Barraban, Jesum vero perderent. Vult Pi-
s dimittere Christum, instant Judæi ne dimitta-
: unde et ipsi merito eum crucifixisse dicun-
(658), quamvis non ab ipsis, sed a gentibus sit
cifixus. *Respondens autem præses, ait illis : Quem*
is vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt : Bar-
an. Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu
dicitur Christus? dicunt omnes : Crucifigatur.
cidunt Judæi Dominum suum; damnant, et cruci-
præcipiunt Salvatorem suum; petunt sibi Barra-
, qui *filius magistri* eorum interpretatur (659).
gister namque eorum diabolus est, qui eos sic
mare, et hanc optionem facere docuit, ut filium
boli sibi eligerent, et Dei Filium crucifigerent.
illis præses : Quid enim mali fecit? At illi magis
mabant dicentes : Crucifigatur. Jam non accusa-
ne, sed clamore; non judicio, sed violentia Chri-
m Judæi occidere contendunt. Interrogat Pilatus
d mali fecerit : nihil huic interrogationi respon-
t, quoniam quid respondeant non habent. Cla-
nt igitur, fremunt et insaniunt, ut Scriptura
impleatur, quæ ait : « Quare fremuerunt gentes, et
populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ,
et principes convenerunt in unum adversus Domi-
num et adversus Christum ejus (*Psal.* II, 1). » *Videns*
autem Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumul-
tus fieret in populo, accepta aqua lavit manus coram
populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi
hujus, vos videritis. Lavat Pilatus manus suas, ut
sicut manus habet mundas a sordibus, ita se a
Christi morte (660) innocentem esse ostendat. Sed
non est ita. Quamvis enim ipse eum non judicave-
rit vel damnaverit, reus tamen est, quia aliis eum
ad judicandum tradidit, quem sine causa et per in-
vidiam damnari sciebat. *Et respondens universus*
populus dixit : Sanguis ejus super nos et super filios
nostros. Hanc enim hæreditariam maledictionem in
posteros suos Judæi transmiserunt (661) : cui sub-
jacent omnes qui illos imitantur, et quibus hoc illo-
rum factum non displicet. *Tunc dimisit illis Barra-*
ban (662), *Jesum autem flagellatum tradidit eis ut*
crucifigeretur. Flagellavit Pilatus Jesum, sive ut illa
tali satisfactione Judæi satiati quiescerent, et sic
eum emendatum dimitterent; sive etiam quia leges
Romanæ eum qui crucifigendus erat, prius flagel-
lare jubebant (663). *Tunc milites præsidis suscipien-*
tes Jesum in prætorio, congregaverunt ad eum uni-
versam cohortem; et exuentes eum, chlamydem cocci-
neam circumdederunt ei; et plectentes coronam de
spinis posuerunt super caput ejus, et arundinem in
dextera ejus, et genu flexo ante eum, illudebant, di-
centes : Ave, rex Judæorum. Illi enim, sicut hic dici-
tur, omnia hæc illudentes fecerunt; nobis autem
magni sacramenti significationes (664) sunt : neque
131 pro ludo, sed in veritate omnia hæc suscipi-

656) Chysost. : « Ad objecta crimina, quoniam
nime se persuasurum sciebat, nihil omnino respon-
. »

657) Hæc est plane veterum multorum PP. sen-
tia et ferme communis recentiorum interpretum.
r. : « Nota quod gentibus sæpe a Deo somnia reve-
tur; et quod in Pilato et uxore ejus justum Domi-
n confitentibus, gentilis populi testimonium sit. »
m ferme scripserat Hilarius, et Ambrosius lib.
Luc., c. 23 : « Monuit uxor, lucebat in nocte
tia, divinitas eminebat; nec sic a sacrilega sen-
tia temperavit. » Contrariam sententiam proba-
m esse negat Maldonatus, hanc tamen tuetur
senius Concord., cap. 142; Lucas Burgens.; Me-
hius; denique Estius illam pugnare putat cum
o Apostoli I ad Cor. II, *Si cognovissent*, etc.

658) Ita scripsit Aug. lib. III De cons. Evang.,
. 13 : « Intelligitur ergo fuisse hora tertia cum
maverunt Judæi, ut Dominus crucifigeretur, et
acissime demonstratur tunc eos crucifixisse
ndo clamaverunt. » Idem habet, tract. 116, in
n.

659) Hieron. : « Iste in Evangelio quod scribitur
ta Hebræos. » *filius magistri eorum* « interpreta-
. » Ex Hieron., ut arbitror, Beda magis etiam
ecise : « Barrabam filium magistri eorum, Lucas
pter seditionem factam in civitate et homicidium
ssum refert in carcerem. » Quin etiam qui Hiero-
mum præcessit Hilarius. « Interpretatio autem
minis Barabbæ est *patris filius.* »

(660) S. Leo, serm. 8, c. 2 : « Non purgant contа-
natum animum manus lotæ, nec in aspersis aqua
digitis expiatur, quod famulante impia mente com-
mittitur. »

(661) Hieron. : « Perseverat usque in præsentem
diem hæc imprecatio super Judæos, et sanguis Do-
mini non auferetur ab eis, etc., unde per Isaiam
loquitur (I, 15) : *Si levaveritis ad me manus*, etc.
Optimam hæreditatem Judæi filiis reliquerunt, di-
centes *Sanguis ejus*, » etc. Paulo aliter Beda : « Hæ-
ret usque hodie Judæis sua petitio, ... et hactenus
eam quam vendidere sive animæ seu corporis liber-
tatem, recipere non meruerunt. »

(662) Constanter in eod. ms. nostro *Barraban*
legitur. Ita in ms. S. German. 2 apud Sabatier.

(663) De hac re dubius fuisse et Chrysost. videtur
homil. 87 : « Cur flagellis cædit? aut quasi condem-
natum, aut quasi formam judicio quamdam afferens,
vel ut Judæis gratam rem faceret. » Sed Hieron.
« Sciendum est Romanis eum legibus ministrasse,
quibus sancitum est ut qui crucifigitur prius flagellis
verberetur. » Discedit (quod rarum est) ab Hiero-
nymo Beda : « Primitus ipse Pilatus flagellavit, post
militibus tradidit illudendum, ut satiati pœnis et
opprobriis ejus Judæi, mortem illius sitire ultra
desisterent. »

(664) Hilar. : « Cæso Domino, imponitur chlamys
coccinea et vestis purpurea, et corona spinea, et
arundo dexteræ, et genu posito adoratus illuditur;
susceptis videlicet omnibus corporis nostri infirmi-
tatibus omnium deinde martyrum, quibus regnum
secum erat debitum, sanguine in cocci flore perfun-
ditur; pretiosoque prophetarum ac patriarcharum in
purpura honore vestitur : spinis quoque, id est com-

Digitized by Google

nius et veneramur. Quod autem corona spinea est, regnum ex peccatoribus colligendum, significabat. Sceptrum ei ex arundine datur, ut justos in cœlis, et peccatores scribat in terra, secundum illud : *Domine, omnes qui te oderunt confundentur, recedentes a te in terra scribentur* (665). Bonis autem Dominus ait : « Quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Luc.* x, 20). » Judæi enim cum arundine scribere consueverunt. In veste vero coccinea sive purpurea, qua et cæteri reges utebantur, quocunque animo illud faciebant, regem tamen eum esse apertissime prædicabant. *Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.* Ut enim Apostolus ait : « Caput Christi Deus (*I Cor.* xi, 3); » caput ergo Christi arundine percutit, qui contra ejus divinitatem Scripturam componit, vel ipsum Dominum non esse, alicujus Scripturæ auctoritate defendit (666). *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt vestimentis ejus, et duxerunt eum, ut crucifigerent.* Neque enim conveniebat, ut cum regio apparatu crucifigeretur, sed humilis appareret in habitu, qui se ipsum humiliaverat majestate. *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem; hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Cyrenæus *hæres*, Simon *obediens* (667) interpretatur. Gentilis igitur homo patriæ cœlestis hæres, et Deo obediens, crucem Christi portat, de quo ipse Dominus alibi ait : « Qui vult venire post me abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (*Matth.* xvi, 24; *Luc.* ix, 23). » — *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.* Locus autem iste sic vocatus est, quia ibi damnati decollabantur, ibique capitis calvarias amittebant (668). Fuerunt tamen qui hunc locum a calvaria primi hominis sic nominatum fuisse putarent. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum; et cum gustasset bibere.* Unde Psalmista : « Et dederunt, i escam meam fel, et in siti mea potaverunt (*Psal.* lxv, 26). » Gustavit autem, sed bibe quia mortis amaritudinem quam gustatu momentaneam, et cito in dulcedinem conve significabat. *Postquam autem crucifixer diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, pleretur quod dictum est per Prophetam* « Diviserunt sibi vestimenta mea et supe meam miserunt sortem (*Psal.* xxi 19). » H melior vestis, quæ nec scinditur, nec divi sorte datur, sanctam Ecclesiam significat bentem maculam, vel rugam, vel aliquid h *Et sedentes servabant eum. Et imposuer caput ejus causam ipsius scriptam : Hic Rex Judæorum.* Hunc autem titulum Græce et Latine alius evangelista (669) (*L* 19; *Joan.* xix, 20) scriptum narrat, ut om vel legendo confiteatur, quod Judæi credere nolunt. *Tunc crucifixerunt cum eo duo unum a dextris, et unum a sinistris.* In ho illud completum esse videmus : « Et inte deputatus est (*Isa.* liii, 12; *Marc.* xv, 2 medio duorum animalium cognosceris (*Hab* 2, *juxta LXX*). » — *Et prætereuntes blasp eum, moventes capita sua, et dicentes : destruit templum Dei, et in triduo illud r* Quasi insani capita movent, Christo illu motu et voce ei insultant, dicentes : *Sal ipsum et nos : si Filius Dei es, descende de* enim et magister eorum diabolus dice Filius Dei es, mitte te deorsum (*Matth.* Non enim majus est de cruce descendere, mortuis suscitare. Hoc autem fecit Jesus. non credunt Judæi, eum esse Filium D

pungentium quondam peccatis gentium coronatur... est enim aculeus in spinis, ex quibus Christo victoriæ corona contexitur; in calamo vero earumdem gentium infirmitas atque inanitas manu comprehensa firmatur, etc. In his autem omnibus Christus dum illuditur, adoratur. » Hier. « Isti quæcunque fecerunt, licet alia mente fecerint, tamen nobis qui credimus sacramenta tribuerunt. In chlamyde coccinea, opera gentium cruenta sustentat; in corona spinea maledictum solvit antiquum, » etc. V. Bedam, etc.

(665) Jerem. xvii, 13 : *Omnes qui te derelinquunt*, etc.

(666) Hilar. : « Typica in ea ratio servatur; ut infirmitas gentilium corporum, manu Christi antea comprehensa, etiam in Deum Patrem, quod caput ejus est, acquiescat. »

(667) Beda : « Imposita est Simoni (crux) qui *obediens* interpretatur, venienti de civitate Lybiæ Cyrenæ, quæ *hæres* interpretatur.... cum populus nationum, paganis ritibus derelictis, vestigia Dominicæ passionis obedienter amplectitur. » Hier. quoque : « Juxta anagogen vero, crucem Jesu suscipiunt nationes, et peregrinus obediens portat ignominiam Salvatoris. » V. etiam Hilarium.

(668) Hieron., in h. l. : « Audivi quemdam exposuisse calvariæ locum, in quo sepultus est Adam, et ideo sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput, et hoc esse quod Apost. dicat : *Surge, qui dormis*, etc. Favorabilis interpretatio, et mulcens aurem populi, nec tam Extra urbem enim, et foras portam loca quibus truncantur capita damnatorum, et id est decollatorum sumpsere nomen, » S putent, Hieronymum appellare voluisse S. sium in commentariis ad Lucam scribente crucis locus, vel in medio terræ, ut conspic nibus, vel supra Adæ, ut Hebræi disputan turam. » Non Ambrosium tamen, sed mente habuisse, colligitur ex commentario stolam ad Ephes. v, 14. In ea opinione fui lam et Eustachium, constat ex epistola Hie nymianas 46 ad Marcellam.

(669) Hieron. : « Velitis nolitis, Judæi, om gentium turba respondit : Jesus Rex Judæor est imperator credentium et confitentium. » tract. 117, in Jo. : « Hæ quippe tres linguæ cæteris eminebant : Hebræa propter Judæos lege gloriantes; Græca propter gentium sa Latina propter Romanos, multis, ac pene tunc gentibus imperantes. » Ex Augustino i dem ferme verbis Beda.

(670) Hieron., in h. l. : « Quid est plus de cruc descendere viventem, an de sepulcro r resurgere ? Resurrexit et non credidistis. tamen de cruce descenderet, non crederet mihi hoc videntur dæmones immittere. » quoque, tract. 37 in Jo.,: « Quid ei magnum cruce descendere, qui potuit de sepulcro r

Digitized by Google

:c enim verba non ex se, sed diabolico afflatu
:ebant **132** Judæi (671). Jam enim se diabolus
ıci sentiebat, et crucis virtutem ferre non pote-
. : et idcirco Christi passionem impedire conaba-
r. *Similiter et principes sacerdotum illudentes cum*
ibis et senioribus dicebant : Alios salvos fecit, se
um non potest salvum facere. Si Rex Israel est,
scendat nunc de cruce, et credimus ei ; confidit in
um, liberet eum nunc, si vult. Dixit enim, quia
i Filius sum. Idipsum autem et latrones qui cruci-
i erant cum eo improperabant ei. Idem dicunt om-
s, quia eodem spiritu loquuntur omnes. Promit-
ıt se credere, si de cruce descendat ; qui si de
ıce descendisset, nos a morte non liberasset. Unde
ors, inde vita ; per lignum mors venit, per lignum
a redit. Ideoque Dominus de cruce descendere
luit, quia mundum per crucem redimere voluit.
sexta autem hora tenebræ factæ sunt super univer-
m terram, usque in horam nonam. Ubique tenebræ
ınt, sole justitiæ obeunte. Sicut eo nascente illu-
inatus est mundus, et populus qui sedebat in te-
bris vidit lucem magnam ; ita eo moriente obscu-
tus est, et ignorantiæ tenebris interius obvolutus
t, quia « cæcitas ex parte contigit in Israel (*Rom.*
, 25). » Quo viso miraculo alter latronum credi-
t ; et cum prius eum simul cum socio despexisset,
stea illum defendere cœpit, dicens alteri, ut alius
angelista refert : « Neque tu times Deum quod in
dem damnatione es (*Luc.* XXIII, 40). » Sic igitur
ius ambo, postea alter et non ambo improperabant
(672). *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce*
agna dicens : Heli, heli, lamasabacthani, hoc est :
us meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?
omo est qui loquitur, et qui se derelictum dicit.
rpus suum, quod est Ecclesia, secundum quos-
m a Deo derelictum dolet (673) : ipse enim se-
ndum se nunquam a Deo derelinquitur : nemo
im derelinquitur a Deo, nisi ille qui peccat. Quo-

A ties enim peccamus, toties a Deo derelinquimur. Hoc enim Dominus ipse significat, cum mox de psalmo subinferens ait : « Longe a salute mea (*Psal.* XXI, 2). » Subauditur, « sunt hæc verba. » Cujus ergo sunt ? Vis audire cujus ? « Verba derelictorum meorum : » ac si dicat : « Hæc verba ego non dixissem, nisi pro delictis meorum fidelium doluissem (674). » Doleo autem, quia quos tam dura et amara morte Deo reconcilio, propter peccata quæ agunt, iterum a Deo derelinqui et ad mortem tendere video. *Quidam autem illic stantes et audientes, dicebant : Eliam vocat iste.* Non omnes (675), sed quidam hoc dicebant, illi scilicet qui hæc verba non intelligebant. *Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arun-*
B *dini, et dabat ei bibere.* Continuo, inquit, ut Dominus dixit, « sitio, » sicut Joannes evangelista scribit (*Joan.* XIX, 29), currens unus ex eis implevit spongiam aceto et dabat ei bibere. Non enim acetum, sed fidem Christus sitiebat. Synagoga tamen hoc dabat quod habebat (676). Quid enim acetum, nisi eorum doctrina amara, acetosa, erronea et venenosa ? Quid vero spongia, nisi eorum corda fraudulenta et latebrosa ? At vero arundo cum qua scribitur, ipsa Scriptura intelligitur. Quid ergo illud factum significavit, nisi quod Synagoga pravam doctrinam et hæreticam potionem usque hodie cogitare et scribere, et contra Christum loqui et effundere non cessat ? Alii vero dicebant : *Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum.* Hoc illi di-
C cebant qui non intellexerant quid Christi verba significarent, quibus modo superius dixerat : *Eli, Eli. — Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum* (677). In potestate enim habebat et vivere et mori, sicut volebat. Unde et alibi ait : « Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam, et iterum sumo eam (*Joan.* X, 18). » — *Et ecce velum templi scissum est in duas* **133** *partes a summo*

. » S. Gregor., hom. 21 in Evang. : « Qui de cruce scendere noluit, de sepulcro surrexit. Plus igitur it de sepulcro surgere, quam de cruce descenre ? Plus fuit mortem resurgendo destruere, quam tam descendendo servare. »

(671) Hieron., de dæmonibus loquens : « Statim im ut crucifixus est Dominus, senserunt virtutem ucis, et intellexerunt, fractas esse vires, et hoc unt, ut de cruce descendat ; sed Dominus sciens
D lversariorum insidias, permanet in patibulo, ut abolum destruat. »

(672) Hieron., in h. l. : « Hic per tropum qui appellatr σύλληψις pro uno latrone uterque inducitur blasphemasse. Lucas vero asserit quod altero blasphemante, ter confessus sit, et e contrario increparet blahemantem : non quod discrepent Evangelia, sed iod primum uterque blasphemaverit, dehinc sole ıgiente... unus crediderit in Jesum, et priorem egationem sequenti confessione emendaverit. »

. Ambrosius, l. X in Lucam. : « Fortasse et iste rius conviciatus est, sed repente conversus. » Aug. men lib. III De consensu, cap. 16, unum tantumodo blasphemasse Christum vult, et Matthæum et larcum, « breviter perstringentes hunc locum, plualem numerum pro singulari posuisse. »

(673) S. Leo, serm. 16, De Pass. Domini, cap. 7 : Dominus Jesus omnia in se corporis sui membra transformans, quod olim in psalmo eructaverat, id in supplicio crucis sub redemptorum suorum voce clamabat · *Deus, Deus meus*, etc. « Vox in doctrina est, non querela. »

(674) S. Ambr., serm. 3, in Psal. CXVIII : « Christum se derelictum manifestat propter nos, quorum peccata portabat. »

(675) S. Hier. « Non omnes, sed quidam, quos arbitror milites fuisse Romanos, non intelligentes sermonis Hebraici proprietatem. » Idem habet Beda.

(676) Hier. : « Usque hodie Judæi et omnes increduli Dominicæ resurrectionis aceto et felle potant Jesum. » Beda : « Dabant quod essent. Judæi quoque ipsi erant acetum, degenerantes a vino prophetarum et patriarcharum, tanquam de pleno vase, de iniquitate mundi hujus impleti, cor habentes velut spongiam, cavernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum. »

(677) Beda : « Quod autem dicit : *Emisit spiritum*, ostendit divinæ potestatis esse, emittere spiritum ; ut ipse quoque dixerat : *Nemo potest tollere animam*, » etc. Hoc ille, ut solet, ex Hieronymo, qui pariter ad h. l. : « Divinæ potestatis indicium est, emittere spiritum, ut ipse quoque dixerat : *Nemo potest tollere animam meam a me*, » etc. Idem ferme habet Hier.; in epist. ad Hedib., qu. 8.

Digitized by Google

usque deorsum (678) : *et terra mota est; et petræ* A *scissæ sunt; et monumenta aperta sunt; et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, et exeuntes de monumentis, post resurrectionem venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Voce Christi moventur elementa; et simul cum eo vult dissolvi atque finiri omnis creatura. Velum templi scinditur; apparent Sancta sanctorum, et sublato velamine vetere, revelantur fundamenta Scripturarum. Movetur terra, scinduntur petræ; ut, quia Judæi in sua infidelitate immobiles perstiterunt, gentiles ab infidelitate moveantur, et ad fidem currant, et ad doctrinæ evangelicæ pluviam hauriendam, corda prius dura et lapidea aperiant (679). Corpora vero quæ resurgunt veram Christi resurrectionem testantur. *Centurio autem* B *et qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræmotu, et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Dei Filius erat iste.* Gentiles credunt, Judæi pereunt Dicunt Judæi, *secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Dicunt gentiles: *Vere Dei Filius erat iste.* Magnus homo iste centurio qui Jesum morientem custodit. *Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi.* Istæ enim mulieres, quæ Christum pio amore secutæ fuerant, etiam in morte eum non relinquebant. Hæc est autem illa Maria Magdalena, de qua Dominus ejecerat septem dæmonia; illa vero altera Maria, mater ejus fuit, id est soror C matris ejus (680). *Cum sero autem factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. Hic Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pil reddi corpus.* Quia enim iste Joseph dives erat, ideo Christi corpus tam facile a Pi impetrare (681). *Et accepto corpore, Jose illud in syndone munda, et posuit illud mento suo novo, quod exciderat in petra, saxum magnum ad ostium monumenti, et* cet nos Joseph, qualiter Christi corpus debeamus; docet nos mundo corde et scientia (682) illud suscipere, quod ips done munda involvit, et in novo monum *Erat autem ibi Maria Magdalene et altera dentes contra sepulcrum.* Merito eis Dom resurrectionem suam prius apparuit, qu custodiebant, sic eum videre cupiebant eum jam videre non poterant, ante ipsius sedebant. Notabant locum quem freque bant, et a quo, si fieri posset, recedere Tædet jam Judæorum audire blasphemi niunt iterum; rogant Pilatum ut sepulcr diat, quasi in sepulcro teneri valeat qui et omnia continet. At ille jam fatigatus, audire contemnens : *Ite*, inquit, *et cust sciris.* Vadunt, illi, sepulcrum muniunt, ponunt, lapidem signant; et tam diligen faciunt, ut et ipsi quamvis nolentes, s testes sint, Dominum resurrexisse; et n sic positum furari potuisse (683).

CV. (Cap. XXVIII.) *Vespere autem Sab lucescit in prima Sabbati venit Maria Ma altera Maria videre sepulcrum* (684). Vesp enim qui et *vesperus* dicitur, stella est,

(678) Hier. : « Velum templi scissum est, et omnia legis sacramenta quæ prius regebantur prodita sunt, atque ad gentium populum transierunt. » V. epist. ad Hedib. l. all.

(679) Hilar. : « Petræ scissæ sunt : omnia enim tum valida et fortia penetrans Dei verbum, et potestas æternæ virtutis irruperat. » Hier. : « Mihi videtur terræmotus et reliqua typum ferre credentium, quod pristinis errorum vitiis derelictis, et cordis emollita duritia, qui prius similes erant tumulis mortuorum postea agnoverint Creatorem. » Idem habet Beda. Vid. S. Leonem, serm. 2, 8, 10 De pass.

(680) Hieron. ad v. 55, 61 : « Consuetudinis Judaicæ fuit, nec ducebatur in culpam, more gentis D antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent... ministrabant autem Domino de substantia sua... Videamus quales comites habuerit, Mariam Magdalenam; a qua septem dæmonia ejecerat, et Mariam Jacobi, et Joseph matrem, materteram suam, sororem Mariæ matris Domini, et matrem filiorum Zebedæi..... Cæteris relinquentibus Dominum, mulieres in officio perseverant, exspectantes quod promiserat Jesus; et ideo meruerunt primæ videre resurgentem. » V. Aug., lib. III De cons., c. 21.

(681) Hieron. : « Dives refertur non de jactantia scriptoris... sed ut ostendat causam, quare a Pilato corpus Jesu potuerit impetrare : pauperis enim et ignoti non erat, ad Pilatum præsidem Romanæ potestatis accedere et crucifixi corpus impetrare. » Ex Hieronymo hæc eadem Beda.

(682) Hier. : « Possumus autem juxta intelligentiam spiritualem et hoc sentire, quod e mini, non auro, gemmis et serico, sed l puro obvolvendum sit; quanquam et hoc quod ille in sindone munda involvit Jesum mente cum susceperit. » Eadem Beda.

(683) Hilar. : « Metus furandi corporis, e custodia atque obsignatio, stultitiæ atqu tate testimonium est; quod signare sepul voluerint, cujus præcepto conspexissent d mortuum suscitatum. » Hier. : « Non suffec cipibus sacerdotum, et scribis, ac Pharis fixisse Dominum Salvatorem, nisi sepulcr dirent, cohortem acciperent, signarent la quantum in illis est, manum opponerent re ut diligentia eorum nostræ fidei proficere enim amplius reservatur, tanto magis resu virtus ostenditur: unde et in monumento excisum fuerat in petra, conditus est: ne s tis lapidibus ædificatum esset, suffossis fu damentis, ablatus furto diceretur. » Hæc lata habet Beda.

(684) Est homilia sancti Brunonis, u Emiseno attributæ in Sabbato S.

(685) Baronius ad an. 34, num 167, loc perdifficilem vocat, « et qui sedulum post ctumque studium; cum et in eo non parum fuerint doctissimorum virorum ingenia. » difficilem hic dicit esse *antilogiam* : sed pra interpretibus Maldonatus ad h. l. scribit: « ideo omnium interpretum sententia di judicatur, quod et ipsa per se verba obsc et neque alii evangelistæ cum Matthæo, ne secum Matthæus, neque inter se alii, neque

Digitized by Google

m.ne *lucifer* **134** vocatur. Et *hesperus* quidem, e vesper vocatur in fine diei, *lucifer* vero in prinio. Sæpe enim quando oritur, parvissimo interllo solem præcedit. Quod autem evangelista hoc stella intellexerit, ex eo apparet, quod feminino nere dixit, *quæ lucescit in prima Sabbati*: ad iod enim, nisi ad stellam, *quæ* pronomen referar? *Sabbatum* autem unumquemque diem vocaint. Dicatur ergo: Vespere autem Sabbati appante, id est illa stella quæ vesper et lucifer vocar, jam diem proximam nuntiante: non autem illam co quæ apparet in fine diei, sed illam quæ vider in principio, id est quæ lucescit in prima Sabati; hoc est quæ lucere incipit in prima parte rimi diei, qui nunc dies Dominicus appellatur. *enit Maria Magdalena et altera Maria videre sealcrum.* Hanc enim stellam, quia cæteris clarior it, iter agentes observare solent. Hujus igitur quo hæ sanctæ mulieres ad sepulcrum venire cœerunt « Et valde mane cum adhuc tenebræ esent (*Joan.* xx, 1), » ut Joannes ait, sole tamen jam riente (686), ut Marcus dicit, veniunt ad monuentum. Prius enim sit ortus solis quam recessio enebrarum. Potest autem et aliter dici, ut non de espere diei, sed de vespere noctis intelligatur: abet enim et nox suum vespere, quod aurora, vel repusculum dicitur. De quo vespere ait Moyses: Factum est vespere et mane dies unus (*Gen.* i, 5). » Quod si de vespere diei intelligatur, nox tota relinquitur. Unde quidam expositores totum diem simul um nocte sua unum diem computant; et ita fit espere noctis cum mane diei, dies unus; et quamis ego hoc in Genesi (687) aliter exposuerim; tamen hic intellectus, propter hæc Evangelii verba, modo mihi magis placet. Dicatur ergo: *Vespere utem Sabbati*, id est vespere noctis Sabbati *venit*

A *Maria Magdalena et altera Maria videre sepulcrum*: illa videlicet hora quæ lucescit in prima Sabbati, id est in prima parte diei (688). Ambæ autem Maria vocantur, quod *stella maris* (689) interpretatur. Duæ igitur stellæ tertiam sequuntur, et simul solem justitiæ quærere veniunt. Duæ autem stellæ duæ sunt Ecclesiæ, Judæorum scilicet et gentium, quæ cœlitus illuminatæ, mortuorum resurrectionem prædicant. *Et ecce terræmotus factus est magnus.* Magnus enim terræmotus (690) fit, quando in his duabus mulieribus tanta utriusque populi multitudo ad Christum concurrit. *Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum.* Hic enim angelus, Ecclesiæ prædicatores significat, ad quorum voces terræmotus

B fiunt; quia peccatores, qui terra vocantur, eorum prædicationibus ab infidelitate ad fidem transeunt. Isti autem lapidem revolvunt, Scripturas exponunt, tabulas aperiunt, et legem quæ in eis scripta erat, omnibus revelant: sedent autem super lapidem, quia intelligunt, et in potestate habent quæ in tabulis lapideis scripta continetur. *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix.* In altero igitur terrebat malos, et in altero mulcebat bonos (691). Hunc autem imitantur prædicatores, quando malis etiamnum ignem, bonis vero æternam felicitatem promittunt. Unde et custodes territi, et velut mortui facti dicuntur; mulieribus vero dicitur: Nolite timere vos (692). Illi timeant, quibus ignis et furor paratus est; vos au-

C tem **135** cur timeatis, quæ vestros socios et amicos videtis. *Scio enim quod Jesum qui crucifixus est, quæritis*, ideoque servos ejus timere non debetis. *Non est hic*: videlicet præsentia corporis, qui ubique est potentia divinitatis. Sed ubi credimus tunc eum fuisse? Ego quidem facile crediderim eum tunc

pse secum convenire videantur: » quod allatis vangelistarum verbis postea exponit.

(686) VI, 2: *Et valde mane una Sabbatorum veiunt ad monumentum, orto jam sole.*

(687) In edit. Rom. S. Brunonis, pag. 2, c. 1.

(688) Mystice hic omnia explicat Chrys. ser. 74, 5, etc. Juxta litteralem sensum agitur de conciiandis his evangelistarum locis: 1° « Vespere Sabati quæ lucessit in prima Sabbati. 2° Cum transiset Sabbatum valde mane una Sabbatorum, orto am sole. 3° Una autem Sabbati diluculo. 4° Valde nane cum adhuc tenebræ essent. » Auctor duas explicationes proponit, primam ut *vespere* stella ignificetur, quæ cum mane etiam appareat, matutinum tempus hic significet: secundam, ut quemadnodum dies habet suum *sero*, id est finem diei, ta nox habeat *sero* suum, id est noctis finem, idem ic principium diei; utramque hanc expositionem proposuit Baronius l. all. cumque objectum sibi esset dversus primam explicationem, in Græco esse ὄψε quæ vox stellam significare non potest; Græco extui detrahit, et concludit: « Si ista non placet, sequendum in his præ cæteris interpretibus proponinus Maldonatum: » ita in postrema editione. Maldonati autem sententia vix differt ab altera auctoris nostri, nisi quod magis eam explicat et confirmat (quam amplectitur etiam Menochius, lib. VIII, V. C. c. 1, n. 3, aliique). Nimirum cum in Græco sit ὄψε σαββάτων *sero Sabbatorum*, id est post Sabbatum proprie dictum, et finita hebdomada; idem dicere Matthæum, atque Marcum *cum transisset Sabbatum; mane una Sabbatorum*, id est illucescente die prima Sabbatorum alterius hebdomadis, *orto jam sole*, radiis ejus cœlum aliquanto illustrantibus, ut ex Euthymio explicat a Lapide; vel sole jam orto et apparente quando finito itinere ad monumentum pervenere, ut interpretatur Dionysius Alexandr. in epist. ad Basilidem. V. etiam Jansenium Conc. c. 145, cæterosque interpretes.

(689) Isidorus, Orig., l. VII, c. 10, Maria interpretatur *illuminatrix* aut *stella maris*. Sic enim postea S. Bernardus homil. 3 sup. Miss. est.

(690) Beda: « Terræmotus significat corda carnalium per fidem passionis et resurrectionis concutienda ad pœnitentiam. »

(691) Beda: « Qui et terribilis ad damnandum reprobos, et benignus esset ac blandus ad consolandos electos. »

(692) Præclare Hilar.: « Angelus Domini de cœlo descendens... misericordiæ Dei Patris insigne est, resurgenti Filio ab inferis. Virtutum cœlestium ministeria mittentis. » Greg., hom. 21 in Evang. « In fulgore terror timoris est; in nive autem blandimentum candoris. Quia vero omnipotens Deus, et terribilis peccatoribus, et blandus est justis, recte testis resurrectionis ejus angelus, et in fulgure vultus, et in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie, et terreret reprobos, et mulceret pios. »

Digitized by Google

matrem visitasse, quæ plus cæteris dolore afflicta, ejus resurrectionem exspectabat. Quid enim, si hoc evangelistæ non dicant? Non enim, ut Joannes ait, omnia ejus facta scripta sunt. Inde vero rediens, primo apparuit Mariæ Magdalenæ, quam ipsis apostolis vel aliquibus aliis. Hæc autem recipiat qui vult : ad credendum autem neminem compello (693). Sequitur : *Surrexit enim, sicut dixit : venite et videte locum ubi positus erat Dominus.* Nam et Ecclesiæ doctores sæpe nobis locum ostendunt in quo Dominus positus fuerat, dum sanctarum exempla Scripturarum exponentes, ubi ejus nativitas, passio et resurrectio sit prophetata, nos docent. Vis videre locum in quo Dominus positus fuerat, lege in psalmis : « Ego dormivi et somnum cepi, et resurrexi, quoniam Dominus suscepit me (694). » — *Et cito euntes, dicite discipulis ejus, quia surrexit, et ecce præcedet vos in Galilæam ; ibi eum videbitis : ecce prædixi vobis.* Ecce mulier quæ fuerat janua mortis', prima prædicat resurrectionem (695), et ostendit januam vitæ. In Galilæam præcedit Dominus ibique discipulos exspectat; quia tunc sancti Deum videbunt, quando in patriam reversi fuerint. Galilæa namque apostolorum patria fuit ; unde et « viri Galilæi » (*Act.* I, 11) dicuntur. *Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.* Marcus autem dicit quod fugientes de monumento (*Marc.* XVI, 8), quia terror invaserat eas, nemini quidquam dixerunt. Per quod datur intelligi, quia prius de visione angelorum nihil dixerunt, solummodo narrantes de monumento Dominum esse sublatum. Sic igitur se habet ordo (696). Venerunt mulieres ad monumentum, viderunt angelum, quem tamen non angelum, sed juvenem esse putabant; cucurrerunt ad apostolos : et de angelo quidem et ejus verbis quibus Dominum resurrexisse audierant, nemini quidquam dixerunt, hoc solum nuntiantes Dominum in monumento non esse. Cucurrerunt ergo simul Petrus et Joannes, et sola linteamina invenerunt. Quibus recedentibus, mulieres remanserunt ibi : et tunc quidem Maria Magdalena inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos ibi sedentes : qui cum eam consolarentur, conversa est retrorsum et vidit Jesum stantem, A quem non Jesum, sed hortulanum esse

Quem cum voce cognovisset, accessit ad quamvis ei diceret : *Noli me tangere,* men, et osculata est pedes ejus. Tunc et res venerunt : plures enim Lucas fuisse rat (*Luc.* XLIV, 10) ; quas cum Domin salutasset, ipsæ quoque tenuerunt pedes et hic subditur : *Et ecce Jesus occurrit il Avete : illæ autem accesserunt et tenuerunt et adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus : mere; ite, nuntiate fratribus meis ut ean læam : ibi me videbunt.* Certæ itaque de resu jam non sicut prius, Dominum de monume tum annuntiant, sed et eum se vidisse, et locutas esse affirmant : dicunt discipulis B in Galilæam, et ibi eum videbunt, sicut p *Quæ cum abiissent, ecce quidam de custod runt in civitatem, et annuntiaverunt princip dotum omnia quæ facta fuerant. Et congr senioribus, consilio accepto, pecuniam cop derunt militibus, dicentes : Dicite quia dis nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis bus : et si hoc auditum fuerit a præside, bimus ei, et securos vos faciemus. At illi pecunia, fecerunt sicut erant edocti : et d est verbum istud apud Judæos usque in h diem.* Ergone tantum potest avaritia, tantu amor pecuniæ? Prius Christum vendidit; n iterum ejus resurrectionem negare compel O miseri Judæi! Sufficiebat vobis semel C occidisse; sufficiebat vobis semel eum em rum pecunia eum emitis, et majori quam p cunia comparatis ; et, quantum in vobis iterum eum occiditis, dum eum resurrexi vere negatis.

CVI. *Undecim autem discipuli abierunt læam, in montem ubi constituerat illis Jesus, tes eum adoraverunt, quidam autem dubitaver* Hæc autem visio quando acta sit, incertum quoniam Thomas, qui unus erat ex istis, a octo Dominum non vidisse narratur. *Et Jesus locutus est eis, dicens : Data est mi potestas in cœlo et in terra.* Qui enim secund nitatem semper simul cum Patre et Spiritu

(693) De Matre fuse ex TT. id contendit Suarez tom. II in III p., disp. 49, sect. 1, auctoritate Ambrosii, Sedulii, etc. De cæteris vid. sect. 2, 3.

(694) Psal. III, 6, Chrysolog., serm. 75 : « Non feminarum formas, sed Ecclesiarum typum deferunt Dominicum ad sepulcrum. » Et serm. 76 : « Mariam et alteram Mariam Ecclesiæ ex duobus populis venientis figuram diximus habuisse, » etc.

(695) Hilar. : « Quod vero primum mulierculæ Dominum vident, salutantur, genibus advolvuntur, nuntiare apostolis jubentur, ordo in contrarium causæ principalis est redditus ; ut quia a sexu isto cœpta mors esset, ipse primum resurrectionis gloriæ et visus, et fructus, et nuntius redderetur. » Ambr., lib. XIX in Luc. : « Mulierum per Jesum non solum culpa solvitur, sed etiam multiplicatur gratia, ut pluribus suadeat quæ unum antea deceperat. » V Chrysol., serm. 77, etc., et Greg., homil. 25 in Evang.

(696) Vid. S. Aug. De consens. Evang., num. 69, quem ferme A. sequitur ; Maldon cap. XXVIII Matth., Barradas, tom. IV Co rior. in Concord., lib. VII, c. 3; Jansen., cap. 145 ; Franciscum Lucas, a Lapide, etc.

(697) Chrysol., serm. 80. « Judæi, vende emerunt, ut perderent Christum, nunc p copiosam, ut se legem, patriam, templum pe effuderunt. Viri sanguinum et dolosi statu tium falsitatis, perfidiæ conficiunt instrum commercio crudeli fraudem fidei, veritatis nium nundinantur, » etc.

(698) Est pars homiliæ inter spurias Emi lata fer. VI post Pascha, pag. 126. Nam in milia plura interjiciuntur de loco, Galilæa et monte ubi constituerat illis Jesus, et eorum significationibus tota pag. 127. 1. A vero illis : *Et accedens Jesus locutus est ei* reliqua utrobique sunt.

Digitized by Google

omnium rerum potestatem habuit, nunc etiam secundum humanitatem omnium rerum potestatem accepit (699); ut homo ille qui nuper passus est et cœli et terræ dominetur, neque jam solummodo Judæorum, verum etiam omnium gentium et Deus et Dominus esse credatur. Habet enim potestatem in cœlo coronandi quos vult; habet et in terra potestatem eligendi quoscunque vult, quia et hic et ibi facit quidquid vult. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Jam, inquit, nulla distinctio est: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 16): » omnes docete, omnes vocate et baptizate, sive Judæi fuerint, sive gentiles (700); *docete eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Cui hoc videtur impossibile, solam teneat et custodiat charitatem (701). *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Magna promissio; magnus et insuperabilis clypeus securitatis. Ego, inquit, vobiscum sum, in vobis pugno: vos defendo; nihil timeatis; ite securi (702). Si enim Deus pro vobis, quis contra vos? Dicite ergo: « In Deo faciemus virtutem; et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros (*Psal.* CVII, 14): » cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

(699) Cyril., lib. in Joan., cap. 73: « Nec quia data potestas est, idcirco, dante Patre, minor videbitur; accepit enim ut homo.... Annon vides in istis Patrem quidem ut Deum dare, Filium autem ut hominem accipere illa, quæ ut Deus habebat? » Hier., ad h. l.: « Illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui mortuus jacuerat, qui postea resurrexit. In cœlo autem et in terra potestas data est, ut qui ante regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris. »

(700) Auct. De vocat. gent., lib. II, c. 2: « Nunquid hac præceptione, ullarum nationum ullorumque hominum facta discretio est? Neminem excepit, neminem separavit genere, neminem conditione distinxit. Ad omnes prorsus homines missum est Evangelium crucis Christi. »

(701) Chrys., hom. 91, n. 3: « Quid enim difficile in præceptis Christi est? Nullum habeas inimicum, neminem odio habeas, nemini maledicas. » V. Aug., sermon. 358, n. 4 enarr. in ps. LXXXIX, n. 17, etc.

(702) Chrys., ad b. l.: « Ne mihi, inquit, difficultatem rerum dixeritis; ego enim vobiscum sum, qui omnia facilia reddo, » etc. A. De vocat. gent., lib. II, c. 2: « Ecce vobiscum sum, » etc.: id est, cum sicut oves introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui vos usque ad consummationem sæculi in omni hoc opere non derelinquam: non hoc ut nihil patiamini; sed, quod multo majus est, præstiturus, ut nulla sævientium crudelitas superemini. In mea enim potestate prædicabitis, et per me fiet ut inter contradicentes, inter furentes, Abrahæ filii de lapidibus suscitentur. Ego insinuabo quod docui, ego faciam quod promisi. »

EXPLICIT SECUNDUM MATTHÆUM.

SANCTI BRUNONIS ASTENSIS

EPISCOPI SIGNIENSIS

COMMENTARIA IN MARCUM.

137 Exposito Evangelio Matthæi, nunc secundum ordinem ad Marcum transeamus, in quo non multum quidem nos laborare necesse erit, quoniam valde pauca ibi dicuntur, quæ in Matthæo exposita non sint. Cum enim quatuor sint evangelistæ, et aliquando duo, aliquando tres, aliquando omnes idem dicant; non est necesse in singulis exponere quod in uno exposuimus. Facilius enim tibi est chartam revolvere, quam mihi in unoquoque eadem scribere. Quæcunque igitur in Marco non exponimus, ideo quidem non exponimus, aut quia per se facilia sint, aut quia jam superius in Matthæo exposita sunt. Similiter autem et in Luca, et in Joanne nos, vita comite (703), facere speramus. Ea videlicet exponemus in sequentibus, quæ exposita non fuerint in antecedentibus. Nunc ad Evangelii verba veniamus.

INCIPIT SECUNDUM MARCUM.

I. [CAP. I.] *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei. Sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce mitto* (704) *angelum meum ante faciem tuam, qui*

(703) Solemnis hæc formulæ, et ab ethnicis olim, et multo magis a Christianis postea adhibita, ex doctrina S. Jacobi IV, 13. *Ecce nunc qui dicitis, hodie aut crastino ibimus*, etc., *pro eo ut dicatis, si Dominus voluerit, et si vixerimus.* A. noster verbis uti voluisse videtur, quibus, simili veluti exceptione interposita, usus est angelus Abrahæ nasciturum filium promittens. Gen. XVIII, 10: *Revertens veniam ad te, tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua:* quibus conveniunt alia Elisæi ad mulierem Sunæ IV Reg. IV, 16. *In tempore isto, et in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium.*

(704) *Ecce ego mitto*, Vulg. Deest tamen, *ego*, in Itala apud Sabatier, deest apud Bedam, etc.; est tamen in Græco: ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω, et Latinis nonnullis.

Digitized by Google

præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Hoc, inquit, initium ergo facio in Evangelio Jesu Christi Filii Dei, et a Joanne Baptista scribere incipio, qui ejus præcursor fuit, ejusque adventum nuntiare missus est. *Sicut scriptum est in Isaia propheta : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam; et vox clamantis in deserto : Parate viam Domini.* Hoc autem non totum in Isaia, sed ex parte in Isaia, et ex parte in Malachia scriptum est (705) : nisi forte per æquipollentiam hoc aliquis intelligere velit. Angelus enim, qui ante faciem Christi in Malachia mittitur, in Isaia *vox clamantis in deserto* vocatur; et de quo ibi dicitur : *Qui præparabit viam tuam ante te, Parate viam Domini.* Quantum ergo ad litteram, alterum in Malachia, alterum in Isaia scriptum est; quantum autem ad significationem, utrumque et in Malachia, et in Isaia invenitur (706). Quæ vero sequuntur et non exponuntur, in Matthæo quærenda sunt.

II. [Cap. I.] *Ascendens Jesus in montem vocavit ad se quos voluit ipse : et venerunt ad eum;* et fecit, *ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare Evangelium. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia.* In montem ascendit Jesus, suæ militiæ principes **138** eligere vo-

A lens; ut ipsius loci sublimitate intelligan tam gloriam eligantur, et quod cæter præferantur (707). Sed quare duodecim nisi quia dies erat, et duodecim (708) ho habebat? Sic enim ipse ait : « Nonne duo horæ diei? (*Joan.* xi, 9.) » Qui ambulat offendit, quia lucem mundi hujus videt lux mundi. Qui sequitur me non ambulat sed habebit lumen vitæ (*Joan.* viii, 12). sunt Ecclesiæ portæ, de quibus dicitu Dominus portas Sion (*Psal.* lxxxvi, 2). » duodecim sunt Ecclesiæ portæ, duodecim esse oportuit, ut essent ab oriente por occidente portæ tres, a meridie portæ tre lone portæ tres. Hos autem mittit Domin

B lium prædicare, infirmos sanare, dæmon ut quia horæ sunt, ubique luceant; et sunt, undique populos per fidem in Eccle ducant. *Et imposuit Simoni nomen Petr bum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacob suit eis nomina Bonaerges, quod est filii Andræam, et Philippum, et Bartholomæu thæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi dæum, et Simonem Cananæum, et Ju rioth* (710), *qui tradidit illum.* Alia nomi dam discipulorum Dominus imposuit, pr

(705) Priora verba Malachiæ sunt, apud quem legitur III, 1 : *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam :* posteriora Isaiæ XL, 3 : *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini.*

(706) Quam vetus, tam est ardua et difficilis C quæstio; cur hic solus nominetur Isaias. Hieron. ad Malach. III testimonium hoc est Isaia et Malachia contextum fassus est; sed nec quæstionem ibi solvit, et *De opt. gen. int.* tanquam insolubilem habuit. Facile solvi illa posset, imo nulla esset quæstio, si Græcos codd sequeremur. Nam Maldonatus testatur, in plerisque nullum singularis prophetæ nomen haberi, sed generatim ἐν τοῖς προφήταις *In prophetis :* et hæc lectio etiam allegatur tanquam Irenæi. Verum et Irenæus idem lib. III, cap. 11, num. 8, legit in Isaia ; atque ita etiam Origenes, et apud Origenem l. II contr. Celsum Porphyrius, S. Athanasius, Hieronymus, etc., et codd. multi apud Millium. Adde veterem Italam, et Latinos codd. omnes. Adde versiones Syriacam, Gothicam, Cophtham, Armenam, Persicam, Arabicam. Quare Jansenius conc. c. 13 et Maldonatus lectionem illam, *In prophetis* suppositam pro genuina putant ab iis, quibus molesti erant, objecto hoc loco, Evangelii inimici. S. Augustinus (cujus verba recitat Jansenius), ideo duo prophetarum testimonia sub Isaiæ nomine conjungi censuit, quod Isaias prior idem illud, quod vaticinatus fuit Malachias, insinuaverit, et ab eodem Spiritu sancto utrumque pariter procederet. Recentiores in alias abiere sententias. Constare videtur primo, novum non esse, et alias sæpius factum, ut ex pluribus diversorum canonicorum scriptorum locis, unum veluti testimonium contexeretur : quod allatis exemplis probat hic Cornelius. 1°. Sæpe unum illorum præcipuum haberi, alterum quasi interpretationem et explicationem aliquam afferri. 2°. Ad Joannis prædicationem et munus explicandum præcipue valere locum Isaia, cum illud idem de se Joannes usurpaverit. Hæc solvere quæstionem videntur.

(707) Montium nomine multa in Scripturis significata, PP. docent. Hinc Hieron., hom. 9 in Jer. (id est Origenes ab eo Latine versus) : « Sunt alii montes tenebrosi, alii lucentes. Verumt utrique montes sunt magni, montes luc angeli Dei et prophetæ... apostoli Jesu Montes tenebrosi sunt qui eriguntur adve tiam Dei. Zabulus mons tenebrosus est. » semper magnum aliquid significat. Qua interpretatur Aug. in Psal. xlv, n. 7, *pot jus sæculi;* atque ibidem alios facit mon alios malos. Hilar., in Psal. cxx, num. 4 accipimus propheticos libros ex terra in tos, per quos fit in superiora conscensus mus autem et montes existimare angelica et cœlorum virtutes et potestates, » etc.

(708) Hoc A. ex Aug., qui enarrat. in n. 5 : « Forte enim illi propterea longe fa sanctis, quia non potuerunt penetrare a diei, cujus apostoli duodecim horæ fulgen sius idem tract. 44 in Joan., n. 8 : « Quo e net : *Nonne duodecim sunt horæ diei?* diem se esse ostenderet, duodecim discipu Si ego sum, inquit, dies, et vos horæ, nunc diei consilium dant? Horæ diem sequuntur

(709) Beda ad cap. 10. Matth. « Recte i D latum divina gratia duodecim convocan enim sunt cœlestis Jerusalem ab Oriente p ab aquilone, austro et occasu. » Et S. Aug Nam hic enar. in Psal. lxxxvi, explicans il *damenta ejus in montibus sanctis; diligit portas Sion,* scribit : « Ne putetis alia es menta, alias portas. Quare sunt fundament et prophetæ? Quia eorum auctoritas porta tatem nostram. Quare sunt portæ? Quia intramus ad regnum Dei : prædicant eni Et cum per ipsos intramus, per Christum i ipse est enim janua. Et dicuntur duodeci Jerusalem, et una porta Christus, et duodec Christus, quia in duodecim portis Christus duodenarius numerus apostolorum. Sacra magnum hujus duodenarii numeri. »

(710) Scarioth legit etiam Beda; et sus vico dictum in quo ortus est, et interpretatu *ria mortis.* Ita etiam legitur in Cantabrigensi

Digitized by Google

non abstulit (711). Unde et Petrus, qui prius *Simon* dicebatur, postea *Simon Petrus* vocatus est. Simoni ergo imposuit nomen *Petrus*, ut a quo suscipiebat fortitudinem, ab eodem susciperet et fortitudinis nomen. « Petra enim, ait Apostolus, erat Christus (*I Cor.* x, 4). » Ab hac ergo petra dicitur Petrus (712). Vocavit autem et filios Zebedæi *Boanerges*, sive ut verius scribitur, *Banereem* (713), id est filios tonitrui, eo quod magnifice et terribiliter loquentes, supernas et cœlicas voces in suis sermonibus imitarentur. Cujus enim nisi tonitrui vox est illa, quæ dicit : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* i, 1). »

III. [Cap. IV.] *Et dicebat Jesus : Sic est regnum Dei : quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, et dormiat, et exsurgat nocte ac die, et semen germinet et crescat, dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica, et cum se produxerit* (714) *fructus, statim mittet falcem, quoniam adest messis.* Regnum Dei Ecclesia est. Ipsa et ager, et terra vocatur, in qua Verbi Dei semen seminatur. Seminatores autem apostoli sunt et doctores. Semen vero evangelica **139** prædicatio. Hæc autem prius in herbam, deinde in spicam, postmodum vero in plenum frumentum crescit et germinat. Initium enim boni operis quasi herba est (715) ; quia ad quem finem perveniat, nondum manifeste cognoscitur. Herba enim facile siccatur et perit. Fit autem spica dum quotidie crescit, et per incrementa in melius proficit : utrum tamen ad perfectionem perveniat, adhuc ignoratur. Deinde vero fit *plenum frumentum in spica*, cum devictis tentationibus carnis, ex toto se homo Deo subjiciens, quantum humana fragilitas patitur, perfectus in omnibus invenitur. Sed neque sic plena securitas adest, nisi quam cito metatur, et in horreum reponatur (716). Unde et hic dicitur. *Et cum se produxerit fructus, statim mittet falcem, quoniam adest messis.* Falcem enim Dominus mittit, quando suorum fidelium animas ad se per mortem corporis vocat.

IV. (Cap. VII.) *Exiens Jesus de finibus Tyri* (717), *venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.* Describit evangelista per quam viam in Galilæam Dominus redierit. Sicut autem *Pentapolis* a quinque, ita *Decapolis* (718) a decem civitatibus nominatur. *Et adducunt ei surdum et mutum; et deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* Qui sunt isti, qui surdum et mutum Domino adducunt ? Isti enim sunt apostoli et doctores ; isti sunt episcopi et sacerdotes; isti sunt quicunque alios sanare desiderant, et ad fidem venire persuadent. Surdus enim est omnis homo qui audiendi aures non habet, et qui verba Evangelii audire contemnit. Surdi erant illi, quibus Dominus dicebat : « Qui est ex Deo, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (*Joan.* viii, 47). » De talibus et Psalmista ait : « Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantium, et veneficia quæ incantantur a sapiente (719) (*Psal.* lvii, 5). » Mutus vero est qui Dominum non laudat, qui Christum non confitetur, qui justitiam non defendit, et qui injustitiam non damnat (720). Tales illi sunt, de quibus dicitur : « Canes muti non valentes latrare (*Isa.* lvi, 10). » Hos igitur debemus ducere ad Jesum, et pro eis rogare, ut eis manum imponat. Sanatur enim quem tangit Jesus ; sanatur quem tangit Salvator (721) ; quia ipse est salus et vita : non aliunde quærit herbas; ipse est medicus et medicina ; tangit, et sanat ; respicit, et medetur. Unde et subditur : *Et apprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auriculam ejus, et exspuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi, Effeta* (722), *quod est adaperire.*

germanensibus, et Colbertinis ms. duobus ap. Sabatier. Itala vetus, quam idem exhibet ex ms. Colbertino, *Scarietha*.

(711) Vide Justinum M. Dial. cum Tryph. n. 106, Tertullianum lib. iv contra Marcion., c. 13. Joan. Chrysost. hom. 19 in Joan., n. 2, et ex recentioribus card. Baron. ad an. 33, n. 19, etc.

(712) S. August. serm. 76 : « Simon antea vocatur. Hoc autem ei nomen, ut Petrus appellaretur, a Domino impositum est : et hoc in ea figura, ut significaret Ecclesiam. Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est. Ideo Petrus a petra, non petra a Petro : quomodo non a Christiano Christus, sed a Christo Christianus esse vocatur. » Idem serm. 204, n. 1; serm. 170, n. 2, et serm. 295, n. 1.

(713) Varie scriptum invenitur hoc nomen. *Boanges* in ms. Cantabrig. ap. Sabatier : alibi aliter. S. Hieron. in cap. i Daniel, v. 7 : « In Evangelio..... filii Zebedæi appellati sunt, quod non, ut plerique putant, *Boanerges*, sed emendatius legitur *Benereem* : atque adnotat Vallarsius in codice Vaticano legi *Banerasm*, in Palatino *Banarehem*.

(714) *Cum produxerit* vulg. Sed ms. Corbeiens. 1, et S. Germani 2 apud Sabatier *cum se produxerit*.

(715) S. Greg., lib. xix. Mor., n. 52, herbæ nomine in Scripturis quinque significari docet, quæ sunt « viror gloriæ temporalis, refectio diaboli, sustentatio prædicatorum, bona operatio, æternæ vitæ scientia atque doctrina. »

(716) Hinc illud S. Aug., serm. 40, n. 7 : « Quæ est autem securitas, fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intente et diligenter audiamus, et promissa fideliter exspectemus ? »

(717) *Et iterum exiens de finibus Tyri.* Est hom. S. Brunonis Dom. xii, p. Pent. Emiseno supposita.

(718) Hieron. : « Decapolis, sicut in Evangelio legimus. Est autem regio decem urbium trans Jordanem, circa Hippum, et Pellem, et Gadaram. » De ea vid. fuse disserentem Bonfrerium in Onomast. Hieron. verba exscripsit Beda.

(719) *Et venefici incantantis sapienter.*

(720) Beda : « Surdus et mutus est qui nec aures audiendis Dei verbis, nec os aperit proloquendis : quales nec esse est ut hi qui loqui jam, et audire divina eloquia longo usu didicerunt, Domino sanandos offerant ; quatenus eos quos humana fragilitas nequit, ipse gratiæ suæ dextera salvet. »

(721) Id. in. c. viii Marc. : « Tangit nos Dominus, cum mentem nostram afflatu sancti Spiritus illustrat, atque ad agnitionem nos propriæ infirmitatis, studiumque bonæ actionis accendit. »

(722) Ita scribit Beda. In antiqua Itala ex ms. Colb. apud Sabatier *Effeta* : Vulgat., *Ephphetha*, ut

Digitized by Google

Cognoscimus hic Ecclesiæ sacramenta (723) : Hæc noviter ad fidem venientibus sacerdotes facere videmus. Dicunt *Effeta*, quod est adaperire : non ut exterioris hominis sensus, qui clausi non sunt, sed potius ut interioris hominis aures aperiant, et linguam solvant : quatenus et verba vitæ diligenter intelligant ; et intellecta, aliis fideliter nuntient. Nisi enim aliud significaret, hunc tantum laborem in hoc homine sanando Dominus non suscepisset. Poterat enim eum solo verbo sanare (724), sicut multos alios sanare consueverat : hoc tamen non fecit. Sed quid fecit ? De turba eum traxit ; digitos ei in auriculas misit ; exspuit, et linguam tetigit ; in cœlum suspiciens ingemuit, et ait illi : Effeta, quod est adaperire. Hæc enim turba, de qua hic homo a Domino trahitur, vitiorum est multitudo, et malignorum spirituum turbulentus exercitus (725). Qui enim de hac turba non trahitur, a **140** Domino non sanatur. Merito igitur de turba eum traxit quem sanare volebat, et misit digitos suos in auriculas ejus ; quia in illius auditum sancti Spiritus gratias infudit (726), ut haberet Spiritum sapientiæ et intellectus, sine quibus aures cordis non aperiuntur. De hoc enim digito ipse quoque alibi ait : « Si ego in digito Dei ejicio dæmonia (*Luc.* 1, 20). » Quod Matthæus exponens, ait : « Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, profecto (727) pervenit in vos regnum Dei (*Matth.* XII, 28). » Exspuit autem et tetigit linguam ejus, ut per hoc eum doceat superflua cuncta abjicere, si linguam vult habere solutam, et ad loquendum idoneam. Sæpe enim sputum ad loquendum linguæ facit impedimentum. Est enim sputum superfluitas quædam, et stomachi capitisque purgatio. Qui igitur

A vult bene loqui, qui vult ut Deo et hominib
sua placeant, omni superfluo humore, omni
pedimento et stomachum relevet et mente
per caput intelligimus. Possumus autem et
tum Christi, quod ex capite quidem descen
divinitatis dulcedinem intelligere (728). «
namque caput, ait Apostolus, Deus est (*I*
3). » Hæc autem dulcedo, hæc saliva nostri
ptoris linguas infantium fecit disertas, q
veteri pomi amaritudo ligaverat. De hac au
cedine ait Psalmista : « Gustate et videte,
suavis est Dominus : beatus vir qui spe
(*Psal.* XXXIII, 9). » Itemque : « Dulcis et re
minus (*Psal.* XXIV, 8) : » et Petrus Apostolus
ponentes, inquit, omnem malitiam, et om
B lum, et simulationes et invidias, et omne
ctiones, sicut modo geniti infantes, rationab
dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in s
si tamen gustastis quia dulcis est Dominus
II, 1). » Hæc igitur dulcedo, hæc saliva Chri
antiquum venenum, omnemque amaritud
lingua fidelium : hæc autem saliva illorum
non tetigit, qui Christum non confitentur ; e
fide interrogati, se credere non responden
spiciens in cœlum ingemuit. In cœlum nam
minus suspexit ; quia secundum humanit
nobis ad Patrem interpellat (729). Sed qua
muit, nisi quia hominem quem ad imaginem
litudinem suam creaverat, nunc surdum et
et per omnia infelicem esse videbat : que
C per multas tribulationes et angustias, ad p
dignitatem redire oportebat ? Post hæc auter
ait illi : *Effeta, quod est adaperire ;* quia n

etiam Ambros. De sacram. l. I, Græc. *ἐφφαθά*. Ambrosius : « Hebraicum verbum est, quod Latine dicitur *adaperire*. » Vide de hoc verbo Maldonatum, etc.

(723) S. Ambrosius, lib. I De sacram., cap. 1, n. 2 : « Ergo quid egimus Sabbato ? Nempe apertionem : quæ mysteria celebrata sunt apertionis ? quando tibi aures tetigit sacerdos, et nares. Quod significat in Evangelio D. N. J. C., cum ei oblatus esset surdus et mutus . . . . Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem et ad alloquium sacerdotis. » Idem De mysteriis cap. 1, n. 3 : « Aperite igitur aures, et bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere sacramentorum carpite ; quod vobis significavimus, cum apertionis celebrantes mysterium diceremus ; *Epheta*, quod est *adaperire*, ut venturus unusquisque ad gratiam, quid interrogaretur, cognosceret, quid responderet, meminisse deberet. Hoc mysterium celebravit Christus in Evangelio, sicut legimus, cum mutum curaret et surdum, » etc.

(724) Victor Antioch. in caten. Corder. pag. 150 : « Cum posset sermone efficere miraculum ; ostendit corpus arcano sibi unitum nexu, animatum videlicet rationali et intelligenti anima, divitiis etiam ipsum abundare divinæ virtutis. » Vid. ibid. Tolosanum.

(725) Beda : « Prima salutis janua est, infirmum apprehendente Domino de turba seorsum educi. Apprehendens namque infirmum de turba seorsum educit, cum mentem peccatis languidam, visitatione suæ pietatis illustrans, a consuetis humanæ conversationis moribus avocat. »

(726) Id. Beda : « Mittit digitos suos in auriculas,

cum per dona S. Spiritus aures cordis ad in
da, ac suscipienda verba salutis aperit. Nar
gitum Dei appellari Spiritum sanctum, testa
Dominus, cum dicit Judæis : *Si ego in digito D*
dæmonia, » etc. Hoc, credo, ex Gregorio, q
10 in Ezech., ubi totum curationis ordinem
exponit, n. 20 : « Quid, inquit, per digitos
ptoris, nisi dona S. Spiritus designantur
cum in alio loco ejecisset dæmonium, dixi
digito Dei, etc. : qua de re per evangelista
dixisse describitur : *Si ego in Spiritu Dei*, e
quo utroque loco colligitur, quia digitus Dei
tus vocatur. Digitos ergo in auriculas mitt
D per dona Spiritus mentem surdi ad audiend
rire. »

(727) *Igitur*, Vulg.

(728) Beda : « Sputum namque Domini, s
designat sapientiæ . . . Sputum etenim, q
capite Domini descendit, divinam ejus natura
ex Deo est ; portio terræ, cui idem sputum
scuit, humanam quæ ex hominibus assump
designat. » S. Gregorius l. all. : « Quid est ver
exspuens linguam ejus tetigit ? Saliva nobis
ore Redemptoris accepta sapientia in eloquio
Saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea e
pientia quæ ipse est, dum lingua nostra ta
mox ad prædicationis verba formatur, »

(729) In edit. March. tom. II, pag. 97. ad l
orare non desinit. Anon. In cat. Cord. : « Su
in cœlum ad orationem, res est hominem d
oportebat autem ipsum cum homo esset, no
gnari convenientem homini modum. » Victo
tioch. Ibid. : « Simul Patri, eorum quæ a se

Digitized by Google

sensus nostri Domino aperiuntur; non prius ejus doctrinæ pluviis fecundantur, quam a Christo de turba trahamur, ejusque manu tanganur, et ipsius salivæ dulcedine omni amaritudine mundemur atque sanemur. Unde et hic dicitur : *Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus; et loquebatur recte.* Non enim nisi recte loqui poterat, quem divina virtus et sapientia sic tangendo et medendo sanaverat (730). *Et præcepit illi, ne cui diceret : quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.* Quid est hoc ? Quare eis Dominus hoc præcipiebat, unde eos inobedientes fore sciebat ? Nobis, fratres, nobis fiunt ista; ad nos respiciunt, et nostram jactantiam inclinant : qui si aliquid dignum laude aliquando fecerimus; hoc non ad vulgi favorem extollere et prædicare, imo humiliter abscondere et celare debemus (731). Et hoc in contrarium vertitur; quia plus laudantur illi qui facta sua abscondere volunt, quam illi qui ea per vanam gloriam manifestare contendunt. Unde beatus Job dixit : **141** « Quia laus hypocritæ (732) ad instar puncti (*Job* xx, 5). » De sanctis vero dicitur : « Rex vero lætabitur in eo; laudabuntur omnes qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua (733) (*Psal.* lxii, 12). »

V. [Cap. VIII.] *Et veniunt Betsaidam, et adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum, et exspuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogabat eum, si aliquid videret.* Idipsum per hunc cæcum significatur, quod modo superius per surdum et mutum significari diximus (734). Cæcus est enim omnis homo, qui veram lucem, qui Christus est, non sequitur, et fidei veritatem non intelligit. Illi vero qui cæcum ad Dominum adducunt, et pro eo rogant, sicut et superius, episcopi et presbyteri, cæterique fideles intelliguntur. Quod autem hic dicitur, quia *apprehensa manu cæci, duxit eum extra vicum* ; hoc est quod ibi dicitur, quia apprehendens eum, *duxit eum a turba seorsum.* Per sputum vero et hic, et ibi unum idemque significatur. Illa igitur legat qui hæc non intelligit. Interrogat Dominus cæcum, si aliquid videat ; quia ad primum ejus tactum non statim omnes homines sufficienter illuminantur. Aliquid tamen vident, mox ut aliquid de Domino intelligere et credere incipiunt. Tanto igitur clarius videt unusquisque, quanto melius credit et veritatem intelligit (735). Sequitur : *Et aspiciens ait : Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, et cœpit videre. Et restitutus est, ita ut videret clare omnia.* Toties enim Dominus super cæci oculos manus imponit, quoties nostræ mentis oculos illuminat, ut ea intelligamus quæ prius non intelligebamus. Unde Psalmista : « Quoniam tu illuminans, inquit, lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas (*Psal.* xvii, 31) : » id est, quia illuminasti me in his quæ scio; illumina me et in his quæ nondum scio. Propter quod manifeste apparet, quia quamvis ei Dominus jam manus super oculos imposuisset, adhuc tamen, ut iterum poneret, indigebat, quia nondum omnia perfecte videbat. Rogemus ergo Dominum ut non semel, neque bis, sed multoties manum suam imponat super oculos mentis nostræ ; quatenus omni detersa caligine, omniumque errorum tenebris effugatis, unumquodque in propria figura, et clare omnia videre mereamur. *Et misit illum Dominus in domum suam, dicens : Vade in domum tuam, et si in vicum introieris nemini dixeris.* Domus enim nostra illa est, de qua non bene illuminati, imo vero miserabiliter excæcati in primo homine ejecti sumus. Ad hanc autem redire non possumus, nisi iterum a Domino illuminati, ejus manum atque virtutem nostris oculis appositam sentiamus (736). Quare autem ei præcipiat ut nemini dicat ; quare opera sua celare et abscondere jubeat, satis jam diximus. Hoc tamen nondum intelligunt qui omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus : de quibus Dominus ait, « quia receperunt mercedem suam (*Matth.* vi, 2). » Docet igitur nos Dominus

causas assignans, simul miserans hominis naturam, quam in tantam vilitatem depressit invidia diaboli, et protoplastorum impudentia. » Vid. S. Gregorium et Bedam. ll. all.

(730) Tolosan. In Caten. Cord. : « Quidni autem restituatur in perfectum statum, copiam nactus proprii Creatoris, defectum naturæ supplentis ? » Beda. « Ille etenim solus recte loquitur, . . . cujus auditum, ut cœlestibus possit auscultare et obsecundare mandatis, divina gratia reserat, cujus linguam Dominus tactu sapientiæ quæ ipse est, ad loquendum instituit. »

(731) Tolosan. In cat. Cord. : « Rursus docens nos et hic modestiam, jussit beneficio affectos abscondere miraculum. »

(732) V. x, 5 : *Laus impiorum brevis, et gaudium hypocritæ*, etc.

(733) Hactenus homilia.

(734) Magis etiam generatim hic Beda de omnibus a Christo sanatis : « Cuncti qui a Domino curantur languores, spiritalium sunt signa languorum, quibus anima per peccatum æternæ morti propinquat. Sicut enim in surdo et muto a Domino sanato, sanatio mentis insinuatur eorum, qui neque audire verbum Dei, neque loqui noverant . . . ita in hoc cæco paulatim curato a Domino, illuminatio designatur cordium stultorum, ac longe a via veritatis aberrantium. »

(735) Victor Antioch. ap. Corder. : « Significat imperfectam fuisse fidem tum eorum qui hunc cæcum adduxerunt, tum ipsius cæci. » Aliter Beda, præclare tamen. « Ideo secum hunc Dominus paulatim, et non statim repente curat, . . . ut magnitudinem humanæ cæcitatis ostenderet, quæ quasi pedetentim, et per quosdam profectuum gradus ad lucem divinæ visionis solet pervenire : seu, ut suæ nobis gratiæ crebra daret indicia, per quam singula nostræ perfectionis incrementa, ut proficere aliquid possint, nec deficiant, adjuvat. »

(736) Beda aliud mysticum hic intelligit : « Mystice admonet omnes qui agnitione veritatis illustrantur, ut ad cor suum redeant, et quantum sibi donatum sit, sollicita mente perpendant. »

Digitized by Google

celare opera nostra, ne hic recipiamus, et recipiendo perdamus mercedem nostram (737).

VI. [Cap. IX.] *Omnis igne salietur, et omnis victima salietur. Bonum est sal. Quod si sal infatuatum fuerit, in quo illud condietis ? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos* (738). Hæc enim ad ea **142** verba respondere videntur, quæ modo superius Joannes apostolus verbis Dominicis interposuit, dicens : *Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum. Jesus ait eis : Nolite prohibere eum. Nemo enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est.* Vult igitur Dominus, ut sapienter et discrete cuncta agamus; et non bona, sed mala prohibeamus. Qui enim in Christi nomine virtutes operatur, jam Christo propinquior est, ut qui ejus nomen veneratur, cujus tantam virtutem et efficaciam esse probavit; atque sic illis defensor jam esse incipit : de quo, quia ejus virtutem per miracula cognovit, male loqui pertimescit. Huic igitur non debemus auferre quod habet, sed debemus addere quod non habet. Dicamus ergo ei, ut in eum credat, eique sit fidelis. Unde et Dominus subinferens ait : *Omnis enim igne salietur, et omnis victima salietur.* Quod tale est ac si diceret : Omnis Ecclesiæ rector et doctor talis esse debet, qui et sale sit conditus, et sapiens et discretus; qui utiliter cuncta provideat, cuncta secundum rationem et ordinem faciat. Quod quidem lex ipsa significat, quæ omnem victimam salire jubet. Ait enim : « Quidquid obtuleris sacrificium sale condies, nec auferes sal fœderis Domini de sacrificio tuo. In omni oblatione o sal (*Levit.* III, 13). » Sal enim pro sapientia po quæ omnium nostrorum sermonum et actionu condimentum. Bonum est igitur hoc sal, nisi a et stultis hominibus infatuatum fuerit. Hoc hæretici, hypocritæ et schismatici infatuant niam non ea qua debent puritate eo utuntur. si sal insulsum fuerit, in quo illud condiet sapientia ipsa insipiens fuerit, sine qua sapie mo fit, quid aliud est quod ad suæ dignitatis eam iterum reducat ? Habete in vobis sal; quæ agitis sale condite; omnia sapienter et d agite. Hoc autem ut possitis, pacem habete int Qui enim pacem non habent, hoc tale sal hab possunt. Tale quidem non habent; etsi alio insulsum habeant et infatuatum. Sed quid est ait : *Omnis igne salietur ?* Nunquid enim ignis ut eo aliquid saliatur? Sicut enim sapientia s tur, quia mentes nostræ ex ea condiuntur, ignis vocatur, quia ab ea illuminantur. Si ignis est sapientia, et sapientia sal; ergo et est sal. Igne igitur salitur, quod sapientia

VII. [Cap. XVI.] *Cum transisset Sabbatum, Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emeru mata, ut venientes ungerent Jesum* (739). S enim neque vendere, neque emere aliquid l quoniam tale aliquid in sabbato fieri lex int bat (*Levit.* XXIII, 31). Veniunt autem hæ sanc lieres ungere Jesum. Sed quomodo veniunt aromatibus (740). Aliter enim ad Jesum veni licet. Sunt autem hæc aromata, fides, spes, tas, pax, patientia, humilitas, et mansuetud

(737) **Beda** : « Exemplum suis tribuit, ne de his quæ faciunt mirandis favorem vulgi requirant, sed divinis tantum aspectibus, ubi et merces operum restat, sint placere contenti. »

(738) Est hic unus ex difficilioribus evangelicis locis, si intelligere volumus, qua ratione hæc cohærerent cum superioribus ; et quis sit horum verborum sensus : quæ duæ quæstiones ita sunt inter se conjunctæ, ut divelli una ab altera non possit. Sunt ergo tres præcipuæ sententiæ : 1° Ut quoniam superius v. 44, 45 de gehenna ignis inexstinguibilis locutus fuerat : hic causam reddat, seu modum aperiat, cur sit inexstinguibilis ; ut quemadmodum sal a corruptione res servat, ita impius igne veluti saliatur, et a divina omnipotentia incorruptus servetur ; atque ignis cruciet quidem, sed eum non consumat. Itaque duæ veluti sententiæ contrariæ inter se continentur his verbis; omnis peccator igne salietur ; et contra omnis victima Deo grata, sale sapientiæ condita, ab æterna corruptione præserva bitur ; 2° ut referatur ad aliud quod paulo remotius præcesserat de scandalo; quoniam sapientia, circumspectione et discretione magna opus est, ut quis scandala caveat ; et nec scandal zet, nec scandalizetur : quemadmodum omnis victima olim cum sale offerebatur ; ita nunc omne opus agendum sit magna cum discretione et sapientia ; 3° ut de igne tribulationis sermo sit, comparate ad bonos, vel etiam ad bonos simul et malos; ita ut boni igne tribulationis a corruptionibus præserventur : quod sine dolore non fit, ut sine dolore manus et pedes (de quibus superius locutus fuerat) non abscinduntur : cuncti etiam igne saliendi; quamvis non eodem modo, nec eodem igne, sed vel igne tribulationis salubriter in præsenti vita; vel æternæ tribulationis et tus in altera. Vid. Jansenium Concord. cap. talem Alexandrum in Marc. c. IX. Lamy l. IV. Maldonatum, a Lapide, etc. A. noster alter plicationem sequitur, quæ optima videtur; a nimirum ad id quod sequitur, et narratur de ne : quam amplexus etiam videtur Jo. An nus, explicans de ratione servandæ pacis, et dæ dissensionis.

(739) *Subsecutæ autem mulieres, quæ cum nerant de Galilæa, viderunt monumentum . . vertentes paraverunt aromata, et unguenta; bato quidem siluerunt secundum mandatum autem Sabbati valde diluculo venerunt ad mon tum, portantes quæ paraverant aromata.* evangelicis locis alii quidem interpretes aromata putant antequam Sabbatum advenire bato vero quievisse et siluisse, id est Christu unxisse. Ita Jansenius Concord., cap. 16. Lamy, Maldonatus, etc. ita siluisse interpret ut aromata non emerint, nisi post solis oc Sabbato, quando Sabbati festum desinebat; Bedam secutus Menochius, bis aromata emis lieres volunt, antequam Sabbatum inciper posteaquam desiit.

(740) Mysticas aromatum significationes fu plicat S. Bernardus, de hoc evangelico loco rens serm. 2, temp. resurrect., pag. 906 : « C mens aromata sua; ante omnia compassioni ctum, dehinc rectitudinis zelum, et inter hæc d tionis spiritum non omittat . . . Linguæ quoqu mata tria ; modestia in increpando, copia in e tando, efficacia in persuadendo, » etc. Beda « Et nos ergo in cum qui est mortuus creden

Digitized by Google

cordia, et misericordia, et similia : hæc enim Domino suaviter redolent; sicut et e contrario vitia fœtent. Unde Psalmista : *Putruerunt, inquit, et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* xxxvii, 6). Beatæ igitur illæ mulieres, beatæ illæ animæ, quæ, sicut Maria Magdalene, semper cum unguentis, semper cum aromatibus ad Dominum veniunt. Hæc est enim, quæ alibi ait : *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Can.* 1). Hæc autem significabat Ecclesiam gentium (741), de qua septem dæmonia **143** Dominus ejecit; quæ quidem, quoniam dilexit multum, dimissa sunt ei peccata multa. Maria vero Jacobi, quæ Christi matertera (742) fuit, plebem Judaicam figurabat, de qua secundum humanitatem Salvator noster originem duxit. At vero Salome, quæ interpretatur *pacifica* (743), tota ex utroque populo sanctorum collecta multitudo intelligatur. In hac igitur, tota Ecclesia; in illis vero, Ecclesiæ partes figurantur. Possunt tamen hæ tres mulieres, tres mundi partes significare, Asiam videlicet, Africam et Europam, in quibus Ecclesia tota consistit. Et istæ quidem ungunt Jesum, istæ eum delectant, istæ ejus passionem prædicant, et odorem notitiæ illius cunctis gentibus manifestant. Ecce autem mulieres, quæ usque ad hunc diem erubescebant, et se mortis januam, et totius humani generis ruinam esse dolebant; hodie lætantur, hodie prædicant, hodie originale peccatum deletum affirmant; et ipsis quoque apostolis resurrectionis gloriam annuntiant. *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad* A *monumentum, orto jam sole.* Non est autem sibi contrarium hoc quod ait : *Et valde mane*, et, *orto jam sole.* Unde et alius evangelista dicit : « Cum adhuc tenebræ essent (744) (*Joan.* xx, 1). » Solis itaque ortum intelligere oportet, ex quo, ejus splendore cœlum illustratur, quamvis nondum terris appareat, raris adhuc tenebris existentibus. Quid est igitur *valde mane*, nisi jam rubescente aurora? Neque enim sine causa evangelista non *mane* simpliciter, sed *valde mane* dixit. *Et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem : erat quippe magnus valde.* Narrat enim Matthæus evangelista, quod Christo resurgente « angelus Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat su- B per eum... Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. » Euntes in civitatem « nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant (745). » At, illi dederunt eis « copiosam pecuniam dicentes (746) : Dicite, quod vobis dormientibus nocte venerunt discipuli ejus, et furati sunt eum (*Matth.* xxviii, 2). » Sequitur : *Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris coopertum stola candida, et obstupuerunt.* Sed angelus in dextris stola candida coopertus; quoniam lætitiam et prosperitatem prædicat, gloriam resurrectionis et carnis innovationem annuntiat (747). Considera in quo dilectionis igne interius ardebant, quæ feminei timoris et fragilitatis oblitæ, non solum in nocte veniunt, verum etiam C confidenter in monumentum ingrediuntur : unde et

odore virtutum referti cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum profecto illius cum aromatibus venimus : » quibus verbis Gregorium exscripsit homil, 21 in Ev., n. 2 : « Et nos ergo in eum qui est mortuus, credentes, si odore virtutum referti, cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum profecto illius cum aromatibus venimus. »

(741) Mysticas easdem duarum mulierum significationes tradidit Beda ad Matth. c. xxviii : « Duæ unius nominis ejusdemque amoris ac devotionis feminæ, quæ dominicum venerunt visere sepulcrum, duas fidelium plebes, Judaicam scilicet et gentilem designant, quæ uno atque simili studio passionem, resurrectionemque sui Redemptoris celebrare desiderant. »

(742) *Materteram* vocat Hieron. in cap. xii Matth., v. 46, et Beda, qui etiam ad Luc. xxiv, « Maria Jacobi, mater est Jacobi minoris et Joseph, ut Marcus evangelista dicit, soror Matris Domini, unde et ipse Jacobus frater Domini meruit vocari. » Hæc opinio de Maria Jacobi, B. scilicet Virginis esse sororem, nititur loco illo Joan. xix, 25 : *Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ.* Mariam Jacobi, ita dictam a filio, et Mariam Cleophæ a marito sic appellatam, unam eamdemque esse feminam passim recentiores interpretes consentiunt : etsi aliter voluit Baronius in App., n. 67. Cornelius tamen, aliique quidam non sororem sed consobrinam dicunt. Nam, ut Hieronymus l. all. Fratres, consobrinos dici (idem valere debet de sororibus) omnis Scriptura demonstrat. Vid. Baronium l, all. Jansenium Conc. cap. 19. Maldonatum, aliosque interpretes ad c. xii Matth., v. 46.

(743) Bene, ut etiam adnotavit Huro : nam ex eadem radice Salomon *pacificus*, quod est Hieron. tradit epist. 53 ad Paulin. August. enarrat in Psal lxxi, n. 1, etc. Cæterum Salome eadem est ac mater filiorum Zebedæi, ut ex collatis evangelicis locis statuunt interpretes.

(744) Hæc de tempore, quo ad J. C. sepulcrum mulieres venerunt, aut iter susceperunt, multum diuque ab interpretibus quæstio versata est, adeo ut, quemadmodum Jansenius Concord., cap. 165 tradit, quidam quatuor ad monumentum accessus diversis temporibus factos commenti sint; et alias ab aliis mulieres describi ab evangelistis voluerint. De hac quæstione et Jansenius ipse, et interpretes omnes, et fuse ac diserte card. Baron. ad a. 34, n. 169; Menochius, Vit. J. C. lib. viii, c. 1, n. 3. Breviter ab ea se expedit Beda, et cum Beda A. D noster. Beda : « Quod autem *valde mane mulieres veniunt ad monumentum, orto jam sole*, id est cum jam cœlum ab orientis parte albesceret; quod non fit utique sine solis orientis vicinitate, » etc.

(745) *Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem et nuntiaverunt*, etc. Forte verba hæc priora amanuensis imprudentia omisit.

(746) Ib. : « Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes, » etc.

(747) Beda : « Notandum vero nobis est, quidnam sit quod in dextris sedere angelus cernitur. Quid namque per sinistram, nisi vita præsens; quid vero per dexteram, nisi perpetua vita signatur?... Quia ergo Redemptor noster jam præsentis vitæ corruptionem transierat, recte angelus, qui nuntiare perennem ejus vitam venerat, in dextera sedebat. » Atque hoc ex Gregorio, hom. 21 in Ev., n. 2, qui idem dixerat.

Digitized by Google

consolationis verba audire meruerunt, dicente angelo : *Nolite expavescere, Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum : surrexit, non est hic; ecce locus ubi posuerunt eum.* Locum, inquit, videre potestis, ipsum autem modo videre non potestis. Surrexit enim, et non est hic; sed exspectate paulisper, et videbitis eum. Non enim ibi erat præsentia corporis, qui ubique est præsentia divinitatis. Sed ubi tunc eum fuisse putamus? Ego quidem dicere timeo quod evangelistæ non dicunt. Et fortasse ad matrem iverat, quæ ejus amoris desiderio plus (748) omnibus afficiebatur. Quod autem ipsa inter 144 omnes mulieres beatissima Virgo, simul cum aliis ad monumentum non venit, hæc, ut opinor, causa fuit, quia ex quo unigenitum filium suum teneri, flagellari et crucifigi vidit, delicatis manibus delicata pectora tundens, et se dolore nimio, vigiliis jejuniisque affligens, jam viribus pariter et spiritu attenuata, alicubi sola in secreto sedebat, et de his quæ sibi acciderant calamitatibus (749) lamentabatur et flebat. Sed nos hæc verba pietate plena, et cogitatione digna interim relinquamus, et quod angeli docent, audiamus : *Ite*, inquit, *dicite discipulis ejus, et Petro quia præcedet vos in Galileam : ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* Nisi enim beatum Petrum apostolum ex nomine vocasset, fortasse cum cæteris venire timuisset, eo quod et Dominum et magistrum negasset. Quod enim in Galilæa, quæ apostolorum patria fuit, a discipulis suis Dominus videatur, quid aliud significat, nisi quia eum, quem nunc videmus per speculum et in ænigmate, cum nos ad antiquam patriam reduxerit, tunc facie ad faciem videbimus? Unde et Galilæa *transmigratio perpetrata* (750) interpretatur. Nulla enim post illam transmigrationem

(748) Est hæc piorum et doctorum nonnullorum interpretum sententia; imo et theologorum. Estius huic sententiæ contradicere videtur. Jansenius tamen Conc. c. 146 : « Porro, inquit, quanquam Dominus primo dicatur apparuisse Magdalenæ, pietas tamen non parum suadet, ut credamus Dominum prius apparuisse dilectissimæ suæ Matri, licet eam præterminserint evangelistæ; quia ad confirmandam filii resurrectionem inefficax esset Matris testimonium : » additque, quod a Marco dicitur *apparuit primo Mariæ Magdalenæ*, intelligendum, quod inter omnes discipulos illa fuerit prima; nam de apparitionibus discipulis factis hic apud Marcum et alios evangelistas sermo est. »

(749) Quæ hic A. exponit, convenire in egregiam animi fortitudinem et constantiam, qua B. Virgo prædita fuit, non videntur. Dolorem animo summum percepisse tradunt etiam vett. probatique PP. ex quibus S. Joan. Damascenus lib. IV De fid. orth., cap. 14 (tom. I, p. 277 ex rec. le Quien) : « Beata hæc, inquit, atque beneficiis hujusmodi, quæ naturæ modum excedant, cumulata, quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit, lacerari sibi viscera sentiens, intimisque cogitationibus, veluti gladio discerpta, cum illum, quem gignendo Deum esse cognoverat, tanquam scelératum aliquem morte affici cerneret. » Atque affert in hanc rem; quod maxime valet, illud apud Lucam : *Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Idem tamen PP. miram ejus fortitudinem in his perferendis doloribus docent. In his S. Ambrosius De instit. Virg., cap. 7, n. 49 : « Stabat ante crucem mater, et fugientibus

A alia ulterius transmigratio fit. Sciendum
quod illa hora, qua Salvator noster inclin
spiritum emisit, corpore in cruce derelic
simul cum divinitate ad inferna spolianda
Et tunc quidem illud Psalmistæ adimpl
« Tollite (751) portas principes vestras, et
portæ æternales, et introibit rex gloriæ.
interrogantibus : « Quis est iste rex glor
sponsum est eis : « Dominus fortis et pote
nus potens in prælio. » Ingressus igitu
loca tenebrarum, omnia circumquaque
dore illuminavit. Fit clamor permistus,
lætitia exsultantibus, malis vero præ tim
cupientibus. Tunc primi parentes occurr
dentes Creatorem suum, lætis vocibus cla

B *Tandem, Christe, venis, magnis nos solvere p*

Tunc patriarchæ et prophetæ obviam r
omnis sanctorum exercitus ejus pedibus
nit. O, inquit, diu desiderate! o tanto te
spectate! quæ te tantæ tenuere moræ! T
rista David : Hoc est, inquit, quod dicere
« Auditui meo dabis gaudium et lætitiam,
bunt ossa humiliata (*Psal.* L, 10). » Ecc
dent, ecce nunc audiunt, quos eos videre,
desiderasse, Dominus ipse dicebat. A
« Multi prophetæ et reges voluerunt vide
videtis; et non viderunt, et audire quæ
non audierunt (*Luc.* X, 24). » Tunc
C Baptista : Ecce, inquit, de quo dicebam
detis illum, cujus adventum nuntiabam
quis per singula dicere valeat, quanta
fuerit, cum Christus sol justitiæ eis appar

viris stabat intrepida... Spectabat piis
vulnera, per quem sciebat omnibus futur
ptionem. Stabat non degeneri mater specta
non metuebat peremptorem. Pendebat i
lius; mater se persecutoribus offerebat,
hilominus illa auctoris nostri plures habe
gatores mediæ ætatis scriptores : unde
de B. Virginis spasmo sive deliquio quam
quos recenset Consalvus Durantus ad lib.
Revelat. S. Brig. (Etsi fatetur, fere omne
centiores negasse Mariam in passione sui f
defecisse), ubi de templo juxta Calvariæ
Virginis spasmo ædificato.

D (750) S. August. l. III De cons. Evan
« Galilæa namque interpretatur vel *tran*
vel *revelatio.* » Beda ad c. XVI Marc. : « Gal
que *transmigratio facta* interpretatur. » Ex
hom. 21 in Ev., n. 5. « Galilæa namque *tr*
tio facta interpretatur. »

(751) Psal. XXIII, 7, *Attollite*, etc.

(752) Vix est, ut credam, auctori nost
denti, et nil tale cogitanti Leoninum hun
excidisse, sed ex poeta aliquo mutuatum e
tror, aut ipsum hominem sane deliciarum
scientem condere eo loco voluisse. Ute
hoc refellere fortasse potest opinionem e
versus hos adinvenisse volunt Leonem seu
Parisiensem poetam et monachum Bene
Nam hic in exitu sæculi XII, anno circ. 119
cum Bruno longius a 1125 decessisse statu
de eo versuum genere legendus cl. Mura
med. æv. dissert. 40.

Digitized by Google

lligato diabolo, magno sanctorum exercitu comi- A oculis crederent, et cum videntes, non viderent.
nte, cum gloria et triumpho lætus Dominus ad
uperos rediit (753), dicens : « Quia non derelinques
nimam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum
idere corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ;
dimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes, »
ii Pater, « in dextera tua (*Psal.* xv, 10), » ubi sedeo
i sæcula sæculorum.

145 VIII. *Et illæ* (754) *exeuntes fugerunt de monumento; invaserat enim eas pavor et tremor, et nemini quidquam dixerunt : timebant enim.* Timebant, quit, nuntiare Dominum resurrexisse; ideoque de us resurrectione nemini quidquam dixerunt. Neque nim adhuc perfecte ea credebant quæ angelus dixe- t, si quidem non angelum, sed juvenem eum esse taba:nt. Venientes igitur ad apostolos, cætera pud se in silentio retinentes, hoc solum nuntiave- unt Christum Dominum de monumento esse sublatum (755). Sed iterum ad sepulcrum revertentes, icut Matthæus ait, viderunt Dominum, « et tenuerunt edes ejus (*Matth.* xxviii, 9). » Surgens autem Jesus ane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdaenæ, de qua ejecerat septem dæmonia. Illa vadens, nntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus et flenbus. Et illi, audientes quia viveret et visus esset ea, non crediderunt. Sunt autem hæc in Joanne lenissime scripta, et a nobis in Matthæo sufficienr determinata. Post hæc autem duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie euntibus in illam : et illi euntes nuntiaverunt cæteris, nec illis rediderunt. Hæc autem quia Lucas plenius narrat, C si exponenda servamus.

IX. (756) *Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem illorum, duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderant.* Quamvis et Simon Petrus, Maria Magdalena, et duo illi discipuli quibus in ecie peregrini Dominus apparuerat, certissime missimeque nuntiarent, Dominum resurrexisse que illum vidisse; cæteri tamen illis non credeunt, et, quod mirum, cum nec sibi ipsis nec suis

Narrat enim Matthæus evangelista quod Christi discipuli « abierunt in Galilæam in montem, ubi constituerat illis Jesus, et videntes eum adoraverunt; quidam autem dubitaverunt (*Matth.* xxviii, 16). » Non enim verum corpus, sed spiritum se videre putabant. Unde ipse ait : « Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (*Luc.* xxiv, 39). » Et fortasse hæc tanta illorum dubitatio ex intenso amore procedebat; non enim facile credimus quod multum desideramus : sic etiam quod timemus, leviter posse accidere credimus. *Et dixit eis : Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Prius enim dixerat : « In viam gentium ne abieritis, et in civi- B tates Samaritanorum ne intraveritis, non enim sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* x, 5). » Nunc autem eos præcipit ire in universum mundum. In quo Judæorum abjectio et gentium electio apertissime monstrantur. Unde et illi a Patre dicitur : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II, 8). » Quod autem ait : *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, alius evangelista exponit dicens : « Ite, docete omnes gentes (*Matth.* xxviii, 19). » Idem enim per *omnem creaturam* et per *omnes gentes* significatur. Sic enim Apostolus ait de charitate, quia « omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet (*I Cor.* xiii, 7), » quod quidem verum non est nisi aliter determinetur. C Si enim charitas omnia credit, credit utique Pharisæis et Sadducæis, aliis affirmantibus, aliis negantibus resurrectionem; quod fieri non potest. Non igitur charitas omnia credit. Sic igitur determinetur : omnia credit quæ credenda sunt. Similiter ergo et id quod dicitur : *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, determinandum est, ut sic dicatur : omni creaturæ prædicate Evangelium, cui Evangelium prædicandum est (757). Non enim Evangelium prædicandum est lapidibus et aliis quibuscunque **146** rebus sensu et ratione carenti-

(753) Eloquentiam suam hic auctor exercere tomi videtur, ut argumenti lætitiæ serviat. Similia peries in aliis, maxime sequioris ætatis ecclesiaicis scriptoribus. Certe non assimilis locus sermos 137 De tempor. inter Augustin., nunc in Apend. 160, ubi inter cætera : « Et ecce subito innumerabiles sanctorum populi, qui tenebantur in morte ptivi, Salvatoris sui genibus advoluti, lacrymabili am voce cum obsecratione deposcunt dicentes : divenisti quem nobis futurum lex nuntiaverat et ophetæ. Advenisti, donans in carne vivis indulentiam peccatoribus mundi... Venisti post longas crymas, etc. Ascende, Domine Jesu, spoliato inferno, » etc.

(754) Marc. xvi, 8, *At illæ.*

(755) Quæstionem hic movent Beda et interpretes, mparantes hæc Marci verba *nemini quidquam dixerunt* cum Lucæ verbis xxiv, 9, *et regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus;* quibus similia alia Matth. xxviii, 8, eda ita solvit, ut dicat nemini dixisse, id est angelus nihil respondisse, vel nihil narrasse custodibus, « quos jacentes viderunt. » Jansenius Concord., c. 145 : dixisse nemini « occurrentium in via, quia timebant Judæos; » quæ est responsio Euthymii, D quam Tirinus quoque secutus est et Calmet. Lyranus Bedam sequitur. Probat etiam responsio A. nostri, quod quæ viderint dixerint, id est corpus in monumento non repertum, angeli verba tacuerint; ideo utrumque, quod repugnare videtur, esse verum.

(756) Marc. xvi, 14 : *Novissime recumbentibus illis undecim, apparuit.*

(757) Beda ad h. l. : « Nunquid sanctum Evangelium vel insensatis rebus vel brutis animantibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicatur : « *Prædicate omni creaturæ?* Sed omnis creaturæ nomine potest omnis natio gentium designari. Ante etenim dictum fuerat : *In viam gentium ne abieritis;* nunc autem dicitur : *Prædicate omni creaturæ* ut scilicet prius a Judæa apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adjutorium fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. » S. Gregorius hom. 29 in Ev. n. 2 : « Nunquid, fratres mei, sanctum Evangelium vel insensatis rebus, vel brutis

Digitized by Google

bus. Sunt autem qui hæc subtilius intelligentes, ea quæ plana sunt difficilia reddunt. Et multa quidem in prophetis, apostolis et in verbis Dominicis inveniuntur, quibus hæc una determinatio sufficere potest. Quale est illud : « Cum exaltatus fuero a terris, omnia trahami ad me ipsum (*Joan.* XII, 32); » cui si addatur *quæ trahenda sunt :* nihil erit inconveniens. Aliter autem quanta inconvenientia sequatur, quis non intelligat? Valde enim pauca sunt ea quæ illuc trahuntur, ad comparationem illorum quæ ad se Dominus non trahit. Si quidem solos homines, et ipsos non omnes, trahet ad se. His igitur et similibus facile intelligitur quid in eo significatur quod dicitur : *Prædicate Evangelium omni creaturæ;* cui videlicet Evangelio *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Dicit Evangelium : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut te ipsum; hoc enim si credideris et feceris salvus eris. Dicit autem et alia multa, quæ salutem pariant et vitam æternam. *Qui vero non crediderit condemnabitur.* Quamvis enim homo baptizatus sit, et omnia peccata in baptismo sint ei remissa, condemnabitur tamen quoque ille, si non Evangelio credidit ejusque consiliis assensum præbuerit. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Omnia enim hæc in primitiva Ecclesia, non solum apostolos, sed et alios sanctos fecisse legimus. Neque enim aliter ab idolorum cultura homines infideles converterent, nisi his tantis signis et miraculis evangelica prædicatio firmaretur. Prædicabant enim Christi discipuli, ut Apostolus ait, Christum Jesum crucifixum, « Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (*I Cor.* I, 23). » Sed, cum subito dæmonia ejicerent, linguis loquerentur novis, serpentes solo verbo aut occiderent aut fugarent, venenum sine læsione biberent; et non

A solum tactu, verum etiam sui corporis u
sanarent; mox in admirationem genti
clamabant; unus est quem apostoli præ
Dominus Jesus Christus qui talia operatu
tem signa et miracala jam nunc necessar
quibus ea quæ facta sunt solummodo
dire sufficit (758). Credimus enim Evan
mus et Scripturis ista narrantibus. Ne
Ecclesia dicit : Non tibi credo, nisi mort
nisi cæcos illumines, et nisi hæc simil
gna tamen quotidie in Ecclesia fiunt;
attendere velit, multo majora esse cog
illa quæ tunc ab illis corporaliter fieb
enim sacerdotes populum baptizando
tentiam vocando, dæmonia ejiciunt.
B guis loquuntur novis, dum Scriptur
tes, litteræ vetustatem in spiritualis
novitatem convertunt. Serpentes vero
concupiscentias malas, quia vitia et p
admonitione a peccatorum cordibus av
autem mortiferum, sed non eis nocet
norum et hæreticorum libros legente
venenosa convicia sibi illata sæpius aud
aure transeunt et pro nihilo ducunt.
vero manus imponunt, et bene habent,
infirmas suis orationibus sanant et D
ciliant. Eadem igitur signa etiam nu
mini faciunt, quæ tunc Dominus eos
promisit. *Et Dominus quidem Jesus,*
cutus est eis, assumptus est in cœlum,
C *tris Dei.* Qualiter autem assumptus est,
apostolorum ostendit, dicens : « Et c
set, videntibus illis, elevatus est, et n
eum ab oculis eorum. Illi autem pro
verunt ubique, Domino cooperante,
confirmante sequentibus signis (*Act.* I,
quidem adimpleta est prophetia quæ
nem terram exivit sonus eorum, et i
terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 5). »

animalibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicatur : *Prædicate omni creaturæ?* Sed omnis creaturæ nomine signatur homo... Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura D homo juxta aliquid omnis creatura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cum soli homini prædicatur, quia ille videlicet docetur propter quem in terra cuncta creata sunt, et a quo omnia per quamdam similitudinem aliena non sunt. Potest etiam omnis creaturæ nomine omnis natio gentium designari. Ante etenim dictum fuerat : « In

viam gentium ne abieritis. » Nunc a
« Prædicate omni creaturæ, » ut scilic
dæa apostolorum repulsa prædicatio
adjutorium fieret, cum hanc illa ad dar
testimonium, superba repulisset. » P
Gregorio Bedam sua mutuatum; quod
centioribus facit Lyranus. Estius sub
manæ, quæ vox exprimitur I, Petri u
quit, distributio est accommoda, ut se
dicandum, vel prædicatum esse Evan
creaturæ, cui prædicari potest : » qua
catio Auctoris nostri.

(758) V. Greg. hom. all.

EXPLICIT SECUNDUM MARCUM.

Digitized by Google

S. BRUNONIS ASTENSIS

EPISCOPI SIGNIENSIS

COMMENTARIA IN LUCAM.

147 His ita expeditis, ad Lucam veniamus; et cut jam diximus, ea tantummodo exponamus quæ eque in Marco, neque in Matthæo exposuimus (759). *oniam quidem multi conati sunt ordinare narra- onem, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut adiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, et mi- stri fuerunt sermonis, visum est et mihi assecuto principio omnia* (760) *diligenter ex ordine tibi ribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum ver- rum, de quibus eruditus es, veritatem* (761). Quæ iim ratio est, ut B. Lucas ea scribere velit, quæ jam a multis aliis scripta commemorat nisi quia minus aliquid eos dixisse, et non bene veritatem tenuisse eos cognoverat? Multi enim præter quatuor evangelistas scripserunt: quæ omnia inter apocrypha numerantur. Nulla enim, nisi quatuor Evangelia, suscipit Ecclesia (762).

148 I. [Cap. I.] *Fuit in diebus Herodis Regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth.* Legitur enim David in viginti quatuor partes sacerdotum familias divisisse, eisque præcepisse, ut sin-

(759) Hoc, ut A. noster Augustinus se facere prossus est, ubi ad Lucam venit l. IV De conf. Evang. 8, n. 9: « Nunc ergo deinceps, inquit, Lucæ Evanlium ex ordine pertractemus, exceptis iis quæ ibet cum Matthæo Marcoque communia, quoniam a jam omnia pertracta sunt, » feceratque idem, st Matthæum, Marcum explicans lib. IV, n. 1. Ut tem, idem Aug. subdit, « hoc principium ad Evanlii narrationem nondum pertinet. » Nam est præum quoddam; quod cum convenire censeretur is quoque Evangeliis, Ammonius universæ harmoe suæ præposuit. Idem recentiores faciunt Corlius Jansenius, Joan. de la Haye, Bernardus Lamy, . Solum ex Evangelistis hæc fecisse Lucam, mes interpretes observant: causas vero cur us fecerit, idem exquirit. Atque hæc potissima etur, quoniam Lucas, ut Ambrosius ait n. 4, elut quemdam historicum ordinem tenuit, » et ronym. init. Comm. in Matth. quædam altius etere voluit. Itaque quod historici facere solent, it. Qua etiam ratione, scriptores antiquissimos tatus, aliud opus suum initio nominavit, librum icet Actuum apostolorum. Præterea, ut fidem conciliaret, qua ratione scire, sive assequi ea e scribit, potuerit, narrat. Itaque ad hæc verba brosius n. 2: « Prolixiorem hunc Evangelii librum m cæteros esse, nemo dubitaverit. Et ideo, non quæ falsa sunt, sed quæ vera, sibi vindicat. » eo vero quod ait, *sicut tradiderunt nobis, qui ab io ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis*; igit contra Theophylactum Estius Lucam non se unum e LXX Christi discipulis, sed post ejus ensionem, ab apostolis et discipulis Christi fidem episse, et ea quæ scribit ab eis accepisse; ut ssime dixerit Hieronymus; Lucam Evangelium, t audierat, scripsisse; Acta vero apostolorum, t viderat, composuisse. Et tamen præcipuam ndam laudem, in Evangelio scribendo assecutus Nam, quemadmodum Ambrosius, n. 2, etiam a apostolo Paulo testimonium meruit diligentiæ, nim laudat Lucam: « Cujus laus, inquit, est in ngelio per omnes Ecclesias; » et Hieronymus atal. c. 7: « Quidam, ait, suspicantur, quoties- que in epistolis suis Paulus dicit: *Juxta Evan- um meum*, de Lucæ significare volumine, et Lu- , non solum ab apostolo Paulo didicisse Evange- , qui cum Domino in carne non fuerat, sed et a ris apostolis, » atque affert allata verba, *sicut tradiderunt nobis*, etc. Addendus et Origenes, qui homil. 1 in Luc. ex Vers. Hieron.: « Effectum suum Lucas indicat ex sermone quo ait: *in nobis manifestissime sunt ostensæ*, id est πεπληροφορημένων (quod uno verbo Latinus sermo non explicat): certa enim fide et ratione cognoverat, neque in aliquo fluctuabat. » De potestate Græci verbi illius V. hic Estium.

(760) *Assecuto omnia*, Vulgat. Sed cum nostro A. *assecuto a principio omnia*, vetus Itala ex mss. Colb. apud Sabatier, S. Ambrosius lib. I, in Luc. num. 11, etc.

(761) Origenes l. all.: « Sicut olim in populo Judæorum multi prophetiam pollicebantur, et quidam erant pseudoprophetæ... ita et nunc in Novo Testamento, multi conati sunt scribere Evangelia, sed non omnes recepti. Et ut sciatis, non solum quatuor Evangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus hæc quæ habemus electa sunt, et tradita Ecclesiis, ex ipso proœmio Lucæ, quod ita contexitur: *Quoniam quidem multi conati sunt*, etc. Hoc quod ait *conati sunt*, latentem habet accusationem eorum, qui absque gratia Spiritus S. ad scribenda Evangelia prosilierunt: Matthæus quippe, et Marcus, et Lucas, et Joan. non sunt conati scribere, sed Spiritu S. pleni scripserunt Evangelia, » etc. Deinde Basilidis Evangelium nominat, atque alia. Augustin. quoque l. IV, De Cons. Evang. n. 9: « Et quod dicit multos conatos, etc., videtur significare nonnullos, qui non potuerunt hoc susceptum munus implere.... eos non debemus accipere, quorum in Ecclesia nulla exstat auctoritas, quia id quod conati sunt, implere minime potuerunt. » Et Ambrosius in eamdem ferme sententiam n. 5: « Conati itaque illi sunt qui implere nequiverunt. Ergo multos cœpisse nec implevisse etiam S. Lucas testimonio locupletiore testatus, dicens plurimos esse conatos... Sine conatu sunt enim donationes et gratia Dei... Non conatus est Matthæus, non conatus est Marcus, » etc. Quæ ex Origene sumpsisse videtur. Bene ergo cum vett. et recentioribus ferme omnibus de apocryphis hæc A. accepit.

(762) Origenes l. all.: « Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia, id est quatuor tantum Evangelia recipienda. » Idem Beda et cæteri profitentur interpretes veteres et nostri; et ex sensu Ecclesiæ nunc constat.

Digitized by Google

gulæ secundum vices suas in ministeriis sibi dispositis Domino deservirent (763). Ex his autem viginti quatuor viris, sibi pro tempore succedentes semper eligebantur qui principes sacerdotum dicebantur, quibus unus præerat qui summus pontifex vocabatur. Invenitur autem ibi positus Abia in octava sorte, de cujus progenie ortus est Zacharias, qui nunc fungitur vice illius. Uxor quoque ejus *de filiabus Aaron* fuisse dicitur; ut eos bene et legaliter conjunctos esse sciamus. Præcipit enim lex ut unusquisque de tribu sua ducat uxorem (*Num.* xxxvi, 6, 7); et unaquæque suæ tribus viro conjungatur. *Erant autem ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela.* In eo enim quod ante Deum justos eos fuisse dicit, ab omni vitio hypocrisis eos defendit (764) : illi enim non sunt justi ante Deum, qui omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. *Incedebant autem in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela;* quia sponte et sine murmuratione omnia legis mandata custodiebant. Id vero quod sponte et ex corde non fit, non vacat a querela. Dominus enim non quid agamus, sed quo animo aliquid agamus, attendit. Unde Apostolus non datorem, sed « hilarem datorem (*II Cor.* ix, 7) » Dominum diligere dicit (765). *Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis; et ambo processissent in diebus suis.* Sterilis erat Elisabeth, ut non natura, sed virtute et miraculo pareret; quæ si in juventute peperisset, non sterilis, sed fecunda putaretur. Parit igitur in senectute; et, mirabile dictu, in illa ætate hæc una sterilis fit fecunda in qua omnes fecundæ steriles fiunt. Nascitur Joannes de senibus; de juvencula Christus; quoniam ille est finis vete- A rum; iste novorum principium. « Lex enim phetæ usque ad Joannem (766). » Christ inquit: « Ecce enim nova facio omnia (*Apoc.* *Factum est autem cum sacerdotio fungeret rias in ordine vicis suæ ante Deum, secun suetudinem sacerdotii, sorte exiit, ut incensum* Hæc enim erat sacerdotii consuetudo ut sib ex ordine succedentes, unusquisque p (multi enim erant) suo tempore incensum et sacrificia immolaret. Non est autem quod dicitur *ante Deum.* Ille enim sacerd gitur ante Deum, ad cujus munera respi Unde scriptum est : « Respexit Dominus a ad munera ejus, ad Cain vero et ad munera respexit (*Gen.* iv, 4, 5). » *Ingressus autem plum Domini, et omnis multitudo populi e foris hora incensi.* Hæc autem solemnit die mensis septimi agebatur, quando solu semel in anno non sine sanguine ingred Sancta sanctorum, nullumque alium in te licebat (767). Quod quid significet, Apo ponit in Epistola ad Hebræos (*Hebr* ix quoque in Levitico de hac solemnitate s diximus (768).

II. *Apparuit autem illi angelus Domini, st tris altaris incensi.* **149** Stabat angelus, e stabat, quoniam fortia et propitia nuntia *Et Zacharias turbatus est videns, et ti super eum. Ait ad illum angelus : Ne time ria, quoniam exaudita est deprecatio tua.* angelorum consuetudo est; in qua etian discernuntur, qui se transfigurant in ange quod in suæ locutionis principio eos quibu tur, consolantur, et ne timeant adhortan

(763) I Paralip., xxiv, 3 : « Et divisit eos David.... Divisit autem eis, hoc est filiis Eleazar principes per familias sedecim, et filiis Ithamar per familias et domos suas octo : porro divisit utrasque inter se familias sortibus.... Exivit autem sors prima Joiarib... octava Abia. »

(764) S. Ambrosius ad h. l. : « Et bene justos *ante Deum;* non enim omnis qui justus est ante homines, justus est ante Deum. Aliter vident homines, aliter videt Deus; homines in facie, Deus in corde; et ideo fieri potest ut aliquis affectata bonitate populari, justus videatur mihi, justus autem ante Deum non sit... Perfecta igitur laus est, ante Deum justum esse; » quæ verba prorsus describit Beda.

(765) Est hic locus fuse a PP. versatus, præsertim ab Hieron. dial. 1 contr. Pelagianos, n. 12; dial. 2, n. 15, cui cum contradicere visus sit S. Ambrosius lib. 1 in Luc., n. 17, 18, et hujus auctoritate Pelagius abuteretur, respondet ei S. Augustinus lib. De grat. Chr. cap. 48, n. 53. Vide quæ cumd. Aug. lib. II De peccator. merit., cap. 13, n. 19, 20, et De perfect. instit. cap. 16, n. 38.

(766) Matth. xi, 3 : *Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt.*

(767) Ex hoc loco apparet auctorem nostrum eorum sequi opinionem qui Zachariam summum fuisse pontificem censuerunt. Fuere vero nonnulli antiqui et doctissimi PP. S. Petrus Chrysologus serm. 86, Aug. 46 in Joan. S. Joan. Chrysost. hom. 10 in Matth. n. 3 ibi : « Cogita igitur quantum id esset hominem videre post annos 30 ex deserto venientem principis sacerdotum filium. » S. Ambros. lib. 1 in Luc. n. 22 : « Videtur hic S. Zach mus designari sacerdos, quia, sicut lect priore tabernaculo, in quod semper intrab dotes ministeria consummantes, non un anni tempore intrabant in templum; in se tem semel in anno singularis summus sace sine sanguine, quem offeret pro se, et po ctis. » Ex Beda vero, ut opinor, A. noster; e sunt ad h. l. : « Incensum in Sancta san pontifice deferri, exspectante extra templ populo, decima die septimi mensis est ju hanc diem expiationis, sive propositionis v apud nos, ob varium lunæ discursum, a qu computant Hebræi, modo in Septembrem modo incidit in Octobrem.... Hujus autem stolus ad Hebræos scribens ita meminit : *quidem tabernaculum semper introibant s sacrificiorum officia consummantes; in autem semel in anno solus pontifex non si ne,* » etc.

(768) Ad cap. 16. Edit. Rom. 1789, col. 1.

(769) Beda : « Bene angelus et in templo altare, et a dextris apparet; quia videlicet sacerdotis adventum, et mysterii sacrific salis, et cœlestis doni gaudium prædicat. » Chrysolog. serm. 87 : « Ut esse in sanctis an sinistrum intelligas, dicente Scriptura : a dextris sunt novit Dominus. »

(770) Beda pariter : « Trementem Zacha fortat angelus, quia sicut humanæ fragil spiri ualis creaturæ visione turbari, ita et

Digitized by Google

uod autem ait : *Quoniam exaudita est deprecatio* A *enim Magnus coram Domino, et vinum et siceram*
a, nemo putet Zachariam Dominum pro filio exo-
s e, præsertim cum de sua, suæque uxoris ætate
flideret, et, angelo id ipsum admonente, non cre-
eret. Quid igitur orabat, nisi id quod lex orare
ecipiebat? Ait enim; « Erit hoc vobis legitimum
mpiternum, ut oretis pro filiis Israel, et pro cunctis
ccatis eorum semel in anno (*Levit.* xvi, 34). » Hoc
t igitur quod orabat, hanc deprecationem angelus
auditam esse dicebat (771). *Et Elisabeth, uxor*
i, pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.
m enim sine causa angelus hoc ei nomen impo-
it. Joannes enim *Dei gratia* (772) interpretatur.
deamus igitur quomodo hoc nomen ei conveniat.
icat ipse Dominus: « Prius, inquit, quam te for-
arem in utero, novi te; et antequam exires de
ntre, sanctificavi te, et prophetam in gentibus
li te (*Jerem.* i, 5). » Magna enim Dei gratia
itatur, qui prius sanctificatur quam oriatur. Illud
iam quod Dominus ait : « Inter natos mulierum
n surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* xi, 11), »
cætera hujusmodi, quæ ipse in ejus laudibus præ-
cat, quantam etiam gratiam Joannes habuerit,
nifestant. *Et erit gaudium tibi et exsultatio, et*
lti in nativitate ejus gaudebunt. Quis enim in il-
ius de illius nativitate non gaudeat, qui mundi gau-
um nuntiare venerat? Quis non lætetur, audiens
achariam tanto tempore mutum, et tandem in
jus nativitate prophetantem, et tantam totius
pli lætitiam nuntiantem (773)? « Benedictus,
nquit, Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit
demptionem plebis suæ (*Luc.* i, 6, 8). » Lege
nc psalmum usque in finem, et totum gaudio et
sultatione plenum esse videbis. Sequitur : *Erit*

Magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet. Ea enim quæ superius dicta sunt satis ostendunt quam magnus coram Domino Joannes fuerit. Vinum et siceram non bibit, quia sicut Nazaræus, et Domino ab infantia consecratus, ab omni re se abstinuit, quæ vel corpus, vel animam inebriare et mentem a suo statu evertere potest (774). *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Nisi enim Spiritu sancto adhuc in matris utero plenus esset, nequaquam ad Virginis salutationem in gaudio exsultasset. Hoc enim Elisabeth testatur, dicens : « Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo (*Luc.* i, 43). » *Et multos filiorum Israel,* B *convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.* Ipse, inquit, *præcedet ante illum.* Ante quem illum? Ante *Dominum Deum ipsorum.* Est igitur Christus Deus, et Dominus Judæorum (775). Sed quomodo præcedet? *In spiritu et virtute Eliæ.* Unde et Dominus ait : « Si vultis scire, Joannes ipse est Elias (776). » Non tamen in persona ; sed in spiritu et virtute. **150** Unde etiam dicitur, quia unus spiritus erat in utroque (777)? *Ut convertat corda patrum in filios, et incredibiles* (778) *ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Corda enim patrum in filios Joannes convertit ; quia quod patriarchæ et prophetæ crediderunt, hoc eorum filios intelligere et credere C fecit (779). Convertit autem et incredibiles ad prudentiam justorum, quia infideles et incredulos per justorum viam incedere docuit. Hoc autem dum faceret, parabat Domino plebem perfectam. *Et dixit Zacharias ad angelum : Unde hoc sciam? Ego enim*

gnitatis est paventes de aspectu suo mortales
ox blandiendo solari. At contra dæmoniacæ est fe-
citatis, quos sui præsentia territos senserit, am-
ori semper horrore concutere, quæ nulla melius
tione quam fide superatur intrepida. » Idem ante
edam S. Athanas. in V. S. Antonii, S. Hieron. in
p. xxviii Matth., etc.

(771) Ita S. Aug. lib. II Q. Ev., q. 1 : « Non est
risimile, ut cum pro populi peccatis vel salute vel
demptione ille offerret... quod potuerit, publicis
otis homo senex, uxorem habens anum, pro acci-
endis filiis orare ; præsertim quia nemo orat acci-
re, quod se accepturum esse desperat, » etc. S.
etrus Chrysolog. serm. 88 : « Putasne sacerdos
atus sic est populi, sic universitatis oblitus ut de
ncepto veteranæ conjugis, de partu desperatæ ste-
lis rogaret, ut sibi soli legatus omnium tunc ades-
et, ut advocatus omnium pro se singulariter oraret,
tantum pontificatus officium intra domesticas
taret curas, » etc. Ita etiam Chrysost. hom. 2
incompreh. Beda, etc. V. Maldonatum ad h. l.

(772) Joannes ergo interpretatur *in quo est gratia,* D
Domini gratia. Beda.

(773) Beda : « Merito gaudet pater quod vel in
necta natum, vel talis gratiæ acceperit filium. Gau-
ent et alii quibus inauditum eatenus regni cœlestis
vangelizat ingressum. »

(774) Beda : « Sicera interpretatur *ebrietas*, quo
ocabulo Hebræi omne quod inebriare potest pocu-
um sive de pomis, sive de frugibus, sive de qualibet
lia materia confectum significant. Proprium vero in
lege Nazaræorum erat, vino et sicera tempore consecrationis abstinere... Decet enim vas cœlesti gratiæ mancipatum a sæculi illecebris castigari; nec vino, in quo est luxuria, inebriari eum, qui musto Spiritus sancti desiderat impleri. »

(775) Bene hinc etiam contra hæreticos arguit Beda : « Pater profecto Christum esse Dominum Deum Israel. Si autem Christus est, imo quia Christus est Dominus Deus Israel, desinant Ariani Christum Dominum Deum esse negare. Erubescant Photiniani Christo ex Virgine principium dare. Cessent Manichæi alium populi Israel atque alium Christianorum Deum credere. » V. etiam S. Petrum Chrysolog. serm. 88.

(766) Matth. xi, 14 : *Si vultis recipere, ipse est Elias.*

(777) Elegans est comparatio apud Ambrosium Eliæ et Joannis. Beda : « Quia sicut ille præco venturi Judicis, ita hic præco factus est Redemptoris. »

(778) Ita legitur (incredibiles) in Itala apud Sabatier ex ms. Colbertino. Ita legit Beda, etc.

(779) « Corda patrum in filios convertere, est spiritualem sanctorum antiquorum scientiam populis prædicando infundere. » Beda. S. Ambrosius lib. I in Luc. n. 35 : « Non egemus testimonio, quod plurimorum S. Joannes corda converterit, in quo nobis propheticæ Scripturæ et evangelicæ suffragantur. Vox enim clamantis in deserto,.. et baptismata populis frequentata declarant conversæ plebis non mediocres factos esse processus; quia dum creditur Joanni creditur Christo. »

Digitized by Google

sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. Et fortasse non recordabatur Zacharias, quod Abraham et Sara in senectute genuerunt. Nihil enim Domino impossibile est. Credenti quoque omnia possibilia sunt. Angelus promittit, et sacerdos signum quærit, quasi plus signo quam angelo credere debuisset (780). *Et respondens angelus dixit ei : Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare.* Cur ergo dubitas? Quare non credis? Neque ille qui me misit, neque ego tibi mentiri possum. Signum quæris? Judæi etiam signa petunt. Dicis, unde hoc sciam? Dabitur tibi signum, quod posteaquam acceperis, te fortasse pœnitebit. Hoc igitur erit tibi signum. *Ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant.* Pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ complebuntur in tempore suo, quia, inquam, verbo credere noluisti, vel signo crede (781). Ecce eris tacens, donec ex te genita vox oriatur; et quia vocem generaturus es, non te pœniteat aliquanto tempore tacuisse. Ex te enim orietur ille qui dicat : « Ego vox clamantis in deserto (*Matth.* III, 3). » *Et erat plebs exspectans Zachariam; et mirabantur quod tardaret in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos; et cognoverunt quod visionem vidisset in templo; et ipse erat innuens illis, et permansit mutus.* Possumus autem per senem Zachariam, Vetus Testamentum, et per Joannem puerum, Novum intelligere. Eo enim tempore Vetus Testamentum vocem amisit (782), quo Novum ex Veteri fieri cœpit, quia postquam novam legem apostoli et doctores prædicare et exponere cœperunt, vetus legis intelligentia cessavit. Sed vocem quam amiserat tunc tandem recepit, quando Novo Testamento jam nato et ubique divulgato, ab eo didicit quod loqueretur. Loquitur enim Vetus Testamentum, sed jam non suo et proprio sensu. *Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus; et occultabat se mensibus quinq Quia sic mihi fecit Dominus in diebus, q spexit auferre opprobrium meum inter hon* enim officii ejus impleti sunt octavo Kalen bris, si quidem a quinto decimo die me mi (783) erant feriæ tabernaculorum septe atque post eos dies octavus erat celeberri factum est ut vicesima tertia die septi reverteretur in domum suam. Quomodo e est, quod veniente octavo Kalendas eadem Elisabeth ad Mariam virginem An « Et hic mensis est ei sextus (*Luc.* I, 3 non sextus, sed septimus erat? Septim erat; sed si septem dies septimi mens Martii mensis ponamus, sex menses, et no inveniemus. Septem enim adhuc hujus m restabant, quando hæc ad Mariam angelus tur. 151 Pro quibus si illi alii septem pon mensium, et non amplius, numerus adim *mense autem sexto.*

III. *Missus est angelus Gabriel a Deo in Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virgine satam viro, cui nomen Joseph, de domo nomen virginis Maria* (784). Missus est, i gelus Gabriel (785), qui *Dei Fortitudo* inte ut Dei virtutem, et Dei sapientiam carn pere nuntiaret. Sed ubi missus est? *In Na vitatem Galilææ.* Ad quam? *Ad virginem de viro, cui nomen erat Joseph, de domo Dav* milia regali, de stirpe nobili, et præ cæ giosa. Ubi enim castitatis, et mundițiæ n in Nazareth habitare debuerat, quæ *flos, ditia* interpretatur (786)? Et nomen virgin Dicitur enim Maria *stella maris*, hujus uti de quo scriptum est, « Hoc mare magnu tiosum, illic reptilia, quorum non est (*Psal.* CIII, 25). » Plures stellas habet cœl unam, quæ præ illis omnibus clarior, et n

(780) Præclare Beda: « Ob altitudinem promissionis hæsitans, signum quo credere valeat, inquirit; cui sola angeli visio vel allocutio pro signo sufficere debuerat. Unde meritam diffidentiæ tacendo pœnam luit, cui taciturnitas eadem et signum fidei, quod quæsivit, et infidelitatis esset pœna quam meruit. »

(781) Ambrosius lib. I in Luc., n. 39: « Condemnatus silentio incredulitas sacerdotis... Quia non credidit, non potuit loqui. »

(782) S. Ambrosius l. I, n. 40 : « Non unius mysterium, nec unius silentium est. Tacet sacerdos, tacet propheta... Cessatio sacrorum, et silentium prophetarum; taciturnitas prophetarum, taciturnitas prophetæ, et taciturnitas sacerdotis est. Auferam, inquit, validam virtutem, prophetam, et consiliarium. Et vere abstulit prophetas, a quibus abstulit verbum, quod loqui in prophetis solebat.... Transivit enim ad nos Dei Verbum; et in nobis non tacet. Denique jam non potest Judæus dicere, quod potest dicere Christianus, etc. » Isidorus Pelusiota lib. I, ep. 131 : « Silentii ipsius (Zachariæ) typo legis silentium indicabatur; » et ep. 257 : « Exoriente luce matutina, lux abscedit; claro sole exoriente, siderum chorus obscuratur. Cum purus ac liquidus dies illuxit, auroræ umbræ finem accipiunt. Cum Evangelii sapientia effulsit, legis puerilis institutio munus suum exercere desiit. Hic nempe vocis usu Zacharias, postea quam novæ atque admi lutationis lætum nuntium audivit. » Cl serm. 86 : « In hora incensi jam sol Judaic bebat in templo, ut in Ecclesia matutinus ex et Judaicæ doctrinæ instabat vesper, quia imminebat aurora; legis obscurabatur dies reluceret in gratia, » etc.

(783) Vere superius dicta. Hoc enim ex mat quod summum sacerdotem esse Za opinaretur, de qua opinione jam diximu contradicunt PP. alii nonnulli et recentiore Jansenius c. 2 Conc., Baronius, Natalis Al Hamelius, Lamy, Tillemont, Calmet, etc.

(784) Est homilia Emiseni fer. IV post Adv., p. 10.

(785) Hier. in c. IX, Daniel, v. 16 : « G linguam nostram vertitur *fortitudo* vel *robu* Unde et eo tempore, quo erat Dominus nas et indicturus bellum dæmonibus, et trium de mundo, Gabriel venit ad Zachariam e riam. Et postea in Psalmis legimus de Domi phante : *Quis est iste rex gloriæ? Dominus potens,* » etc. : quæ omnia Hieronymi, iisde descripsit hic Beda.

(786) Iterum Hieron., epist. 46, n. 12 :

Digitized by Google

e hac enim una ortus est justitiæ sol, cujus ful-
ore omnia illustrantur. Quem qui sequitur, « non
mbulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.*
III, 7). » Cujus igitur fulgoris illam stellam esse
utamus, quæ hunc tantum, talemque solem pepe-
it mundo? *Et ingressus angelus ad eam dixit : Ave,*
ratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mu-
eribus. Non enim in plateis erat, non in publico
orabatur. Intus erat, in penetralibus sola sedebat,
ec tamen sola, tanto virtutum exercitu circum-
epta (787). *Ave*, inquit angelus, *gratia plena : Do-*
inus tecum; benedicta tu in mulieribus. Non fuit
fficiens *ave* dixisse, addidit *Dominus tecum*, et
einde eam benedixit, quasi tribus vicibus sub una
oce eam salutans. Qua in re diligens obsequium,
haritatis affectus, et reverentia declarantur. Sed
uis unquam tantam gratiam habuit, quantam virgo
laria? Aliis enim ad mensuram gratiæ dantur; hæc au-
em *gratia plena* dicitur. Considera modo quantæ ante
am, quantæ post eam mulieres et virgines fuerunt.
æc tamen sola mater Domini fieri meruit (788).
agna enim et ineffabilis gratia est, ut una ex
ntis millibus eligatur. Quæ cum gratia plena sit,
rius etiam quam concipiat, post conceptionem,
uanta Dei abundet gratia, quis cogitare possit?
æc autem sola inter omnes mulieres benedicitur,
uæ adhuc sub antiqua prævaricationis maledictione
enebantur, ex quo primæ mulieri a Domino dictum
erat : « Multiplicabo ærumnas tuas, et in dolore
ares filios (*Gen.*, III, 16). » Hæc enim lege non
enetur virgo Maria, quæ virgo concepit, virgo pe-
erit, et sine dolore pariens virginitatis gloriam non
misit. Merito ergo in mulieribus benedicitur, per
uam mulieribus benedictio datur et mundus a ma-
edictione liberatur. *Quæ cum audisset, turbata est*
n sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salu-
atio. Turbata est, inquit, non in vultu ejus, sed in
ermone ejus (789). Non enim angelum, sed verba
ngeli attendebat, et quid illa tam officiosa salutatio
ibi prætenderet, cogitabat. Hoc autem angelus
entiens ait : *Ne timeas, Maria; invenisti enim gra-*
iam apud Deum. Sed vis audire quam gratiam?
Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis

A *nomen ejus Jesum.* Hæc est causa illius salutationis.
Hoc missus sum nuntiare tibi. Abscedat timor, ces-
set cogitatio, esto secura, nulla sollicitudine mo-
vearis. Hæc enim verba non sunt timoris, sed gau-
dii. Paries enim filium, non utique alium, nisi om-
nium rerum Creatorem et Dominum. Creator tuus
erit filius tuus, qui perfecte nascetur ex te. *Et vo-*
cabis nomen ejus Jesum. Hoc enim nomen quicunque
invocaverit, salvus erit. In hoc nomine omne genu-
flectetur cœlestium, terrestrium et infernorum. De
hoc ipse Dominus ait : « Quidquid petieritis Patrem
in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XVI, 23). » Hoc
igitur in omnibus orationibus uti debemus. In hoc
nomine ille non petit, qui contra Dei dispositionem,
et contra suam, vel aliorum salutem petit (790).
B Imo vero qui taliter petit, contra hoc nomen petere,
non dubium est. Sequitur : *Hic erit magnus, et fi-*
lius Altissimi vocabitur. Ipse **152** enim, qui secun-
dum se semper magnus est, tunc apud homines
magnus factus est, quando ab hominibus cognitus
est. Quem Petrus apostolus in persona totius Ec-
clesiæ Altissimi Filium vocavit dicens : « Tu es
Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI, 17). » *Et dabit*
illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, et re-
gnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non
erit finis. Recipit enim Dominus a Domino sedem
David, secundum hoc quod filius est David. Regnat
autem non solum in domo David, id est, in tribu
Juda, verum etiam in domo Jacob, id est, in toto
populo Israel. Per quod intelligitur quod in ejus
C regni exercitu omnes illi connumerantur, quicunque
David et Jacob fidem et justitiam imitantur (791).
Hoc enim regnum etiam nunc est; hoc imperium
non deficiet, quia regnabit Dominus in æternum,
et in sæculum sæculi. *Dixit autem Maria ad ange-*
lum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non co-
gnosco? Non dubitat fieri quod angelus fieri promit-
tit. Interrogat tantum quomodo fiat (792). Quoniam,
quamvis virginem aliquando parituram audierat,
quomodo tamen pareret non audierat. Dicit enim
Isaias; *Ecce virgo concipiet, et pariet* filium (*Isa.*
VII, 14); quomodo tamen pariat non dicit. Quia
igitur virgo est, et virum non cognoscit, quomodo

al Nazareth, et juxta interpretationem nominis ejus
florem videbimus Galilææ. » Mundi, sancti, segre-
gati ideo ab aliis dicebantur Nazaræi. Epiphanius
hær. 29, n. 5. « Ex eo nomen sibi istud imponunt,
ut Nazaræi vocentur, non Naziræi; quæ vox sancti-
ficatum significat. »

(787) Notissima sunt verba Ambrosii lib. II in Luc.
n. 8 : « Sola in penetralibus, quam nemo virorum
videret, solus angelus reperiret; sola sine comite,
sola sine teste, ne quo degeneri depravaretur affatu,
ab angelo salutatur. »

(788) Beda : « Maria autem Hæbraice *stella maris*,
Syriace vero *domina* vocatur; et merito, quia et
totius mundi Dominum, et lucem sæculis meruit
generare perennem. Bene *gratia plena* vocatur, quæ
nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, asse-
quitur; ut ipsum videlicet gratiæ concipiat et gene-
ret auctorem. » Deinde superiora verba Ambrosii
exscribit.

(789) Eucherius l. all. : « Turbata est non in vultu,
sed in sermone ejus. Non enim angelum, sed ver-
D bum angeli attendebat, et quid illa tam officiosa
salutatio sibi prætenderet, cogitabat. »

(790) Vid. dicta ad Matthæum.

(791) Beda, Domum namque Jacob totam Eccle-
siam dicit.

(792) S. Ambrosius, lib. II, De Abraham, c. 8 :
« Qui quærit quomodo sciat, non dubitat, manife-
stante Deo, cognoscere se posse, sed formam vult
acquirendæ cognitionis advertere... *Quomodo fiet*
istud, etc., jure respondit : hoc est cum id, quod
naturæ est, non suppetat, quia non solet parere
virgo, quæ viro non fuerit copulata; quæro, quo-
modo præter instituta naturæ, possit generare. » Et
lib. II in Luc. n. 17 : « Maria autem cum dicit :
Quomodo, etc., non videtur dubitasse de facto, sed
de facti qualitate quæsisse. Liquet enim, quia fa-
ciendum esse crediderit, quæ quomodo fieret inter-
rogavit; unde et meruit audire : *Beata, quæ cre-*
didisti. » Vide et superius ab eo dicta, n. 14.

Digitized by Google

pariat, et virgo maneat, interrogat, quod nulli adhuc revelatum erat. *Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hic est modus pariendi. Ita concipies, ita paries. Jam nihil est quod te ulterius interrogare oporteat. Spiritus enim sanctus qui superveniet in te, et virtus Altissimi quæ obumbrabit tibi et amplexabitur te, totamque intus et extra muniet te, faciet in te quod voluerit, et quomodo voluerit. Quod autem ait: *Spiritus sanctus superveniet in te*, hoc exposuit dicens, *et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hæc enim virtus communis est totius Trinitatis (793). Tota enim Trinitas unus Deus, et ipse Altissimus. Natus est igitur Christus de Spiritu sancto, et Maria virgine, id est, de virtute Spiritus sancti, quæ una communis est et Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nam et ipse Spiritus et Patris, et Filii Spiritus est. Filius autem, solius Patris Filius, et Pater solius Filii Pater est. Hæc itaque virtus superveniens obumbravit Mariam, ex duabus naturis Christum Dominum operata. « Sicut enim anima rationalis, et caro unus est homo, ita Deus et homo, unus est Christus (794). » Quantum igitur humanitatem spectat, non solum a Patre, et a Spiritu sancto, verum etiam a se ipso, et factus, et creatus est Filius. Quantum vero ad divinitatem, nec factus, nec creatus, sed a Patre solummodo genitus. *Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.* Non solum, inquit, in te suæ virtutis miracula his temporibus operabitur Deus. Verum etiam in Elisabeth cognata tua, quam tu ipsa et vetulam esse, et sterilem ab infantia fuisse, optime nosti. *Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis*, ut sciat omnis mundus, *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quid adhuc Judæi increduli dicent? Negant virginem peperisse, neque Evangelio credere volunt. Elisabeth tamen jam anum et sterilem peperisse negare non possunt. Utrumque mirabile est; utrumque contra naturam factum est. Neutrum fieri posset, nisi mutasset naturam, cui nihil impossibile est. Multa enim contra naturam fecit Deus, quæ negare non audet Judæus, virgam in serpentem, serpentem in virgam mutavit (*Exod.* VII, 10); aquas in sanguinem, nem in aquas convertit (*ibid.*, 20); ma (*Exod.* XIV, 21); manna pluit (*Exod.* XVI, loquitur (*Num.* XXII, 28); petra fundit aq XVII, 6); et Jordanis convertitur retrorsu *Psal.* CXIII, 3). Sed quid dicam de vir quæ cum sicca esset, sub una nocte et flores et fructus germinavit (*Num.* XVII, sicca nuces dare potuit, et virgo parere Utique Deus operatur quidquid vult, e tantummodo amisit potestatem? Dixit ant *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum ver* Auditis rationibus acquievit, et acquies cepit (795). Ancilla, **153** inquit, Domini meæ, sed illius sum potestatis; fiat mihi verbum tuum. *Et discessit angelus ab ea* (

IV. *Exsurgens autem Maria in diebus ill montana cum festinatione in civitatem Juda travit in domum Zachariæ; et salutavit* (797). Virgo Dei plena ad montana consec riora petit (798); jam non in terris, sed mente habitat, et Spiritu conversatur. Fes perat, nihil negligenter agit, domum ingreditur, justam copulam, et sine que dentem videre desiderat, suæque humi mansuetudinis signa manifestat. Maria Leth, Christus ad Joannem, domina ad a servum Dominus venire non dedignatur. quid aliud est, quam humilitatis exempl *ctum est, ut audivit salutationem Mariæ exsultavit infans in utero ejus.* Dic, infans, phetarum omnium maxime, qui digne propheta, sed plusquam propheta vocab tibi hæc exsultatio? Nondum natus es, et phetas, matrem Domini in voce agnoscis, resalutare non potes, exsultando agis qu Quam lætus ei occurreres, si jam natus ea cujus voce audita exsultando obviam exire *Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et voce magna, et dixit: Benedicta tu inter et benedictus fructus ventris tui.* Prius fili mater per filium repletur Spiritu sancto lius intus latens docet, quid mater exte

(793) Rufinus comment. in Symb. Apost. ex recens. Vallars. num. 10: « Vide ergo cooperantem sibi invicem Trinitatem. Spiritus sanctus venire dicitur super Virginem, et virtus Altissimi obumbrare ei. Quæ est autem virtus Altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei virtus, et Dei sapientia? Cujus autem hæc virtus est? *Altissimi*, inquit. Adest ergo Altissimus, adest et virtus Altissimi, adest et Spiritus sanctus Hæc est Trinitas, » etc.

(794) In Symbol. nomine Athanas.

(795) Ambrosius, lib. II, in Luc. n. 16: « Vide humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogativam tantæ gratiæ vindicavit quæ faceret quod juberetur..... *Ecce ancilla Domini*, etc., habes obsequium, vides votum. *Ecce* enim *ancilla Domini* apparatus officii est: contingat *mihi secundum verbum tuum* conceptus est voti. »

(796) Hactenus homil.

(797) Lucæ I, 39. Est homil. Emiseni fe Dom. IV Adv., pag. 11. De homiliis S. Emiseno suppositis satis diximus. De h peculiariter admonemus lectores eam a cla sule Stephano Borgia exscriptam ex ms. co num. 34, al. 217 et hoc titulo præsignatam tava Visitationis, serm. S. Bruni episco habet *in civitate Juda.*

(798) Ambrosius ib., n. 19: « Non quasi de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, dubitans de exemplo; sed quasi læta pro giosa pro officio, festina pro gaudio, in perrexit. Quo enim jam Deo plena, nisi ad cum festinatione contenderet? »

(799) Ambros., n. 23: « Exsultavit infan est mater. Non prius mater repleta, quam cum filius esset repletus, Spiritu sancto matrem. »

Digitized by Google

ebeat. Quasi enim magna vi Elisabeth interius ommota, non solum Virginem resalutavit, verum iam voce magna clamavit dicens : *Benedicta tu nter mulieres.* Id ipsum enim et angelus ait. Ab mnibus benedicitur, quæ omni benedictione digna iabetur. *Et benedictus fructus ventris tui.* Benedicta rbor, benedictus et arboris fructus. Benedicta virga le radice Jesse, benedictus et flos, qui de tali radice 800) ascendit. Benedicta talis mater, benedictus et alis filius. *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini nei ad me?* Neque sanctitas, neque religio, neque obilitas aliqua hoc mihi præstitit, ut tanto honore, antaque beatitudine digna fierem. Ego potius debui re ad te; sed tua, tuique filii humilitas te coegit enire ad me. *Ecce enim, ut facta est vox salutatio- is tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans n utero meo.* In adventu, inquit, tuo non ego solum, ed et filius meus gratulatur, in tua salutatione lætatur, et quod voce non potest, gaudio facit. *Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.* Quæ sunt enim, quæ dicta sunt ei a Domino, nisi illa, quæ superius angelus ait: *Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum?* Et paulo post : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.* Anima, inquit, mea, mens mea, virtus mea, omnisque intelligentia, et conscientia mea magnificat Dominum, laudat, benedicit et prædicat. Magnificat autem et ille Dominum, in cujus bonitate magnificatur, et laudatur Dominus (801). Sic enim in discipulis magistri, sic in operibus suis singuli artifices laudantur, et magnificantur. *Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Modo, inquit, anima mea Deum magnificat. Modo ejus magnificentiam, de qua scriptum est, « Exaltata est magnificentia tua super cœlos, Deus (*Psal.* VIII, 2), » cunctis gentibus manifestat; in quo semper exsultavit, in quo semper delectata est, quem semper dilexit, cui totis visceribus adhæsit et cujus servituti se per omnia subjugavit. Et hoc merito : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Respexit, et non despexit (802). **154** Ad quem enim respicit Deus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones ejus? *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Vera est prophetia, quam Veritatis mater de se ipsa prophetavit. Nulla enim ex eo tempore generatio fuit, quæ ejus beatitudinem non prædicaverit. Semper enim ejus beatitudinem Ecclesia concinit, in qua simul omnes generationes continentur. *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Imo, qui omnipotens est. Vere utique magna, et tam magna, quam magna nulli unquam alii vel fecit, vel facturus est. Ex ea carnem suscepit, et cœli terræque Dominam et reginam eam constituit. Magna enim sunt hæc. *Et sanctum nomen ejus.* Et ipse quidem potens est, et nomem ejus sanctum est, quod nulli in vanum suscipere licet; in quo baptizamur, et consignamur, sanctificamur et Christiani vocamur. *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* Ejus enim misericordia non in una progenie est. Non enim Judæorum Deus tantum, sed a progenie in progenies dilatatur, et crescit, cunctis subveniens timentibus eum. *Fecit potentiam in brachio suo* (803). Præterito pro futuro utitur. Fecit enim Dominus potentiam in brachio suo, id est, in virtute et fortitudine sua, quia diabolum vicit, infernum exspoliavit, et sanctorum animas secum ad cœlestia vexit. *Dispersit superbos mente cordis sui.* Mente namque cordis sui, id est, secundum voluntatem suam, superbos Judæos ubique terrarum Dominus dispersit, et cunctis nationibus subjugavit Unde Psalmista ; « Disperge, inquit, illos in virtute tua, et destrue eos, protector noster, Domine (*Psal.* LVIII, 12). » De quibus adhuc subditur : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (804) : in gloriam scilicet Judaïs promissam gentiles exaltans. Hoc enim Dominus semper agit : « Omnis enim, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XVIII, 14). » — *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Esurientes erant gentiles, qui cœlestium mandatorum dulcedinem non gustaverant : divites, Judæi, qui legis et prophetarum divitiis abundabant. Illos autem spiritualibus bonis implevit; hos vero inanes et spiritualis intelligentiæ vacuos abire permisit. Huc autem et illa conveniunt, quæ alibi Dominus ait : « Beati, qui esuriunt, et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* V, 6). » Et : « Væ vobis divitibus,

(800) Idem, n. 24 : « Ipse fructus ventris est flos radicis, de quo bene prophetavit Isaias, dicens : *Exiet virga de radice Jesse*, etc.; radix enim familia Judæorum; virga, Maria : flos Mariæ, Christus, » etc.

(801) Idem S. Ambrosius : « Magnificatur enim Dominus... non quod Domino aliquid humana voce possit adjungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei Christus est; et ideo si quid justum religiosumque fecerit anima; et illa imaginem ad cujus est similitudinem creata, magnificat. Et ideo dum magnificat eam, magnitudinis ejus, quadam participatione, sublimior fit; ut illam imaginem splendido bonorum colore factorum, et quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere. » Sic etiam Origenes. Vid. Jansenium Concord. c. 4. Non omittendus tamen Aug. in Ps. LXXI, n. 13, qui explicans illud : « Omnes gentes magnificabunt eum, » scribit, « Magnificabunt eum, non ipsi faciendo, ut magnus sit qui per seipsum magnus est; sed laudando, et magnum fatendo. Sic enim magnificamus Deum; sic etiam dicimus : *sanctificetur nomen tuum*, quod semper utique sanctum est. »

(802) Hier. lib. XVI, adv. Pelag., n. 16: « Animadverte, quod beatam se esse dicat, non proprio merito atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia. » Vid. Bernardum, serm. 42 in Cant., serm. 45, Homil. 1, super Missus est, etc.

(803) Beda ita explicat : « *In brachio suo;* in ipso Dei Filio significat... Sicut enim tuum brachium, in quo operaris, sic Dei brachium dictum est ejus Verbum, quia per Verbum operatus est mundum. » Est hæc aliorum PP. explicatio, ut Jansenius l. all. docuit. Alii futura et præterita comprehendentes, *brachium* interpretantur *Dei potentiam.* Vid. Jansenium, c. 4, aliosque interpretes.

(804) Vid. Gregorium cap. 2, lib. VI in lib. I Reg.

Digitized by Google

qui habetis consolationem vestram (*Luc.* VI, 24). » — *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini ejus in sæcula.* Hoc est enim, quod in Psalmis dicitur. « Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi, quod mandavit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham et juramenti sui ad Isaac (*Psal.* CIV, 8). » Recordatus enim misericordiæ suæ, sicut ad patres nostros, id est, Abraham et semini ejus locutus fuerat. *Suscepit Israel, puerum suum.* Suscepit enim, reconciliavit, tenuit et in patribus promissam hæreditatem introduxit. Puerum utique Israel (805), non autem senem Israel, id est, non Veteris sed Novi Testamenti sectatores. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam.* Decebat enim ut simul manerent, quatenus in illo parvo temporis spatio Elisabeth a Maria, et Joannes a Christo doceretur (806). Libet nunc intueri quantas tunc Zacharias, quantas Elisabeth lacrymas fuderit, quando virgo Maria inde, quando mundi gaudium, et stella maris in domum suam reversa est. Joannes quoque, quamvis adhuc in matris utero clausus (807), in ejus discessu non parum doluit, qui in illius adventu tanto gaudio exsultavit (808).

V. *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium* (809). Nascitur hodie Joannes Baptista major prophetis, minor angelis, imo minor eo, qui minoratus paulo minus ab angelis. Unde ipse Dominus ait: « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista; **155** qui autem minor est in regno cælorum, major est illo (*Matth.* XI, 11). » Hoc autem Apostolus exposuit dicens: « Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum pr sionem mortis, gloria et honore coronatu II, 9). » Hoc igitur solo minor est Joa nemo alius major surrexit natus de muli ipse quoque Joannes ait: « Me oportet m autem crescere. Qui post me venit, ante est, cujus non sum dignus corrigiam c solvere (*Joan.* III, 30). » Minuitur enin capite truncatus: crescit vero Jesus i exaltatus. *Et audierunt vicini, et cognati magnificavit Dominus misericordiam suam et congratulabantur ei.* Erant enim steril probrium in Israel, quamvis hoc aliud si Corporis namque sterilitas non est peccatu vero steriles apud Deum in opprobrium su tum igitur ad litteram, magnam ei Domin cordiam fecit, qui tanto pignore illam Unde et ipsa superius ait: « Sic mihi fec diebus, quibus respexit auferre opprobri inter homines (*Luc.* I, 25). » *Et factum octavo venerunt circumcidere puerum, e um nomine patris sui Zachariam.* Hac sione neque Christus, neque Joannes indig cumcisi tamen sunt, ne scandalo fierent, gem adimplerent (810). *Lex enim, et proph ad Joannem.* De circumcisione multa ad Apostolus scribit, et non carnis, sed spiritu cisionem laudat (811). Spiritualis namqu cisio non in uno, sed in omnibus mem debet; ut neque manus operentur malu oculi videant vanitatem, neque pedes ad f sanguinem currant, neque aures detr pateant. Sic omnia membra circumcidun

(805) Beda: « Pulchre puerum Domini appellat Israel, qui ab eo sit ad salvandum susceptus, obedientem videlicet et humilem. »

(806) Origenes, hom. 9, in Luc. (tom. III, Opp., pag. 942): « Si enim in eo quod tantum venit Maria ad Elisabeth... in una hora tantos profectus habuit, nostræ conjecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Joannes profecit, assistente Maria Elisabeth. Valde quippe indignum est, in puncto horæ atque momento exsultare infantem, et quodammodo gaudio lascivisse, repletamque esse Spiritu sancto Elisabeth; per tres vero menses nec Joannem nec Elisabeth ex vicina Matris Domini et ipsius Salvatoris præsentia profecisse. Exercebatur ergo et quodammodo in athletico sancta matre per tres menses ungebatur Joannes, et præparabatur in matris utero, ut mirabiliter natus, mirabiliter nutriretur. » Origenem ante oculos habuisse videtur Ambrosius scribens l. II in Luc., n. 29: « Non sola familiaritatis est causa, quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam, si primo ingressu tantus processus exstitit... quantum putamus usu tanti temporis S. Mariæ addidisse præsentiam?... Ungebatur itaque, et quasi bonus athleta exercebatur in utero Matris propheta: amplissima enim virtus ejus certamini parabatur. »

(807) Hoc commonstrat, A. in eorum esse sententia, qui B. M. non exspectasse partum Elisabeth censuerunt; quam sententiam defendit Baltasar Corderius adnot. ad Caten. in Luc., pag. 21; Jansenius, Concord., c. 4 et plerique, teste Maldonato. Ipse vero Maldonatus, Cornelius a Lapide, Estius, Menochius, Tirinus, Calmet, etc. ad partu beth remoratam putant.

(808) Hactenus homilia.

(809) Lucæ I, 57. Est homil. ut reliquæ perperam dictæ in natal. S. Joann., pag. 1

(810) S. Thomas III, p. qu. 37, art. septem assignat, ob quas debuit Christus cidi; quarum V. est, « ut obediendi virtut suo commendaret exemplo: unde et o circumcisus est, sicut in lege erat præcept præterea alia causa, quam S. Leo assign 22, c. 4: « Ut virtutem inseparabilis a mine Deitatis per velamen nostræ infirmit conderet: » atque hinc dæmonis illuderetu « quæ nativitatem pueri in salutem generis procreati non aliter sibi, quam omnium nas putavit obnoxiam. »

(811) Præsertim cap. III, 28: « Non enim manifesto Judæus est: neque quæ in man carne est circumcisio; sed qui in abscondit est; et circumcisio cordis in Spiritu, non cujus laus non ex hominibus, sed ex De quæ verba expendens S. Hieronymus lib. II ad Galat. V, 5, subdit: « Nihil itaque pr Christo carnis circumcisio, sed cordis et quæ aufert illud opprobrium Judæorum. cumcisæ aures vestræ, et non potestis Prodest circumcisio labiorum, quam juxta h tem, nec dum se habere causabatur Moyse Hebraico scriptum est: *Ego autem sum pr habens in labiis,* » etc. Vid. S. Aug. tract Joann, n. 5.

Digitized by Google

rcumcisione omnia vitia et peccata tolluntur. Unde octava die merito fiebat, in qua et ultima resurrecio fiet (812), quando membris omnibus circumcis, id est vitiis et peccatis abscissis, totusque ex ntegro innovatus, omnique superfluitate mundatus omo ad immortalitatem resurget. *Et respondens ater ejus dixit : Nequaquam; sed vocabitur Joannes.* equaquam, inquit, Zacharias vocabitur, quamvis t hoc nomen dignum sit veneratione. Sed vocabir Joannes, quod *Dei gratia* interpretatur; quia illus inter natos mulierum familiarius illo Dei ratiam possidebit. *Et dicebant ad illam : Quia emo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* oc enim nomen angelus imposuit, non cognatio edit. Sed unde Elisabeth hoc nomen scire potuit? achariæ namque non Elisabeth dictum fuerat : *Et pcabis nomen ejus Joannem.* Qua in re credendum st, quamvis id scriptum non est, de angelica evelatione, vel alia qualibet divinitus facta inspiatione, eam hoc nomen didicisse (813). *Innuebat utem patri ejus, quem vellet vocari eum.* Qui quoiam voce hoc eis indicare non poterat, *postulans ugillarem scripsit dicens : Joannes est nomen ejus. t mirati sunt universi.* Mirati enim sunt, cur utrique arenti hoc nomen puero imponere placuit. Quia um nemo in illorum cognatione sic vocaretur, Dei utu id fieri intellexerunt. *Apertum est autem illico s ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum.* Sic enim angelus promiserat : « Pro eo, uod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur n tempore suo, eris tacens; et non poteris loqui in iem quo hæc fiant (*Luc.* I, 20). » Loquente autem acharia, *factus est timor super omnes vicinos eorum; et super omnia montana Judææ divulgabantur mnia verba hæc. Et posuerunt omnes, qui audierant n corde suo, dicentes : Quid putas puer iste erit?* ui contra naturam natus est, in cujus nativitate os liu clausum aperitur, mutus loquitur, et tam mi-acula fiunt? *Etenim manus Domini erat cum illo.* psa igitur hæc omnia operabatur in illo. *Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, et prophetavit dicens : Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.* Visitavit per præconem, 156 visitavit per filium (814). prædicavit per utrumque, fecit per alterum. Uterque ad baptismum populos vocavit. Sed alter solummodo plebem redemit et in Spiritu sancto baptizavit. Unde et eidem Joanni dicitur : « Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* I, 33). » *Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui* (815). Domus David Ecclesia est, populusque fidelis et bellicosus, cui nulli adversarii resistere possunt. In hac autem *cornu salutis* Dominus erexit, Joannem videlicet, qui Christum prædicando præcessit. De hoc enim cornu salutis ipse David loquitur dicens : « Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo (816) (*Psal.* CXXXI, 17). » Joannes igitur et cornu est, et lucerna. Cornu clamando; lucerna illuminando. Ipse est enim vox clamantis in deserto; ipse lucerna ardens et lucens. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus.* Sicut, inquit, per prophetas prænuntiatum audivimus, ita modo in hoc puero fieri videmus. Quem nobis Dominus mandavit ut faceret nobis salutem atque vindictam ex inimicis nostris, et liberaret de manu omnium qui nos oderunt. Hoc est enim, quod superius dixit : « Quia convertet corda patrum in filios, et incredibiles ad prudentiam justorum, parare Domini plebem perfectam (*Luc.* I, 17). » — *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti.* Ad hoc, inquit, hoc nostræ salutis cornu Dominus erexit, ut cum patribus nostris misericordiam faceret, et testamenti sui non immemor, jusjurandum adimpleret in nobis, *quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.* In eo igitur, quod in nobis testamentum complevit, cum patribus nostris misericordiam fecit. Hoc enim Dominus Abrahæ juraverat, dicens : « Semini tuo dabo terram hanc (*Gen.* XV, 18). » Per quam terram viventium significabat; quam non carnalibus, sed spiritualibus ejus filiis daturus erat. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.* Ideo, inquit, ex inimicis nostris nobis Dominus salutem dedit, ut sine timore de manu

(812) S. Aug., lib. XVI contr. Faust., c. 29 : « Qui empora passionis et resurrectionis suæ haberet in otestate, id egit, ut caro ejus in sepultura Sabbato equiesceret... ut tertio die resurgens, quem Dominicum dicemus, qui post Sabbatum numeratur ctavus, etiam circumcisionem octavi dici ad se rophetandum pertinere declararet. Quid enim significat circumcisio carnis? quid nisi expoliationem mortalitatis, quam de carnali generatione portamus, » etc.? Vid. serm. 189, n. 3, lib. IV. Op. imp. ontr. Jul. n. 134, etc.

(813) Beda : « Nec mireris, si nomen mulier quod non audivit, asseruit, quando ei Spiritus sanctus qui angelo mandaverat, revelavit, neque poterat Domini ignorare prænuntium, quæ prophetaverat Christum. »

(814) Beda · « Visitavit autem Dominus plebem suam quam longa infirmitate tabescentem, et quasi venditam sub peccato, unici Filii sui sanguine redemit. Quod quia B. Zacharias proxime faciendum cognoverat, prophetico more quasi jam factum narrat. »

(815) Hacten., homilia.

(816) S. Hieronymus ad cap. V Isaiæ : « Cornu regnum significare, et potentiam, sæpe legimus, ut est illud in Evangelio : *Suscitavit cornu salutis nostræ in domo David pueri sui.* » S. Augustinus, enarrat. in psal. CXXXI explicans illud : *Ibi suscitabo cornu David :* « Cornu significat altitudinem, et qualem altitudinem? non carnalem. Ideo omnia ossa carne involuta sunt : cornu excedit carnem. Altitudo spiritalis, cornu est. Quæ autem altitudo spiritalis est, nisi de Christo? ..... et ut noveritis, quia ibi est cornu David, attendite quid sequatur; paravi lucernam Christo meo. Quæ est lucerna? jam nostis Domini verba de Joanne : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* » Hæc Augustini verba ferme exscribit Beda ad h. l.

Digitized by Google

inimicorum nostrorum liberati, per quos vitia, et malignos spiritus intelligimus, non illis serviamus, sed illi. Sed quomodo serviamus? *In sanctitate, et justitia coram ipso.* Aliter enim servitia nostra Deus non respicit, neque sunt coram ipso, nisi in sanctitate et justitia serviamus illi. Hoc autem non ad tempus, sed *omnibus diebus nostris.* « Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x, 22). » — *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Non solum enim propheta, verum etiam plusquam propheta vocatur Joannes, et hoc quidem, non a quolibet, sed ab ipsa veritate. Quod autem ante faciem Christi Domini Joannes præcesserit, parare vias ejus, ipse Dominus per prophetam loquitur dicens : « Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te (817). » Unde enim ipse Joannes ait : « Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus (*Joan.* i, 23). » Præivit igitur ante faciem Domini. Sed cur? *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum.* Et hoc quidem faciebat, cum diceret : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* iv, 17). » Hæc autem bona data sunt nobis *per viscera misericordiæ Dei nostri*, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quibus misericordiæ, charitatisque visceribus ipse Dei Filius *visitavit nos oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris, et umbra mortis sedent*, secundum illud : « Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : » ambulantibus « in regione umbræ mortis lux orta est eis (818) (*Isa.* ix, 2). » — *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Illi enim pedes in viam pacis diriguntur, qui non ad bellum, sed ad pacem currunt. De quibus dicitur (819) : « Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (820). »

VI. [Cap. II.] *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino.* Quod enim mundus universus describitur, et sub unius potestatis tributum redigitur, magnæ pacis indicium est. Si enim adhuc mundus repugnaret, et contra Romanum imperium dimicaret, nequaquam ejus edicto describi, vel sub tributum redigi potuisset. De hac enim **157** pace propheta prædixerat : « Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebun-

A tur ultra ad prælium (*Isai.* II, 4). » Et P
« Orietur in diebus ejus justitia, et a
pacis (*Psal.* LXXI, 7). » Quia enim prin
oriebatur, pacem ubique fieri oportebat
ibant omnes, ut profiterentur singuli in su
tem. Ascendit autem et Joseph a Galilæa
Nazareth in Judæam civitatem David, qu
Bethlehem, eo quod esset de domo, et fami
ut profiteretur cum Maria desponsata sibi u
gnante. His enim verbis apte monstratur,
descriptio secundum familias facta fuerat.
ad proprias civitates, atque familias
essent, singulos redire oportebat; quate
municato consilio, omnes simul tributum
mitterent, et facta descriptione secundu
B quamque familiam, totius tributi summa
rent (822). Venit itaque et Joseph cum
sponsata sibi uxore prægnante in Bethleh
tem David, ubi eorum familia habitabat,
sicut cæteri, eamdem faceret professionem
est autem, dum essent ibi, impleti sunt die
ret, et peperit Filium suum primogenitum.
Christum nasci oportebat, quia sic per
nuntiatum fuerat : « Et tu, Bethlehem te
non eris minima in principibus Juda; ex
exiet dux, qui regat populum meum Israe
Primogenitus autem secundum legem filii
qui primus de matris utero procedit, sive
sequantur, sive non sequantur. Cum enim
post unum mensem omne primogenitum
C offerre præcipiat, quis non intelligat, sin
relatione primogenita dici, cum nihil ac
tium sit, cui hoc primogenitum referri pos
enim si mater illico mortua fuerit, vel s
filium non genuerit? Nunquid idcirco pri
ille non erit, qui ex ea jam natus, et p
mensem Deo oblatus, ab ipsa lege primog
vocatus? Igitur aut lex mentitur, aut pri
aliquando sine relatione dicitur. Pepe
beatissima Virgo; concipiens virgo, pari
et in æternum permanens virgo. Clausa
tum, clausa in partu, et clausa post partu
rit, inquit, *filium suum primogenitum*,
eum involvit, et reclinavit eum in præsepio,
D *erat eis locus in diversorio.* O pietas i
o humilitas ineffabilis! o sacramentum ine
Deus homo fit, æternus, temporalis, imme
mortalis, passibilis, parvis pannis involv
cœli ambitu præ magnitudine non contine

(817) Malach. III, 1 : *Ecce ego, mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.*

(818) Quam vario sensu in Scripturis dicatur *umbra mortis*, explicat Gregor. IV, Mor., c. 20.

(819) Rom. X, 15 : *Quam speciosi pedes*, etc.

(820) Hujusmodi expositio Zachariæ Cantici seorsim posita sub Bruni ep. nomine, reperitur in cod. ms. Casin. n. 251, al. 350, charac. Langobard. sæc. XI, fol. 135.

(821) Pacatum fuisse orbem sub Christi ortum Hieronymus, Eusebius, Orosius, aliique Patres ex prophetarum oraculis eliciunt, quos allegat Estius

D. E. prop. 9, cap. 8. Maldonatus ad h. l. hoc testari ecclesiasticos auctores omnes rum id negantem refutat Norisius disse Cen. Pis., cap. 10. Vid. S. Leonem serm.

(822) Descriptionem non fuisse hujusm tributum exigeretur, volunt recentiores er V. Norisium, Pagium, Tillemontium, etc.

(823) Mich. V, 2 : *Et tu Bethlehem Eph vulus es in millibus Juda : ex te mihi egred sit Dominator in Israel.*

(824) Similis exclamatio Nazianzeni, pag. 629 : « O novam mistionem! O adm

Digitized by Google

uis audivit unquam tale? Quis vidit huic simile ? A quod nunc de virgine oriatur, sed quia ejus nativitatis memoria hodie innovatur, et in illius commemoratione celebratur, et prædicatur. *Et hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Utinam hoc signum Judæi susciperent, et Christum nobiscum in præsepio quærerent ! (830) Quamvis enim pannis sit involutus et sub velamine litteræ jaceat occultus, invenirent tamen, si cum quæsissent, et intelligerent, si credidissent. Quicunque igitur es qui vis videre Jesum, accede ad hoc præsepe, scrutare Scripturas, remove panuos, pelle litteram : « Littera enim occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 6), » et tunc videbis, quod videre non poteras. Sic enim Ecclesiæ pastores eum quærunt, et quærentes inveniunt, et invenientes venerantur et credunt. *Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Dominum, et dicentium : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* B

VII. *Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Pastores, inquit, loquebantur ad invicem, et de his, quæ audierant, et viderant, inter se tractantes dicebant : Mira sunt quæ audivimus, stupenda quæ vidimus : cœlis gloria, pax terris promittitur. Salvator hodie natus est nobis, rex novus hodie datus est nobis, qui est Christus Dominus in civitate David. Quid igitur facimus? Cur moramur? Transeamus C usque Bethlehem : ipsa enim est civitas David, et videamus hoc Verbum et credamus, quia in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. *Quod factum est.* Quantum enim ad se, neque factum, neque creatum est. Factum tamen quodammodo est, quia *Verbum caro factum est. Quod Dominus ostendit nobis.* Videamus corporaliter, quod Dominus ostendit nobis spiritualiter, et quod mente concepimus, et fide tenemus, restat ut oculis intueamur. *Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.* In stabulo stellam, in præsepio solem invenerunt; quia Maria Stella maris, Sol justitiæ

clinatur in præsepio, et panis vivus qui de cœlo escendit, non hominibus, sed pecoribus anteponitur, id est non Judæis, sed gentibus (825) manifestatur. Tunc « cognovit bos possessorem suum, et sinus præsepe Domini sui (826). » Sed quid dicam, uod cœli terræque Creator, quod Rex regum et ominus dominantium non habuit locum in diverorio? Sic enim Apostolus ait : « Quia cum omnium ives esset, pro nobis pauper factus est (827). » — *t pastores erant in regione eadem, vigilantes, et ustodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei ircumfulsit eos, et timuerunt timore magno. Et dixit lis angelus : Nolite timere. Ecce enim evangelizo obis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia* B *atus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Quantum enim ad litteram, a causa esse videtur, ut prius pastoribus hæc erba angelus nuntiaret, ne quasi incauti stabulum ntrarent, et præsepe adire tentarent, in quo puer ositus erat. Spiritualiter autem, stabulum Ecclesia, præsepe Scriptura divina, pastores vero episcopi et octores (828) intelliguntur. Stabulum enim **158** ocatur Ecclesia, ad quam Dei animalia undique onfluunt, ibique stant, et morantur in ea. Unde criptum est : « Animalia tua, Domine, inhabitabunt n ea (*Psal.* LXVII, 11). » Hæc autem animalia, quasi n præsepio, in divina Scriptura cibis spiritualibus utriuntur. Ibi positum inveniunt Christum, ibique omedunt panem vivum. Beati, qui hujus præsepis ibis aluntur, et deliciis ibi positis reficiuntur. Vos utem, Ecclesiæ pastores, vos episcopi et sacerdoes, audite et intelligite. Vobis angelus loquitur. obis hoc magnum gaudium evangelizat; quia vobis atum est nosse mysterium regni Dei (829). Vobis atum est audire et intelligere secreta cœli. Nunate ergo quod audistis, prædicate quod vidistis, olite celare quod cognovistis. Toties enim Christus stabulo oritur, toties ut parvulus in præsepio onitur, quoties hæc in Ecclesia prædicatis, quoties irginis partum et Christi nativitatem aliis nuntias. Inde enim hodierna festivitas nativitas Domini ocatur : non quod Dominus hodie nascitur, non

mperationem ! Qui est, fit; qui creatus non est, reatur; qui nullo loco contineri potest, per interentum animæ intellectualis inter divinitatem et arnis crassitiem continetur, » etc.

(825) Ambrosius, l. II in Luc., n, 34 : « Hic est ominus, hoc præsepe, quo nobis divinum mysterium revelatum est; irrationabiles gentes, pecudum ıtra præsepia more viventes, alimoniæ sacræ uberıte pascendas. Agnovit ergo asina, species scilicet ı forma gentilium, præsepe Domini sui. »

(826) Isaiæ I, 3. Vide Ambrosium, hunc eumdem saiæ locum afferentem lib. II in Luc., n. 42.

(827) *II* Cor. VIII, 9 : *Quoniam propter vos egeus factus est, cum esset dives.*

(828) Nota sunt S. Ambrosii verba l. II in Luc., . 50 : « Videte Ecclesiæ surgentis exordium; Christus nascitur, et pastores vigilare cœperunt, qui entium greges, pecudum modo ante viventes, in D caulam Domini congregarent, ne quos spiritualium bestiarum per effusas noctium tenebras paterentur incursus. Et bene pastores vigilant, quos bonus pastor informat. Grex igitur populus, nox sæculum, pastores sunt sacerdotes. » Vide etiam Cyrillum in Catena Corderii, pag. 41.

(829) Beda : « Pulcherrima ratione, Domino nato, pastores vigilant, gregemque suum ab insidiis noctis custodiendo defendunt..... Vigilent itaque, nato Domino, pastores supra gregem ovium suarum..... Bene autem vigilantibus pastoribus angelus apparet, eosque Dei claritas circumfulget : quia illi præ cæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicite sciunt; dumque ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscat. »

(830) De hoc signo Bernardus serm. 3 in Cant.

Digitized by Google

Christus vocatur. Recedant igitur tenebræ, fugiat caligo, quia stella in stabulo, et sol in præsepio fulget. Fetor quoque ibi esse non potest, ubi est flos campi, et lilium convallium, cujus odore suavissimo nimium delectata Ecclesia, dicit : « Trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I, 3). » Sed quid de matre Domini dicam ? cujus odoris fragrantiam rex sapientissimus Salomon admirans ait : « Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii ? » (*Cant.* III, 6.) Ubi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi fetoris indicium esse non potest. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Hic est enim ille puer, de quo scriptum est : « Puer natus est nobis, Filius datus est nobis : et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia. Amodo, et usque sempiternum. Zelus Domini exercituum facit hoc (*Isai.* IX, 6). » Illis enim pacis verbis nativitas et nobilitas, virtus et fortitudo, imperium et justitia, et cætera, quæ ad laudem et gloriam hujus pueri pertinent, describuntur. *Et omnes, qui audierunt, mirati sunt, et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* O Mater sapientissima, et sola talis Filii dignissima, quæ **159** omnia verba hæc in corde suo ideo conferebat, nobisque conservabat, et memoriæ commendabat, ut postea, ipsa docente, ipsa narrante et nuntiante, scriberentur, et in universo mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nuntiarentur. Ab ipsa enim hæc apostoli audierunt. Hæc in ejus schola evangelistæ didicerunt, et ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandaverunt (831). Quis igitur Evangeliis non credat ? Quis eis contradicere præsumat, quæ aut Matris, aut Filii auctoritate muniuntur? Quædam enim apostoli, et evangelistæ a matre Domini audierunt, quemadmodum ista, et cætera quæ de Salvatoris infantia scripta sunt. Plurima vero visu, et auditu ab ipso Domino didicerunt. *Et reversi sunt pastores glorificantes, et laud in omnibus, quæ audierant, et viderant, est ad illos.* Beati isti pastores, qui Chr num videre meruerunt, et Deum lauda rificantes ea quæ audierant et viderant Beati illi pastores, qui usque hodie in E sepio, id est, in sacris voluminibus Chr runt, et in eum fideliter credunt, ejus nuntiantes, ejus fidem prædicantes, et laudantes et glorificantes (832).

VIII. *Et postquam consummati sunt circumcideretur puer, vocatum est nome quod vocatum est ab angelo, priusquam i ciperetur* (833). Nobis, non sibi circumci nus. Sicut enim nobis est natus, nobis et passus, ita et nobis est circumcisus (8 Abraham circumcisus est, de quo Ap « Qui signum accepit circumcisionem, justitiæ fidei (*Rom.* IV, 11). » Data est cumcisio (835), non ut peccata tollere ptismi præcipuum est, sed ut aliquid et quadam differentia Judæorum popul gentibus separaret. Quamvis itaque proc transgressionem quicunque olim non ci tur, damnabatur, nemo tamen per circu justificabatur. Ut enim Apostolus ait : sio quidem prodest, si legem observes, prævaricator legis sis, circumcisio tua facta est. Non enim qui in manifesto J neque quæ in manifesto in carne est sed qui in abscondito Judæus est, et cordis in spiritu, non littera (*Rom.* II., gnum igitur aliquid significat circumci magnum aliquid, ut cuicunque eo modo non fuerit, ut interim de parvulis taceat non possit. De hac enim circumcisiou est : « Circumcidite corda vestra, et n vestra (836). » De carnis vero circumci stolus ait : « Ego Paulus dico vobis, circumcidamini, Christus vobis nihil pr v, 2). » Hæc circumcisio in Christo co in quo et aliæ legis cæremoniæ consum « Finis enim legis Christus est ad justi credenti (*Rom.* X, 4). » Ideo enim ipse est, ut legem compleret, et bonam esse

(831) Beda : « Quia sanctas Scripturas legerat, et sciebat prophetas, conferebat ea, quæ secum sunt acta de Domino, cum his, quæ noverat a prophetis scripta de Domino, et collata ab invicem cognovit ; instar cœlestium cherubim socia, sui vultus luce concordia. » S. Ambrosius : « Argumenta fidei conferebat in corde. Si Maria a pastoribus discit, cur tu declinas discere a sacerdotibus ? Si Maria ante præcepta apostolica tacet, cur tu post apostolica præcepta magis cupis docere quam discere ? »

(832) Hacten., homil.

(833) Est homil. Emis. attributa in Oct. Nat., pag. 26.

(834) Beda ad h. l. « Redemptor noster, qui ut peccata mundi tolleret, sine peccato venit in mundum, sicut suo baptismate nobis remedia procuravit..., ita etiam circumcisione quam suscepit, non sua quæ nulla erant admissa purgavit, in se naturæ vetustatem docuit innovan V. S. Thomam III p., qu. 37, a. 3. Be « ritus et religio circumcisionis a B. Ab triarcha sumpsit exordium. » V. S. lib. II De Abraham, cap. 2. Marshamun cerum, qui Hebræos ab Ægyptiis ritum sionis desumpsisse contenderunt, refut Meyerus De temporib. sacr., cap. 7 e nus Wormius, De corruptis vestig. ant cap. 13.

(835) V. S. Thomam I, 2, qu. 102 Et interpretes ad illud Pauli ad Rom. III, utilitas circumcisionis ? Multum per om dum, » etc.

(836) Deuteron. X, 16 : *Circumcidite i putium cordis vestri.*

Digitized by Google

jusque nobis significationem commendaret. Unde et ea nocte, qua traditus est, cum discipulis agnum comedit, et mox quid significaret ostendit, dum panem et vinum benedicens, ait : « Accipite, et comedite : hoc est corpus meum; et : Bibite, ex hoc omnes : hic est enim calix novi testamenti, qui pro vobis, et pro multis effundetur (*Matth.* xxvi, 26). » Et hoc sacramentum tunc ab eo, et in eo esse completum, neque ulterius secundum litteram agendum esse, vel intelligendum, protinus ostendit, dicens : « Amen, dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum novum in regno Dei (*Matth.* xxvi, 28). » Sic igitur vetus testamentum complevit et confirmavit, litteræ finem imposuit, et spirituali novæque intelligentiæ principatum Dominus tribuit. Consummata est ergo lex, atque pertransiit secundum litteram; manet autem semperque manebit secundum spiritualem intelligentiam. Unde ipse Dominus ait : « Cœlum, et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt (*Marc.* xiii, 31). » Itemque : « Amen, dico vobis, non præteribit unum iota, neque unus apex ex lege, donec omnia compleantur (*Matth.* v, 18). » Et Judæi quidem in uno membro circumcidantur; quare tamen circumcidantur, non intelligunt. Christiani vero, quid circumcisio significat, **160** intelligentes, non unum tantum, sed omnia membra circumcidunt, non pellis incisione, sed totius superfluitatis abjectione (837). Qui enim non occidit, non mœchatur, non concupiscit rem proximi sui, non mentitur, non furtum facit; qui nulli nocet, nulli injuriam facit, vana videre, vel audire, vel cogitare non appetit; iste interius et exterius perfecte circumcisus est. Hoc illa Judæorum circumcisio significat. Sine hac significatione inutilis est. Si enim intelligerent, quid significet. « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* xii, 35), » hæc est enim illius circumcisionis expositio, non se fortasse ulterius inutiliter vulnerarent. Multa sunt, quæ de circumcisione dici possunt, sed hæc pauca, quasi seminaria quædam, nos dixisse sufficiat (838).

IX. *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Scriptum est enim in lege Moysi, quod mulier, quæ « suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, et die octavo circumcidetur infantulus. Ipsa vero triginta diebus manebit in sanguine purgationis suæ, Omne sanctum non tanget, nec ingredietur sanctuarium, donec compleantur dies purgationis (839) ejus (*Levit.* xii, 2). » Hac enim lege beata Virgo Maria non tenetur, quæ, nullo suscepto semine, virgo concepit, virgo peperit, clausa ante partum, clausa in partu, et post partum clausa permansit. Ad cujus distinctionem Moyses non simpliciter dixit : « Mulier, quæ pepererit masculum, sed cum additamento, quæ suscepto semine masculum pepererit, immunda erit septem diebus (*ibid.*). » Hæc autem quid significent, in Levitico exposuimus (840). Exspectavit tamen virgo Maria, donec omnes purgationis dies complerentur; quod non sibi, sed aliis mulieribus lex constituerat. Non enim de ea dictum fuerat, « omne sanctum non tanget, » quæ ipsum Sanctum sanctorum in gremio tenebat, in sinu fovebat et virgineo lacte nutriebat. Completis autem diebus, tulerunt puerum in Jerusalem, *ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.* Ex eo namque tempore, quo primogenita Ægyptiorum Dominus interfecit, omnia primogenita filiorum Israel sibi vindicavit, sibique offerri præcepit. Sed cur hæc? nisi ut omnia prima et maxima, omnia meliora et chariora Domino offerantur. Offeramus igitur ei fidem nostram; offeramus animas nostras, quæ non de terris, sed de cœlis originem habent, et quæ prima in nobis, et præcipua, et maxima sunt. *Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Turtur enim castissimum animal est; columba vero felle et amaritudine caret. Qui igitur corporis, et animæ castitatem et innocentiam custodiunt, illi equidem par turturum aut duos pullos columbarum Domino offerunt; et talis quidem hostia Domino placet, in qua nos ipsos ei offerimus et corpus et animam innocenter casteque viventes ei dicamus (841). Talem igitur ho-

(837) S. Greg., lib. xxviii, Mor., cap. 3 : « *Circumcidite præputia cordis vestri*, id est postquam luxuriam a carne exstinguitis, etiam superflua cogitationum resecate. »

(838) Alia multa adduntur in homil. pag. 26, 2.

(839) Vulg., *purificationis*.

(840) Vid. Edit. Rom. S. Brunonis tom. I, pag. 147, col. 1. S. Bernardus serm. 3 in Purific. B. Mar. col. 968, edit. 2 Mabil.) : « Putas enim, quia dicturus Moyses mulierem quæ peperisset filiam immundam esse, non timuerit super matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, et idcirco præmiserit, *suscepto semine*. Alioquin, nisi parituram prævidisset sine semine virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque, quod lex ista matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, » etc. Et serm. 51, ibid., col. 1191 : « Quid est quod dicimus B. Mariam purificari? Quid vero quod ipsum Jesum dicimus circumcidi? Enim vero tam non indiguit illa purificatione, quam nec ille circumcisione. Nobis ergo et hic circumciditur, et illa purificatur, præbendo exemplum pœnitentibus, ut a vitiis continentes, primum per ipsam continentiam circumcidamur, deinde a commissis, per pœnitentiam purificemur. »

(841) S. Ambrosius, lib. v in Hexam., cap. 19, n. 62. « Turturem lex Dei velut castæ hostiæ munus elegit..... Cum Dominus in templo offeretur, oblata est..... Hoc est enim verum Christi sacrificium, pudicitia corporalis, et gratia spiritualis. Pudicitia ad turturem refertur, ad columbam gratia. » Vid. historiam quamdam ap. Gregor. Turon. De glor. conf., c. 34. Beda ad h. l. : « Ovem necesse

Christus vocatur. Recedant igitur tenebræ, fugiat caligo, quia stella in stabulo, et sol in præsepio fulget. Fetor quoque ibi esse non potest, ubi est flos campi, et lilium convallium, cujus odore suavissimo nimium delectata Ecclesia, dicit : « Trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I, 3). » Sed quid de matre Domini dicam ? cujus odoris fragrantiam rex sapientissimus Salomon admirans ait : « Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii ? » (*Cant.* III, 6.) Ubi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi fetoris indicium esse non potest. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Hic est enim ille puer, de quo scriptum est : « Puer natus est nobis, Filius datus est nobis : et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia. Amodo, et usque sempiternum. Zelus Domini exercituum facit hoc (*Isai.* IX, 6). » His enim pacis verbis nativitas et nobilitas, virtus et fortitudo, imperium et justitia, et cætera, quæ ad laudem et gloriam hujus pueri pertinent, describuntur. *Et omnes, qui audierunt, mirati sunt, et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* O Mater sapientissima, et sola talis Filii dignissima, quæ **159** omnia verba hæc in corde suo ideo conferebat, nobisque conservabat, et memoriæ commendabat, ut postea, ipsa docente, ipsa narrante et nuntiante, scriberentur, et in universo mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nuntiarentur. Ab ipsa enim hæc apostoli audierunt. Hæc in ejus schola evangelistæ didicerunt, et ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandaverunt (831). Quis igitur Evangeliis non credat ? Quis eis contradicere præsumat, quæ aut Matris, aut Filii auctoritate muniuntur? Quædam enim apostoli, et evangelistæ a matre Domini audierunt, quemadmodum ista, et cætera quæ de Salvatoris infantia scripta sunt. Plurima vero visu, et auditu ab ipso Domino didicerunt. *Et reversi sunt pastores glorificantes, et laudantes in omnibus, quæ audierant, et viderant, sicut dictum est ad illos.* Beati isti pastores, qui Deum tantum videre meruerunt, et Deum laudantes et glorificantes ea quæ audierant et viderant. Beati illi pastores, qui usque hodie in præsepio, id est, in sacris voluminibus Christi requirunt, et in eum fideliter credunt, ejus nuntiantes, ejus fidem prædicantes, et Deum laudantes et glorificantes (832).

VIII. *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero concipereretur* (833). Nobis, non sibi circumcisionem elegit. Nobis natus, nobis datus, nobis et passus, ita et nobis est circumcisus. Sicut Abraham circumcisus est, de quo dictum est : « Qui signum accepit circumcisionem, signaculum justitiæ fidei (*Rom.* IV, 11). » Data est circumcisio (835), non ut peccata tolleret (baptismi præcipuum est, sed ut aliquid et quadam differentia Judæorum populum a gentibus separaret. Quamvis itaque pro transgressionem quicunque olim non circumcisus, damnabatur, nemo tamen per circumcisionem justificabatur. Ut enim Apostolus ait : « Circumcisio quidem prodest, si legem observes, si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera (*Rom.* II). Magnum igitur aliquid significat circumcisio, magnum aliquid, ut cuicunque eo modo non fuerit, ut interim de parvulis taceam, non possit. De hac enim circumcisione dictum est : « Circumcidite corda vestra, et non carnis vestra (836). » De carnis vero circumcisione apostolus ait : « Ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (*Gal.* V, 2). » Hæc circumcisio in Christo consummata, in quo et aliæ legis cæremoniæ consummatæ sunt : « Finis enim legis Christus est ad justitiam omni credenti (*Rom.* X, 4). » Ideo enim ipse circumcisus est, ut legem compleret, et bonam esse

(831) Beda : « Quia sanctas Scripturas legerat, et sciebat prophetas, conferebat ea, quæ secum sunt acta de Domino, cum his, quæ noverat a prophetis scripta de Domino, et collata ab invicem cognovit ; instar cœlestium cherubim socia, sui vultus luce concordia. » S. Ambrosius : « Argumenta fidei conferebat in corde. Si Maria a pastoribus discit, cur tu declinas discere a sacerdotibus ? Si Maria ante præcepta apostolica tacet, cur tu post apostolica præcepta magis cupis docere quam discere ? »

(832) Hacten., homil.

(833) Est homil. Emis. attributa in Oct. Nat., pag. 26.

(834) Beda ad h. l. « Redemptor noster, qui ut peccata mundi tolleret, sine peccato venit in mundum, sicut suo baptismate nobis remedia procuravit..., ita etiam circumcisione quam suscepit, non

sua quæ nulla erant admissa purgavit, in se naturæ vetustatem docuit innova
V. S. Thomam III p., qu. 37, a. 3.
« ritus et religio circumcisionis a B.
triarcha sumpsit exordium. » V. S.
lib. II De Abraham, cap. 2. Marsham
cerum, qui Hebr
sionis desum
Meyerus De
nus Wormi
cap. 13.

(835) V
Et interp
utilitas
dum.

(836)
pu

sque nobis significationem commendaret. Unde a nocte, qua traditus est, cum discipulis agnum co- dit, et mox quid significaret ostendit, dum panem vinum benedicens, ait : « Accipite, et comedite : c est corpus meum; et : Bibite, ex hoc omnes : est enim calix novi testamenti, qui pro vobis, ro multis effundetur (*Matth.* XXVI, 26). » Et hoc amentum tunc ab eo, et in eo esse completum, que ulterius secundum litteram agendum esse, vel elligendum, protinus ostendit, dicens : « Amen, o vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, nec bibam illud vobiscum novum in regno Dei *atth.* XXVI, 28). » Sic igitur vetus testamentum mplevit et confirmavit, litteræ finem imposuit, et rituali novæque intelligentiæ principatum Domi- s tribuit. Consummata est ergo lex, atque per- nsiit secundum litteram; manet autem semper- e manebit secundum spiritualem intelligentiam. ade ipse Dominus ait : « Cœlum, et terra trans- int, verba autem mea non præteribunt (*Marc.* XIII,). » Itemque : « Amen, dico vobis, non præteribit um iota, neque unus apex ex lege, donec omnia mpleantur (*Matth.* V, 18). » Et Judæi quidem in o membro circumcidantur; quare tamen circum- dantur, non intelligunt. Christiani vero, quid cir- mcisio significat, **160** intelligentes, non unum itum, sed omnia membra circumcidunt, non præ- cisione, sed totius superfluitatis abjectione (837). i enim non occidit, non mœchatur, non concu- scit rem proximi sui, non mentitur, non furatur sit; qui nulli nocet, nulli injuriam facit, vi- dere, vel audire, vel cogitare non appetit in- terius et exterius perfecte circumcisus est. Ita a Judæorum circumcisio significat. Sine re- ificatione inutilis est. Si enim intelligeret, gnificet. « Sint lumbi vestri præcincti, (838), » hæc est enim illius circumcisionis [illegible] n se fortasse ulterius inutiliter vulnerans : Ita nt, quæ de circumcisione dici possunt, ad [illegible] ica, quasi seminaria quædam, [illegible] at (838).

IX. *Et postquam impleti sunt dies octo, ut circumcideretur puer, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Quia enim [illegible] sanctum Dominum [illegible] lege Moysi, qua [illegible] peperit masculum, [illegible] die octavo circumcidatur [illegible] ginta diebus manere. [illegible] Donec sanctificationis [illegible] rium, donec [illegible] ejus (*Levit.* XII, 2. [illegible] Maria non tangat [illegible] concepit, [illegible] in pace, et [illegible] jus [illegible] « Habebat [illegible] [illegible] [illegible]

stiam matrem Domini offerre decebat, cujus tota vita castitas, et innocentia fuit.

X. *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus, et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.* Qualis enim, et quantus Simeon iste fuerit (842), breviter ostendit, dum eum justum, et timentem Dominum populi consolationem exspectare, et desiderare dicit, cui et Spiritus sanctus, qui in eo erat, Filii Dei adventum revelaverat atque promiserat. Et hoc est, quod ait : *Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Quanto desiderio videndi **161** Dominum senex iste beatissimus æstuabat, quem jam ætas de hoc sæculo exire cogebat, sed Dei responsio retinebat? Mori enim cupiens, mori non poterat, quia Christum Domini necdum viderat, de quo sibi factum responsum audierat; *Non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Hoc igitur desiderabat, hoc mente tractabat, hoc semper cogitabat (843) dicens : Scio, quia veniet : quando eum videbo? Veni Domine Jesu, solve mihi vincula, et me jam nunc in pacem abire dimittet. Dum autem hoc secum diceret, dum hoc desiderio æstuaret, dictum est illi a Spiritu sancto . . . . . quem quæris, nunc eum. . . . . (844) festina; vade ad templum. *Et venit in Spiritu ad templum*, id est, Spiritu jubente venit ad templum. *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas.* Cum, inquit, parentes ejus puerum Jesum in templum inducerent, ut secundum consuetudinem legis pro eo facerent, occurrit senex, brachia extendit, et parentibus ait : mihi eum date; mihi debetur, mei officii est; ad hoc missus sum; huic obsequio reservatus sum. Deinde lætus et exsultans accepit eum in ulnas suas. Mox senectus fugit, et juvenilis vigor advenit, et fortitudo. Qui prius se ipsum ferre vix poterat, nunc leviter puerum ferens exsultat. Elegantier igitur dictum est : « Senex puerum portabat, puer autem senem regebat, quem Virg et post partum Virgo permansit, ipsum nuit, adoravit. » *Et benedixit Dominu Nunc dimittis servum tuum, Domine verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi tuum, quod parasti ante faciem omn rum. Lumen ad revelationem gentium plebis tuæ Israel* (845). Te inquit, ben missio tua completa est. Completum et rium meum, quia video Christum tuum meum. Dimitte igitur servum tuum in vidi salutare tuum. Jesus enim *Salvator taris* interpretatur; de quo scriptum es fecit Dominus Salutare suum; ante consp tium revelavit justitiam suam (*Psal.* xcv enim lumen, hanc lucem, hunc solem tum splendorem parasti, atque misisti, omnium populorum. Ad quid? *Ad revel illuminationem gentium, et ad gloriam Israel.* Hoc enim lumine et gentes illum Judæi glorificantur. Magna enim gloria ill de illorum gente hoc tantum lumen e (846).

XI. *Et erat pater ejus et mater mirant quæ dicebantur de illo.* Cur autem Pater Joseph, in sequentibus evangelista ostet « Et ipse Jesus erat incipiens quasi annor ut putabatur filius Joseph (*Luc.* III, 23). » N rei veritate, sed in hominum opinione: filius Joseph. *Et benedixit illis Simeon, Mariam matrem ejus : Ecce positus est nam, et in resurrectionem multorum in I signum, cui contradicetur.* Hoc est enim se ipso Dominus ait : « In judicium ego v mundum, ut qui non vident videant, et cæci fiant (*Joan.* IX, 39). » Illis enim *in* situs est Dominus, qui ejus signo contra vero *in resurrectionem*, qui ejus signa, venerantur, et credunt (847), quoniam il ritum ruunt, isti autem ad gloriam Quod enim de Virgine natus, magnum et

est innocentiæ, et turturem pariter, sive columbam conjunctionis offerat qui legitime Domino voluerit consecrari. »

(842) De Simeonis hujus laudibus, fuse A. homil. in occursum Domini inter Spur. S. Athanas. tom. II, pag. 419.

(843) Ambrosius lib. II, in Luc., n. 58 : « Et bene justus, qui non suam, sed populi gratiam requirebat, cupiens ipse corporeæ vinculis fragilitatis absolvi, sed exspectans videre promissum; sciebat enim quia beati oculi qui eum viderent. Vide justum velut corporeæ carcere molis inclusum velle dissolvi, ut incipiat esse cum Christo... Sed qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Jerusalem, exspectet Christum Domini, accipiat in manibus Verbum Dei, complectatur quibusdam suæ Dei brachiis, etc. » S. Augustinus serm. 163. « Quid est enim salutare ejus, nisi Christum ejus? . . Desiderabant hoc salutare antiqui justi... Dixerunt : *Salutare tuum da nobis;* Christum tuum cum in hac carne vivimus, videamus. Videamus in carne qui nos liberet a carne; veniat caro mudans carnem... In hoc desiderio erat il senex Simeon : in hoc, inquam, desi senex ille sanctus et de Deo bene meritu sine dubio et ipse dicebat : *Ostende nobi misericordiam tuam, et salutare tuum da* hoc desiderio, in talibus precibus respon pit, » etc. Vide ejusdem sermonem 277, serm. 288, num. 2, serm. 370, num. 3,

(844) Hic lacerata codicis nostri pagi verba aliqua, quorum tamen sensus cons debis eum quem quæris; nunc illum Dec festina, » etc.

(845) Est responsorium 2 in fest. Pu responsoria S. Gregorii edita a card. Tho edit. pag. 75, et nunc opp. t. IV, pag. 63

(846) Theophylactus ad h. l. : « Salutare est ad illustrationem gentium obtenebratar gloriam Israelitarum. Christus enim glori puli, qui vere Israel est, secundum qu ortus est. »

(847) S. Gregorius Nyssenus, orat. D Dom. I. II, pag. 382. « Igitur ruina quide

Digitized by Google

num est. Huic autem signo nos credimus, Judæi A David aperire librum, et solvere septem signacula
ıtradicunt. Resurrexit, cœlos ascendit. Et hoc ejus (*Apoc.* v, 5). » Qua in re manifestum est om-
idem signum est. Sunt autem et multa alia signa, nium prophetarum cogitationes et occulta mysteria
æ fecit Dominus Jesus, quibus infideles contra- Christi passione revelata esse. Et hoc quidem velum
:unt, et excæcantur; fideles credunt, et illu- templi significavit, quod eo moriente scissum est,
nantur. Sic igitur *positus est* aliis *in ruinam*, et ut omnibus apparerent Sancta sanctorum (850).
is *in resurrectionem. Et* **162** *tuam ipsius animam* *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser.*
rtransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus *Hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum*
gitationes. Tuam, inquit, ipsius animam pertrans- *viro suo annis septem a virginitate sua, et hæc vidua*
t gladius; gladius utique spiritus, qui est Verbum *erat usque ad annos octoginta quatuor, quæ non dis-*
i (848), ut tibi ex multis cordibus revelentur co- *cedebat de templo, jejuniis, et obsecrationibus ser-*
ationes, quas nemo, nisi Spiritu sancto reve- *viens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superveniens*
ıte, cognoscere potest. Ut enim de aliis tacea- *confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus,*
ıs, ipsas filii sui cogitationes eam cognovisse ex *qui exspectabant redemptionem in Israel.* Hæc igitur
intelligere possumus quod ad nuptias vocata, hoc mulier venerabilis, cujus nobilitas extollitur, con-
od ille facere disponebat, ipsa ut faceret admone- B tinentia laudatur, ætas commendatur, religio præ-
t, dicens: « Vinum non habent (*Joan.* II, 3). » Cui dicatur, idonea valde et digna erat quæ Dei Filio
ım ille responderet: « Quid mihi et tibi est, mulier? testimonium perhiberet (851). Tales enim non mi-
ndum venit hora mea (*ibid.*, 4), » ipsa, gladio spi- nus, quam viri in testimoniis suscipiuntur. *Et ut*
tus per eam transeunte, futura prænoscens, ait mini- *perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi*
ris: « Quodcunque dixerit vobis, facite (*ibid.*, 5). » *sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth.* Multa
oc enim illa non dixisset, si ejus cogitationes non hoc in loco scribit Matthæus evangelista, quæ Lu-
gnovisset. Possumus autem et per hunc gladium, cas prætermittit. Sicut econtra hæc, quæ hic Lu-
ıo non corpus, sed anima, vulneratur, immensum cas, Matthæus prætermisit. Admonitus enim in
ım dolorem intelligere, quo Virgo beatissima de somnis Joseph, ut Matthæus ait: « Secessit cum
orte unigeniti Filii sui vulnerata (849) et per- puero in Ægyptum, et erat ibi usque ad obitum
ıssa est. *Ut revelentur ex multis cordibus cogitatio-* Herodis (*Matth.* II, 14). » Defuncto autem Herode,
:s. Christi namque passio multorum cordium rediit in Galilæam, et sicut hic scribitur, habitavit
gitationes, et secreta mysteria revelavit, quo- in civitate Nazareth. *Puer autem crescebat, et*
ım prophetarum dicta, cogitationes, et scripta C *confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in*
i revelata, et consummata sunt. Quis enim, nisi *illo.* Secundum humanitatem namque crescebat,
ıristus passus esset, intelligere posset, quid Pro- quia secundum humanitatem puer erat. Divinitas
ıeta cogitasset, cum diceret: « Foderunt manus autem crescere non poterat, quia ubicunque est,
eas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa et omnia continet. Quotiescunque igitur Christus
ea? » (*Psal.* XII, 17.) Itemque: « Ego dormivi, crescit, vel confortatur, vel tale aliquid agit, om-
somnum cepi, et resurrexi, quoniam Dominus nia ad hominem referantur (852).
:scepit me (*Psal.* III, 6). » Sunt autem et alia multa XII. *Et ibant parentes ejus per omnes annos in*
ıbis quidem revelata, quæ ideo Judæi intelligere *Jerusalem in die solemni Paschæ. Et cum factus*
ın possunt, quia super Christo dicta non credunt. *esset annorum duodecim, ascendentibus Jerosoli-*
nde in Apocalypsi cum beatus Joannes omnium *mam, secundum consuetudinem diei festi, consumma-*
'ophetarum librum signatum vidisset, multumque *tisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in*
:ret, quod nemo eum aperire potuisset, dictum est ei: *Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus.* Reli-
Noli flere: ecce vicit Leo de tribu Juda, radix giosi parentes per annos singulos ibant in Jerusalem.

D

ıi propter incredulitatem carnis illius offenduntur; nis et venerandæ pariter ætatis, dignaque per om-
:surrectio vero iis, qui firmitudinem divinæ dispo- nia quæ Domino incarnato testimonium ferret, An-
tionis et administrationis agnoverunt. » na fuisse docetur. »

(848) Ambrosius ad h. l. n. 61: « Nec littera, nec (852) Hactenus homil. S. Augustin. lib. II, contr.
istoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis Maximin., n. 7. « Legimus quidem quod » *Jesus*
assione migrasse... Et ideo prudentiam Mariæ *proficiebat ætate et sapientia et gratia Dei erat in illo;*
aud ignaram mysterii cœlestis ostendit: »—« Vivum « sed secundum formam hominis quam pro nobis
nim verbum Dei, et validum, et acutum omni accepit ex nobis, non secundum formam Dei, in
ladio acutissimo, » etc. qua non alienum arbitratus est esse æqualis Deo.

(849) Nyssenus l. all. « Cum fore, ut ipsius Dei- Verumtamen etiam in ipsa forma hominis legimus
aræ animam gladius pertransiret, aperte prædicit eum ætate et sapientia profecisse, non tamen ut ex
am quæ fuit in cruce passionem. » Vid. Aug. epist. non bono bonus fieret, credendo meruisse. » Theo-
49 ad Paulin., n. 32, et S. Thomam. III p., qu. phylactus: « Juxta rationem staturæ seipsum pro ip-
7, art. 4 ad 2. sius capacitate ostendens, dispensationem implebat

(850) Mysticas significationes colligit Cornelius a non assumens sapientiam (quid enim perfectius eo
apide ad Matth. XXVII, v. 51, Jansenius Concord. qui ab initio fuit perfectus?), verum paulatim illam
ap. 143, Maldonatus, etc. denudat. »

(851) Beda: « Juxta historiam devotæ conversatio-

Digitized by Google

163 ut legem audirent, sacrificiis participarent, solemnitatibus interessent, et ejus adhuc umbræ serviebant, cujus jam veritatem tenebant (853). Tota enim illa solemnitas Christi passionem, resurrectionem, et cætera quæ de eo scripta sunt significabat. Erat igitur simul cum cæteris Jesus in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis. Permistus turbis videbatur ab omnibus, laudabatur ab omnibus in lege et prophetis prædicabatur, in sacrificiis significabatur, et a nemine cognoscebatur, quia duplici velamine tegebatur. Inde velamine litteræ, hinc carnis pariete. Unde scriptum est : « En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos (*Cant.* II, 9). » Ipse jugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, et in omnibus sacrificiis offerebatur (854). Mater quoque ejus multa ibi in lege et prophetis cantare audiebat, quæ de ipsa dici intelligebat, et in se jam completa esse sciebat. Qualia sunt : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa.* VII, 14). » Itemque : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (*Isa.* XI, 1) : » et multa alia. Merito igitur per annos singulos illuc veniebant, ubi suas laudes ab omni populo prædicari audiebant. Tandem autem, consummatis diebus, et completa solemnitate, cum redirent, *remansit puer Jesus in Jerusalem.* Tunc enim Judæorum solemnitates completæ sunt, quando Christo Domino nostro a mortuis resurgente, vetera omnia transierunt, et facta sunt omnia nova. Et tunc quidem remansit puer Jesus in Jerusalem, quæ *visio pacis* interpretatur (855), per quam sanctam Ecclesiam intelligimus. Unde et dicitur : « Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion (*Psal.* LXXV, 3). » Hoc autem parentes ejus, id est Synagoga, et Judæorum populus non cognoverunt ; sed *eum in comitatu esse æstimantes, venerunt iter diei.* Stulti Judæi, qui secum adhuc eum esse putabant, quem jam occiderant, et dicentem audierant : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Luc.* XIII, 35). » Et in Psalmis : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV, 8). » — *Requirentes autem eum inter cognatos, et notos, et non inveniéntes, regressi sunt in Jerusalem requirentes eum.* Hoc enim tunc spiritualiter c
est, quando post Christi passionem quidsi
rum corde compuncti venientes ad aposto
enim fuit quærere Christum, et redire in J
dixerunt : « Quid faciemus, viri fratres?
31). Quibus apostolus Petrus : « Pœnite
quit, agite, et baptizetur unusquisque
(*ibid.*, 38). » Hos igitur et cæteros, qui tu
ris crediderunt, significabant parentes J
niam sicut illi ignorantes eum perdidera
isti ignoranter eum occiderant. Unde
Petrus : « Et nunc, fratres, inquit, scimus
per ignorantiam fecistis, sicut et princi
(*Act.* III, 17). » Merito autem parentes Je
loco Synagogam et Judæos significant,
Jerusalem eum duxisse narrantur, ut ea i
catione jam fieri viderent, quæ postea in
surus erat. *Et factum est, post triduum*
illum in templo in médio doctorum, audie
et interrogantem. Post triduum in templo
Jesus; quia post resurrectionem, quæ die t
est, ab his, qui eum quærunt, in Eccles
tur (856). Ante triduum quidem non inv
quia non Deus, sed homo tantum ab
putabatur. Sed ubi invenitur? In templo,
sia, in conventu fidelium, in medio docto
cœtu episcoporum. Qui igitur quæris Je
ad templum, veni ad Ecclesiam, veni ad
et sacerdotes, audi quid ipsi dicunt, ibi e
bis Jesum (857). Ibi sedet in medio doc
cordibus eorum. Ibi eos audiens docet, e
gans instruit. Illi omnes actus nostri et co
respondent. Nihil ei absconditur, omnia
cuncta ei loquuntur. *Stupebant autem o*
eum audiebant, super prudentia, et respo
Ipse igitur interrobagat, ipse respondebat
suas, et illorum quæstiones solvebat; mor
peritissimi **164** magistri, qui nunc inte
nunc respondendo, discipulos instruit (858
dentes admirati sunt. Admirati, inquit, sunt
ejus, cum eum in templo in medio doctor
vidissent. Admirantur usque hodie Judæi q
ad Ecclesiam veniunt, et ad fidem conv
dum ibi Christum vident, quem ipsi Messia

(853) Beda in homil. de hoc loc. : « Quod ergo Dominus per omnes annos cum parentibus in Pascha Jerosolymam venit; humanæ nimirum est humilitatis indicium... Servavit ipse legem quam dedit; ut nobis, qui puri hominès sumus, servandum per omnia quidquid Deus jubet, ostenderet. »

(854) S. Augustinus, lib. XXII contr. Faust., c. 17 : « In eo populo hæc rite celebrata sunt, cujus et regnum et sacerdotium, prophetia erat venturi regis et sacerdotis, ad regendos et consecrandos fideles in omnibus gentibus, et introducendos in regnum cœlorum, et sacrarium angelorum, ac vitam æternam. »

(855) Idem S. Aug. enarrat in Psal. IX, n. 12 : « Jerusalem gestat imaginem Ecclesiæ... quia Jerusalem interpretatur *visio pacis.* » Vid. enarrat. in Psal. L, n. 22; in Psal. LXI, n. 7, etc.

(856) Metaphrastes in Catena Corderii : « Quam ob causam non prima aut secunda, sed t
quæsitus a parentibus invenitur? Hc se
hinc fortassis suam ad triduanam significet
ctionem. »

(857) Origenes homil. 19 in Luc. : « U
inveniunt eum? In templo. Ibi enim inve
lius Dei. Si quando et tu quæsieris Fil
quære primum in templo : illuc propera;
stum sermonem atque sapientiam, id es
Dei reperies; » et homil. 20 : « Quæsierun
plo, sed apud magistros, et in medio præ
inveniunt eum. Ubicunque magistri fuerin
dio magistrorum invenitur Jesus, si tam
ster sedeat in templo, et nunquam egred
eo. »

(858) Præclare Beda : « Quia enim Deus
est, nunc excelsa deitatis, nunc infirma
humanæ fragilitatis. Quasi homo seniores

Digitized by Google

quem in Synagoga, et inter cognatos, et notos, nulla illorum expositione videre, vel intelligere potuerunt. *Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego dolentes quærebamus te.* Diximus jam, per matrem Domini Synagogam significari, de qua Dominus secundum carnem originem duxit. Hæc autem quocunque tempore ad Ecclesiam veniens, ibique veritatem intelligens, suam ignorantiam, et Christi absentiam admiratur et admirando dicit : *Fili, quid fecisti nobis sic?* Cur nos reliquisti, et ad gentium Ecclesiam pertransisti? Ecce pater tuus, populus Judaicus, et ego dolentes quærebamus te. Hoc est enim, quod Apostolus ait : « Testimonium illis perhibeo, quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam (*Rom.* x, 2). » Quærunt Jesum, et non inveniunt, quia nondum ad templum, et ad Ecclesiam pervenerunt. *Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Quid est, inquit, quod me quærebatis? Quid est, quod me in comitatu infidelium, et extra Ecclesiam esse putabatis? hic eram : hic me quærat, qui quærere vult. An nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, et inter illos, qui Patris mei voluntatem faciunt, oportet me esse? *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad illos.* Cur non intellexerunt? Quoniam eos significabat. *Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.* Audiant hoc subditi, et subditi esse non dedignentur, siquidem omnibus prælatus subditus fieri non est dedignatus (859). Prælati quoque non superbiant, et in Joseph prælato, et in Christo subdito intelligant, quia sæpe fit ut majoris meriti sint subditi quam prælati. *Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Nisi enim ipsa ea conservasset, nos ea non haberemus. De ejus namque thesauris nos ista suscepimus. *Et Jesus proficiebat sapientia, ætate, et gratia apud Deum, et homines.* Proficiebat (860) enim non secundum divinitatem, quæ quidem in nullo vel crescere vel minui potest, sed secundum humanitatem, qua nobis similis factus est.

XIII. Hinc autem sequitur, quo tempore Joannes Baptista baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum prædicare cœpit. Quod quia in Matthæo expositum est, ut hic exponatur, necessarium non est. Sed notandum quod non solum aqua, sed et pœnitentia baptismus vocatur (861). Prædicabat igitur Joannes baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sed non dabat remissionem peccatorum. Unde et his, quos baptizabat, dicebat : « Ego quidem baptizo vos in aqua; qui autem venit post me, fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu, et igne (*Luc.* III, 16). » Illis itaque baptismus, significatio, et præparatio quædam erat futuri baptismi. [Cap. III.] *Et interrogabant eum turbæ dicentes : Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis : Qui habet duas tunicas det non habenti, et qui habet escas similiter faciat.* In una enim tunica tantum vestimenti intelligitur, quantum unicuique sufficere possit ad corporis necessaria. Qui ergo his superabundat, det non habenti (862). His igitur verbis tenacitas, et avaritia tollitur, et pietas, et misericordia commendatur (863). *Venerunt autem et publicani, ut baptizarentur,* **165** *et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos : Nihil amplius, quam constitutum est vobis, faciatis.* Hoc enim constitutum fuerat, quod et cæteris omnibus. Una enim lex omnibus per Moysem data fuerat. Unde et Dominus ipse dicebat : « Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, et Pharisæi; quæcunque dixerint vobis facite (*Matth.* XXIII, 2). » Hoc enim unum constitutum, si bene intelligatur, omnibus sufficit ad salutem. *Interrogabant autem eum et milites dicentes : Quid faciemus et nos? Et ait illis : Neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris.* His enim docemur ut eos, quos ad vitæ perfectionem convertere nequimus, saltem, ut se a malo contineant, admoneamus. Hoc enim aliis prodest, et illis non obest.

ga.; quasi Deus quæ seniores et docti mirentur respondet; quasi Dei Filius in templo Dei commoratur; et quasi filius hominis cum parentibus quo jubent regreditur. »

(859) Bernardus, hom. 1 sup. Miss. est : « Erat subditus illis : quis? quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt. Subditus erat Mariæ : nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive filii benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignitatem; utrinque stupor, utrinque miraculum; et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio... Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare... Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit; et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori?... Si hominis, » homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum, sequi auctorem tuum. »

(860) Vide dicta superius num. 11.

(861) S. Gregorius Nazianzenus, orat. 39, pag. 634, plura baptismorum genera recensens, facit quintum pœnitentiæ baptismum : « Quintum locum lacrymarum baptismus tenet. »

(862) Beda aliter : « Per hoc quod tunica plus est necessaria usui nostro quam pallium, ad fructum dignum pœnitentiæ pertinet, ut non solum exteriora quæque et minus necessaria, sed ipsa valde nobis necessaria dividere cum proximis debeamus. »

(863) Ambrosius, l. II, in Luc., n. 77 : « Singulis generibus hominum conveniens tribuit S. Jo. Baptista responsum... Sed hæc et alia officiorum præcepta propria singulorum : misericordiæ communis est usus, ideo commune præceptum est, omnibus officiis, omnibus ætatibus necessaria, et ab omnibus deferenda... Misericordia enim plenitudo virtutum est : et ideo omnibus est proposita perfectæ forma virtutis, ne vestimentis alimentisque suis parcant. Misericordiæ tamen ipsius pro possibilitate conditionis humanæ mensura servatur; ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quod habet cum paupere partiatur. »

Digitized by Google

Gentiles enim erant isti, et majora suadenti non credidissent (864).

XIV. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Eli, qui Mathat, qui fuit Levi.* Aliter autem secundum Matthæum Joseph filius est Jacob (*Matth.* I, 15), qui fuit Mathat, qui fuit Eleazar. Duorum igitur filius est Joseph, Eli scilicet et Jacob. Sed alterius secundum carnem, et alterius secundum legem (865). Præcipit enim lex ut si frater mortuus fuerit non habens semen, frater ejus defuncti uxorem suscipiat, ad suscitandum semen fratris sui. Mortuus est igitur Eli sine semine, cujus uxorem accepit Jacob, de qua genuit Joseph. Sic igitur Joseph duorum patrum filius est, alterius secundum carnem, et alterius secundum legem. Dicuntur autem fratres, non solum ex eisdem parentibus natis, verum etiam omnes, qui de eadem tribu sunt. Unde et Booz, quamvis non fuisset filius Elimelech et Noemi, accepit tamen Ruth Moabitidem uxorem Maalon, eo quod esset de tribu Juda, sicut et ille, et genuit ex ea filium, quem vocavit Obeth. Fuit igitur Obeth filius Booz, et Maalon, sicut Joseph filius Eli et Jacob. [CAP. IV.] *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane, et agebatur a Spiritu in desertum diebus quadraginta; et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, et fama exiit per universam regionem de illo, et ipse docebat in Synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus.* Non est autem intelligendum quod statim post jejunium (866) de deserto Dominus rediens, in Synagogis prædicare, et miracula facere cœpisset. Alioquin verum non esset, quod Joannes de vini miraculo ait: « Hoc fecit initium signorum Jesus in Chana Galilææ, et manifestavit gloriam suam (*Joan.* II, 11). » Intelligendum est igitur quia toto illo anno, quo Salvator noster baptizatus fuerat, neque in Synagogis publice prædicavit, neque miracula aliqua fecit. Habebat tamen paucos discipulos, sicut et Joannes, qui eum sequebantur et audiebant. Anno autem jam fere evoluto, cum iterum Joannes eum ambulantem vidisset, ait : « Ecce Agnus Dei (*Joan.* I, 36); » et audientes duo discipuli ejus, quorum alter erat Andræas frater Simonis Petri, secuti sunt

A Jesum, et manserunt cum illo die illo. Illo et non amplius. Tunc autem Andræas duxi suum Simonem ad Jesum. Cui Dominus : inquit, Simon filius Jona? Tu vocaberi quod interpretatur *Petrus*. In crastinum luit exire in Galilæam, et invenit Phili dicit ei : Sequere me (*Joan.* I, 42). »—« Die tio nuptiæ factæ sunt in Chana Galilæ mater Jesus ibi. Vocatus est autem Jesus puli ejus ad nuptias (*Joan.* II, 1). » Il discipuli, quos tunc habebat, nondum enim vocaverat. Postea enim, ut alii evangeli bunt, Petrum et Andræam, qui pridie ad e runt, et Jacobum, et Joannem ad mare piscatione vocavit (*Matth.* X, 1; *Marc.* III,

B VI, 13). Post hæc autem, « cum Dominu quia Joannes traditus esset, » ut Matthæu lista scribit, « descendit in Capharnaum m et habitavit ibi (*Matth.* IV, 13). » Inde pul dicare cœpit, et divulgata est fama ejus terram illam. [CAP. V.] *Cum autem undi irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, e bat secus stagnum Genezareth. Ascendens unam navem, quæ erat Simonis, rogavit eu reducere pusillum, et sedens docebat de nav bas. Ut cessavit* **166** *autem loqui, dixit nem : Duc in altum, et laxate rete ad capt*

C *cum hoc fecissent, concluserunt piscium mul copiosam. Et venientes socii, qui erant in impleverunt ambas naviculas, ita ut mergere* viso miraculo, Simon perterritus ait : *E Domine, quia homo peccator sum.* Cui ip *timere. Ex hoc jam homines eris capiens.* illi ad suam, et illi ad suam stationem per paululum commoratus, vocavit Petrum, et dicens : « Venite post me, et faciam vos fi tores hominum. At illi, relictis omnibu sunt eum. Et procedens pusillum, vocavit et Joannem, et secuti sunt eum (*Matth. Marc.* I, 17). » Sic igitur se habet ordo. nifestum est quod ea, quæ hic sequuntur, vant ordinem. Sed quia constat, Salvato strum duos annos tantummodo, et tres me dicasse (867) (si quidem illo anno, quo b

(864) Vide S. Maximum seu A. alium serm. 82 inter August. et Ferraudi Paræneticum ad Reginum comitem.

(865) De genealogia J. C. apud Lucam collata cum illa, quæ exstat apud Matthæum, multi multa. V. Papebrochii diff. theogenealogicam in Propylæo, et Calmet dissert. De conciliatione genealogiarum, etc.

(866) Vide evangelicam harmoniam nomine Ammonii Alex. tom. III biblioth. PP. edit. Lugd., p. 269 et ex recentioribus Jansenium in evangelica Historia præposita Concordiæ ; Tirinum in Chronico sacr., cap. 49; Joannem de la Haye in evangelicæ dispositionis summario; Calmet in harmonia IV evangelior., etc., qui ferme in hoc rerum ordine conveniunt, ut J. C. post jejunium et baptismum Joannis; quarum rerum alii aliam anteferunt, vel

D postponunt; testimonia de se habuerit a data ; hinc Andræam et Petrum, Philippum thanael ad Christum accessisse putant; nu cutæ sint in Chana Galilææ, inde Capharna dem deducunt, post, Hierosolymam temp schalis, etc. Idem quod A. noster, prænon init. lib. II in Luc. : « Ne quis legentium ea quæ per ordinem sunt exponenda, post 40 jejunium confestim facta, sed post a Domino miracula, vel in Judæa, vel in patrata, potius animadverteret esse secuta

(867) Est hæc opinio multorum recentior tavii præsertim, cum in libris De doctrina rum lib. XII, c. 17, tum in animadversion Epiphanium, pag. 205. Monelia quoque Chr., cap. 5, n. 37 invictis rationum mome hanc opinionem asseverat. Fatendum est

Digitized by Google

ıst, a prædicatione quievit) volo hic breviter retra- A ctare atque corrigere quædam, quæ me in Apocaypsi minus caute dixisse memini. Cum enim illum ocum exponerem, in quo mulier a facie draconis n deserto fugisse narratur, ubi pascult eam per empus, et tempora, et dimidium temporis, id est ielsus mille ducentis sexaginta, dixi, Christum tres nnos et dimidium prædicasse. Sed hæc non ad Christum, sed ad tempora Antichristi referenda erant, qui tres annos et dimidium regnabit, in quibus Salvator noster cibis spiritualibus, et Scripturarum consolationibus, et sanctorum exemplis sanctam Ecclesiam pascet et nutriet, ne in illa tam mmensa perturbatione nimium fatigata deficiat. Sed de his hactenus.

XV. *Et egressus est Jesus in virtute Spiritus in Ga-* B *ilæam, et fama exiit per universam regionem de illo* (868). Prædicaverat enim Dominus Jesus in Judæa, et suæ virtutis potentiam in signis, et miraculis ostenderat, et deinde regressus est in Galilæam. Sed quomodo regressus est? *In virtute Spiritus.* Semper enim Filius in Patre, et Pater in Filio, et in utroque Spiritus sanctus. Quamvis igitur semper in virtute Spiritus iret Jesus, tunc tamen hoc præcipue agere videbatur, quando in sermone, et opere suæ virtutis potentiam demonstrabat. Unde et subditur: *Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus.* Ideo enim ab omnibus magnificabatur, quia in virtute Spiritus prædicabat. *Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit se-* C *cundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, et surrexit legere. Et traditus est illi liber prophetiæ Isaiæ.* In Nazareth nutritus erat, sed litteras in Nazareth non didicerat. Surrexit tamen legere, quatenus his, inter quos nutritus fuerat, legendo miraculum faceret: nunquam enim alibi hoc eum fecisse legimus. Si enim alibi hoc fecisset, litteras magistro didicisse putaretur. Hoc autem isti opinari non poterant, qui eum ab infantia cognoverant, et in scholis nunquam viderant, et nunquam amplius legentem audierant. Sed nota, quod ait: *intravit secundum consuetudinem suam in synagogam.* Hanc enim consuetudinem Christiani habere debent, ut quotidie ad ecclesiam veniant, quotidie vel ipsi legant, vel, si hoc non valeant, alios legen- D tes audiant. *Et ut revolvit librum, invenit ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium synagogæ oculi erant intendentes in eum. Cæpit autem dicere ad illos: quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Non enim mirabantur quia legebat, nisi fortasse pro eo, quod litteras non didicerat; sed quia ea quæ legebat mirabiliter exponebat. Erant enim verba illius gratiæ plena, cunctisque ad audiendum suavia; secundum illud: « Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis (*Psal.* XLIV, 3). » Itemque: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel, et favum ori meo (*Psal.* CXVIII, 103). » Hanc enim gratiam, et dulcedinem non tantum lectio, quantum lectionis expositio dabat. Videamus igitur, quid hæc Isaiæ prophetæ, imo Salvatoris nostri lectio significet (869). De se enim ipse eam intellexit, et in se dixit completam. *Spiritus,* inquit, *Domini super me.* Ipse enim est ille **167** *flos de radice Jesse*, « super quem requiescit Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, et intellectus, Spiritus consilii, et fortitudinis, Spiritus scientiæ, et pietatis, et Spiritus timoris Domini (*Isa.* XI, 1). » (870). Ipse est, de quo scriptum est: « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV, 8). » Decet enim, et multum convenit ut talis eligatur, et in regem ungatur, qui et iniquitatem oderit, et justitiam dilexerit. Dicat igitur: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Illis utique pauperibus, de quibus dicitur: (871) « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V, 3). » Unus ad eum dives venit, qui, ejus verbis auditis, tristis abiit, quia multas habebat possesiones. Merito igitur non divitibus, sed pauperibus Dominus prædicat (872). Sanat autem contritos corde, quia talibus ejus medicina facile subvenit. De quibus Psalmista; « Sacrificium inquit, Deo spiritus contribulatus, cor contritum, et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19) (873). » Habeat igitur cor contritum, qui a Deo sanari desiderat. Prædicat et captivis remissionem, non qua

uæ invicta argumenta hic vocat, conjecturas mire ncertas a Grotio appellari; et multo fortasse plures ontrarium sententiam tueri. Eusebius quidem ex 'ett. et in H. E. l. I, c. 9 et in E. D. l. VIII. Christi rædicationi Τρια και ἡμισυ ἐτη tribuit; idemue facit Theodoretus in cap. 9. Dan. et Hieron. 'ræterea ex recentioribus Jansenius, Toletus, Emanuel Sa, a Lapide, Jo. de la Haye, Calmet, etc., ui postremus Grotium, Ligfootum, aliosque heteodoxos ejusdem sententiæ profert.

(868) Hæc expositio eadem legitur in hom. 4 post Epiph. sub nomine Emiseni edita.

(869) Est locus Isaiæ 61 de quo præ cæteris Hieonymus lib. XVII in Isai.

(870) Hieronymus ad Isai. loc. « Cujus unctio illo expleta est tempore, quando baptizatus est in Jordane, et Spiritus S. in specie columbæ descendit super eum, et mansit in illo, de quo et hic idem propheta dicebat; » *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Dei*, etc.

(871) Matth. V, 3. Hier.: « Unctus est igitur Spiritu sancto, ut annuntiaret pauperibus, sive mansuetis, dicens eis in Evangelio: *Beati pauperes spiritu*, » etc.

(872) Hinc. hom. cui aliqua addita sunt, post quæ eadem verba occurrunt.

(873) Hieron.: « Et missus est ad sanandum eos,

Digitized by Google

dimittantur a Babyloniis (874) sed quà liberentur a dæmoniis. Prædicat et cæcis visum, interiori lumine excæcatis. De qua scilicet cæcitate Apostolus ait : « Cæcitas ex parte contigit in Israel (*Rom.* xi, 25). » Dimittit confractos in remissionem, quia quos diabolus lædendo contriverat, ipse sanando, et peccata dimittendo, ad indulgentiam vocat. Annum vero Domini acceptum, et diem retributionis prædicat dicens : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* iii, 2). » Itemque : « Multi prophetæ, et reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt, et audire, quæ auditis, et non audierunt (*Matth.* xiii, 17). » De hoc anno accepto, et hoc die retributionis Apostolus ait : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*I Cor.* vi, 2). » Et dicebant : *Nonne hic est filius Joseph?* Hoc igitur solum minus habere videbatur, quod extraneus non erat, quod ejus parentes noverant, et quod ibi nutritus fuerat (875). Si enim aliunde venisset, eisque omnino incognitus esset, tunc eis per omnia venerabilis, omnique reverentia dignus haberetur (876). *Utique dicitis in hanc similitudinem : Medice, cura teipsum. Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.* Hoc enim derogando dicebant, et ea, quæ de ipso audierant, non credebant. Et tale est ac si dicerent : Si medicus es, si infirmos curare, et languores pellere potes, quod nos non credimus, cura prius teipsum, cura carnem tuam, parentes scilicet, vicinos, propinquos, et patriam tuam, et ea, quæ in Capharnaum, et aliis civitatibus te fecisse audivimus, fac et hic in patria tua, ut nos videamus. *Ait autem : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.* Ideo, inquit, non curo patriam meam, quia ei acceptus non sum, quia fidem in ea non invenio, et quia mihi, sicut cæteri, non credunt in patria mea (877). Delectatur in verbis meis, admiratur in sermonibus meis, et scandalizatur in parentibus meis; tantoque me minus cognoscit, quanto plus præ cæteris me notum habuit. *In veritate dico vobis : Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex,* A *cum facta esset fames magna in omni terra; et nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.* Non ad vos, inquit, missus sum; non vos curare, et sanare veni, quia non ad omnes viduas missus est Elias. Hoc enim ille significabat; et quod ego in veritate, hoc ille in umbra faciebat. Illam ego viduam curare, id est cibis spiritualibus satiare, et ab omni fame, penuria eripere veni, de qua scriptum est : « Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus (*Psal.* cxxxi, 15). » Hæc enim vidua est sancta Ecclesia universaliter (878), et unaquæque fidelium **168** anima singulariter intelligi potest. Venit enim Dominus vocare omnes, præsertim omnibus, sed non venit sanare et a fame eripere omnes. Nisi enim venisset, et locutus eis fuisset, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccatis suis. Prædicante itaque Domino, cœlum aperitur, fames tollitur, et fidelium animæ cœlesti nectare inebriantur. Econtra autem infidelibus, et iniquis minatur dicens : « Ecce ego immittam in vos non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei (*Amos.* viii, 11). » Sequitur : *Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Similitudo eadem, quæ superior. Multi enim leprosi multi sunt peccatores. Unus Naaman unus populus gentium, sive unusquisque fidelis intelliguntur. Hic autem ad Dominum veniens, ejus tandem sermonibus credens, baptizatus, sanatus et mundatus est. *Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes.* Ira repleti sunt, quoniam hæc adversum se dicta fuisse intellexerunt, nec indignos æstimari agnoverunt, quos ille talis, tantusque propheta visitare debuisset. *Et surrexerunt et ejecerunt illum extra civitatem et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Sæviant homines, quantum velint, fremant et irascantur, securus est Dominus, nihil timet, omnia in potestate habet, et nisi ipse velit, teneri non potest (879). Non tamen resistit, sed per medium inimi-

B

C

qui corde contriti sunt et dicunt : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicit.* »

(874) Quamvis enim Hugo et nonnulli alii de Babyloniis litteralem sensum esse putent; hos tamen refutat a Lapide, etc.

(875) Beda : « Quanta Nazarenorum cæcitas, qui eum quem in verbis factisque Christum esse cognoscunt, ob generis tantum notitiam contemnunt. »

(876) Homil. S. Brunonis ser. 2, post. iii, Dom. Quadr.

(877) Ambrosius, n. 46, hoc ad invidiam civium refert. « Non mediocriter invidia proditur, quæ civicæ charitatis oblita, in acerba odia causas amoris mutavit, » etc.

(878) Idem Ambros. n. 50 : « Diximus enim in libro alio (De viduis cap. 3), in vidua illa, ad quam Elias directus est, typum Ecclesiæ præmissum... Populus ille ex alienigenis congregatus, populus ille ante leprosus, » etc. Ante Ambrosium Origenes homil. 33. in Luc. « Puto plus juxta sacramentum, quam juxta litteram verum esse quod dicitur; licet Jeremias in Anathot patria sua non fuerit acceptus, et Isaias, quæcunque fuit patria illius, et reliqui prophetæ, sed magis mihi videtur sic intelligi, ut dicamus patriam fuisse omnium prophetarum, populum circumcisionis, et hanc non recepisse prophetas, et eorum vaticinia, populi nationes quæ longe fuerant a prophetis, et eorum notitiam non habebant, susceptisse vaticinium. C. » *Nemo est ergo propheta acceptus in patria sua,* « hoc est in populo Judæorum. Nos autem, qui eramus alieni a testamento, et peregrini a promissionibus, toto prophetas, corde suscepimus. »

(879) Beda : « Simul intellige, non ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionem : non captum a Judæis, sed a se oblatum. Etenim quando vult, capitur; quando vult, labitur; quando vult, suspenditur; quando vult, non tenetur. »

D

Digitized by Google

rum transiens, canes contemnit hinc inde latrantes (880). *Et descendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat eos Sabbatis, et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius.* In potestate namque erat sermo ipsius, quia neque quid diceret excogitabat, neque blandiendo cuilibet loquebatur sed sicut potestatem habens, majoribus et minoribus, et languoribus, et dæmonibus imperabat. *Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum et exclamavit voce magna dicens: Sine.* In hoc enim, quod *sine* clamabat, se jam teneri significabat. Dicebat ergo, Noli nos pellere. Noli nos inquietare. Sine et dimitte nos (881). *Quid nobis, et tibi, Jesu Nazarene?* Quid non sequeris? Tu cœlum; nos terram; tu justos, nos peccatores habeamus. Nihil nobis commune est. Displicet nobis quod tibi placet; placet nobis quod tibi displicet. *Venisti perdere nos. Scio te, quis sis, sanctus Dei.* Toties enim Dominus dæmonia perdit, quoties vires et nocendi potestatem eis aufert. Sed unde dæmonia Christum cognoscunt, nisi in ejus virtute quam ferre non possunt? Quid enim, eo præsente et loquente, malignos spiritus sensisse putamus, qui in ejus discipulis ejus nomen ferre non poterant? *Et increpavit illum Jesus dicens: Obmutesce, et exi ab illo. Et cum dæmonium projecisset illum in medium, exiit ab illo, nihilque eum nocuit.* Apparet cum quanta violentia et indignatione hominem reliquerit, cum eum in medium relinquendo projecerit. Nihil tamen ei nocuit, quia nihil ei nocere potuit (882).

XVI. *Factum est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent Verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth* (883). Stagnum Genesareth ipsum est, quod mare Galilææ. Unde et Matthæus hæc eadem scribens ait: « Ambulans autem Jesus secus mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus et Andream fratrem ejus mittentes rete in mare; erant enim piscatores, et vocavit eos (*Matth.* IV, 18). » Matthæus itaque, aliis omnibus, quæ in hoc evangelio narrantur, prætermissis, solam apostolorum vocationem scribit. Lucas autem non solum apostolorum vocationem, sed et alia, quæ tunc temporis Dominus egit, latius narrat. Nemo hic narrationis ordinem quærat, ubi ea, quæ posterius scribuntur, tempore priora inveniuntur. *Et vidit duas naves stantes secus stagnum; piscatores autem descenderant, et lavabant retia.* Duæ naves duo populi sunt, Judæorum scilicet, et gentium (884). Piscatores **169** autem utriusque populi doctores, et rectores intelliguntur; et in altera quidem pontifices, et sacerdotes, in altera vero philosophi, et poetæ piscari solebant. Retia autem lavare, est suæ prædicationis sententias exponere, et dilucidare (884*). *Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum, ut a terra reduceret pusillum, et sedens docebat de navicula turbas.* In naviculam Simonis Dominus ascendit, quia ad Synagogam et Judæorum populum prædicare venit. Unde ipse ait: « Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel (*Matth.* XV, 24). » De hac enim Simonis navicula Apostolus ait: « Qui operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes (*Galat.* II, 8). » Simonis igitur navicula Synagoga est, in qua Dominus residens turbas docebat, quia ibi Evangelia prædicavit, quibus omnes gentes docentur et ad fidem vocantur. *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.* Tunc enim Dominus loqui cessavit, quando post passionem suam a prædicatione quievit. (885) Et tunc quidem præcepit Simoni, aliisque apostolis omnibus, ut naviculam in altum ducerent, et retia in capturam laxarent, dicens eis: « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Matth.* XXVIII, 19). » Itemque: « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*ibid.*). » Mare igitur est mundus. Unde Psalmista: « Hoc mare magnum, et spatiosum, illic reptilia, quorum

(880) Hactenus homil.

(881) Explicat Beda: Paululum a me vexando quiesce. In Græco ἔα hic in Luca, quod interpres reddidit imperativo *sine*. Eadem Græca vox habetur apud Marcum I, 24, ubi hæc pariter historia narratur, licet Græcam particulam latine interpres non reddiderit; sed alia; *Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos*, etc. Hic etiam omittit Itala versio. Erasmus putat ἔα rectius accipi, ut sit adverbium Græcis, nobis interjectio exclamantis. Grotius quoque profitetur non assentiri se putantibus, aut verbum esse, aut interjectionem ex verbo, sed Hebræum הַח et אֲהָה, unde Græci fecerint ἔα, quod apud Æschylum in Prometheo ἆ ἆ ἔα ἔα pro quo Latinis *ah*. De eadem Græca voce Georgius Raphelius in Adnotation. t. I, p. 364, ex Arriano. Cum sensus constet, hæc negligenda.

(882) Conciliationem Lucæ cum Marco scribente I, 26. *Et discerpens eum spiritus immundus et exclamans voce magna exiit ab eo.* V. apud Bedam et interpretes.

(883) Bonfrerius in Onomast.: « Genesar et Genesareth stagnum seu mare Galilææ appellatum est; regio item adjacens, terra Genesareth dicta est. » Vid. S. Hieron. in cap. XIV, Matth., et Bedam hic; ex quo hoc, ut puto, desumpsit: ait enim Beda: « Stagnum Genesareth idem dicunt esse quod mare Galilææ, vel mare Tiberiadis... Hebrææ linguæ consuetudine omnis aquarum congregatio, sive dulcis, sive salsa, mare nuncupatur: qui lacus, interfluente Jordane 140 stadiis in longitudinem, et 40 extenditur in latitudinem. »

(884*) Beda: « Duæ naves secus stagnum positæ, circumcisionem et præputium figurant. »

(884) Item Beda: « Piscatores sunt Ecclesiæ doctores, qui nos rete fidei comprehensos... terræ viventium advehunt. Quasi enim quædam retia piscantium sunt complexæ prædicantium dictiones. » Ante Bedam Ambrosius l. IV in Luc., n. 71: « Quæ sunt autem apostolorum quæ laxari jubentur retia, nisi verborum complexiones et quasi quidam orationis sinus, et disputationum recessus, qui eos quos cœperint non amittant? »

(885) Beda: « Ut quod dicit item Petro: *Duc in altum et laxate retia vestra in capturam*, ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est, pertineat. »

Digitized by Google

non est numerus (*Psal.* CIII, 25). » De cujus altitudine, et profundo sic ait : « Deus noster refugium, et virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum conturbabitur terra, et transferentur montes in cor maris (*Psal.* XLV, 2, 3).» Retia vero Evangelia sunt, quorum sententiis fideles animæ capiuntur, et illaqueantur. Multa enim retia multosque piscatores habet Ecclesia. *Et respondens Simon dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Sic enim et Synagoga, quamvis multum laborasset, retia misisset, Scripturas exposuisset, legem et Prophetas prædicasset, tamen quia hoc in nocte, id est, in tenebris ignorantiæ faciebat, siquidem quod diceret, non intelligebat, valde paucos ex gentili populo capere, et ad se convertere potuit. *In verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Hoc est enim, quod per Psalmistam dicitur : « Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX, 6). » Itemque : « Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur (*Psal.* CXXXVIII, 17 *et* 18). » *Rumpebatur autem rete eorum, et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut mergerentur.* Tunc enim Ecclesiæ apostolorum rete rumpitur, quando Judæi, hæretici, et infideles violentis argumentationibus Evangelicæ prædicationi contradicunt (886). Unde Apostolus ; « Ostium mihi magnum apertum est, et evidens, et adversarii multi (*1 Cor.*, XVI, 9). » Veniunt igitur his in adjutorium socii de alia navi, quia ex aliis omnibus Ecclesiis episcopi, et sacerdotes undique in unum conveniunt, veritatem aperiunt, hæreticos damnant, et eos, quos illi fraudulenter deceperant, ad fidem et Ecclesiam revocant : *Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, et omnes, qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperunt. Similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis.* Apostolus enim dicit : « Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut perdat sapientia ; et infirma mundi elegit Deus, ut confu et ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, (*ibid.* I, 27). » Itemque : « Quia non cogn per sapientiam Dominum : placuit Deo prædicatores salvos facere credentes (*i* Quis igitur non obstupescat ? Quis n per tales prædicatores mundum conversu phos superatos, mundi sapientiam destru tra fidei retia, atque in Ecclesiæ navic fidelium piscium multitudinem esse coll sertim cum prædicarent Christum crucifi quidem scandalum, gentibus autem stul Sed quid significat quod Simon Petrus *me, Domine, quia homo peccator sum*, ni in Canticis canticorum Ecclesia dicit : « mi, assimilare capreæ ; hinnuloque cer montes aromatum? » (*Cantic.* IX, 14.) Unde nus **170** Judæis loquitur dicens : « Ecce vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII cimus enim, naviculam Simonis Synago ficare. Hanc igitur Dominum relinqu significabat, quando ut a se exiret, e *Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere; homines eris capiens.* Ne timeas, inquit, stupescas, sed potius gaude, et crede, piscationi prædestinatus es. Usque modo pisti, amodo homines eris capiens. A et alia retia dabuntur tibi (888). *E ad terram navibus, relictis omnibus, eum.*

XVII. [CAP. VI.] *Factum est autem in cundo primo, cum transiret per sata, ve cipuli ejus spicas, et manducabant, manibus.* Quia alia omnia in Matthæo exp hoc solum restat, ut quid significet in S cundo primo dicamus. Tria enim prim principalia, et maxima Sabbata habeb quia tres in anno festivitates primas et celebrabant. Primum enim, et principale in Martio erat, id est, Pascha. Secun cum spicarum manipulos offerebant. Terti in mense septimo colebatur. Secundum mum, id est, principale, et maximum illud erat (889), in quo spicarum manipul

(886) Augustinus lib. II. qq. evangel., quæst. 2 : « Quod etiam retia rumpebantur... significat hominum carnalium multitudinem tantam futuram in Ecclesia, ut etiam diruptione pacis, exeuntibus inde hæresibus et schismatibus, tanta remaneret et tanta esset futura illi amissio fidei et bonorum morum, ut Christo dicere videatur talis Ecclesia ; *Exi a me*, etc. » Beda quoque : Præ multitudine piscium rete rumpebatur, quia nunc ad confessionem fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoque Ecclesiam hæresibus scindant. »

(887) Egregiam homil. de Evang. piscatione habet. S. Maximus Taurin, in edit. Rom. an. 1784, p. 643.

(888) Beda de verbis illis evangelicis : « Ad ipsum Petrum specialiter pertinent. Exponit ei Dominus quid hæc captura piscium significet. Quod videlicet ipse, sicut nunc per retia pisces, sic aliquando per verba sit capturus homines : totusque f ordo, quid in Ecclesia, cujus ipse typum tidie geratur, ostendat. »

(889) Obscura et valde implexa est q Sabbato secundo primo, de qua interroga ronymum, ut hic narrat in epist. ad Nepot elusit Nazianzenus. Quod Nazianzenu noluit, aut non potuit, hoc alii facere et conati sunt. Ut omittamus obscuram sententiam hær. 30. Chrysostomus hom Matth., interprete Petavio et Erasmo, existimavit Sabbatum quod festum aliquo dit; Theophylactus contra, quod Sabbatu quitur : quæ est, juxta Maldonatum et M nium Chrysostomi ipsius sententia. Isi Petavio primam azymorum diem, Euthimiu dam, Vatablus postremam. Jansenius, Franciscus Lucas, Emmanuel Sa, Sabb

Digitized by Google

ant. Et de his quidem in Levitico satis dixi- A s (890).

Cap. VII] *Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur im, et ibant cum illo discipuli ejus, et turba copiosa. m autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defun- s efferebatur filius unicus matris suæ, et hæc vidua t, et turba civitatis multa cum illa* (891). Hæc enim ua, quam turba multa sequitur, sancta Ecclesia . De qua dicitur : « Viduam ejus benedicens bene- am (*Psal.* CXXXI, 15). » Vidua quidem est, non quod im non habeat, sed quia eum videre non potest, m adhuc post multa tempora venturum exspe- t (892). Dicitur enim vidua, quasi a viro divisa 3). Id ipsum autem et per viduam mulierem et hanc civitatem figuratur. Huic autem civitati ninus appropinquat, quia quotidie Ecclesiam B m visitare non cessat. De hac autem civitate es defunctus effertur, quoties aliquis in peccato rtuus ab ea separatur. Quem tamen pia mater la- mis prosequitur, quia nec fugientis filii Ecclesia iviscitur : « Luget enim, ut Apostolus ait (894), otidie de omnibus illis qui peccaverunt, et pœni- tiam non egerunt de peccatis suis. » *Quam cum isset Dominus, misericordia motus super illam, it ei : Noli flere : et accessit, et tetigit loculum. autem, qui portabant, steterunt, et ait illi : Ado- ens, tibi dico, surge. Et resedit, qui erat mortuus, cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ.* Mœrentium solator Deus illorum maxime lacrymas intuetur aliorum deflent peccata. Tangit loculum, sistit C tatores, et mortuum suscitat, dum suæ visita- iis attactu ad pœnitentiam hominem reducit. i isti portatores, qui ad sepeliendum hominem int. Boni illi, qui a sepulcris ad vitam hominem ucunt. Isti enim portatores, vitia, et maligni spi- ritus, hæretici, et seductores intelliguntur (895). Hos enim nisi dominus sisteret, quoscunque semel arriperent, sepulturæ et æternæ damnationi traderent. Suscitatur igitur adolescens, sedet, loquitur, et matri redditur, quia ad pœnitentiam peccator conversus, jam non ad flagitia, et mortem ruit, sed in Ecclesiæ pace quiescit, Dei **171** magnalia loquitur, sua peccata confitetur, et Deo et Ecclesiæ per omnia reconciliatur. Non autem vacat a mysterio, quod cum plures mortuos Dominus suscitaverit, tres tantum Evangelistæ eum suscitasse scripserunt (896). Suscitavit enim filiam archisynagogi adhuc intra domum manentem, et in abditis penetralibus jacentem. Suscitavit autem et hunc viduæ mulieris filium, jam quidem extra civitatis portas elatum, sed nondum humatum. Suscitavit præterea Lazarum non solum sepultum, verum etiam jam fetentem quatriduanum. Isti ergo tres mortui tria mortis genera significant. Moritur enim homo cogitatione, moritur operatione, moritur et peccandi consuetudine. Sed hæc tertia mors illis aliis duabus pejor est, sicut et secunda valde prima deterior est. Peccat enim homo mala cogitando, sed plus peccat male operando, et eo amplius in peccato perseverando. Qui enim cogitando illicita et nefaria concupiscit, mortuus est, sed adhuc in domo manens, et peccatum interius celans, nondum ad sepulcrum effertur. Et iste quidem facile suscitatur, si eum visitaverit, vocaverit, et tetigerit Jesus. Talem enim animam, quia facile excitatur, non penitus mortuam, sed quasi dormientem Dominus reputat dicens : « Non enim est mortua puella, sed dormit (*Matth.* IX, 24). » Si vero malum, quod intus cogitat, foras ostendat, et ad effectum perducat, non solum mortuus est, verum etiam extra domum,

d Neomenia aut aliud festum incidit, quasi lex, aut bis solemne Sabbatum. Le Moine duo at Judæis dicta magna Sabbata, 1. mense Tisri io anni civilis, 2. mense Nisan initio anni sacri; d vocatum primum Sabbatum magnum, hoc ndo primum. Hugo Grotius sic Pentecostem am vult, quando in Sabbatum incurrat, sicuti batum quod in Pascha cadebat, Sabbatum pri- n. Maldonatus ipsum Pentecostes diem. Non longe A. qui Sabbatum secundo primum esse voluit n, quo spicarum manipuli offerebantur; de quo Levit. XXIII. Optima censetur explicatio Scali- l. VI de emend. T. quam Petavius, Pagius, met, Casaubonus, Ligfoot. Clericus, aliique plexi; cum dicatur Levit. XXIII, 15. *Numerabitis altero die Sabbati in quo obtulistis manipulum nitiarum septem hebdomadas;* sive ut est in æo, septem Sabbata; singuli dies Sabbati rrentes a die secundo Paschatis usque ad Pen- stem, nomen sumebant a secundo Paschatis die, banturque Sabbatum primum post diem secun- , Sabbatum secundo post diem secundum, Sabbatum primum post diem secundum brevius ellabatur Sabbatum secundo primum.

390) Vid. tom. I S. Brunonis edit. Rom., pag. col. 1. Hactenus homil.

891) Est homil. S. Brunonis fer. 5. post. 4. n. Quadr.

892) Viduam interpretatur Ecclesiam, sed alia ratione Beda; viduam esse Ecclesiam, omnis anima quæ sponsi Dominique sui se morte redemptum meminit, agnoscit.

(893) Viduæ nomen simili plane modo latini scriptores interpretantur. Macrobius l. 1. Sat. c. 15. quasi a viro idua: iduare enim erat olim idem ac dividere.

(894) Corinth. XII, 21 : Et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam, etc.

(895) Beda : « Qui vero sepeliendum portant vel immunda desideria quæ hominem rapiunt in interitum, vel lenocinia blandientium sunt venenata sociorum. »

(896) Adnotavit hoc etiam S. Augustin. tract. 40 in Jo. n. 3, et mysterium invenit : « Bene intelligimus tres illos mortuos, quos in corporibus suscitavit, aliquid significare, et figurare de resurrectionibus animarum.... Aliquando in cogitatione peccatur.... consensio illa occidit te; sed intus est mors, quia cogitatum malum nondum processit in factum. Talem animum resuscitare se significans Dominus resuscitavit illam puellam, quæ nondum erat foras elata, sed in domo mortua jacebat.... Si autem non solum malæ delectationi consensisti, sed etiam ipsum malum fecisti, quasi mortuum extra portam extulisti : jam foris es, et mortuus elatus es. Tamen Dominus et ipsum resuscitavit, et reddidit viduæ matri suæ. Si peccasti, pœniteat te, et reddet Ec-

Digitized by Google

imo extra civitatem elatus, et longe ab Ecclesia factus, jam sepulcro, et perditioni proximus est. Pro hoc igitur necesse est, ut ploret, lacrymetur, et oret mater Ecclesia, quatenus et ad perditionem ruenti occurrat Jesus, suscitet eum, ad vitam reducat, portatores sistat, matri reddat, et Ecclesiæ reconciliet. At vero si et cogitatione, et operatione, et longa peccandi consuetudine mortuus est, hic quasi Lazarus quatriduanus jam fetet. Suscitatur tamen et iste, sed non tam facile, sicut illi. Quanto enim amplius in peccato aliquis perseverat, tanto difficilius ab eo separatur. Hoc autem ex eo ostenditur, quod in morte Lazari lacrymatus est Jesus; et non qualicunque, sed magna voce vocavit eum dicens : « Lazare, veni foras (*Joan.* xi, 43). » Qui quasi longis pravæ consuetudinis funibus irretitus, manibus, pedibusque ligatus prodiisse refertur (897).

XVIII. *Rogavit Jesum quidam Pharisæus, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat* (898). In hoc Evangelio Pharisæi superbia reprimitur, et peccatricis mulieris humilitas commendatur (899). Pharisæus iste Judæorum populus est. Hæc mulier peccatrix gentilitas intelligitur (900). Illum Dominus a lepra curavit; huic multa peccata dimisit. Non est igitur qui facit bonum, non est usque ad unum. « Omnes enim, ut Apostolus ait, peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom.* iii, 23). » Venit Jesus in domum Pharisæi, venit ad populum Judæorum. Unde ipse ait : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* xv, 24). » Sed cur venit? Ut manducaret cum illo, ut carnalibus et spiritualibus cibis frueretur cum illo, et Patris voluntatem operaretur in illo. Ipse enim dixit : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis est (*Joan.* iv, 34). » Ad tempus enim conversatus cum Judæis, legis et prophetarum cibos suscipiebat cum eis, et annonam divini eloquii ministrabat eis. Hoc autem cognovit mulier, quæ erat in civitate peccatrix. Hoc gentilitas intellexit, quæ in hujus mundi amplissima civitate conversabatur. Et quid egit? Vis audire quid? Attulit alabastrum unguenti. Per quod nihil melius quam

A pectus, et cordis secretarium, plenum fide, e ritate intelligere possumus (901). Tale enim strum hujusmodi unguenti servare consue ipsum enim significavit et regina Austri, q niens a finibus terræ audire sapientiam Salo pretiosissima ei aromata secum attulit. autem unguentum, nulla aromata sic Deo l dolent, sicut fides, et charitas, cæteræque v *Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpi pedes ejus.* In eo enim quod retro mulier stat tio, et humilitas agnoscitur. In eo vero, quod mis pedes rigat, vera pœnitentia et cordis com demonstratur. Et quoniam easdem lacrymas tergit, et tergendo, ne videantur, abscondit, let, se utique de illis non esse ostendit, qui

B opera sua faciunt, ut videantur ab hominib quibus Dominus ait : « Quia receperunt dem suam (*Matth.* vi, 5). » *Et osculabatur ejus, et unguento ungebat.* In osculo enim amorem, et dilectionem monstrabat (902). guento vero cordis intima blandimenta, et obsequii affectionem significabat. Huic aut guento illud oleum contrarium est, de quo d « Oleum autem peccatoris non impinguet meum (*Psal.* cxl, 5). » Quam similis e Pharisæus illi alii de quo alibi dicitur : « D mines ascenderunt in templum, ut orarent Pharisæus, et alter publicanus (*Luc.* xvm, Qui in sua justitia confidens superbe « sta apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, qu

C sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, teri, velut etiam hic publicanus. » Sicut en illum publicanum, ita et iste istam pecca mulierem horrebat, et despiciebat. Unde sub *Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, et se dicens : Hic, si esset propheta, sciret utique qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccat* Nescis, Pharisæe stulte, nescis. Nuper te mu a lepra, quem modo non credis esse prophet propheta quidem est, et optime scit quæ et sit mulier quæ eum tangit, et quia peccatrix e hoc enim ipse venit, ad hoc ipse de cœlis des « Non enim venit vocare justos, sed peccato pœnitentiam (*Matth.* ix, 13). » Hoc ipse te

D Ejus verba sunt hæc. Non horret igitur pecc qui pro peccatoribus factus est homo. *Et resp Jesus dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid*

clesiæ matri tuæ. Tertius mortuus est Lazarus. Est genus mortis immane : mala consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare, aliud peccandi consuetudinem facere... qui peccare consuevit, sepultus est, et bene de illo dicitur; *fetet*... Nec ad ipsum tamen resuscitandum minor fuit virtus Christi. »

(897) Hactenus homilia.

(898) Est hom. S. Brun. fer. 5 post Dom. in Pass. Emis. sup.

(899) Præter S. Ambrosium lib. vi in Luc. a. n. 37 et cæteros interpretes, hanc Evangelii partem enarrandam sumpsere S. Gregorius Nyssenus, sive Asterius (nam huic Combefisius tribuit), Amphilochius, teste eodem Combefisio; S. Ephrem Syrus, S. Petrus Chrysologus serm. 93, 94, 95. S. Gregorius hom. 33. in Evang. Petrus Damiani ser S. Laurentius Justiniani, etc.

(900) S. Gregorius : « Quem namque Pharis falsa justitia præsumens, nisi Judaicum popu quem peccatrix mulier, sed ad vestigia Domi niens et plorans, nisi conversam gentilitatem gnat? »

(901) S. Bernardus serm. 10. in Can. fe unguenti symbolis : « Est et unguentum cons nis, et est unguentum devotionis, est et pieta etc. Vid. et serm. 12.

(902) S. Gregor. : « Osculatur mulier pedes tergit. Quod nos quoque plene agimus, si sa diligimus quos ex largitate continemus. »

Digitized by Google

lle ait : Magister, dic. Duo debitores erant cuidam A *ratori. Unus debebat denarios quingentos, alius quaginta. Non habentibus illis unde redderent, avit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respon- Simon dixit : Æstimo quia hic cui plus donavit. lle dixit ei : Recte judicasti.* Valde enim justum rationabile est ut ille plus diligat cui plus dona- Illud quoque æquum esse videtur, ut qui plus git, magis ametur. Merito igitur hanc peccatri- mulierem Dominus diligebat, a qua se multum gi sciebat. Ideo enim dimissa sunt ei peccata ta, quia dilexit multum. Vide ergo quam pul- similitudo de eo qui plus, et de eo qui minus ebat, in qua Pharisæus secundum suam respon- em intelligere poterat, quia minus ipse quam ia Christum diligebat : siquidem se nec tantum B ere, nec tantum sibi, quantum illi, dimissum , credebat. Unde et subditur : *Et conversus ad ierem dixit Simoni : Vides hanc mulierem? In- in domum tuam : aquam pedibus meis non de- ; hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam xit multum. Cui autem minus dimittitur, minus it.* Ad mulierem conversus est Dominus, quia muliere locuturus erat. Sed quid ait? Vides, in- , hanc mulierem? Non talis est, qualem tu eam arbitraris. Aliter videtur a me, et aliter vide- a te. Tu exterius, ego interius; tu in facie, et in corde video. Mihi ejus fides, ejus amor non occultus. Intravi in domum tuam; aquam pedi- meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigavit C es meos. Quantum igitur interest inter aquam et ymas, tantum interest inter tuum et illius amo- . Sed hæc præter litteram aliud significare vi- tur. Neque enim credibile est eum qui Christum convivium invitaverat, ejus pedibus aquam dare isse. Diximus enim per Pharisæum, Judæos; per ierem, gentiles significari; Christi vero pedes, humanitatem, sicut ejus caput, ipsius divinita- significat (903). Hoc enim Apostolus ait : « Om- viri caput Christus, Christi caput Deus *or.* xi, 3). » Christi igitur pedibus Judæi aquam dant, neque eos lavant, imo vero quantum pos- sordidant, et deturpant, quia Salvatorem no- im cum, iniquis reputantes, vitiorum pulvere, et ena contagione judicant esse pollutum (904). At D apostolus Petrus Christi pedes lavabat, cum eo diceret : « Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* ii, 22). » Nemo enim sic lotus, nemo sic mundus, sicut ille qui sine peccato est. Unde et Ecclesia jam baptizata, et a peccatis mundata dicit · **173** « Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » (*Cant.* v, 3.) Nos autem non solum aquam, sed et lacrymas Christi pedibus damus, quia ejus humanitati nos humiliter inclinamus, et inde peccatorum veniam exspectamus, eamque adoramus, et veneramur, et cum lacrymis deprecamur. Sequitur : *Osculum mihi non dedisti; hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.* Osculum enim, pacis et dilectionis signum est. Osculum igitur Judæi Christo Domino non dederunt, quem gratis, et sine causa odio habentes, usque ad mortem persecuti sunt. Unde ipse ait : « Quia odio habuerunt me gratis (*Joan.* xv, 25). » Gentiles vero ejus pedes osculari non cessant, quia ab ejus amore non separantur (905), et in ipsius nominis confessionem mori non timent. Quodammodo enim Christi martyres osculabantur eum, dum eum confitentes, et bene de eo loquentes, moriebantur pro eo. *Oleo caput meum non unxisti; hæc autem unguento unxit pedes meos.* Majorem igitur reverentiam Christi humanitati ferunt gentiles, quam ejus divinitati Judæi aliquando exhibuissent. Ipsi eum neque Deum esse, neque sancti Spiritus gratia inunctum credunt. Nos autem, etiam secundum humanitatem, omni virtute, et gratia plenum esse confitemur, dicentes cum Psalmista : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* xliv, 8). — » « In ipso enim, ut Apostolus ait, habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* ii, 9). » Ejus utique corpus, ejus humanitatem, et pedes ungebat. Audiamus igitur quid illi beatissimæ mulieri, audiamus quid in ejus figura Gentium Ecclesiæ pro hujus tantæ servitutis obsequio Dominus dicat : *Dixit autem ad illam : Mulier, remittuntur tibi peccata tua.* Vide ergo quid lacrymæ possint. Vide quid fides, et dilectio operetur. Pauco temporis spatio justificata est mulier, et ab omni peccato mundata, quæ tam peccatrix fuerat, ut eam videre Pharisæus dedignaretur. Nemo igitur desperet, nemo de Domini misericordia diffidat. Clemens est Dominus, qui ex corde conversis tam facile miseretur (906).

XIX. [Cap. IX.] *Factum est autem, cum complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam*

903) S. Gregor. n. 6 : « Potest quoque per pedes m Incarnationis ejus mysterium intelligi, quo initas terram, tetigit, quia carnem sumpsit .... ulamur ergo Redemptoris pedes, cum mysterium arnationis ejus ex toto corde diligimus : unguen- pedes ejus ungimus, cum ipsam humanitatis ejus entiam sacri eloquii bona opinione prædicamus... pedes Domini mysterium Incarnationis ejus ac- imus, congrue per caput ipsa divinitas designa- . Unde et Paulus: *Caput Christi, Deus.* »

904) S. Gregor, l. all. ; « Pharisæo dicitur *Oleo ut meum non unxisti ;* quia ipsam quoque divinitatis ejus potentiam, in qua se Judaicus populus credere spopondit, digna laude prædicare neglexit. »

(905) S. Gregor. : « Infidelis ille populus Deo osculum non dedit, quia ex charitate eum amare noluit, cui ex timore servivit. Vocata autem gentilitas Redemptoris sui vestigia osculari non cessat, quia in ejus amore continuo suspirat. »

(906) Hact. homil. Atque hic S. Ambros. n. 35 : « Ex hac ergo muliere intelligimus illud apostolicum quid sit : *Superabundavit peccatum, ut superabundaret gratia.* Nam si in ista muliere non superabundasset peccatum, non superabundasset gratia : agnovit enim peccatum, et detulit gratiam. »

Digitized by Google

firmavit, ut iret in Jerusalem. Et misit nuntios ante conspectum suum. Factum est, inquit, cum jam dies assumptionis ejus complerentur, et tempus ejus passionis, resurrectionis, ascensionis, sive assumptionis, appropinquaret, firmavit faciem suam, ut iret in Jerusalem, sicut in ejus vultu, et facie manifeste apparebat. Facile enim in vultu voluntas dignoscitur. *Et misit nuntios ante conspectum suum. Et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.* Non enim, ut alibi dicitur, coutuntur Judæi cum Samaritanis. Ideoque Samaritani Jesum recipere noluerunt, quia se in Jerusalem ire velle ostendebat. Jam quasi inimicum eum deputantes, sicut qui eorum diligeret inimicos (907). Usque hodie namque omnes iniqui ideo Jesum, et ejus nuntios, ejusque Evangelium non recipiunt, quia eos in Jerusalem, ad pacem, ad misericordiam, et pietatem tendere, et festinare cognoscunt. Jerusalem namque *visio pacis* interpretatur. *Cum vidissent autem discipuli Jacobus et Joannes, dixerunt : Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos, sicut Elias fecit ? Et increpavit dicens : Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum.* Nesciebant enim apostoli cujus spiritus essent, qui se tantopere vindicare cupiebant. Si enim se spiritus pietatis, patientiæ, et mansuetudinis servos, et discipulos esse novissent, nequaquam aliqua sui spiritus commotione tot homines, irati occidere voluissent (908). Hoc enim postea probatum est, cum pro inimicis et persecutoribus orarent.

XX. [Cap. X.] *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit* (909). Hæc enim verba discipulis suis, eorumque successoribus, episcopis scilicet, et sacerdotibus locutus est Dominus (910). Quicunque igitur es, qui episcopos et sacerdotes audire contemnis, et eorum **174** verbis, et exhortationibus acquiescere despicis, saltem Deum ipsum non parvipendas, et eum audire non fastidias. Despicis audire sacerdotem, sed non mirum, quia pauper est, quia imbellis, et humilis est, quia vilis, et despicabilis est, quia de pauperibus natus est. Audi vel

A Dominum in eo loquentem, per eum te adm
et ad vitam reducentem. Apostolus eni
« An experimentum quæritis ejus, qui in
tur Christus?» (*II Cor.* xiii, 3.) Sic igitur
pis, et sacerdotibus Christus loquitur, at
ab aliis honoratur, et ab aliis reprobatur
modo, nec facile vindicat injurias suas.
eum dicentem : Tacui. Nunquid semper
Dicat Psalmista : « Deus, inquit, quis si
Ne taceas, neque compescaris, Deus. Quo
inimici tui sonuerunt, et qui te oderunt
caput (*Psal.* lxxxii, 2, 3). » Noli itaque sp
scipulos et nuntios Christi ; imo noli De
spernere in discipulis suis. Nisi enim ip
discipulis sperneretur, nequaquam dixis
B *vos spernit, me spernit. Qui autem me sper
eum, qui me misit.* Hoc Judæi audiant, et
timeant, ut vel sic placare valeant, quem
non timuerunt. Ipsi enim non solum s
verum etiam crucifixerunt Christum
*Reversi sunt autem septuaginta duo cum
centes : Domine, etiam dæmonia subjicius
in nomine tuo.* Hos enim, ut superius dicit
rat Dominus *binos ante faciem suam in om
tatem, et locum, quo ipse erat venturus.* N
reversi Domino omnia scienti, cum gaud
bant ea, quæ non ipsi, sed ipse in illis f
ratus. Gaudebant enim de nomine Christi
virtutem experti erant. Gaudebant et de
mensa sibi a Domino attributa, quoniam
C infirmitates curabant, verum etiam dæmo
perabant, et sibi eos subjectos esse videb
bus mundi hujus reges, et principes, omn
mines iniquos subjectos esse sciebant.
ergo : Domine, non solum languores, et i
tes, non solum homines iniqui, sed etiam
mones subjiciuntur nobis in nomine tuo
subjecta sunt omnia, quæ longe sunt a
tuo. *Et ait illis : Videbam Satanam, sicut
cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem
supra serpentes et scorpiones.* Cœlum enim,
clesia, vel sanctorum animæ intelliguntur.
igitur Dominus Satanam de cœlo cadentem
diabolum Ecclesiam, et sanctorum habit
D gientem : et hoc, quod ei discipuli narrab

(907) S. Hier. ep. 121. ad Algasiam, qu. 5. : « Hostili inter se Samaritani atque Judæi discordant odio ... Videntes ergo Dominum Jerusalem pergere, id est ad hostes suos ... quasi Judæum, atque alienum, et eum, qui ad inimicos pergeret, suscipere noluerunt. »

(908) Hier. l. all. : « Dominus, qui non ad judicandum venerat, sed ad salvandum, non in potestate, sed in humilitate, non in Patris gloria, sed in hominis vilitate, increpat eos, quod non meminerint doctrinæ suæ, et bonitatis Evangelicæ, in qua dixerat : *Qui te percusserit in maxillam, præbe ei et alteram*, et, *Diligite inimicos vestros.* » S. Ambros. l. vii in Luc. n 28. « Ut ostenderet, quia non habet ultionis studium perfecta virtus : nec ulla sit iracundia, ubi plenitudo est charitatis : nec excludenda infirmitas, sed juvanda. Procul a
indignatio, procul a magnanimis cupiditas
procul etiam a prudentibus inconsiderata co
et incauta simplicitas. »

(909) Est homil. Emiseni eadem supposi
borans In Nat. Plur. Martyrum, pag. 109.

(910) S. Augustin. serm. 109 n. 1 : «
apostolis dixit : *Qui vos spernit me spernit,*
nos. Si autem sermo ejus pervenit ad nos,
vit nos, et in eorum loco constituit nos, vi
spernatis nos, ne ad illum perveniat injuria
nobis feceritis. » Vid. S. Gregorium *homil.*
Ezech. n. 15, comparantem hæc verba cum
aliis Ezechielis : « Nolunt audire te, quia no
dire me; » in Primis vero S. Basilium in
Monast. de obedientia cap. 22. t. II, opp. p

Digitized by Google

rævidisse, et cognovisse firmabat (911). Unde ibi ait : « Nunc judicium est mundi : nunc ceps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, » Nisi enim hoc prævidisset, quare in mundum sset? et quare carnem sumpsisset (912)? Ad enim Dominus in mundum venit, ut diabolum ret, et de illius impia potestate animas homi- liberaret. Quod igitur nunc fieri incipiebat, quam fieret, prævidebat, suoque in tempore disponebat. Videmus itaque et nos usque ho- Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem, et cum no furore, et indignatione sanctam Ecclesiam nquentem. Quoties enim flagitiosus aliquis ad itentiam redit, toties Satanas de cœlo cadit. ti enim adulteri, perjuri, et homicidæ sunt in lesia, quæ regnum cœlorum vocatur, qui statim nvertuntur, a diabolo relinquuntur, et non cius de cœlo cadet fulgur, quam de illorum ntibus cadit diabolus. *Ecce dedi vobis potestatem andi super serpentes, et scorpiones, et supra om- virtutes inimici, et nihil vobis nocebit.* Serpentes, corpiones non solum maligni spiritus, verum m tyranni, omnesque Ecclesiæ persecutores in- gi possunt, quoniam et venenosi sunt, et num- m recta incedunt via. Virtus autem inimici quid ius intelligi potest, quam Nero, et Simon Ma- , Diocletianus, et Maximianus, et ipse Anti- istus perditionis filius? Est præterea virtus ini- i, superbia, avaritia, omnisque luxuria, quibus lti vincuntur, et diabolo subjiciuntur. Unde et , cum de eo loqueretur, ait : « Virtus ejus in bis ejus, et fortitudo illius in umbilico ventris (*Job.* XL, 11). » Hæc autem Christi discipulis nocebunt, Domino eos protegente, et ubique ndente. Non nocebit utique, si contra repugna- nt, eisque non assenserint (913).

75 Sequitur : *Verumtamen in hoc nolite gaudere, spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod mina vestra scripta sunt in cœlis.* Multi enim sunt A quibus dæmonia subjiciuntur, quos non gaudium quidem, sed luctus, et mœror exspectat (914). Quibusdam enim in judicio dicentibus, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? dicturus est Dominus : *Ite, operarii iniquitatis. Amen dico vobis, nescio vos* (915). Non ergo gaudeant Christi discipuli, quia dæmonia subjiciuntur eis; gaudeant autem, quia eorum nomina scripta sunt in cœlis. Illud enim gaudium vanum, et temporale est. Hoc autem utile, et æternum. Illud ad vanam gloriam respicit. Hoc ad gloriam spectat (916). Et illud quidem similiter habere possunt et mali, et boni. Hoc autem non habebunt nisi boni (917).

XXI. *Quidam legisperitus surrexit tentans illum,* B *et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* (917 *) In hoc enim, quod ait, tentans eum (918), manifeste ostendit quia non ad hoc, ut vitam æternam possideret; sed ut in aliquo eum reprehenderet, si posset, eum interrogabat. *At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Si, inquit, legisperitus es, et legem nosti, utique quid de vita æterna lex dicat intelligis. Dic ergo, quid de hoc in lege scriptum sit? *Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi: Recte respondisti; hoc fac et vives.* Ecce, quomodo Dominus comprehendit sapientes in astutia eorum. Ipse legisperitus suam intentionem revelat, C et ad quid Dominum interrogaverat manifestat. Ipse interrogat, ipse respondet, ipse sui ipsius et magister, et discipulus factus est. Sciebat enim, quod in lege scriptum erat. Hoc enim Dominus fateri coegit. Cur ergo interrogabat quod sciebat? Ideo utique, quia Dominum reprehendere volebat. Dominus autem eum non reprehendit, sed recte eum respondisse ait. *Ille autem, volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus?* Quia enim

911) Beda : « Non modo video, sed prius videbam ndo corruit. »

912) Cyrillus in Caten. Corder. : « Certe, inquit, ego hoc ignoravi : nam meo favore armati Sa- am superastis. Vidi ipsum tanquam fulgur de o cadentem; hoc est a celsitudine ad terram ue dejectum, ex honore ad ignominiam; ex ma- potentia ad extremam infirmitatem : idque ve- imum est. Nam ante adventum Salvatoris, divino ctus honore ab omnibus adorabatur; ubique ebat templa, altaria, sacrificia : postquam vero elo descendit Verbum Dei, cecidit ipse sicut ful- . Qui enim omnes deceptos habebat adoratores, um qui eum adorabant pedibus subjicitur. »

913) Elias Cret. ad or. 4. Naz. : « Hoc loco ser- tes fortasse peccata dicuntur, quæ perspicue via atque atrocia sunt; scorpiones autem ea vi- quæ quanquam hominum opinione parva vi- ntur, mortis tamen aculeo animam convulne- t atque enecant. »

914) Beda : « Spiritus ejicere, sicut et virtutes is facere, interdum non est ejus meriti qui ope- ur, sed invocatio nominis Christi hoc agit ad demnationem eorum qui invocant, vel ob utilita- tem eorum qui vident et audiunt... Nam et in Act. Ap. filii Scevæ videbantur ejicere dæmones, et Judas apostolus cum animo peditoris multa signa inter cæteros apostolos fecisse narratur. »

(915) Luc. XIII, 27. *Et dicet vobis : Nescio vos* D *unde sitis, discedite a me omnes operarii iniquitatis.*

(916) S. Gregor. lib. II, ep. 28 : « In privata enim et temporali lætitia mentem posuerant qui de miraculis gaudebant. Sed de privata ad communem, de temporali ad æternam lætitiam revocantur, quibus dicitur : *In hoc gaudete*, etc.... Veritatis enim discipulis esse gaudium non debet, nisi de eo bono quod commune cum omnibus habent, et in quo finem lætitiæ non habent. »

(917) Hactenus homil.

(917 *) Est. hom. S. Brunonis Dom. 13, post. Pentecost.

(918) Diversum esse hunc qui Dominum interrogat tentans illum, ab eo qui adolescens vocatur a Mathæo cap. XIX, et de eodem Dominum percunctatur, adnotat S. Basilius hom. in divites tom. II, p. 51.

Digitized by Google

Deum, et proximum diligere ad justitiam, et vitam æternam possidendam sufficere posse audierat, illico seipsum justum esse ostendere voluit, quasi qui Deum, et proximum dilexisset; nisi forte aliter, quam ipse, quis sit ejus proximus, Dominus intelligeret. Unde ait: *Et quis est meus proximus?* Putabat enim fortasse, illum solum sibi esse proximum, qui vel amore, vel carnis conjunctione sibi præ cæteris propinquior erat. Sed non est ita. Dicente Domino: « Si enim diligatis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? » (*Matth.* v, 46.) (919) *Suspiciens autem Jesus dixit Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones. Qui etiam dispoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* Quid enim homo iste, nisi genus humanum? Quid Jerusalem, nisi paradisus? Quid Jericho, nisi mundus iste intelligitur? Jericho namque interpretatur *luna* (920): quod tantæ mutabilitati subdita est, ut nunquam in **176** eodem statu, nunc crescendo, nunc minuendo, permaneat. Unde et non immerito hunc mundum significat. Cujus mutabilitas perpetua est, et sine mutationibus stare non potest. Ut enim de cœlo, et tempore, de diebus, mensibus, et anno taceamus, quæ semper volvuntur, et in se replicantur, neque aer, neque terra, neque mare, neque ipsi homines suam perpetuo servant figuram. Quorum omnium mutationes longum est narrare per singula. Tunc igitur genus humanum ab Jerusalem in Jericho, quando in hunc mundum primus homo de paradiso abjectus est. Totum enim humanum genus simul erat in eo. Totum igitur simul descendit cum eo, et incidit in latrones. Latrones isti, maligni spiritus sunt, qui furtim, et per latrocinium, animarum thesaurum cunctis divitiis excellentiorem, virtutem scilicet, et bona opera nobis subripiunt. Quin etiam dispoliaverunt eum. Nimirum illa tunica immortalitatis, qua primus homo exutus, nudum se intelligens, Domino interroganti ubi esset, respondit dicens: « Audivi, Domine, vocem tuam, et abscondi me, eo quod nudus essem (*Gen.* III, 10). »

(919) Isidorus Pelus. lib. IV, ep. 123: « Legisperitus ille proximum duntaxat esse putabat justum justo, sublimem sublimi quod ad virtutem... Salvator autem, tanquam is qui hominem fecisset (pusillum enim et magnum ipse fecit), non actionibus, neque dignitatibus, sed natura tantum definivit proximum... Proximitas enim natura æstimatur non virtute; substantia, non dignitate; compassione, non loco; curationis modo, et non loci propinquitate. »

(920) Ita plane Beda ad h. l.: « Homo iste Adam intelligitur in genere humano. Jerusalem, civitas pacis illa cœlestis; a cujus beatitudine lapsus in hanc mortalem miseramque vitam devenit; quam bene Jericho, quæ *luna* interpretatur, significat, variis videlicet defectuum laboribus, erroribusque semper incertam... latrones diabolum et angelos ejus intellige: qui etiam despoliaverunt eum; gloria videlicet immortalitatis, et innocentiæ veste privarunt... Plagæ peccata sunt, quibus naturæ humanæ integritatem violando, etc. Sacerdos et Levita, qui viro saucio transierunt, sacerdotium et ministerium V. T. ubi per legis decreta, mundi languentis vul-

A *Et plagis impositis, abierunt sem*
enim plagas unicuique homini
quot vitiis eum servire compelli
superbiam, alios per avaritiam, al
atque alios aliis modis vulnerat,
autem, ut sacerdos quidam descend
viso illo, præterivit. Quis est enim
Aaron cum filiis suis, totusque ille
quos pro cæteris orare Dominus ju
eadem via descendebat, quia et ip
ruptioni subditus erat. Unde, viso
quia eum liberare non potuit. *Si*
cum esset secus locum, et videret
Levita enim non solum Moyses,
levitica intelligitur. Quamvis eni
B sacerdotio fungerentur, tota tamen
tionibus instabat, quoniam de deci
nis vivebat. Pertransiit igitur et L
isti genus humanum a mortis pe
tuerunt. *Samaritanus autem quida*
secus eum, et videns eum, misericor
ipsum enim Samaritanum Dominus
men inimici sui Judæi ei impos
« Nonne bene dicimus nos, quia S
et dæmonium habes? » (*Joan.* VIII,
tamen interpretatur *custos*. Quo no
dignus est, cui per prophetam
quid de nocte, custos quid de no
11.) Et Psalmista: « Nisi Domin
vitatem, in vanum vigilant, qui
C (*Psal.* CXXVI, 1). » Hic autem iter
cæteri homines ad finem tendens,
hominem liberavit, et suo sangui
et subditur: *Et appropinquans alli*
infundens oleum et vinum. Qua in
docuit qualiter infirmis ad pœnite
mederi debeamus. Vulnera enim
a peccato peccatorem cessare j
enim tempore in peccato homo
tempore vulnera soluta et aperta
tem infundimus (921), quando mis

nera monstrari tantum, non autem
Samaritanus, qui interpretatur
significat... Jumentum, ejus est ca
venire dignatus est. Stabulum a
D præsens, etc. » Ex Beda ergo A.
opinor, ex Augustino, qui lib. II,
19: « Homo quidam, ipse Adam i
nere humano. Jerusalem, civitas pa
a cujus beatitudine lapsus est. Je
pretatur, et significat mortalitatem
nes, diabolus et angeli, qui eum
mortalitate, et plagis impositis, pe
reliquerunt semivivum, etc. Sacer
vita qui eo viso præterierunt, sacer
sterium V. T. significant, quæ non
ad salutem. Samaritanus, custos
ideo ipse Dominus significatur hoc
tum, ejus est caro, in qua ad nos
est. Stabulum est Ecclesia, » etc. Vi
nem hom. 34, in Luc. p. 972, t. III,
brosium l. II, in Luc. n. 73.

(921) Aug. l. all.: « Oleum, conso
propter indulgentiam datam ad

Digitized by Google

lo indulgentiam peccatori promittimus. Infundi- A
› insuper et vinum, quando aspere redarguendo,
nare, et carnem macerare jubemus. Non sit
ur sine vino oleum, neque oleum sine vino. Unde
stolus ; « Argue, inquit, obsecra, insta, oppor-
e, importune (*II Tim.* IV, 2). » Obsecrando
m oleum, et increpando vulneribus vinum infun-
ius. *Et imponens illum in jumentum suum,*
it in stabulum, et curam ejus egit. Jumentum
isti ejus humanitas est. Hoc enim ferimur : hoc
stabulum, et ad Ecclesiam ducimur. De quo ipse :
t jumentum, inquit, factus sum apud te (*Psal.*
II, 23). » Et propheta : « Vere labores nostros
› tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isa.* LIII,
» Christi enim humanitas nos docuit, nos re-
, nos in unam fidem, et in unam Ecclesiam col- B
it. Ibi curam nostri agit, ibi nos quotidie sanat,
alit. *Et altera die protulit duos denarios, et dedit*
bulario, et ait : Curam illius habe, et quodcunque
erogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi. Duo
mque dies, duo tempora sunt. Primus dies ab
am usque ad Christum. Secundus usque ad
em sæculi (923). Hoc igitur secundo die, id est,
stquam Dominus in mundum venit, duos denarios
otulit, eosque stabulario dedit. Duo namque dena-
, duo sunt testamenta (923). Primo utique unus
77 tantum denarius dabatur, quia alter denarius
ndum compositus erat. Nunc autem duo denarii
ntur, qui cunctis languentibus, et ad Ecclesiam
nientibus ad omnem expensam sufficere possunt.
abulum enim Ecclesia est. Unde et in stabulo Do- C
nus natus est. Stabularius, episcopus. Ipse enim
bulum custodit, Ecclesiam regit, et Dei animalia
ini eloquii pabulo reficit. Bonus stabularius bea-
Paulus (924), qui et duos denarios sibi a Do-
no commissos fideliter distribuit, et magnum
quid de suo supererogavit. Ait enim (925) : « De
ginibus autem præceptum Domini non habeo,
silium autem do (*I Cor.* VII, 25). » Audiamus
tur hoc consilium, quod supererogando Apostolus

dat : « Existimo, inquit, hoc bonum esse propter
instantem necessitatem, quoniam bonum est homini
sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutio-
nem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.
Si autem acceperis uxorem, non peccasti, et si nu-
perit virgo, non peccabit (*ibid.*, 26). » Hoc enim Apo-
stolus supererogavit. Hoc in duobus denariis non
accepit. Supererogavit autem et multa alia. Cum
enim ei de Evangelio vivere liceret, de Evangelio
tamen vivere nolebat, sed laborem labori supereroga-
bat. Possumus autem per hanc supererogationem,
ipsam quoque boni operationem intelligere. Quod
enim testamentorum verba exponit, denarios expen-
dit. Qui vero agit, quod exponit, etiam super dena-
rios aliquid erogat. Cujus erogationis mercedem
Dominus se tunc redditurum esse promittit, quando
ad judicium revertetur. Sequitur : *Quis horum trium*
videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latro-
nes? At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum.
Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter. Ille enim
proximus est tibi, cui miserendo appropinquas. Qui
vero nulli miseretur, nullum proximum habet. Ma-
gna est igitur misericordia, quæ ignotis etiam, et
extraneis nos proximos facit. Magna est misericor-
dia, per quam vita possidetur æterna (926).

XXII. *Intravit Jesus in quoddam castellum, et mu-*
lier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum
suam. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam
sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius (927).
Omnia opera Salvatoris nostri plena sunt sacramen-
tis. Quidquid ubique agit, agitur significatione. Quod
enim tunc temporis in quodam castello corporaliter
egit, quotidie in sancta Ecclesia agit. Ecclesia ca-
stellum est (928), et non qualecunque, sed forte, et
insuperabile, utpote super montem positum, muro
circumdatum, turribus munitum, et angelorum exer-
citu, virtutumque præsidiis armatum. In hoc igitur
castellum Dominus Jesus quotidie ingreditur. Hoc
assidue visitare non dedignatur. In hoc a Martha
suscipitur, ejus in domum inducitur. Videamus ita-

cis : vinum, exhortatio ad operandum ferventissimo
ritu. » Vid. Bed. Origenes l. all. : « Aiebat quidam de
sbyteris volens parabolam interpretari, hominem
i descendit, esse Adam; Jerusalem, paradisum;
icho, mundum; latrones, contrarias fortitudines;
erdotem, legem; Levitam, prophetas; Samari-
n, Christum; vulnera vero, inobedientiam; ani-
l, corpus Dominicum; pandochium, id est stabu-
n, quod universos volentes introire suscipiat, Ec-
siam interpretari... latrones autem nulli sunt alii,
i de quibus Salvator ait : *Omnes qui ante me ve-*
runt, fures fuerunt et latrones. Quæ sunt plagæ?
tia atque peccata... Habebat oleum, de quo scri-
m est : *Ut exhilaret faciem in oleo.* Sed et vino
ndat vulnera, asperitatis aliquid admiscens :
mque qui fuerat vulneratus imposuit jumento id
proprio corpori, juxta id quod est hominem di-
atus assumere, » etc. Eadem habet S. Ambros.
per loc. allat.

(922) S. Aug. l. all. : « Altera dies est post resur-
ctionem Domini. » Idem iisdem verbis Beda. Am-
os. « Qui est iste alter dies, nisi forte ille Domi-
cæ resurrectionis? »

(923) S. Ambros. l. all. : « Qui sunt isti duo denarii,
nisi forte duo testamenta, quæ imaginem in se ha-
bent æterni regis expressam, quorum petitio vulnera
nostra curantur? »

(924) S. Aug. l. all. : « Stabularius ergo est apo-
stolus : quod supererogat autem, illud est consilium
De Virginibus, etc.; aut quod etiam manibus suis D
operatus est, et ne infirmiorum aliquem in novitate
Evangelii gravaret, cum ei liceret pasci ex Evan-
gelio. »

(925) I Corinth. VII, 25. S. Ambros. : « Stabula-
rius itaque ille est, qui dixit : *Misit me Christus evan-*
gelizare. Stabularii sunt illi, quibus dicitur : *Ite in*
orbem universum, et prædicate Evangelium, etc. Bonus
dispensator qui etiam supererogat. Bonus dispensator
Paulus, » etc.

(926) Hactenus Homilia.

(927) Est homil. S. Brunonis in Assumpt. S. Mariæ.

(928) Est alia elegans interpretatio Bernardi,
serm. 5 de Assumptione : « Quod est autem hoc
castellum nisi cor humanum, quod priusquam Do-
minus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur,
muroque obstinationis claudatur, atque in interiore
latitudine sua, Babylonica turre erigitur? » etc.

Digitized by Google

que, quid significet Martha. Videamus, quid significet Maria. Utraque enim magnum aliquid significat. In his enim duabus Ecclesia tota consistit. Altera enim activam, altera contemplativam vitam significat (929). Et activam quidem Martha : Maria vero contemplativam. Unde non Maria, sed Martha Christum in domum suscepisse dicitur. Maria enim non habet domum, quia vita contemplativa omnem hujus sæculi spernit habere possessionem. Sufficit ei ad pedes Domini sedere; sufficit ei semper legere, et orare, et in Dei contemplatione vacare. Sufficit ei præterea verbum Dei semper audire, et mentem potius, quam ventrem nutrire. Tales enim, prophetæ fuerunt, tales et apostoli, tales et multi alii, omnia relinquentes, mundum fugientes, Domino adhærentes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. Hanc autem vitam non habent, nisi boni. Activam vero similiter habent et mali, et boni. Inde enim et activa dicitur, quia semper in actu est, semper in fatigatione, et labore est, et vix aliquando quiete esse potest. Sed nos de illa activa non dicimus, quæ latrones exercet, tyrannos movet, avaros sollicitat, adulteros inquietat, et omnes iniquos ad iniquitatis opera incitat. Sicut enim non loquimur de alia Martha, nisi de illa, quæ soror est Mariæ, ita non loquimur de alia vita activa, nisi de illa cui proxima est contemplativa. Illa enim activa, quæ munda, et sine peccato est, contemplativæ proxima est. Quod enim Apostolus prædicat, quod baptizat, quod manibus propriis laborat unde vivat, quod discurrit per civitates, quod ei sollicitudo est omnium Ecclesiarum, ad quam vitam, nisi ad activam, pertinet? Unde et hic de Martha dicitur, quia *satagebat circa frequens ministerium*. Videmus enim **178** usque hodie Ecclesiarum præpositos, et ministros sollicite discurrere, laborare, æstuare, et multis modis fratrum necessitatibus insudare, ut eos quoque non immerito circa frequens ministerium satagere dicamus. Quamvis igitur contemplativa melior sit, quam activa, quia sine sollicitudine est, et nunquam fallit, activa tamen tam necessaria est, ut ipsa quoque contemplativa in hac vita sine ea esse non possit (930). Altera igitur indiget altera. Hæc enim orat, illa laborat. Altera mentem, et altera ventrem replet. Unde Apostolus : « Si nos, inquit, vobis spiritualia seminavimus, non magnum est, si carnalia vestra metamus (*I Cor.* IX, 11). » Qui enim sic seminat, ad supernæ felicitatis contemplationem mentes audientium elevat. Dicatur ergo : *Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Qu ait : Domine, non est tibi curæ, quod sor liquit me solam ministrare? Dic ergo illi, juvet.* Sæpe enim stat activa, et, si dici videt contemplativæ. Qui igitur soli con vacare desiderat, solitariam vitam eligi in conventu multorum a contemplatio non vult, cæteros stare faciat, et opus cessarium impediat. Quamvis enim Ma laudat, in Ecclesiis tamen, et multorum tionibus plus Martha, quam Maria utilis omnibus : Maria proficit sibi. Illa sol quieta. Unde et *Dominus respondens ei Martha, sollicita es, et turbaris erga plu unum est necessarium.* Sed quid unum? quid? *Maria optimam partem elegit, quæ tur ab ea.* Illud igitur necessarium est, auferetur, et æternum est. Verumtamen tham sollicitudinem cessare Dominus ju Mariam eam non adjuvare præcepit. Ost eis, quid necessarium sit, et ad quem fi que intentio tendere debeat. Bona est en Ecclesiarum sollicitudo, quam se Aposto habuisse dicit; sed non illa, quæ ab æt dinis contemplatione mentem penitus Frustra enim sollicitus est, qui non pro sed pro vana gloria et lucro tempora sæculi dignitatibus sollicitus est. De t Dominus ait : « Quia receperunt merce (*Matth.* VI, 2). » Bene vero sollicito qu « Euge, serve bone, et fidelis, quia s fuisti fidelis, supra multa te constituam gaudium Domini tui (*Matth.* XXV, 21-23). ergo sollicitudo Marthæ, si tamen non Domino ministret. Debet autem Maria surgere, et sororem sollicitam adjuvar autem videat, ne assuetæ contemplatio obliviscatur; ne forte, dum aliis prodess sui ipsius detrimentum faciat. Cum enim giosi solitarii, et quieti, divinæ contemp diti, multorum precibus ecclesiastica re cipiunt, tunc utique surgit, et sororem Maria adjuvare venit. Sic igitur fit, u prius quieta, sterilis, et infecunda erat, rare incipiat, multosque Deo filios pariat, Hoc enim significavit Rachel, prius quid sorore ejus fecunda, et multorum filiorum gloriante. Sed postea ipsa quoque concep parere cœpit (931).

(929) Celeberrima hæc interpretatio vitæ duplicis activæ et contemplativæ, per Martham et Mariam designatæ. S. Ambrosii lib. II in Luc.; Basilii Const., Mon. n. 85, c. 1. S. Augustini serm. 27 de Verb. Dom.; S. Gregorii lib. VI Moral., cap. 28; Homil. 3, 4 et 14 in Ezech.; Bedæ, etc.

(930) S. Ambr. lib. II in Luc., n. 85 : « Utrumque munus sapientiæ est. Nam et Stephanus plenus sapientia minister electus est... Unum enim est corpus Ecclesiæ : etsi diversa membra, alterum altero eget. Non potest dicere oculus manui; opera tua non desidero : aut iterum caput pedibus, aut auricula, se negare esse de corpore : na principalia, tamen alia necessaria. » S serm. 3 de Assumpt. : « Sorores sunt et contubernales. Non sola inveniatur in no tatio corporalis ad modicum valens, sed utilis ad omnia pietas, et exercitium spir

(931) Innocentius III in epist. Episc. fertur cap. Nisi cum pridem, De renun putes quod ideo Martha malam partem el circa plurima satagebat : quia Maria opti tem elegit, quæ non auferetur ab ea : quo illa sit magis secura, ista tamen est ma

Digitized by Google

XIII. [CAP. XI.] *Et factum est, cum esset in loco* A
us, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad
: Domine, doce nos orare, sicut Joannes docuit
ipulos suos. Et ait illi : Cum oratis, dicite : Pa-
sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum,
cætera. Hæc autem in Matthæo exposita sunt.
Lucas illam unam deprecationem prætermisit,
dicitur : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in*
a. Quæ quidem, si bene intelligatur, tota in illa
tinetur, quæ ait : *Adveniat regnum tuum.* Quid
enim, adveniat regnum tuum, nisi regnum quod
cœlis est, veniat et fiat, et construatur in terris?
quia rex unus est, regnum quoque et hic, et ibi
ile sit. Quod si fit, profecto erit voluntas ejus
ut in cœlo, et in terra.

XIV. *Et ait ad illos : Quis vestrum habebit ami-* B
i, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice,
mmoda mihi tres panes, quoniam amicus meus
it de via ad me, et non habeo quod ponam ante
m ; et ille de intus respondens dicat : Noli mihi mo-
us esse ; jam ostium clausum est, et pueri mei mecum
t in cubili, non possum surgere et dare tibi? Et ille,
erseveraverit pulsans, dico vobis etsi non dabit illi
gens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem
em **179** *ejus surget, et dabit ei quotquot habet ne-*
arios (932). His enim verbis admonemur, ut spi-
m sapientiæ, et intellectus ab eo quæramus, a
est omnis sapientia, et cum quo fuit semper,
st ante ævum. Quatenus amicis nostris de via
ientibus, et sanctarum Scripturarum panem pe-
tibus, cibum spiritualem apponere valeamus. De C
enim et Jacobus apostolus ait : « Si quis ve-
m indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat
ibus affluenter, et non improperat, et dabitur
Postulet autem in fide nihil hæsitans (*Jac.* I, 5). »
ndo enim subjecti nostri nos de Scripturis inter-
ant, tunc amici nostri veniunt de via ad nos et
o quidem de longiori via, quanto longius sunt
intelligentia. Oportet igitur nos habere quid eis
onamus, ut inde illorum mentes famelicas refi-
nus. Quod si non habemus, surgamus media
te. Hæc enim nox, ignorantia est. Legamus, et
ipturas perscrutemur. Rogemus Dominum, ut
is oculos mentis aperiat, et tres panes illos no-
ssimos et præ cunctis deliciis suavissimos nobis
modare dignetur (933). Tres enim istos panes, D
em, et prophetas, et Evangelia intelligimus. De
bus Moyses metaphorice ait : « Dominus de Sina

venit, et de Seir ortus est, nobis apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia (*Deuter.* XXXIII, 2). » Tres isti montes, tres panes sunt, et tria modo dicta sanctarum Scripturarum volumina. Sina enim legem significat, quia ibi lex data est. Seir prophetas, quia *hispidus* interpretatur. Prophetæ enim valde hispidi, et asperi, et difficiles sunt. At vere mons Pharan, qui *frugifer* dicitur, Evangelia designat, cujus semina præ cunctis seminibus ubique gentium fructificasse cognovimus. Venit igitur Dominus de Sina, quia ejus adventus pluribus in locis in lege, id est in libris Moysi, annuntiatur, secundum illud : « Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis (*Deut.* XV, 18; *Act.* III, 22). » Ortus est autem in Seir, quia ejus ortus, et nativitas manifestissime in prophetis invenitur. Unde Isaias : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa.* VII, 14). » Apparuit autem de monte Pharan, quia ejus nativitas, passio, et resurrectio, quid egerit, et qualiter vixerit in Evangeliis declaratur. Hos igitur tres panes quæramus, sine quibus anima non vivit, qui cunctis esurientibus sufficere possunt. Quæramus et non deficiamus, pulsemus et perseveremus, etiamsi ille amicus noster unicuique nostrum dixerit : *Noli mihi molestus esse : jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili : non possum surgere, et dare tibi.* Hoc enim amicus noster, id est Deus et Dominus noster, qui in tantum nos dilexit, ut mori pro nobis non dubitaret, hoc ipse nobis non dicit, dicere tamen videtur, cum post multum laborem, post multas preces, post multum intelligendi desiderium non exaudit. Quid enim sic orat, sicut sancta desideria? Nisi enim desiderium oraret, Psalmista non diceret : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus (*Psalm.* X, 17). » Tunc igitur bene oramus, quando bonum aliquod desideramus? Nemo autem est qui sacras Scripturas intelligere non desideret. Nemo igitur est qui pro his panibus non oret. Sed quia Dominus jam cœlos ascendit, et ostium clausit, id est a prædicatione quievit; quia jam pueros suos, sanctos videlicet apostolos, in æternæ quietis cubiculum secum collegit (934), jam ad nos docendum neque ipse, neque illi huc ulterius corporaliter redire possunt. Et hoc est quod ait : *Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, et dare tibi.* Nos tamen ab hac molestia, ab hac importunitate,

: cum in fecunditate sobolis, lippitudo Liæ
helis pulchritudini sit prælata. Quapropter faci
indulgetur ut ascendat monachus ad præsula-
, quam præsul ad monachatum descendat. »
932) Est homil. in litaniis majoribus olim Emi-
o inscripta.
933) Non inelegans est A. mystica interpretatio ;
quam referri potest illa S. Ambrosii lib. VII, in
., n. 8 : « Qui sunt isti tres panes, nisi mysterii
lestis alimentum? » et Augustini lib. II. Quæst.
ang., qu. 21 : « Quod autem ei dicitur de intus,
ostium clausum esse, pueros quoque ejus cum
in cubili esse ; significat tempus famis verbi, cum
elligentia clauditur, et illis, qui Evangelicam sa-
pientiam, tanquam panem erogantes, per orbem terræ prædicaverunt.... orando efficitur, ut accipiat desiderans intellectum ab ipso Deo, etiamsi homo desit, per quem sapientia prædicetur. » Cæterum sæpius Augustinus, ut ibid., et serm. 105, n. 4, et epist. 130, ad Probam, de orando Deo cap. 8, n. 15, etc., quem sequitur Isidorus, sive Auctor lib. Allegoriar. Beda ad h. l., etc., explicat singulatim de intelligentia Trinitatis, serm. 105. Subdit explicationem aliam de Fide, Spe, et Charitate. S. Bernard. Serm. in rogat. interpretatur panes veritatis, charitatis, fortitudinis, serm. 37. parv. virtutes continentiæ, humilitatis, charitatis.

(934) Beda ad h. l. : « Ostium amici, divini est

Digitized by Google

et ab hac violentia non cessemus. Ipse enim Dominus ait : « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud (*Matth.* XI, 12). » Bona est igitur hæc violentia, bona est hæc molestia, et improbitas, et in tantum bona, ut panes, quos nobis Dominus pro ipsa amicitia dare non vult, propter improbitatem tamen surgens det nobis ad sufficientiam et necessitatem. Hoc est enim quod ait : *Et ille, si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surgens dabit ei quotquot habet necessarios.* Unde adhuc subditur : *Et ego dico vobis : Petite et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur.* Hac enim tanta verborum **180** inculcatione manifeste Dominus ostendit, quam sollicitos, molestos, importunos, violentos et improbos ad petendum nos esse velit. Unde et quidam ait : *Labor improbus omnia vincit* (935). Hæc autem, et cætera, quæ in hoc Evangelio sequuntur, in Matthæo exposita sunt.

XXV. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum;* sed non ideo, quia monumenta prophetarum ædificatis, imo quia mala intentione ædificatis ea, et quia patres vestri occiderunt illos, id est, quia filii estis illorum qui prophetas occiderunt. Filii autem non natura tantum, sed imitatione. Quantum enim ad naturam, eorum filii ipsi quoque apostoli fuerunt. Imitatione autem unusquisque illius filius est, quem imitatur. Unde et boni dicuntur filii Abrahæ. Malis autem dicitur : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44). » *Profacto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam quidem ipsi eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra* (936). In hoc enim ostenditur eos non pietatis, vel reverentiæ causa, prophetarum monumenta ædificasse, sed potius memoriæ, victoriæque, et audaciæ patrum suorum : qui tales videlicet fuerint, qui ipsos prophetas occidere non timuissent. Quatenus hoc omnes videntes timerent, et nemo adversum civitatem, et templum prophetare præsumeret. Inde enim Dominus accusatur, quasi qui se templum Dei destruere posse

A dixisset. Inde et adversus beatum Steph testes dicebant : « Homo iste non cessat loqu locum sanctum, et legem. Audivimus enim e tem, quoniam Jesus Nazarenus destruet lo (*Act.* VI, 13). » Sed hæc in Matthæo plan

XXVI. [CAP. XII.] *Dixit autem ei quidam Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum tem. At ille dixit ei : Homo, quis me cons cem, aut divisorem super vos?* Non enim nerat Dominus, ut agros divideret, vel sionibus judicaret, sed ut avaritiam arcer tiam admoneret, et mundi contemptum doc Unde et alibi ait : « Noli resistere malo. te percusserit in dextram maxillam, p alteram; et qui vult tecum in judicio c

B et tunicam tuam tollere, remitte ei e dixitque ad illos : Videte, et cavete ab o tia, quia non in abundantia cujusquam vi ex his, quæ possidet (*Matth.* V, 39). » verbis et eum, qui injuriam faciebat, e patiebatur, ad æquitatem et patientiam p Siquidem non in abundantia vita homini nesque divitiæ simul cum ipsa vita, brev possidentur. *Dixit autem et similitudine dicens : Hominis cujusdam divitis uberes f attulit, et cogitabat intra se dicens : Quid fa non habeo, quo congregem fructus meos? Hoc faciam, destruam horrea mea, et majo et illuc congregabo omnia, quæ nata su*

C *bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, h bona posita in annos plurimos : requiesce bibe, et epulare. Dixit autem illi Dominus hac nocte animam tuam repetent a te. Q parasti, cujus erunt? Sic est, qui sibi thes non est in Deum dives.* Quam pulchra sim avaris, et cupidis necessaria! Quis enim ligens, in divitiis spem suam ponet, cum tam facile amittantur, et homo tam s riatur (938)? Sic, inquit, fiet omni homini thesaurizat, et non est in Deum dives. T enim, et ignorat cui congregabit ea. D est in Deum, qui omnem spem suam non ponit, sed in Deum.

intelligentia sermonis... clausumque est, cum illi qui evangelicam sapientiam, tanquam panem erogantes, per orbem terræ prædicaverunt, pueri patrisfamilias jam sunt in secreta quiete cum Domino. »

(935) Hactenus Homil.

(936) Chrysostom. hom. 74 in Matth., n. 1 : « Væ dicit, non quia ædificant, nec quia patres suos accusant : sed quia sic facientes, quando dictis se patres suos accusare simulant, pejora perpetrant. Quod enim simulate tantum patres accusarent, Lucas docet, etc. Hic mentem eorum damnat qua ædificabant, quia non in occisorum honorem, sed quasi cædes cum pompa efferentes, et timentes, ne temporum injuria dirutis sepulcris, tanti ausus memoria et monumentum interiret : sic sepulcra construebant, splendida ædificia, quasi tropæum erigentes, ac de illorum facinoribus gloriantes. »

(937) Ambrosius lib. VII in Luc., n. 122 : « Bene terrena declinat, qui propter divina descenderat.... Unde non immerito refutatur hic frater, qui dispen-

D satorem cœlestium gestiebat corruptilibus cum inter fratres patrimonium non judex sed pietas debeat sequestra dividere. » ferme verbis Beda, ad h. l. : « Merito re frater, qui magistro, supernæ pacis unitati dia commendanti, terrenæ divisionis vult molestiam. »

(938) Ambrosius l. all. : « Frustra opes qui se his nescit usurum : sicut ille, repleta horrea novis messibus rumperentu rantium sibi fructuum receptacula præpar congregaret ignarus. Remanent enim i cuncta quæ sæculi sunt, et prætereunt no cunque congregantur hæredibus : neque eni sunt quæ non possumus auferre nobiscu virtus comes est defunctorum, sola nos misericordia, quæ cœlestium dux prævia num, pecuniæ vilis usura tabernacula defu quirit æterna. »

Digitized by Google

181 PARS SECUNDA

XXVII. *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ar-* A *entes : et vos similes hominibus exspectantes domi-um suum, quando revertatur ad nuptias, ut cum ve-rit, et pulsaverit, confestim aperiant ei* (939). Quod ium lumbos præcingere nos Dominus præcipit, stitatis gloriam et observantiam commendat. In mbis enim luxuria dominatur. Unde et diabolo citur : « Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo ius in umbilico ventris ejus (*Job.* XL, 11). » De eclesia quoque dicitur : « Accinxit fortitudine mbos suos, et roboravit brachium suum (*Prov.* xxi, 17).» Itemque : « Syndonem fecit, et vendidit, cingulum tradidit Chananæo (*Ibid.*, 34). » Inde t, quod sacerdotes in lege balteos et feminalia bere jubentur (*Lev.* xxviii, 42), sine quibus ad tare non accedant, neque tabernaculum ingre- B antur. Ilis igitur, et similibus comprobatur, quan-m Deo placeat observantia castitatis. Sequitur : *t lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ardent enim cernæ nostræ, si bene circumquaque fulgeant, iosque illuminent et doctrina, et opera nostra. nde et Dominus ait : « Sic luceat lux vestra coram ominibus, ut videntes opera vestra bona glorificent atrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* v, 16). » lorum enim lucernæ exstinctæ sunt, qui neque octrina, neque operatione alios illuminant (940). ebemus autem similes esse hominibus dominum um exspectantibus, quando ad nuptias revertatur, nos imparatos et dormientes inveniat. dominus ium noster tunc ad nuptias revertetur, quando onsam suam, matrem nostram, sanctam videlicet C cclesiam, omni corruptione liberam castis com-exibus in æternæ felicitatis thalamum introducet 11). Venit autem et nunc ad nuptias per singulos es, quando sanctorum animas, quæ et ipsæ illius onsæ sunt, ad se vocat, et secum in æternæ beati-idinis cubiculum collocat (942). Quotidie igitur alvator noster nuptias facit. Quotidie ad se ve-ientibus sanctorum animabus delicias summi boni, et ineffabiles dulcedinis epulas ministrat. Unde et subditur : *Beati servi illi quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.* De his enim vigiliis Apostolus ait : « Vigilate, justi, et nolite peccare (*I Cor.* xv, 34). » Itemque : « Vigilate et orate, state in fide, viriliter agite, confortamini in Domino, omnia vestra in charitate fiant (*I Cor.* xvi, 13). » Qui enim sic vigilant, beati erunt. Hos faciet Dominus secum discumbere, et per eos transiens ministrabit eis. Unde et discipulos suos consolans ait : *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* In eo vero, quod ait, quia præcinget se, et quia transiens ministrabit illis, quo affectu, quo amore, quibus charitatis visceribus eos suscipiat, et in gloriam illis præparatam inducat, manifestissime ostendit (943). Non enim hoc ad litteram intelligi debet, sed in exteriori apparatu cordis intentio declaratur. *Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.* Tres enim vigiliæ, tria tempora sunt, ante legem, et sub lege, et sub gratia (944). Quoniam enim in prima vigilia, neque per legem, neque per prophetas mundum Dominus visitavit, ideo nihil hic de prima vigilia dicitur. In secunda autem vigilia non solum per legem, et prophetas, verumtamen per se ipsum mundum visitare dignatus est. Unde Apostolus ait : « Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio (*Hebr.* i, 1).» Tertia autem vigilia hæc est, in qua non solum venire, verum etiam se semper adesse testatur, dicens : « Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad **182** consummationem sæculi (*Matth.* xxviii, 20). » Sequitur : *Hoc autem scitote, quia si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam,*

(939) Est homil. Emiseni in Nat. Confess., p. 216, uam melius dicemus S. Brunonis.

(940) S. Augustinus serm. 108, aliis 39, de verbis om. cap. 2, num. 2 : « Ad continentiam pertinet. *int lumbi vestri accincti;* ad justitiam pertinet : *et icernæ ardentes.* » S. Fulgentius, serm. 1 de dispen-ationibus, num. 9 : « In lumbis itaque concupi- D centia carnalis ostenditur, in lucernis vero fides, t charitas Christiana monstratur. Jubens igitur ominus lumbos nostros præcingi, concupiscentias arnis sine dubio præcipit refrenari. Imperans au-em ut lucernas ardentes habeamus, hoc utique abet, ut ex lumine veræ fidei splendeamus, et anctæ charitatis operibus ferveamus. Jubens ut int lumbi nostri præcincti, mandat ut mala desi-eria atque opera fugiamus; jubens ut sint lucernæ ostræ ardentes, monet ut bona diligamus, atque aciamus. »

(941) S. Aug. l. all. num. 1 : « Audistis modo Evangelium, quid monuerit nos, cautos nos faciens, et volens esse expeditos et paratos ad exspectanda novissima, ut post novissima quæ sunt in hoc sæculo metuenda, succedat requies quæ non habet finem.... Ad hanc exspectationem, et propter hanc spem Christiani facti sumus. Nonne spes nostra non est de hoc sæculo? Non amemus sæculum. »

(942) Notissima verba S. Gregorii, hom. 13 in Evang., num. 3.

(943) S. Greg. l. all., num. 4 : « Præcinget se, id est, ad retributionem præparabit, et faciet illos discumbere, id est, et æterna quiete refoveri. »

(944) Aliter S. Gregorius num. 5 : « Prima quippe vigilia primæ ætatis custodia est.... Puericia. Secunda adolescentia vel juventus.... Tertia autem senectus accipitur. »

Digitized by Google

Quia igitur nescit, quia dormiens negligit, sæpe domus perfoditur, et quidquid in ea melius est, fit rapina latronum. Vos autem estote parati, estote solliciti, et quia unam illam horam nescitis, omnibus horis vigilate, ne in illa una hora incauti et dormientes inveniamini. Et hoc est quod ait : *Ideo et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes?* His enim verbis intelligere possumus, quædam specialiter ad discipulos, quædam generaliter ad omnes Dominum dixisse; qualia sunt : « Nolite cogitare de crastino (*Matth.* VI, 34); » et : « Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori, quid induamini (*Luc.* XII, 22), » et multa alia. *Dixit autem Dominus : Quis putas est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem.* Constat igitur, quod non solis apostolis, sed et cæteris Ecclesiæ ministris, et dispensatoribus, episcopis videlicet et sacerdotibus, ista dicantur (945). Hos enim constituit Dominus super familiam suam. Hos constituit super Ecclesiam, et domum suam, ut eam regerent, eam docerent, ei necessaria ministrarent, et tritici mensuram pro tempore darent. Hoc enim triticum, doctrina Evangelica intelligitur : quam non solum ad mensuram, sed et suo tempore dare oportet. Non enim omne tempus aptum est doctrinæ, nec æqualiter omnibus, nec omnia omnibus prædicare convenit (946). Fidelis igitur dispensator, et prudens diligentissime considerare debet, quando, et quid, et quantum unicuique tribuat. Unde et in lege quibusdam sacrificiis solis sacerdotibus, quibusdam et aliis vesci licitum erat. Locus quoque, et tempora erant constituta, in quibus ea offerre licebat. *Beatus igitur ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem.* Unde autem sit beatus, audiamus : *Vere dico vobis, quia supra omnia, quæ possidet, constituet illum.* Supra omnia quidem unusquisque constituitur, quia omnia ei obediunt, ejusque omnia faciunt voluntatem. Tanta enim ibi concordia erit, u
quasi major veneretur ab o.nnibus,
veneretur omnes. Non est igitur inc
unusquisque ibi super omnia consti

XXVIII. *Ignem veni mittere in terra*
nisi ut accendatur? Hoc autem expo
autem habeo baptizare, et quomodo c
dum perficiatur? De hoc enim igne,
Joannes Baptista sic ait : « Qui aut
me, fortior me est, et ipse vos baptiz
sancto, et igne (*Matth.* III, 11). » V
Dominus ignem sancti Spiritus misit
cendit, et illuminavit corda fidelium,
mundavit, suoque nos a peccatis no
lavit (948). Hoc autem quo desideric
manifestatur, quod se coarctari dic
perficiatur : *Putatis, quod pacem veni*
Non, dico vobis, sed separationem. I
quit, accendere, verum etiam a se
parare, terram veni. *Erunt enim e*
in domo in una divisi, tres in duos,
dividentur. Pater scilicet in filium
patrem suum. Mater in filiam, et fi
Socrus in nurum suam, et nurus in
Sex enim isti esse videntur ; sed
quinque ; quia mater, et socrus u
persona est (949). Et in primitiva q
sæpe factum est, ut omnes hi quinq
mo manentes, tres ex eis contra duo
tra **183** tres dividerentur, aliis Ch
fendentibus, atque aliis impugnantibu

XXIX. [CAP. XIII.] *Aderant autem*
tempore nuntiantes illi de Galilæis, quo
Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.
dixit illis : Putatis, quod hi Galilæi pr
lilæis peccatores fuerunt, quia talia pa
dico vobis; sed nisi pœnitentiam hab
similiter peribitis. Et sicut illi decem
quos cecidit turris in Siloa, et occid
quia et ipsi debitores fuerunt præter
habitantes in Jerusalem? Non, dico vo
pœnitentiam habueritis, omnes simi

(945) S. Fulg., serm. 1 de dispens. num. 3 : « Ne quis autem nostrum solos apostolos dispensatores factos existimet.... ipse B. Apostolus episcopos quoque dispensatores esse ostendens, ait : *Oportet episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.* Servi ergo patrisfamilias sumus, dispensatores Domini sumus ; mensuram tritici, quam vobis erogemus, accepimus. »

(946) S. Greg., lib. II, hom. 8 in Ezechiel, explicans cur apostoli dicantur portæ interiores, et exteriores : « Ipsi nobis exteriores simul, et interiores portæ sunt. Cum enim adhuc inchoantibus non alta et mystica, sed quædam quæ capi prævalent prædicant, portæ exteriores sunt : cum vero perfectis profunda et mystica loquuntur, portæ interiores. » Idem Reg. Past. par. III, cap. 39 : « Sciendum vero est prædicatori, ut auditoris sui animum ultra vires non trahat, ne, ut ita dicam, dum plusquam valet tenditur, mentis corda rumpatur. Alta enim quæque debent multis audientibus contegi, et vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsum, Veritas dicit : *Quis, puta,*
pensator et prudens... ut det illis in
mensuram? Per mensuram quippe tri
modus verbi, ne cum angusto cordi
quid tribuitur, extra fundatur, » etc.

(947) Hactenus homil.

(948) S. Ambr. lib. VII in Luc., n.
veni mittere in terram, non utique illu
sumptorem bonorum, sed bonæ volunt
qui aurea dominicæ domus vasa mel
vero consumit et stipulam, ac sæculari
voluptate concreta, periturœque opus
ignis ille divinus, qui flammigerabat i
phetarum, » etc. Vide S. Joan. Chrys
Act, n. 2; S. Greg., hom. 30 in Ev.,

(949) S. Ambros. num. 137 : « Qu
quinque, cum sex personarum facta vi
ctio, patris, et filii, et matris, et filiæ,
nurus? Quanquam eadem mater quæ
possit : quæ enim mater est filii, socru
est, » etc.

Digitized by Google

lorum cum historias nos non habemus (950). In- A excidetur, et in ignem mittetur (*Luc.* III, 9). » Ut
elligere tamen oportet, aliquos Galilæos sacrifi- quid etiam terram occupat? Tales enim arbores in-
antes, Pilatum inter ipsa sua sacrificia occidisse, utiliter terram occupant, cæterisque impedimentum
t sic eorum sanguinem ipsis eorum sacrificiis mi- faciunt, et earum umbra nociva cæteræ arbores cir-
cuisse. Similiter autem turrem aliquam in Siloa cumpositæ corrumpuntur : uva enim, ut dici solet,
ecidisse, suoque casu hos, quos modo Dominus ab uva trahit livorem, et una ovis morbida totum
ixit, homines oppressisse. Putabant autem, ut fieri gregem dissipat, et modicum fermentum totam mas-
olet, eos præ cæteris nequiores esse, quia eos tam sam corrumpit; et : « Qui tetigerit picem, inquina-
mirabiliter periisse contigit. Sed non est ita. Mors bitur ab ea (*Eccli.* XIII, 1). » At ille respondens
nim, qualiscumque sit, nec justum damnat, nec dixit illi : *Domine, dimitte illam et hoc anno, usque*
eccatorem justificat. Quod autem ait : *Nisi pœniten- dum fodiam circa illam, et mittam stercora, et siqui-*
iam habueritis, omnes similiter peribitis, non de cor- *dem fecerit fructum : sin autem in futurum succi les*
oris, sed de animæ morte, intelligere convenit. Non *eam*. Sic autem et Samuel pro arbore infructuosa,
nim inter sacrificia, vel turris ruina pereunt omnes, ne succideretur, orabat lugens Saulem cunctis die-
ui pœnitentiam negligunt. bus (*I Reg.* XI, 35). Fodit enim episcopus circa ficul-

XXX. *Dicebat autem hanc similitudinem : Arbo-* B neam, quando peccatoris facta, omnemque ejus vi-
em fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et tam, et pravitatem per illius confessionem diligen-
enit quærens fructum in illa, et non invenit. Dixit tissime investigat. Deinde vero et circa illam ster-
utem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres, ex quo cora mittit, dum illius peccata quam turpia, quam
enio quærens fructum in ficulnea hac, et non inveniο. inhonesta, et fetida fuerint ostendit (953). Stercora
uccide ergo illam : ut quid etiam terram occu- enim circa ficulneam posuerat Apostolus, qui dice-
at (951)? In hac enim similitudine, quanta sit Dei bat : « Quem ergo fructum habuistis tunc, in qui-
atientia, quanta sit et hominis negligentia mani- bus nunc erubescitis? » (*Rom.* VI, 21.) Unde et
estatur. Dei enim ager et vinea, mundus dicitur, David, horum stercorum fetorem sentiens, ait :
ujus arbores, et vites, homines sunt, et aliæ qui- « Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ,
em fructuosæ, aliæ vero infructuosæ. Hujus autem **184** a facie insipientiæ meæ (*Psal.* XXXVII, 6). »
ineæ cultores, episcopi sunt, et sacerdotes. Tres Neque enim aliter peccator sanari potest, nisi prius
utem anni, tria tempora sunt, ante legem, sub suorum vulnerum fetorem sentiat, et sentiendo
ge (952), et sub gratia. Toties enim ad vineam abhorreat. *Erat autem docens in Synagoga eorum*
am Dominus venit, toties in ejus arboribus fru- C *sabbatis, et ecce mulier, quæ habebat spiritum infir-*
um quærit, quoties homines respicere et visitare *mitatis annis decem et octo, et erat inclinata, nec*
gnatur. Est igitur ficulnea infructuosa, humana *omnino poterat sursum aspicere. Quam cum vidisset*
atura secundum partem malorum, id est unusquis- *Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa*
e iniquus et infidelis. Per tres igitur annos ad hanc *es ab infirmitate tua; et imposuit illi manum et con-*
ulneam Dominus venit, et fructum in ea non invenit; *festim erecta est, et glorificabat Deum.* Hoc enim,
oniam tales arbores neque ante legem, neque sub quod in muliere curva Dominus egit, expositio eo-
ge, neque sub gratia in hac vinea defuerunt; sæpe rum est, quæ de ficulnea infructuosa dicta sunt.
im plus ficulneis infructuosis, quam arboribus Unum enim, idemque significat et mulier curva, et
ctiferis hæc mundi vinea abundare videtur. Pauci ficulnea infructuosa. Ille enim homo curvus est, qui
im sunt boni ad malorum comparationem. « Multi terrenis voluptatibus deditus, sola terrena et trans-
im sunt vocati, ut Dominus ait, pauci vero electi itoria diligit, ad cœlestia contemplanda mentis
Matth. XXII, 14). » Sequitur : *Succide ergo illam.* oculos non erigit, et æternæ felicitatis divitias non
ia, inquit, infructuosa est, quia inutilis est, quia requirit (954). Hunc autem si Dominus tangat, et
ni operis fructum non reddit, succide illam. quæ misericordiæ manum super eum ponat, statim
Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, D erigitur, et terrenorum oblitus, cœlestia contempla-

(950) Bene A. et caute historiam hanc attingit, quia nobis non constat, ut Calmet, aliique adno- at. Sunt qui ad eam seditionem referunt, de qua t. v, 37. Alii quibus factum hoc antiquius vide- (sed antiquius sane, quam ut ei conveniant Evan- lica verba nuntiantes illi de Galilæis) malunt in- pretari de Samaritanis tumultuantibus, quorum ultos Pilatus occidit, ut narrat Josephus AA. lib. III, cap. 4. Samaritanos vero dici aiunt origine patria, Galilæos secta et hæresi. Vid. Baronium an. 1, n. 61, et Interpretes, qui de alia historia sus turris Siloe multo magis, eam ignotam esse nitus, et solum ex hoc loco haberi, fatentur.

(951) Est homil. Emis. Dom. Vacat, pag. 185, in- subtatas a S. Brunone recensenda.

(952) Beda ad h. l. : « Potest hæc arbor fici ge- ris humani designare naturam; quæ bene plan- tata, hoc est ad auctoris sui similitudinem creata est. Sed Deo quærente per triennium fructum dare negavit, quia ante legem, sub lege, sub gratia obedire despexerit. » Alii S. Ambrosius num. 160; S. Hieron. ad Matth. XXI, etc., Synagogam interpretantur. De priore interpretatione (quam ideo antiquam esse oportuit) S. Ambrosius n. 172 : « Illi (qui eo modo interpretantur) in nullo distant, nisi quod pro specie genus eligunt. »

(953) Beda : « *Mittam stercora*, id est, malorum quæ fecit abominationem ad animum reducam, et compunctionis gratiam, quasi de putredine stercoris exsuscitem. »

(954) Ambrosius lib. III in Hexaem, c. 12, n. 50 : « Nihil enim magis mentem onerat, quam istius mundi sollicitudo, et cupiditas vel pecuniæ vel potentiæ. Quod tibi demonstratur in Evangelio, cum

Digitized by Google

tur. *Respondens autem archisynagogus, indignans, quia Sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ : sex dies sunt, in quibus oportet operari. In his ergo venite, et curamini, et non in die Sabbati.* Male enim archisynagogus legem intelligebat, qui pietatis et misericordiæ opera in Sabbato fieri nolebat. Lex enim non liberale opus in Sabbato, sed servile fieri prohibuit. Bonum enim opus omni die fieri licet (955); malum autem nullo. *Respondit autem ad illum Dominus, et dixit : Hypocrita, unusquisque vestrum in sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adaquare?* Si, inquit, in sabbato operari non licet, cur ergo vos in sabbato bovem et asinum ad potum ducitis? Hoc enim opus servile est, quod si ad litteram intelligatur, omnimodo in Sabbato lege fieri prohibetur. Merito igitur hypocrita vocatur, qui non in his, quibus debet, sed in his, quibus non debet, Sabbatum veneratur, mala consentiens, et bona reprehendens. Vobis, inquit, hypocritæ, vobis bovem, et asinum in sabbato a præsepio solvere, et adaquare licet; mihi autem *hanc filiam Abrahæ, quam alligavit satanas ecce decem et octo annis, a vinculo isto solvere non licuit?* Quod enim valet in minori, valet et in majori. Quod si etiam in minori non valuisset, in majori tamen reprehendi non potuisset. Quis enim reprehendat, quod Dominus agit? Id ipsum autem per hos decem et octo annos, et per tres annos superius positos significatur. Tunc enim sex, id est sexies tres, decem et octo fiunt. Ponamus agitur sex annos ante legem, sex sub lege, et sub gratia sex, et erunt decem et octo (956). In his enim omnibus, nec ficulnea infructuosa defuit, nec mulier curva, quam sanaret Jesus. Hanc autem mulierem, quia Satanas eam alligasse dicitur, propter peccata sua hanc ægritudinem incurrisse intelligere possumus sicut et ille, cui Dominus ait : « Vade, et jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (*Joan.* VIII, 11). » *Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus, et omnis populus gaudebat in universis quæ gloriose fiebant ab eo.* Et illi quidem erubescebant, quia se victos esse videbant : isti vero quia et in verbis, et in miraculis Christi et gloriam cognoscebant (957).

XXXI. *In ipsa die accesserunt quidam rum dicentes illi : Exi, et vade hinc, qui vult te occidere. Et ait illis : Dicite vulpi ejicio dæmonia, et sanitates perficio, hodi et tertia die consummor. Verumtamen hodie, et cras, et sequenti ambulare, quia prophetam perire extra Jerusalem.* Vulpis dissimum animal est, quod semper innoc insidiatur. Unde et non immerito Hero vocatur, qui et Joannem Baptistam in et Christum Dominum nostrum occidere *Ecce*, inquit, *ejicio demonia*, quæ ipso le fortiora, et potentiora sunt, *et sanitates per* utrumque virtutis et potentiæ signum e igitur esse potestate, et vivere, et mori est. Sed quid per *cras*, nisi omne futur Intelligitur? Tertia autem die consummat minus quia die resurrectionis, quæ terti passionis, **185** decorem induit, induit Do titudinem et præcinxit se virtute, ut tot et consummatus nihil ulterius in se dimi mutabilitatis sentiret, nullisque, ut prius bus subjaceret. Quoniam autem ait : *Et terti summor*, ne aliquis fortasse eum putaret tertia moriturum, addidit dicens : *V oportet me hodie, et cras, et sequenti* Unde manifestum est, non diem alteram, futurum tempus, cras indeterminate signifi Sequitur : *Quia non capit prophetam perire rusalem.* Hoc autem non de omni, sed i pheta dicit, de quo et alibi ait : « Non est sine honore, nisi in patria sua (*Matth.* XIII ipsum videlicet prophetam vocans. Hunc *capit*, non suscipit, non consentit Dei p Dei dispositio, et sermo prophetarum, peri extra Jerusalem. Sic enim ante tempora et dispositum fuerat, neque aliter fieri erat, sed tantum in Jerusalem, et non

legis quia illa mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis, inclinata erat, ut sursum respicere non posset. Curvata enim erat anima ejus, quæ inclinabatur ad terrena compendia, et cœlestem gratiam non videbat. Respexit eam Jesus, et vocavit, et statim mulier onera terrena deposuit. » S. Gregor. hom. 31 in Evang. n. 6 : « Omnis peccator terrena cogitans, cœlestia non requirens, sursum respicere non valet : quia dum desideria interiora sequitur, a mentis suæ rectitudine curvatur, et hoc semper videt, quod sine cessatione cogitat... et quia ad cœleste desiderium non assurgit, quasi mulier inclinata sursum respicere nequaquam potest. »

(955) S. Ambros. ad h. l. n. 174 : « Non operis boni, sed mali feriæ sunt. »

(956) Beda : « Quæ bene decem et octo annis fuit curvata, qui numerus ternario sexies ducto perficitur, quia videlicet eam, quæ in testimonio legis, in vaticinio prophetiæ, et in revelatione gratiæ per infirma opera langueret, ostendit. » Vide mysteria de hoc numero apud S. Augustin., de Trinit. lib. IV, cap. 4, serm. 110, n. 2.

(957) Hact. homil.

(958) S. Augustinus lib. VI contr. Jul 19 : « Dominus in Evangelio : *Ecce*, inq *dæmonia, et sanitates perficio hodie et cra die consummor.* Post multum tempus qu ctum est, passus est Dominus. Mentiri n Intelligitur ergo sic. Expulsio dæmoniorum peccatorum est, et eo utique, quod diabol torum pater atque origo sit, per id quod e quod efficit. Et utique expulsio dæmonio remissio peccatorum... Perfectio sanita de die in diem proficit Ecclesia, et corrupti jus reatus ablatus est, passio quotidiana re minuitur. Tertia consummatur dum resurr in se ipso initiandam monstravit Ecclesiæ, incorruptionis consummationem, summam veniat sanitatem. Se vero consummari dixi tium et finis ipse; ipse caput et plenitudo in membris suis ipse perficitur. » In eande sententiam V. scribentem Bedam.

Digitized by Google

cidi oportebat. Frustra igitur eum occidere niti- A
r Herodes, quia et tempus, et dies, et locus, ubi, quando Dominus occidatur, dispos'ta sunt, et ıtari non possunt.

XXXII. [Cap. XIV.] *Et factum est, dum intraret in* *num cujusdam principis Pharisæorum sabbato* *nducare panem, et ipsi observabant eum* (959). In enim, quod ad panem manducandum in domum incipis Pharisæorum Dominum intrasse evange- ta scribit, eum solis necessariis contentum, et n deliciosis cibis inhiasse ostendit : præsertim m neque in ipsius principis domo aliud mandu- sse dicatur. In pane tamen, qui in omnibus cibis incipatum tenet, omnia ciborum genera intelligere ssumus. Unde et de Ecclesia dicitur : Quia « panem iosa non comedit (*Prov.* xxxi, 27). » (960) *Et ipsi,* B quit, *observabant eum*, id est, insidiabantur ei, ut vel ejus verbis aliquid audirent, vel in ejus actionibus iquid viderent, unde eum reprehendere et accu- re potuissent (961). Quorum, inquam, voluntatem ominus cognoscens, eisdem ipsis materiam dabat, qua suæ intentionis iniquitatem declararent. Hoc ıim sequentia manifestant. *Et ecce quidam hydro-* *cus erat ante illum.* Hæc est enim materia, qua et hristi virtus, et Pharisæorum perfidia manifeste- r. *Et respondens Jesus ad legisperitos, et ad Phari-* *æos, dicens : Si licet sabbato curare ? At illi tacue-* *unt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.* espondens utique Jesus : sed cogitationibus re- ondit. Cogitabant enim Pharisæi, et intra se C cebant : Ecce hydropicus adest et sabbatum est : deamus, quid ipse agat. His igitur cogitationibus spondens Dominus ait : *Si licet sabbato curare?* illi utrobique timentes tacuerunt. Si enim dixis- nt, quia licet, jam non erat in quo eum repre- ndere possent : si vero dixissent, quia non licet, nebant sibi, quia et ipsi multa in sabbatis opera- ntur. Tacuerunt igitur. Ipse vero sanavit eum, dimisit. Et quia jam ei insultare, et eum repren- ndere cogitabant, utpote qui contra legem fecis- t, præoccupavit eos, et respondens dixit : *Cujus* *strum asinus, aut bos in puteum cadet, et non con-* *uo extrahet eum die sabbati? Et non poterant ad* *ec respondere illi.* Quid enim responderent, qui tam evidenti syllogismo conclusos esse videbant? D ed videamus quid hydropicus iste significet; si- ıificat enim aliquid. Hydropisis enim, infirmitas ab aqua dicitur. Hydropicus autem, quamvis aqua plenus sit, semper tamen sitiens, bibendo satiari non potest. Unde et non immerito avaros designat, qui, tanto plus habent, tanto plus habere desiderant. Neque vero habendo satiantur, quia insatiabilis amor (962) habendi, avaritia definitur. **186** Ilos autem, si ad Christi convivium veniant, et si ibi abstinentiam discant, ut quid appetere, et quid abjicere debeant, intelligant, sanat Jesus. *Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos : Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo, et veniens is, qui te, et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum ; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, et re- cumbe in novissimo loco, et cum venerit, qui te invi- tavit, dicat tibi : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram discumbentibus.* Hæc autem subinferens exponit, dicens : *Quia omnis qui se exaltat* *humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* Invitatus enim Dominus ad convivium, considerans, et intendens, quomodo digniores, et primos accubitus omnes eligerent, et quomodo singuli se cæteris anteferre et exaltare desiderarent, hanc eis parabolam dixit, quæ ad litteram quoque intellecta, cunctis honestatem diligentibus, et verecundiam (963) timentibus valde utilis et necessaria est. Dat enim et minoribus gratiam, et majoribus reverentiam. Sed quia parabola dicitur, aliquid aliud præter litteram significat. Videamus igitur, quæ sunt istæ nuptiæ, qui sint et illi, qui ad nuptias invitantur. Istæ enim nuptiæ quotidie in Ecclesia fiunt. Quotidie Dominus nuptias facit, quia quotidie fideles animas sibi conjungit, aliis ad baptismum venientibus, aliis hinc ad cœlestia regna migrantibus. Ad has enim nuptias omnes invitati sumus, quicunque Christi fidem, et signaculum suscepimus. Hic illa mensa nobis apponitur, de qua dicitur : « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me (*Ps.* xxii, 5). » Hic panes propositionis, hic vitulus saginatus, hic agnus, qui tollit peccata mundi, hic panis vivus, qui de cœlo descendit, hic calix novi testamenti apponitur nobis hic, Evangelia et apostolorum Epistolæ, hic Moysis et prophetarum libri, quasi quædam fercula deliciis omnibus referta apponuntur nobis. Quid igitur amplius quærimus?

(959) Est nom. Emiseno male attributa Dom. VII post Pentecost., pag. 169.

(960) S. Hier. lib. III, in Isai., explicans illud, ap. ut : *Dominus auferet ab Jerusalem omne robur* *anis et omne robur aquæ*, scribit : « Fortitudo panis t fortitudo aquæ pro omni cibo, et potu accipitur ; » tque in hujus rei confirmationem affert illa Scri- turæ : « In sudore vultus tui comedes panem tuum ; » t : « Non in solo pane vivit homo. »

(961) Vetus A. commentarii in Epistol. ad Philip- enses, inter opera S. Hieronymi, explicans verba : *t observate eos, qui ita ambulant* : « Dupliciter, in- uit, dicitur observare, vel ad imitandum, ut hic ; el ad cavendum, sicut ad Romanos XVI ait Apo- stolus : *Observate eos, qui dissensiones et offendicula* *faciunt.* »

(962) S. Gregor., lib. XIV Moral., cap. 5 : « Quid est ergo quod ante Pharisæi domum hydropicus curatur, nisi quod per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis? Hydropicus quippe quo amplius biberit, amplius sitit ; et omnis avarus ex potu sitim multiplicat ; quia, cum ea quæ appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. » Gregorii verba describit Beda ad h. l.

(963) Hinc. Proverb. XXV, 6, 7 : *Ne gloriosus ap-* *pareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris.* *Melius est enim, ut dicatur tibi : Ascende huc, quam* *ut humilieris coram principe.*

Digitized by Google

Quid primos accubitus eligimus? Ubicunque enim sedemus, omnibus abundamus, et nihilo indigemus. Verumtamen quicunque es qui primos hic accubitus quæris, vade, et recumbe in novissimo loco. Non te superbia elevet, non scientia inflet, non nobilitas extollat; sed quanto major es, humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam, ut suo tempore dicatur tibi : *Amice, ascende superius : et tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus* (964). In novissimo quidem loco, quantum ad se, recumbebat Moyses, quem cum Dominus ad locum superiorem invitasset, et ad filios Israel mittere voluisset, respondit : « Obsecro, Domine, mitte quem missurus es; non enim sum eloquens (*Exod.* IV, 15); » neque tanti, ac si dicat, officii dignus. Saul quoque, cum humilis esset in oculis suis, rex a Domino constitutus est. Sic et Jeremias in primum locum ascendere timens, dicebat : « A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum (*Jer.* I, 6). » Primus igitur accubitus primus in Ecclesia locus, non ambitione, sed humilitate, non nummis (965), sed virtutibus quærendus est. Ad hunc igitur et pueri, et loqui nescientes, adhuc indocti, et indisciplinati ascendere timeant, ne forte dicatur eis : *Da huic locum, et tunc incipias cum robore novissimum locum tenere. Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (966).

XXXIII. *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos* (967). Hic enim homo ipse est, qui hæc loquitur, Jesus Christus Dominus noster (968). Magna autem ejus cœna hæc Evangelia sunt, quæ ipse nobis præparavit. Quæ et nos quotidie legimus, legendo comedimus, et mentem reficimus. Magna quidem est hæc cœna, cunctisque deliciis plena, quæ omnia omnibus sufficienter ministrat. Ad hanc autem cœnam vocavit Dominus multos, Judæos scilicet et gentiles; sed Judæos primum, deinde gentiles. Quia enim Judæi venire noluerunt, gentiles vocati sunt. Unde et subditur : *Et misit servos suos hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt omnes simul excusare.* Tunc enim primum servos suos Dominus misit, quando A suis discipulis ait : « In viam Gentium ne et in civitates Samaritanorum ne intrave potius ite ad oves quæ perierunt domus Is tes 187 autem prædicate dicentes, quia app vit regnum cœlorum (*Matt.* x, 5-7). » Hoc quod hic dicitur : *Quia jam parata su* « Mortuos suscitate, leprosos mundate, ejicite, quæ gratis accepistis, gratis date (*i seq.*) » Euntes igitur servi dixerunt invitat nirent. *At illi cœperunt omnes simul exc* hanc enim cœnam jam ante Christi inca omnes Judæi invitati fuerant. Ad hanc et pa et prophetæ eos invitaverant. Illi autem luerunt (969), sed cœperunt omnes simul *Primus dixit : Villam emi, et necesse habeo* B *videre illam; rogo te, habe me excusatum. dixit : Juga bovum emi quinque, et eo pro rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit duxi, et ideo non possum venire.* In illo villam emit, avaritiam; in illo, qui emit qui bovum, falsam religionem; in illo vero, qu duxit, luxuriam, et carnis voluptates mus (970). Multos enim hæc tria separan Dei. Villam enim emit, qui hujus mundi poss divitias, honores et dignitates quærit. Ad tem villam ille exire, semperque eam vide rat, qui in his multum delectatur, omnem spem in eis ponit. Talibus autem si quando et sacerdotes meliora persuadeant, promitt C cere quod eis præcipitur, sed impedime ciunt, excusationes objiciunt, et ut ipsi Deum deprecentur, exorant. Hoc autem aliud dicere, nisi *rogo te, habe me ex* Quinque autem juga boum, quinque s Moysis (971). Hos autem Judæi emerunt, pr cumcisi sunt, pro his decimas, et primitia crificia offerunt. Hos tamen nondum pro bent, quia nondum eos intelligunt. Si e intellexissent, nulla esset excusatio, quin cœnam venissent. Sed quia eos non intelligu eos venerari se simulant, suam justitiam q statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.

(964) Beda ad h. l. : « Aperta quidem ad litteram est hæc admonitio Salvatoris, docens humilitatem non solum apud Deum, sed etiam apud homines esse laudabilem. Sed quoniam hanc evangelista non frustra parabolam vocat, breviter intuendum quid etiam mystice significet. Nuptias appellari Christi et Ecclesiæ conjunctionem, multis locis apparet... Has ergo nuptias quisquis invitatus adierit, id est Ecclesiæ se membris fidei gratia conjunxerit, non discumbat in primo loco, hoc est non se de meritis gloriando, quasi cæteris sublimior extollat. »

(965) Et hoc contra Simoniacos A. profert.

(966) Hactenus homil.

(967) Est hom. Emiseno supposita Dom. II post Pentecost., pag. 149.

(968) S. August. serm. 12 : « Quis est iste homo, nisi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus? » Beda : « Quis est iste homo, nisi ille, de quo per prophetam dicitur : *Et homo est, et quis cognoscit eum?* »

(969) S. Augustinus, serm. 112 : « Qui sunt nisi per præmissos vocati prophetas? Quand D ex quo mittuntur prophetæ, invitant ad Christi, mittuntur ergo ad populum Israe missi sunt; sæpe vocaverunt, ut ad hors venirent. Illi autem invitantes acceperunt. invitantes acceperunt, cœnam repudiaveru phetas legerunt, et Christum occiderunt. »

(970) S. Augustin. l. all. « Tres fuerunt tiones... In villa empta, dominatio notatur. terram versant : sunt autem homines remoti nolunt credere aliquid, nisi ad quod sui sensu quinque partito perveniunt : nolo, inqui ego, nisi quod video... *uxorem duxi.* Ista est carnis, quæ multos impedit... sunt homi dicunt : Non est homini bene, nisi cui adsunt deliciæ. » Vid. S. Gregorium, hom. 36 in Ev Bedam.

(971) S. Ambrosius l. VII, in Luc., n. 119. que autem juga sunt, verborum decem, vel q libri veteris legis. »

Digitized by Google

postolus ait : « Zelum Dei habent, sed non secun- A
m scientiam (*Rom.* x, 2). » Illis autem, etsi excu-
tionem quærant, excusatio tamen nulla erit. Sic
im ait Dominus (972) : *Si non venissem, et locutus*
non fuissem, peccatum non haberent. Illi vero
orem ducunt, qui se luxuriæ, carnisque voluptа-
us per omnia subjiciunt. Inter quos illi computari
n debent, quibus Apostolus ait : « Qui habent
ores, tanquam non habentes sint (*I Cor.* vii, 29). »
isti quidem excusari non quærunt, quia solam
nc vitam diligentes, aliam pro nihilo ducunt. *Et*
versus servus nuntiavit hæc domino suo. Unde Isaias:
Domine, quis credit auditui nostro? (*Is.* liii, 1). »
nc iratus paterfamilias dixit servo suo : Exi cito
plateas, et vicos civitatis, et pauperes, ac debi-
s, cæcos, et claudos introduc huc. Quia enim Judæi B
l cœnam venire, et credere noluerunt, ad gentes
postoli mittuntur. Unde Apostolus : « Vobis, in-
uit, primum oportebat prædicari verbum Dei; sed
uia repulistis illud, et indignos vos fecistis æternæ
itæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* xiii, 46). »
auperes enim, debiles, cæci, et claudi erant gen-
les, quia nec legis divitias, nec virtutum fortitu-
inem, nec scientiæ lumen habebant, nec in via
andatorum Dei rectis pedibus incedebant (973).
nvitati tamen ad convivium Christi, divites et for-
es facti sunt, et in terris illuminati, jam in via non
rrant, sed recto tramite gradiuntur. *Et ait servus :*
Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est.
ste enim locus tunc complebitur, quando hæc vita
nietur. Adhuc enim quotidie mittuntur servi, adhuc C
d cœnam veniunt fideles, aliis per baptismum, aliis
er pœnitentiam festinantibus. Jam neque viæ, ne-
ue sepes, neque locus ullus, sive abditus sit, sive
anifestus, relictus est, ad quem Christi servi scru-
ndum non pervenerint. Qui igitur huic cœnæ de-
erint, non servorum negligentiæ; sed suæ hoc ino-
edientiæ deputent. Sequitur : *Dico autem vobis, quod*
emo virorum illorum, **188** *qui vocati sunt, gustabit*
œnam meam. Nemo enim illorum, qui vocati sunt,
venire noluerunt, Christi cœnam gustabit. Nemo

(972) Joan xv, 22 : *Si non venissem et locutus*
uissem eis, peccatum non haberent : nunc autem
xcusationem non habent de peccato suo.

(973) S. Augustin. l. ii. Quæst. Evang., cap. 50 : D
« Quod de civitate adducit invitatos ad cœnam, de
psa gente Judæorum qui crediderunt significat...
Quod autem de sepibus, et viis alios adduci jussit,
um adhuc locus esset, gentes significat, propter
diversas vias sectarum, et spinas peccatorum. »
Beda ad h. l : « Cum de vicis et plateis ad cœnam
Dominus invitat, illum videlicet populum designat,
qui tenere legem sub urbana conversatione noverat.
Cum vero convivas suos colligi ex viis et sepibus
præcipit, nimirum agrestem populum colligere, id
est gentilem, quærit. » Sunt autem hæc Bedæ, verba
ipsa S. Gregorii homil. 36. num. 8.

(974) Idem fusius opponit et eodem modo solvit
S. Ambrosius, serm. 15, in ps. cxviii, inducens
Christum ita loquentem, n. 18 : « Non ergo necessi-
tudinum intestina bella mandavi, sed illecebram su-
spectam habui. An non jure suspectam, cum serpens
ille callidus et astutus ad construendas nequitiæ suæ
artes, quæ incorruptæ ac rudis naturæ dote funda-

simul cum sanctis ad æterni convivii epulas intrabit.

XXXIV. *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxores, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam; non potest meus esse discipulus; et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Cum enim alibi Dominus dicat : « Diliges proximum tuum sicut te ipsum (*Matth.* xxii., 39; *Marc.* xii,31). » et non solum hoc, verum et : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*Luc.* vi, 27); » quid est quod modo dicit, ut patrem et matrem, uxores et filios, fratres et sorores, et ipsas animas nostras odio habeamus? Joannes quoque apostolus ait : « Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* iii, 15). » Et Psalmista : « Qui enim diligit B iniquitatem, odit animam suam (*Psal.* x, 6). » Concluditur ergo, ut soli iniqui, et homicidæ, Christi discipuli esse possint : siquidem illi soli sunt ejus discipuli, qui et parentes suos, et se ipsos odio habent. Quod est inconveniens. Dicatur ergo : si pater, aut mater, vel aliquis propinquorum tuorum te a Christi fide seperare voluerit, hunc fuge, hunc quasi hostem time, et quasi membrum Satanæ, odio habe. Unde et Matthæus manifestius ait : « Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus (*Matth.* xviii, 9). » Et alibi : « Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te (974). » Animam autem pro vita posuit. Vitam enim suam odio habent, qui pro justitia, et Christi fide mori desiderant, et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis C crucifigentes, nullas hujus vitæ voluptates sequuntur : isti quoque post Christum crucem suam bajulant, quia, omnibus derelictis, solam carnis mortificationem in corpore suo ferentes, toto cordis et mentis desiderio post eum vadunt. Sed valde notandum est, quod ait : si quis hoc, vel illud non fecerit, non potest meus esse discipulus. Aliud enim est Christianum esse, aliud Christi discipulum esse. Septuaginta namque et duos discipulos Dominus elegit, præter eos, quos apostolos nominavit. Isti autem mundum spernentes, omnia relinquentes, Domino adhærentes,

tum primogeniti Adam labefactaret affectum, femineis magis illecebris, quam suis commisit venenis ?.. Sæpe cognovimus, quoniam quem formidolosa carnificum pompa non terruit, nec divisi lateris sulcus D infregit, nec ardentes laminæ a triumphalis fortitudinis rigore deducere potuerunt, eum inter sacra jam præmia constitutum, uxor teneræ sobolis oblatione, miserabilis unius lacrimæ miseratione decepit... — *Tempus igitur amandi, tempus odio habendi* ; hoc est tempus martyrii, quando ea, quæ divina sunt, omni charitati necessitudinum præferenda. Tempus belli, quo etiam bellum pro Christi nomine perfidis pignoribus inferamus... Deinde ipse in Evangelio evidenter exposuit, qua ratione nostros debeamus odisse, dicens : *Qui diligit patrem aut matrem plus quam me*, » etc. Notissima sunt verba S. Gregorii hom. 37 in Ev., n. 2 : « Si vim præcepti perpendimus, utrumque agere per discretionem valemus; ut et eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, et quos proximos novimus, diligamus; et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus, » etc.

Digitized by Google

Christi discipuli specialiter dicti sunt. Horum nomen igitur, et locum illi tenent, qui eos in vita, et moribus imitantur. Unde et in conclusione hujus Evangelii dicitur : *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnia, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Qui igitur Christi discipulus esse, et dici desiderat, sedeat prius, et computet, si discipulorum vitam tenere, patientiam habere, laborem sustinere, et simul cum eis turrim ædificare, contra hostes pugnare, et cætera, quæ sequuntur, agere valeat. Hoc est enim, quod ait : *Quis enim ex vobis volens turrem ædificare, nonne prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes, quia hic homo cœpit ædificare et non potuit consummare* (975)? Magnam enim turrem ædificare incipit, qui mundi honores, divitias, et dignitates contemnens, omnia relinquit et apostolorum vitam, et monachorum conversationem promittit. Sed iste prius computare debet, quam arctam et laboriosam vitam ingrediatur, et quam magnum et difficile opus agere incipiat (976). Debet etiam cogitare, si habeat sumptus, qui necessarii sunt ad perficiendum, id est, si humilitatem, patientiam, et obedientiam tenere, et custodire valeat, sine quibus ædificium ædificari non potest. Si enim aliter egerit, et a bono proposito declinare cœperit, omnes incipient ei illudere dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare. Sed quid ei cœpisse profuit? Non enim, qui cœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit. Sequitur : *Aut quis rex iturus bellum committere adversus alium regem, nonne prius sedens cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin,* **189** *adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.* Hæc autem similitudo eadem est, quæ superior. Nihil enim aliud his verbis admonemur, nisi ne ultra vires nostras nos extendamus. Unde et Apostolus ait : « Qui se non continet, nubat; melius enim est nubere, quam uri. Unusquisque proprium donum habet ex Deo (*I Cor.* VII, 9). » Probet igitur prius se ipsum homo, et sic ad altiora conscendat. Sit videlicet servus, qui non potest esse discipulus. Nec omnes episcopi, nec omnes sacerdotes, nec omnes monachi. Quamvis enim, ut Apostolus ait : « Omnes unum corpus sumus in Christo; omnia tamen membra non eumdem actum habent (*Rom.* XII, 4, 5). » Rex autem est unusquisque fidelis, qui se ipsum, et virtutum exercitum, qui in eo est bene regere novit. Hic autem adversus alium regem bellum committit, per quem diabolum intelligimus. Quem quidem, etsi majorem exercitum habeat, facile tamen superamus, si non in nostra, sed in Dei virtute confidamus. Sed

(975) Vid. S. August. Epist. 243. Et lib. II Quæst. Evangel. cap. 31.

(976) S. Gregor., hom. 37, n. 6 : « Omne quod agimus prævenire per studium considerationis debemus. » Vid. S. Bern., tract. De præcept. et dispens.

(977) S. Gregor., homil. 37. n. 10 : « Relinquat

A sciendum est, quia fortius eos diabolus ag quod ad majora, et Deo propinquiora fest gnoscit. Unde scriptum est : « Fili, acc servitutem Dei, præpara animam tuam ad nem (*Eccli.* II, 1). » Ideo et ejus escæ electæ Ideo et fiduciam habere dicitur, quod in danis in os ejus. Ad hunc autem legationem et pacem cum eo facere, est ejus tentatio quiescere. Et si quis primæ tentationi hon buerit, adhuc eo longe agente, pacem fa enim sunt, qui cum eo pacem non faciunt, prope sit, et multo tempore eos violenter in Sicut igitur isti, de quibus modo diximus turrem ædificare, neque contra hostem pug lent, nisi prius secum diligenter pertra

B sumptus ad ædificandum, et vires ad pug habeant, sic omnis, qui non renuntiat omni possidet, non potest Christi esse discipulus bus enim renuntiat, qui, quamvis aliqua p omnia tamen, si necesse sit, pro Christi amittere parvi pendit. Nam ipsi quoque ap vestimenta, et calceamenta qualiacunque ha quibus tamen jam renuntiaverant, quoniam cesse esset, ea simul cum ipsa vita perdere mebant (977).

XXXV. [CAP. XV.] *Erant autem appropinqu publicani, et peccatores, ut audirent illum. murabant Pharisæi, et Scribæ, dicentes, quia catores recipit, et manducat cum illis.* Apostol

C Corinthiis scribens ait : « Si quis fratres no et est fornicator, aut avarus, aut idolis se aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cu modi nec cibum sumere (*I Cor.* V, 11). » Et nus quidem, ut convertat : Apostolus vero, ut Iste terret suos : ille vocat extraneos. Utr igitur bonum est, et terrere proximos, et m extraneos. Illos mulcemus, ut convertantur terremus, ut erubescant, et a malo quiescant: igitur Pharisæi peccatores penitus abomin Non enim abominandi sunt, sed vocandi. Ve autem aut blanditiis, aut minis. Vocat eos Do blandiendo, et manducando cum illis. Voca Apostolus terrendo, nolens cibum sumere cum Sequitur : *Et ait ad illos parabolam istam, di*

D *Quis ex vobis homo, qui habeat centum oves, et diderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec niat illam? Et cum invenerit eam, imponit in hu suos gaudens, et veniens domum, convocat amic vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia i orem meam, quæ perierat.* Hoc autem quid signi ipse subinferens ait : *Dico vobis, quod ita gau erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam ag quam supra nonaginta novem justis, qui non ind*

ergo omnia qui potest. Qui autem relinquere om non potest, cum adhuc longe est rex, legatio mittat lacrymarum, eleemosynarum, munera c rat... Si enim nihil in hoc mundo jam amas possidetis, etiam possidendo, cuncta reliquistis.

Digitized by Google

:entia. Dicendum est igitur, quid homo iste, A cent decem drachmæ, quod centum oves. Una quo-
centum oves, quid una perdita, et quid desertum
ficet, ut illico quoque scire possimus, quid si
cent nonaginta novem justi, et unus peccator
pœnitentiam agit? Centum enim oves, tota an-
rum et hominum multitudo intelligitur. Ex his
m una erravit, quando primus homo peccavit.
e Psalmista : « Erravi, inquit, sicut ovis, quæ
erat ; require servum tuum, Domine, quia man-
tua non sum oblitus (*Psal.* CXVIII, 176). » Re-
serant igitur nonaginta et novem, per quas
em angelorum ordines figurantur, siquidem
s hic numerus ex novenis conficitur (978). Pro
itaque una Salvator noster de cœlis descendit,
aginta et novem, **190** de quibus modo diximus,
derelictis. Ibi, inquam, derelictis : unde et cœlum B
in loco desertum dicitur. Quodammodo enim
um Dominus deseruisse videbatur, quando inter
nines (979) corporaliter conversabatur. Hanc au-
a unam ovem imponens in humeros suos (ibi
era feruntur), gaudens domum rediit, cœlos ascen-
, vicinis et amicis, id est angelis et archangelis
itiam fecit, et tantam lætitiam, quantam pro om-
us justis, qui nunquam peccaverant, nunquam
buerunt. Usitatissimum etenim est, ut quamvis
m plus non diligamus, majorem tamen lætitiam
illo faciamus, quem de majori periculo divinitus
erari vidimus. Sequitur : *Aut quæ mulier habens
achmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne
cendit lucernam, et everrit domum, et quærit dili-* C
*nter, donec inveniat? Et cum invenerit, convocat
icas, et vicinas dicens : Congratulamini mihi, quia
eni drachmam quam perdideram.* Hæc autem simi-
udo eadem est quæ superior. Idem enim signifi-

(978) S. Hilar. cap. 18, in Matth. : « Ovis una,
mo intelligendus est, et sub homine uno, univer-
as sentienda est. Sed in unius Adæ errore omne
minum genus aberravit : ergo nonaginta novem
n errantes, multitudo angelorum cœlestium opi-
nda est, quibus in cœlo est lætitia et cura salutis
manæ. Igitur et quærens hominem Christus est,
nonaginta novem relicti, cœlestis gloriæ multitudo
t. Merito igitur hic numerus per litteram et Abrahæ
ditur, et consummatur in Sara, » etc. S. Ambros.,
. VII in Luc., num. 208 : « Nonne Christus, pa-
or?... Dives igitur pastor, cujus omnes nos centesima
rtio sumus. Habet angelorum, habet archangelo-
m, dominationum, potestatum, thronorum, alio-
mque, innumerabiles greges, quos in montibus
reliquit. » Eadem ferme docet S. Petrus Chryso-
us, serm. 168.

(979) Paulo aliter Beda ad h. l. : « Quia enim
entenarius numerus est perfectus, ipse centum oves
abuit, cum angelorum substantiam et hominum
reavit. Sed una ovis tunc periit, quando peccando
omo pascua vitæ dereliquit. Dimisit autem nona-
inta novem in deserto, quia illos summos angelo-
um choros reliquit in cœlo. Cur autem cœlum,
desertum vocatur, nisi quod desertum dicitur dere-
ictum? Tunc autem cœlum homo deseruit, cum
eccavit. »

(980) S. Gregorius Nazianzenus utramque para-
olam de Christo explicat orat. 42, pag. 694 : « Quia
d ovem errantem bonus ille pastor venit, animam
uam pro ovibus ponens, ad montes et colles in
quibus sacrificabat, et errantem, invenit, et inven-

que drachma, et una ovis perdita idem significant. Novem vero, quæ restant, novem ordines angelorum sunt. Quoniam autem regis imago in drachma exprimitur, non immerito per drachman homo figuratur; quoniam ad sui regis imaginem factus est homo (980). Hanc igitur drachmam, Dei sapientia (sic enim vocatur Christus), quærere venit, lucernam sui corporis accendit. Divinitas enim in carne lumen est in lucerna. Et hujus mundi amplissimam domum everti, sicut ipse ait : « Nolite putare, quia veni pacem mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium (*Matth.* x, 34). » Ex hoc enim erunt quinque in domo una, duo in tres, et tres dividentur in duos. Sic igitur, ut hanc drachmam inveniret, hanc domum, id est hunc mundum, Dominus evertit, inter filium et patrem, inter matrem et filiam, inter socrum et nurum discordiam ponens, aliis fidem et justitiam impugnantibus, aliis defendentibus. Nemo enim prius pro fide pugnabat (981), cunctis in errore concordantibus. Hanc autem malam concordiam Dominus dissipavit, domum everti, et drachmam reperit. Unde et Apostolus ait : « Oportet hæreses esse, ut hi, qui probati sunt, manifesti fiant (*I Cor.* XI, 19). » Pro hujus igitur inventione omnes vicinæ et amicæ, omnes virtutes et dominationes simul cum Dei sapientia in cœlestibus gratulantur. Cessent igitur murmurare Scribæ, et Pharisæi. Non dicant, nec invidiose reprehendant quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. Venit enim Dominus *quærere, et salvare quod perierat :* et non venit *vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.*

XXXVI. (982) *Homo quidam habuit duos filios,*

tam iisdem humeris, quibus et crucis lignum sustulit, acceptamque ad supernam vitam reduxit, eoque subvectam, eodem numero atque ordine collocavit, quo eas quæ minime aberrarunt. Quia lucernam, h. e. carnem suam accendit : et domum everti, mundum scilicet a peccato repurgans, et drachmam, regiam videlicet imaginem fœdis affectibus obrutam conquisivit, atque amicas sibi virtutes, ob repertam drachmam convocat, lætitiæque participes facit, quas Incarnationis quoque conscias effecerat. » S. Gregorius homil. 34 in Ev. n. 6. « Qui signatur per pastorem, ipse et per mulierem. Ipse etenim Deus, ipse et Dei sapientia. Et quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando a similitudine sui conditoris recessit. Sed accendit mulier lucernam, quia Dei sapientia apparuit in humanitate. » Hæc Gregorii verba describit Beda. S. Petrus Chrysologus, serm. 169, aliter : « Mulier, id est Ecclesia, accendit lucernam suam, id est internum illum sui cordis obtutum, » etc.

(981) Hoc ita generaliter ab A. dictum intelligi debet cum illa, quam vocant distributionem accommodam, ut Scriptura non pauca : Omnes declinaverunt : Quotquot venerunt fures sunt et latrones, etc. Cæterum de hoc loco videndus S. Hilarius cap. 10. in Matth., n. 22, 25. S. Aug. Quæst. 17 in Matth., q. 3; S. Hieronymus, etc.

(982) Luc. XV, 12. Est homil. Emis. Sabb. post 2 Dom. Quadr. pag. 69, 2. Ex ipsa Evang. exposit noscitur suppositio.

Digitized by Google

et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ meæ, quæ me contingit. Et divisit illi substantiam. Homo iste, Deus ipse hoc in loco intelligitur. Qui, quoniam ad ejus imaginem et similitudinem factus est homo, non dedignatur vocari homo. Hujus duo filii (983) duo populi sunt, Judæus scilicet et gentilis. Horum autem adolescentior, **191** gentilis est, non tamen ætate, sed scientia. Inde enim puer centum annorum maledicitur. Inde Apostolus ait : « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* XIV, 20). » Dicuntur igitur pueri, et adolescentes, non solum ætate, sed scientia et malitia. In sensibus enim maturior est sapientia. Senior igitur erat Judaicus populus ; si quidem sapientior et melior. Hæc autem substantia, quam filio adolescenti, et stulto, id est populo gentili, omnium rerum creator et pater Deus divisit, intellectus est, memoria, ratio, sensus, scientia, omnisque animæ virtus et possessio (984). Nulla substantia talis. Nullæ divitiæ his divitiis comparari possunt. Has et bonis, et malis filiis pater divisit. *Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.* Omnis enim regio longinqua est, quæ a Deo longe est ; longe autem est a Deo, qui longe est a fide, a pietate, a misericordia et justitia. Ab his enim longe fit, qui vitiis appropinquat (985). Cito igitur, et post dies non multos in longinquam regionem unusquisque proficisci potest. Ibi autem miser homo dissipat substantiam suam, ibi perdit divitias animæ, inter vitia, et peccata vivendo luxuriose. *Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere.* Virtutibus enim fugatis, eget anima, et fame perit (986). De hac enim fame per prophetam dicitur ; « Immittam

A in vobis non famem panis, neque audiendi verbum Dei (*Amos* VIII, fames est in regione illa, magna ctore illo, unde verbi Dei meme Quod quidem cum fit, totus jam ditur, totusque ab eo possidetur. tur : *Et abiit, et adhæsit uni civiu misit illum in villam suam, ut pa* enim civis, omnium iniquorum diabolus intelligitur. Multi enim tus ; magna est eorum civitas et Ubicunque autem maligni spiritu villa diaboli. Porci autem, ipsi q ritus sunt, quia semper in fœtore core delectantur. Hos autem porc

B eorum voluntati obediunt, ea complent. Quicunque igitur adult tur, et alia iniquitatis opera op his porcis refectionem parant (*implere ventrem suum de siliquis, ducabant, et nemo illi dabat.* Su ria, avaritia, et similia, siliquæ su spiritus (989) nutriuntur. His aute trem suum implere cupiunt, qui candi desiderio his satiari non pos amplius peccant, tanto amplius p Hoc enim in fornicatoribus, avar probari potest, quorum iniqua d ad satietatem perveniunt. Unde *nemo illi dabat.* Quia enim non

C quantum sibi dari appetunt, ideo disse dicit. Datur ergo eis quo quantum volunt. *Ipse autem in Quanti mercenarii in domo pat panibus, ego autem hic fame pereo* extra se, non diceretur reversus

(983) Omnibus nota est epistola ad Damasum S. Hieronymi (nunc edit. Vallars. 21) in qua respondet quæstioni ab eo propositæ : « Quis iste in Evangelio pater, qui duobus filiis substantiam divisit? qui duo filii? qui major, quive minor, » etc.? in qua epistola Hieronymus, et de præcedentibus parabolis duabus pastoris, et drachmæ deperditæ loquitur : Hic ergo n. 4 : « Hominem, Deum dici, multis testimoniis approbatur... Quod autem ait duos filios, omnes pene Scripturæ de duorum vocatione populorum plenæ sunt sacramentis. » Aug. lib. II Quæst D Evang., cap. 35 : « *Homo habens duos filios ;* Deus ad duos populos intelligitur, tanquam stirpes duas generis humani ; una eorum, qui permanserunt in unius Dei cultu ; alteram eorum, qui usque ad colenda idola deseruerunt Deum. » Vid. sermon. 1 S. Petri Chrysologi inscriptum, De duobus filiis prodigo et frugi, et serm. 3 cui titulus : De eisdem Judæum et gentilem figurantibus.

(984) Hieron. : « Substantia Dei est, omne quod vivimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus. » August. : « Id quod illi (animæ) est vivere, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere. »

(985) Aug. : « Regio itaque longinqua, oblivio Dei est. » Hieron. : « Sciendum igitur, non locorum spatiis, sed affectu, aut nos esse cum Deo, aut ab eo discedere. »

(986) Aug. : « Fames in illa regione est indigentia verbi veritatis. » Hier. : « Qui veritatem in injusti-

tia detinens... naturæ bona omni consumptis omnibus cœpit egere cto fonte virtutum. »

(987) Hieron. : « Deserto nutric vocem bona ei fuerat cuncta largit cipi hujusmodi, id est diabolo rec Quod autem ait : *uni de principib* tell gendum est, qui per istum diversorum fraude vitiorum gen subjiciant servituti. »

(988) Ambrosius lib. VII, in L pascit porcos, illos utique, in quos troire, quos præcipiat in mare huj dibus ac fætore viventes. »

(989) Idem, n. 217 : « Neque e luxuriosis, nisi ut ventrem suum i Deus venter est. » S. Petrus Chr « Dæmonum cibus est, ebrietas, l et universa vitia. Hæc blanda su sensus voluptate demulcent.... qui sus adolescens non poterat satur voluptas famem sui habet, et u tiat. »

(990) Ambrosius, n. 220 : « Bene quia a se recessit. Etenim qui ad ditur, se sibi reddit, et qui recedit abdicat. » S. Petrus Chris., serm. sus est, in se ante redit ut rediret se ante recesserat, cum recessit a

Digitized by Google

› in se reversus est, quando memoriam recupe- A amissa, mox nudum se esse intellexit. Hæc enim
t, ut domus patris sui recordaretur. Mercenarii vestis per baptismum et pœnitentiam recuperatur.
m hoc in loco, Scribæ et Pharisæi dicuntur, qui Et tunc quidem datur homini annulus, et fidei ar-
is decimarum et oblationum mercede, quam (991) rha, signum videlicet quo in Dei exercitu connume-
haritate Domino serviebant. Et isti quidem jam retur. Deinde vero dantur calceamenta, id est vir-
et spiritualibus, et carnalibus panibus in domo tus et potestas, ut secure possit calcare super
nini abundabant, cum adhuc gentilis populus serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem
a positus, spiritualis alimoniæ fame periret. Qui inimici (993), et sic demum accedit ad patris convi-
dem in se reversus, et pœnitentia ductus ait : *Sur-* vium, ut Christi carnem et sanguinem recipere
t, et ibo ad patrem **192** *meum, et dicam illi : Pater,* mereatur. *Et adducite vitulum saginatum, et occidite*
avi in cœlum, et coram te ; jam non sum dignus illum, ut manducemus, et epulemur. Quia hic filius
ari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis meus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus
. Et surgens venit ad patrem suum. Apostolus *est.* Hic enim vitulus saginatus, Christus est, omni
t : « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et virtute et gratia plenus, de patriarcharum et pro-
minabit te Christus (*Ephes.* III, 14). » Sic igitur phetarum armento susceptus : qui quamvis semel
rexit iste, qui prius mortuus in peccatis jacebat B pro nobis, ut ait Apostolus, mortuus sit, et « jam
enit ad patrem suum. Sed quomodo venit, nisi non moritur, et mors illi ultra non dominetur (*Rom.*
nitentia, et corde contrito, et spiritu contribu- VI, 9) ; » et toties tamen occiditur, et a fidelibus
ô ? Hac enim via redeunt peccatores ad Domi- comeditur, quoties in hoc altaris sacramento immo-
m. *Et cum adhuc longe esset, vidit illum pater* latur (994). Hunc vitulum et corpore manducamus,
ius, et misericordia motus est. Clementissimus pa- et mente. Et mente quidem, audiendo, ejusque pas-
, qui statim ut filius compungitur et pœnitere sionem commemorando. Per hunc a morte redem-
ipit, quamvis adhuc longe sit, quamvis adhuc in pti, per hunc Deo quotidie reconciliamur. Sequitur :
ccatis sit, misericordia movetur, et pœnitentem *Erat autem filius ejus senior in agro ; et cum veniret,*
um læto vultu respicere dignatur (992). *Et ac-* *et appropinquaret domui, audivit symphoniam, et*
rens cecidit super colum ejus, et osculatus est *chorum, et vocavit unum de servis, et interrogavit quæ*
m. In hoc enim quid aliud, nisi pax, et perfecta *hæc essent ? Isque dixit illi : Frater tuus venit, et oc-*
onciliatio significatur? *Dixitque ei filius : Pater,* *cidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum*
cavi in cœlum, plus diligens terram, quam cœ- *recepit.* Ab agro enim, a labore, et a legis servitio
n. *Et coram te,* qui ubique es, et omnia vides. C Judaicus populus rediens (995), cum jam domui, et
m non sum dignus vocari filius tuus, tanto tempore Ecclesiæ per fidem appropinquaret, apostolorum
nversatus cum inimicis tuis. *Fac me sicut unum* symphoniam, chorum, et prædicationem audivit.
mercenariis tuis. Non prophetarum sedes, non Cumque interrogaret quid hæc essent? dictum est
ctorum coronas, non virginum gloriam peto. Li- ei quod gentilis populus, cognita veritate, Christi
t mihi tantummodo esse in familia tua, ut sim sanguine redemptus ad fidem conversus esset, et
nimus in regno tuo, quia nihil deest mercenariis jam non Judæorum Deus tantum, imo et gentium.
s. De his enim mercenariis beatus Job loquitur *Indignatus ergo nolebat introire.* Hoc est enim quod
ens : « Sicut cervus desiderat ad umbram, et in Actibus apostolorum legitur : quia « cum venis-
ut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic set Petrus Jerosolymam, disceptabant adversus eum,
ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas qui erant ex circumcisione dicentes : Quare introistis
meravi mihi (*Job* VII, 2, 3). » *Dixit autem pater* ad viros præputium habentes, et manducastis cum
servos suos : Cito proferte stolam primam, et in- illis? » (*Act.* XI, 23.) Quibus Petrus narravit
ite illum, et date annulum in manum ejus, et cal- omnia, quæ acciderant, et quomodo gentes credi-
amenta in pedes ejus. Prima enim stola, immorta- dissent. Senior igitur iste frater illam Judæorum
as est, quam primus homo peccando amisit, et D partem significat, quæ in primitiva Ecclesia de gen-

(991) Ambrosius, ibid. : « Mercenarii autem qui nt, nisi qui ad mercedem serviunt, qui sunt ex rael, non id quod bonum est ex probitatis studio rsequentes, nec virtutis gratia, sed utilitatis stu- o provocati. »

(992) S. Hier. : « *Cumque adhuc longe esset* : an- quam dignis operibus et vera pœnitentia ad patrem diret antiquum. »

(993) S. Hier. : « *Proferte stolam*, stolam quam dam peccando perdiderat... date *annulum*, signa- ulum similitudinis Christi, secundum illud : *In quem redentes signati estis Spiritu repromissionis sancto* ; *calceamenta in pedibus ejus*, nec ubi coluber in- idians plantam ingredientis invaderet, et super corpiones et serpentes securius ambularet. »

(994) Hier. : « Vitulus saginatus, qui ad pœni- entis immolatur salutem, ipse Salvator est, cujus quotidie carne pascimur, cruore potamur. » Vid. etiam August., l. all., n. 5.

(995) S. Aug., n. 6 : « Cum interea major filius, populus Israel secundum carnem, non quidem pro- fectus in longinquam regionem, sed tamen in domo non est ; in agro autem est, id est in ipsa hæredita- ria opulentia legis, et prophetarum, terrena potius operatur... Veniens de agro, domui propinquare cœ- pit. Id est, labore servilis operis improbato, ex iis- dem Scripturis Ecclesiæ libertatem considerare cœpit. Audit symphoniam et chorum, scilicet Spi- ritu plenos, vocibus consonis Evangelium prædica- re. » S. Hieron. : « Et nunc interrogat Israel : Quare Deus in gentium assumptione lætatur?... Causa lætitiæ, quod pari in Dei laudes toto orbe voce con- cinitur, salus est gentium, salus est peccatorum. »

Digitized by Google

tilis populi conversatione contra apostolos scandalizata est. De quibus in Actibus apostolorum, et in Epistolis Pauli multa dicuntur. *Pater ergo* **193** *illius egressus cœpit rogare illum.* Omnes enim rationes, quas de Gentium conversione Judæis apostoli reddebant, quid aliud nisi quædam omnipotentis Dei prædicationes, et preces erant? Quale est illud Apostoli : « Non enim est distinctio Judæi et Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnibus qui invocant illum (*Rom.* x, 12). » — « Omnes enim peccaverunt, etegent gloria Dei. (*Rom.* III, 23). » *At ille respondens dixit patri suo : Ecce tot annis servio tibi et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Ex parte enim mentitur, et ex parte verum dicit senior filius. In eo enim quod ait quia revertendi filio vitulum saginatum pater occiderit, verum dicit. Mentitur autem, dum Dei præceptum (996) nunquam præteriisse jactat. Insuper et ingratus esse videtur, dum tantorum, quibus quotidie mundabatur, sacrificiorum oblitus, nunquam unum hædum se a patre suscepisse conqueritur (997). Hæc autem quia Judaicus ille populus ad fidem conversus cogitare poterat, dum Judæos reprobari, et gentiles eligi vidisset, sic posita sunt, ac si ea locutus fuisset. Quis enim non miretur tantam immutationem esse factam, ut Judæos, quos tantum dilexerat, in sua cæcitate Dominus perire permitteret, et pro gentili populo, quem odio habebat, unigenitum Filium morti traderet? Sed hæc cogitando, simul cum filio seniori, quasi indignati contra Dei dispositionem quodammodo loquimur. Nec valde quidem mirandum est, si Judæi noviter ad fidem conversi gentibus communicare noluissent, cum hanc talem communionem lex eis per omnia interdixisset. Unde neque iste pro hac indignatione hic reprehenditur, sed potius reddita ratione pater eum placare conatur, dicens : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea, tua sunt, epulari autem oportebat, et gaudere, quia hic frater tuus mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est.* Semper enim ille populus secundum quosdam cum Deo fuit, et secundum quosdam cum Deo non fuit (998). Unde Apostolus : « Cæcitas, inquit, ex parte co (*Rom.* XI, 25). » Elias quoque cum dic tas tuas occiderunt, et altaria tu et relictus sum ego solus, et qua meam ; » ait ei Dominus : « Reli tem millia virorum, qui non curv ante Baal (*III Reg.* XIX, 20). » De his igit Dominus ait : *Fili, tu semper mecum* bus et de Ecclesia dicitur, quod non *lam, neque rugam.* Si enim ad unive ctes, multas maculas habet Ecclesia. E filii habere hæreditatem dicuntur, tal patris possessio debetur, eis ad beati ciens, et necessaria. Denique omnia, quodammodo nostra sunt, si taliter ut aliter ea habere nolimus. (999) *Di ad discipulos suos.*

XXXVII. [CAP. XVI.] *Homo quidam habebat villicum, et hic diffamatus e quasi dissipasset bona illius. Et vocav nus, et ait illi : Quid hoc audio de te nem villicationis tuæ, jam enim non po Ait autem villicus intra se : Quid facia nus meus aufert a me villicationem valeo, mendicare erubesco. Scio quid cum amotus fuero a villicatione, re domos suas. Convocatis itaque singul domini sui, dicebat primo : Quantum d At ille dixit : Centum cados olei. Dixitq cautionem tuam, et sede cito, scribe Deinde alii dixit : Tu vero quantum d Centum choros tritici. Ait illi : Accipe l scribe octoginta. Et laudavit dominus vi tatis, quia prudenter fecisset.* Hæc aut litteram plana sunt, et per singula exp necesse. Dicat tamen ipse Dominus, similitudinem dederat (1000). *Quia, in jus sæculi prudentiores filiis lucis in ge sunt.* Non enim villici iniquitatem, sed **194** Dominus laudat. Non laudat e quam fecit, sed de ingenio quo sibi in spexit (1001). Nesciens enim quomod quidem fodere non valebat, mendicare hoc singulare invenit præsidium, ut qui sui bona dissipaverat, hanc in fine fr

(996) Ambros. num. 240 : « Impudens autem et similis illius Pharisæi justificantis se arroganti prece, qui putabat quod nunquam præterierit mandatum Dei, quia legem servabat in litteris; impius, quia accusabat fratrem, » etc. Hieron. : « Pater supplex ad concordiam deprecatur; ille justitiam, quæ in lege est sequens, Dei justitiæ non subjicitur... quasi hoc ipsum non sit præterire mandatum, saluti alterius invidere, ante Deum se jactare justitiæ, cum nemo coram eo mundus sit. Potest ergo et ex ejus persona dici, qui juxta eumdem apostolum, in justitia quæ in lege est sine reprehensione versatus sit : licet mihi videatur magis se jactare Judæus, quam vera dicere, ad exemplum illius Pharisæi dicentis : *Deus, gratias ago tibi,* » etc. Chrysol. serm. 4, ad h. l. « Invidus simulat semper · mentitur invidus semper. » V. Aug. l. all., n. 8.

(997) Ambrosius, ibid. : « Quæri etian detur; quia Judæi ritum veteris sacrifi runt. »

(998) Augustin. ad illa verba « *Nunq tum tuum præterivi,* » n. 8, scribit : filius in omnibus Israelitis, sed in his habere personam, qui nunquam ab un mulacra conversi sunt. »

(999) Vid. S. Augustin. l. all. n. 10. nus homilia.

(1000) Explicavit hanc parabolam mus epist. 121, ex rec. Vallars. qu. Chrysologus serm. 125, 126, etc.

(1001) S. Augustin. lib. II. Evang., ca villico quem dominus ejiciebat de v laudavit eum, quod in futurum sibi pros omnia dobemus ad imitandum sumere

Digitized by Google

teret. Laudatur igitur non de bonitate aliqua, A de calliditate, et fraudandi astutia, ut qui bona ini sua jam furando rapere non poterat, celando bscondendo subtraheret. Cui prudentiæ non so- dominus villici, sed et Dominus omnium applau- e videtur, dum dicit : *Quia filii hujus sæculi dentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Pru- tiores illi sunt in malo quam isti in bono. Vix m inveniuntur aliqui sancti, qui tantam prudeu- m habeant in acquirendis bonis æternis, quan- n calliditatem isti habent in acquirendis bonis nporalibus et fugitivis. Pro his enim die no- que vigilant, laborant, angustiantur, et per udes, rapinas, furta, proditiones, perjuria, homi- lia, et his similia has tales divitias coacervare non ssant. Denique, quis dicere valeat quantam in se B cissim decipiendo, filii hujus sæculi prudentiam et lliditatem habeant? Audiant igitur hæc filii lucis, a filiis hujus sæculi vinci erubescant. Ideo enim ec scripta sunt, ut audiendo prudentiores fiant, n autem ut iniquitatis villicum imitando, fraudem aliquo, vel injustiam agant. Unde et subditur : *t ego vobis dico, Facite vobis amicos de mammona iquitatis;* sed non eo modo, quo fecit sibi villicus iquitatis. Non fraudando aliena, sed largiendo stra. Omnes enim divitiæ iniquæ sunt, quæ avare tentæ propriis dominis nocent, vel quæ ex æqua- tate non expenduntur. Tunc enim ex æqualitate is expendis, si et ibi tantum reserves, quantum fficere possit et cætera indigentibus largiaris. nde Apostolus : « Non enim ut aliis sit remissio, C bis autem tribulatio, sed ex æqualitate, in præ- nti tempore vestra abundantia illorum inopiam ppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit pplementum (*II Cor.* VII, 13). » In quo manifeste stenditur quia non necessaria, sed superabundan- a dare jubemur. Non enim vult Apostolus ut sic in ando prodigi simus, ut ipsi postea penuria tribule- mur. Divitiæ igitur, quæ, per se quidem sunt iniquæ, i sic dividantur, æternos nobis amicos et æterna abernacula pariunt. Per se quidem divitiæ iniquæ unt, quia, nisi dividantur, æquæ non sunt; divisæ autem jam non sunt. Iniquæ igitur sunt, quandiu unt. Non enim dicuntur divitiæ quæ non ad super- luitatem, sed ad necessitatem reservantur. Si igitur tollas ab eis superfluitatem, tolles et nomen ini- quitatis. Sequitur : *Qui fidelis est in minimo, et in majore fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majore iniquus est.* Hæc enim specialiter de aposto- lis, et per eos de cæteris Ecclesiæ dispensatoribus et prælatis dicuntur. Unde et in hujus Evangelii principio dicitur, quod hæc Dominus dixerit ad discipulos suos. Majora igitur Ecclesiæ negotia eis committenda, et credenda non sunt, qui in vita privata fideles non exstiterunt, et de illo modico, quod habebant, pietatis, et misericordiæ opera non ostenderunt. At vero illos in prioratu fideles fore dubitare non debemus, quos de modico, quod possident, libenter aliis subvenire videmus. Hinc enim Apostolus præcipit episcopos non cupidos esse, nec turpis lucri sectatores. Valde igitur considerandum est in electione præpositorum, quales in modico fuerint, et quod pietatis et misericordiæ habuerint; quoniam qui in modico fideles non sunt, in magnis quoque fideles non sunt. Unde et subditur : *Si ergo in iniqua mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis?* Si de divitiis, quæ fugitivæ, fallaces et transitoriæ sunt, misericordiam non fecistis, quis Ecclesiæ dispensationem et regimen, quod verum, et æquum, et sanctum est, et sine dolo dispensari debet, vobis credere et committere audeat? *Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Illa enim aliena sunt et non nostra, quæ sic possidemus, ut semper amittere timeamus. Nostra vero sunt de quibus securi sumus, et nunquam amittere timemus. Temporales itaque divitiæ alienæ sunt; nostræ vero æternæ, si boni fuerimus, et in his temporalibus spem non habuerimus. Sed illa, quæ nostra sunt, et nobis prædestinata sunt, nobis non dabuntur : si in hoc alieno fideles non fuerimus (1002), quoniam sub ea conditione et data, et **195** prædestinata sunt nobis, si hujus fidelitatis virtus inveniatur in nobis.

XXXVIII. (1003) *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura, et bysso, et epulabatur quotidie splendide.* Hæc enim verba et divitibus et pauperibus valde necessaria sunt, quia et illis dant timorem, et istis consolationem. Audiunt hic divites pœnas suas : audiunt et pauperes gaudia sua. *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis; et nemo illi dabat.* Sanctorum etenim nomina scripta sunt in cœlis; malorum vero nomina non sunt scripta in libro vitæ. Unde et hoc loco divitis nomen non D dicitur; mendici vero dicitur. Hic Lazarus vocatur. Ille quomodo vocetur nescimus. Talibus enim dicturus est Dominus : « Amen dico vobis, nescio vos. » Quid igitur mirum si illum nescimus, quem nescit ille qui omnia scit (1004)? Se vicissim uter-

aut domino nostro facienda est in aliquo fraus, ut de ipsa fraude eleemosynas faciamus, aut eos a quibus recipi volumus in tabernacula æterna, tanquam debitores Dei et Domini nostri fas est intelligi..... Sed etiam econtrario dicuntur istæ similitudines, ut intelligamus si laudari potuit ille a Domino qui fraudem faciebat, quanto amplius placeant Domino Deo qui secundum ejus præceptum opera illa faciunt. » S. Ambros. n. 245 : « Licet peccaverit tamen quia sibi in posterum ex indulgentia Domini quæsivit auxilia, prædicatur. »

(1002) S. Irenæus lib. II, cap. 34, n. 3. « Ideo Dominus dicebat ingratis existentibus in eum; *Si in modico fideles non fuistis, quod magnum est, quis dabit vobis?* significans quoniam qui in modica temporali vita ingrati exstiterunt ei qui eam præstitit, juste non percipient ab eo in sæculum sæculi longitudinem dierum. »

(1003) Hæc quoq. parabola (seu historia, ut S. Ambros. judicat) explicatur a Chrysost. hom. 65; item a S. Gregor. hom. 40.

(1004) Beda ad h. l. hom. 40, etc. : « Certe in po-

Digitized by Google

que vident : ut illius impietas manifestetur, et hujus patientia crescat. Videt iste deliciis affluentem. Videt ille pauperem inopia tabescentem. Ille epulatur ; iste cruciatur. Neque ille tantum peccaret, si hunc non vidisset : neque iste tantum cruciaretur, si illius delicias non aspexisset (1005). Uterque igitur erat alteri mali. Ille temporalis ; iste æterni. Habebat tamen pauper hanc unam consolationem, quod *canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.* Canum etenim lingua medicamentum quoddam est, et lingendo vulnera curat. *Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* Nam et Abraham, sicut et cæteri patriarchæ, et prophetæ, in inferno erat : inferni tamen pœnas non patiebatur. Sinus igitur Abrahæ, ille locus intelligitur, in quo simul collecti sancti quiescebant. Infernus autem locus pœnarum est, in quo iniquorum animæ cruciantur. *Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus.* Hoc est enim, quod Dominus ait : « Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis (*Matth.* VII, 2 ; *Luc.* VII, 28 ; *Marc.* IV, 34). » Majora tamen sunt tormenta divitis, quam fuissent ulcera Lazari. Ecce dives jam videre incipit Lazarum superiorem, et tam superiorem, ut nisi elevatis oculis eum videre non possit. Videt Abraham, videt et Lazarum in sinu Abrahæ, et quamvis longe positus, videt tamen omnes divitias illis ante positas. Videt, et concupiscit, cruciatur, et non est qui ei misereatur. Et tanto quidem amplius cruciatur quanto majores delicias contemplatur. Visus enim multoties appetitum parit, et ea quæ non videmus, minus appetere solemus. Unde et ait : *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Micas panis de mensa divitis Lazarus concupivit : guttam aquæ de digito Lazari dives quæsivit (1006). Sed cur de digito Lazari ? Fortasse, quia timebat, ne eum accusaret, et ut eum quem offenderat, vel talibus verbis ad misericordiam inclinaret : aut quia non alium videre ei

A concedatur, nisi eumdem ipsum, pro
batur. Non enim licet malis videre
quamvis liceat bonis videre et audir
quæcunque volunt. Frustra autem n
petit, qui misericordiam non fecit. L
ditur : *Et dixit illi Abraham : Fil
quia recepisti bona in vita tua, et Laz
mala. Nunc autem hic consolatur, tu
Hinc est enim quod Dominus ait : «
vites, qui habetis consolationem vest
24). « Et : « Beati pauperes, quoniam
regnum cœlorum (*Ibid.*, 20). » Divitia
seriam ; paupertas ad beatitudinem p
peribus cœlum, divitibus infernus ap
Divitibus utique, qui his divitiis n
B *Et in his omnibus inter nos et vos c
firmatum est, ut hi qui volunt transi
possunt ; neque inde huc transmeare.*
chaos Dei dispositio est, quæ tam firi
est, ut contra Dei voluntatem penitus
possit. **196** Igitur neque boni miser
transire ad malos, neque mali ad bon
volunt. Volunt tamen boni compatien
eos, si Deus velit ; sed quia hoc Deus
talis compassio deficit in eis (1008) ; q
eorum voluntas in Dei voluntate con
*Rogo ergo te, pater, ut mittas illum in
mei. Habeo enim quinque fratres, ut
ipsi veniant in locum hunc tormentorum*
C collocutio Abrahæ et divitis, non so
sola mentis cognitione facta est. Et
omnia cognoscunt : malis vero ea
scire datur, in quibus eorum pœna
et augeatur. Unde et dives iste pro
citus magis torquetur, timens ne ipsi
lia patiantur. Si enim illorum penitu
set, minus aliquid tormenti habuiss
*Abraham : Habent Moysen, et proph
illos.* Sufficit enim hos audire, si his
rint : omnibus enim ad salutem sufficit
et Prophetarum libri, si tamen bene
*Et ille dixit : Non, pater Abraham,
mortuis ierit ad eos, pœnitentium age*

pulo plus solent nomina divitum quam pauperum sciri. Quid est ergo quod Dominus de paupere et divite verbum faciens, nomen pauperis dicit et nomen divitis non dicit ? ... Ac si aperte dicat : pauperem humilem scio, superbum divitem nescio : illum cognitum per approbationem habeo, hunc per judicium reprobationis ignoro. » Sunt autem verba S. Gregorii homil 40, n. 3.

(1005) Hæc ex Beda accepit Bruno, quemadmodum ille ex S. Gregorio de eadem homil. num. 4.

(1006) Beda : « In hac vita Lazarus cadentes micas de mensa divitis quærebat ... nunc de supplicio divitis dicitur, quia de extremo digiti Lazari distillari aquam in os suum concupiscit. Qui ergo mensæ suæ vel minima dare noluit, in inferno positus, usque ad minima quærenda pervenit. » Hæc ferme ex S. Gregor. hom. 40, n. 5.

(1007) Beda : « Sinus Abraham requies est beato-

D rum pauperum, quorum est regnum
post hanc vitam recipiuntur : sepultur
narum profunditas, quæ superbos et
des post hanc vitam vorat. »

(1008) S. Gregorius hom. 40 in Ev.,
transire reprobi ad electos cupiunt, id
ciorum suorum afflictione migrare,
atque in tormentis positos transire
mente ire per misericordiam, eosque
Sed qui volunt de beatorum sede ad
in tormentis positos transire, non p
justorum animæ quamvis in suæ na
misericordiam habeant, jam tunc aucto
tiæ conjunctæ, tanta rectitudine const
nulla ad reprobos compassione mo
quippe judici concordant, cui inhærent
eripere non possunt, nec ex misericordi
dunt. »

Digitized by Google

i : *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis* A *mortuis resurrexit, credent ei.* Ideo enim Christo omino resurgenti usque hodie credere Judæi nolunt, ia Moysen et prophetas non audiunt. Unde et se Dominus : « Si crederetis, inquit, Moysi, crederetis utique et mihi. De me enim ipse scripsit *oan.* v, 46). » Hæc autem si allegorice intelligar, dives iste Judaicum populum significat (1009). olus enim Judæorum populus legis, et prophetam divitiis, et deliciis locupletatus, omnes alios spiciebat, nullisque, in cibis spiritualibus, quibus undabat, communicare volebat. Hoc enim vitio, que nunc laborat populus ille, et sic omnia celat, si revelando perdere debuisset. Qui purpura quim in regibus, in sacerdotibus autem bysso inebatur. Cujus quinque fratres quinque populi rtes intelliguntur. Reges scilicet, et sacerdotes, cribæ, et Pharisæi, et cætera populi multitudo. endicus vero, id est, Lazarus, qui *adjutus* interetatur (1010), quem Dominus adjuvit et a mortis riculo liberavit, gentilis populus est (1011) : qui ius quidem cœlestium bonorum egenus, et paur, veritatem cognoscere, et Deum intelligere piebat. Sed nemo illi dabat : nemo illi veritatis cana revelabat. Sed tandem canes, tandem Chri apostoli venientes, ejus ulcera linxerunt et lindo curaverunt. Sicut enim canes, ita et apoli, et doctores medicamentum in lingua ferunt, ia prædicando sanant (1012). Videamus, quod quitur : *Factum est autem, ut moreretur mendicus,* C *portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus autem et dives, et sepultus est in inferno.* Quotinamque et Judæi, et gentiles moriuntur. Quoti Christiani in cœlum feruntur. Quotidie Judæi inferno sepeliuntur. Ibique sua tormenta sentien, dum secum recogitant, in quibus peccaverint, am stulti, et increduli fuerint, quantum a fide justitia patris sui Abrahæ deviaverint, et dum a ıtili populo, si fieri possit, adjuvari concupint, dumque Abraham eorum vana et inutilia sideria, et seram pœnitentiam considerat, quommodo Abraham loquitur cum eis, rogatur ab , et respondet eis. Sola enim cognitio sufficit eis colloquendum quæcunque volunt. Quoniam an de sua salute desperant, pro fratribus timent, D erant, ne ipsi decipiantur et similia patiantur.

XXXIX. [Cap. XVII.] *Quis autem vestrum habens servum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : Statim, transi, recumbe ; et non dicat ei : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi, donec manducem, et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes? Nunquid gratiam habet servo illi, quia fecit quod ei imperaverat? Non puto. Sic et vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere fecimus.* Quam necessaria hæc **197** similitudo fuerat illi, qui dicebat : « Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo (*Luc.* xviii, 11, 12). » Quanto melius ei fuerat, si humiliter dixis- B set : Domine, ego inutilis servus tuus, quod debui facere, feci. Cum enim servus ex debito et necessitate domino serviat, nullas ei gratias dominus habet, si faciat quod ei imperaverat. Sic igitur et nos, cum fecerimus omnia quæ nobis præcepta sunt, fugiat superbia, cesset vana gloria, tollatur inflatio mentis, et inter servos inutiles nos humiliter prosternamus (1013) ; sicut ille, qui dicebat : « Anima mea sicut terra sine aqua tibi (*Psal.* cxlii, 6). » Terra enim sine aqua, sicca, infecunda, infructuosa, et inutilis est. Hic tamen omnia fecerat quæ ei præcepta fuerant, secundum quod ipse ait : « A mandatis tuis non declinavi (1014) ; » et : « Justificationes tuas non sum oblitus (*Psal.* cxviii, 141). »

XL. *Et factum est dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi.* Quid enim sunt decem viri leprosi, nisi omnes peccatores? Quia enim hic numerus omnes in se numeros continet, frequenter decem pro omnibus ponitur. Unde et de sanctis dicitur in Apocalypsi : « Ecce missurus est ex vobis diabolus in carcerem, ut tentemini, et habeatis tribulationem diebus decem (*Apoc.* ii, 10), » id est, diebus omnibus. Omnis enim, qui numerat, postquam ad decem venit, nisi iterum a capite incipiat, quid dicat, non habet (1015). Unde manifestum est quia idem sunt decem quod omnes. Quantum enim ad animam, Christo Domino veniente, omnes homines leprosi erant. Quantum vero ad corpus, non omnes. Omnis enim fornicator, adulter, homicida, perjurus et

1009) S. Greg. l. all. n. 2 : « Quem, fratres charissimi, quem dives iste qui induebatur purpura et biso, et epulabatur quotidie splendide, nisi Judæum populum significat ; qui cultum vitæ extes habuit, qui acceptæ legis deliciis, ad nitorem is est, non ad utilitatem? » Exscribit hæc Gregorii la.

1010) S. Gregorius l. all. et Beda : « Unde et zarus bene interpretatur *adjutus.* »

1011) S. Greg. et Beda : « Quem vero Lazarus eribus plenus, nisi gentilem populum figuraliter rimit?... Lazarus vulneratus cupiebat saturari micis quæ cadebant de mensa divitis ; et nemo dabat : quia gentilem quemque ad cognitionem is admittere superbus ille populus despiciebat; qui dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit. Et quia ei verba defluebant de scientia, quasi micæ cadebant de mensa. »

(1012) S. Greg. et Beda : « Jacentis pauperis vulnera lingebant canes. Nonnunquam solent in sacro eloquio per canes prædicatores intelligi. Canum etenim lingua vulnus dum lingit, curat, » etc.

(1013) S. Ambr. l. viii, n. 31 : « Nemo in operibus glorietur, quia jure Domino debemus obsequium... non a nobis laudem exigamus, nec præripiamus judicium Dei, et præveniamus sententiam judicis. »

(1014) Ps. cxviii, 51. *A lege tua non declinavi.*

(1015) S. Aug. serm. 270, n. 3 : « Videtur in

Digitized by Google

sacrilegus, secundum animam, leprosus est (1016). De leprosis autem præcipit Moyses, ut ejiciantur extra castra. « Cum adulteris vero, et fornicatoribus, dicit Apostolus, nec cibum sumere (*I Cor.* v, 11). » Quos enim pro suis iniquitatibus excommunicamus, quasi leprosos extra castra ejicimus. Valde enim deterior est lepra animæ quam lepra corporis. Sed videamus quod sequitur : *Qui steterunt a longe, et levaverunt vocem dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri.* A longe enim stabant, quia tales viri propius accedere non audebant. Similiter autem et nos tandiu a longe stamus quandiu in peccatis perseveramus. Ut igitur sanemur et a peccatorum nostrorum lepra curemur, clamemus magna voce et dicamus : *Jesu præceptor, miserere nostri.* Clamemus autem non ore, sed corde. Cordis enim vox altior est. Clamor cordis cœlos penetrat, et ante thronum Dei sublimius elevatur. *Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Respicere namque Dei, misereri est. Videt igitur eos, et mox misertus eorum, ad sacerdotes ire præcepit, non ut sacerdotes eos mundarent, sed ut mundos eos esse judicarent. Præcipit enim lex (*Lev.* XIII), ut si plaga lepræ in homine appareat, ducatur ad sacerdotem, et secundum ejus arbitrium, separetur septem diebus. Deinde sacerdos contempletur, et si viderit lepram non crevisse, mundum judicabit. « Omnia autem hæc, ut ait Apostolus, in figura contingebant illis ; scripta sunt autem ad correptionem nostram (*I Cor.* x, 11). » Nam et nos peccatores multis modis separamus. Alios quidem a cibis, quibus prius licite utebantur : alios a Christi corpore et sanguine : alios ab ecclesiæ introitu, atque alios à nostra communione : et alios quidem septem, alios plures, vel pauciores, et dies, et annos separamus : in quibus si videmus lepram non crevisse, vitia defecisse et peccata interiisse, mundos eos judicamus et Ecclesiæ reconciliamus. Hæc est igitur causa, quare Dominus ad sacerdotes hos leprosos ire præcepit (1017). *Et factum est, dum irent, mundati sunt.* Hoc peccatores audiant, diligenterque intelligant. Facile est Domino peccata dimittere. Prius enim multoties peccatori debita remittuntur, quam veniat ad sacerdotem. Una enim eademque hora et pœnitet, et sanatur. Peccator enim, quacunque hora conversus fuerit, vita vivet, et non morietur. Videat tamen quomodo pœniteat. Videat, quomodo convertatur. Audiat quid Dominus dicat : « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra (*Joel* II, 12). » Intus igitur, in corde convertatur, quicunque tur (1018), quia cor contritum, et humili **198** non spernit. Sed vide cujus obedi rint isti leprosi. Ad sacerdotes eos ir jussit. Adhuc se leprosos esse videba ægritudinem sentiebant ; tamen ad sacer gebant, quia non frustra hoc eis Domin credebant. Non talis obedientiæ fuit Naa ceps militiæ regis Syriæ. Cui cum Elisa pisset ut septies se lavaret in Jordane, a nolebat, sed potius indignatus abibat ; niori accepto consilio, fecit quod ei propl raverat. Lavit, et mundatus est. Et, h isti audierant, ejusque exemplo admoniti, et obedientia possint intelligebant. *Unu illis, ut vidit, quia mundatus est, reversu magna voce magnificans Deum, et cecidi ante pedes ejus, gratias agens ; et hic erat nus.* Per hunc enim omnes illi figurantur, quam aqua baptismatis mundati sunt, aut tentiam curati, jam non diabolum sequ Christum imitantur, post eum vadunt, eu cant, eum adorant, illi gratias agunt, servitio non recedunt. *Respondens autem J Nonne decem mundati sunt, et novem ubi est inventus qui rediret, et daret gloriam hic alienigena.* Hoc est enim, quod alibi *multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* Multi enim sunt baptizati, multi a pecca pra mundati, qui, quoniam Christum no tur et iterum ad peccata revertuntur, in numero non computabuntur. Valde enim boni ad malorum comparationem. Sed alienigena fuit, plures ex gentibus quam salvandos esse significat : *Et ait illi : Su quia fides tua te salvum fecit.* Magna est tus fidei, sine qua, ut Apostolus ait, i est placere Deo (*Hebr.* XI, 6). Credi Abraham Deo, et reputatum est ei ad Fides igitur salvat, fides justificat, fides e et exterius hominem sanat (1019).

XLI. *Interrogatus autem a Pharisæis qua regnum Dei, respondit eis, et dixit : N regnum Dei cum observatione. Neque dice hic, aut ecce illic.* Ea enim cum observa niunt nobis, quorum adventus sic determi nobis, ut ea prævidere, cavere et observa mus. Illam autem diem et horam nemo ad judicium venturus est Dominus ; subito niet, et simul omnia occupabit, et uno hic, et illic, et ubique erit (1020). *Ecce enim*

isto denario numero quædam perfectio. Usque ad eum quippe numerum progressus est numerantis, et inde redit ab uno usque ad decem, rursus ad unum. » De hoc eodem numero serm. 51, n. 34 ; serm. 83, serm. 251, p. 253, etc.

(1016) Leprosos hos, maxime hæreticos interpretatur S. August. l. II, qq. Ev. cap. 40, S. Gregorius lib. V Mor., cap. 11, etc.

(1017) Vid. Aug. l. all.

(1018) A. de ver. et fals. pœnit. c. 1 opera August. rel. de pœn. d. 1 : « Quem e nitet, et omnino pœniteat, et dolorem lacrym dat, repræsentet vitam suam Deo per sacer præveniat judicium Dei per confessionem. P enim Dominus mundatis, ut ostenderent or dotibus, » etc.

(1019) Hacteaus homil.

(1020) Beda ad h. l. « Quia quando veniat

Digitized by Google

ei intra vos est. Ne quæratis igitur illud, quia nnibus incognitum est. Sufficiat hoc vobis, quod gnum Dei intra vos est, quod inter vos regnat, habitat Deus, et Dominus vester. *Et ait ad discipulos suos: Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.* In persona lium apostolorum eis loquitur, qui in tempore Anchristi futuri sunt; quibus tanta calamitas superveniet, ut mori desiderent, et diem ultimum exoptent. Qui unus dies, vocatur Filii hominis. De quo e scriptum est : « Quia melior est dies una in atriis iis super millia (*Psal.* LXXXIII, 11). » Erit enim nc tribulatio talis, qualis non fuit ab initio sæculi que nunc, neque fiet. Desiderabunt igitur sancti dere hunc diem; sed non videbunt eum, donec o tempore reveletur. *Et dicent vobis: Ecce hic, ce illic. Nolite ire, neque sectemini.* Si, inquit, xerint vobis, ecce Christus adest, in illo, vel in lo loco est, ne credatis eis. Quare? Vis audire : uare? *Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in , quæ sub cœlo sunt, fulget; ita erit Filius hominis die sua.* Sicut, inquit, fulgor solis non in una rte, sed per omnia quæ sub cœlo sunt, vider et fulget, ita et Filius hominis in die sua; n hic, vel illic, sed simul ubique apparebit.

XLII. [CAP. XVIII.] *Dicebat autem et parabolam illos; quoniam oportet semper orare, et nunquam ficere.* Semper enim orat, qui in bono perseverat. rat enim non solum lingua, sed et cor, et cogita-, sensus, manus, oculi, et omnis bona opera- (1021). Hæc enim si orare cessaverint, omnis guæ oratio inutilis est. Dicebat igitur : *Judex quidm erat in civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur: vidua autem erat in civie illa, et veniebat ad eum dicens: Vindica me de versario meo, et nolebat per multum tempus. Post c autem dixit intra se. Etsi Deum non timeo, c hominem revereor, tamen, quia molesta est mihi c vidua, vindicabo illam.* Hæc est igitur causa are semper orare debeamus et nunquam desire. Orasti semel, et non es exauditus : ora item atque iterum; imo tandiu ora, si tamen bene, as, donec oratio tua exaudiatur. In multis enim in c vita, in multis post hanc vitam exauditur oratio 99 nostra. Hæc autem similitudo inter contraria A est, id est, inter justum et injustum (1022). Si enim judex iniquus et injustus, multis viduæ precibus fatigatus, tandem de adversario suo eam vindicavit, multo magis Deus, qui justissimus est, sanctorum suorum preces exaudiet et de illorum inimicis vindictam faciet. Et hoc est quod sequitur : *Audite quid judex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se, die ac nocte, et patientiam habebit in illis? Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum.* Nam etsi aliquando in hac vita hæc vindicta non fiat, cito tamen fit, quia cito hæc vita transit. Sed quidem quid judex iniquitatis, qui Deum et hominem non timet, mulieris accusationem se timere ostendit? Quodam enim modo timebat, et non timebat. B Timebat enim Deum per tormenta; sed non timebat per amorem. De hoc enim timore scriptum est : « Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10). » Hunc igitur timorem judex iniquus non habebat : futura tantum tormenta timebat. Sequitur : *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* De uno, inquit, judice iniquitatis locutus sum; multo tamen plures sunt iniquitatis, quam fidei et justitiæ sectatores, et intantum plures, ut ad illorum comparationem quasi non esse videantur (1023). « Quia enim abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV, 11). » Sed hæc ad Christi adventum principaliter referuntur, quando regnante C Antichristo, nisi breviati fuissent dies illi, non esse salva omnis caro.

XLIII. *Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi et aspernabantur cæteros, parabolam istam.* Numquam arrogantia placuit Deo; nunquam superbia justificata est. Unde et de his qui omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, alibi Dominus ait : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 2.) « Tales erant et isti quibus hæc verba Dominus loquebatur, qui se coram hominibus justificantes, cæteros quasi peccatores abjiciebant et aspernabantur. Dominus autem, qui non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam, neminem repellebat, sed cum publicanis et peccatoribus manducabat. *Duo,* inquit, *homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus Phari-* D

angelis, neque ab hominibus potest observari; cut tempus Dominicæ Incarnationis certissimis ophetarum vaticiniis præfixum, et angelorum est anifestatum præconiis. »

(1021) Bedæ ad h. l. : « Aut ergo dicendum est, m semper orare et non deficere, qui canonicis oris quotidie juxta ritum ecclesiasticæ traditios, psalmodiis precibusque consuetis Dominum udare et rogare non desistit; . . . aut certe oma, quæ justus secundum Deum gerit, et dicit, l orationem esse reputanda. » Vid. S. Augun. epist. 130, ad Probam, cap. 9, n. 18; et rm. 115.

(1022) S. Augustin. lib. II, qq. Evang. cap. 45 (cujus rba exscribit hic Beda) : « Quoniam parabolas minus aut secundum similitudinem aliquam po nit,... aut ex ipsa dissimilitudine aliquid probat... Hic ergo iniquus judex non ex similitudine, sed ex dissimilitudine adhibitus est, ut ostenderet Dominus quanto certiores esse debeant qui Deum perseveranter rogant fontem justitiæ, atque misericordiæ, vel si quid excellentius dici aut audiri potest; cum apud iniquissimum judicem, usque ad effectum implendi desiderii, valuerit perseverantia deprecantis. »

(1023) S. Augustinus de unit. Eccl., cap. 13. *Filius hominis,* etc. : « Quod nos intelligimus dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis est in hominibus, ut ipsius quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moyse, inveniatur, aliquid ubi trepidaverint, vel trepidare potuerint; vel propter illam iniquorum abundantiam et paucitatem bonorum. »

Digitized by Google

sæuset alter publicanus. Pharisæis loquebatur Dominus, qui inde etiam Pharisæi dicuntur, id est divisi (1024); quoniam se præ cæteris meliores esse putabant. His autem unum Pharisæum opposuit, in quo, quasi in speculo, cæteri se quales erant videre potuissent, et fortasse idem ipse ibi erat, de quo Dominus ista dicebat : *Pharisæus autem stans hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut et hic publicanus. Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Nihil horum reprehensibile est. Nam et Deo pro beneficiis gratias agere, et bis in hebdomada jejunare, et de omnibus decimas dare, bonum valde et laudabile est. Aliud est igitur, pro quo Pharisæus iste damnatur. Hoc autem intus est, in corde est, in intentione est, quod quidem, nisi a Deo, videri non potest. Deus enim non quid, sed qua intentione aliquid dicamus considerat (1025). Non oris, sed cordis vocem attendit : non ad rivos, sed ad fontem respicit. Unde manifestum est, Pharisæum istum per superbiam et arrogantiam cuncta dixisse : atque in his, quæ faciebat, magis hominibus quam Deo placere volebat. Stultus, qui pro tanto, talique servitio nihil nisi vanam gloriam pro mercede recepit. Sequitur : *Et publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.* A longe stabat publicanus, quasi peccator et publicanus. Qualis erat talem se ostendebat. Inde enim dicuntur publicani, sive quia nec publice peccare erubescebant, sive quia publica vectigalia colligebant (1026). Ex his enim fuit Matthæus publicanus, quem de telonio Dominus vocavit. Merito ergo de publicanis ad Pharisæos Dominus ait : « Publicani et peccatores præcedent vos in regnum Dei (*Matth.* xxi, 31). » Stabat igitur a longe publicanus, et quia peccatorem se esse sciebat, propius accedere timebat. *Nolebat autem nec oculos ad cœlum levare,* ne in eo ipso Deum offenderet, quod ad superiora et ad sedem Dei de limo profundi et de tanta voragine peccatorum respicere præsumpsisset (1027) : *Sed percutiebat pectus suum dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.* Merito autem pectus percutiebat, quia ibi peccaverat, ibi erat fons, et fovea [illegible] Ibi enim est cor, bonorum omnium [illegible] secretarium. Inde omnia bona, et o[illegible] procedunt. « Ex corde enim, ait D[illegible] cogitationes malæ, homicidia, furta, [illegible] ria (*Matth.* xv, 19), » et similia. Ho[illegible] nus percutiebat, et percutiendo, de [illegible] modo vindicabat. Ideo enim Psalm s[illegible] mundum crea in me, Deus (*Psal.* [illegible] niam si cor mundum fuerit, a quo c[illegible] consilia nostra suscipimus, malum f[illegible] rimus, nisi fortasse tale aliquid, « [illegible] imputetur. Si tamen illud cor mun[illegible] quod ignorantia maculatur. Propter h[illegible] sacerdotibus pectusculum semper [illegible] datur ; (1028) quia in eis totius pop[illegible] silium, omnisque doctrina, et scien[illegible] ut bene cordati, et pectorosi sem[illegible] habeant quid unicuique interrogant[illegible] Percutiebat igitur iste pectus suum [illegible] *Deus, propitius esto mihi peccatori.* [illegible] hujus cordis prava consilia, dele pe[illegible] tius esto. Nihil in me est unde [illegible] veniam consequi debeam, quon[illegible] corpore, cogitationibus et operibu[illegible] Omnibus iniquior ego sum, et nisi [illegible] diam tuam salvari non possum. Id[illegible] esto mihi peccatori. Sic igitur non [illegible] accusabat, quam ille Pharisæus se j[illegible] quo fructu? qua mercede? Sequitu[illegible] *vobis, descendit hic justificatus in d[illegible] illo.* A quo illo? A templo, an a [illegible] utique, et a Deo. A templo enim d[illegible] Deo justificatus (1029). Cur hoc? [illegible] *se exaltat, humiliabitur, et qui se hum[illegible]* Sicut igitur publicanus se humiliand[illegible] ita et Pharisæus se exaltando hu[illegible] omnium malorum superbia : custos [illegible] litas est.

XLIV. (1030) [CAP. XIX.] *Ingressu[illegible] bulabat Jericho. Et ecce vir, nomine [illegible] erat princeps publicanorum et ipse dive[illegible]* richo ambulamus quicunque hunc mu[illegible] mus. Jericho namque interpretatur *lu[illegible]*

(1024) S. Hier. in Dialog. adv. Lucifer. n, 23 : « Pharisæi a Judæis divisi propter quasdam observationes superfluas, nomen quoque a dissidio susceperunt. »

(1025) S. Jo. Chysost. hom. 5, de incompreh. D. nat. num. 7, de parabola hac : « Non enim verba solum Deus audivit, sed mentem qua hæc proferrentur vidit. »

(1026) Ulpianus l. 39, ff. de public. et vectig : « Publicani sunt qui publico fruuntur. Nam inde nomen habent, sive fisco vectigal pendant, vel tributum consequantur : et omnes qui quid a fisco conducunt, recte appellantur publicani. »

(1027) S. August. serm. 115, n. 2 : « Parum est, quia de longinquo stabat ; *Nec oculos suos ad cœlum levabat :* ut aspiceretur non aspiciebat. »

(1028) Paulo aliter Origenes hom. 5 in Levit. num. 12 : « Pars efficitur sacerdotis pectusculum et brachium dextrum, ut sit indici[illegible] mala cogitabat, sacerdotis labore co[illegible] pit cogitationes bonas. » S. Gregor. [illegible] cap. 3, propius ad Auct : « Divina lege[illegible] dos in sacrificium et dextrum accipit [illegible] in esu quoque pectusculum cum ari[illegible] quod de sacrificio præcipitur sumere, [illegible] ipso Auctori discat immolare : et no[illegible] quæ recta sunt cogitet, sed spectator[illegible] blimia armo operis invitet. »

(1029) S. Hier. epist. 122, n. 3 : « [illegible] tia perit superbia ; et publicani hu[illegible] sione salvatur. » Vid. S. Gregoriu[illegible] Ezech.

(1030) Vid. S. Petrum Chrys. s[illegible] serm. 174, a. n. 3.

(1031) Idem dixerat ad cap. xx, M[illegible] lta Beda, qq. in Jos. c. vii : « Jericho pe[illegible]

Digitized by Google

anta mutabilitas est, ut nunquam in eodem statu permaneat. Merito ergo hæc mundum significat, qui semper totus in motu est. Hanc autem mutabilitatem quia secundum humanitatem Salvator noster susceperat, recte dicitur perambulasse Jericho. Et ecce vir, nomine Zachæus, qui digne satis *justificandus* (1032) interpretatur, quoniam a Deo vocatus et justificatus est. Hic autem erat non solum publicanus, verum et publicanorum princeps. Erat insuper et dives, quem difficile est intrare in regnum cœlorum. Difficile utique, et apud homines impossibile. Sed quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Et quamvis talis esset, *quærebat* tamen *videre Jesum*. Quærebat quidem, *sed videre non poterat*. Sed cur non poterat? *Præ turba, et quia statura pusillus erat*. Hæc enim duo valde impediunt hominem, ne videre valeat Jesum. Mala turba, quæ a tali, tantoque bono hominem deturbat. Turba ista vitiorum est; qua qui circumdatus fuerit, Christum videre non potest (1033). Statura vero pusillus est, qui ad scientiæ statem et perfectionem nondum pervenit (1034). Unde Apostolus nos admonet dicens : « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* XIV, 20). » Et iterum : « Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam. Nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem 101 potestis, adhuc enim carnales estis (*I Cor.* III, 2). » Qui igitur vult videre Jesum, exeat de turba, fugiat vitia et peccata, vitet malorum consortia; erigat et extendat se, crescat in fide et scientia, et proficiat in omni bonitate. Hoc enim significavit Zachæus, quando *præcurrens ascendit in arborem sycomorum*. In arborem quidem ascendit, quatenus inde videret quem ipse videre non poterat. Hæc arbor, fides est, ad quam multi venientes et in eam ascendentes, quamvis adhuc statura parvuli fuissent, nondum in scientia multum crevissent, inde tamen Jesum videre et cognoscere meruerunt. Unde et hic dicitur : *quia inde erat transiturus* (1035). Hac enim via, et juxta hanc fidei arborem transit Jesus. Inde videtur, et videt : inde cognoscitur et cognoscit. Eos enim Dominus respicere, et ad se videre dignatur, qui in hanc arborem ascendunt, hujus fructus sanguineus est, per quem martyres significantur, qui fidei arbori adhærentes, propter fidei constantiam, proprio sanguine cruentati sunt. Inde igitur Dominus transiens, *suspiciens vidit Zachæum, et dixit ad eum : Zachæe, festinans descende; quia hodie in domo tua oportet me manere.* Hodie, inquit, me quærere cœpisti, ad fidem venisti, in arborem ascendisti, hodie in domo tua oportet me manere. Verum est igitur, quod per prophetam dicitur : « Quia peccator quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 12, 15). » Quod enim in Zachæo factum est, quotidie in aliis peccatoribus fieri non dubium est, si tamen ex corde convertantur, Christum quærant et fidem teneant. Sequitur : *et festinans descendit, et excepit illum gaudens.* Jam enim igne fidei interius ardebat, qui sic exterius obedientiam et obsequium exhibebat. Multum jam fide creverat, etsi statura pusillus erat. *Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset.* Omnes enim sciebant esse peccatorem Zachæum, utpote publicanorum principem. Sed iste peccator multo melior erat quam illi qui murmurabant, et se justos esse fingebant. Hoc autem sequentia manifestant, dum dicitur : *Stans autem Zachæus dixit ad Jesum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Hac enim una voce omnes illico a murmuratione cessaverunt, tam subitam publicani pœnitentiam et conversionem admirantes : et fortasse nemo ibi erat, qui hanc tantam professionem, etiam coactus, facere voluisset. Dives enim erat valde, quem ipse evangelista divitem fuisse testatur; et tamen omnium bonorum suorum medietatem se pauperibus dare promittit, et in quadruplum reddere, si quid aliquem defraudavit. Vide ergo a quanta perfectione cœpit, qui tunc primum Christum Dominum viderat et prædicantem audierat. Verum est utique quia homines vident in facie, Deus autem corda intuetur. Qualem Dominus hunc, et quam justum post modicum futurum videbat, quem tam peccatorem homines judicabant : *Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est, quod ipse filius sit Abrahæ.* Hodie, inquit, domui huic salus facta est, et omni ægritudine, omni morbo, omni vitiorum contagione fugata, sanata est, et tota interius, et exterius sanctificata est. *Eo quod ipse*, qui hujus domus habitator est, jam non publicanus sit, sed *filius Abrahæ*. Abrahæ namque filii sunt, quicunque Abraham imitantur, et Abrahæ opera faciunt. Et Abraham quidem angelos, Zachæus vero angelorum Dominum hospitio suscepit. *Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere, quod perierat.* Non

em *luna* dicitur... quia sicut luna menstruis comtionibus deficit; ita hic mundus ad completionem porum currens, quotidianis defectibus cadit : » æ repetit in ps. LXXXVI.

(1032) Ex Hebr. purus, justus. Beda, ad h. l. chæus, qui interpretatur *justificatus*.

(1033) Beda ad h. l : « Intrantem Jericho Salvatorem videre quærebat; sed præ turba non poterat, ia.... inolita vitiorum consuetudo, ne ad votum rveniret, obstiterat. »

(1034) Ambrosius l. VIII, in Luc. n. 87 : « Quid sibi vult, quod nullius alterius staturam Scriptura nisi hujus expressit? Vide ne forte malitia pusillus, aut adhuc pusillus fide. »

(1035) Ambrosius l. all. n. 89 : « Illa parte erat transiturus Dominus, vel ubi sycomorus, vel ubi creditorus... Vidit itaque Zachæum sursum : jam enim sublimitate fidei inter fructus novorum operum, velut secundæ altitudine arboris eminebat. »

Digitized by Google

enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (1036). Quia non indigent, qui sani sunt, medico, sed male habentes (1037).

XLV. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit illis decem mnas.* Homo iste nobilis, ipse est, qui loquitur, Salvator noster : qui non solum secundum divinitatem, qua angelorum et hominum creator, et Dominus est, verum etiam secundum humanitatem, ex nobili genere ortus est. De tribu namque Juda, et de progenie David natus est Dominus, quæ inter alias tribus nobilior regnum tenuit, et principatum. Hic autem abiit in regionem longinquam, quando cœlos ascendens ad Patrem rediit (1038). Unde ipse ait : « Exivi a Patre et veni in mundum ; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem (*Joan.* XVI, 28). » Hæc autem regio longinqua est, quia cum multo labore ibi pervenitur. « Per multas enim tribulationes, ait Dominus, **202** oportet nos intrare in regnum cœlorum (*Act.* XIV, 21). » Ab hac autem unusquisque tanto longius est quanto inter cæteros iniquior est. Ad hanc igitur Dominus rediit, accipere sibi regnum, et reverti. Tunc enim sibi Dominus regnum accepit, quando ejus humanitas super cœlos exaltata est, eique a Patre dictum est : « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*Psal.* CIX, 1, 2). » Restat igitur ut revertatur, et ad judicium rediens cum servis suis rationem ponat. Prius enim, quam illuc ascenderet, vocatis servis suis, dedit illis decem mnas, quæ alius evangelista *talenta* vocat (*Matth.* XXV, 15). Decem sunt servi : decem et sunt talenta. Noli dicere, pauci sunt. Considera prius quid decem significent. Hoc enim numero nullus alius major est, quia omnes numeri in hoc numero continentur (1039). Decem igitur aliquando multos, aliquando significant omnes. Vocavit igitur decem, id est, omnes servos suos, et dedit illis decem mnas, id est, omnia talenta sua. Quod alibi dicitur : « Et dedit illis bona sua (*Matth.* XXV, 15). » *Et ait ad illos : Negotiamini, dum venio.* Bonus negotiator beatus Paulus, qui omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Quotidie namque in Ecclesia nundinæ fiunt. Quotidie Dei thesaurus in Ecclesia venditur. Thesaurus enim desiderabilis requiescit in ore sapientis. Dei autem negotiatores omnes sunt servi, et nihil aliud nisi servos emunt.

A Nihil enim aliud de mundi diviti
eorum, Dominus concupiscit. U
eos ejecit, qui male negotiantes
bant et emebant. Hoc autem de
Nunc de civibus audiamus. *Cives*
illum, et miserunt legationem p
Nolumus hunc regnare super no
sunt, qui super se omnium B
Jesum Christum regnare noluer
habemus regem, nisi Cæsarem,
hanc pravam legationem post eu
quo ab eis recessit, in hac mala
rant. Quæ voluntas, quia Christu
audit, quasi quædam legatio in
bus sonat. *Et factum est, ut re*
B *Et jussit vocari servos, quibus*
sciret quantum quisque negotiatu
erit in judicio, quando et bo
astabimus ante tribunal Christ
pro se rationem reddat. *Venit a*
Domine, mna tua decem mnas ac
unum talentum decem acquisiv
gratia nobis a Deo concessa
crescit : aut multos peccatores a
convertit (1040). *Et ait illi : Eug*
in modico fuisti fidelis, eris potes
decem civitates. Et hoc quiden
manifestius posuit, dicens : « S
stituam, intra in gaudium domi
C 21). » Itemque : « Beatus ille s
venerit Dominus, invenerit vigi
vobis, super omnia bona quæ
cum (*Matth.* XXIV, 46). » Hoc est
civitates potestatem ei dare (10
omnia quæ possidet, eum co
enim, per decem omnes significa
quidem, quæ dominus possidet,
tuitur ; quia omnia ei obediunt,
omnia faciunt. Tanta enim ibi
unusquisque quasi major venere
quasi minor venereturque omnes. Et
Domine, mna tua fecit quinque
in talento sibi credito bene ope
tantum, quantum ille, de quo me
D lucratus est. Nam etsi bene o
æqualiter tamen omnes laborant
« Ego, inquit, plus omnibus lal

(1036) Vid. S. Fulgentium in hanc sententiam lib. I, ad Trasim.

(1037) Hactenus homil.

(1038) S. Ambros. lib. V, de Fid. cap. 6 : « Divine itaque illam parabolam induxit divitis, qui in regionem longinquam profectus est accipere regnum et reverti ; se ipsum secundum substantiam divinitatis incorporationisque describens. Ipse enim dives secundum plenitudinem divinitatis, qui pro nobis pauper factus est, cum dives esset, peregre profectus secundum corporis susceptionem ; quia vias hominis, tanquam iter ingressus alienum, in hunc mundum venit, ut regnum sibi pararet ex nobis. Venit ergo Filius hominis accipere regnum et reverti. »

Vid. et Aug. lib. II, qq. Evang. c

(1039) Vid. superius dicta ad

(1040) S. Gregorius lib. II, epis
que est pondus sacerdotii. Pri
doti necesse ut cæteris ad exe
deinde servandum, ut mentem p
non elevet... intentissimo timore
recessurus ad percipiendum re
talenta servis distribuens, dicat
renio... Quod profecto negotium
mus, si vivendo et loquendo p
lucramur. »

(1041) Vid. S. Ambr. lib. VIII,

Digitized by Google

o, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* xv, 10). » Qua re in talento, et in gratia sibi data se plus cæteris laborasse ostendit. *Et huic ait : Et tu esto super inque civitates.* Sicut enim nec in labore, ita neque mercede æquales sunt. Qui enim plus laborat, us mercedis accipiet. « Stella enim, ut Apostolus t, differt a stella in claritate. Sic erit et resurrectio ortuorum (*I Cor.* xv, 41). » Quamvis igitur omnes ati erunt, non tamen omnes æquales erunt. Quod idem in eo significatur, quod alii supra decem, ii supra quinque civitates constitui dicuntur. *t alter venit dicens : Domine, ecce mna tua, quam bui repositam in sudario. Timui enim te, quia mo austerus es; tollis quod non posuisti, et metis od non seminasti.* In sudario namque talentum ponit, qui gratiam sibi datam in hac carne laboris, et fatigationibus traditam torpescere sinit (1042). entitur autem iste malus servus, dum eum auerum **203** vocat, de cujus dulcedine Psalmista quitur dicens : « Dulcis, et rectus Dominus, propter hoc legem statuit delinquentibus in via (*Psal.* xxv, 8). » Talis igitur excusatio quam vana, et utilis sit, ipse Dominus ostendit dicens : *De ore o te judico, serve nequam. Sciebas*, ut ipse fingis, *od ego austerus homo sum, tollens quod non suui, et metens quod non seminavi, et cur non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens utique m usuris exegissem illam?* Ac si dicat : Non fuit onveniens ut meam pecuniam ad mensam numulariorum committere timeres, cum me tam formm et potentem esse cognoveras, ut non solum ea, verum etiam aliena ubique mihi vindicare leam. Qua in re nullam te habere excusationem anifestum est. Hæc autem pecunia, verba vitæ ternæ sunt : mensa Ecclesia, nummularii auditos, quibus omnis ista pecunia nuntiatur, et credir. Hanc autem cum usura Dominus recipit, quia ultos fideles cum fructu boni operis per eam acirit. Nusquam autem est, ubi Dominus non semiaverit : nusquam est, ubi suæ gratiæ sementem on sparserit; quia propter hoc quod in omnem rram exivit sonus apostolorum, omnibus hominius rationem, et intellectum, memoriam, et ingeium largitus est. Constat igitur, hunc servum nenam adversus eum esse mentitum. De quo ipse ibinferens ait : *Auferte ab illo mnam, et date ei, i decem mnas habet.* Per quæ intelligere possumus, los bonos eam beatitudinem possidere, quam simul cum eis et mali possedissent, si in bonitate erstitissent. *Et dixerunt illi : Domine, habes decem mnas.* Decem utique jam habebat, quibus una superaddita undecim fiunt. Quid est igitur, quod non undecim, sed decem tantum habere dicitur, nisi hoc quod superius diximus, quia idem significant decem quod omnes? Secundum quam significationem, magis fuit decem dixisse quam undecim. Undecim enim non significat nisi undecim; decem vero significat omnes. Sequitur : *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur : ab eo autem qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo* (1043). Omnis enim, qui fidem habet, et dignam fidei operationem, sicut iste qui sic talenta multiplicavit, dabitur ei æternæ beatitudinis retributio. *Ab eo* vero, *qui* hoc *non habet*, etiam hoc, *quod* in opinione hominum *habet*, id est, hoc, « quod videtur habere, » ut alius evangelista scribit, « auferetur ab eo (*Matth.* xxv, 29). » *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.* Miseri Judæi, adversum quos ista dicuntur! De quibus supra dixerat : *Cives enim ejus oderant illum.* Isti enim tunc interficientur, quando dicetur eis : « Ite, maledicti, in ignem æternum, quod paratum est diabolo, et angelis ejus (*Matth.* xxv, 41). » Tunc et boni audient : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*ibid.*, 34). »

XLVI. *Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu.* Suscitato namque Lazaro, veniens Dominus Jerosolymam sedens super pullum asinæ, cum jam appropinquaret ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare eum voce magna, dicentes : *Benedictus qui venit in nomine Domini. Et quidam Pharisæorum de turba dixerunt ad illum : Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait : Dico vobis quia si isti tacuerint, lapides clamabunt.* Lapides enim, gentiles dicuntur (1044), qui duri, steriles, et infructuosi erant, et ligna et lapides adorabant. Isti autem modo clamant, et Christi virtutes laudare non cessant. Ut igitur appropinquavit, videns impiam civitatem in suam necem conspirantem, non de sua morte, quam illa machinabatur, sed de illius ruina et perditione flevit : *Quia si cognovisses et tu.* Sicut, inquit, ego fleo, qui omnia video, et futura cuncta cognosco, sic et tu fleres, si nunc ventura videres. Nobis, fratres, nobis istæ lacrymæ fuerunt, ut magistrum imitemur, et ab hoc tanto præceptore nostro discamus quid in nostrorum inimicorum morte et ruina agere debeamus. Unde et ipse ait :

(1042) Beda ad h. l. « Servus, qui negotiari jussus, ceptam Domini pecuniam in sudario reposuit, ostenit eos qui ad prædicandum idonei, prædicationis offium, jubente Domino, per Ecclesiam, vel saltem uscipere, vel susceptum digne gerere detrectant. ecuniam quippe in sudario ligare, est perceptа ona sub otio lenti torporis abscondere : » quæ potrema verba S. Gregorii sunt part. I Reg. past. c. 9.

(1043) Vid. S. Bern. serm. 72, in Cantic.

(1044) Titus Bostr. pag. 726, tom. II Auct. Duc. « Et quinam sunt lapides illi? Illi utique qui quondam lapides adorabant, gentes nimirum deceptæ, et diaboli fraude in errorem adductæ. » Memorat hanc interpretationem Hieron. ad cap. II Habac. scribitque de ea : « Licet plerique sic intelligendum putent; si Judæi tacuerint, multitudo me gentium confitebitur; tamen, hæc est expressior et verior intelligentia; etiamsi homines tacerent, et signorum meorum multitudinem lingua invidens non loquatur; tamen lapides ipsi, et fundamenta murorum, et pa-

Digitized by Google

« Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vobis (*Luc.* VI, 27). » *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* In hac, inquit, die, in hoc tempore tua sunt, quæ ad pacem tibi brevi tempore data sunt. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis ea mala quæ subito venient tibi in diebus **204** tuis. Et exponit : *Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Hæc autem omnia sub Vespasiano, et Tito filio ejus completa sunt, sicut Josephus plenissime narrat : quando ex longa obsidione tanta calamitas Judæos oppressit, ut ipsæ matres filios devorarent (1045). Et hoc ideo, quia non cognoverunt tempus visitationis suæ, quando visitavit eos *oriens ex alto.* De qua visitatione Zacharias ait : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ (*Luc.* I, 68). » Quod autem ait : *Non relinquent in te lapidem super lapidem*, hyperbolice dictum est. Sive lapis super lapidem relictus non est, quo vel ipsa civitas, vel aliquis in tota civitate defendi potuisset (1046). Prius enim civitas ipsa, deinde turris, quæ Antonia (1047) dicebatur, postmodum vero templum illud nobilissimum, super quod aliquanti confugerant, magna vi captum et destructum est. Quod si se hostibus tradidissent, templum destructum non fuisset. In quod, cum jam incenderetur, Titus intrasse, multumque illud laudasse dicitur (1048). Hujus autem civitatis destructio cujuslibet animæ perditionem significare potest. In qua fide corrupta, et virtutum populo deficiente, malignorum spirituum, vitiorumque exercitus eam aggreditur, incendit et dissipat. Capta est autem civitas Jerusalem post quadraginta et duos annos a Christi passione (1049). Quod bene quidem Elisæus significavit, qui ascendens Bethel, cum pueri ipsius loci ei illuderent, dicentes : « Ascende, calve; ascende, calve; maledixit eis in nomine Domini, et statim

A egressi sunt duo ursi de saltu et occider
ginta duos ex illis (*IV Reg.* II, 23). » Id
quadraginta et duos annos a duobus
videlicet, et Vespasiano, Judæi interfec
Christo illudentes, in Calvariæ montem
runt, ibique eum crucifixerunt. Sequitur
sus in templum cœpit ejicere vendentes
ementes. Unde et Matthæus ait : « Et i
in templum, et ejecit omnes vendentes
in templo, et mensas nummulariorum,
vendentium columbas evertit (*Matth.*
Audite hæc, Simoniaci, audite (1050),
gotiatores. Aut cessate a negotiis, aut e
plo. Non enim unum, vel duos, sed
B omnes vendentes, et ementes Dominus
de templo. Ipse et mensas nummulario
thedras vendentium columbas evertit.
nummularii estis, vos columbas vendidi
nummo, et pretio nihil agitis. Columba
dunt, quicunque vel Ecclesias, vel sa
gratias pretio largiuntur. Horum auter
Dominus evertit, ut per hoc eos non es
intelligatur. Et dicit eis : *Scriptum est,*
mea domus orationis est, vos autem feci
luncam latronum. Latrones enim vos es
ostium non intrastis. Qui enim non intra
in ovile ovium, fur est et latro. Ostium
stius est, qui, quoniam per eum non i
stras cathedras evertit. Per hoc enim
C soli intrant, qui secundum canonum i
scopi constituuntur. Exite igitur de don
quæ, quoniam vos in ea habitatis, facta
latronum. Nusquam alibi Dominus hoc
tur; nusquam alibi corporaliter restitis
pulisse, vel ejecisse narratur. Si igitur
quoque imitari velimus, si aliter nor
violenter Simoniacos ab Ecclesia pelle
Si tamen vires suppetunt, quibus hoc si
detrimento facere valeamus.

XLVII. [CAP. XXI.] *Erunt signa in*
et stellis, et in terris pressura gentium, p
ne sonitus maris, et fluctuum, arescentibu
præ timore, et exspectatione, quæ superv

rictum ædificatio, meam poterunt magnitudinem personare. Quod ut significantius fiat, ponamus litteraturæ quoque sæcularis exempla, » etc. Adducit vero locum Sallustii et Ciceronis.

(1045) Narrat hoc de Maria quadam femina nobili Josephus lib. VI, de B. J., cap. 3, n. 4.

(1046) Josephus lib. VII, cap. 1, narrat jussisse Titum militibus ut urbem totam et templum funditus everterent, relictis turribus Phasaelo, Hippico, et Mariamne, eaque muri parte quæ civitatem ab Occidente cingebat. Exstitisse reliquias templi quasdam tempore Victoris Antiocheni, ipsemet testatur in cap. 13, Marci. Est Chrysostomi insignis locus in homil. Quod Christus sit Deus (tom. I Opp. ex rec. Montf. pag. 580), n. 16, quo affirmat, « tantum de templo superesse, quantum satis est ut ostendatur ubinam templum olim esset. » Atque ibidem de igne exsiliente a fundamentis, cum ætate sua imperator Julianus Apostata instaurare templum vellet. Hieronymus optimus certe testis in cap. I Isai. « Ergo et

D omnipotens Deus dereliquit templum, fecit esse desertam : quod non necesse e
bus approbare, nobis præsertim qui vid
tam Sion, et eversam Jerusalem, templu
ad solum dirutum. » Qualis autem evers
tas fuerit quæ a prophetis prænuntiata
bit lib. X, in Isai. ad cap. XXXIV. D
Adriano instaurata epist. 108, n. 9, ex
V. et Bedam ad h. l. et Theophylactum ad
ad Marc. XIII, etc.

(1047) Describit templum et turrim
Josephus de B. J. lib. V, cap. 5. De
Antonia a Romanis expugnata vid. lib. V
templo incenso ibid. c. 4, n. 5. Idem J
VI, c. 8. De urbe capta a Romanis.

(1048) Vid. eumd. Joseph. lib. VI, c. 4

(1049) Ita et Hieron. lib. III in Is. cap.
Vide A. nostrum, qui idem dixerat ad n.

(1050) Rursus hic contra Simoniacos
A. Foster, ut fecerat ad similem locum M

Digitized by Google

niverso orbi. Quibusdam interrogantibus Jesum, quando veniet regnum Dei, et quod signum adventus ius? » (*Matth.* XXIV, 3), respondit quod prius *surt gens contra gentem, et regnum adversus regnum, terræmotus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et mes, terroresque de cœlo, et signa magna erunt.* nde et Apostolus quibusdam in ipsum timentibus, t scire cupientibus ait : « Rogamus vos per adven- im Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congre- ationis in idipsum, ut non cito moveamini a vestro ensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque er sermonem, neque per epistolam, tanquam per os missam, quasi instet dies Domini, quia, nisi enerit discessio primum, et revelatus fuerit homo eccati, filius perditionis, qui adversatur, et extolli- ur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod coli- ur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tan- uam sit Deus (*II Thess.* II, 1, 2, 3, 4, etc.) » Hæc gitur erunt prima signa adventus Christi. Deinde equentur et illa, de quibus modo dixit : *Erunt signa in sole, et luna, et stellis*, et cætera. Sicut enim hristi nativitatem pax, et exsultatio præcessit, ntantibus angelis : « Gloria in excelsis Deo, et in rra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Et ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit mni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, ui est Christus Dominus, in civitate David (*ib.* 0); » ita et hunc perditionis filium lites, contentio- es, dissensiones, terræmotus, pestilentiæ, fames, alia his similia terroris signa præcedent. Et tunc ndem ipse revelabitur, et malis pejora succe- ent (1051). « Erit enim tunc tribulatio magna, alis non fuit ab initio sæculi usque nunc, neque et ; et nisi Dominus abbreviasset dies illos, non set salva omnis caro. Sed propter electos brevia- ntur dies illi (*Matth.* XXIV, 21-23), » ut non tan- m vivat, quantum se vivere speravit. Regnabit nus « per tempus, et tempora, et dimidium tem- oris (*Apoc.* XII, 14). » — « Quem Dominus Jesus in- rficiet spiritu oris sui, et auferet illustratione ad- ntus sui (*II Thess.* II, 8). » Sed fortasse dicet iquis, ea non esse signa, quæ frequenter evenire olent; quoniam signum dici non solet, nisi novum iquod, et inusitatum. Quocirca illa prælia, illos rræmotus, illas pestilentias, et fames, illosque rrores more insolito, multoque tunc violentius eri credere oportet. Unde non immerito illa tribu- tio talis fore dicitur, qualis nulla alia aliquando erit; et præter hæc omnia, ad cumulum totius ali « surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ, et bunt alia signa, et prodigia multa, ita ut in erro- m inducantur, si fieri possit, etiam electi (*Matth.* IX, 24). » De sole autem, et luna, et stellarum gnis alius evangelista dicit : quia « sol obscura- A bitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ ca- dent (*Marc.* XIII, 24). » Iis autem convenire viden- tur quædam, quæ in annalibus Judæorum scripta referuntur. In quibus mare super omnes montes quindecim cubitis altius exaltari narratur, stantibus aquis, et in nullam partem fluentibus. Et deinde tantumdem in abyssum demergetur, ut vix ab in- spicientibus videri valeat. Postmodum vero reverte- tur in locum suum. Et tunc fortasse illa confusio sonitus maris, et fluctuum fiet, de qua hoc modo Do- minus loquitur. Neque enim tanta maris, fluctuun.- que commotio sine magna confusione, et sonitu fieri poterit. Terra quoque sua signa dabit; quia et terræmotus tam magni fient, ut pene omnia manu- facta ruant, omnesque lapides, etiam parvi, con- B scindentur. Et feræ de montibus descendentes inter homines manebunt, nullique nocebunt. Ipsi quoque homines, quasi amentes, et præ timore arescentes, huc et illuc discurrentes tabescent. Et his quidem Evangelii verba convenire videntur, quibus Dominus ait : *Arescentibus hominibus præ timore, et exspecta- tione, quæ supervenient universo orbi.* Horum autem signorum, et aliorum, quæ hic non dicuntur, unum quodque uno die, et non amplius fieri narratur. Nos autem quidem auctoritatem non damus, quæ ideo quidem scripsimus, quia Evangelii verbis conveni.e videbantur. Sequitur : *Nam virtutes cœlorum move- buntur.* Virtutes cœlorum, angelorum exercitus in- C telligimus (1052), quæ ad judicium venientem Sal- vatorem nostrum comitabuntur. Unde et subditur : *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna et majestate.* Sic enim de- scendet Dominus, quemadmodum ascendit, sicut scriptum est : « Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I, 11). » Quis autem dicere, vel cogitare valeat, quæ tunc lætitia bonis, et quæ tunc erit tristitia malis? *His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropin- quavit redemptio vestra.* Audistis, inquit, certissima signa futuri judicii. Quæ postquam fieri incipient, respicite, et mentis oculos aperite, credite, et dubi- tare nolite, levate capita vestra, et a terrenis ad D cœlestia erigite mentem vestram, quoniam **206** appropinquavit redemptio vestra. Quamvis enim diem illam nemo sciat, proxima tamen esse dubitari non poterit, postquam hæc tanta et talia signa fieri incipient. Cujus rei gratia hanc valde compe- tentem similitudinem subdidit, dicens : *Videte ficul- neam, et omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita et vos, cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.* Sicut enim fructus, et folia noviter in

id. Præfat. Fuse de hoc argumento Hieronymus l cap. XXI Matth.

(1051) De his signis S. Augustinus lib. XX, De civ. p. 5 et cap. 24. S. Gregorius hom. 1 in Evang. et lib. XIV Moral., cap. 12, hom. 9, in Ezech., etc.

(1052) S. Hieron. ad cap. XXIV Matth. : « Vir- tutes cœlorum, angelorum multitudinem intelligi- mus. »

Digitized by Google

arboribus nascentia æstatis adventum denuntiant, ita et signa superius dicta, statim ut apparuerint, regnum Dei prope esse certissime nuntiabunt (1053). *Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fient.* Nisi igitur hæc signa prius apparuerint, hominum generatio finiri, et dies ultima venire non poterit. *Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.* Transibunt utique cœlum et terra, quia in melius commutabuntur. Verba autem Christi non transibunt, sed in suæ veritatis stabilitate semper manebunt. Transibunt enim, si id, quod affirmant, non fieri posset, et id, quod fieri negant, fieri contigisset.

XLVIII. *Erat autem diebus docens in templo; noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur Oliveti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.* Omnis, inquit, populus manicabat in templo ad eum, id est, summo mane conveniens in templo exspectabat audire eum. A mane enim manicare dicitur (1054). Quæ vero sequuntur de Christi passione, quia in Matthæo exposita sunt, hic exponere non est necesse, propter pauca duntaxat, quæ Matthæus prætermisit. Mittit Dominus Petrum; et Joannem parare Pascha. Quibus introeuntibus in civitatem, occurrit homo amphoram aquæ portans, quem ipsi sequuntur in domum, in quam intrat. Et ostendit eis paterfamilias cœnaculum magnum stratum. Isti enim duo Christi discipuli, duo testamenta sunt, quæ dum divina inspiratione mittuntur ad civitatem pectoris nostri, Pascha ibi parant; quia quid agnus ille secundum legem immolatus significet, et qualiter Pascha nostrum immolatus sit Christus, nos docent, et intelligere faciunt. Quibus interior homo noster occurrit, qui, quoniam baptizatus est, amphoram aquæ non immerito portare dicitur (1055). Nemo enim non baptizatus hanc amphoram portat. Hunc igitur sequuntur usque in domum, usque in cordis interius secretarium; ibique inveniunt patremfamilias, id est, intellectum, a quo interior nostra familia regitur, et gubernatur. Et ipse ostendit eis cœnaculum magnum stratum, per quod fidem intelligimus (1056) aliis virtutibus ornatam. Ibi enim hæc cœna paratur, quia per fidem revelatur. Unde recte dicitur: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Hoc enim cœnaculum infi bent. [CAP. XXII.] *Et cum facta ess buit, et duodecim cum eo. Et ait ill desideravi hoc pascha manducare vo quam patiar.* Multum, inquit, hoc pa manducare desideravi, ut vetera con nova transirem. *Dico enim vobis, q manducabo illud, donec impleatur i* est, donec in Ecclesia spiritualiter agatur. *Vos estis, qui permansistis m tionibus meis, et ego dispono vobis, mihi Pater meus, regnum, ut edatis e mensam meam in regno meo, et sedea duodecim, judicantes duodecim tribu* inquit, ego vobis Ecclesiæ regnum tra sicut et Pater meus mihi illud disp vice illud regatis, et super mensa panem vivum, qui de cœlo descen calicem novi testamenti. Hoc autem e mensa intelligi potest (1057), in q summi boni contemplatione reficiu Psalmista: « Ego, inquit, cum justit conspectu tuo, satiabor, dum manife tua (*Psal.* XVI, 15). » Ait autem Domin *mon, ecce Satanas expetivit, ut crib tritícum.* Sicut enim olim beatum J stolos **207** ex Dei permissione cr fortasse zizaniæ, et corruptionis in Et dixit eis: *Quando misi vos sine s et calceamentis, nunquid aliquid defui dixerunt: Nihil.* Nihil enim eis deess Dominus ipse regebat. Unde Psalmis regit me, et nihil mihi deerit (*Ps* Miserat enim eos Dominus non p infirmos sanare, dicens eis: « Ite, languores, omnesque infirmitates (1 neque sacculo indigebant, neque pe ceamentis. Nondum enim calceati era tione Evangelii pacis. *Dixit ergo eis habet sacculum, tollat similiter et* inquit, et sacculum, et peram vos non ad colligendum, sed ad tribuen alienaj in eis coacervetis, sed ut ind aliis detis. Hæc enim duo, 'præter h

(1053) Hieron. l. all.: « Sub exemplo arboris docuit consummationis adventum. Quomodo, inquit, quando teneres fuerint in arbore ficus cauliculi, et gemma erumpit in florem, cortexque in folia parturit, intelligitis æstatis adventum, et favonii ac veris introitum; ita cum hæc omnia quæ scripta sunt videritis, putate jam adesse consummationem mundi, sed quasi præmia, et præcursores quosdam venire, ut ostendant quod prope sit, et in januis. » Vid. Victor. Antiochen. ad cap. XIII Marc. et S. Augustini qq. Evang. lib I, c. 59.

(1054) De hoc verbo S. Augustini qu. 46, in Judic. « *Manicabis* autem Latinum verbum esse mihi non occurrit. » Usus eo est vetus interpres Juvenalis; et media ætate multi, ad Chrysol. ser. 82. Explicatur eo modo quo ab A., a Glossis Græcis, Ugutione, etc.

(1055) S. Ambros. lib. X in Luc. ad h. l. n. 48: « Nam de aqua quid loquar?... O aqua, quæ sacramentum Christi esse meruisti, quæ nec lavaris! Tu incipis prima, tu co mysteria. A te principium, in te fi facis, ut finem nesciamus, » etc. Be autem paraturis pascha discipulis ram aquæ portans occurrit, ut ost paschæ mysterium pro ablutione p totius esse celebrandum. Aqua qui gratiæ. »

(1056) Beda: « Cœnaculum magnu lis est, quæ de angustiis litteræ egred loco recipit Salvatorem. »

(1057) Ita intellexit hæc verba S. n. 49. Et Beda scribit: « Mensa hæc nibus sanctis ad fruendum, cœlestis es Vid. S. Aug. lib. I, qq. Ev. c. 43; S. Hedibiam.

(1058) Lucæ IX, 1: Dedit illis p languores curarent, etc.

Digitized by Google

ıdiam, et largitatem indicant, utrumque etiam nificant testamentum (1059). Ex his enim, quasi sacculo, et pera cunctis divitiis plenis, trahebant ostoli, unde mentes famelicas, et sitientes reficeıt. Securi sint igitur apostoli, et nihil timeant, ia nihil deerit eis portantibus sacculum et ram, quibus nec prius aliquid defuit sine sacculo pera. *Et qui non habet, vendat tunicam suam, et at gladium.* Qui, inquit, non habet gladium spius. Quod est verbum Dei, vendat tunicam suam, emat eum, ut omnibus exutus, nudus nudam ıcem sequatur. His igitur verbis aperte monstra-, quod illi soli prædicare, et gladium spiritus re debent, qui simul cum apostolis dicere posıt : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus (*Matth.* XIX, 27). » Qui enim nihil possidet, me- B nudus, et absque tunica dicitur. *Dico enim is, quoniam adhuc, quod scriptum est, oportet pleri in me : Et cum iniquis deputatus est : Etenim quæ sunt de me, finem habent.* Adhuc, inquit, rum, quod restat, oportet impleri in me. Pene in jam finita sunt, quæ de me secundum carnem ipta sunt. Sed adhuc illud restat, ut cum iniquis deputantes, Judæi crucifigant. Et tunc tandem quidem a prædicatione cessabo : vos autem, nibus venditis, emite gladium, accingimini, et prædicandum vos præparate. *At illi dixerunt : mine, ecce gladii duo hic. At ille dixit eis : Satis* Sufficiunt enim duorum testamentorum gladii totius prædicationis opus peragendum. Vide, C ım bene omnia conveniant, quamvis, quid verba mini significarent apostoli non intelligebant. *Et aruit illi angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia et prolixius orabat. Et factus est or ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in ter-.* Hæc enim pugna Salvatoris nostri, martyrum nes (1060), et certamina significabat. Ille sudor guineus, eorum sanguinem de toto ejus corpore, d est Ecclesia, ubique fundendum manifestabat. ibat autem prolixius, quatenus nobis ostenderet d in tali pugna agere debeamus, ut angelorum nsolationem recipere mereamur. Cætera, quæ semtur, in Matthæo exposita sunt.

XLIX. [CAP. XXIV.] *Duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus, et ipsi loquebantur adinvicem de his omnibus quæ acciderant.* Unus autem istorum, ipse, qui hæc scribit, beatus Lucas fuisse putatur (1061). Mos enim fuit antiquorum, ut in suis scriptis sic de se, quasi de aliis, loquerentur. Unde et Moyses frequenter dicit : « Locutus est Dominus ad Moysen dicens (*Exod.* VI, 2, 10, 1, etc.). » Et Matthæus, « Præteriens, inquit, Jesus vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine (*Matth.* IX, 9). » Et multa talia. *Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis.* Bonum est igitur loqui de Jesu. Bonum est semper in mente habere, quia nec ipse eorum obliviscitur qui ejus memores sunt. Sicut et hic, quia isti duo de eo loquebantur, ipse appropinquans ibat cum eis. Beati, cum quibus ambulat Jesus. Beati, cum quibus ambulat salus, et vita, qui, quoniam cum luce vadunt, errare **208** non possunt. Sequitur : *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Quia enim dubitabant, quia nondum perfecte credebant, ideo eum videntes non agnoscebant. *Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?* Ac si dicat : Tantum scelus noviter in Jerusalem perpetratum est, ut præ sua magnitudine omnino celari non possit, et quomodo tu solus ea quæ ibi his diebus facta sunt non cognovisti? *Quibus ille dixit : Quæ? Et dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, et sermone coram Deo, et omni populo, et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel.* Multum ægrotabant isti, multisque eis necesse fuerat ut medicus et Salvator eis apparuisset. Quod enim dicunt, *Nos sperabamus*, se jam a spe quodammodo decidisse ostendunt (1062). *Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie quod hæc facta*

1059) Vide S. Ambrosium, n. 54, 55.

1060) Beda : « Nemo sudorem hunc infirmitati D utet... Sed potius intelligat per irrigatam sacramı ejus sanguine terram, non sibi, qui noverat, sed is aperte declaratum, quod effectum jam suæ cis obtineret, ut fidem videlicet discipulorum, m terrena adhuc fragilitas arguebat, suo sanne purgaret. »

1061) Cum evangelista unum tantum nomine ellet, Cleopham, longa est de nomine alterius troversia. S. Ambrosius l. x in Luc., n. 173, ibens, Christum undecim se demonstrasse, sicut Ammaoni et Cleophæ seorsum jam vespere denstraverat, visus est nomen fecisse illi Ammaonis. avius vero ad hæres. 21 Epiph. depravatum hunc um putat, et subtractum aliquid amanuensis pa, nec discipulo illud nomen fecisse Ambro, sed castellum Ammaonem id. Emmauntem miasset. Contra Petavium dissertit Le Nourry brosii Scholiastes ad h. l. quod multis aliis in locis idem dicat Ambrosius ad cap. XVII Luc., in Apol. 2 David c. 8, tract. in Sym., etc., et quod idem nomen discipuli habeat Origenes Præf. in Ev. Jo. Sed apud Origenem quidem in ea præfat. t. II, pag. 7, ex recens. Huet. edit. Colon. 1685, lego Simonem non Ammaonem. Atque idem nomen habet l. II contr. Cels. n. 62. Colloquentibus Simone et Cleopha de iis quæ illis acciderant, Jesus interveniens, etc. Simonem etiam nominat S. Basilius ad cap. VI Isai., n. 186. Maurini editores et Origenis et Basilii, ex apocryphis haustum id volunt. Quidquid de eo sit, auctoris nostri verum est illud, Lucam esse qui putent, Gregorium lib. I Moral., cap. 1. Theophylactum ad h. l., Nicephorum lib. I, c. 34, etc. Et Gregorius quidem n. 3, hoc ipsum esse inquit de Scriptoribus sacri eloquii, qui impulsu S. Spiritus agitati, sic de se in illo testimonium, tanquam de aliis proferunt.

(1062) S. August. serm. 235, n. 2 : « Sperabatis? jam non speratis? Hic est omnis discipulatus vester?

Digitized by Google

sunt. Hodie igitur, secundum promissionem suam resurrexisse debuerat. Qui tamen utrum resurrexerit ignoramus. *Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore ejus, venerunt dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, et ita invenerunt, ut mulieres dixerunt; ipsum vero non invenerunt.* Illis auditis, secretorum omnium cognitor, videns eos et amare, et dubitare, eorum infidelitati respondens, ait : *O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturas quæ de ipso erant.* Christi namque passionem et resurrectionem significans Moyses scribit, qualiter Jacob Judam filium suum benedixerit, de cujus progenie Dominus natus est, dicens ei : « Juda, te laudabunt fratres tui : manus tua in cervicibus inimicorum tuorum. Et adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda : adpræda, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna : quis suscitabit eum? » (*Gen.* XLIX, 8, 9.) » Ad prædam enim in crucem Christus ascendit, quia de diaboli potestate morte sua mundum eripuit. Sed quasi leo accubuit; quia nec in ipsa morte fortitudinem amisit. Quis autem suscitavit eum, nisi Deus Pater; et divinitas ipsa, quæ in eo erat (1063)? Similiter autem et David Christi passionem, et resurrectionem significans ait : « Ego dormivi, et somnum cepi, et resurrexi, quoniam Dominus suscepit me (*Psal.* III, 6) (1064). » Itemque : « Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea, et diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (*Psal.* XII, 17, 18) (1065). » Et Isaias : Corpus, inquit (1066), suum dedit percutientibus, et genas suas vellentibus. Faciem suam non avertit ab increpantibus, et conspuentibus in eum. (*Isa.* L, 6) « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Id.* LIII, 4). » — « Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum (*ib.*, 7). » — « Propter scelus populi mei percussi eum, et dabit impium pro sepultura, et divitem pro morte sua (*ib.* 8, 9). » Dum hæc, et similia eis Dominus loqueretur, et prophetarum illis testimonia interpretaretur, *appropinquaverunt castello quo ibant*, et tunc *ipse* non solum corporis beatitudine, sed et ipsa facie, quamvis longius ire

A noluerit, *longius se* tamen *ire ostend*
superius dicitur, quod Samaritani
pere eum, « quia facies ejus erat eu
lem (*Luc.* IX, 53). » Hoc igitur mod
Dominus, quo affectu et qua charitate
cipiebant; quatenus et nos discamus
eos suscipiamus. Si enim aliter eos
sumus, piam eis violentiam inferre
et hic dicitur : *Et coegerunt illum,*
nobiscum, quoniam advesperascit,
jam dies. Et intravit cum illis. Et
recumberet cum illis, accepit panem,
fregit, et porrigebat illis. Sic enim
quando adhuc inter eos conversabatur
oculi eorum, assuetam ejus consuetu
B *Et cognoverunt illum : et ipse evanui*
rum. At illi pariter gaudio et mo
dixerunt ad invicem : Nonne cor nostr
in nobis, dum loqueretur in via, et
pturas? Cur eum non tenuimus? Cur
209 ejus non corruimus? Cur nobis
bus nostris non credidimus? Ubi eum
inveniemus? *Exsurgentes eadem hora*
Jerusalem, et invenerunt congregatos
qui cum ipsis erant, dicentes, quod su
vere, et apparuit Simoni. Et ipsi narra
erant in via, et quomodo cognoverunt e
panis. Considera modo, quanta ibi
dum illi, et illi vicissim sibi sua g
C rent.

L. *Dum autem hæc loquuntur, stetit*
eorum, et dixit eis : Pax vobis. Loqueb
de Jesu, et ea quæ viderant, in commu
Cum statim ipse adfuit, et sua eos præ
certiores. Semper enim in medio illorum
pie loquuntur de eo, et qui congregan
ejus. Unde ipse ait : « Ubi duo, vel tres
rint in nomine meo, ibi sum in medio
XVIII, 20). » Pacem autem eis comm
eos habere persuadet, quia sine pace
placere Deo. In eis enim habitat Do
cem et concordiam diligunt (1067). Un
« Et factus est, inquit, in pace locus ej
2). » Sequitur : *Ego sum, nolite timere*
D sum. Cognoscite vocem meam. Non
putatis, sed corporaliter me videtis. *Co*
et conterriti, non ipsum Dominum, qu
sed *spiritum se videre putabant. Et d*
turbati estis, et cogitationes ascendunt in
Nihil est, quod cogitatis : quia non

In cruce latro vos vicit... Quid sperabatis? « Quia ipse erat redempturus Israel : » Quod sperabatis et illo crucifixo perdidistis, hoc latro crucifixus agnovit. » Vid. etiam serm. 232.

(1065) De J. C. Resurrectione explicat hunc locum S. August. serm. 37, n. 2, et serm. 218, n. 12. Beda Expos. in Genes. ad h. l. Vide etiam S. Hieronymum ad cap. I Mich.

(1064) Ita interpretatus est, et ad J. C. Resurrectionem retulit Origenes ad h. l. tom. II Oper. ex rec. Delarue, pag. 552. Eusebius tom. I Collect. Montfaucon., pag. 20. Dydimus, et l stici nostri.

(1065) Notissimus hic psalmi locus ob lectionis in Hebræo; et omnes de Chr tatur; ut etiam sequentia loca Isaiæ.

(1066) Isai. L, 6. *Corpus meum dedi p et genas meas vellentibus : faciem mea ab increpantibus, et conspuentibus in m*

(1067) Sic ferme loquitur S. Grego In Ezech. : « Ibi inhabitat Deus, ubi v ritur. »

Digitized by Google

uod, sed veritatem videtis. Et protinus eis manus pedes ostendens, ait : *Videte manus meas, et pedes meos, quia ipse ego sum.* Cognoscite vel vulnerum cicatrices, si me nec in persona, nec in voce cognoscitis. *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ideo enim suorum vulnerum cicatrices Dominus reservavit, ut in eis discipulorum suorum corda sanaret, et in seipso ostendendo vulnera carnis, sanaret in eis vulnera mentis. Sciebat enim quod apostolus Thomas aliquando dicturus esset : « Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam (*Joan.* xx, 25). » Propter hoc igitur cicatrices delere noluit, quas, si voluisset, delere omnino potuisset (1068). Nemo autem hinc arguendo, nos cum omnibus nostri corporis cicatricibus resurgere arbitretur; quoniam nihil in sanctorum resurget corporibus, quod inconveniens, vel indecens videatur (1069). *Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis.* Hoc igitur offerimus et nos. Semper hæc oblatio inveniatur in nobis; hoc enim cibo delectatur, quia in hoc cibo vestra nostra continetur; in quo Christi passio, et resurrectio, in quo et vitæ nostræ perfecta forma significatur. Quia enim et de illius passione dolemus; iterum de ejus resurrectione gaudemus, utique offerimus ei et piscem assum per passionem, et favum illis per resurrectionem (1070). Nam et beatus Paulus piscem assum ei offerebat, cum diceret : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* ix, 27). » Itemque : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non A uror? » (*II Cor.* xi, 29.) Multum enim ille piscis assatur, qui pro omnibus uritur. Omnes enim pisces sumus, quicunque in baptismo natavimus. Offerimus **210** autem Domino et favum mellis; quando ejus amoris dulcedine pleni, simul cum Psalmista dicimus : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo! » (*Psal.* cxviii, 103.) Hoc enim cibo nobiscum reficitur Jesus, quo et ipse delectatur, et mentes nostræ pinguescunt. Unde et subditur : *Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis.* Christi namque reliquias sumimus, si eum imitatur, et ejus sermones servamus. Ejus namque reliquiæ sunt hæc Evangelia, quæ ad comedendum, et agendum ipse nobis reliquit. His enim mens nutritur, reficitur anima, pinguescit intellectus. Unde et B subditur : *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est, impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis, et prophetis, et psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut Scripturas intelligerent.* Dedit igitur eis reliquias. Dedit et dentes, quibus eas comedere possent. Has enim comedere nequeunt, quibus sensus divinitus non aperitur. *Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est,* quod vos quidem, quia usque nunc Scripturas non intelligebatis sic scriptum esse nesciebatis, *et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Vos autem estis testes horum.* Vobis prædicantibus, et testantibus ubique hæc omnia firmabuntur. *Et ego mittam promissum Patris mei in vos.* De quo propheta : « Erit, inquit, in diebus illis, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt. Vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto (*Joel* ii, 28). » Nemo igitur ab Ecclesia recedat, quicunque hac virtute

1068) Alia ratio affertur a S. Ambrosio ad h. l., et in Luc., n. 170 : « Vulnera suscepta pro nobis Deo inferre maluit; ut Deo Patri pretia nostræ redemptionis ostenderet. » Sed hanc etiam A. nostri rationem afferunt PP., præsertim August., ut serm. 88, n. 2 : « Numquid non poterat Dominus sine cicatricibus resurgere? sed in corde discipulorum vulnera videbat, propter quæ sananda, cicatrices in corpore ejus servaverat; » et serm. 112, n. 4 : « Dominus qui voluisset sine ullo vestigio vulneris resurgere, servavit cicatrices, quæ a dubitante tangerentur, et cordis vulnera sanarentur : » et serm. 116 in hunc Evangelii locum, num. 1 : « De sepulcro autem surrexit, omnibus vulneribus, servatis cicatricibus. Hoc enim discipulis suis expedire judicavit, ut cicatrices ejus servarentur, unde cordis vulnera sanarentur. » Quæ eadem verba habet etiam serm. 2, in ps. LXXXVIII, n. 5. « Cicatrices servavit in corpore, ut vulnus dubitationis, sanaret in corde. » Vid. S. Thom. 3, p. q. 54, art. 4, ad. 3.

(1069) S. Augustin., serm. 242, num. 2, 3 : « Quærunt ergo homines, utrum corruptio ista corporis, quam sentiunt in carne sua, futura sit in resurrectione mortuorum? Dicimus, non futuram... Iterum dicunt : resurgent vitia, quæ erant in corpore humano, cum quibus moritur homo? Respondemus : non resurgent vitia. » Vid. S. Augustin. enumd., lib. XXII, de Civ. Dei. De cicatricibus martyrum aliud suspicari videtur idem S. Aug., l. all., c. 23, n. 3 : « Nescio quo autem modo sic afficimur amore Martyrum beatorum, ut velimus in illo regno, in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt. Et fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, et quædam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Nec ideo tamen, si aliqua martyribus amputata et ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum; quibus dictum est : *Capillus capitis vestri non peribit.* Sed si hoc decebit in illo novo sæculo, ut indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, ubi membra, ut præsiderentur, percussa, vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis, non perditis apparebunt. Quamvis itaque omnia quæ acciderunt corpori vitia, tunc non erunt; non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia. »

(1070) S. Gregorius, hom. 24, in Ev., n. 5 : « Quid autem signare piscem assum credimus, nisi ipsum mediatorem Dei et hominum passum?. Sed qui piscis assus fieri dignatus est in passione, favus mellis nobis exstitit in resurrectione. »

Digitized by Google

indui desiderat. Hæc enim virtus nulli datur, qui extra hanc civitatem invenitur. Unde et sacri canones negant, hæreticos posse dare Spiritum sanctum : ideoque a catholicis consignari pr eis baptizati sunt.

EXPLICIT SECUNDUM LUCAM.

S. BRUNONIS ASTENSIS

EPISCOPI SIGNIENSIS

COMMENTARIA IN JOANNEM

211 PARS PRIMA.

INITIUM SANCTI EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.

I. [Cap. I.] *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Jesus Christus Dominus noster, quemadmodum dicitur Filius Dei, sic dicitur Verbum Dei, sic et Virtus et Sapientia Dei. Unum enim idemque significant, unum idemque sunt Filius, Verbum, Virtus et Sapientia. De quo Verbo ait Psalmista : « Verbo Domini cœli firmati sunt (*Psal.* xxxii, 6). » Et ut Verbum et Sapientiam idem esse ostenderet, ait : « Omnia in Sapientia fecisti (*Psal.* ciii, 24). » Nunquam igitur Pater sine Filio fuit, quia nunquam sine Verbo, nunquam sine Virtute, nunquam sine Sapientia esse potuit. Hæc autem Sapientia, hæc Virtus, hic Dei Filius, quamvis temporaliter de Virgine natus sit, *In principio* tamen et ante tempus erat. Et hoc est quod ait : *In principio erat Verbum* (1071). Taceant igitur quicunque Salvatorem nostrum, priusquam de Virgine nasceretur, non fuisse contendunt. Hoc enim Judæi et gentiles, et quidam hæreticorum dicere solent. Quorum quidem errores evangelista destruit, dum eum in principio fuisse dicit. Sed ubi erat? *Et Verbum erat apud Deum.* Semper enim in Patre Filius; semper in Filio Pater. Unde ipse ait : « Ego sum in Patre, et Pater in me est (*Joan.* x, 38). » Denique, ubi debuit esse, nisi in Deo, Virtus et Sapientia Dei? Ubi enim est virtus et sapientia tua, nisi in te et in animo tuo? Sic igitur et Verbum Dei, id est Virtus et Sapientia Dei, in principio erat apud Deum. Et quid erat? *Et Deus erat Verbum.* Nihil enim in Deo est, quod Deus non sit. Totus enim idem est, et substantialiter idem. Hoc autem Verbum nec syllabis constat, nec voce profertur. Sed semper in sinu manens, et in corde Patris cuncta disponit, regit et operatur. *Hoc e apud Deum.* Confirmatio est. *Omnia sunt, et sine ipso factum est nihil.* per Verbum facta sunt, et omnia i minus fecit, manifestum est quia Ve tia idem sunt. Ibi igitur Verbum, ub nobis autem non ita fit, quia verbum sapientiam habemus (1072). Verum pientia nostra voce induitur et fit ve tur, ita et Sapientia Dei carne indu bum caro factum est, ut ab hominibu igitur Verbum, sive Sapientia vo: etur differentia est. Non enim loquendo, volendo cuncta operatur Deus. Quod est : « Ipse dixit, et facta sunt, ips creata sunt (*Psal.* xxxii, 9), » non sic e quasi motu linguæ et aeris percussi ipsius ore vox insonuerit. Sed dice est (1073). Omnia per ipsum perfect enim per ipsum facta sunt, quæcunqu sunt, et sine ipso nihil a Patre fact Nihil enim sine Sapientia fecit Deu unus est, qui in Sapientia sua et in S nia operatus est. Cujus Sapientia ca Cujus Spiritus in igne apparuit. Quali pientiam suam, Verbum suum et Fili genuerit, quia solvi non potest, quæ *Quod factum est in ipso,* **212** *vita er lux hominum, et lux in tenebris lucet, non comprehenderunt.* Duæ namque n Christo, divina scilicet et humana. Q facta est, altera facta non est. Hu quæ in ipso est, et facta et creata fecit humanitatem suam, ipse fecit et

(1071) S. Ambros., lib. I De fid., c. 8, n. 56 : « *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio.* Erat, inquit, apud Deum : erat, erat, erat, erat; ecce quater, erat : ubi impius invenit quod non erat? »

(1072) Vid. S. Aug. Tract. 1 in Joannem, n. 8, lib. xv. De Trinit., cap. 10.

(1073) S. Basilius in Hexaeme. hom. 2, n. 7 : « Cum autem in Deo vocem verbumq ptum d cimus non sonum per vulgaria sum, non aerem lingua conformatum, monem intelligimus, sed voluntatis n scentium oculis res subjecta esset; speciem aptari arbitramur. » Vid. S. Genes. ad litt.

(1074) Vid. S. Athanas., orat. 2 cont

Digitized by Google

quem omnia facta sunt, et sine quo factum est A nobis manifestat, venire; quando se celat, recedere
l. Hoc igitur solum in ipso est, nihilque aliud est, dicitur. Venit igitur in mundum, quia secundum
d in ipso factum est. Hoc autem *vita erat*. Quam- carnem, quam assumpsit, mundo visibilis apparuit.
hoc Judæi non credebant. Christi namque huma- Et hoc est quod dicitur : *In mundo erat, et mundus*
s omnium in se credentium et salus et vita est, *per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.*
le ipse ait : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* Quid est enim, *in mundo erat*, nisi quia visibilis inter
, 6). » Itemque : « Ego sum resurrectio et vita. homines in hoc mundo conversabatur? Mundus au-
vita erat lux hominum (*Joan.* xi, 25). » Si enim tem secundum quosdam eum cognovit, et secundum
isti humanitas vita erat, *et vita erat lux hominum;* quosdam eum non cognovit. Mundi enim amatores
» et Christi humanitas erat lux hominum. Sed Christum sequi et cognoscere noluerunt, qui quoniam
lux? Quia lucebat, quia docebat, quia prædica- solam hujus mundi voluptatem et gloriam diligunt,
, quia populum, qui sedebat in tenebris illumina- non immerito *mundus* vocantur. Unde et discipulis
Unde Propheta : « Populus, inquit, qui sedebat suis Dominus ait : « Quia de hoc mundo non estis,
tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mun-
ione umbræ mortis lux orta est eis (*Isa.* ix, 2). » dus. In propria venit, et sui eum non receperunt
ic ipse quoque Dominus ait : « Ego sum lux B (*Joan.* xv, 19). » Cum enim omnia sua sint, ejus
ndi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed tamen propria, Judæi dicebantur. Et isti quidem
ebit lumen vitæ (*Joan.* viii, 12). » De qua et sub- eum non receperunt, sed eum spernentes, dixerunt :
ir : *Et lux in tenebris lucet.* Lux enim in tenebris « Nolumus hunc regnare super nos. Quotquot autem
ebat, quando inter peccatores Christus Dominus receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri,
edicabat. Hanc autem lucem *tenebræ non com- his qui credunt in nomine ejus (*Luc.* xix, 14). »
henderunt, quia* « peccatum non fecit, nec dolus Quid enim majus illis dari potuit, quam ut essent
entus est in ore ejus (*I Petr.* ii, 22). » Ipse enim filii Dei? « Si enim filii, ait Apostolus, et hæredes, hæ-
is inter peccatores sine peccato vivere potuit. redes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.*
e sola lux nullis tenebris est offuscata, nulla cali- viii, 17). » Si vero cohæredes sunt, eamdem habent
e denigrata, nullis vitiis maculata. Alii (1075) beatitudinem et possessionem. *Qui non ex sanguini-*
em hunc locum ita distinguunt, ut prius dicant, *bus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate*
d factum est, deinde subinferant, *in ipso vita erat.* *viri, sed ex Deo nati sunt.* Quantum enim ad hanc
l videant quomodo his sequentia continuentur. secundam nativitatem, qua filii Dei homines fiunt,
nia enim quæ temporaliter fiunt vel facta sunt, C non secundum viri voluntatem, neque ex voluntate
isquam fierent, in ipso erant, in ipso et vivebant, carnis et sanguinis, sed secundum voluntatem Dei,
vigebant. Vivunt enim omnia quæ in Dei dispo- ex aqua et Spiritu sancto regenerantur et renascun-
one sunt, quia sicut disposita sunt, non evenire tur homines. Quantum vero ad primam nativitatem,
i possunt. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen* uno et simili modo **213** et boni et mali homines
t Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimo- nascuntur. *Et Verbum caro factum est, et habitavit in*
m perhiberet de lumine, ut omnes crederent per *nobis.* Factum est utique Verbum caro; non quod
m. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhi- Verbum mutaretur in carnem, sed quia carnem sus-
et de lumine. Omnes enim, sicut Lucas ait, existi- cipiendo, ex divinitate et humanitate una persona
bant de Joanne, « ne forte esset Christus (*Luc.* facta est (1076). *Et habitavit in nobis*, sicut Jeremias
15). » Erat enim *lucerna lucens et ardens.* Sed ait : « Hic Deus noster, et non æstimabitur alius ad
s *erat ipse lux*, quia ad hoc solummodo venerat, eum qui adinvenit omnem viam scientiæ, et dedit
testimonium perhiberet de lumine. Erat autem *lux* eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc
a, lux æterna et indeficiens, *quæ illuminat omnem* in terris visus est, et cum hominibus conversatus
minem venientem in hunc mundum. Omnis enim est (*Baruch* iii, 37). » *Et vidimus gloriam ejus, glo-*
mo in hunc mundum veniens hac sola luce inte- D *riam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et verita-*
is et exterius illuminatur. Hæc oculis visum, et *tis.* Hanc enim Christi gloriam illi viderunt, qui si-
rdi tribuit intellectum. Qui hac luce non illumina- mul cum eo erant, quando in monte transfiguratus
r, cæcus est, et in tenebris manet. Venit autem est, quando resplenduit facies ejus sicut sol, vesti-
mo in hunc mundum, quando nascitur, quia tunc menta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Quando
imum in hoc mundo apparet. Unde et de seipso et vox Patris audita est : « Hic est Filius meus di-
minus ait : « Exivi a Patre, et veni in mundum, lectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* xvii, 5). »
rum relinquo mundum, et vado ad Patrem (*Joan.* Erat autem plenus gratiæ et veritatis, secundum hoc
i, 28), » Deus enim, qui ubique est, quando se quod Psalmista ait : « Speciosus forma præ filiis

(1075) S. Ambrosius in ps. xxxvi, n. 35 : «Alexan- nihil habet quod teneat Arianus; quia non illius
ini quidem et Ægyptii legunt : *Omnia per ipsum* venena considero, sed lectionis sacræ consuetudinem
cta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum recognosco, etc. » Vid. eumd. lib. iii De fid., c. 3.
t, et interposita distinctione subjiciunt : *In ipso* (1076) S. Fulgentius, lib. i ad Thras., c. 18 :
la erat. Salva sit fidelibus illa distinctio; ego non « Verbum utique caro factum est, in eo quod est
reor legere : *Quod factum est in ipso vita erat;* et una in Christo Dei hominisque persona. »

Digitized by Google

hominum, diffusa est gratia in labiis tuis (*Psal.* xliv, 3). » Et : « Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam deducet te mirabiliter dextera tua (*ibid.*, 5). »

II. *Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens : Hic erat quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.* Venit enim Dominus post Joannem, quia et post eum natus est, et post eum prædicare cœpit. Sed ante eum factus est, quia prior erat (1077). Decet enim multumque convenit ut semper priores anteponantur, et suis minoribus præferantur. Huic enim simile est, cum de aliquo dicimus, hic mihi olim par erat, sed modo ante me factus est, modo me præcedit, modo mihi prælatus est. *Et de plenitudine ejus nos omnes accipimus gratiam pro gratia.* Vidimus, inquit, eum plenum gratiæ et veritatis, de cujus plenitudine nos omnes accepimus gratiam salutis et reconciliationis pro gratia fidei, qua in eum credimus. Hanc autem gratiam Moyses nobis dare non potuit, *quia lex tantum per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Per Christum namque cœlum aperitur, legis et prophetarum fides et veritas intelligitur, et mundus Deo reconciliatur. Eramus « enim, ut scriptum est, sicut oves errantes, » sed, cognita veritate, « conversi sumus nunc ad pastorem et episcopum animarum nostrarum (*I Petr.* II, 25). » *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit.* Nam quia dixerat : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*, ne quis hoc de divinitate intelligeret, quæ utique invisibilis est, ideo ait : *Deum nemo vidit unquam.* Hoc autem probat ab auctoritate Filii Dei, dum dicit : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit.* Tunc enim hoc narravit, cum dixit : « Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Matth.* xi, 27). » Quod, quid significet, in Matthæo expositum est.

III. *Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum : Tu quis es? Et confessus est, et non negavit, et confessus est, quia non sum ego Christus.* Omnes enim existimabant Joannem esse Christum, quoniam in vita et moribus, in habitu et sancta conversatione aliis omnibus dissimilis erat. Ipse tamen gloriam mundi fugiens, et Christum se non esse respondens, in tantum se humiliavit, ut indignum se esse diceret, qui Christi calc
vere debuisset. *Et interrogaverunt eum*
Elias es tu? Et dixit : Non sum. Interro
nus de Elia, respondit : « Elias quidem
et restituet omnia, et si vultis scire,
est Elias (*Matth.* xvii, 11). » Quid est ig
Joannes Eliam esse negat, quem Dominu
esse affirmat? Dicit Joannes : *Non sum*
Jesus : *Joannes ipse est Elias.* Nec iste q
tiri potest, quia veritas est : nec ille, qu
veritatis. Verum ergo dicit uterque. A
persona, alter de spiritu loquitur. Joan
spiritu Elias erat; sed in persona Elias no
De quo Angelus ad Zachariam : « Ipse,
ibit ante eum in spiritu et virtute Eliæ (
At illi : *Propheta es tu? Et respondit : N*
simpliciter propheta, sed plus quam p
Joannes. **214** Unde et Dominus ait : «
videre? Prophetam? Dico vobis, et plu
phetam (*Matth.* xi, 9). » Plus enim qu
fuit Joannes, quia non solum ventura nu
utique prophetarum est, verum etiam
stravit, quod prophetarum non est. *D*
ei : Quis es, ut responsum demus his
nos? Quid dicis de teipso? Ait : Ego vo
deserto : dirigite viam Domini, sicut dix
pheta. Vox Joannes, Verbum Christus.
Joannes (1079) præcedit Christum, ita
cedit verbum. Statim enim, ut ex ore
nus qualiscunque procedit, vox est; ve
nondum est, quia omne verbum signi
Præcedit igitur vox; sequitur verbum.
vox Joannes, et verbum Christus vocat
et nascendo, et prædicando, et morie
sui nominis significatione Christum pr
autem vox in deserto clamabat, quia
impios ad fidem vocabat, qui non hom
sed bestias crudelitate imitabantur. De
non hominum, sed ferarum habitatio e
dicebat? *Dirigite viam Domini, sicut dic*
pheta. Dirigite, inquit, *viam Domini*, ut
venire, et in vobis habitare dignetur,
viam rectam incedere nescit. Fides e
charitas, pietas et justitia, et misericord
per quas ad nos Dominus venit, si eas h
ad Deum dirigamus. Istæ viæ illis direc
qui non ex veritate, sed simulatorie p
dunt. *Et qui missi fuerant, erant ex*

(1077) S. Ambros., lib. II in Luc. : « Qui post me venit, ante me factus est, quia vox præcedit inferior. Verbum sequitur quod præcellit. » Beda ad h. l. : « Quod ait : *Ante me*, non ad ordinem temporis, sed ad distantiam pertinet dignitatis. »

(1078) S. Greg., eodem plane modo, hom. 7 in Ev., n. 2 : « Quid est hoc, quia quod Veritas affirmat, hoc propheta veritatis negat? Valde namque inter se diversa sunt. *Ipse est*, et, non sum. Quomodo ergo propheta veritatis est, si ejusdem veritatis sermonibus congrua non est? Sed si subtiliter veritas ipsa requiratur, hoc quod inter se contrarium sonuit, quomodo contrarium non sit, invenitur. Ad Zachariam namque de Joanne angelus *præcedet ante illum in spiritu et virtute E*
circo venturus in spiritu et virtute Eliæ
sicuti Elias secundum Domini adventum
ita Joannes prævenit primum... Joann
spiritu Elias erat, in persona Elias non
ergo Dominus fatetur de spiritu, hoc Jo
gat de persona. »

(1079) Id. S. Gregor., l. all. : « Ex
locutione cognoscitis, quia prius vox so
bum postmodum possit audiri. Joannes
se esse asserit, qui Verbum præcedit,
habet hom. 20.

Digitized by Google

arisæi namque præ cæteris justiores esse arbitra- A situm est. *Et ego nesciebam eum.* Quid est nesciebam
itur. Quibus Dominus ait : « Publicani et mere- eum, nisi vultu adhuc et facie illum ignorabam, utpote
es præcedent vos in regnum Dei (*Matth.* XXI, 31), » quem nondum corporaliter videram? *Sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.*
os et Joannes viperarum genimina vocavit dicens : Ideo, inquit, solitudinem et desertum reliqui, et ad
« serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis **215** planitiem descendens, baptizare cœpi, ut populo
icia gehennæ? » (*Matth.* XXIII, 33.) *Et interrogave- Israelitico undique ad me confluenti eum manifestarem. Et testimonium perhibuit Joannes dicens : Quia vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cœlo, et mansit super eum, et ego nesciebam eum ; sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Descendit enim Spiritus sanctus super Salvatorem nostrum in columbæ specie, quatenus mitem et simplicem, sine
ut eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si non es Christus, neque Elias, neque propheta ? Rendit eis Joannes dicens : Ego baptizo in aqua ; medius autem vestrum stetit, quem vos non scitis.* In
ua enim et non in spiritu baptizabat Joannes, quia
i peccata solvebat, sed corpora tantum lavabat, Christi baptismum baptizando significabat (1080).
us igitur baptismus umbra quædam erat et signitio melioris baptismi. *Ego*, inquit, *vos in aqua* B felle, omnique amaritudine eum ostendit. Manet
tizo; medius autem vestrum stetit, et vidistis, et autem super eum, quia non ad horam, vel temporaliter in eo est, sed semper et essentialiter in eo
listis eum, inter vos conversatur, et vobiscum manet (1083). Quamvis enim desuper veniebat, in eo
bitat, *quem vos non scitis. Ipse est qui post me* tamen semper erat. Sed nisi illo modo venisset,
turus est, qui ante me factus est. Post eum nam- Joannes eum non vidisset. Hoc enim divinitus ei
e et nascendo, et prædicando, et baptizando, et dictum fuerat : *Super quem videris Spiritum descen-*
riendo venit Christus. Factus est autem ante eum, *dentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat*
a quasi Dominum eum sequitur beatus Joannes, *in Spiritu sancto.* Baptizabat enim Dominus in Spi-
post eum vadit (1081). Ante enim hoc in loco non ritu sancto, id est in virtute Spiritus sancti, quæ
nporis, sed ordinis habet significationem. *Cujus* totius Trinitatis communis est ; idemque est, bapti-
non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calcea- zare in Spiritu sancto, quod est, baptizare in nomine
nti. Christi namque corrigiam calceamenti sol- et virtute Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Tres
e, est ejus humanitatis et mortalitatis mysterium enim personæ sunt, quarum una est Spiritus sanctus,
dicare. Calceamentum enim, quia ex mortuorum in qua sola nemo baptizatur. Unde et Dominus di-
libus fit, carnis morticinum significat (1082). Alia C scipulis ait : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes
m nostra indumenta ex alia, et alia materia fiunt. eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti
ceamenta vero non nisi carnea sunt. Unde et me- (*Matth.* XXVIII, 19). » Joannes autem quia non baptizabat in Spiritu sancto, ideo quos ipse baptizavit,
» pro carne ponitur. Vide ergo quantum se humi- iterum rebaptizati sunt. Si enim baptizasset in Spi-
erit præcursor Domini, qui priusquam eum lau- ritu sancto, ejus baptismus jam non figura, sed
e cœperat, quasi qui ejus laudes prædicare ido- veritas esset. Sequitur : *Ego vidi, et testimonium*
s non esset, statim se indignum esse dixit, qui *perhibui, quia hic est Filius Dei.* Statim autem bap-
i soluru ejus divinitatis, sed etiam ipsius humatis mysterium nuntiaret. *Hæc in Bethania facta* tizatus Jesus, sicut alii evangelistæ scribunt (*Matth.* IV, 1 ; *Marc.* I, 12 ; *Luc.* II, 1), ivit in desertum, et
t trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. jejunavit quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. Deinde vero, jam illius anni fine propinquante,
V. *Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se,* cum nondum palam, et in synagogis prædicasset,
it : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. paucos etiam secum discipulos haberet, quos familiariter docebat, venit iterum ubi erat Joannes.
ius enim dicitur Christus propter innocentiam et D Unde et subditur : *Altera die iterum stabat Joannes,*
plicitatem, quia sicut agnus ad victimam ductus *et ex discipulis ejus duo, et respiciens Jesum ambu-*
, et non aperuit os suum (*Isa.* LIII, 7) ; et ipse *lantem, dixit : Ecce Agnus Dei.* Altera enim hoc in
dem tulit peccata mundi : non autem illius de quo
ra dicitur : *Et mundus eum non cognovit ;* sed
is qui ejus fidem et doctrinam secutus est. *Hic*
de quo dixi : Post me venit vir, qui ante me factus
, quia prior me erat. Hoc autem jam superius expo-

1080) S. Gregor., hom. 8 : « Joannes non spiritu, l aqua baptizat, quia peccata solvere non valens, ptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen ntem per veniam non lavat . . . ut . . . qui præando factus est præcursor Christi, baptizando am præcursor ejus fieret imitatione sacramenti. »
1081) Beda ad h. l. : « Sic namque dicitur ante factus est, ac si dicatur, ante positus. Post me go venit, quia postmodum natus : ante autem fais est, quia mihi prælatus. »
1082) S. Gregorius, l. all., n. 3 : « Quis enim sciat quod calceamenta ex mortuis animalibus ut? Incarnatus vero Dominus veniens, quasi calceatus apparuit, quia in divinitate sua morticina nostræ corruptionis assumpsit. » Eadem verba habet Beda ad h. l.
1083) S. Basil. l. v, contr. Eunom. : « Spiritus mansit super ipsum, ut cum mansionem audis, naturæ ipsius libertatem agnoscas. » Hieron. in cap. XXXV Ezechiel : *Qui misit me baptizare, ipse dixit*, etc. : « Nunquam enim proprium esset in Christo quod additur, *et manentem in eo*, nisi ab aliis nonnunquam recederet, » etc. S. Gregor., lib. II Mor., cap. 42 : « Recte cum in sanctis prædicatoribus maneat, in Mediatore singulariter manere perhibetur ; quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo

Digitized by Google

loco non ad hesternam spectat, sed pro alia ponitur (1084). Non enim proprie illa dies *altera* dicitur, quæ post tam multos dies subsequitur. Et de his quidem in Luca sufficienter diximus. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum.* Crediderunt enim magistro loquenti, et Christo Domino testimonium perhibenti, et secuti sunt Jesum, gaudentes se tandem illum invenisse, de quo toties Joannem loquentem audierant. Et relinquentes Joannem, secuti sunt eum, quem ipsius Joannis testimonio cognoverunt esse et magistrum ipsius quoque Joannis. *Conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, ubi habitas?* Quid autem significet *Rabbi*, evangelista exposuit, dicens: *Quod dicitur interpretatum Magister.* Quod enim Dominus ad eos convertitur, quod eos respicit, et cum eis loquitur, clementiæ et bonæ voluntatis indicium est. Sciebat enim, quales erant, et quales postea futuri erant, et quo effectu eum sequebantur. Omnes enim diligit Jesus, qui eum sequuntur. Neminem ad se venientem repellit. Unde et istis interrogantibus, *Ubi habitas?* Respondit: *Venite, et videte.* Non dixit, in illo, vel illo loco, quod si dixisset, potius locum ostendere quam eos invitare videretur. *Venerunt, et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illa*, cunctis diebus mansuri cum illo. *Hora autem erat quasi decima. Erat autem Andræas, frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant ab Joanne, et secuti fuerant eum. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei: Invenimus Messiam.* Quid sit autem messias, ait evangelista, *quod est interpretatum Christus.* Exspectabant enim Judæi messiam, et adhuc quidem exspectant, sed frustra. Unde et Dominus ait: « Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, et illum recipietis (*Joan.* v, 43). » *Et adduxit illum ad Jesum.* Boni fratres, qui sic desiderant videre Jesum. *Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas.* Et hoc evangelista exponit, dicens: *Quod interpretatur Petrus.* Tu es, inquit, Simon, quod *obediens* dicitur (1085), quem genuit Jonas, id est *Grandis* (1086). Tu vocaberis Cephas id est Petrus, a petra denominatus, a **216** Christo corroboratus, quod tamen *agnoscens* interpretatur. Ipse enim præ cæteris Dominum agnoscens ait: Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* xvi, 16). » Cui Dominus ait: « Et ego dico tibi, quia tu es Petrus (*ib.*, 18), »

A bene respondens, et bene agnocens. No
intelligendum, ut Petrum, et Andræam tu
Dominus elegisset, quos, sicut alii evang
bunt (*Matth.* iv, 18; *Marc.* i, 16; *Lu*
piscatione Christus vocavit (1087). Unde
tur, quia manserunt apud illum die illo
enim eos elegit, non uno die, sed omn
cum eo manserunt. *In crastinum voluit*
lilæam, et invenit Philippum, et dicit ei
quere me. Erat autem Philippus a Beths
Andrææ, et Petri. Secundum enim hæc
Joannis, primus apostolorum Philippus
vocatus. Et merito quidem primus voca
os lampadis interpretatur; qnatenus et
B teri post ipsum intelligant, ad quale offi
tur (1088). Tale enim os tunc omnes
quando in linguis igneis Spiritus sanctu
descendit. Legimus autem quando Pet
dræas, Jacobus, et Joannes, et Matthæ
lista vocati sunt. De cæteris autem no
Habebat tamen jam tunc aliquando disci
cum quibus, ut in sequentibus legitur,
vocatus est. Sed qui illi fuerint, nescim
Philippus Nathanael, et dixit ei: Quem sc
in lege, et prophetæ, invenimus, Jesum fi
a Nazareth. Rudis adhuc erat Philippus
volebat, nec sciebat. Dicit se invenisse
quo et Moyses scripsit, et cæteri proph
quidem dicit. *Et dicit ei Nathanael:*
C *potest aliquid boni esse?* Ac si dicat: Bo
aliquid potest esse a Nazareth; sed Chr
nasciturus est in Bethlehem. *Dicit ei*
Veni, et vide. Veni, inquit, et vide. Lo
eo, audi verba ipsius, ut quis, et qualis
gere valeas. Credidit enim Nathanael, et
eum. *Vidit Jesus Nathanael venientem a*
de eo: Ecce vere Israelita, in quo dol
Magnus vir iste Nathanael, cui ipse Do
perhibet testimonium. Magnus utique ille
dolus nullus est. Sed cur Israelita vocatu
jam Deum videre, et in eum credere incipi
Israelita namque, *vir videns Deum* interpr
dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respo
et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret
D *sub ficu, vidi te.* Hoc enim quam vis a
intelligatur, ut revera sed ficu esset
quando eum Philippus vocavit, potes tam
sensu intelligi (1090). Primi namque paret

autem per substantiam manet ad cuncta. » Vide etiam Bedam ad h. l.

(1084) Vid. S. Aug., de Cons. Evang. lib. II, cap. 17, 18.

(1085) Ita et Beda ad cap. IV Matth. Aliter tamen interpretatur ad cap. X Matth.

(1086) Aliter S. Hieron. ad cap. XVI Matth. de Petro: « Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu sancto habeat, cujus et filius appellandus sit. Siquidem Barjona in nostra lingua sonat *filius columbæ*. Alii simpliciter accipiunt quod Simon, id est Petrus, sit filius Joannis... et volunt Scriptorum vitio depravatum, ut pro *Bar Joanna*, h. e. filius Joannis, *Barjona* scriptum sit,

una detracta syllaba. Joanna autem in
Domini gratia. » Priora verba ferme exsc
ad cap. XVI Matth., et A. noster ad Matth

(1087) De duplici vocatione horum ap
Chrysost. hom. 14 in Matth., et inter pret

(1088) Beda ad cap. X Matth.: « Philipp
padis interpretatur; et recte, quia a Domin
mox invento Nathanaeli lumen quod ignor
dicavit. »

(1089) Beda: « Ille hunc verum Israelita
virum qui Deum videre posset, eo quod d
nime haberet, astruxit. »

(1090) Beda ad h. l. « Quia primi paren
reatu prævaricationis confusi de fici sibi f

Digitized by Google

stquam peccaverunt, cognoscentes se esse nu- A novit, miracula autem facere non novit ? Quod enim
s, consuerunt folia ficus, et facientes sibi peri- in vinum aqua convertitur, non humanitatis, sed
nata (*Gen.* III, 7), illas corporis partes operue- divinitatis est (1093). *Nondum venit hora mea.* Non-
at, in quibus generatio fit, et ex quibus totum dum venit hora passionis meæ, in qua quid mihi
nus humanum exivit : ibique simul cum aliis erat et tibi commune sit omnibus innotescat. Tunc enim
thanael. Et hoc est fortasse, quod ait : *Cum esses* carnem, quam de te suscepi, non virtutes et mira-
b ficu, id est, sub foliis ficus, vidi te. Vidit enim cula facere, sed in cruce pendere, et mori videbis.
minus Nathanael etiam tunc, qui omnia cogno- Et tunc quidem faciam vinum novum, tunc faciam
t, et videt, antequam fiant. *Respondit ei Natha-* omnia nova, tunc litteræ vetustate relicta, ad no-
el, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. vam et spiritualem intelligentiam omnia conver-
ide enim tam cito Nathanael eum cognoscere po- tam. Hoc enim ipse significans ait : « Non bibam
it, nisi quia Spiritus sanctus, qui *ubi vult spirat* amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum,
oan. III, 8), ejus mentem illuminavit? *Respondit* cum illud bibam vobiscum novum in regno Dei
sus, et dixit : Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis : (*Matth.* XXVI, 29). » *Dicit mater ejus ministris : Quod-*
ijus his videbis. Quia, inquit, sub uno prophetiæ *cunque dixerit vobis, facite.* Inter se loquebantur
rbo divinitus illuminatus credidisti, multo majora B mater et filius. Ipsi se intelligebant. Ipsi sua se-
debis ad tuæ fidei corroborationem. *Et dicit eis Je-* creta noverant. Ipsi quid tunc fieri oportebat, et
s : Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum aper- quid postea futurum erat, sciebant (1094). Cæteri
m, et angelos Dei ascendentes et descendentes supra autem quid ipsi dicerent ignorabant. *Erant autem*
ilium hominis. Hæc autem manifesta sunt, si ad *ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificatio-*
um diem referantur, quo in suæ majestatis sede *nem Judæorum, capientes singulæ metretas binas,*
judicandum Dominus veniet, et omnes angeli cum *vel ternas.* Sex namque hydriæ, sex mundi ætates
. Tunc enim cœlum apertum, et angelos ascendentes, sunt : prima ab Adam usque ad Noe; secunda a
descendentes sancti videbunt. Tunc et Nathanael, Noe usque ad Abraham; tertia ab Abraham usque
i tam facile credidit, majora videbit : quando in ad David; quarta a David usque ad transmigrationem
a majestate Christus Dominus apparebit. Babylonis; quinta a transmigratione Babylonis
V. [CAP. II.] *Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana* usque ad Christum; sexta usque ad finem sæ-
alilææ, et erat mater Jesu ibi. Prima dies ante legem: culi (1095). *Dicit eis Jesus : Implete hydrias aqua.*
cunda sub lege : tertia sub gratia. Hac autem ter- *Et impleverunt eas usque ad summum.* Quid enim
a die, hoc tertio Incarnationis tempore (1091), ad C per hos ministros, qui, jubente Domino, implent
17 nuptias Dominus venire dignatus est, ut eo- hydrias aqua, nisi apostolos et doctores intelliga-
m errores destrueret, qui nuptias contradi- mus? Quoties enim narramus et prædicamus quid in
nt (1092). Non enim abjicit Jesus conjugatos, etsi unaquaque ætate factum sit, toties has hydrias
gines et continentes meliores sint. *Et deficiente* aqua implemus. Multis enim in locis divina Scri-
o, dicit mater Jesu ad eum : Vinum non habent. ptura aqua vocatur. In prima namque ætate « cœ-
ena enim Spiritu sancto Virgo Maria jam tunc lum, terram, maria, et omnia, quæ in eis sunt,
id miraculum prævidebat, quod Filius ejus fa- creavit Deus (*Psal.* CXLV, 6), » et tunc fecit « ho-
rus erat. Quod ergo facere Jesus cogitabat, hoc minem ad imaginem, et similitudinem suam (*Gen.*
a ut faceret admonebat. *Et dicit ei Jesus : Quid* I, 27). » Dixitque : « Non est bonum esse hominem
hi et tibi est, mulier? Quid mihi et tibi, inquit, solum : faciamus ei adjutorium simile sibi (*ibid.*, II,
mmune est, nisi hæc caro mortalis, et humanitas 18). » — « Immisit igitur soporem in Adam, et tulit
a quam fero quæ famem pati, sitire et mori unam de costis ejus (*ibid.*, 21), » ex qua mulier fa-

nctoria fecerunt, potest hæc arbor fici non incon- bat, statim ei responsum est : *Quid mihi et tibi est,*
ue male dulcorata generi humano consuetudinem *mulier?* ac si aperte diceret : Unde facere miracu-
ccandi signare, sub qua positos adhuc electos suos, D lum possum, hoc mihi ex Patre, non ex matre est.
d necdum electionis suæ gratiam cognoscentes, Ex matre enim mori poterat, qui ex natura Patris
asi sub ficu constitutum, nec se jam videntem miracula faciebat. Unde et in cruce positus eamdem
minus vidit Nathanael. Novit enim Dominus qui matrem moriens recognovit, quam discipulo com-
nt ejus. » mendavit, dicens : *Ecce mater tua.* Ait ergo : *Quid*
(1091) Beda ad h. l. : « Nec vacat mysterio quod *mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.*
e tertio, post ea quæ superior Evangelii sermo de- Quod est : In miraculo quod ex tua natura non
ripserat, nuptiæ factæ referentur, sed tertio tem- habeo, te minime recognosco. Cum hora mortis
re sæculi Dominum ad adoptandam sibi Ecclesiam venerit, cognosco te matrem; quia unde mori pos-
nisse designat. Primum quippe sæculi tempus ad sum, hoc ex te habeo. » Ex Gregorio, ut opinor,
gem, patriarcharum exemplis : secundum sub lege Beda ad h. l. Ex Beda A.
ophetarum scriptis : tertium sub gratia præconiis (1094) Vid. S. Bernard. serm. 1 et 2 Dom. post
angelistarum, » etc. Octav. Epiph.
(1092) In eamdem sententiam PP. multi, ut S. (1095) Beda : « Vasa sex, quibus tenebatur (aqua),
eronymus, hom. 1 in ps. L, et hom. 42 in Act. corda sunt devota sanctorum, quorum perfectio
rillus, lib. II in Joan. cap. XXII, etc. vitæ et fidei ad exemplum recte credendi et vi-
(1093) Ita ferme explicat hunc locum S. Grego- vendi proposita est generi humano per sex sæculi
ius lib. X, epist. 39 ad Eulog. : « Quia Mater Virgo, labentes ætates, id est usque ad tempus Dominicæ
im vinum defuit, per eum miraculum fieri vole- prædicationis. »

Digitized by Google

cta est. Hoc autem dicentes implemus primam hydriam aqua. Totum enim hoc ad litteram intellectum, quid aliud est, nisi aqua? Hæc autem aqua in vinum convertitur, si spiritualiter intelligatur. Ut per Adam, quia ad imaginem Dei factus est, eum intelligamus, de quo Apostolatus ait : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (*Phil.* II, 6). » At vero per Evam omnium viventium matrem, sanctam Ecclesiam intelligamus. Sicut enim de latere Adam dormientis, una costa subtracta facta est Eva : ita et de latere Christi in cruce morientis sanguine effuso facta est Ecclesia (1096). Unde nobis Apostolus ait : « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (1097). » Veniamus modo ad secundam hydriam, non ut eam impleamus, sed ut aliquantula aqua eam infundamus. In secunda namque ætate de lignis lævigatis facta est arca, in qua omnium animalium genera collecta sunt, ut salvaretur semen universæ carnis in ea, et non periret. Hæc est igitur aqua, quæ in vinum quidem convertitur, si spiritualiter intelligatur. Arca enim, quæ de lignis lævigatis facta est, sanctam Ecclesiam significat (1098), quæ ex sanctis et perfectis hominibus fabricata, non habet maculam, **218** neque rugam. In quo omnia hominum genera sunt collecta, ut illud semen salvetur, et non pereat, cui benedixit Dominus. De quo propheta : « Nisi, inquit, Dominus Deus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus (*Isa.* I, 9). » Nemo enim salvabitur, quicunque extra hanc arcam inventus fuerit. Dicamus modo et de tertia hydria, quæ utique tanta est, ut ejus aqua cunctis viventibus, et bibere volentibus abunde sufficere possit. In hac enim ætate Abraham, Isaac, et Jacob, et duodecim patriarchæ fuerunt. In hac fuit Moyses et Aaron, qui populum Dei de Ægypto liberantes, et per mare Rubrum ducentes, legem suscipere meruerunt. Propter quos Dominus flagellavit Ægyptios, et Pharaonem cum omni suo exercitu in profundum maris demersit. Sed hujus quoque hydriæ aqua in vinum convertitur, si spiritualiter intelligatur. Ut in Moyse Christum, in Aaron episcoporum et sacerdotum ordinem significemus. Isti enim populum Dei per baptismatis undas ducentes, et Pharaonem, id est diabolum, cum omni vitiorum exercitu interficientes, sanctos Dei in terram viventium et in promissam eis hæreditatem introducunt (1099). Nunc autem ad quartam

A hydriam veniamus, in qua David, omnium prophetarum libri usque continentur. In qua et Isaias clama tientes venite ad aquas, et qui non h properate, emite, et comedite (*Is.* hanc autem implendam et exponen sed multi dies necessarii sunt. Qua num Judæis conversa fuisset, hodie cum Christiani essent. In hac enim tas, passio, resurrectio, et ascensio tinetur. Cujus aqua quomodo in v sit, qui prophetarum expositiones Transeamus et ad quintam hydriam, propter peccata sua ductus in capt dicens : « Super flumina Babylonis i

B flevimus, dum recordaremur tui, Sio in medio ejus suspendimus organa cxxxvi, 1, 2). » Qui tamen per p Deum conversi, sub Jesu Sacerdot postea in patriam remearunt. Et hæc spiritualiter intelligat, sentiet in vin versam. Illa enim captivitas hanc in mundo patimur, captivitatem signi dum populos peccantes, et semper inferiora labentes (*aquæ* enim *multæ* sancti Dei conspiciunt, flent et de pernæ beatitudinis recordantes. Et vel nulli sunt, qui eorum monitis lint, sanctæ prædicationis organa su licibus, id est, quasi quibusdam vin

C mis, memoriæ commendant, dicent sta : « In corde meo abscondi eloqu peccem tibi (*Psal.* cxviii, 11). » quia ea quæ intelligit firmiter ligat et merito salix vocatur. Silent enim pra toties, et a prædicatione cessant, du parvipendi, et se ipsos contemptui ciunt. Sed sicut tunc, ita et modo p et satisfactionem, duce Jesu Sacerd tunc per illum Jesum significabatur tores in patriam revertuntur. Resta sexta hydria dicamus, quæ aliis om est, de qua etiam omnes aliæ sapor In hac enim quatuor Evangeliorum

D apostolorum dicta continentur. Hanc per se ipsum implevit. Hanc suis d ut omnes gentes ex ea satiarent, di in universum mundum, prædicate Ev creaturæ (*Marc.* XVI, 15). » Hujus ac

(1096) S. Augustin., lib. XXII De civ. Dei c. 17 : « Ut enim in exordio generis humani de latere viri dormientis costa detracta, femina fieret, Christum et Ecclesiam tali facto jam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri, mors erat Christi, cujus exanimis in cruce pendentis latus lancea perforatum est, atque inde sanguis et aqua profluit : quæ sacramenta esse novimus, quibus ædificatur Ecclesia. » Vid. eumd. l. XIX de Genes. ad litt. c. 19, et tract 9 in Joan.; S. Bernardum, serm. 2 De Septuag., etc.

(1097) Id est Joan. Apoc. cap. V.

(1098) Ita S. August. lib. XV De Gregorius, hom. 16 in Ezech., etc.

(1099) Transitum per mare Rubr transitum ad vitam et gloriam per b cet Tertullianus De bapt., c. 9; Cy ad Magn.; Ambrosius, lib. II De sac confirmat Origenes, hom. 5 in Ex., Apostoli illud I Cor. X : Scimus qui *omnes sub nube fuerunt, et omnes m et omnes in Moyse baptizati sunt, mari*, etc.

Digitized by Google

jus vinum suavissimum est. Sed vis bibere de aqua
is? Audi ipsum Dominum : « Simile, inquit, factum
. regnum cœlorum homini qui seminavit bonum se-
en in agro suo. Cum autem dormirent homines,
nit inimicus ejus, et superseminavit zizania (*Matth.*
1, 24). » Quæ cum servi ejus colligere voluissent,
. : « Sinite utraque crescere usque ad messem, et
tempore messis dicam messoribus : Colligite prius
zania, et alligate ea in fesciculos ad comburen-
m : triticum autem reponite in horreum meum
id., 30). » Hæc est igitur hujus hydriæ aqua.
ıæ ut in vinum convertatur, dicamus cum apo-
olis : « Domine, edissere nobis parabolam istam.
ger, inquit Dominus, est mundus. Bonum vero
men, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt
quam. Inimicus autem, qui seminavit eam, est
abolus. Messis vero, consummatio sæculi. Messores
im angeli sunt. Sicut enim colliguntur zizania, et
ni comburuntur, sic erit in consummatione sæ-
uli. Exibunt angeli, et separabunt malos de
edio justorum, et mittent eos in caminum
nis; ibi erit fletus, et stridor dentium (*ibid.*,
-43). » Sic igitur in vinum aqua convertitur :
: in spiritualem intelligentiam littera muta-
r (1100). Dictum est autem quid sex hydriæ signi-
ent. **219** Quæ bene quidem secundum purifica-
nem Judæorum ibi positæ erant, quoniam quid-
uid in eis continetur, baptismus quidam est, et pu-
ficatio animarum. Capiebant autem singulæ me-
etas binas, vel ternas, per quod significatur, quia
i, proximique dilectionis, et fidei Trinitatis men-
ra omnibus sufficit ad bibendum, tenendum, et
edendum. Sequitur : Et dicit eis Jesus : *Haurite
nc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem
stavit architriclinus aquam vinum factam, et non
ebat unde esset; ministri autem sciebant, quia hau-
ant aquam; vocat sponsum architriclinus, et dicit
: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum
ebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem
vasti vinum bonum usque adhuc.* Quis est iste
chitriclinus, cui hoc novum et mirabile vinum
ius affertur ? Iste enim architriclinus intellectus
ihi esse videtur, a quo solum bonum vinum co-
oscitur et laudatur. Habet enim unusquisque ho-
o hunc architriclinum in palatio cordis sui. Ipse

A est princeps domus : ipse regit et disponit omnia. Huic autem Ecclesiæ ministri sanctarum Scripturarum vinum quotidie offerunt, quod ille bibens, quamvis nesciat unde sit, tamen admiratur et laudat. Quando enim hæc in ecclesiis recitantur, nulli alii dant saporem, nisi his qui ea intelligunt. Merito igitur hoc vinum architriclino ferre Dominus jussit, quatenus et nos majora intelligentibus demus vinum, non intelligentibus vero aquam afferamus. Qui enim bene intelligunt, et litteram venerantur, et spiritum. Unde et hic architriclinus dicit : Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc, et primum videlicet, et ultimum laudans. Qui vero minoris intelligentiæ sunt, aquam bibant, et Scripturarum planissima audiant. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana*
B *Galilææ, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.* In sanctarum enim Scripturarum spirituali expositione, quæ utique per hoc vinum significatur, Christi gloria manifestatur, et credentium fides augetur. *Post hæc descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus, et ibi manserunt non multis diebus.* Qualiter autem fratres ejus intelligi debent, in Matthæo exposuimus.

VI. *Et prope erat pascha Judæorum, et ascendit Hierosolymam Jesus, et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et nummularios sedentes, et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* Et hæc quidem in Matthæo exposita
C sunt. Quæ alii evangelistæ Dominum tunc fecisse narrant (*Matth.* XXI; *Marc.* XI, *Luc.* XIX), quando super pullum asinæ sedens Jerosolymam venit. Unde manifestum est, beatum Joannem historiæ ordinem non ubique tenere (1101). *Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis ? Respondit Jesus, et dixit eis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Hoc autem Judæi non intelligentes, et de templo lapideo, et manufacto eum loqui putantes, dixerunt: *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud ? ille autem*, inquit evangelista, *dicebat de templo corporis sui*, quod Judæi per crucis tormentum illis diebus erant soluturi. Non majus tamen miraculum erat templum
D illud in tribus diebus reædificare, quam se ipsum

(1100) Æmulari, credo, voluit A. noster in hac ystica hydriarum sex explicatione Bedam, qui se hoc loco suam proponit, eaque vix a Brunonis plicatione discrepat. Allegorice primam hydriam terpretatur de Abelis morte, et homicidio Caini, ferens hæc ad J. C. mortem et Hebræorum Deidium; pro secunda hydria secunda ætate affert luvium, ut ferme A.; pro tertia Sacrificium Isaac; o quarta subrogationem Davidis in locum Saulis; o quinta captivitatem, ut A.; pro sexta J. C. circumcisionem, quæ baptismum et resurrectionem gnificaverit. Viam patefecit præivitque in mysticis ijusce facti explicationibus excogitandis S. Gregorius scribens homil. 6 in Ezech., n. 7 : « Quem on parvulorum ipsa evangelica historia in miraculi peratione reficiat, quod hydrias vacuas Dominus qua impleri præcepit, eamdemque aquam protinus in vinum vertit? Sed cum hæc vigilantiores ingenio audiunt, et sacram historiam credendo venerantur. et quid interius innuat, requirunt. Qui enim mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias valuit vino statim replere. Sed impleri hydrias aqua jubet, quia prius per sacræ lectionis historiam corda nostra replenda sunt. Et aquam nobis in vinum vertit, quando ipsa historia, per allegoriæ mysterium, in spiritalem nobis intelligentiam commutatur. »

(1101) S. Augustin. De consens. Ev. l. II, c. 67, vult J. C. his vendentes ejecisse de templo; primo nunc quando id S. Joannes narrat; eratque primus prædicationis annus; deinde sub passionis tempus, quando a reliquis evangelistis describitur. Ita S. Joan. Chrysost. hom. 22 in Joan.

Digitized by Google

post mortem die tertia resuscitare. Qui enim una die, ut Moyses scribit, cœlum et terram creavit (*Gen.* I, 1), facile ei erat unam domum in tribus diebus reædificare. *Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat.* In quo apparet ipsos quoque Christi discipulos hoc verbum non intellexisse. *Et crediderunt Scripturæ, et sermoni quem dixit Jesus.* Crediderunt, inquit, Scripturæ prophetarum de Christi resurrectione loquenti. Crediderunt et huic sermoni Jesu de sua resurrectione prophetanti. Christi ergo resurrectio fuit causa, quod Scripturæ prophetarum et sermoni Jesu apostoli crediderunt. *Cum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa quæ faciebat.* Ecce iterum evangelista loquendi ordinem mutare videtur, ut non de illo pascha loquatur, de quo usque modo locutus est. Illo enim pascha, quo Dominus crucifixus est, nec multa signa **220** eum fecisse, nec multos in eum credidisse, sed ipsos quoque apostolos dubitasse, legimus. Constat igitur quia aut de alio pascha loquitur, aut non semel tantum vendentes et ementes de templo Dominus ejecit (1102). Sequitur : *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse autem sciebat quid esset in homine.* Si enim de illis intelligatur qui crediderunt in nomine ejus, inconveniens esse videtur ut Jesus non credat semetipsum eis. De aliis igitur hoc intelligatur. Quodammodo enim se ipsum Jesus et credebat eis, et non credebat eis. Credebat enim semetipsum eis, quia cum eis conversabatur et eis quotidie in synagogis et templo prædicabat. Sed non credebat semetipsum eis, id est, non credebat se ipsum secure et absque eorum insidiis esse apud eos. Cur hoc ? Eo quod ipse nosset omnes, et quia sciebat quid fraudis et iniquitatis esset in unoquoque homine.

VII. [Cap. III.] *Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad eum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister.* Bonus homo iste Nicodemus jam credulus quidem, sed non in charitate perfectus. Perfecta enim charitas foras mittit timorem. Hic autem nocte veniebat, quia Jud men illuminari volebat. Sed q inquit, *quia a Deo venisti magiste* fidem suscepit, adjungit : *Nem signa facere, quæ tu facis, nisi f* Valde melius dixit Nathanael, qu Dei, tu es Rex Israel (*Joan.* I, 4 Nicodemus Christum confitetur e Deum cum eo esse confiteatur *Jesus, et dixi ei : Amen, amen di natus fuerit denuo, non potest vid* baptismum eum invitat, ubi dun baptizatur, quod credere debeat, Sed quia obscure loquitur, nond intelligit. Unde et ait : *Quomodo cum sit senex ? Nunquid potest in iterato introire et renasci ?* Vid eum ad hujus sacramenti intel nire non posse, manifestius a *nisi quis renatus fuerit ex aqua non potest intrare in regnum* dicit : « Quicunque baptizati sun in morte ipsius baptizati sumu sumus cum illo per baptismum i do surrexit Christus a mortuis ita et nos in novitate vitæ ambul Iis enim verbis, quid baptismus Cum enim in fide Christi baptiz mergimur, quodammodo ei et co sepelimur : ut inde abluti et pen gentes, sic postea in novitate vit Dei Filius Patris gloriam no enim virtus hujus sacramenti, ut nem ab omni peccato (1104). Und *natum est ex carne caro est, e Spiritu spiritus est.* Sicut, inquit, et peccatrice caro ei consimilis licet vitiata et plena peccatis; i ex aqua et Spiritu sancto sanctu et mundum ab omni peccato. N tibi : Oportet vos nasci denuo. de carnali, sed de spirituali enim nativitas non fit nisi seme carne oritur, nisi iterum ex Spi

(1102) Postremum hoc præter Augustin. et Chrysost. all. sentit etiam Beda ad h. l. : « Bis quidem in S. Evangelio legimus, quod veniens in templum Dominus hujusmodi negotiatores ejecerit, nunc videlicet, id est tertio ante passionem suam anno, sicut ex hujus Evangelistæ sequentibus scriptis agnoscimus; et ipso quo passus est anno, cum ante dies quinque Paschæ sedens in asino Hierosolymam venisset. »

(1103) Hoc quoque Beda animadvertit : « Dominum cum illo fuisse e miraculis prudenter intellexit; tamen ipsum Deum esse non novit. »

(1104) De hac baptismi virtute et spiritali morte Nazianzen. orat. 40, pag. 641 : « Atque hæc baptismi gratia et facultas est, non orbem terrarum, ut olim, aquis obruens, sed uniuscujusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones et maculas quæ vitiis contrahuntur, prorsus abstergens . . .

Proinde cum Christo sepeliamur et cum eo resurgamus : cum eo simul etiam extollamur. » Chry in Joan., n. 2 : « Divina celebrat Sepultura, mortificatio, resurre simul fiunt omnia. In aqua enim cro caput immergentibus nobis litur ac demergitur totus ; deir tibus, novus exsurgit. » Et ho RR., n. 4 : « Quid sibi vult illud *baptizati sumus ?* Ut ipsi morti Baptisma enim crux est. Quod crux et sepulcrum, hoc nobis bap iisdem in rebus. Ipse namque ca pultus est ; nos autem peccat Idem ferme habet hom. 9 in ep V. S. Jo. Damascen., 54, De fid.

Digitized by Google

am, sed ad mortem oritur. *Spiritus ubi vult spi-* A *quid tibi dicam de cœlestibus. Et nemo ascendit in*
. Ideoque, inquit, *quod natum est ex Spiritu, spi-* *cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis,*
us est; quia *Spiritus ubi vult spirat*, quem vult *qui est in cœlo.* Hæc enim cœlestia sunt. Unus enim,
minat, quem vult sanctificat, et spiritualem et idemque Christus Jesus et Filius Dei est, et filius
ndum facit. *Et vocem ejus audis, sed non scis* hominis. Sed etiam naturaliter Filius Dei, et tem-
de veniat, aut quo vadat. Ac si dicat : Ille Spi- poraliter filius hominis. Et ipse quidem filius homi-
us, qui sic sanctificat omnia, qui ubi vult spirat, nis secundum alterum, id est secundum divinitatem,
, inquam, est, cujus vocem nunc audis, et qui descendit de cœlo, secundum quam semper est et in
ne in me et per me tibi **221** loquitur. Sed quam- terra, et in cœlo. Descendit enim non locum mu-
vocem ejus et in me, et in discipulis meis au- tando, sed se humiliando, et carnem suscipiendo
e valeas, non scis tamen unde veniat, aut quo (1106). Ascendit vero, quantum quidem et ad hu-
dat. Quis enim sciat unde veniat et quo vadat, qui manitatem, locum etiam mutando : quantum vero
ique est et omnia complet ? « Spiritus enim Do- ad divinitatem, gloriam propriam manifestando.
ni replebit orbem terrarum (*Sap.* I, 7). » Nemo Unde Psalmista : « Exaltare, inquit, super cœlos,
im scit quomodo a Patre Filioque procedit. *Sic* Deus, et super omnem terram gloria tua (*Psal.* CVII,
omnis, qui natus est ex Spiritu. Sicut, inquit, B 6). » Deus enim, quia ubique est, aliter neque as-
piritus ubi vult spirat, sic et omnis qui natus est cendere, neque descendere potest. Et ipse quidem
Spiritu, si tamen non separetur a Spiritu. Si solus et totus ascendit in cœlum, omnia membra
im a Spiritu separatur, fit carnalis et animalis sua secum trahens in cœlum. Ejus namque membra
105). « Animalis autem homo, dicit Apostolus, sunt omnes fideles, et ipse est caput totius Ecclesiæ.
n percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (*I Cor.* II, 14). » Unde et alibi ait : « Quod uni ex minimis meis fe-
piritualis autem omnia scrutatur, etiam profunda cistis, mihi fecistis (*Matth.* XXV, 40). » Nemo igitur
i. Spirat igitur ubi vult, siquidem omnia scruta- ascendit in cœlum, nisi ipse, et membra sua simul
r. Nam etsi modo fortasse non ad plenum videat, cum ipso. Sive etiam ipse solus ascendit per se, alii
iret, et intelligat quæcunque velit, neque ad om- vero per ipsum, et non per se. Ad hoc igitur Filius
a secreta rimanda introducatur, tamen post hanc hominis descendit de cœlo, ut a terris exaltatus
am, quidquid voluerit videbit et habebit homo omnia post se traheret in cœlum. Et hoc est quod
ctus et spiritualis. *Respondit Nicodemus, et dixit* ait : *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto,*
: *Quomodo possunt hæc fieri ? Respondit Jesus, et* *ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui*
it ei : Tu es magister in Israel, et hæc ignoras ? C *credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æter-*
en, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et *nam.* Ideo enim serpentem æneum in deserto exal-
od videmus testamur, et testimonium nostrum non tavit Moyses, ut homines a serpentibus percussi eum
pitis. Affirmat Salvator noster verum esse quod viderent et sanarentur. Ideo et Christus in crucem
it, utpote qui ea loquitur, quæ scit, et hic testa- exaltatus est, ut omnis qui mentis oculis eum videt,
quod vidit. Ignorantia enim parit mendacium, omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat
testis non suscipitur, nisi qui se et vidisse, et vitam æternam (1107). Nulla est enim alia medicina,
esentem affuisse testatur. Et tale est ac si dice- qua a primi serpentis veneno homo sanari possit.
: Crede tantummodo, et noli dubitare. Ne quæ- Merito autem in illo serpente se Dominus significare
de his quomodo fiant. Cœlestia enim sunt, et voluit, quoniam sicut ille serpentis quidem simili-
reno intellectu capi non possunt. Unde et subdi- tudinem habebat, serpentis autem venenum, et ma-
: *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo,* litiam non habebat; ita et Salvator noster cum ini-
lixero vobis cœlestia, credetis ? Verumtamen ali- quis deputatus, et inter latrones crucifixus, carnis

1105) Sequitur A. explicationem illorum, qui in
o isto Joannis vocem Spiritus primo loco positam
iritus ubi vult spirat, eodem sensu accipiunt atque
altero loco, de Spiritu S. quod facere plerosque
veterib. PP. asserit Calmet; licet, eodem teste,
rique ex recentioribus primo loco ventum intel-
int, ut Lyranus, Estius ipse, Calmet, etc. Vett.
gant Toletus, Calmet, et Natalis Alexander
h. l.

1106) Hilar. l. x De Trin., n. 16 : « Hinc igitur
ximum illud ac pulcherrimum suscepti hominis
ramentum Dominus ipse ostendit, dicens : *Nemo*
endit in cœlum, etc. Quod descendit de cœlo, con-
ctæ de Spiritu originis causa est. Non enim ex
corpori Maria originem dedit, licet ad incremen-
partumque corporis omne quod sexus sui natu-
e est contulerit. Quod vero hominis filius est,
ceptæ in Virgine carnis est partus. Quod autem
cœlis est, naturæ semper manentis potestas est,
e initiata conditaque per se carne, non se ex in-
finitatis suæ virtute intra regionem definiti corporis
coarctavit, Spiritus virtute, ac Verbi Dei potestate D
in forma servi manens, ab omni intra extraque cœli
mundique circulos, cœli ac mundi Dominus non ab-
fuit. Per hoc ergo et de cœlo descendit, et filius
hominis est, et in cœlis est : quia Verbum caro
factum, non amiserat manere quod Verbum est. »
Vide eumdem locum explicantem Fulgentium lib. II
ad Tras. c. 17; Augustin., lib. I De peccat. mer. et
remis., c. 31; Gregorium, lib. XXVII Moral., c. 11,
qui duo postremi de Christi membris, id. Christia-
nis, hunc locum interpretantur.

(1107) S. Augustin., serm. 26 in psal. CXVIII, n.
4 : « Præfigurandum Moyses, Deo miserante ac ju-
bente exaltavit in eremo similitudinem serpentis in
ligno, ut similitudo carnis peccati crucifigenda præ-
figuraretur in Christo. Hanc intuentes salutiferam
crucem, omne calumniantium superborum virus ex
pellimus. » Vid. serm. 353, n. 2, lib. X De civ., c.
8, etc.

Digitized by Google

quidem peccati, ut ait Apostolus (*Rom.* VIII, 3), similitudinem habebat, peccatum autem nullum habebat. **222** Apparuit enim « in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne (*ibid.*). » Vide ergo quantum Deus hominem dilexerit, pro quo Filium suum morti tradidit, ut homo non periret. Hoc est enim quod ait : *Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus modo Filium suum in mundum, ut judicet*, id est, ut damnet, et perdat *mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Venit enim prius ad salvandum, iterum autem venturus est ad judicandum. *Qui credit in eum, non judicatur*, id est non damnatur. Judicium enim plerumque pro damnatione ponitur (1108), secundum illud : « Judica, Domine, nocentes me (*Psal.* XXXIV, 1). » Omnes enim et bonos, et malos judicabit Deus. Sed quia non omnes damnabit, ideo qui credit in eum non judicatur. *Qui autem non credit, jam judicatus est.* Cur ? *Quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Sed dicet aliquis : Jam ergo nullum judicium restat, sed et boni non judicantur, et mali jam judicati sunt. In Dei namque dispositione jam judicati et damnati sunt mali, cujus utique sententia immutabilis est. Adhuc tamen judicandi sunt; non ut sententia mutetur, sed ut manifeste audiant et intelligant id, quod de eis dispositum est, dicente Domino : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Hoc, inquit, est judicium, propter quod mali damnabuntur. Si enim quis dicat cur damnentur, hoc judicium est, et hæc ratio redditur : quia *lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Si enim non venisset, et loeutus eis fuisset, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccatis suis. Magis enim tenebras, quam lucem diligunt, qui non Christum, sed diabolum imitantur. Iste enim *lux mundi* dicitur (*Joan.* IX, 5) : ille princeps tenebrarum vocatur. Erant enim eorum mala opera. Ideo, inquit, tenebras dilexerunt, *quia eorum opera mala erant.* Mala enim opera non lucem, sed tenebras quærunt. Unde et latrones et adulteri noctem amant, A et tenebras diligunt. Et hoc est quod *enim qui male agit odit lucem, et non ven ut non arguantur opera ejus.* Hinc est qu perjuri, homicidæ, fures, proditores, episcopis se præsentare, et verba Dei au *Qui autem facit veritatem venit ad luce festentur opera ejus, quia in Deo sunt fa* quit, qui facit veritatem, id est oper opera vera et incorrupta, quia videri libenter venit ad lucem. Libenter se C que discipulis repræsentat. Quod au discipuli lux dicantur, audi ipsum Domi inquit, estis lux mundi (*Matth.* V, 14). igitur venit, qui ad hos venire non met

VIII. *Post hæc venit Jesus, et discipu* B *dæam terram, et illic demorabatur cum zabat. Erat autem et Joannes baptizans i Salim, quia aquæ multæ erant illic, et baptizabantur. Nondum enim missus f cerem Joannes.* Postquam enim in vinu vertit, et ea quæ superius scripta sun Dominus, simul cum discipulis suis veni terram; cum illis utique discipulis qu poris habebat : nondum enim apostolos enim Matthæus ait, postquam Jesus « relicta civitate Nazareth, venit Domi naum, et habitavit ibi (*Matth.* IV, 1 quidem Petrum et Andræam, Jacobum de piscatione vocavit. Quod autem Joa bat, Christi baptismum significabat. U ptismo cessavit, postquam Christum j cognovit.

IX. *Facta est ergo quæstio ex disci cum Judæis de purificatione. Et venerun nem, et dixerunt ei : Rabbi, qui erat Jordanem, cui testimonium perhibuisti, ptizat, et omnes veniunt ad eum. Resp nes, et dixit : Non potest homo accipe nisi fuerit ei datum de cœlo.* Ac si di **223** veniunt omnes; ejus tamen non accipiunt omnes, quoniam nihil homo accipere, nisi ei datum fuerit de Unde ipse quoque Dominus ait : « Ne me, nisi Pater meus traxerit eum (*Jo* D « Omne enim datum optimum, et omne

(1108) De hoc loco Jo. S. Hilarius in Ps. I : « Negligentiam audientium, et incuriosam legentium facilitatem perturbat : » et S. Aug., De agon. Christ., cap. 27, n. 29, narrat fuisse, qui ex illo negaret diem judicii futurum. Hinc multi PP. explicationem hujusce loci aggressi sunt; quæ etsi varia esse videantur, tamen plerumque huc ferme redit; ut aliud sit judicium discussionis, aliud judicium damnationis, sive duplex judicii actus. Negant judicio discussionis judicandos, quorum causa apertissima est; non negant judicandos judicio damnationis. Hinc Basilius in ps. I. explicans illud, *non resurgent impii in judicio*, scribit : « Non veniunt, ut convincantur, sed ut ferant damnationem. » Sic etiam ferme S. Ambros., serm. 20 in ps. CXVIII, et fuse S. Gregorius, lib. XXV Moral. c. 20. Aliter exponit Hieronymus in c. XXV Jerem. gentes non judicandas, quod spectat universim ad damnation ipso quod non credant, judicatæ sunt tamen quantum ad modum et veluti damnationis. Aliter Chrysost., hom. 27 esse judicandos, quatenus definiendum ne illa opera bona sint an mala; judicando id est sententiam adversus eos ferendam gandam, A. nostri explicatio videtur es l. all. scribentis : « Dicitur enim judicium natione ; » in quam sententiam affert illu *Qui non manducat, manducantem non* Matth. VII aliud : *Nolite judicare, ne jud*

(1109) Verba *non potest homo acc quam*, etc. S. Jo. Chrysostomus, hom. stum refert, in hanc sententiam : « Christus auctoritatem baptizandi accipe anteferri, nisi id a Deo esset illi datu

Digitized by Google

:tum desursum est, descendens a Patre lumi- A
m (*Jac.* I, 17). » *Ipsi vos testimonium perhibebitis, od dixerim ego: Non sum Christus, sed quia mis- s sum ante illum.* Ille, inquit, est Christus, et non o. Illi ego testimonium perhibui, et non mihi. os ipsi mihi testes eritis, quod ego hoc dixerim, oc testimonium perhibuerim, illum, sicut decuit, altando, et me, sicut oportuit, humiliando. Mis- s enim sum ante illum, quasi præco ante judicem, quasi amicus ante sponsum. Et hoc est quod ait: *ui habet sponsum, sponsus est. Amicus autem sponsi, i stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem onsi.* Ille, inquit, est sponsus, cui sancta Ecclesia stis amplexibus copulatur, ejus sanguine redem- a, ejus de latere fabricata, ejusque fidei annulo sponsata. Ego vero sum amicus sponsi, qui ante B
m stans ad serviendum, audiens ad obsequen- m, propter ejus delectabilem vocem gaudens sulto gaudio magno. Hoc est enim quod ait: *Hoc go gaudium meum impletum est.* Ecce, inquit, jam rædicat, jam baptizat; impletum est gaudium eum; impleta est prophetia mea. Hoc ego exspe- abam, hoc videre desiderabam. Cesset umbra, eritas adest. *Illum oportet crescere, me autem mi- ui.* Crevit enim Christus, quia jam creditur esse, i erat. Minuitur Joannes, quia cessavit æstimari iod non erat. Omnes enim æstimabant Joannem se Christum. De Christo vero « alii dicebant, quia onus est; alii vero, non, sed seducit turbas (*Joan.* , 41, 13). » Sic igitur crevit Christus: sic minutus C
t Joannes (1110). Et hoc merito: *Qui enim desur- m venit, super omnes est.* Venit enim Christus sursum, quia de cœlis (1111). Sic enim ipse ait: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* , 41, 51). » Sed parum est hoc. Altius respice. Dicat se: « Exivi, inquit, de Patre, et veni in mundum *oan.* XVI, 28). » *Qui est de terra, de terra est, et de rra loquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est, et od vidit et audivit, hoc testatur.* Non, inquit (1112), ia de terra sumus, quia de hoc mundo sumus, ia de terra facti sumus, si de terra loquimur, æ de his quæ vidimus et audivimus loquimur, um est plerumque quod loquimur. Si vero de elestibus loquamur, nisi locutionem nostram di- na et cœlesti auctoritate firmemus, quis credat D

verbis? Testis enim non suscipitur, nisi qui præsens affuerit, et se vidisse et audisse testatus fuerit. Quia igitur Salvator noster super omnes est, quia de cœlo venit, quia præsens affuit, et quia quod vidit et audivit, hoc testatur; verum est utique quidquid ipse testatur. *Et tamen testimonium ejus nemo accipit. Qui autem accipit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est.* Quis est enim qui accipit ejus testimonium, si testimonium ejus nemo accipit? Impossibile enim esse videtur ut nemo accipiat, et aliquis accipiat. Hoc autem ad superiora respicit, ubi ait: « Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo (*Joan.* III, 27). » Dicatur ergo: Et testimonium ejus nemo accipit, nisi ille cui hoc de cœlo datum fuerit. Qui autem cœlitus illuminatus ejus testimonium accipit, ille quidem signavit, et notavit, intellexit, certissimeque cognovit, quia Deus verax est. Sed quid mirum, si verax est, quia verba Dei loquimur? Hoc est enim, quod ait: *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Dei autem verbis mendacium inesse non potest. Sequitur: *Non enim ad mensuram dat Spiritus spiritum. Pater diligit Filium, et omnia dedit in manus ejus.* Ideo, inquit, verax est, quia et verba Dei loquitur, et Spiritu veritatis plenus est. Non enim, ut cæteri homines, ad mensuram Spiritum sanctum a Patre accepit. Ipse enim est, « in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II, 9). » **224** Ipse est « flos de radice Jesse (*Isa.* XI, 1), » in quo omnes gratiæ sancti Spiritus requiescunt. Ipse est, de quo Pater ait: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* XVII, 5). » Omnia autem dedit Pater in manus ejus: « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo (*Matth.* XI, 27). » Quia enim secundum humanitatem minor est Patre, omnia secundum humanitatem a Patre accepisse dicitur. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui autem incredulus est Filio, non videt vitam, sed ira Dei manet super eum.* Quia, inquit, omnia dedit Pater in manus ejus, in potestate illius est dare vitam æternam cui vult, et æternum supplicium cui vult. Et merito quidem non videbit vitam, qui in illum credere noluit, qui est vera vita: Sicut ipse ait: « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). »

llus l. II, c. 60, de se Joannem dixisse putat, hoc nsu: « Ego homo sum, ut cæterorum unus; quod abeo, de cœlo est mihi collatum. »

(1110) Est hæc maxime litteralis explicatio (Ambrosius lib. VI De benef. Patr., c. 11. Crescere refert ad populum Christianum; minui ad populum idæorum, quasi hujus personam sumeret Joannes), am proponit S. Gregorius hom. 20 in Ev. « Quændum est, in quo crevit Christus, in quo immiutus est Joannes, nisi quod populus, Joannis absentiam videns, remotum tunc ab hominibus se conspiciens, eum esse Christum putabat; Chrium vero cum Publicanis comedentem, inter pectores ambulantem intuens, eum non Christum se, sed esse prophetam credebat. Sed cum per accessum temporis, et Christus, qui propheta esse utabatur, Christus est agnitus: et Joannes, qui Christus esse credebatur, propheta esse innotuit, impletum est quod de Christo suus præcursor prædixit. » Vid. S. Aug., tract. 16, n. 4; S. Bernardum, serm. De nat. S. Joan.

(1111) S. Cyrillus Sursum exponit de superna radice ὁ τῆς ἄνωθεν ῥίζης id. Divina substantia; adeoque ejus divinitatem contra Arianos probat.

(1112) S. Augustin., tract. 16 in Jo., refert hoc ad Joannem; ita ut quæ de Christo ille dicebat, ex Dei inspiratione et afflatu diceret. « De homine dicebat. Quantum ad ipsum hominem pertinet, de terra erat, et de terra loquitur. Si autem aliqua loquitur divina illuminatus est a Deo. Nam si non esset illuminatus, terra terram loqueretur; » quod convenit explicationi sequentium verborum auctoris nostri.

Digitized by Google

X. [Cap. IV.] *Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quia Jesus plures discipulos facit quam Joannes, et baptizat, quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus, reliquit Judæam, et abiit iterum in Galilæam.* Cognovit enim Jesus, Pharisæos suo baptismo non ædificatos, sed indignatos fuisse; et ideo, ne in suæ prædicationis initio scandalum fieret, ad tempus Judæam dereliquit (1113), donec ejus fama in miraculis declarata, majorem auctoritatem ejus baptismus et doctrina susciperent (*Joan.* I, 33). Quod autem ait, *quanquam Jesus non baptizaret sed discipuli ejus*, ad exteriorem lavationem spectat (1114). Si enim Jesus non baptizabat, quid est quod Joanni dicitur : *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat?* Baptizat enim Jesus, quia totum hominem interius exteriusque purificat. Per se tamen non baptizat, quia non per se, sed per discipulos suos corpora lavat. *Oportebat autem eum transire per Samariam.*

XI. *Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo. Erat ibi fons Jacob.* Hoc est enim illud prædium, de quo Jacob, filium suum Joseph benedicens, ait : « Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, et arcu meo (*Gen.* XLVIII, 22). » Ibi autem erat fons Jacob. Si enim Jacob erat ille fons, bonam aquam habebat. Cum scriptum sit : « In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel (*Psal.* LXVII, 27). » Fons iste profunda patriarcharum fides et doctrina esse videtur. Unde non solum fons, sed et puteus vocatur (1115). Fons quidem propter vivam aquam : puteus autem propter profunditatem. Valde enim profunda est legis et prophetarum scientia. *Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra puteum. Hora erat quasi sexta.* Fatigatur enim Jesus, sed secundum carnem (1116). Nisi enim fatigaretur, nisi esuA riret et sitiret, homo esse non credere
tur, id est fatigatus, sedebat supra
ergo sunt fatigati, qui requiescere vo
ad puteum, veniant ad Scripturas pro
invenient Jesum, ibi cum dicentem a
nite ad me omnes qui laboratis et on
ego reficiam vos (*Matth.* XI, 18). » Ide
super puteum fatigatus quievit, ut no
tem quæramus, ostenderet. Erat autem
sexta, quia ætas mundi sexta : prima
Adam usque ad Noe; secunda usque
tertia usque ad David; quarta usque
gratiouem Babylonis; quinta usque
sexta usque ad finem sæculi. *Venit mu
ria haurire aquam.* Hæc enim mul
B plebs Israelitica mihi esse videtur;
teum Jacob, ad fontes Israel, ad S
triarcharum quotidie venit, sed qui
habet, bibendo satiari non potest
autem in sequentibus exponetur.
sus: **225** *Da mihi bibere.* Sitit Jesu
vitæ, de quo scriptum est : « Quoniam
fons vitæ (*Psal.* XXXV, 10). » Sed si fo
quomodo sitire potest? Non aquam, s
stram sitit Jesus. Unde in sequentibu
*cibus est, ut faciam voluntatem Patris
cælis est.* Patris autem voluntas erat
salvaret et ad fidem converteret. Hoc
quod sitiebat Jesus (1118). *Discipuli a
C erant in civitatem, ut cibos emerent.
mulier Samaritana : Quomodo tu, Jud
bibere a me poscis, quæ sum mulier Sam
enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Q
Samaritani Israelitæ erant, tamen secu
qui eos idola colere docuit, in tantum
alienati, ut quasi Gentiles a Judæis
*Respondit Jesus, et dixit ei : Si scires d
quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere,*

(1113) S. Augustinus, tract. 15 in Jo. : « Quia cognovit eorum scientiam, simul cognovit et invidentiam; quia non hoc propterea didicerunt, ut sequerentur; sed ut persequerentur, abiit inde. »

(1114) S. Aug., epist. 265, n. 5 : « Utrumque de Domino scriptum est, et quia baptizabat plures quam Joannes, et quia ipse non baptizabat, sed discipuli ejus; ut intelligeremus et ipsum quidem baptizasse præsentia majestatis, non tamen ipsum baptizasse manibus suis. Ipsius enim erat baptismi sacramentum; ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat. » Ita et tract. 15 in Jo : « Baptizabat, quia ipse mandabat; non baptizabat, quia non ipse tingebat : præbebant discipuli ministerium corporis; præbebat ille adjutorium majestatis. Quando enim cessat a baptizando, quando cessat a mundando? » Aug. exscribit Beda ad h. l.

(1115) Quis fons, quis puteus dicatur, explicat ad h. l. Augustinus, Cyrillus pag. 177, elegantem allegoriam proponit fontis hujus, qui Jacob dicebatur. eratque juxta Samariam, quo Judæam relinquens J. C. venit : « Typice nobis et ænigmatice subinnuens, licet Evangelica prædicatio excessura esset Hierosolymis, et ad gentes sermo divinus deinceps abiturus; non tamen una cum Israele perituram esse in Patres dilectionem. » Beda aliter :

« Puteus, mundi hujus terrenum labo
rem, tenebrosa profunditate significat
cepit ab Augustino lib. LXXXIII qq. qu.
15 in Jo. : « Video in puteo tenebrosam
tem. Admoneor ergo intelligere mundi
partes, id est terrenas, quo venit D
hora sexta, id est sexta ætate generis
D (1116) Id. Aug. ibid. : « Quod autem
nit ad puteum, infirmitatem carnis sig
sedit, humilitatem; quia et imbecilli
pro nobis suscepit, et homo hominibus
ter apparere dignatus est. »

(1117) Aliter Aug. l. all. : « Quæri po
muliere Samaritana... bibere postula
scilicet Dominus mulieris illius fidem,
Samaritana erat; et solet Samaria idolo
nem sustinere (ipsi enim separati a po
rum simulacris mutorum animalium,
aureis animarum suarum decus addixe
rat autem D. N. J. ut gentium multit
simulacris serviebat, ad munimentum
stianæ et incorrupta religionis adducer
verba habet Beda.

(1118) Id. August. ib. : « Eorum erg
pro quibus sanguinem fudit. »

Digitized by Google

sses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. Si me, inquit, nosceres, et sancto Spiritu illuminata esses, do- n namque Dei est Spiritus sanctus, tu forsitan isses a me, sicut ego modo peto a te, et dedissem i aquam vivam, aquam indeficientem, aquam in am æternam sufficientem. *Dicit ei mulier : Domine, ne in quo haurias habes, et puteus altus est. Unde o habes aquam vivam ? Nunquid tu major es pa- nostro Jacob, qui dedit nobis puteum ? et ipse ex bibit, et filii ejus, et pecora ejus.* Tu mihi, uit, vivam aquam promittis. Viva autem aqua c est ; sed neque hauritorium habes, neque vas, que funem te habere conspicio. Insuper et puteus us est, ad cujus profunditatem manibus attingere n vales. Unde ergo tibi aqua viva? Aut si hic am promittis, ad cujus comparationem hanc uam non vivam, sed mortuam intelligas, cur pa- r noster Jacob eam nobis non dedit ? Nunquid tu o major es ? Hoc autem mulier illa dicebat, quia ndum Christi verba intelligebat. *Respondit Jesus, dixit ei : Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet rum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo , non sitiet in æternum : sed aqua, quam ego dabo , fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* ulatim separat eam Dominus a suo intellectu, ut l meliorem intelligentiam eam trahat. Hæc autem ua illa est de qua alibi ait (1119) : *Qui sitit, veniat bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quod quid gnificet, mox evangelista exposuit dicens : *Hoc tem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant cre- ntes in eum. Dicit ad eum mulier : Domine, da ihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc urire.* Separata jam aliquantulum mulier a priori telligentia, non illius putei aquam intelligit : aliam uam petit, qua semper abundans, amplius eam huc venire non sit necesse. Sed quia iste quoque tellectus carnalis est, ad alium intellectum eam ominus invitat dicens : *Vade, voca virum tuum, veni huc.* Voca, inquit, virum tuum ; exhibe intel- ctum tuum, et veni huc : esto præsens ; noli jam er diversa fluctuare. Vir enim animæ intellectus st, quo et regitur et gubernatur. *Respondit mulier, dixit : Non habeo virum. Dicit ei Jesus : Bene ixisti, quia non habeo virum ; quinque enim viros abuisti, et hic, quem habes, non est tuus vir.* Hoc ere dixisti. Quamvis enim aliud ista significent, redendum est tamen, quinque viros hanc feminam abuisse ; nunc autem alicui in fornicationem con-

A sensisse ? Quod utique Dominum non latebat. Spiritualiter autem quinque viri quinque sunt libri Moysis (1120), quibus plebs illa Israelitica, quæ per hanc mulierem significatur, ad tempus convicta, quasi uxor a maritis regebatur et gubernabatur. A quibus tanto tempore divisa erat, quanto tempore Dei sui oblita, eis inobediens erat. Sæpe enim alios amatores secuta, et cum idolis fornicata, hos viros legitimos fugiens, errori consensit. Hic est igitur, de quo hic dicitur : *Et quem habes, non est tuus vir.* Error est, non maritus ; deceptor, non amator. *Dicit ei mulier : Domine, ut video, propheta es tu.* Hoc enim mulier non dixisset, nisi virum suum vocasset. Jam igitur error fugit. Jam fornicator abscedit. Sequitur : *Patres nostri in monte* **226** *hoc adora-*
B *verunt, et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Video, inquit, quia propheta es tu. Responde igitur mihi quæ interrogo, et discere concupisco. Quid est hoc, quod dicitis vos, Judæi, quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet, cum certum sit quia patres nostri in monte hoc adoraverunt? *Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quæ nescitis. Nos adoramus quod scimus quia salus ex Judæis est. Sed veniet hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veri-*
C *tate.* Veniet, inquit, hora, et nunc est, quando veri et spirituales adoratores non in monte, vel in civitate, sed in spiritu et veritate Deum adorabunt. Quamvis enim alicubi eos orare oporteat, non tamen ad montem, vel ad civitatem, sed potius ad cor respicit Deus. Nec montem altiorem, nec civitatem nobiliorem attendit ; sed cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Intra igitur in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum. Ora non labiis tantum, sed spiritu et veritate. Soli autem Judæi, soli confessores, soli legis observatores adorant quod sciunt : cæteri vero adorant quod nesciunt. Cur ? Quia salus ex Judæis est. Ex quibus Judæis ? Audi Apostolum : « Non enim qui in manifesto Judæus, neque in manifesto in carne circumcisio, sed qui in abscondito Judæus, et circumcisio cordis in spiritu,
D non littera (*Rom.* II, 28). » Nos igitur sumus illi Judæi, nos Christiani, nos membra Christi, pro quibus omnibus caput noster modo dicit : *Vos adoratis quod nescitis ; nos adoramus quod scimus* Sequitur : *Nam et Pater tales quærit, qui adorent*

(1119) Joan VII, 38. Ita et August. l. all. et Beda : « Ut hinc ei ostenderet, non se talem aquam petisse, qualem ipsa intellexerat, sed quia ipse sitiebat idem ejus, eidem sitienti Spiritum S. dare cupiebat. Hanc enim recte intelligimus aquam vivam, quod est donum Dei, sicut ipse ait : *Si scires donum Dei :* et sicut idem Joan. evangelista testatur, alio loco dicens : *Si quis sitit, veniat et bibat.* » S. Hieron. ad cap. IV Amos : « Ut autem sciamus, aquas et pocula significare doctrinam, Dominus loquitur ad Samaritanam : *Omnis qui biberit ex aqua hac,* » etc. Idem habet ad cap. V Is. et ad cap. XIV Zachar.

(1120) Aug. l. all. : « Non sunt hæc carnaliter accipienda, ne hinc ipsi adhuc mulieri Samaritanæ similes esse videamur : sed de illo dono Dei, si aliquid jam gustavimus, spiritualiter ista tractemus. Quinque viros, quinque libros, qui per Moysen ministrati sunt, nonnulli accipiunt. » Ipse tamen hanc explicationem non probat, et aliud suggerit de quinque sensibus corporis ; quod pariter facit Tract. 15 in Joan. postquam dixit : « Multi intellexerunt, non quidem absurde, nec usquequaque improbabiliter, quinque viros mulieris hujus, quinque libros Moysis. » Augustinum sequitur, ut fere solet, Beda.

Digitized by Google

eum : subaudítur in spíritu et veritate. Sed cur hoc? Quia Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spíritu et veritate oportet adorare. Si enim corporeus et localis esset, in monte vel in civitate quærendus esset : sed quia Spiritus est, in spíritu adorandus est (1121). *Dicit ei mulier : Scio quia messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Ac si diceret : Obscure loqueris, et ea quæ dicis non intelligo. Scio tamen quia veniet messias, qui dicitur Christus. Ille cum venerit, omnia nobis annuntiabit. Ille et tua et aliorum prophetarum obscura mysteria nobis revelabit. *Dicit ei Jesus : Ego sum, qui loquor tecum. Et continuo venerunt discipuli ejus, et mirabantur, quia cum muliere loquebatur.* Cur mirabantur? Quia hoc fortasse in usu non habebat. *Nemo tamen dixit, Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?* nullam suspicionem habentes in eo de ea. Illis autem venientibus, siluit mulier, multum fortasse, nisi illi venissent, adhuc locutura. *Reliquit ergo hydriam suam.* Reliquit pravam intelligentiam suam, cum qua de fontibus Israel carnaliter, et non spiritualiter bibere solebat (1122). *Et abiit in civitatem.* Abiit ad ecclesiam Gentium. Ivit in universum mundum prædicare Evangelium omni creaturæ. *Et dicit illis hominibus : Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus? Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum.* Significantes eos qui, relicta Gentilitate, usque hodie convertuntur ad eum. *Interea rogabant eum discipuli dicentes : Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad invicem : Nunquid aliquis attulit ei manducare?* Ecce discipuli non intelligunt, de quo cibo Dominus loquebatur, sicut et mulier superius non intelligebat aquam, de qua ei Dominus loquebatur (1123). *Dicit eis Jesus : Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Hoc cibo delector, hoc reficior, quem, quia adhuc carnales estis, nondum ad plenum intelligitis. *Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.* Videns enim Jesus totam civitatem illam ad se venientem, et jam ad credendum maturam et paratam ad messionis figura de ea loquitur, discipulos ad credendum invitat, et oculos eos levare præcipit ad Dei falcem arripientes, metere incipiant **227** jam albas, et ad colligendum vigilantes. Et ne labor ipse gravis, et asper esset, operis mercedem eis promittit, dicens : *Et qui mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam. Ut qui seminat simul gaudeat et qui metit.* Seminatores enim prophetæ fuerunt, qui hanc doctrinæ semina primum in illo populo jecerunt. Messores vero apostoli, qui populos jam ad fidem constructos, et credulos in Ecclesiæ aream congregarunt. Pro quibus nimirum fructum suscipit vitam æternam; quatenus seminatores et messores simul gaudeant, simulque æterna beatitudine perfruantur. *In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, et alius est qui metit. Ego misi vos metere in eo quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Nisi enim prophetæ præcessissent, et Christi adventum, et cætera quæ de eo scripta sunt prænuntiassent, tantam fidem non haberent in illo populo apostoli non collegissent. Quod hoc est verbum verum, quia alius est qui seminat, et alius qui metit. In hoc enim Evangelii verum, et indubitabile esse probatur quod apostoli affirmant, prophetæ Quod isti dicunt factum, illi dixerunt esse. *Multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut iret ad eos, et mansit ibi duos dies.* Rogemus igitur Dominum ut et nobiscum maneat duos dies : quos præcepta charitatis (1124), duorumque præceptorum fidem nos et amare et tenere enim sufficiunt nobis ad illuminationem et ad vitæ plenitudinem, quia charitas est cibus mentis, quo epulatur anima Dominus : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus.* Hic cibus angelorum est, ut divino fruamur perio. Nulla illis cura mensarum, nulli rum usus, nullæ repositæ epulæ; nullu aut siceræ, nulla distentio corporis, offensio. »

(1121) Hilar. l. II de Trinit. n. 31 : « Ergo quia Deus invisibilis, incomprehensibilis, immensus est, ait Dominus venisse tempus, ut non in monte vel templo Deus sit adorandus; quia Deus spiritus est : et Spiritus nec circumscribitur, nec tenetur; quia per naturæ suæ virtutem ubique est, neque usquam abest, in omnibus omnia exuberans; hos igitur veros esse adoratores, qui in spiritu et veritate sunt adoraturi. »

(1122) Aliter Aug. l. all. : « Nec hoc, quod relicta hydria discessit, negligenter prætereundum est. Hydria enim fortasse amorem sæculi hujus significat, id est cupiditatem, qua sibi homines de tenebrosa profunditate, cujus imaginem puteus gerit, hoc est de terrena conversatione hauriunt voluptatem... Oportebat autem ut Christo credens, sæculo renuntiaret. »

(1123) Aug. Tract. 15 in Joan. et ex eo Beda : « Quid mirum, si mulier illa non intelligebat aquam? Ecce discipuli non intelligunt escam. » Egregie Ambros. lib. De Elia et jejun. c. 3 : « Non enim omnis esca materialis, nec omnis cibus corporalis,

(1124) August. l. all. : « Quid ergo? sit, non seminatores. Quo messores? laboraverunt... Quo ergo erant messores Ubi jam prophetæ prædicaverunt : ipsi natores. » Hæc pariter scripsit Beda. V ad h. l. pag. 199. August. ibid. : « M nuntiavit, et ad mulieris testimonium Samaritani, et rogaverunt eum ut apu ret, et mansit ibi biduo... Primo per fa derunt) postea per præsentiam. Sic cum eis qui foris sunt... Ad Christum v dunt per istam famam, manet apud eos est, dat illis duo præcepta charitatis : 16 : « Ibi facto biduo; quo numero die commendatus est duorum numerus p

Digitized by Google

idit, charitas finem non habet. Magni igitur isti
, qui finem non habent. Sequitur : *Et multo*
es crediderunt propter sermonem ejus, quam
pter sermonem mulieris. Instabat mulier et præ-
abat, et Verbum, per quem facta sunt omnia,
ut poterat, per verbum adjuvabat. *Dicebant igi-*
ei, jam despicientes audire eam, *quia jam non*
pter tuam loquelam credimus : non tua prædica-
ne indigemus. *Ipsi enim audivimus, et scimus*
a hic est vere Salvator mundi. Sciebat enim Do-
ius Jesus, quales isti erant, quando eos messes
turas vocabat dicens : *Videte regiones, quia albæ*
t jam ad messem. Hoc enim testimonium eis non
isset, nisi eos ad audiendum et credendum vo-
tarios prævidisset.

XM. *Post duos autem dies exiit inde, et abiit in* B
lilæam, et tunc quidem venit in Nazareth, ubi
tritus fuerat. Quem cum homines ipsius loci vi-
sent, qui et matrem ejus, et ipsum ab infantia
noverant, cœperunt ei detrahere dicentes (1125) :
nne hic est filius Joseph, et Mariæ? Nonne et
tres ejus sunt apud nos? Unde ei hæc omnia? Et
ndalizabantur in eo. Ipse autem dixit eis : Non
propheta sine honore, nisi in patria sua. Unde et
dicitur : *Ipse enim Jesus testimonium perhibuit,*
a propheta in sua patria honorem non habet.
od, quid significet, in aliis Evangeliis exposui-
is. Huc usque interpositio. *Cum ergo venisset in*
tilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidis-
t, quæ fecerat Hierosolymis in die festo. Nam et C
i venerant ad diem festum. His autem verbis si-
ficatur, quod aliis ei, sicut modo diximus, detra-
ntibus, illi, qui Hierosolymam venerant, et in die
lo ejus virtutes et miracula viderant, eum cum
ore et gaudio exceperunt. *Et tunc iterum venit*
Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Ibique
urrit ei centurio, qui habitabat in Capharnaum,
us filium sanavit Jesus, de quo et subditur :

XIII. *Et erat quidam regulus, cujus filius infirma-*

batur Capharnaum. Hæc autem in Matthæo exposita sunt. Quamvis enim ille (*Matth.* VIII, 6) de servo, et iste de filio loquatur, expositio tamen in utroque eadem est.

XIV. [CAP. V.] *Et erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam* (*Joan.* V, 1). Ad dies festos Judæorum Dominus ascendit, ut populis undique convenientibus fidei doctrinam annuntiet, salutis mysteria pandat, et veritatis lumen ostendat. *Est* 228
autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. Hæc piscina baptismatis aquas significabat (1126). Unde non immerito *probatica*, id est *ovina*, dicebatur (1127), quoniam oves Dei fiunt, qui in baptismate lavantur. De quibus in *Canticis canticorum* Ecclesiæ dicitur : « Dentes tui sicut greges tonsarum ovium, quæ ascenderunt de lavacro (*Cant.* IV, 2). » Hæc autem piscina quinque porticus habet, quia quinque sunt libri Moysi (1128), in quibus baptismi sacramentum plenissime continetur, eorumque auctoritate munitur, et doctrina declaratur. *In his jacebat multitudo languentium cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum.* Hi enim languentes, qui in prædictis porticibus jacebant, Judæi intelliguntur ; qui sub Lege erant, legisque freno et moderamine arctabantur ; legis tamen medicamine non justificabantur (1129). Unde Apostolus ait : « Si enim data esset lex, quæ posset justificare, vere ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato (*Galat.* III, 21, 22). » Lex igitur et Scriptura sunt illi porticus qui languentes continent, quia sub peccato omnia claudunt. Nemo in porticibus sanabatur, quia non erat data lex, quæ posset justificare (1130). Inde tamen languentes videbant piscinam, descendebant in eam, et sanabantur, « ut promissio ex fide Christi per baptismum daretur credentibus (*ibid.*). » *Angelus enim Domini secundum tempus descendebat in piscinam, et movebatur aqua, et qui prior descendisset in piscinam post*

quibus duobus præceptis tota lex pendet et pro-
etæ. »

(1125) Matth. XIII, 55 : « Nonne hic est fabri fi-
s? nonne mater ejus dicitur Maria? et fratres
s Jacobus et Joseph, et Simon, et Judas, et so-
res ejus nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo D
ic omnia ista? et scandalizabantur in eo. Jesus
lem dixit eis : Non est propheta sine honore, nisi
patria sua, et in domo sua. » Vid. Marc. VI, 2;
c. IV, 22; Joan. VI, 42.

(1126) Tertullian., De bapt. c. 5 : « Figura isto
dicinæ corporalis spiritalem medicinam canebat,
forma, qua semper carnalia in figura spiritalium
tecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratia
i, plus aquis et angelo accessit, qui vitia corporis
nediabant, nunc spiritum medentur; qui tempo-
em operabantur salutem, nunc æternam refor-
nt; qui unum semel anno liberabant, nunc quo-
ie populos conservant, deleta morte per ablutio-
m delictorum; » quæ videtur ante oculos habuisse
mbrosius lib. de iis qui myster. init. c. 4. Vid.
ndem Ambros. lib. I de Sp. S. c. 8; Joan. Chry-
st. hom. 35 in Joan., etc.

(1127) Recte, est enim a προβατον ovis, seu magis pecus προβατικὸς ac oves seu pecus pertinens : erat ergo piscina, velut alibi dicitur, natatoria (atque in Græco κολυμβήθρα a κολυμβάω nato) pecuaria piscina, sive quod in ea lavari oves primo mactandæ solerent, sive quod proxima portæ adjacenti templo per quam immolandi greges introducebantur, de qua II Esdr. III, 1, 32. Atque a Beda fortasse sua A. noster hausit, qui scribit : « Et bene piscina eadem probatica vocatur; προβατα quippe oves dicuntur : vulgo autem probatica, id est pecuaria piscina fertur appellata, quod in ea sacerdotes hostias lavare consueverant. »

(1128) Augustin. tract. all. : « Aqua ergo illa... quinque libris Moysis tanquam quinque porticibus claudebatur. »

(1129) Id. ib.: « Sed illi libri prodebant languidos, non sanabant : lex enim peccatores convincebat, non solvebat. »

(1130) August. : « Nam hoc dicit Apostolus : *Si enim data esset lex*, etc. Quare ergo data lex ? » Sequitur et dicit : « Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide J. C. daretur credentibus. »

Digitized by Google

motionem aquæ, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate. Angelus enim Domini secundum tempus in piscinam descendit, quando tempore præfinito Salvator noster ad baptismum venit. Ipse est enim ille magni consilii Angelus; de quo scriptum est : « Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis (*Malach.* III, 1). » Et ipse quidem aquam commovit. Ipse baptismatis aquas sanctificavit, omnemque inimici latentem infestationem suo tactu ab eis removit. Post cujus commotionem, tantam in se virtutem aqua suscepit, ut omnes omnium in eamdem descendentium sanet languores, pellat ægritudines, et solvat peccata. Sed notandum quia solus ille sanatur, qui prior post aquæ motionem in piscinam descendit; per quem totus populus Christianus intelligitur, qui solus et unicus, prior et ultimus, unus et inseparabilis, in aquis baptismi et lavatur et sanatur : sed quis est qui post eum descendit, nisi ille qui huic corpori ecclesiastico non inhæret? Si enim hujus corporis esset, non post eum, sed in eo descendere diceretur. Post eum namque hæretici descendunt, et descendentes nil sibi proficiunt (1131). *Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo,* **229** *annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri? Respondit ei languidus : Domine, hominem non habeo, ut, cum nota fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Homo enim iste eos designat, qui post baptismum criminalia peccata committunt (1132), pro quibus gravi, longæque pœnitentiæ subjiciuntur, qua nimirum corpus ægrotat, sed anima sanatur. Ut autem pro suis iniquitatibus hunc ægrotasse intelligas, ipse Dominus ostendit dicens : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Tales autem, quia non bene pœnitent, etsi longo tempore languere et pœnitere, et carnem macerare videantur, valde tamen difficil Si enim bene pœnituissent, non triginta nos, sed quadraginta ex integro in hac tate habuissent (1133). Imperfecta est pœnitentia, quæ de hoc numero aliqui bet. Quare autem perfecta pœnitentia designetur, attende. Hic enim numerus constat et decem. Quater enim decem quatuor, quadraginta fiunt. In quatuor a Testamentum, in decem Vetus figurat hoc in quatuor Evangeliis, illud in d consistit. Nulla autem pœnitentia prof tem, quæ Novi, Veterisque Testamenti non agitur. Hoc enim ipse Dominus quadraginta diebus et noctibus jejuna autem et Moyses : similiter et Elias. Il mero pœnitentiam agat, id est, secund Testamenti doctrinam disciplinamqu quicunque sibi suam pœnitentiam vult sam. Declinet igitur homo a malo, et f inquirat pacem, et sequatur eam. Hæc pœnitentia. Sed nota, quia miseric etiam non bene, et legaliter pœnitente men voluntatem habentes, et salutis re ctantes, visitare, sanare, et illumin Unde et huic languido dicit : *Vis sanu* diceret : Sanari quidem vis; ideo en ideo ægrotas, ideo carnem maceras, et cunque pœnitentiam agis : non tamen non dignam pœnitentiam agis. Respon dus : *Domine, hominem non habeo, fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Qu his verbis significat, nisi quamdam in illam piscinam descendendi impo Impossibile est enim eos, qui semel b iterum per baptismum renovari, et a contagione mundari. Unde et iste, qua non tamen mergitur in piscinam, qui cat, qui post baptismum sola pœniten

(1131) Aug. tract. 17 in Joan. : « Post aquam turbatam mittebat se unus qui poterat et sanabatur solus : post illum quisquis se mitteret frustra faceret... Descendere ergo in aquam turbatam, hoc est humiliter credere in Domini passionem : ibi sanabatur unus, significans unitatem. Postea quisquis veniret non sanabatur; quia quisquis præter unitatem fuerit, sanari non poterit. » Vid. ser. 125. Fusius Beda (ex quo, opinor, A.) evangelicum locum omnem exponit : ex Aug. ser. 124 et 125. « Probatica piscina, quæ quinque porticibus cingebatur, populus est Judæorum, undique legis custodia, ne peccare debeat, munitus. Recte enim lex, quæ quinque libris Moysis descripta est, quinario numero figuratur... Multitudo languentium, quæ in commemoratis porticibus jacebat aquæ motum exspectans, significat eorum catervas, qui legis verba audientes, suis se hanc viribus implere non posse dolebant... Tales in quinque porticibus jacebant; sed, nonnisi in piscinam angelo veniente sanabantur, quia per legem cognitio peccati, gratia autem remissionis nonnisi per J. C. facta est; quem designat angelus, qui invisibiliter descendens in piscinam, et suggerens vim sanandi, movebat aquam. D carne indutus magni consilii Angelus... passionem Domini, quæ mota turbata rum gente facta est, insinuat... Bene a quia qui primus descendisset post sanus fiebat a quocunque languore te unus Dominus, una fides, unum ba Deus; et qui in unitate catholica Chr imbuitur, sanus fit a quocunque pec quore detineatur. Quisquis autem ab crepat, salutem, quæ ab uno est, valet. »

(1132) Hoc quoque ex Beda, ut vide iste, multorum infirmitate detentus gnificat peccatorem quemlibet enormi gnitudine vel numerositate defessum,

(1133) Paulo aliter; et tamen myste mero agnoscens Aug. tract. 17, qui co ergo quadragenarius numerus habet legis, et lex non impletur, nisi in gem charitatis; quid miraris quia langueb draginta duo minus habebat? » Vid.

Digitized by Google

d autem ait : *Dum venio ego, alius ante me de-*
dit, de se ipso adhuc Gentili, et catechumeno
re videtur. Ipse enim, cum adhuc Gentilis et
chumenus esset, in piscinam descendit. Modo
, quia Christianus est, in eam descendere non
st. Idem igitur ipse alius est, et ipse, qui de-
dit ante se ipsum. *Dicit ei Jesus : Surge, tolle*
batum tuum, et ambula. Noli, inquit, jam ulte-
hominem quærere, qui te mittat in piscinam.
ge tantummodo. Erige mentem. Contemplare
um. Quæ sursum sunt quære, non quæ super
am. Hac enim via illi qui baptizati sunt, recu-
nt sanitatem, si eos ægrotari contingat. Tolle
batum tuum, porta, et contine, et in servitutem
ge carnem tuam. Pectus namque animæ corpus
in quo, si vitiosum fuerit, tota infirma et lan-
la anima jacet. Unde scriptum est : « Corpus,
d corrumpitur, aggravat animam (*Sap.* IX, 15). »
ambula. Non sis otiosus. Otiositas enim animæ
nica est, quæ et vitia nutrit, et virtutes necat
34). *Et statim sanus factus est homo. Et sustu it*
batum suum, et ambulabat. Facile igitur est Deo
anare hominem, et peccata solvere. *Erat autem*
batum in illo die. Dicebant ergo Judæi illi, qui
us fuerat : Sabbatum est, non licet tibi tollere
batum tuum. Respondit eis : Qui me sanum fecit,
mihi dixit, Tolle grabatum tuum, et ambula.
oris, inquit, auctoritatis, quam vos sitis, est
qui me sanum fecit (1135). Illi igitur, et non
is, me obedire oportet. *Interrogaverunt ergo eum:*
s est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum
n, et ambula? Is autem, qui sanus fuerat effe-
, nesciebat quis esset. Non mirum si iste nescie-
quis esset. Neque enim facile est cognoscere
m. Unde et **230** ipse Dominus ait : « Nemo
it Filium, nisi Pater, et nemo novit Patrem, nisi
us, et cui voluerit Filius revelare (*Matth.* XI,
. » *Jesus ergo declinavit a turba constituta in*
. *Postea invenit eum Jesus in templo.* Ubique
Jesus; sed non ubique cognoscitur. Non cogno-
ur in turba (1136). Cognoscitur autem in tem-
Fugiamus igitur turbam, et simul cum Jesu
linemus a turba. Eamus in templum. Ibi nos
eniat, ibique a nobis inveniatur. Ideo enim ipse
hominum turba discessit, ut et nos a vitiorum
a discedere doceat. *Et dixit illi Jesus : Ecce sa-*
factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi ali-

A *quid contingat.* Hoc, inquit, contigit tibi, quia peccasti. Jam igitur noli peccare, non sit tibi voluntas peccandi. Non peccare enim valde difficile, et pene impossibile est. Multi enim peccant, qui peccare nolunt. Unde Apostolus : « Non enim, quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio (*Rom.* VII, 19). » Magnum igitur peccatum est, voluntas peccandi. « Voluntarie enim, ut ait Apostolus, peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccato (*Hebr.* X, 26). » Quod de illis quidem intelligitur, qui usque in finem suum sponte in peccatis perseverant. *Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.*

XV. *Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia*
B *hæc faciebat in Sabbato.* Male enim de Sabbato Judæi intelligebant; quia hominem in Sabbato sanare, et pietatem, et misericordiam exercere, peccatum esse putabant. *Jesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Ego, inquit, de Sabbato reprehendi non debeo; quia in Sabbato non facio, quæ lex in Sabbato fieri interdicit. Sed sicut Pater meus, ita et ego usque modo, id est usque ad Sabbatum, operor : in Sabbato vero ab opere quiesco. Sexta namque feria fecit Deus primum hominem, et Christus sexta feria redemit omnem hominem. Ille die septimo requievit, et iste die Sabbati in sepulcro quievit (1137). Illa igitur quies hanc quietem significabat. Uterque itaque usque ad Sabbatum operatur, et uterque in
C Sabbato requiescit. Operatur tamen et aliter usque hodie et Pater, et Filius; quoniam etsi Sabbato, omnium rerum seminariis factis, quievit, nulla tamen die a justitia, et misericordia, aliisque his similibus quiescit (1138). Nihil enim boni ubique fit, nisi ab ipso, et per ipsum. Non sic igitur requievit Deus die Sabbati, ut nihil egisse intelligatur post Sabbatum. Dicat ergo : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Sequitur : *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Non enim ipse se Deo æqualem faciebat, qui secundum divinitatem Deo per omnia æqualis erat; sed æqualem se fa-
D ciens, hoc est, æqualem se esse ostendens. Unde Apostolus ait : « Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (*Philip.*

1134) Non multo aliter August. et Beda de excudo vitiorum torpore, de exercitatione virtutum, upportandis fratribus, explicant.
1135) Augustin. : « Ille auctorem sanitatis suæ ciebat calumniatoribus. Non acciperem jussio-, a quo acceperam sanitatem? »
1136) Aug. l. all. : « Difficile est in turba videre istum, solitudo quædam necessaria est menti træ... turba strepitum habet; visio ista secretum iderat. » Ita ferme et Beda.
1137) Vid. S. Aug. de Genes. ad litt. lib. IV, c. 2, ract. 17 in Joan.
1138) Usque modo operari, etiam in rerum naium conservatione, Cyrillus pag. 213, et Aug. ipse pluribus in locis exponit, ut ibid. l. IV de Gen. ad litt. c. 12 scribens, intelligi « Deum requievisse a condendis generibus creaturæ, quia ultra jam non condidit aliqua genera nova. Deinceps autem ait, usque nunc et ultra operatur eorumdem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt. » Vid. et Gaudent. Brix. serm. 10. De operationibus utriusque generis explicat hunc locum idem Aug. lib. V de Genes. ad lit. c. 20 : « Pater in me manens, inquit, facit opera sua, et sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Deinde, quia non solum magna atque præcipua, verum etiam ista terrena et externa ipse operatur. »

Digitized by Google

II, 6). » *Respondit itaque Jesus, et dixit eis : Amen, amen dico vobis : non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Secundum divinitatem enim, una eademque operatio est et Patris, et Filii et Spiritus sancti. Nihil enim facit Filius sine Patre et Spiritu sancto. Similiter neque Pater aliquid agit sine Filio et Spiritu sancto. Spiritus quoque sanctus nihil agit sine Patre et Filio (1139). Quicunque igitur loquitur contra Filium, sive de his, quæ in Sabbato facit, sive de alia qualibet hujusmodi operatione, ille utique et contra Patrem loquitur, et contra Spiritum sanctum. Cesset igitur contra Filium taliter, et talia loqui, quicunque se Deum Patrem offendere timet. *Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.* Quantum enim **231** ad divinitatem, nihil Pater Filio demonstrat, quia sicut Pater, ita et Filius nihil ignorat (1140). Quantum vero ad humanitatem omnia ei Pater demonstrat. *Et majora his*, quæ Filius, subauditur, superius fecisse legitur, *demonstrabit ei opera.* Cur? Ut vos ea videntes, magis magisque miremini, et mirando convertamini. Hæc autem secundum humanitatem de Filio intelligenda esse (1141) sequentia manifestant. Ait enim : *Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat ; sic et Filius hominis, quos vult, vivificat.* Nota, quod ait, *Filius hominis.* Et hæc quidem opera majora sunt, quam vel paralyticum sanasse, vel in vinum aquas convertisse. Sed si Filius hominis vivificat quos vult, cur non omnes vivificat, nisi quia non vult? Nullum enim hominem vult vivificare Filius hominis, nisi in se credentes, et ejus voluntatem facientes. Et ipse quidem, quia judex est, mortificandi et vivificandi habet potestatem. Unde et subditur : *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Cur hoc? *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Cum enim Filius hominis veniet in sede majestatis suæ, ut judicet mundum, tunc omnes æqualiter honorificabunt et Filium et Patrem. Unde ipse Dominus ait : « Vere ergo dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua

(1139) Hilar. l. VII de Trin. : « Hæc est veræ nativitatis intelligentia, et fidei nostræ, quæ ex naturæ divinæ unitate, unius indifferentisque divinitatis veritatem in Patre et in Filio confitetur, absolutissimum sacramentum, ut eadem faciendo Filius similiter faciat, et similiter faciendo, eadem sint ipsa quæ faciat, quia sub una hac significatione testentur et similiter facta nativitatem, et eadem facta naturam, » etc. Vid. Basil. lib. IV adv. Eunom.; Ambros. lib. IV de Fid. c. 3, etc. Hinc Beda ad h. l. : « Significationem unius naturæ ostendens et unius operationis; quia communis est operatio Patris et Filii, quorum est una natura, una etiam operatio. »

(1140) Id. Hilar. ibid. : « Exæquata virtus est per naturæ indissimilis unitatem; et demonstratio operum, non ignorationis instructio est, sed nostræ fidei, quæ non Filio scientiam ignoratorum, sed nobis confessionem nativitatis invexit, confirmans

A (*Isa.* XLIV, 24; *Rom.* XIV, 11). » Unde « Propter quod et Deus exaltavit illu illi nomen, quod est super omne nomen mine Jesu omne genu flectatur cœles trium, et infernorum, et omnis lingua quia Dominus Jesus Christus in gloria ris (*Philip.* II, 9, 10;. » Manifestum e omnes honorificabunt Filium, sicut Patrem. Modo autem, quia non omnes Filium, nec Patrem honorificant. H quod ait : *Qui non honorificat Filium, cat Patrem, qui misit illum.* Sed quia judicium dedit Filio, et ipse Filius quos vivificare vult : ut intelligamus, q vivificat, et quid sit ipsum vivificare, su

B *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum et credit ei qui misit me, habet vitam a judicium non veniet, sed transiet de mo* Tales igitur vivificat Dominus, et sic vi videlicet vitam æternam. Quod autem *bum meum audit*, tale est, ac si dicere doctrinam audiens custodit. Ille enim qui audiens obedit. « Non enim auditor sunt apud Deum, sed factores (*Rom.* Dominus ait : « Qui habet aures au (*Matth.* XIII, 43). » In judicium auter dicuntur, qui in judicio non damnabu igitur in judicium, quid aliud est, nis damnari? In hoc autem judicium non Sequitur : *Amen, amen dico vobis, qu*

C *et nunc est, quando mortui audient voc Et qui audierint, vivent.* Hoc autem c cæos, aliosque, qui negabant resurrec tuorum et vitam æternam, dicere vid est ac si diceret : Non dubitetis, e mea audiunt, et credunt ei qui misit vitam æternam, cum ad vocem m resurgere videatis. Ad ejus namque v pore, et anima mortuos multos jam s dubium est. Quamvis enim legamus, mortuos corporaliter suscitasse, non ta quantos in anima suscitaverit. Sed qu mortui ad Filii Dei vocem resurgunt, simul cum Patre habeat potestatem?

D

eam per id quod sibi omnia essent dem posset. » Hæc verba describsit ad h. l.

(1141) Augustin. tract. 19 (quem hic tur); Cyrillus, et multi præterea PP. natura divina hæc et superiora, ut aun vius lib. II de Trin. c. 4, n. 5, cap. 12, Natalis Alex. ad. h. l. Aliam rationem in exponendis sequentibus verbis de p candi Filio data. Quamvis enim sint apu Conc. c. 36 qui hæc quoque non obs quominus ad divinam Filii naturam acc in quorum numero esse videtur Chryso 39 in Joan. n. 1, dicens : « Quemad illud idem est, ac quod genuit ipsum « dedit judicium » id est, ipsum judice tamen Aug. tract. 20, scribens : « Q caro factum est et habitavit in nobis, Maria homo factus, filius hominis est;

Digitized by Google

ait : *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, dit et Filio vitam habere in semetipso, et pote- dedit ei facere judicium, quia Filius hominis* Sicut enim Pater, ita et Filius vitam habet in ipso, id est in virtute et potestate sua, ut nque voluerit, eam largiatur. In ejus namque tate est omnis vita nostra, neque ultra ejus tatem vivere valemus. Ad ejus igitur impe- moriuntur omnes, et ad ejus imperium resur- omnes. Dedit autem Pater Filio potestatem ium facere, non secundum divinitatem, qua ei lis est, sed secundum humanitatem, qua minor 1142). Et hoc est quod **232** ait : *quia Filius inis est.* Illis autem adhuc mirantibus, et non entibus resurrectionem, subdidit dicens : *Nolite ri hoc* : subauditur, quod de resurrectione au- s : *Quia venit hora, in qua omnes qui in monu- iis sunt audient vocem ejus, et prœcedent, qui fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala unt, in resurrectionem judicii.* Modo, inquit, me nte, corporaliter resurgunt pauci. Sed futurum ut, me vocante, resurgant omnes; et alii quidem rgent, ut in æternum cum Deo vivant; alii vero, ndicati cum diabolo pereant. *Non possum ego a so facere quidquam. Sicut audio, judico, et cium meum justum est, quia non quæro volun- m meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* a, inquit, Filius hominis sum, secundum hanc tem dedit mihi Pater potestatem judicium facere; niam secundum hanc partem non possum ego a pso facere quidquam. At vero secundum divini- m omnia possum, quam semper in meipso lo-

A quentem audio, et sicut audio, judico, et jud cium meum justum est. Unde hoc? Quia non quæro vo- luntatem meam : non quæro voluntatem hominis; non quæro voluntatem carnis et sanguinis, sed vo- luntatem ejus qui misit me. Habeo enim naturam hominis, sed non habeo vitium hominis. Sic enim humanitas mea divinitati conjuncta est, ut peccare non possit, nihilque, nisi bonum, in voluntate habere possit. Sequitur : *Si ergo testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me, et scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.* Ac si dicat : Si ego homo testimonium perhibeo de meipso homine, secundum hoc quod homo sum, secundum hoc quod me videtis, secundum hoc quod me esse cre- B ditis, me Dei Filium, et æqualem esse dico; testi- monium meum non est verum (1143). Sed alius est in me, quem vos non videtis, qui in meipso loquens per me, testimonium perhibet de me, et scio quia verum est testimonium ejus. Hoc autem dicit de divinitate, secundum quam in sequentibus ait : « Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum (*Joan.* VIII, 14). » Quod enim Salvator noster secundum divinitatem se Dei Filium et æqualem esse dicit, verum est testimonium ejus. Quod quidem si secundum humanitatem dixisset, verum non esset. Alia igitur, secundum divinitatem, et alia secundum humanitatem intelligenda sunt. Sequitur : *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati.* Hinc enim ipse Joannes superius C ait : « Ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei (*Joan.* I, 34). » *Ego autem ab homine*

is hominis est, quid accepit? potestatem et judi- i facere. » etc., de humana natura exponit : item facit Cyrillus pag. 224, cum A. nostro, etiam illa omnia demonstrat ei, etc., de humana ra explicat. Idem facit Elias Cretensis ad orat. zianz. de Theol., Severus Antiochenus Cæsa- , etc. V. Calmet, Maldonatum, aliosque inter- es.

142) Valent hic quæ superius diximus de judi- li potestate; quare illi hunc locum adnectit Aug. priora verba de divina Christi natura explicat : id est « habet vitam Pater in semetipso? » Non habet vitam, sed in semetipso : vivere quippe in illo est, et non aliunde : non alienum est, quasi mutuatur vitam, nec quasi particeps fit , ejus vitæ quæ non est quod ipse; sed habet in semetipso, ut ipsa vita sibi sit ipse... Sicut et Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere in semetipso : ut hoc solum intersit r Patrem et Filium, quia Pater habet vitam in etipso, quam nemo ei dedit; Filius habet vitam emetipso, quam Pater dedit... Quomodo ergo t Filio vitam Pater? Non sic, quasi ante fuerit is sine vita, atque ut viveret a Patre acceperit n. Nam si hoc esset, non haberet vitam in se- ipso... Non ergo sicut anima aliquid aliud est quam illuminetur, et fit melius cum illuminatur icipatione melioris; ita et Verbum Dei, Filius aliquid aliud erat antequam acciperet vitam, ut icipando habeat vitam, sed vitam habet in se- ipso, ac per hoc ipse est vita. Quod ergo ait : t Filio vitam habere in semetipso, breviter rim; genuit Filium. Neque enim erat sine vita ccepit vitam, sed nascendo vita est. Pater vita non nascendo. Filius vita est nascendo. Pater de

nullo Patre, Filius de Deo Patre. Pater quod est, a nullo est : quod autem Pater est, propter Filium est. Filius vero, et quod Filius est, propter Patrem est; et quod est, a Patre est. Hoc ergo dixit, vitam dedit Filio, ut haberet eam in semetipso. » Vid. Chrysost. verba superius allata. Beda Augustini verba descri- bit.

(1143) Difficilis locus, judice etiam Chrysostomo, hom. 40, n. 1. Nam sæpe de se ipso testimonium perhibuit, Samaritanæ, cæco, etc. Itaque censet ex persona Judæorum hoc eum nunc dixisse, quod pa- riter Aug. sentit ser. 128, n. 1 : « Dictum est ergo hoc secundum ipsos. » Cyrillus quoque pag. 242 : « Tametsi verax esset, prospiciens tamen quid stulti Pharisæi negaturi essent... antevertit eos, et ait : « Dicetis utique... Tu de te ipso testaris; testimo- D nium tuum non est verum. » Hanc explicationem sequitur Jansenius Conc. cap. 36, Estius, Natalis Alexander. A. noster Bedam, ut fere solet, sequi- tur, qui ait, Christum dicere testimonium suum verum non esse, secundum fragilitatem carnis nimi- rum, ut alii explicant, si ego, ut solus homo de me testimonium perhiberem, paterer meum testimonium pro vero non haberi. A qua explanatione non longo abit illa Maldonati, modum esse loquendi proverbia- lem, verum non esse testimonium hominis testantis de se; quare Christum loqui et ex concessione, et ex hypothesi, et ex sensu proverbiali. Eadem vide- tur esse explicatio Cypriani epist. 69, ad Pupian. « Cum Dominus ipse doceat, et dicat : Testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis exista, eo quod unusquisque sibi faveat; » et allato hoc Joan. loco, subdit. « Quod si ipse Dominus, omnia post- modum judicaturus, noluit de testimonio suo sibi credi, » etc.

Digitized by Google

testimonium non accipio, sed hæc dico, ut vos salvi sitis. Quid est enim, *ab homine testimonium non accipio*, nisi hominis testimonio non indigeo (1144)? Semper enim veritas, veritas est, neque ad sui confirmationem alicujus testimonio eget. « Venit » enim Joannes « in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine; » non quod ejus testimonio lumen indigeret, sed « ut omnes crederent per ipsum (*Joan.* I, 8). » Hæc autem dico, non me glorificando: si enim ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est; sed *ut vos salvi sitis.* Neque enim aliter salvi esse poteritis, nisi Deum, et **233** Dei Filium me esse credideritis. Sequitur: *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Joannes, inquit, ad quem vos misistis, qui veritati testimonium perhibuit, cujus non ego, sed vos testimonio indigetis, lucerna erat, non a se, sed aliunde lumen habebat, mei amoris igne ardebat, et meo lumine lucebat. *Vos autem voluistis exsultare ad horam in luce ejus.* Bene autem *ad horam;* quia et illi fastidiosi, et lux illa temporalis. Gaudebant enim in doctrina ejus, putantes ipsum esse Christum. *Ego autem habeo testimonium majus Joanne.* Quod est illud? Vultis audire quod? *Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea. Ipsa opera quæ facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Hoc est enim quod alibi ait: « Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me (*Joan.* XV, 24). » Perhibuit quidem, quando ait: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* XVII, 5). » Et quasi illi dicerent: Sed nos illius testimonium non audivimus: subdidit dicens: *Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus unquam vidistis.* Hoc est enim, quod Joannes superius ait: « Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit (*Joan.* I, 18). » Quamvis enim per subjectam creaturam Deus aliquando et audiri et videri potuisset, nunquam tamen in propria essentia vel videri, vel audiri potuit. Sequitur: *Et verbum ejus non habetis in vobis manens*, per quod veritas intelligitur. Cur? *Quia quem misit ille, huic vos non creditis.* Tandiu enim unusquisque verbum Dei habet in se manens, id est, firmum, et stabile, quandiu a veritate non recedit. Quomodo ergo Judæi verbum Dei in se manens habere poterant, qui ipsi veritati non credebant? Veritas enim Christus est, qui de seipso ait: « Ego sum via, veritas, et vita. Scrutamini A Scripturas, quia vos putatis in ipsis v habere. Et illæ sunt, quæ testimoniu me, et non vultis venire ad me, ut v (*ibid.* XIV, 6). » Si nec mihi, inquit, nec nec Joannis Baptistæ, nec Patris tes tis, credite vel Scripturis, credite vel phetarum dictis. Illæ enim sunt, qu perhibent de me. Vos tamen non vu me, ut vitam habeatis, quam vos in bere speratis. Quid est enim venire credere in eum (1145)? Sic enim ven Non pedibus, sed fide venitur ad Ch Judæi, qui nec ipsis Scripturis cred vitam æternam se inaniter habere spe tem illis audientibus, et cogitantibu B laudem et ostentationem talia Domin eorum pravis cogitationibus Salvato cens: *Claritatem ab hominibus non a gnovi vos, quia dilectionem Dei non h* Non, inquit, ab hominibus claritate quæro, non gloriam et favorem h sed hæc dico, ut ad Dei dilectionem quam vos utique non habere cognosc ligeretis Patrem, diligeretis et Filiu neque diligitis, neque recipitis. Et hoc *Ego veni in nomine Patris mei, et non alius venerit in nomine suo, illum ac* enim Antichristus in nomine suo e non a Deo, sed a sua superbia mis veniet. Hunc autem Judæi recipient, C ad tempus venerabuntur. Et qui mo est Christo, credere nolunt, illius credent. Sed quid mirum, si veritat qui non æternam, sed temporalem glo Hoc est enim quod ait: *Quomodo p dere, qui gloriam ab invicem accipit quæ a solo est Deo, non quæritis?* His aperte monstratur, quia non bene cr lam temporalem, et non æternam runt (1146). *Nolite putare, quoniam e sim vos apud Patrem. Est qui accusa in quo vos speratis.* Sed unde eos ac nisi quia ei non credunt, cujus verbi et per omnia obedire promiserunt (1 D enim Moyses, ut Christo Judæi obe eis (1148): « Prophetam vobis suscit de fratribus vestris: tanquam meips Non dixit *prophetas*, sed *prophetam*, q solo prophetarum omnium maxim

(1144) Chrysost., hom. 40, n. 2: « Hoc est: Ego hujus testimonio humano non opus habebam, cum Deus sim. »

(1145) Beda: « Non vultis venire, id est non vultis credere, quia impossibile est sine fide placere Deo. Venire nostrum ad Christum, id est credere verum illum Filium Dei, et veram nos per illum habere salutem. »

(1146) « Considerandum est intentius, ait Beda, quantum sit jactantiæ, et humanæ laudis ambitio malum, pro quo ipsa Veritas ait, credere non posse quosdam, quia sæcularis gloriæ cupi

(1147) Id. Beda: « Ideo non accus veni damnare, sed salvare. Moyses quia increduli estis voci illius. De me ait: *Prophetam vobis suscitabit Domin*

(1148) Deuteron. XVIII, 15: « Prophe tua et de fratribus tuis, sicut me, Dominus Deus tuus; ipsum audies. » S. Brunonis in hunc locum edit. Ro col. 2.

Digitized by Google

sum, inquit, audietis. Ipsum tamen audire nolunt. Alia non credunt Moysi. Unde et subditur : *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi. De me enim ipse scripsit. Si autem* **234** *illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Quod autem ait *forsitan*, eorum duritiam increpando dixit, ut et nos intelligamus quam difficile gens illa convertatur ad bonum.

XVI. [Cap. VI.] *Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum.* Magna Dominus miracula facturus, et novi, mirabilisque panis deliciis populo daturus montem ascendit, (1149); quatenus et nos quotiescunque spiritualibus, novisque epulis satiari cupimus, non montis, sed mentis altitudinem et ingenii sublimitatem ascendamus. Quoniam autem talibus deliciis refecti, festivitatem agere, et Christi carnem et sanguinem suscipere digni sunt, merito hic dicitur : quia proximum erat Pascha dies festus Judæorum : securi enim ad hanc festivitatem veniunt, qui talibus epulis sunt repleti. *Cum sublevasset ergo Jesus oculos, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum : Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Sciebat enim Dominus quid facturus erat. Sed tentando Philippum, audire volebat quid de ejus omnipotentia sentiebat : simulque novum illud miraculum, discipuli responsione extollebat, cum ex quinque panibus tot homines reficeret, quibus, secundum illius testimonium, ducentorum denariorum panes non sufficerent, ut unusquisque modicum quid acciperet. Sic enim *Philippus respondit*, dicens : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ejus, frater Simonis Petri : Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos?* Puer iste, populus Judaicus est (1150), sensus adhuc intelligentiæ puerilis. Quinque vero panes quinque libri Moysi intelliguntur. Quos panes populus ille ubique secum portat, et non comedit, quia legit tantum Scripturas et non intelligit. Hæc autem, quia in Matthæo exposuimus (1151), ut iterum exponamus, non tantum necessarium, quantum superfluum et laboriosum esse videtur. Similiter autem et cætera, quæ sequuntur, usque ad illum locum ubi turba, quæ modo superius panes in monte comederat, quærens eum et inveniens Capharnaum, ait ei : *Rabbi, quomodo huc venisti?* in Matthæo determinata sunt. *Quibus Jesus respondens ait : Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis de panibus et saturati estis.* Quæritis, inquit, me, non propter signa quæ vidistis, non propter sermonem meum, quem audistis, non ut mihi, vel signis quæ facio, credere velitis, sed quia manducastis de panibus, et saturati estis (1152). Considera modo quantæ suavitatis panes illi fuerint, quamvis hordeacei, quorum dulcedine capta tota hæc turba adhuc Dominum sequebatur. Sequitur : *Operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quam Filius hominis vobis dabit. Hunc enim Pater significavit* (1153) *Deus.* Cibus enim iste, qui manet in **235** vitam æternam, sermo Dei est, quo anima

(1149) Aug. Tract. 24 : « Dominus in monte, verum est in alto. Proinde non quasi humiliter jacet, quod in monte factum est, nec transeunter præterundum est, sed suscipiendum. »

(1150) Aug. Tract. 24 in Joan. : « Si quæramus quis fuerit puer iste, forte populus Israel erat. »

(1151) Ad cap. XIV, n. 61. Vid. ib. explicationem S. Hilarii, Augustini, Bedæ.

(1152) S. Gregor. lib. XXIII Moral. c. 25, 26 : « In Scriptura enim sacra panis aliquando ipse Dominus, aliquando spiritualis gratia, aliquando divina Scripturæ eruditio, aliquando hæreticorum prædicatio, aliquando subsidium vitæ præsentis, aliquando jucunditas humanæ delectationis accipitur. In pane Dominus signatur, sicut ipse in Evangelio dicit : Ego sum panis vivus, etc. Rursus per panem gratia divini spiritalis accipitur, sicut per prophetam dicitur : *Qui obturat aures suas*, etc., *panis ei datus est*... Rursus per panem, divinæ doctrinæ eruditio designatur, sicut per prophetam dicitur : *Qui habitatis in terra Austri, cum panibus occurrite fugienti.* Rursum per panem, hæreticorum prædicatio designatur.... *Panes occultos libenter edite....* Rursum per panem subsidium præsentis vitæ accipitur.... Sicut in Evangelio : *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis.* Satiatos quippe de panibus Dominum sequi, est de S. Ecclesia temporalia alimenta sumpsisse, et non pro signis Dominum, sed pro panibus quærere, » etc.

(1153) Perspicue ita in Codice nostro legitur pag. 185. Nec esse mendum amanuensis apparet ex interpretatione quam post subjicit Bruno : « Hunc enim cibum Deus Pater significavit, quando in deserto manna pluit, » etc. Vett. tamen codd. omnes Latini apud Sabatier *signavi*, Græci ἐσφράγισε. Varia tamen PP. interpretatio est. Chrysost. hom. 44, n. 1, duas affert explicationes : 1. Propterea misit qui hunc vobis cibum ferret, 2. Manifeste ostendit : » Quam posteriorem magis probare videtur addens : « Nihil enim aliud est *signavit Pater* quam ostendit, revelavit testimonio suo. » Hanc recentiores nonnulli sequuntur, ut Jansenius in Conc., cap. 59, p. 300 : « Signatum vero se vel pro *unctum* posuit (consignatur enim qui ungitur), vel quod ostendit se naturaliter esse Patri conformatum. Idem igitur est ac si diceret : Non erit mihi difficile cibum vobis dare permanentem. Nam etsi tanquam unus vestrum apparebam, unctus sum tamen et signatus a Deo Patre in omnimodam similitudinem cum ipso. » Atque eadem videtur esse explicatio Hilarii 8 de Trin. Duas ergo Cyrillus expositiones habet, 1. de J. C. signato in humanitate per unionem divinitati ; 2. de signato per ipsam Verbi generationem. Atque hanc Toletus amplectitur; priorem Cyrilli simul cum posteriore Chrysostomi Natalis Alex. et Calmet, Augustin., S. Cyrillus. Vid. August. Tract. 25 et Bedam ejus verba describentem. « Iste filius hominis sequestratus quadam gratia Spiritus, et secundum carnem filius hominis, exceptus a numero hominum. Signare quid est, nisi proprium aliquid ponere? Hoc est enim signare, imponere aliquid, quod non confundatur cum cæteris... Pater ergo cum signavit... proprium quiddam illi dedit, ne cæteris comparetur hominibus. Ideo de illo dictum est : *Unxit te Deus*, etc.

Digitized by Google

pascitur, et nutritur (1154). Unde et bene ait : *quem Filius hominis dabit vobis.* Omnem enim hujus Evangelii cibum, omnes has tales, tantasque epulas Filius hominis Jesus Christus nobis apposuit et ministravit. Sed quomodo hunc cibum operari possumus? Audi Apostolum : « Non auditores legis, inquit, justi sunt apud Deum, sed factores (*Rom.* II, 13). » Faciamus igitur quod lex præcipit. Faciamus quod Evangelia jubent, si hunc talem cibum operari volumus. Hunc enim cibum Deus Pater significavit, quando in deserto manna pluit, quo per annos quadraginta populum pavit. De quo scriptum est : « Panem de cœlo dedit eis habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis (*Sap.* XVI, 20). » Ille igitur cibus hunc cibum significabat. *Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Respondit Jesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Qui enim in Christum non crediderint, neque opera Dei operari, neque legem intelligere, neque cibum spiritualem et æternum suscipere poterunt. Opus igitur Dei, sermo Dei, totusque hic cibus spiritualis in fide consistit (1155). *Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi, quod operaris? Patres nostri manna manducaverunt in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare.* Ac si dicant : Ostende nobis aliquod signum, per quod tibi operibusque tuis credere debeamus. Panes quidem nobis dedisti, saturati sumus. Mira sunt valde quæ vidimus. Nobis tamen hoc signum non sufficit. Simile quiddam et Moysem fecisse audivimus. Nam et ipse patribus nostris panem de cœlo dedit, quem patres nostri in deserto manducaverunt. Non tamen, sicut tu, eos in se credere præcepit. *Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen, dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo.* Non bene, inquit, intelligitis quid illud significet quod dicitur : « Panem de cœlo dedit eis. » Alius panis valde dissimilis, majorisque dignitatis in his verbis significatur. Moyses enim panem significativum, et non verum panem de cœlo descendentem, vobis dedit. Sed modo Pater meus dat vobis panem de cœlo verum, quem tamen ille panis significabat. A Dei, ille est qui de cœlo descendit, q Patris exiit, et dat vitam mundo. *Dixer eum : Domine, semper da nobis panem hu* petitionem faciebant, si tamen intellexis pane Dominus loquebatur. *Dixit autem Ego sum panis vitæ.* Ego sum panis, descendi. Ego sum ille panis, qui dat vi *Qui venit ad me, non esuriet; qui credit sitiet unquam. Sed dixi vobis, quia vidisti creditis.* Diximus jam superius quia Christum (1156), hoc est credere in illum quisque quanto fidelior est, tanto pro iste quidem neque esuriet, neque siti quia postquam de hoc mundo exierit B æternum deliciis perfruetur. Hæc autem non, ut vos putatis, me glorificando, s *stis me*, quia in signis et miraculis co et virtutem meam, et *non* tamen *creditis* tamen, quia quandoque credetis, quotqu prædestinati estis. Hoc est enim, quod *quod dat mihi Pater, ad me veniet*, id credet, *et eum, qui venit ad me, non ej* Cur? *Quia descendi de cœlo, non ut fac tem meam, sed voluntatem ejus, qui mi* inquit, neminem ad me venientem, nem credentem foras ejiciam. Ideo ipsis quoqu cis, et persecutoribus parcam, quia desce non ut faciam voluntatem meam, id e tem hominis, voluntatem illius naturæ C cepi de homine, sed voluntatem ejus, q Hominis enim voluntas est, inimicos suasque injurias vindicare (1157). Dei luntas qualis sit, audiamus. *Hæc est*, in *tas ejus* **236** *qui misit me, Patris, u dedit mihi, non perdam ex eo, sed res in novissimo die.* Omnes igitur eos, q prædestinati sunt, etiamsi ei inimici, aliquando exstiterunt, salvabit tamen tabit Jesus. Isti sunt enim, quos Pater Dedit autem secundum humanitatem. *Hæc est enim voluntas Patris mei, qui omnis qui videt Filium, et credit in vitam æternam, et ego resuscitabo eum*

D

Ergo signare quid est? Exceptum habere, hoc est, pro participibus tuis. » Hanc sua quadam ratione et modo explicatam proponit Maldonatus,

(1154) Chrysostomus hom. 43, eleemosynam et pauperibus datum cibum interpretatur. Apposite ad contextum August. tract. 25, ipsum Dominum Jesum, in quem credere deberent. Ita et Beda. Cyrillus subinnuere ait « mysticum et spiritalem cibum, per quem corpore et animo sanctificati vivimus in ipso. »

(1155) Accedit ergo ad interpretationem Augustini superius expositam.

(1156) Aug. De prædest. SS., c. 3: « Quid est *ad me veniet* nisi : credet in me?

(1157) Augustin. contr. sermon. Arian., c. 7 : « Quanquam et hoc ipsum quod dicit Jesus *Descendi de cœlo*, etc., ad illud referatur, quod homo primus Adam... faciendo voluntatem suam, non ejus a quo factus est, universum genus humanum vitiata, culpæ et pœnæ fecit obnoxiu contrario per quem liberandi fueramus voluntatem suam, sed ejus a quo mi quippe hoc loco dicitur voluntas sua, u esse propria contra voluntatem Dei. Neq obedimus Deo, eaque obedientia dicimur voluntatem, nolentes id facimus, sed v per hoc si volentes id faciamus, quom tem nostram non facimus; nisi quia illa luntas nostra, quando Scriptura ita lo intelligitur esse propria contra voluntate habuit Adam, ut in illo moreremur. habuit Christus, ut in illo viveremus. quippe humana hoc recte dici potest, in per inobedientiam voluntas propria, qua tati esset adversa. Cæterum quod attine tatem Filii, una eademque voluntas est P

Digitized by Google

ie. Non solum enim illi qui viderunt, et credi- A
erunt, sed et illi qui non viderunt et credi lerunt,
abebunt vitam æternam, sicut apostolo Thomæ
ominus ait : « Quia vidisti me, Thoma, credidisti.
eati qui non viderunt, et crediderunt (*Joan.* xx,
9). » Videre tamen pro cognoscere accipi potest.
iquidem quid est credere in eum, nisi quibusdam
dei, spei, charitatisque pedibus sic in eum ten-
ere, eique adhærere, ut homo ulterius ab eo nec
ısa morte valeat separari? Sic enim Apostolus ad
um venerat, et in eum crediderat, qui ait : « Cer-
ıs sum autem quia neque mors, neque vita pote-
t me separare a charitate Dei, quæ est in Christo
esu (*Rom.* VIII, 38). » Qui enim aliter ad eum ve-
it, qui aliter in eum credit, nihil ei vel venisse,
el credidisse proderit. Quod autem venire ad B
um, et credere in eum idem significent, ex eo ap-
aret, quod ipse aliquando dicit, *qui venit ad me*,
t aliquando, *qui credit in me*, alterum pro altero
onens.

XVII. *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixis-
t : Ego sum panis, qui de cœlo descendi. Et dice-
ant : Nonne hic est filius Joseph, cujus nos novimus
atrem, et matrem? Quomodo ergo hic dicit, quia de
'o descendi?* Impossibile enim videbatur eis, ut
e cœlo descendisset, quem hominem tantum,
ı ex hominibus natum esse credebant. Et re-
era, si aliud non esset, de cœlo descendere non
otuisset. *Respondit Jesus, et dixit eis : Nolite
urmurare invicem. Nemo potest venire ad me, nisi
ater, qui misit me, traxerit eum, et ego resusci- C
bo eum in novissimo die.* Nolite, inquit, murmu-
re, nolite corda indurare. Scio enim, quia non
otestis venire ad me, quoniam Pater non trahit
s. Nemo enim potest venire ad me, nisi Pater,
ui misit me, traxerit eum. Trahit autem non vio-
ntia, sed amore. Secundum quam significationem
citur : *Trahit sua quemque voluptas* (1158). Deus
tem neminem trahit, nisi venire volentem, et
lvari cupientem. Unde scriptum est : « Si voluerı-
ı et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod
noluerıtis, gladius devorabit vos (*Isa.* ı, 19). »
æc est igitur causa cur isti ad eum venire, et
ım intelligere non poterant, quibus hoc Dominus
loquebatur. Quoniam autem malorum resurrectio
potius mortem, quam vitam afferet, ideo hic de
viro justo Dominus ait : *Et ego resuscitabo eum in
novissimo die.* Ille enim vere resuscitabitur, qui nihil
eorum quæ ad mortem pertinent, ulterius sustine-
bit. Sequitur : *Est scriptum in prophetis :* (1159)
Et erunt omnes docibiles Dei. Docibilis enim est, qui
doceri potest. Tales enim sunt Ecclesiæ filii. Quibus
ipse Dominus ait : « Vobis datum est nosse myste-
rium regni cœlorum : illis autem non est datum,
ut videntes non videant, et audientes non intelli-
gant. Incrassatum est enim cor populi hujus, et au-
ribus graviter audierunt, et oculos suos **237** clau-
serunt, ne quando videant oculis et auribus au-
diant, et convertantur, et sanem eos (*Matth.* XIII,
11-14). » Eos igitur trahit Pater, et illi ad Filium
veniunt, qui docibiles sunt, qui ejus fidem, atque
doctrinam et doceri, et instrui possunt. Unde et
subditur : *Omnis qui audivit a Patre et didicit,
venit ad me.* Ille enim est docibilis, qui audivit et
didicit. Non enim sufficit audire. Omnes enim isti
audiebant Patrem, quia in Filio et per Filium lo-
quebatur Pater. Tamen non veniebant ad Filium,
quia ea, quæ dicebantur, intelligere et discere no-
lebant. Sequitur : *Non quia Patrem vidit quisquam;
nisi is, qui est a Deo. Hic vidit Patrem.* Non ideo,
inquit, dixit : *omnis qui audivit a Patre*, quod ali-
quis Patrem in propria substantia vel audire, vel
videre possit, nisi ille solus qui a Deo est, qui a
Deo exivit, qui est Deus de Deo, lumen de lumine.
Hic solus videt Patrem. Unde et alibi ait : « Nemo
novit Filium, nisi Pater, et nemo novit Patrem, nisi
Filius, et cui voluerit Filius revelare. Amen, amen
dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam
(*Matth.* IX, 27). » Dixi vobis, et iterum dico, qui
credit in me, habet vitam æternam. Ecce dixi vo-
bis, si credideritis, beati eritis : si non credideritis,
nulla restat excusatio. *Ego sum panis vitæ. Patres
vestri manducaverunt in deserto manna, et mortui
sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex
ipso manducaverit, non moriatur.* Murmuratis, in-
quit, quia dixi vobis, *Ego sum panis vivus, qui de
cœlo descendi.* Ecce iterum dico vobis, *quia ego sum
panis*, et *panis vitæ*, et quia *descendi de cœlo.* Hoc

. Nec potest ullo modo esse diversa, ubi est natura D
rinitatis immutabilis universa. Ut autem Mediator
ei et hominum homo Christus Jesus non faceret
opriam quæ Deo adversa est voluntatem, non erat
ntum homo, sed Deus et homo : per quam mira-
lem singularemque gratiam, humana in illo sine
ccato ullo posset esse natura. » Gregor. l. XXXV,
or., cap. 12 : « Quid enim, si suam faceret : eos
ui ad se veniunt repulisset? Quis autem nesciat
iod voluntas Filii a Patris voluntate non discrepet?
ed quoniam primus homo, qui suam facere volun-
tem voluit, » etc. Vide eamdem quam Aug. expli-
ationem suggerentem.

(1158) Notissima Aug. verba ad h. l., tract. 26. Joan. : « Nec timere debemus, ne... forsitan re-
rehendamur, et dicatur nobis : Quomodo voluntate
edo, si trahor? Ego dico : Parum est voluntate;
iam voluptate traheris... Est quædam voluptas cor-
is, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro si poetæ di-
cere licuit : *Trahit sua quemque voluptas :* non necessi-
tas, sed voluptas : non obligatio, sed delectatio; quanto
fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum
qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, dele-
ctatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum
Christus est, etc.? » Beda quoque : « Quomodo tra-
hit Pater? Docendo delectat, non necessitate co-
gendo; quia nemo necessitate credit, sed volun-
tate. » Cæterum hunc evangelicum locum tractat
August. sæpius, ut lib. I De præd. SS., c. 8 lib. 1
De Grat. C. c. 12 et c. 14; lib. I, Cont. 2, epist.
Pelagianor., c. 3; serm. 131, c. 1, ubi pariter. Non
dixit *duxerit*, sed *traxerit*. Ista violentia cordi fit,
non carni. Quid ergo miraris? crede, et venis; ama,
et traheris... nonne ovis trahitur, cum esurienti
herba monstratur, » etc. Vid. A. De vocat. gent.
lib. II, c. 9. « Prosperum, » etc.

(1159) Quam egregie hic locus a doctiss. theologo
Aug. Antonio Georgio illustratus sit quisquis videre

Digitized by Google

enim pane et angeli nutriuntur, et homines. Cur autem panis vitæ dicatur, ipse exponit, dum dicit : *Ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Et ipse quidem de cœlo descendit secundum divinitatem (1160) : *Patres vestri manducaverunt in deserto manna, et mortui sunt.* Melior est igitur panis iste quam manna, quoniam illi qui manducaverunt manna, mortui sunt; qui vero ex hoc pane manducaverit, non morietur. Merito enim et in Ezechiele, et in Apocalypsi aquilæ speciem beatus Joannes habere describitur, quoniam et altius volat, et solem justitiæ Christum Dominum nostrum præ cæteris Evangelistis subtilius intuetur. Nonne vides quomodo nunc a terris elevatur, et jam inter nubes volans, ipsum quoque cœlum penetrare videtur? Mortui quippe sunt et Moyses et Aaron, et cæteri sancti qui manna manducaverunt. Sed nunquid apostoli quoque mortui non sunt, qui panem vitæ comederunt? Quantum enim ad carnem et isti, et illi mortui sunt. Vivunt autem et isti, et illi quantum ad animam. Nulla igitur inter hos et illos differentia. Non sunt itaque Moyses, et Aaron patres illorum, quibus hæc Dominus loquebatur. Si enim illi eorum filii essent, eorum opera fecissent. Horum igitur patres illi fuerunt, quos toties murmurasse, idola coluisse, et Deum ad iracundiam provocasse Scriptura commemorat. De his igitur Dominus ait : *Patres vestri manducaverunt in deserto manna, et mortui sunt.* Patres utique vestri, quorum vos imitatores et similes estis. Sequitur :

XVIII. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Jam nunc, ipso Domino exponente, intelligimus quid sit iste panis. Iste enim panis, caro Christi est, quæ pro mundi vita in ara crucis immolata est. Hanc autem manducat Ecclesia, ideoque non moritur; sed vivit in æternum. Panis enim et vinum, quæ in altari ponuntur, ad sacerdotis vocem cœlesti benedictione sanctificantur, et in Christi carnem et sanguinem essentialiter commutantur, ut una eademque essentia sit et ejus carnis, quæ de Virgine nata est, et ejus, quæ de pane facta est. Hoc autem tam magnum et admirabile sacramentum

A eo tempore cœpit, quo Salvator nost
vinum benedicens discipulis ait : « comedite, hoc est corpus meum; et, novi testamenti in meo sanguine (*Mat* 27). » Nunquam enim Christi carnem crificium corporaliter quisquam comed nisi hoc sacrificium fieret corporali mederet quisquam. In hoc igitur com mesta non minuitur; quæ nunquam nisi panis iste Christi benedictione in tialiter mutaretur. Est enim hæc mu Excelsi. Sed quis miretur Christi carn non minui, cum certum sit ex quin quinque millia hominum **238** satiat panes non diminutos, sed potius multipl

B Si enim panum fragmenta non sunt potius iliis edentibus multiplicata, q verunt quinque millia homines; und sunt, ut eis ad se venientibus Dominus *ritis me, non quia signa vidistis, sed q stis de panibus, et saturati estis?* Dicis f sunt hæc. Nihil enim fecit Deus, quod sit. Quia vero hanc Christi aquilam s sumus volando, sequamur eam vel cred hoc Judæi fecissent, non periissent. D ditur.

XIX. *Litigabant ergo Judæi ad invic Quomodo hic potest nobis carnem suam ducandum?* Ut enim Apostolus ait : « A non percipit ea quæ Dei sunt (*I Cor.* 1

C tabant enim Judæi, hoc dicere Jesum, derent, et in frusta conciderent, sic nem vel coctam, vel crudam comede sanguinem biberent. *Dixit ergo eis Jesus dico vobis, nisi manducaveritis carnem et biberitis ejus sanguinem, non habebiti bis* (1162). *Qui manducat meam carnem sanguinem, habet vitam æternam, et e eum in novissimo die.* Quid est hoc? Mu ducant Christi carnem, et bibant ejus qui non habent vitam æternam. Unde ait : « Qui enim manducat, et bibit cium sibi manducat, et bibit (*I Cor.* 1 quoque in hoc altaris sacramento C

D

potest in recenti versione, et commentario fragmenti vetustissimi litteris Copto-Thebaicis exarati ad hoc vi caput Joan. spectantis. Ante invicte veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia eruditissimus auctor probaverat, modo gratuitum vocationis ad fidem Dei donum, ejusque gratiæ adjutorium ad salutem plenissime præsertim ex doctrina S. Augustini demonstrat. Vid. pag. 129 et seqq. Opus editum est Romæ a. 1790.

(1160) Cyrillus, lib. De rect. fid. ad Regin : « Descendisse inquit se de cœlo, missumque esse a Deo et Patre, quamvis omnia impleat; illud, opinor, demonstrans, et constituens omnibus manifestum, quod Deus existens Verbum descenderit dispensative ad humanitatem propter nos, non dimittendo quod erat natura Deus, sed assumendo magis id quod non erat... Igitur proprium Dei Verbi, quod descendit de cœlo, per quod factus est primogenitus ex mor-

tuis, » etc. Fulgentius, l. II, ad Trasim. quidam cum audiunt descendisse, desce affirmare nituntur localem; quia nesci oportet, considerare virtutem, nec vale sic pro homine Deum hominem factum hominis forma, maneret immutabilis stantia; nec sic intelligunt temporali semper fuisse teneant sempiternum. etiam considerare contemnunt, qualit rit, cum perseveraret immensus, » et

(1161) Simili fere pacto contra in dæum Cyrillus argumentatur ad Joa verba. *Quomodo hic potest*, etc. scrib modo egressus es ex Ægypto? quomo serpentem versa est virga Mosaica? qu lepra infecta est, et in pristinum statu dit? » etc.

(1162) His ex verbis inferri aliqui

Digitized by Google

rporaliter non manducant, neque ejus sanguinem A
unt, qui tamen habebunt vitam æternam. Ille
tur revera Christi carnem et sanguinem manducat,
bibit, qui ita altaris sacramentis participat,
sic Dei Filio jungatur, et uniatur, simulque
m eo unum quid efficiatur, ut jam ulterius ab
nequeat separari. Ut enim de nobis sumamus
emplum, cibus iste temporalis et coruptibilis,
o nos utimur, sic post digestionem secundum
amdam partem sui in nostram carnem et san-
inem vertitur, ut simul cum eis substantia-
er idem sit, et jam ab eis separari non possit.
iid est enim manducare, nisi inseparabiliter ad-
rere (1163)? Sequitur : *Caro enim mea vere est*
us, et sanguis meus vere est potus. Ad hoc enim
bum et potum sumimus, ut vivamus, et fame et B
i non pereamus. Ille igitur cibus, et potus, vere
t cibus et potus, qui omnem tollit esuriem, et
tam parat æternam. *Qui manducat carnem meam,*
bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo.
se Dominus exponit qualiter ejus verba intelligere
beamus. Qui, inquit, manducat carnem meam, et
bit sanguinem meum, sicut talem cibum, et potum
anducare, et bibere convenit, sic mihi conjungi-
r, sic mihi unitur, sic totus in me transfertur, ut
me inseparabiliter maneat, et me in se manentem
beat. Indignus igitur est Christi carnem suscipere,
i in ejus amore non perseverat. *Sicut misit me*
vens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui man-
ucat me, et ipse vivet propter me. Quamvis, inquit,
ro mea comedatur, et sanguis meus bibatur, ego C
men immortalis sum, semperque vivo, et mori
n possum. Sicut enim Pater, qui misit me, sem-
r vivit, et nunquam moritur, ita et ego semper
vo, non propter matrem, sed propter Patrem, id
t propter divinitatem, quam habeo de Patre. Et
i manducat me, quoniam ego sum via, veritas,
vita, ipse quoque non morietur, sed semper vi-
t propter me. Quomodo enim potest mori, in quo
mper est vita (1164)? Hic est, id est, talis est
nis, qui de cœlo descendit. *Non sicut manduca-*
runt patres vestri manna, et mortui sunt, ita mo-
untur, qui hunc panem manducant. *Qui enim hunc*
anem manducat, vivet in æternum. Patres, inquit, ve-
tri, quorum vos malitiam imitamini, et quibus similes D

estis, manducaverunt manna, et mortui sunt. Hunc vero panem qui digne manducat, vivet in æternum. *Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic* **239** *sermo et quis potest eum audire?* Hoc enim præviderat Dominus, quando dicebat : *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Isti enim, ut in sequentibus legitur, abiere retrorsum, et amplius eum non sunt secuti. *Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis : Hoc vos scandalizat?* Non vos, inquit, hoc scandalizet, quia non est, ut vos intelligitis. Intelligite prius, et tunc judicate. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Hæc, inquit, verba spiritualia sunt, quæ carnaliter intellecta generant mortem; si vero spiritualiter intelligantur, vitam parant æternam. Carnaliter enim ea intelligebant, qui Christi carnem in frusta concidendam, et sic comedendam esse, putabant. Spiritualiter vero ea intelligunt, qui panem, et vinum in Christi carnem et sanguinem divinitus commutata se comedere et bibere credunt. Quod enim in proprietate sui, caro, et sanguis visibiliter oculis non apparet, et gustu non sentitur, solus horror hoc facit. Quis enim ea videret, quis suscipere non horreret? Ait ergo : *Si videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius*, tunc, subauditur, intelligetis quia hæc *verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Spiritus enim, id est, spiritualis intellectus est, qui vivificat; caro autem, id est, carnalis intellectus in hujusmodi verbis nihil prodest. Sic enim se habet ordo. Si ergo videritis, inquit, Filium hominis vivum, et integrum ascendentem, ubi secundum divinitatem prius erat, tunc hæc verba spiritualia esse scietis. Non enim integer illuc ascendisset, si, secundum istorum intelligentiam, in frusta concisus, penitusque devoratus fuisset (1165). Sequitur : *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum. Et dicebat : Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Cur propterea? Quia videtis me, quia auditis me, et tamen non

ifestum præceptum ministrandi SS. Eucharistiam arvulis nuper baptizatis, quos invicte refutat idem lariss. Georgius in supracit. Comment., p. 151 et seqq.

(1163) Præclare in hanc sententiam S. Cyrillus ad æc ipsa verba, p. 363. « Qui manducat ergo sanctam arnem, habet vitam æternam : habet enim caro in eipsa Verbum, quod vita est secundum naturam; tque ideo addit dixisse : *Ego resuscitabo*, non ieum corpus resuscitabit; nimirum non quasi alter xistens a sua carne, ac non plane alter secundum aturam... Quemadmodum enim si quis ceram ceræ onjunxerit, utique alteram in altera esse videbit : odem quoque opinor modo qui Salvatoris nostri arnem suscipit, et bibit ejus pretiosum sanguinem, it ipse ait, unum quiddam cum eo reperitur : comistus quodammodo, et immistus ei per illam paricipationem, ita ut in Christo quidem ipse repe-

riatur, et vicissim Christus in ipso. » Et postquam subjecit simile aliud de fermento evangelicæ mulieris, iterum scribit : « Sic minima eulogia totum nostrum corpus in se miscet propriaque replet efficacia; atque ita Christus in nobis existit, et nos vicissim in ipso. »

(1164) Ita plane idem Cyrill. pag. 363. « Fieri enim prorsus nequit, ut qui secundum naturam vita est corruptionem non superet ac vincat mortem. » Et rursus. « Incredibile enim est, imo vero impossibile, ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet. »

(1165) Ita prorsus August. serm. 131. « Cogitantibus, nec sonantibus voce respondit, ut se auditos esse cognoscerent, et talia cogitare desinerent. Quid sibi vult? Hoc vos scandalizat? Putatis quia de hoc corpore quod videtis, partes facturus sum, et tam-

Digitized by Google

creditis in me. Crederetis enim, si datum esset vobis a Patre meo. Stabat in medio eorum Jesus, videbat omnes, cognoscebat omnes, sciebat qui ad vitam et qui ad mortem prædestinati erant. Multos vocabat, sed paucos eligebat. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim : Nunquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Ad quem, inquit, ibimus, si te relinquimus? Tu enim solus es, et nemo alius, per quem mundus salvari possit. Verba vitæ æternæ habes, quibus qui non crediderit, in æternum peribit. Nos autem credimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. *Respondit eis Jesus : Nonne ego vos duodecim elegi? Et unus ex vobis diabolus est. Dicebat autem de Juda Simonis Scariothis. Hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.* Elegerat enim Dominus Judam non ad felicitatem, sed ad apostolatum (1166). Et ipse quidem diabolus erat; non tamen natura, sed imitatione. Nam ipse quoque diabolus, non natura, sed vitio (1167) diabolus est: diabolus enim *defluens* (1168) interpretatur. Quod nomen bene Judæ traditori convenit, qui ex tanta sublimitate in tantum præcipitium defluens ruit.

240 XX. [Cap. VII.] *Post hæc ambulabat Jesus in Galilæa; non enim volebat in Judæa ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* Hoc enim faciebat Jesus, non quod mortem, vel Judæos timeret, sed ut fidelibus suis exemplum præberet. Unde et alibi ait: « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* x, 23). » *Erat autem in proximo dies festus Judæorum Scenopegia.* Scenopegia festivitas erat tabernaculorum (1169). E filii Israel in umbraculis septem diebus Apostolus ait : « Omnia hæc in figura illis (*I Cor.* x, 11). » Illa enim festivi stram festivitatem significabat (1170), sancti a Christi resurrectione usque ad summationem a servili et iniquo opere in bono opere perseverant. Bene autem septem, per quos ex tunc omnes dies is tur : siquidem non sunt dies nisi sept in umbraculis habitabant, nisi quia un deficiunt, utpote non habentia fundame que tempore in eis habitatur? Unde ait : « Non enim habemus hic manente sed futuram inquirimus (*Heb.* XIII, 14) mista : « Quoniam incola ego sum apud et peregrinus, sicut omnes patres mei (*P* 15). » — *Dixerunt autem ad eum fratres hinc, et vade in Judæam, ut discipuli tui ra tua, quæ facis. Nemo quippe in occult cit, et quærit ipse in palam esse.* Qui sin fratres, sæpe jam diximus, isti enim su propinqui erant secundum carnem, e videlicet virginis Mariæ (1171). Mos eter etarum Scripturarum quoslibet valde fratres vocare. Carnales igitur fratres silium dabant, quo Salvator noster mu acquireret, et suum nomen longius dila que non in occulto, sed palam et in co torum, miracula Christum Dominum fa nebant. Ostendunt autem, plures discipul eum habuisse, qualis Nicodemus fuit. et

dra mea concisurus, et vobis daturus? Quid si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? certe qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. »

(1166) Quæstionem movet Aug. qu. 117 in Genes. propter verbum *elegi :* « Non enim, ait, facile invenitur electorum nomen in malo. Quod si putaverimus et illud (Judam) electum, ut per ejus traditionem Domini passio compleretur, id est malitiam ejus ad aliquid electam, bene utente Deo etiam malis; illud attendamus ubi ait : *Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegi*, ubi declarat, ad electionem non pertinere nisi bonos. Ac per hoc illud quod dictum est. *Ego vos duodecim elegi* per synedochen dictum est, ut nomine majoris melioris-que partis, etiam illud complecteretur quod ad ipsum nomen non pertinet. » Eamdem quæstionem proponit tract. 27, et duas adhibet responsiones; primam (quam l. all. rejecit) de electione ad aliquid, quo bene utatur Deus. Ego undecim elegi diceret. An eligitur et zabulus, et in electis est zabulus? Electi in laude solent dici. An electus est iste de quo nolente et nesciente magnum aliquid boni fieret? » Secundo respondet. « Potest et sic intelligi quod ait *duodecim elegi*, quia sacratus est numerus. Non enim quia periit inde unus, ideo illius numeri honos demptus est : nam in locum pereuntis alius subrogatus est : mansit numerus consecratus, numerus duodenarius. » Hoc tamen scrupulo Aug. exemptus erat scribens lib. De correpl. et grat. c. 7: « Cum audimus *Nonne ego vos duodecim elegi*, etc., illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad regnum suum; illum ad effundendum suum. » Commodissime omnino A. no electionem ad apostolatum : imo Jans cord. cap. 59, Maldonatus, etc., agi hic ad apostolatum omnium illorum duodec atque ita solvunt quod Aug. objecera *Non de omnibus vobis dico*, etc. : quod i de electione simpliciter, qua aliqui dic lute electi, alii vero reprobi.

(1167) Epiphanius hær. 38 : « Diabol natura, sed mente. »

(1168) Diabolus, dictio Græca διάβολος calumniator, accusator, a διαβάλλω, traj culpam in alterum. A. sive is quem sequit pro ἀποβάλλω sumpsisse videtur.

(1169) August. tract. 28 ad h. l. : scenopegia, Scripturas qui legerunt, nov et Hieron. ad cap. XII Osee. V. eti cap. XXIII.

(1170) Theophylactus ad h. l. : « Festu giæ, quod celebrabant in gratiarum acti pter convectas fruges mense Septembris gratias agebant Domino, convectis omn bus; ideoque tabernacula fiebant, et qu agentes lætabantur)... significat resu quando omnes quidem fructus nostrorum consummantur, tabernaculaque nostra, destructa, iterum construuntur. »

(1171) Beda ad h. l. : « Fratres Domini S. Scripturæ more consanguinei S. Ma Virginis dicebantur. » Ex Augustin. ad h

Digitized by Google

ejus opera videre cupiebant, in eo, quod dicunt, *et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Si facis, manifesta teipsum mundo.* Hoc autem est, ac si dicerent : Aut cessa a miraculis, aut, ea facis, ita fac ut mundo per miracula manifeteris. *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Omnino enim credebant eum esse prophetam, non tamen Dei Filium eum esse credebant (1172). *Dixit ergo eis Jesus : Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum.* Dies, inquit, mihi, ut me mundo manifestem. Dicitis laudem et gloriam quæram. Sed tempus gloriæ meæ nondum advenit. Veniet autem in judicio, mundo mihi « curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua (*Isa.* XLV, 24). » *Tempus autem vestrum semper est paratum*, quo et mundi favore, hominumque favore, et vana gloria decipiamini (1173). *Non potest mundus odisse vos. Me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt.* Quid est enim, quod ait : *Non potest mundus odisse vos*, cum ipsos mundi amatores, per ipsos significantur, tam multa per odium per se bella, lites et contentiones habere videas? Quod igitur ait : *Non potest mundus odisse vos*, hoc est, ac si diceret : Non potest mundus odisse fratres vestros, opera vestra, et malitiam vestram. Si enim odisset, non fecisset, ac per hoc de hoc mundo mundus non esset. Me autem odit, *quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt.* Hæc est enim maxima, et principalis causa qua omnes iniqui et ipsum Christum, et membra Christi odio habent. Hinc est, quod tyranni, sacrilegi, adulteri, et perjuri, omnesque facinorosi in Ecclesiam insurgunt. *Vos ascendite ad diem festum istum, etc. Ego enim non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.* Vos, inquit, qui hominum laudem quæritis, qui populi favorem concupiscitis, qui mundi gloriam ideratis, vos ascendite ad diem festum illum hunc, ubi non misericordia, non Dei gratia, non peccatorum remissio, sed laus sola, et inanis gloria quæritur. Ego enim, qui talibus non delector, qui hujusmodi gloriam non appeto, non ascendo ad diem festum istum. Cur? *Quia tempus meum nondum impletum est.* Prius enim plenitudo gentium intrabit, prius omnis Israel salvus fiet, prius ad judicium veniam quam hujus tantæ gloriæ tempus adveniat. *Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres, tunc et ipse ascendit ad diem festum.* Ascendit utique ad diem festum, sed non ad illum, ad quem fratres ejus ascenderunt. Alioquin verum non esset, quod ipse ait : *Ego non ascendo ad diem festum istum* (1174). Dies festus Domini non exterius, sed interius; non in facie, sed in mente agitur. De quo Psalmista : « Quia cogitatio, inquit, hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi (*Ps.* LXXV, 11). » Sic igitur age diem festum, si ad tuam festivitatem vis venire. Noli hoc agere in manifesto, neque ut ab hominibus videaris. Qui enim hoc agunt, receperunt mercedem suam. Nonne audis quia ipse Dominus non *in manifesto, sed quasi in occulto* venit ad diem festum? Venit enim Dominus in occulto ad diem festum, quia quamvis tota illa festivitas in ejus honore, et gloria agebatur, ipse tamen a paucis, vel a nullis ibi intelligebatur. Erat igitur in die festo, sed occultus. Miseri Judæi, in quorum festivitatibus semper Christus manet occultus. Hoc enim significabat Isaac, qui Jacob filium suum benedicebat, et eum non cognoscebat. *Judæi ergo quærebant eum in die festo, et dicebant : Ubi est ille?* Usque hodie namque in omni Sabbato, et in omni sua festivitate legunt Judæi, et quærunt Jesum. Non tamen inveniunt, quia non bene quærunt. Quærunt enim cum invidia et murmuratione. Unde et subditur : *Et murmur multum erat de eo in turba. Quidam enim dicebant quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas.* Quid igitur mirum, si de viris sanctis et religiosis iniqui homines aliquando male loquuntur, cum de ipso Dei Filio talia loquerentur? *Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Judæorum.* Iidem igitur ipsi, qui bonum eum esse dicebant, palam hoc dicere non audebant, quia magis homines quam Deum timebant.

XXI. *Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. Et mirabantur Judæi dicen-*

1172) Cyrillus ad h. l. pag. 397 : « Cum nondum sancta carne inhabitare Deum Verbum agnoscerent qui crediti sunt fratres Salvatoris... anguste nimis nec de eo sentiunt... quippe qui nihil amplius quam reliqui cernebant, et vulgari opinione de ipso tantum suspicabantur, et revera ipsum natum ex semine Joseph existimabant. »

1173) Ita etiam explicat hunc locum Aug. tract. 28 in Joan. Aliter explicat Chrysost. hom. 48, n. 2. *Tempus meum nondum advenit*, id est crucis et mortis. Cur me ante tempus occidere properatis? *Tempus autem vestrum semper paratum est :* hoc est : Vos Judæi, etsi semper cum illis versemini, nunquam videbimini, utpote eadem sentientes; me vero statim videre tentabunt. Itaque vobis semper licet cum illis esse sine periculo : mihi vero tunc tempus erit, quum crucifigi et mori oportebit. Nam quod hoc intelligat, ex sequentibus liquet. *Non potest mundus odisse vos,* » etc.

(1174) Aliud sensit, et totum hunc locum aliter explicavit Chrysost. hom. 48 in Joan., n. 2 : « Cur ergo ascendit, cum dixisset : *Non ascendam?* Non dixit simpliciter : Non ascendam; sed addit, *nunc*, id est vobiscum, *quia tempus meum nondum impletum est.* » Propius ad. A. Aug. tract. 28 : « Priores fratres ascenderunt, et non tunc ascendit ille, quando illi putabant, et volebant; ut etiam hoc impleretur, quod ait, *non ad hunc*, id est ad quem vos vultis, primum et secundum diem. Ascendit autem postea, ut Evangelium loquitur, mediato die festo; id est cum jam illius diei festi tot dies præteriissent, quot remansissent. Ipsam enim festivitatem, quantum intelligendum est, diebus pluribus celebrabant. » Augustinum more suo describit Beda. Vide iterum eruditiss. Georgium pag. 170, etc., qui diversas hujus loci lectiones affert, et Joan. Chrysost. aliosque PP. ab heterodoxis criticis vindicat.

Digitized by Google

tes : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?* Diximus superius (1175) hanc festivitatem septem diebus celebrari. Quod igitur ait : Jam *die festo mediante*, tale est ac si diceret : Cum adhuc media pars dierum superesset de tota festivitate, ascendit Jesus in templum, et docebat. Mirabantur autem Judæi eum audientes, quoniam mira loquendi suavitate de lege et prophetis eum scholastice disputare audiebant, quem nunquam in scholis litteras didicisse cognoverant. Quia enim solum hominem videbant, nihil nisi hominem eum esse credebant. Sed latebat divinitas omnis hujus doctrinæ informatrix, atque magistra. Unde et ipse Dominus subinferens ait : *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* Sed si sua erat, quomodo sua non erat ? Et si sua non erat, quomodo sua erat ? Ipse enim utrumque dicit, et suam, et non suam. Sed sua erat, quia divinitatis erat : et sua non erat, quia humanitatis non erat. Sic igitur et sua erat, et sua non erat (1176). Similiter enim et illud intelligitur, quod superius ait, quia « descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* VI, 38). » Et quidem unum sunt et Pater et Filius. Hoc enim ipse ait : « Ego, et Pater unum sumus (*Joan.* X, 29). » Una igitur voluntas utriusque. Si igitur facit voluntatem Patris, facit et voluntatem suam : facit igitur voluntatem suam, et non facit voluntatem suam. Facit enim voluntatem suam secundum divinitatem; sed non facit voluntatem suam secundum naturam humanitatis. Dicebat igitur Dominus Judæis admirantibus in doctrina ejus : *Mea doctrina non est mea* : mea doctrina non est hominis; mea doctrina non est humanæ sapientiæ. Neque ego ab homine didici eam. Nolite **242** mirari. Divinitatis est. Intus est magister, qui me talia docuit. De quo suo magistro per Isaiam sic ait : « Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum (*Is.* L, 4). » Idem igitur ipse et magister, et discipulus est. Magister secundum divinitatem; discipulus secundum humanitatem. Planum est itaque, quod ait : *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* Tale quid etiam discipulis ait : « Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Si quis voluerit voluntatem cognoscet ex doctrina, utrum ex Deo me ipso loquar (*Matth.* X, 20). » Sc hanc doctrinam intelligere, et cognosc qui Patris voluntatem faciunt. Est au Patris, ut credamus in eum quem ips enim crediderimus, non intelligemus. ait : « Nisi crediderit, non intellig 9). » Fides igitur nobis est necessaria doctrinam pervenire valeamus (1177). quod ait : *Utrum ex Deo sit, an ego a m* nisi, utrum secundum divinitatem, humanitatem loquar ? Loquitur enim ipso, sed secundum alteram partem s *a seipso loquitur, gloriam propriam autem quærit gloriam ejus, qui mis verax est, et injustitia in illo non es* raliter de omnibus, sed specialiter de Antichristo hoc dicit Jesus (1178). Ill Spiritu sancto loquetur, sed a semeti Dei, sed suam gloriam quæret, qui « quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens sit Deus (*II Thess.* II, 4). » E conti Jesus, qui verax est, imo qui veritas injustitia est nulla, ubique Patris, qui et non suam gloriam quærit. Unde ip lus domus tuæ comedit me, et opprobri tium tibi ceciderunt super me (*Psal.* *Nonne Moyses dedit vobis legem, et facit legem ?* Hoc autem cur dixerit ostendit : *Quid me quæritis interfice* legem fecissent, si legis mandata custo quam innocentem et justum interficer (1179) *Respondit turba, et dixit : Dæm Quis te quærit interficere ?* Sic enim res sicut sordida et turbata, sicut turbulen *Respondit Jesus, et dixit eis : Unum opus miramini.* Non eorum responsione conviciis convicia reddit. *Unum*, inqu *et omnes miramini.* Miramini quidem, gnum aliquid feci, talis enim admirati sed quia in Sabbato feci. Cur ergo et v indignamini, qui in Sabbato circumc

(1175) Vid. Comment. in cap. XXIII Levit, pag. 166, tom. I edit. Rom. S. Brunonis, et Comment. in Lucam num. XVII, pag. 170.

(1176) Ita ferme proponit hanc quæstionem et solvit Augustin. tract. 29 in Joan., et lib. I. de Trinit. cap. 3, n. 12 : « Quid illic dicemus, ubi ait : *Mea doctrina non est mea ?* quomodo mea, quomodo non mea ? Non enim dixit : Ista doctrina non est mea, sed : *Mea doctrina non est mea.* Quam dixit suam, eamdem dixit non suam. Quomodo istud verum est, nisi secundum aliud suam dixerit, secundum aliud non suam ? Secundum formam Dei, suam; secundum formam servi, non suam. » Vid. et lib. II, c. 2, Ambros. lib. II de Fid., c. 4.

(1177) Aug. tract. 29 in Joan. : « Quis nesciat hoc esse facere voluntatem Dei, operari opus ejus, id est, quod illi placet ? Ipse autem Dominus aperte alio loco dicit : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit. » Hæc in te sit, et intelliges de doctrina Dei. » Egregie et maxime jux sensum Chrysost. hom 49, n. 1, ita ex quitiam, iram, invidiam ejicite, necuo contra me sine causa suscepistis, et n quin cognoscatis verba mea vere Dei es vos tenebris offundunt, et rectum apud pervertunt ; si hæc eliminetis, non illu Sed non ita locutus est, ne nimis illis pe

(1178) Hoc pariter de Antichristo ex

(1179) Quomodo hæc respondeant superioribus, explicat fuse Chrysost. ho Beda, ut A. noster, ex eo, ut puto : « Id ritis interficere, quia nemo ex vobis faci si legem fecissetis, in ipsis litteris Chr sceretis, et præsentem non occideretis locum hic habere superiorem explanati sostomi : Si legem faceretis, essetis ab vidia liberi, quæ vos impediunt quomin agnoscatis.

Digitized by Google

? *Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut* A
solvatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum
inem sanum feci in Sabbato? Propterea Moyses
t vobis circumcisionem, videlicet ut vos ab infir-
ıte sanaret. *Non quia ex Moyse est circumcisio,*
ex Patribus. Prius enim quam de circumcisione
uid diceret Moyses, circumcisi sunt Abraham,
c et Jacob, et multi alii. Omni ergo die fieri
t quidquid ad salutem pertinet. *Et idcirco in*
bato circumciditis hominem. Injustum est igitur
nihi indignemini, quia totum hominem sanum
in Sabbato. Si enim mihi non licet, non vobis
t. Licet autem. Si enim non licuisset, Moyses
dixisset. Præcepit enim Moyses ut octavo die
:umcidatur infantulus, sive ipsum Sabbatum,
: alius quilibet dies occurrat. *Nolite judicare* B
undum faciem, sed justum judicium judicate; aut
ul mecum Moysem reprehendite, aut me quoque
ul cum Moyse justificate. Ambo enim idem faci-
s. Ambo in Sabbato salutem operamur. Sed illum
ı reprehenditis, quia timetis. Hoc etenim est se-
ıdum faciem judicare (1180). *Dicebant ergo quidam*
Jerosolymis : Nonne hic est, quem quærunt inter-
re? Ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Nun-
d vere cognoverunt **243** *principes, quia hic est*
ristus? Sed hunc scimus unde sit. Christus autem
n venerit, nemo scit unde sit. Hoc autem tale est,
si dicerent : Decepti sunt principes nostri, si
ristum hunc esse putant, cujus nos et nativitatis
um et parentes cognovimus. Quod enim dicunt :
ristus autem cum venerit, nemo scit, unde sit, ex C
loco hoc testimonium sumpsisse videntur, ubi
tur : « Generationem ejus quis enarrabit? (*Isa.*
, 8.) » Sciebant tamen Judæi, in Bethlehem Juda
is tum Dominum nasciturum esse, secundum il-
: « Et tu, Bethlehem, terra Juda, non eris mini-
ın principibus Juda; ex te enim exiet Dux, qui
at populum meum Israel (*Matth.* II, 6). » *Clama-*
ergo docens in templo Jesus, dicens : Et me sci-
et unde sim scitis : et a me ipso non veni, sed est
us, qui misit me, quem vos nescitis. Quid autem
verbis aliquid significatur, nisi quia et me sci-
, et me nescitis? Cum enim unum sit et Pater, et
ius; qui Patrem nescit, et Filium nescit. Scie-
ıt igitur eum, quia hominem eum esse crede- D

bant : et nesciebant eum, quia Deum esse ignora-
bant (1181). Sciebant quoque eum esse de Nazareth,
sed non sciebant eum esse de Patre. Dicat igitur :
Et me scitis, et unde sim scitis, et a meipso non veni,
sicut ille, de quo supra dixit : « Alius veniet in no-
mine suo, et illum accipietis. Sed est verus, qui
misit me (*Joan.* v, 43), » Pater verus, igitur et
ego. « Ego enim, et Pater unum sumus (*Joan.* x,
29). » *Quem vos nescitis. Ego scio eum.* Et si di-
xero, quia nescio eum, ero similis vobis, mendax.
Ego enim *eum scio, quia ab ipso sum, et ipse me mi-*
sit. Ab ipso enim est, quia Deus de Deo, lumen de
lumine, ejusdem cum Patre substantiæ est. Pater
enim de nullo; Filius ex Patre; Spiritus sanctus
ab utroque procedit. Quid est autem quod ait : *qui*
misit me, nisi qui me hominem fieri, et carnem sus-
cipere voluit? Hæc autem operatio, totius Trinita-
tis, et non Patris solummodo est. Notandum igitur
quomodo ubique Patrem honorat, atque glorificat.
Quærebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in
illum manus, quia nondum venerat hora ejus : illa
videlicet, qua tradendus, comprehendendus erat,
et crucifigendus. Hæc autem hora, nisi eo volente,
venire non poterat. Potestatem enim habebat, sicut
ipse ait, ponendi animam suam, et iterum sumendi
eam (*Joan.* x, 18). *De turba autem multi crediderunt*
in eum. Hoc enim est quod ipse alibi ait :
« Confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ, quia
abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et re-
velasti ea parvulis (*Matth.* xi, 25). » *Et dicebant* :
Christus cum venerit, numquid plura signa faciet,
quam quæ hic facit? Optimum argumentum, et huic
assertioni valde idoneum. Sic enim et ipse Dominus
ait : « Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei,
ipsa testimonium perhibent de me (*Joan.* v, 36).

XXII. *Audierunt Pharisæi turbam murmuran-*
tem de illo, et miserunt principes, et Pharisæi
ministros, ut apprehenderent eum. Dixit ergo eis
Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et
vado ad eum qui misit me. In vanum, inquit, labo-
ratis et vos, et principes vestri. Ad hoc missi estis,
et ad hoc venistis, ut me apprehendatis. Hoc autem
non in vestra, sed in mea est potestate (1182). *Adhuc*
modicum tempus vobiscum sum. Exspectate dum
tempus adveniat, ut suo ordine omnia com lean-

(1180) Ita ferme Chrysostomus : « Quid est se-
ıdum faciem? Ne, quia Moyses in majore apud
; existimatione est, a personarum dignitate cal-
ium feratis, sed a rerum natura. Illud namque
juste judicare. » Nec aliter Aug. qui hic et de
ɔn. Christ. legit « Nolite judicare personaliter : »
cifer. Calarit. l. II, pro Ath. « Nolite judicare se-
ıdum personam : » Græc. κατ' ὄψιν, qui etiam
ɔdit, quod Beda exscripsit : « Hoc vitium, fra-
s, quod Dominus notavit hoc loco, evadere in hoc
culo, magni laboris est : non personaliter judica-
, sed rectum judicium judicare. » Vid. S. Bernar-
m serm. 5. in Quadrag., et epist. 247.

(1181) Ex August. et Beda mutuatus hæc vide-
: A. Aug. tract. 31 : « Hæc opinio apud Judæos
de nata fuerit, quod Christus cum venerit, nemo
it, unde sit (non enim inaniter nata est), si con-
sideremus Scripturas, invenimus, fratres, quomodo
sanctæ Scripturæ dixerunt de Christo, quoniam Na-
zaræus vocabitur. Ergo prædixerunt unde sit. Rursus
si locum nativitatis ejus quæramus, tanquam inde
sit, ubi natus est; nec hoc latebat Judæos, propter
Scripturas, quæ ista prædixerant, etc. Unde nata
est ista opinio apud Judæos, quam modo audivi-
mus... nisi quia utrumque prædicaverant, et præ-
nuntiaverant Scripturæ? Secundum hominem præ-
dixerant Scripturæ unde esset : secundum Deum
latebat impios, et quærebat pios... quia hanc illis
opinionem generaverat, quod per Isaiam dictum
est : « Generationem autem ejus quis enarrabit? » Ita
ferme et Cyrillus, pag. 446.

(1182) Aug. tract. 31, et Beda ad h. l. *Nondum*
venerat hora ejus; hoc est, quia nolebat. Ita et Cy-
rillus, pag. 451.

Digitized by Google

tur. Cito vos relinquam : non diutius vobiscum morabor. Prope est ut ad eum revertar, qui misit me. *Quæretis me, et non invenietis, et ubi sum ego, vos non potestis venire.* Quærebant enim Judæi Jesum, et male quærebant, et quia male quærebant, non inveniebant. Quærunt enim adhuc, et non inveniunt. Scripturas legunt, et non intelligunt. Ibi quærunt Jesum, sed quia carnaliter quærunt, non inveniunt. Vis invenire Jesum? Vade ad templum, vade ad Ecclesiam; ibi sedet in medio doctorum, in conventu episcoporum et presbyterorum. Sed quid est, quod ait : *Ubi ego sum, vos non potestis venire?* Ubi enim tunc erat Jesus? Nonne inter eos? Quomodo ego venire non poterant, ubi ipse erat? Erat enim in cœlis Jesus secundum divinitatem (1183), quo utique venire non possunt, quicunque in eum credere nolunt. *Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos : Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes? Quis est* 244 *hic sermo, quem dixit : Quæretis me, et non invenietis, et ubi ego sum, vos non potestis venire?* Non possunt Judæi verba Christi intelligere, quia « animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt (*I Cor.* II, 14). » Putant eum ad gentilem populum corporaliter pergere velle, quasi illuc eum sequi non potuissent, si illuc ire Dominus voluisset. *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Invitat eos Dominus ad bibendum, quia fons est. De quo psalmista ad Dominum : « Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV, 10). » Invitat utique, sed sitientes, et bibere et credere cupientes. Quod autem ait : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, evangelista exposuit dicens : *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Viva igitur aqua, Spiritus sanctus. Hac enim aqua et lavamur et vivificamur. Proxima sibi sunt Spiritus et aqua. Unde et « Spiritus Dei ferebatur super aquas (*Gen.* I, 2). » Hoc est etiam, quod dicitur : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum (*Joan.* III, 5). » Merito igitur Spiritus sanctus aqua vocatur, et non

A qualiscunque, sed viva aqua (1184 aqua plenus est, qui in Christum cr stoli abundabant. Hujus flumina de fluebant. Vide modo, quam magn istius, qui hic loquitur, pectore fluit. nis impetus lætificat civitatem Dei (I Omnia igitur flumina, omnia sancta rum volumina ex hac aqua fluunt. *quem accepturi erant*, et non dixit, q *credentes in eum*? Vis audire cur? *dum erat Spiritus datus, quia Jesus glorificatus.* Post Christi namque glo ascensionem visibiliter in linguis igni ctus apostolis datus est. Quod nunc ctum est. Unde et Salvator noster

B scipulis dicebat ; « Nisi ego abiero, veniet ad vos : si autem abiero, mit (1185) (*Joan.* VII, 7). » Oportebat igitur Jesum, ut Spiritus sanctus daretur c *illa ergo turba cum audissent hos ser cebant : Hic est vere propheta. Alii di Christus.* Et illi, et illi bene dicebant. qui dicebant eum esse Christum ; e quia plusquam prophetam eum esse c *dam autem dicebant : Nunquid a G venit? Nonne Scriptura dicit, quia ex et de Bethlehem castello, ubi erat Da stus?* Vides ergo quam necessarium nasceretur in Bethlehem. Puto enim

C Salvatorem nostrum in Bethlehem se (1186). *Dissensio igitur facta est eum.* Hoc est enim quod Dominus putare, quia veni pacem mittere i veni pacem mittere, sed gladium (M *Quidam autem ex ipsis volebant appr sed nemo misit super illum manus* apprehendere eum, sed ille nolebat bat, nemo misit super illum manus igitur, quia ipse voluit (*Isa.* LIII, 7 quoque ait : « Nemo tollit a me anim ego pono eam, et iterum sumo eam *Venerunt ergo ministri ad pontifices, et dixerunt eis. Cur non adduxistis derunt ministri : Nunquam sic loc*

(1183) Augustin. lib. : « Erat Christus secundum visibilem carnem in terra, secundum invisibilem majestatem in cœlo et in terra : ideo ait : Ubi ego sum, vos non potestis venire : nec dixit : Non poteritis. »

(1184) Hieron. ad c. XIV Zachariæ aquam interpretatus doctrinam, eorum opinionem refert, qui hoc explicant de baptismo. Hanc interpretationem rejicit Aug. lib. II contr. Crescon. c. 13, quod istiusmodi aquam « et boni et mali habere possunt, quamvis sine illa boni salvi fieri non possunt : quæ quamvis Ecclesiæ sit, tamen etiam foras profluit. » Quare c. 14, interpretationem eam assignat, quam A. noster secutus est : « Non ergo hanc aquam, sed aquæ nomine, invisibile Dei donum, sanctum Spiritum commendabat, dicens : *Si quis sitit, veniat et bibat :* sicut evidenter Evangelista testatur, adjungens : *Hoc autem dicebat de Spiritu.* » etc. Chrysost. hom. 51, n. 1 : « Vivam vocat eam, quæ semper

D operatur. Spiritus enim gratia cum gressa et stabilita fuerit, plusquam turit, neque cessat, vel evacuatur, Cur aquæ nomine utatur hoc loco et explicat Cyrillus, pag. 468.

(1185) Ita solverat hanc quæstion 52 in Joan. : « Non enim sine Spiritu nuntiaverunt prophetæ, etc. Sed S *erat datus*, id est illa abundantia qua congregati linguis omnium loqu in linguis omnium gentium futura Ecclesia. » Eadem fusius lib. IV de qu. 62, lib. LXXXIII, QQ.

(1186) Cyrill. p. 477 : « Errabat ductore opinio propter solam Naza sitam, ubi Christus educatus perhibe gnari eum genitum esse in Bethlehe Virgine, quæ erat ex semine David.

Digitized by Google

c homo. Ac si dicerent : Utinam et vos præ- A Scribæ, et Pharisæi, qui semper ei insidiantes iniquo odio eum persequebantur, (1190) *adduxunt mulierem quamdam in adulterio deprehensam, et statuunt eam in medio, et dicunt ei : Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem mandavit Moyses hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* Sciebant enim eum misericordem et pium esse. Unde potius eum ad misericordiam, et pietatem, quam ad legis verba attendere sperabant. Quod si fecisset, illico eum de legis transgressione accusare volebant (1191). Unde et subditur : *Hæc autem dicebant tentantes, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra. Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Quod enim Jesus digito scribebat in terra, tale erat, ac si diceret : Vos legis mihi testimonia affertis, vel legis verba mihi narratis, qui legem ipsam non intelligitis. Hic est ille digitus, qui eam scripsit. Hoc digito illæ tabulæ exaratæ sunt, de quibus dicitur : « Descendit Moyses de monte ferens duas tabulas lapideas in manibus suis, scriptas utrasque digito Dei (*Exod.* xxxii, 15). » Ego igitur legem composui, et vos legis exemplis me irretire nitimini? Stulti estis, si meis argumentis me capere, et superare speratis. Præcipit enim lex mulierem ejusmodi lapidare, sed non sicut vos intelligitis, neque a talibus quales vos estis (1192). Ego enim sum finis legis. In me legis littera completa est. *Ecce nova facio omnia.* Spiritualiter intelligantur, quæ hactenus ad litteram intelligebantur. *Qui igitur sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.* Quis enim sine peccato? « Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*Joan.* i, 8). » Potest enim aliquis sine crimine esse; sed sine peccato quis erit (1193)? Peccatum igitur in hoc loco pro crimine ponitur. Alioquin impossibilia juberet Jesus. Et Apostolus quidem tales ad episcopatum **248** eligi præcipit, qui *sine crimine* sint. Isti igitur sunt, qui in hujusmodi mulierem primi lapidem mittere debent. Dicendum est ita-

fuissetis! Utinam et vos ejus verba audivis- Nunquam fortasse ulterius adversus eum ali- geretis. Nunquam enim sic locutus est homo, ic homo, qui magis videtur esse, quam homo. nim est Deus et homo. *Responderunt ergo eis æi : Nunquid et vos seducti estis?* Seducti , sed bene. Bene enim seducuntur, qui de id bonum ducuntur. *At illi : Nunquid aliquis ncipibus credidit in eum, aut ex Pharisæis? rba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.* nim isti maledicti sunt, sed vos potius male- stis, qui **245** in eum credere noluistis, per a legis maledictione solvi debuistis (1187). antur igitur sapientes : illuminantur insipien- cut ipse Dominus ait (*Joan.* ix, 39) : « In ju- B i ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, nt, et qui vident, cæci fiant. » *Dicit Nicodemus , ille, qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi au- ab ipso prius, et cognoverit quid faciat?* Nemo secundum legem damnatur, nisi a seipso con- , vel ab aliis convictus (1188). Responderunt, erunt ei : *Nunquid et tu Galilæus es? Scrutare, e, quia propheta a Galilæa non surgit.* Hoc de Christo intelligunt, quem in Bethlehem, et libi, prophetæ prædixerunt nasciturum. *Et re- unt unusquisque in domum suam,* valde dolen- uia facere non potuerunt voluntatem suam.

III. *Jesus autem perrexit in montem Olive- diluculo iterum venit in templum, et om- opulus venit ad eum, et sedens docebat eos.* enim Jesus in montem Oliveti ire, et orare, et ctare solebat, sanctam Ecclesiam, olivarum bus consitam se diligere, semperque inhabi- guificabat. De his enim olivis ille erat, qui dice- « Ego autem sicut oliva fructifera in domo perabo in misericordia Dei mei in æternum, et culum sæculi (*Psal.* li, 10). » Tales olivæ quicunque pacem et misericordiam dili- (1189). Sed cum iterum Jesus veniret in tem- et sedens doceret populum, ecce inimici ejus C

87) « Quomodo maledicti sunt? ait Chrysost. 52, n. 1 : Vos, qui legem non servatis, male- estis. » Et præclare Cyrillus pag. 481 : « Hoc are est iis qui non possunt quæsitis satisfa- inquisitores iracunde repellere. Maledictos existimant eos qui credunt; cum de se ipsis » justius id dicerent. »

88) Vid. Chrysostomum, et Cyrillum l. all.

89) « Mons quippe Oliveti (ait hic Beda) sublimem Dominicæ pietatis et misericordiæ designat, et Græce ἔλαος misericordia, et ἔλαιον oleum vo- , et ipsa unctio olei fessis ac dolentibus mem- solet afferre levamen. »

190) Calvinus primus, postea Westenius, notis- hæretici, ausi sunt hanc historiam ab Joan. gel. revelatam de suppositione adnotare. Oppor- his occurrit, eorumque cavillationes et levita- sserit, et victrici manu confutat idem clariss. gius in illustratione memorati fragmenti Joan. 8, pag. 181 et seqq.

191) Aug. tract. 33 : « Dixerunt apud semet- ipsos : Verax putatur, mansuetus videtur; de justitia illi quærenda calumnia est. Offeramus ei mulierem in adulterio deprehensam; dicamus, quid de illa in lege præceptum sit. Si eam jusserit lapidari, mansuetudinem non habebit; si eam dimitti censuerit, justitiam non tenebit. Ut autem mansuetudinem, inquiunt, non perdat, in qua jam populis amabilis factus est, sine dubio eam dimitti debere, dicturus est. Hinc nos invenimus accusandi occasionem. » Vid. Ambr. Cl. I, ep. 25 et 26.

(1192) Id. August. ibid. : « O responsio sapientiæ! quomodo eos intromisit in se? foris enim calumniabantur, seipsos intrinsecus non perscrutabantur.... Audistis, Judæi, audistis, Pharisæi, audistis, legis doctores, legis custodem, sed nondum intellexistis legislatorem. Quid vobis aliud significat, cum digito scribit in terra? Digito enim Dei lex scripta est .. impleatur lex, lapidetur adultera : sed nunquid in illa punienda lex implenda est a puniendis » etc. V. Ambros. lib. III de Sp. S., c. 2.

(1193) Distinguit hæc quoque Augustin. tract. 4

Digitized by Google

que, quid mulier adultera, et quid lapides isti significent. Est enim mulier adultera omnis anima hæretica pravitate corrupta. Hæc autem tunc lapidatur, quando ad episcoporum et sacerdotum concilium ducta, et de sua iniquitate convicta a toto concilio excommunicatur. Sed primus in illam lapidem mittit ille, qui sine peccato est; per quem episcopum intelligimus, quem Apostolus sine crimine esse præcipit. Deinde autem quicunque illi sunt, qui excommunicationem confirmant, omnes in illam lapidem mittunt. Hoc igitur significavit Moyses, quando mulierem adulteram lapidare præcepit. Hoc et Dominus exposuit, quando eum, qui sine peccato esset, primum mittere in illam lapidem jussit. Sed hoc Judæi non intelligebant, et quid contradicerent non habebant. Sic enim suum sermonem temperavit Jesus, ut legi non contradiceret, et pietatem non amitteret (1194). *Audientes autem, unus post unum exibant, incipientes a senioribus, et remansit solus* A *Jesus, et mulier in medio stans.* Cu omnes se peccatores esse sciebant. remansit, quia solus erat sine peccat mulier timebat, adhuc mulier in me misericordiam, et inde judicium ex est enim in medio, nisi inter miseri cium? Bene igitur Psalmista ait : et judicium cantabo tibi, Domine » (P *autem se Jesus dixit ei : Mulier, accusabant? Nemo te condemnavit? Q Domine.* Non ergo condemnavit e quod ait : *Qui sine peccato est, pri dem mittat.* Si enim eam condemnas ei dixisset : *Nemo te condemnavit. Jesus : Nec ego te condemnabo.* N B secura. Crede tantummodo consiliis cio peccatores, pœnitentes suscipio. *noli peccare.* Sic igitur liberata est misericordia.

PARS SECUNDA.

247 XXIV. [Cap. VIII.] *Iterum igitur locutus est Jesus dicens : Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.— Ego sum lux mundi.* Ego sum illa lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ego sum illa lux, quæ soli splendorem, oculis visum, et menti tribuit intellectum. Per me sol splendet, oculi vident, et anima intelligit. Ego igitur sum vera lux, per quem illuminantur cuncta, et sine quo tenebrescunt omnia. Hac luce illuminantur cæci, resurgunt mortui, et ad videndum Deum mentis oculi aperiuntur. Merito itaque, hac luce abeunte, « tenebræ factæ sunt in universa terra (*Luc.* xxiii, 44). » *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* In quibus tenebris ? Sunt enim tenebræ noctis : sunt et tenebræ ignorantiæ, et erroris (1196). Si enim de noctis tenebris intelligamus, nemo in nocte sequitur lucem. Qui vero hanc lucem non sequitur, non est Christianus. Nunquid igitur in nocte Christiani non sumus, quia in nocte ambulamus in tenebris, et nemo, qui Christum sequitur, ambulat in tenebris ? Non est igitur hoc in- C telligendum de tenebris noctis, sed p ignorantiæ. Christus enim et sapie est. Ubi autem sapientia, et verit ignorantia esse non potest. Non a tenebris ignorantiæ et erroris, qui tur. In his autem tenebris totus quando lux mundi Christus apparuit est : « Populus qui sedebat in tene magnam (*Matth.* iv, 16). » Dicat igi ster : *Qui sequitur me, non ambulat habebit lumen vitæ.* Sequi autem, vero lumen vitæ illud est, quod v nam. Per quod nimirum doctrinam tionem veritatis intelligimus. *Dixer sæi : Tu de teipso testimonium perhi D tuum non est verum.* Miseri Pharis nium veritatis verum non esse dicu mentiri non potest. Sed fortasse ho quia scriptum est (1197) : *Laudet te e tuum.* Non enim ad laudem sui, neq ria talia Dominus loquebatur, sed

in Joan. n. ., ad illud : « *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*, scribens : Prima libertas est carere criminibus... Quemlibet valde justum discutias in hac vita ; quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato. Audi ipsum S. Jo..... : *Si dixerimus*, etc. .... Sed plane multi justi sunt sine querela, non intelligitur sine crimine : nulla enim querela justa est de his in rebus humanis, qui non habent crimen. Crimen autem est peccatum grave, accusatione et damnatione dignissimum. »

(1194) Aug., epist. 154, cap. 4, n. 9 : « Ita nec legem improbavit, quæ hujusmodi ream jussit occidi, et illos tenendo, ad misericordiam revocavit, quorum judicio hæc posset occidi.

(1195) August., tract. 33 : « R miseria et misericordia.... Illi ergo et abscessu ipso confessi de se, rel rem cum grandi peccato ei qui cato. »

(1196) Aug. tract. 35, n. 1 : « Ten sunt morum, non oculorum ; et si exteriorum, sed interiorum, unde album et nigrum, sed justum et inju Ps. xxxiv, n. 9, Chrysost. hom. 52, spirituales dicit : hoc est, non mane

(1197) Proverb. xxvii, 2. Vide Joan. et Cyrillum hic pag. 488, et

Digitized by Google

credere debuissent. Unde et ipse ait : *Si ego* A rum sit. Alioquin injuste damnati sunt illi duo se-
fico meipsum, gloria mea nihil est. Sequitur : nes quos Daniel occidere jussit. Quid igitur? Men-
ego testimonium perhibeo de meipso, verum est titur lex, quæ duorum hominum testimonium verum
nonium meum. Unde hoc? *Quia scio unde venio* esse dicit? Absit! Si enim tales fuerint testes, qua-
to vado. Mirabilis argumentatio. Ideo ergo ve- les leges, et canones quærunt, duorum hominum
est testimonium tuum, Domine, quia scis unde testimonium verum est (1200). Quod si spiritualiter
s et quo vadis? Dic igitur nobis unde venis et intelligatur, per duos homines duorum testamento-
vadis. « Exivi, inquit, a Patre, et veni in mun- rum viri catholici significantur, quorum utique tes-
; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem timonium verum est. Si vero duorum hominum
n. XVI, 28). » Si enim a Patre existi, et ad Pa- testimonium verum est, quis contradicere audeat,
i vadis, Filius Dei es. Si Filius Dei es, mentiri quod Pater testatur et Filius? Hoc est enim, quod
potes. Verum igitur est testimonium tuum, quia ait : « Ego sum, qui testimonium perhibeo de me
unde venis et quo vadis, id est, quia Filius ipso, et testimonium perhibet de me, quod misit me,
es (1198). *Vos autem nescitis unde venio et quo* Pater (*Matth.* XVII, 5). » Perhibet Pater de Filio
». Cur nescitis? Quia non creditis me esse Fi- testimonium, ubi ait : « Hic est Filius meus dile-
i Dei. Illi enim soli hoc sciunt, qui Dei Filium B ctus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* XI, 27). »
esse credunt. Scimus igitur nos, quia a Patre *Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus? Respondit Je-*
it, et ad Patrem vadit. Qualiter tamen a Patre *sus : Neque scitis me, neque Patrem meum.* De Pa-
it, et qualiter ad Patrem ivit, nescimus. Quo- tre, inquit, me interrogatis, quasi jam mei notitiam
lo enim vadit, vel venit, qui ubique est? Qui habeatis. Prius me, quem videtis, agnoscite, et sic
n vadit, illuc vadit, ubi non est. Aut quomodo postea, si potestis, ad Patris notitiam pervenite. *Ne-*
a Patre, et vadit ad Patrem, qui semper est in *mo enim novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Fi-*
re, et in quo semper est Pater? Hoc enim ipse *lius revelare. Si me sciretis, forsitan et Patrem meum*
: « Ego sum in Patre, et Pater in me est (*Joan.* *sciretis.* Quod enim *forsitan* dicit, non dubitando,
8). » *Vos secundum carnem judicatis; ego non* sed increpando dicit (1201). Malus enim servus
co quemquam. Quid est ergo, quod alibi dicit : dominum suum non cognoscit, nisi eum iratum vi-
ater non judicat quemquam, sed omne judicium deat. Verum est igitur, quod dicitur : « Cognosce-
it Filio (*ib.* V, 22), » si Filius quoque non judi- tur Dominus judicia faciens (*Psalm.* IX, 17). Sic
quemquam? Judicat igitur Filius, sed non sicut enim protervo discipulo magister dicere solet : Si
risæi : non secundum carnem (1199). Unde et ea quæ tibi parantur scires, tu forsitan legeres.
ditur : *Et si judico ego, judicium meum verum est.* C *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens*
le hoc? *Quia solus non sum, sed ego, et qui misit* *in templo.* Reponamus igitur hæc verba in gazophy-
Pater. Eadem argumentatione judicium suum lacio pectoris nostri. Servemus hunc thesaurum in
m esse probat, quia testimonium suum verum secretario cordis nostri, quatenus cum Apostolo
probavit. Videlicet, quia Dei Filius est. Ideo, in- dicere possimus : « Habemus thesaurum istum in
, **248** verum est judicium meum, quia solus non vasis fictilibus (*II Cor.* IV, 7). » Ideo enim in gazo-
, quia homo solummodo non sum; omnis enim phylacio hæc verba dicta sunt, quia valde custo-
o mendax. Sed Deus et homo sum, et cum Pa- dienda, servanda, et memoriæ commendanda sunt.
simul unum idemque sum, quamvis in persona *Et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat*
is sum. *Et in lege vestra scriptum est, quia duo-* *hora ejus.* Cur non venerat? Quia ipse nolebat. Non
m hominum testimonium verum est. Hoc enim non igitur ipse horam, sed hora ipsum exspectabat.
per fit, ut duorum hominum testimonium ve- Omnia enim in ejus potestate posita sunt. Erat igi-

1198) Cyrill. pag. 489 : « Cujus rei argumento tract. 36, nam Susanna casta, inquit, duobus falsis
certissimo, quod scio quo vadam; ascendam D testibus urgebatur ... universus populus mentitus est
m in cœlum ad eum, ex quo sum, Patrem : quod contra Christum. Ita vero hoc ille explicat, ut dicat
no dixerit unquam, competere uni e nobis ho- « in mysterio rem esse constitutam ... quia hoc
ni, sed vero natura sua Deo, quamvis homo fa- modo per mysterium Trinitas commendata est, in
s sit. Itaque illud *unde sum* filium esse ex Patre qua est perpetua stabilitas veritatis. » Litteralis so-
naturam, indicat. lutio apud Jansenium Concord. c. 77, Maldonatum
1199) Aug. tract. 36 : *Ego non judico quemquam,* hic, et ad c. 5, Estium, Natalem Alex. Calmet, etc.
e propter hoc, quod non venerat judicare mun- verum esse duorum testimonium, id est pro vero
m, sed salvare mundum; ... sive, quoniam dixe- legitimoque habendum, juxta humani juris constitu-
, *Vos secundum carnem judicatis,* ... ut intelliga- tionem.
is Christum non secundum carnem judicare, sic- (1201) Aug. tract. 37 : « Ille, qui omnia scit,
ab hominibus judicatus est. Etsi Cyrillus aliis quando dicit forsitan, non dubitat, sed increpat ...
idis duobus explicat p. 490, l. « Ego impræsens Dubitationis verbum est quando dicitur ab homine,
licandis vobis supersedebo, atque in novissimum ideo dubitante, quia nesciente : cum vero dicitur a
npus differam. II. Vos propter carnem me con- Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique
nnitis, quia homo secundum vos conspicior. At lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opi-
o vos non condemnabo, quia homines estis ... non natur divinitas. » De Græca particula ἄν, quæ hic
euso naturam, non condemno mea opera. » quoque est in Græco, alibi diximus.
(1200) Magnam quæstionem vocat hanc August.

Digitized by Google

tur ei hora ejus in ejus potestate, ut tunc, et non antea veniret, quam ipse juberet.

XXV. *Dixit ergo iterum Jesus : Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini.* Ego vado, inquit. Ego ad Patrem redeo. Vos autem quæretis me, non ut in me credatis, sed ut me occidatis. Et idcirco in peccato vestro moriemini. *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Cur? Quia non creditis. Quia me occidere quæritis. Quia ad vitam prædestinati non estis. Nemo enim venit ad Patrem, nisi per me. *Dicebant ergo Judæi : Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, quo ego vado, vos non potestis venire?* Non ipse se interficiet semetipsum; sed vos, quia interficietis ipsum, interficietis etiam vosmetipsos, et idcirco non venietis ad ipsum. *Et dicebat eis : Vos de deorsum estis : ego de supernis sum.* Vos, inquit, de deorsum estis, de terra estis, terram diligitis, et terram sapitis. Ego vero de supernis sum, de cœlis, de Patre, qui cunctis superioribus superior est. *Vos de mundo hoc estis. Ego non sum de hoc mundo.* Quantum enim ad humanitatem, sicut cæteri homines, ita et Christus, de mundo est. Quantum vero ad divinitatem, non ipse est de mundo, sed mundus de ipso, quia non ipse a mundo cœpit, sed mundus ab ipso. « Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). » Unde et superius dicitur : « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit (*ib.* V, 10) (1202). » *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris.* 249 Nunc autem audite rationem cur in peccatis vestris moriemini. *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Quid est? *Ego sum?* Nunquid enim eum Judæi esse non credebant, quem et videbant, et audiebant? Nunquid ipse solus est, et alia non sunt, quia dicit : Nisi crediderit is, quia *Ego sum?* Ille enim solus est, qui semper est, qui immutabilis est, qui idem ipse est, qui nunquam cœpit esse, qui nunquam desinit esse, qui omnibus dat esse, qui de proprio esse non mutatur in esse, vel non esse. De quo per Moysem dicitur filiis Israel (1203) : « Qui est, misit me ad vos (1204). »

(1202) Duas interpretationes verborum illorum *Vos de deorsum estis : ego de supernis sum* A. N. complectitur; quæ sunt antiquorum Patrum, Chrysostomus hom. 53, n. 1 : « *Vos deorsum estis;* id est, nihil mirum si vos homines carnales talia cogitatis qui nihil spirituale concipitis : at ego nihil simile quidpiam faciam : *de supernis enim sum ... Ego non sum de hoc mundo,* non significat, ipsum non accepisse carnem, sed procul esse ab eorum nequitia. Etenim discipulos ex mundo non esse dicit; habebant tamen illi carnem. » At Cyrillus p. 502 : « Sum de sursum, hoc est Deus de Deo : quod enim est super omnia, Deus est. At vobis hoc magis conveniet : estis enim ex infimo, nempe naturæ morti subditæ, corruptionique et timori subjacenti ... Quod vero, de supernis, generationem Filii ex Deo et Patre significet, perspicuum est recte sentientibus. » Utramque explicationem habet Augustinus tract. 38, scribens : « Quomodo enim erat de mundo, per quem factus est mundus? Omnes de mundo post mundum, quia prius mundus; et sic homo de mundo. Prius autem Christus, deinde mundus, quoniam Christus, ante Christum nihil : quia erat Verbum, omnia per ipsum facta erat ille de supernis... Ideo quippe dix *mundo estis,* quia peccatores erant... cum peccato nati sumus, » etc.

(1203) Exod. III, 14. Eadem verba no in expos. loci hujus. Vid. edit. col. 2.

(1204) Aug. ib. : « Multum est quod *sum,* quia sic dixerat Dominus Moysi : *sum.* » Eadem ferme Augustini habet

(1205) *Principium, qui et loquor vob* gata, legitque Aug. tract. 39, in Joa Trin., cap. 13, et libri Latini fere om Franciscus Lucas. *Principium, quod* legit Ambrosius lib. IV, De fid., c. l. II, ad Tras. c. 5. *Initium, quod e* habet vetus Itala ex ms. Colb. ap. ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν Græc. ap. Chr n. I, Cyrillus pag. 511, etc. Cod.

A Qui igitur sic eum esse non crediderit peccato suo. *Dicebant ergo ei : Tu quis Jesus : Principium, qui et loquor vobi* sum principium, qui propter vos sec nitatem et factus, et creatus, et appa loquor vobis. Quidam autem codices h *quia et loquor vobis.* Et tale est, ac si sum principium. Principium me esse ut vos me credatis esse principium, sum, et loquor vobis, et loquendo via salutis ostendo vobis. *Multa habeo d et judicare; sed, qui misit me, verax* inquit, vos judico, etsi judicio digu Quia non venit modo Filius hominis mundum, sed ut salvetur mundus per B III, 17). » Judicabit tamen quandoque, cio judicabit; quia veracis Patris ve Et hoc est, quod ait : *Qui me misit, ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in* Pater verax est, et Filius quæ a Patre loquitur, veritatem utique loquitur. Pater, verax et Filius. Quod autem *ab eo,* non sic accipiendum, quasi alie tur : sed *audivi,* hoc est, cognovi. Ab bet Filius cognitionem, a quo et esse enim dicitur Verbum, et Sapientia et cognitio Dei. *Et non cognoverunt ejus dicebat Deum. Dixit ergo eis Jesu inveritis Filium hominis, tunc cognos sum, et a meipso facio nihil; sed si* C *Pater, hæc loquor.* Non omnibus qui quibusdam hæc loquitur Jesus. Videli ibi, qui post ejus passionem creditu enim ex his, qui eum crucifixerunt compuncti, ad fidem conversi, in eu et eum veraciter cognoscentes, sicu coluerunt, et adoraverunt. In eo ve *Sicut docuit me Pater, et loquor,* Patri esse ostendit. Quid est enim doctrin Sapientia Patris? Dicat ergo : *Et a nihil.* Non secundum humanitatem doctrina non est hominis. Hæc doctr

D

Digitized by Google

Sicut docuit me Pater, hæc loquor, id est, sa- A ea in æternum. *Filius autem manet in æternum. Si ergo Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Peccavit enim primus homo, et factus est servus peccati. Ejectus igitur de paradiso, ejectus de domo Domini, non mansit ibi in æternum. Qui simul cum tota sua posteritate, nisi per Dei Filium, ab originali peccato liberari non potuit. Vere igitur liberi sunt, qui per Filium liberantur. *Scio quia filii Abrahæ estis; sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.* Dicitis mihi : Semen Abrahæ sumus. Hoc ego scio, quia filii Abrahæ estis, et secundum hoc quidem liberi estis. Sed alium patrem habetis, secundum quem liberi non estis. Si enim alium patrem non haberetis, me interficere non quæreretis. Sed quæritis me interficere, et hoc ideo, quia sermo meus non capit in vobis : quoniam pater vester diabolus, qui habitat in vobis, repellit eum a vobis. *Ego, quod vidi apud Patrem, loquor; et vos, quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.* Intus habetis patrem; intus habetis magistrum et consiliatorem, qui vos talia facere docet. *Responderunt et dixerunt ei : Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Hoc enim non consequitur, si de filiis carnis intelligatur. De illis igitur filiis dicit, qui imitatione filii dicuntur. Unde Apostolus : « Non enim qui filii carnis sunt, hi sunt filii, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine (*Rom.* IX, 8). » *Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi Deo. Hoc Abraham non fecit.* C Non igitur filii Abrahæ estis, siquidem non facitis opera Abrahæ. *Vos facitis opera patris vestri*, quia et ipse ab initio homicida fuit, cujus nunc persuasionibus me quæritis interficere. *Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati. Unum patrem habemus Deum.* Ac si dicant : Quid nobis toties patrem improperas? Nos ex fornicatione non sumus nati, ut nobis patrem objicere (1207) debeas. Aut si forte Abraham calumniaris, quem nobis patrem esse diximus, scias quia unum patrem habemus Deum, quem contra nil dicere audes. Qui etiam de nobis loquitur dicens : « Filius meus primogenitus Israel

lum scientiam, et doctrinam divinitatis loquor. m enim genuisse, docuisse fuit. *Et qui me misit mecum est, et non reliquit me solum, quia ego placita sunt ei, facio semper.* Quamvis enim is a Patre missus est, quamvis incarnatus, et o factus est (hoc est missio, quod incarnatio), per tamen in Filio Pater, et semper in Patre is est. Hic est enim Filius ille dilectus, in quo sibi complacuit. *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ex Judæis : Si vos manseritis in sermone meo, discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Si manseritis, inquit, in sermone meo, si doctrinam meam tenueritis, si ea quæ e didicistis custodieritis, si fidem quam prædico B lideritis, vere discipuli mei eritis. Nam **250** et ipulus tuus, o homo, tandiu discipulus tuus est, ndiu a tua doctrina et disciplina non recedit. enim non tenet disciplinam tuam non est discis tuus. Recte ergo Dominus ait : *Si manseritis ermone meo, vere discipuli mei eritis.* Sed quo tu? *Et cognoscetis veritatem.* Et quid vobis verifaciet? *Et veritas liberabit vos* (1206). Nemo ir liberabitur, nisi ille qui veritatem cognoscit, st, nisi ille qui in eum credit, quia est veritas vita. Sed hanc veritatem non cognoscit, qui isti discipulus non est. Hæc enim doctrina non itur in aliis scholis. Christi vero discipulus non qui non manet in sermone Christi. Hoc autem ei audientes indignati sunt, et *responderunt ei : en Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. modo tu dicis, Liberi eritis?* Nemo enim fit , nisi ille qui servus fuerat. Quam igitur libern nobis promittis, qui nunquam cujusquam i fuimus? *Respondit Jesus et dixit eis : Amen, n dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus eccati.* Talis autem *servus*, nisi ea, quam modo t, veritas eum liberaverit, *non manet in domo eternum.* In qua domo? In domo Domini, in cœ Jerusalem. Non igitur intrabit in eam in æter, quoniam quicunque in eam intrat, manet in

chin. Evang. p. 300, 48, t. I. *Initium quod lor vobis :* Veronensis, *in primis quia loquor vobis.* t aliæ lectiones apud Franciscum Lucam et Joan. a Haye atque hæc quoque Auctoris *quia.* Haye que hic putant, ὅτι esse pro *quia*, et eamdem potatem habere *quod*, quasi sit sensus *propterea d.* Millius scribit ὅτι, sed conjunctim ὅτι habent Franc. Luca ferme codd. Obscurissimum locum explicant Jansenius Concord. c. 77. Toletus . 14. Maldonatus, Calmet, etc. Primo sensui A. tare videtur τὴν ἀρχὴν in quinto casu : alteram licationem, quæ est Augustini et Bedæ : « *Principium* me esse credite, » duram judicant. Itaque ique hodie ex Græco translatores, ut ait Franus Lucas, Græceque periti enarratores, et notæ ioris Interpretes, teste Calmet, vocem illam, *ncipium*, intelligunt quasi esset adverbium, To is : *In principio ego sum, qui hoc ipsum, vobis* : Jansenius : *omnino sic est, ut loquor vobis* : donatus, Calmet, etc., cum Vet. A. Nonno, *sic c loquor, ut ab initio dixi* Nihilominus primam interpretationem Aug. tuetur Natalis Alex. et exponit a Lapide,

D (1206) August. serm. 134. « Ad discipulum parum est accedere, sed manere. Non ergo ait : *Si audieritis verbum meum* aut *si laudaveritis verbum meum* sed videte quid dixerit *si manseritis*, etc. Quid dicimus, fratres, manere in verbo Dei, labor est, an non est? Si labor est, attende magnum præmium : si labor non est, gratis accipe præmium ... Quid est ergo in verbo Dei manere, nisi nullis tentationibus cedere? Præmium quod est? *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* » Vid. eumd. lib. IV, de Trinit., cap. 18; et Ambrosium serm. 10, in Ps. CXVIII. Cyrill. pag. 533. « A fidelibus constantem ac firmum in servando bono, quod semel amplexi sunt, animum requirit... Cognoscetis igitur, inquit, veritatem, si in meis sermonibus perstiteritis, et, veritate cognita, invenietis ejus utilitatem, id est liberationem a legalibus umbris, et typo futurorum. »

(1207) Augustin tract. 42 : « Mutaverunt responsionem, credo, dicentes apud semetipsos : Quoties-

Digitized by Google

(*Exod.* IV, 22). » *Dixit ergo eis Jesus : Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi et veni. Neque enim a me ipso veni, sed ille me misit.* Si Deus, inquit, pater vester esset, diligeretis utique me, qui illius Filius sum. Ipse enim me genuit, ego ex eo processi et veni. « Ego Sapientia ex ore Altissimi prodivi (*Eccli.* XXIV, 5), attingens a fine usque ad finem (*Sap.* VIII, 1). « *Neque enim a me ipso veni*, id est, a me ipso non sum, *sed ille me misit*. Quid est, *ille me misit?* » Ille me de se ipso ineffabiliter ante tempora genuit. Et nunc ut homo fierem, et carnem susciperem, voluit (1208).

251 *Cur loquelam meam non cognoscitis?* Vultis audire cur? *Quia non potestis audire sermonem meum.* Sic vos, inquit, pater vester diabolus excæcavit, sic vos contra me in odium incitavit, et tanto desiderio meæ mortis vos inflammavit, ut meum sermonem audire non possitis, et ea quæ dico intelligere nolitis. Ideoque loquelam meam non cognoscitis, et verba veritatis non advertitis. *Vos* enim *ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere;* quia sicut ille, ita et vos me quæritis interficere. Hoc est enim desiderium ejus, hoc est et desiderium vestrum. *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo.* Erat enim homicida diabolus ab initio, quia in ipso mundi exordio primos homines tentavit, tentando occidit, et immortalitatem eis ademit (1209). *In veritate autem non stetit*, quia statim ut creatus est, in superbiam elevatus dixit : « In cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis, et similis ero Altissimo (*Isai.* XIV, 13) (1210). » Nam etsi veru quando dicat, tamen veritas in eo non est, qu nesciens, aut coactus dicit (1211). Ante ipsu erat mendacium ; ab ipso et per ipsum fact ut sit omnis homo mendax. *Qui loquitur me ex propriis loquitur, quia mendax est,* et pat Hanc igitur proprietatem, hanc nefandam h tatem filiis suis diabolus dereliquit, ut me et patrem mentiendo sequantur. Potest autem intelligi; quod diabolus ex propriis loqu dacium, quia mendax est ipse, et pater m cii (1212). *Ego autem, qui veritatem dico, non mihi.* Creditis, inquit, diabolo mentienti: tem non creditis vera dicenti, salutis via denti, et in patriam vos reducenti.

B XXVI. *Quis ex vobis arguet me de peccat ritatem dico, cur vos non creditis mihi?* Quis ex vobis arguet me de peccato? Quid videlis quod merito reprehendere debeatis? Si v dico, cur vos non creditis mihi, nisi qui non estis? *Qui* enim *est ex Deo, verba Dei propterea vos non auditis, quia ex Deo non* enim omnia ex Deo sunt, quomodo isti ex D sunt? Omnia enim ex Deo sunt, quia ab e sunt. Unde et de Salvatore nostro superius « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso est nihil (*Joan.* I, 3).» Sunt igitur isti ex Deo dum naturam, sed non sunt ex Deo secundum tiam. Sunt ex Deo secundum creationem. C sunt ex Deo secundum corruptionem. Qu enim ex Deo est, bonum est; et quidqui non est, a Deo non est (1213). Sic igitur ma

cunque nominaverimus Abraham, dicturus est nobis : Quare non imitamini eum, de cujus genere gloriamini? Nos sanctum, justum, innocentem tantum virum imitari non possumus. Deum dicamus patrem nostrum; videamus quid nobis dicturus est. Prorsus falsitas invenit quod diceret; et non inveniret veritas quid responderet? »

(1208) Augustin. tract. 42 : « Christi ergo missio, est Incarnatio. Quod vero de Deo processit Verbum, æterna processio est : non habet tempus, per quem factum est tempus... Ergo ab illo processit ut Deus, ut æqualis, ut Filius unicus, ut Verbum Patris; et venit ad nos, quia *Verbum caro factum est*, ut habitaret in nobis. » Vid. lib. contr. sermon. Arian. cap. 3, et c. 4. Cyrillus pag. 553. Cum ergo dicit : « *Ego ex Deo processi*, ineffabilem et principii expertem suam ex Patre nativitatem significat. Cum autem addit : *Veni*, suum in hunc mundum cum carne adventum denotat. »

(1209) Aug. lib. II contra litt. Petilian, c. 13 : « Quærimus autem unde fuerit diabolus homicida ab initio; et invenimus quod primum hominem occiderit, non gladium stringendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo, sed persuadendo peccatum, et a paradisi felicitate dejiciendo. »

(1210) Aug. lib. XI De civ. Dei, c. 33 : «Quod Dominus ait de diabolo in Evangelio, *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit*, sic esse capiendum, ut non solum homicida fuerit ab initio, id est in initio humani generis, ex quo utique homo factus est, quem decipiendo posset occidere, verum etiam ab initio suæ conditionis, in veritate non steterit... suo recusans esse subditus Creatori, et superbia sua, velut privata potestate elatus, ac per hoc falsus et fallax. » V. S. Leon., serm. 6 De pass. D

(1211) Diligentem hujus Evangelici loci tionem habes ap. Jansenium, Concord. cap.

(1212) Duas explicationes offert A. noster mendacibus omnibus, 2. de diabolo : 1. ex Eucherii, sive A. qq. V. et N. T. t. VI Bi Lugd., p. 850. *Cum loquitur mendacium* su dum, unusquisque vestrum ; quam nescio donatus admirabilem vocet ; est enim confor lectioni *qui* (non *cum*) loquitur, etc.; quam etiam Aug. t. I, 5, in Joan., n. 1. etsi hic nem sequitur, et præclare commentatur *micida erat ab initio.* « Agnoscimus; occi *Et in veritate non stetit.* Agnoscimus, quia tate lapsus est. *Quia veritas in eo non est.* D quia recedendo a veritate, non habet *Cum loquitur mendacium, de propriis loqu* aliunde accipit unde loquatur. Cum loquitur cium, de propriis loquitur *quia mendax est, ejus.* Et mendax est, et pater mendacii. forte mendax es, quia mendacium loqueris, es pater ejus. Si enim quod dicis a diabolo pisti, et diabolo credidisti, mendax es; pater dacii non es. Ille vero, quia non aliunde quo mendacio, tanquam veneno serpens occideret, pater est mendacii; sicut Deus veritatis. »

(1213) Cyrill. pag. 567 : « His vocibus cogitandum non est, significari... secundum quod a Paulo dicitur *omnia ex Deo sunt.* opifex, et parens omnium est, qui omnibus propterea omnia ex Deo esse ait divinus Sed hoc loco non ita intelligendum est : nes ex Deo sunt, sive boni, sive mali,

Digitized by Google

sunt, et ex Deo non sunt. *Responderunt igitur* A *ergo Judæi : Nunc cognovimus, quia dæmonium ha-*
avi, et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos
Samaritanus es tu, et dæmonium habes? Miseri
ei, vos ipsi verum esse probatis id quod modo
inus ait, quia ex Deo non estis. Si enim ex
essetis, hæc Dei Filio non diceretis. Ideo enim
dicitis, quia ex patre diabolo estis. *Respondit*
is : *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico*
rem meum, et vos inhonorastis me. Utique
inus ad patientiæ et mansuetudinis exemplum
provocat. Accepta injuria, non irascitur, neque
viciis convicia reddit. Dæmonium se non habere
ondet; se tamen Samaritanum esse non negat.
nim Samaritanum **252** se esse negasset, ipse-
suis verbis contradixisset, qui alibi seipsum
aritanum vocat. Recordare illius Evangelii, ubi B
aritanus sanat hominem vulneratum a latroni-
, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho (*Luc.*
3). Et quia Samaritanus interpretatur custos,
rito Dominus Samaritanus vocatur, de quo scri-
m est : « Custos, quid de nocte, custos, quid de
te ? » (*Isai.* xxi, 11.) Et Psalmista : « Nisi. Do-
us, inquit, custodierit civitatem, in vanum vigi-
qui custodiunt eam (*Psal.* cxxvi, 1) (1214). »
non quæro gloriam meam. Est qui quærat, et
cet. Non enim quærebat Dominus gloriam suam,
de tanta sublimitate, se humiliando, factus est
obrium hominum et abjectio plebis. Sed est
r, qui quærat et judicet. Quærebat enim Pater
iam Filii, ipsumque super omnia gloriosum judica-
quando dicebat : « Hic est Filius meus dilectus, in C
mihi bene complacui, ipsum audite (*Matth.* xvii,
Hæc enim gloria super omnem gloriam est. Se-
ur : *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum*
iverit, mortem non gustabit in æternum. Cur
r non creditis mihi? Cur sermonem meum non
atis ? Amen, amen dico vobis, si quis mihi cre-
rit, et sermonem meum servaverit, mortem
gustabit in æternum. Quid est mortem non
abit? Mortis dolores, et amaritudinem non sen-
Mortis utique non temporalis, sed æternæ.
d enim dixit in æternum, tale fuit ac si diceret,
tem non gustabit æternam (1215). *Dixerunt*

ergo Judæi : Nunc cognovimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et prophetæ, et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum? Nunquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? Ac si dicant : Talis homo nunquam fuit qualis tu es, si verum est hoc quod tu dicis; si verum est ut illi non moriantur, qui sermonem tuum servaverint : major tu es quam Abraham, et omnibus prophetis major es tu? Illi enim mortui sunt, tu vero non solum immortalis es, sed eos etiam immortales facis qui tibi credunt et obediunt. Nimium te exaltas, nimium te glorificas. *Respondit Jesus : Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater meus qui glorificat me,* B *quem vos dicitis, quia Deus noster est, et non cognovistis eum. Ego autem novi eum. Et si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo.* Sed dicit aliquis : Quomodo ipse non glorificat seipsum, si Pater glorificat ipsum, cum idem sit et Pater, et ipse? Ipse enim dicit : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x, 30). » Si enim unum sunt, quem Pater glorificat, et Filius quem glorificat, glorificat igitur et ipse Filius seipsum. Quid est ergo quod ait : *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est?* Quia enim Salvator noster et Deus et homo est, si secundum divinitatem glorificat seipsum, magna est gloria ejus. Magna quippe gloria est paralyticos curare, cæcos illuminare, leprosos mundare, ventis imperare, super mare siccis pedibus ambulare et mortuos resuscitare. Sed omnis ista gloria divinitatis est. Si vero secundum humanitatem glorificat seipsum, gloria ejus nihil est (1216). Glorificantur enim homines, non quia homines sunt, sed quia sapientia et fortitudine, aliisque virtutibus præditi sunt. Hæc autem ubicunque sunt, non hominis, sed Dei sunt. Ideoque Apostolus ait : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, et ego mundo (*Gal.* vi, 14). » Itemque : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* i, 12). » Sequitur : *Abraham pater vester exsultavit, ut videret*

ium est auctor et artifex. Ex Deo igitur esse
um, qui per virtutem et vitæ probitatem Deo
iliatus sit, dignusque habitus aliqua velut cum
affinitate, quomodo etiam tales in liberis com-
ndos censet. »

214) S. Gregor. hom. 18, in Ev. : « Pensate,
res charissimi, mansuetudinem Dei... Accepta
a contumelia, quid Dominus respondeat, audia-
; *Ego dæmonium non habeo*, etc. Quia enim Sa-
itanus interpretatur *custos*, et ipse veraciter
os est : de quo Psalmista, *Nisi Dominus custo-*
it civitatem : et cui per Isaiam dicitur, *Custos,*
de nocte, etc., respondere noluit Dominus, Sa-
itanus non sum, sed, *Ego dæmonium non habeo.*
quippe ei illata fuerunt; unum negavit, aliud
ndo consensit. Custos namque humani generis
erat : et si Samaritanum se non esse diceret,
se custodem negaret. Sed tacuit quod recogno-
et patienter repulit quod dictum fallaciter au-
t, dicens : *Ego dæmonium non habeo.* In quibus

verbis quid aliud nisi superbia nostra confunditur, D
quæ si exagitata vel leviter fuerit, atrociores injurias
reddit quam acceperat; facit mala quæ potest; mi-
natur et quæ facere non potest. Ecce injuriam suscipiens Dominus non irascitur, non contumeliosa verba respondet... accepta injuria, etiam quod verum erat dicere Veritas noluit, ne non dixisse veritatem, sed provocatus contumeliam reddidisse videretur. » Hoc ille, opinor, ex Augustino, quem Vide tract. 43.

(1215) Cyrill. pag. 573 : « Non quasi omnino tollat mortem secundum carnem, aut quasi mortem non ducat esse mortem... Sed mortem nominat, pœnas æternas, et paratum impiis supplicium. »

(1216) Aug. tract. 44. « Hoc ait propter illud quod dixerunt : *Quem teipsum facis?* Refert enim gloriam suam ad Patrem, de quo est quod Deus est. » Hunc locum interpretes eo modo explanare solent, quo superiorem, *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.*

Digitized by Google

diem meum, et vidit, et gavisus est. Omnes enim patriarchæ et prophetæ Christi nativitatis diem cum magno desiderio exspectabant, per quem ad supernæ beatitudinis gloriam se venturos esse sciebant. Potest tamen per hunc diem illius temporis dies intelligi, quo dum staret Abraham ad ilicem Mambre vidit tres viros, in quibus per Spiritum sanctum, Christum cognoscens, unum adoravit (1217). **253** Sed quid mirum, si priusquam Christus homo fieret, Abraham eum vidit, cum ipse quoque Nabuchodonosor in fornace ignis eum se vidisse testetur (1218)? *Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti ? Dixit eis Jesus : Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Secundum divinitatem loquitur : sed illi hoc non intelligunt, quia non Deum, sed hominem vident, hominem utique parvæ ætatis, et longe a temporibus Abrahæ. Et cum verborum rationem quærere ab eo debuissent, cujus verba non vana et otiosa esse sciebant, ut quia ipsi per se eum intelligere non poterant, ipse eis verba sua exposuisset, ad lapides currunt, et eum occidere volunt. Unde et subditur : *Tulerunt igitur lapides, ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.* Abscondit se Jesus, et exivit de templo, non secundum hoc, quod est antequam Abraham, sed secundum hoc, quod filius est Abrahæ. Facile itaque est duas naturas in Christo cognoscere : unam, secundum quam omnis creatura ei obedit ; alteram, super quam turba iniquorum impia sævit.

XXVII [Cap. IX.] *Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate. Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Ipse Salvator noster apertissime ostendit quod ejus miracula aliquid significent, dum ea faciendo aliquid agit quod ratione carere videatur. Nisi enim aliquid significaret, quid necessarium fuit in hujus cæci illuminatione, ut lutum faceret, quo ejus oculos liniret, cui solum dicere sufficiens erat ? « Ipse enim dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt (*Psal.* cxlviii, 5) » omnia. Quæramus igitur significationem, et videamus quid cæcus iste significet. Cæcus iste, et a nativitate cæcus, genus humanum esse videtur. Sed cur a nativitate, nisi quia a primo homine? Cu homini lignum vetitum comedere diab dicens (1219) : « Comedite, et aperie stri, » nonne cæcum eum esse monst tamen adhuc non erat, sed comede cæcus. Ab hoc igitur uno cæco omne scuntur cæci. Hæc autem cæcitas no animæ est. Hæc cæcitas facit ut hon gnoscant Creatorem suum (1220). Sed discipulis interrogantibus Dominus *Neque hic peccavit*, inquit, *neque pa* propter hoc cæcus nasceretur. Cur er est ? *Ut manifestentur opera Dei in i* enim et iste, et parentes ejus ; sed nc vel illorum peccata cæcus natus est manifestentur opera Dei in illo (12: *Me oportet operari opera ejus qui m dies est. Venit nox, quando nemo Quandiu in mundo sum, lux sum mu* tur operatur Dominus, quia adhuc die est enim per se, operatus est et per Opera tur nunc quoque. Operabitur u consummationem per fideles suos. P quetur nox, in qua nemo poterit « dum tempus habemus, operemur nes, maxime autem ad domesticos fi 10). » Et, ne putes hunc diem cito f ipse Dominus dicat : « Ecce ego omnibus diebus usque ad consum culi (*Matth.* xxviii, 20). » Sed qua est, lux est mundi (1222). Est igitu mundi, quia modo est in mundo. cum est, et in mundo est ; quia et sumus. *Hæc cum dixisset, exspuit in rit lutum super oculos ejus, et dixit e in natatoria Siloe.* Quid autem inte evangelista subdidit, dicens, quod in *sus.* Diximus jam quid cæcus iste s autem, quomodo, et quo medicamine tur, videamus. Sputum enim, quod capite descendit, Christi divinitas c « caput, ut ait Apostolus, Deus est Hæc autem in terram cecidit, in et factum est lutum ; quia « Verbu

(1217) Genes. xviii, 2, 3. S. Gregorius hom. 8, n. 3 : « Tunc quippe diem Domini Abraham vidit, cum in figura summæ Trinitatis tres angelos hospitio suscepit. »

(1218) Daniel. iii, 92 : « Tunc Nabuchodonosor... ait optimatibus suis : *Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos?*... Ecce ego video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti, similis Filio Dei. » Vid. Irenæum lib. iv, cap. 20, et lib. v, cap. 5. Tertull. lib. iv contr. Marc. c. 20 et 21. Hieron. ad h. l. Dan. : « Speciem autem quarti, quem similem dicit Filio Dei, vel angelum debemus accipere, ut LXX transtulerunt : vel, ut plerique arbitrantur, Dominum Salvatorem. »

(1219) Gen. iii, 5 : *Quocunque die comederitis, aperientur oculi vestri.*

(1220) Aug. tract. 44. « Si ergo quid significet hoc quod factum est cogitemus, genu iste cæcus : hæc enim cæcitas cor nomine per peccatum, de quo omnes mus, non solum mortis, sed etiam i

(1221) Animadvertit hoc quoque 56, in Joan., n. 1. « Hoc non dicit, peccatis liberos indicet. Neque e dixit : *Neque hic peccavit, neque pa* addidit, *ut cæcus nasceretur*, etc. : p hic et parentes ejus : sed non inde

(1222) Beda ad h. l. « Constat definitum diem commemorasse Do seipsum, id est lumen mundi. *Quan in* hoc *mundo, lumen sum mundi.* Er tur. Quandiu est autem in mundo tres, eum fuisse hic tunc, et modo Quid est quod ait discipulis ascend *Ecce ego vobiscum sum* ? » etc.

Digitized by Google

, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). » Hoc est
ur illud medicamen, id est, Incarnatio Filii
. quo cæci illuminantur (1223). Cæci enim sunt
oculi, qui hoc luto non tanguntur. Hoc enim
» illi tanguntur qui Deum et hominem Christum
e credunt. Non sufficit tangere terram, non suf-
t tangere sputum. Sufficit autem tangere et
dere lutum, quod ex utroque factum est. Sic
ien, si ille, qui lutum tetigit, et Deum et homi-
n Christum esse credidit, vadat ad natatoria Si-
, festinet ad baptismum, ibique lavetur et rege-
retur. « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua
Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei (*Joan.*
, 5). » Utrumque enim necessarium est et cre-
re et baptizari, neque alterum sine altero valet.
n autem vacat a mysterio, quod Siloe interpreta-
r *missus*. In Jordane enim cœpit baptismus, qui
r apostolos regenerandis hominibus ubique gen-
im missus est (1224). *Abiit ergo, et lavit et venit*
dens. Itaque vicini et qui viderant eum prius, quia
endicus erat, dicebant: Nonne hic est qui sedebat
mendicabat? Alii dicebant quia hic est. Alii au-
n: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat
ia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt
i oculi? Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus,
tum fecit, et linivit oculos meos. Quid est enim
tum fecit; nisi Verbum caro factum est? Tetigit
item oculos mentis nostræ, ut eum videamus et
ritatem intelligamus. *Et dixit mihi: Vade ad na-*
toria Siloe, et lava: et abii, et lavi, et vidi. Consi-
ra modo quanta lætitia hæc verba plena sunt,
anta exsultatione redundant. *Dixerunt illi: Ubi est*
e? Ait: Nescio. De homine illi interrogabant: de ho
ine ille respondit. Non est igitur inconveniens, quod
t, *Nescio;* quia etsi jam Christianus erat, propheta
men non erat. *Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæ-*
us fuerat. Erat autem Sabbatum, quando lutum feci
esus et aperuit oculos ejus. Qui igitur illuminari
olunt, sabbatizent a peccato, et a servili opere
equiem habeant. Tale namque Sabbatum colit Ec-
esia, ex quo Dominum cognovit, et vidit. *Iterum*
go interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset.
Ille autem dixit eis: Lutum posuit mihi super ocu-
los, et lavi, et video. Dicebant ergo ex pharisæis
quidam: Non est hic homo ex Deo, qui sabbatum
non custodit. Nondum enim isti illuminati erant,
qui Sabbati observantiam sic intelligebant. Non-
dum enim tetigerant lutum, nondum enim venerant
ad lavacrum. *Alii dicebant: Quomodo potest homo*
peccator hæc signa facere? Isti enim jam quodam-
modo propinquabant ad lucem, et videre incipie-
bant. *Et schisma erat inter eos. Dicunt cæco iterum:*
Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos? Ille autem
dixit: Quia propheta est. Bene quidem dixit; sed
melius dicere poterat, nisi timuisset. Nam ipse quo-
que Dominus, prophetam se esse ostendit, dicens:
« Non est propheta sine honore, nisi in patria sua
(*Matth.* XIII, 57). » *Non crediderunt ergo Judæi de*
illo quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt
parentes ejus qui viderat et interrogaverunt eos,
dicentes: Hic est filius vester quem vos dicitis quia
cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Respon-
derunt parentes ejus, et dixerunt: Scimus quia hic
est filius noster et quia cæcus natus est. Quo-
modo autem nunc videat, nescimus. Et quis ejus
aperuit oculos, nos nescimus. Ipsum interrogate:
ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc autem cur
illi dixerint, evangelista exponens ait: *Hæc dicebant*
parentes ejus, quia timebant Judæos. Jam enim
conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur
Christum, extra Synagogam fieret. Propterea pa-
rentes ejus dixerunt: Ætatem habet, ipsum in-
terrogate. Vocaverunt ergo rursum hominem qui
cæcus fuerat, dixerunt ei: Da gloriam Deo.
Quid est, da gloriam Deo? Nega hunc esse Chri-
stum (1225); nega te esse Christianum. **255**
Hoc autem non est dare, sed auferre gloriam
Deo. *Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit*
ergo ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia
cæcus cum essem, modo video. Ego, inquit, ejus pec-
cata ignoro; ego eum de peccatis non accuso.
Unum scio, illud dico et prædico: cæcus eram, et
eo jubente modo video. *Dixerunt ergo illi: Quid*
fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? At ille indi-
gnatus, quia toties eum eadem verba dicere coge-
bant, ait: *Dixi vobis jam, et audistis. Quid iterum*

(1223) Aug. tract. 44: « Venit Dominus, quid
ecit? Magnum mysterium commendavit: *Exspuit in*
rram, etc., quia Verbum caro factum est... *misit*
lum ad piscinam, quæ vocatur Siloe. Pertinuit au-
em ad evangelistam commendare nobis nomen
ujus piscinæ, et ait, *quod interpretatur Missus.* Jam
uis sit missus agnoscitis: nisi enim ille fuisset
issus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus.
avit ergo oculos in ea piscina, quæ interpretatur
issus: baptizatus est in Christo, » etc. Eadem ver-
a habet Beda. Vide adnotata ad cap. VII Marc.,
. 4, pag. 17.

(1224) Ambros. Cl. 2, epist. 80, n. 4: « *Vade et*
va in Siloam, etc. Quæ ista ratio est? Magna, ni
allor: plus enim videt quem Jesus tangit. Simul et
ivinitatem et sanctificationem ejus adverte. Quasi
ux tetigit, et lumen infudit; quasi sacerdos per
iguram baptismatis mysteria gratiæ spiritalis im-
levit. Exspuit, ut adverteres quia interiora Christi
lumen sunt. Et vere videt qui Christi mundatur in-
ternis. Lavat saliva ejus, lavat sermo ejus... Quod
autem lutum fecit, et superunxit oculos cæci, quid
aliud significat, nisi ut intelligeres quia ipse homi-
nem, luto illito, reddidit sanitati qui de luto hominem
figuravit, et quod hæc caro luti nostri per bapti-
smatis sacramentum æternæ vitæ lumen accipiat?
Accede et tu ad Siloam, hoc est ad eum qui missus
est a Patre... veni ad baptismum, » etc. Vid. et Ire-
næum l. V, c. 15; Tertullianum; Ambrosium eum-
dem lib. III De sacr., c. 2; Nyssenum de Bapt. Augu-
stin. Cyrillum, et PP. alios, qui baptismi sacramen-
tum hic agnoscunt.

(1225) Gregorius lib. II in lib. Reg., c. II. « Quid est
dicere: *Da gloriam Deo?* nisi non huic curationis
tuæ laudes tribuas, quia Deus non est. Et quia pec-
cator asseritur, non solum Deus esse negatur sed
etiam homo justus. » Chrysost. hom. 58. « *Da gloriam*
Deo, id est confitere ipsum nihil fecisse. »

Digitized by Google

vultis audire? Quid toties eadem repetere juvat? *Nunquid et vos vultis discipuli ejus fieri*? Si scirem vos quoque ejus discipulos fieri velle, sicut et ego sum, iterum, atque iterum et adhuc multoties eadem dicere non recusarem. *Maledixerunt ergo illi, et dixerunt : Tu discipulus illius sis : nos autem Moysi discipuli sumus.* Beati illi super quos talis maledictio cadit. Utinam et super nos ista maledictio veniat (1226). Sequitur : *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus : hunc autem nescimus unde sit. Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos.* Ubi est ergo sapientia vestra ? Ubi est doctrina quam prædicatis? Cur legem legitis, si non intelligitis? Dicitis peccatorem hunc esse. Inauditum et insuitatum est ut peccatores talia operentur. *Scimus* enim *quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Non est mirandum si rudis adhuc, noviterque illuminatus contra Ecclesiæ doctrinam (1227) aliquid ignoranter loquatur. Neque enim verum est ut peccatores Deus non audiat. *A sæculo non est auditum quia aperuit quis oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos?* Quia enim cæcus natus fuerat, plus cæteris eum peccatorem esse putabant. Quod ipsos quoque Christi discipulos sensisse intelligi potest, qui Dominum interrogantes dicebant : *Quis peccavit hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Et ejecerunt eum foras.* Multum ei profuit quod foras ejecerunt eum; quia foras ejectus, Jesum videre et cognoscere meruit. Non enim possunt Judæi videre Jesum, nisi prius a Synagoga exeant. *Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras, et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum?* Non de essentia dubitat : sed de persona interrogat. Nondum enim personaliter eum cognoscebat, quem tamen Dei Filium esse credebat. *Dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et loquitur tecum : ipse est. At ille ait : Credo, Domine; et procidens adoravit eum. Dixit ei Jesus : In judi ego veni, ut qui non vident cæci fiant.* His enim verbis, illuminatic significaret ostend ego veni in hunc mundum. I ficationis, et damnationis. J damnantur sapientes. Isti il cantur. Isti lucem sequunt demerguntur (1228). *Et audi sæis, qui cum ipso erant, et nos cæci sumus?* Si illi, inq fiunt, nunquid et nos, qui dicis? *Dixit eis Jesus : Si cæ peccatum. Nunc autem dicitis tum vestrum manet.* Ideo, i vestrum, quia dum vos vider ut videatis. Si enim apud si vos cæcos esse intelligeret retis, quia lucem quæreretis

XXVIII. [Cap. X.] *Amen, intrat per ostium in ovile ovi ille fur est et latro.* Quid sit **256** in sequentibus expo *ostium : per me si quis in* igitur ostium, qui ostiarius, i Ipse est « via, veritas et vi eum intramus, quia via et troducit, quia veritas est. vita est. Si igitur intrare trare per Christum, Christ ritas est; qui per justitiam per Christum non intrat. No qui non intrat per justitiam per justitiam et veritatem canones et decreta pontifici dinatur. Omnes igitur Simo non pastores sunt, sed fures non intrant per ostium, qui stum, quia non intrant per quia non intrant per Ver canonum instituta. Quid igi Dicat ipse Dominus : *Fur, i*

(1226) Ambr. l. all. « Maledictio eorum, benedictio est. *Tu sis, inquiunt, discipulus ejus.* Tunc prosunt, quando nocere se credunt. »

(1227) Aug. lib. II contr. epist. Parmen., c. 8, n. 17 : « Quod scriptum est in Evangelio. *Deus peccatores non audit*, etc., non a Domino dictum est, sed ab illo, qui oculos corporis jam quidem restitutos habebat, sed ei oculi cordis nondum patebant, unde ipsum Dominum adhuc prophetam putabat..., Ipse autem Dominus, cum in uno templo orarent Pharisæus et publicanus, publicanum confitentem peccata sua magis justificatum dicit, quam Pharisæum jactantem merita sua. » Et tract. 44, in Joan., n. 13 : « Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus, » etc. Vid. serm. 155, n. 6, et serm. 136, n. 2. Gravem esse difficultatem in hac sententia intelligenda, *Deus peccatores non audit*, ait Toletus adnot. 9. De ea re Jansenius Conc. cap. 78, et Interpretes. Vid. S. Thomam, 2-2, q. 83, a. 16. Suarez tom. II de Relig. lib. I, c. 25, et TT. alios.

(1228) Chrys. hom. 59, n. est in majus supplicium, ost narent, esse damnatos, et nuntiarent, ipsos esse pecc c. VI Isai. « Non est crudelit unam perire gentem, ut om rum partem non videre, accipiat. Unde et ipse Dom mentum cæci a nativitate tit ad tropologiam, et dicit : *mundum*, » etc. Aug. tract *non vident videant*? Qui se et medicum quæruut, ut vid *cæci fiant*? Qui se putant quærunt ut in sua cæcitate discretionem vocavit judiciu

(1229) Simoniacos insect in Luc. p. 196, p. 265, et in 99 etc. Vid. Præf.

Digitized by Google

ur, et mactet et perdat. Quidquid igitur in Ec- A
a faciunt, vanum et inutile est (1230). Sed
de illis dicemus, qui per ostium quidem in-
t, sed postea per hæreses, per lites, et conten-
es, et schismata de Ecclesia exeunt? Isti enim
ando in Ecclesia sunt, et quando extra Eccle-
sunt, quamvis ad periculum suum, Ecclesiæ
en sacramenta dare possunt. Illi vero, quia non
ent, dare non possunt. Quid enim habent, nisi
edictionem, quam Simon Magus a Simone Petro
pit? Et illi quidem, si ad Ecclesiam redeunt,
omnino a suis officiis suspenduntur, aut si in eis
manent, nihil reiteratur in eis. Nulli enim sa-
mento injuria facienda est. Quidam tamen san-
um dicunt eos qui ab hæreticis baptizantur a
olicis debere confirmari, quia hæretici dare non B
sunt Spiritum sanctum (1231). *Qui autem intrat*
ostium pastor est ovium. Dictum est enim quid
ostium, et quid sit intrare per ostium. *Huic*
arius aperit, et oves vocem ejus audiunt. Christus
n et ostium est et ostiarius. Ostium bonis. Ostia-
s et malis et bonis. Non enim intrant per hoc
ium, nisi boni. Sed quia hic ostiarius et repellit
los et suscipit bonos, ostiarius est et malis et bo-
. Sed audiant subjecti quid dicitur: *Et oves vocem*
s audiunt. Qui igitur non audiunt vocem pastoris per
um intrantis, non sunt oves. Et iste quidem pastor,
per ostium intrat, *proprias oves vocat nomi-*
im **257**, *et educit eas.* His autem verbis aper-
ime ostendit quia compassionem et humanitatem
isquisque episcopus in suis subditis habere debeat. C

Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Proprias enim oves pastor emittit, quando ad vitæ pascua per viam mandatorum Dei festinare docet. Vadit autem ante eas, si id quod prædicat operatur. Et oves illum sequuntur, secundum hoc quod Apostolus ait: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (*II Cor.* IV, 16). » Sequuntur autem, quia sciunt vocem ejus, quia cognoscunt verba ejus, quia sciunt veros et catholicos esse sermones ejus. *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* Alienus est enim omnis hæreticus, et quicumque in Ecclesia non est. Non sunt igitur de ovibus Ecclesiæ qui hos tales sequuntur, et in eorum voce et doctrina delectantur. Unde Apostolus ait: « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci (*Hebr.* XIII, 9). » *Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.*

XXIX. *Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.* Hoc autem superius expositum est. *Omnes, quotquot venerunt, fures sunt et latrones, sed non audierunt eos oves.* Nota quod ait, *venerunt.* Non enim dixit, qui missi sunt. De se autem superius ait: « Ego non veni a meipso, sed Pater meus misit me (*Joan.* VIII, 42). » Isaias quoque propheta (*Isai.* VI, 8), cum Dominus diceret: « Quem mittam, et quis ibit? » respondit: « Ecce ego, mitte me. » Qui igitur venerunt a seipsis, et a Deo missi non sunt, fures fuerunt et latrones. Hinc est enim quod Dominus ait: « Ego veni in nomine Patris mei, et non acce-

(1230) Hæc verba, cum aliis quæ sequuntur, indi-
e videntur in ea fuisse opinione A. nostrum, ut
oniacorum ordinationes et intrusorum invali-
fuisse existimarit. Viguisse hanc opinionem illo
culo, id est XI, intelligere possumus ex Petro Da-
ni qui, ut contrarium persuaderet, ideo opuscu-
scripsit (ex rec. Constit. Clement. VI.) cui no-
n fecit « Gratissimus, » ubi in proœm. « De iis
que qui gratis sunt a Simoniacis consecrati, quanta
per triennium in tribus Romanis conciliis fue-
disceptatio, quamque perplexa et confusa dubie-
, et iis partibus quotidie ventiletur, sanctitatem
stram latuisse non arbitror: præsertim cum cre-
nte fluctuationis ambiguo, eatenus sit processum,
nonnullos constet episcopos, ab illis ordinatos,
ricos denuo ordinasse. » Rem maxime dubiam
sse, deinde etiam significat: « Cum mihi recur- D
et in memoriam quia jam venerabilis papa san-
s Leo IX, in postrema synodo omnes episcopos
divina obtestatione, rogaverit quatenus Dei mi-
ricordiam in commune deposcerent, ut quod super
e scrupuloso negotio decernendum esset, mutantis
s revelaret. » Nec rem omnino constitisse sæculo
u. quo vixere scholasticorum DD. lumina Petrus
mbardus, Petrus Pictaviensis, Hugo a S. Victore,
bertus Pullus, etc., nullis contendit Joan. Mor-
s exerc. 5 De sacr. ord. et in præfat. ad libr.
xil. Rectam, sinceramque doctrinam perstitisse
mper in Ecclesia de validitate harum ordinatio-
m, ostendit Witasse De sacr. ord. p. 1, q. 4, De
moniacis sigillatim sect. 5, De intrusis et invaso-
bus sect. 4. Tournely De ord. qu. 5, art. 1 (quos
ubos laudat Chardon De ord. cap. 6); Drouet De
sacram. lib. VIII, cap. 4; Chardon ipse, aliique
ssim TT. Veram tamen istam catholicamque do-
ctrinam obscuriorem aliquanto factam a sæc. VIII,
idem Chardon fatetur, et nonnullorum AA. sequen-
tium ætatum testimonia probare videntur. Adde
Ordines apud Martene ex mss. nongentorum anno-
rum, in quibus idem indicatur tom. II, vet. edit. p.
345, 360, etc. Quid vero sit, quod Simoniacorum et
intrusorum causam A. noster discernat ab alia illo-
rum, qui in catholica Ecclesia fuerant, sed per lites,
et contentiones, et schismata se ab ea sejunxerant,
non aliam rationem habuisse videtur, nisi quod isti
veram, cum in Ecclesia catholica essent, nullo im-
pedimento prohibiti *ordinationem acceperant;* non
item alii; sed (Simoniaci præsertim) maledictionem,
quam Simon Magus a Simone Petro recepit. Hinc
ejus illud quoque de Simoniacis et intrusis: illi,
quia non habent, dare non possunt: quod sumpsisse
videtur ab effato illo S. Leonis nomine, relato a
Gratiano II p., caus. 1, q. 1, c. 1. « Gratia, si non
gratis datur vel accipitur, gratia non est: Simoniaci
autem gratis non accipiunt: igitur gratiam, quæ
maxime in ecclesiasticis ordinibus operatur, non ac-
cipiunt: si autem non accipiunt, non habent, si
autem non habent, nec gratis, nec non gratis cui-
quam dare possunt. »

(1231) Constat hæreticos nonnullos, iisdem ferme
tibus Ecclesiæ reconciliatos, quibus sacramentum
confirmationis conferebatur; de quibus S. Gregorius
I. II. Ind. 4, ep. 6, 7. Et notissima verba sunt S.
Leonis ad Nicetam: « Qui baptismum ab hæreticis
acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola in-
vocatione Spiritus S. per impositionem manuum
confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi
sine sanctificationis virtute sumpserunt; » et anti-
quiora Siricii ad Himerium, ubi vetat Arianos bapti-
zari: « quos, ait, nos cum Novatianis aliisque hæ-

Digitized by Google

pistis me. Alius veniet in nomine suo, et illum accipietis (*Joan.* v, 43). » Ille enim non mittitur qui suo nomine venit (1232). Et tales quidem non audiunt oves. Si enim audiunt, jam non sunt oves. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur et pascua inveniet.* Salvabitur, inquit, qui per me introierit. Sic tamen, si per me et ingredietur et egredietur. Qui enim legaliter ordinatur, per ipsum Ecclesiam ingreditur. Et si in bono perseverat, per ipsum quoque de hac vita egreditur. Et iste quidem pascua inveniet sive ingrediens, sive egrediens. Ingrediens quidem, temporalia : egrediens, vitam æternam. Unde Psalmista : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* XXII, 1). » Multi enim per ipsum ingrediuntur qui non per ipsum egrediuntur, quia in peccato et non in Domino moriuntur (1233). Sequitur : *Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet et perdat. Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* Quomodo abundantius habeant, nisi, præter hanc vitam temporalem, quam cum aliis communiter habent, vitam quoque æternam aliis omnibus amplius habeant?

XXX. *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (1234). Ego, inquit, sum pastor bonus. Audite hoc, pastores, et a me uno pastore boni pastores esse discite. *Bonus* enim *pastor* est, qui *animam suam dat pro ovibus suis.* Hæc est definitio boni pastoris. Hoc ergo fecit. Hoc et vos facite, si necesse fuerit. « Majorem enim dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* xv, 13). » *Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit.* Mercenarius autem est ille episcopus qui, in pascendis et regendis ovibus, sola temporalia et transitoria quærit. Qui non amore cœlestis patriæ, sed pro lucro, et mercede rerum temporalium oves Dominicas pascit. Et iste quidem apud Deum pastor non est, etsi ab hominibus pastor dicatur. Hic autem non habet oves proprias, sed mercede conductas. Si enim ejus propriæ essent, diligeret ut proprias, et se pro eis periculis objicere non dubitaret. *Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem*, videt diabolum, ejusque satellites imminentes : satellites namque diaboli sunt heretici et schismatici sunt, omnesque deceptores. *Videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit.* Dimittit utique, non arguendo, veritatem non prædicando, constantiam patientiam non admonendo, et hæresi non resistendo. Unde per Ezechielem a Domino dicitur : « Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini (*Ezech.* I, 15). » Omnia enim hæc vera pastorum quidam sunt, quo ab hæreticis oves Ecclesiæ defenduntur. His **258** lupus pellitur, his vincitur, fugatur. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.* Non enim fugeret, si mercenarius non esset. Non fugeret, si pro ovibus et charitate, et non pro mercede serviret. « Perfectam enim charitas foras mittit timorem (*Joan.* IV, 18). Et ideo quidem fugit, quia non pertinet ad eum de ovibus. *Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. Novit enim Dominus qui sunt ejus* (1236). Cognoscere autem Dei, diligere est. Unde et quibusdam in judicio dicturus est : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* XXV, 12), » id est non diligo vos. Alioquin, qui omnia scit, quomodo ignorare aliquid potest? Quod igitur ait : *et cognoscunt me meæ, et cognoscunt me meæ*, tale est ac si diceret : Et diligo meas, et diligor a meis. Sed quomodo cognosco? Vis audire quomodo? *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem.* Sic, inquit, cognosco, sic diligo meas, et diligor a meis, sicut diligor a Patre et diligo Patrem. Unde et in sequentibus ait : « Sicut dilexit me Pater, et ego diligo vos (*Joan.* XV, 9). » Itemque : « Non pro his rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut et tu, Pater, in me, et ego in te, ut ipsi in nobis unum sint (*Joan.* XVII, 20, 21). *Et animam meam pono pro ovibus meis.* Inde, inquit, probatur quod diligo eas, quia animam meam pono pro ovibus meis. Nisi enim eas dilexisset, animam pro eis non posuisset (1238). *Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili. Et illas oportet me adducere*

reticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione, catholicorum conventui sociamus; quod etiam totus Oriens Occidensque custodit. » Atque hinc quæstio theologica de natura hujus unctionis sive impositionis manuum. Confirmatoriam tueri videntur Petrus de Marca ad C. Claromont. et Sirmondus Antirrh. 2. Negant ii, quos antea laudavimus, Chardon præsertim, qui tamen de Conf. c. 5, ex solius intentionis defectu asserit, Confirmationis sacramentum non fuisse. Sequioribus ætatibus, in Oriente per sacramentum Confirmationis hæreticos fuisse reconciliatos, ex eorum Euchologio (utut explicare aliter rem Goarius conetur), aliisque monumentis eorum temporum, permulti contendunt. Vid. TT. et Holstenium Diss. 2, de forma sacramenti confirmat. sp. Græc.

(1232) Vid. S. Aug. tract. 45, hæc explicantem de Hæreticis, concludit que : « Hoc tenete, ovile Christi esse catholicam Ecclesiam. Quicunque vult intrare ad ovile, per ostium intret. Christum verum prædicet. Non solum Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam, » etc. Idem fere Goarius lib. IX, Ind. 2, epist. 49, et lib. XI, Ind. 4. V. etiam Hier. ad cap. VII Osee.

(1233) S. Gregor. hom. 14 in Ev. et Beda l. « Ingredietur quippe ad fidem, egredietur ad fide ad spem, a credulitate ad contemplationem pascua autem inveniet in æterna refectione. Aug. tract. 48 : « Oves credendo sunt, oves pascendo sequendo sunt... oves per ostium intrando sunt, exeundo et pascua inveniendo sunt, oves vita perfruendo sunt. »

(1234) Hoc ex comment. decerpta est homil. Emis. nom. vulgata, et Dom. II, post Pascha.

(1235) De utroque hoc luporum genere S. Gregor. hom. 14, in Ev. n. 2.

(1236) II. Timoth. II, 19 : *Cognovit Dominus*

(1237) Gregor. l. all. : *Et cognosco oves meas* est diligo.

(1238) V. Gregor. l. all.

Digitized by Google

ɔcem meam audient, et fiet unum ovile, et unus A *ticu Salomonis* (1241). Encænia dicebant Judæi
ɔr. Hoc est enim, quod Apostolus ait : « Ipse est illam festivitatem quam celebrabant pro templi
nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » ædificatione, sive innovatione. In hac autem festivi-
it enim duos parietes, unum ex circumcisione, tate ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis,
terum ex præputio venientem. Judæis enim lo- ostendens se illam sapientiam esse, quæ laudatur in
ɔatur Dominus, quibus se gentiles jungere pro- libris Sapientiæ Salomonis. Sed quia hiems erat, et quia
ebat, ut ex duodus populis (1239) una domus invidiæ gelu Judæi congelati erant, et charitatis ignem
icaretur et una Ecclesia construeretur. Facta non habebant, regem, et dominum suum occidere cu-
igitur pax inter Judæos, et Gentiles. Unum est piebant (1242). Proxima enim sunt frigus et mors. *Circumdederunt* **259** *ergo eum Judæi*, non ut in eum
ɔ, unus est pastor, unam legem tenent, unum crederent, sed ut eum perderent. *Et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Quem nos regem dicimus, Judæi
m adorant, et unius pastoris vocem sequuntur. Christum appellant. Dolo igitur loquebantur, ut si
pterea me Pater diligit, quia ego pono animam se Christum esse Dominus responderet, quasi qui
m, ut iterum sumam eam. Quid est hoc? Nun- B Cæsari contradixisset, mox Romanorum ministris
l enim, priusquam animam suscepisset, vel po- occidendum traderent. Hinc est enim, quod Pilato
set Jesus, eum Pater non diligebat? Diligebat dicunt : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.
ue. Sed hæc ad hominem referenda sunt, qui Omnis enim qui se regem facit contradicit Cæ-
e merito a Deo diligitur, quia « factus est ei obe- sari (1243) (*Joan.* XIX, 12). » *Respondit eis Jesus : Loquor vobis, et non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Cur me, inquit, interrogatis? Loquor vobis, et non
ns usque ad mortem (*Philipp.* II, 8). » Potest creditis. Sed quia verbis non creditis, vel operibus
em et aliter intelligi, ut sic dicatur · Quanta erga credite. Opera non mentiuntur. Sed vos non creditis
sit Patris dilectio, in eo maxime intelligi potest, verbis meis, neque operibus meis, quia non estis ex
od ego ipse, sicut volo, pono animam, et iterum ovibus meis. Manifestum est igitur quod ex ovibus
no eam. Hæc enim potestas nulli alii data est. Christi non sunt quicunque verbis evangelicis cre-
mo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso. dere nolunt. *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego*
'estatem habeo ponendi animam meam, et potesta- C *cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam*
habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi *do eis, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et
'atre meo. Habebat enim in potestate Jesus et vi- de his quidem satis jam superius diximus. Probat
e quantum volebat, et mori, quando volebat. autem quod non rapit eas quisquam de manu sua,
ɪtum vixit, quantum voluit : mortuus est, quando dum dicit : *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei.*
uit. Sæpe Judæi voluerunt apprehendere eum, et Sed ne aliquis diceret, quia non inde consequitur,
potuerunt. Et hoc ideo, quia nolebat. Tantum ut de ejus manu rapi non possint, addidit, dicens :
ur in eum potuerunt Judæi, quantum ipse eis *Ego et Pater unum sumus.* Si enim ipse et Pater
ɪcessit (1240). Quod autem ait : *Hoc mandatum* unum sunt, cum nemo eas rapere possit de manu
epi a Patre meo, Patrem honorando dicit. Hoc Patris, nemo potest rapere eas de manu Filii. Sed
m donum et mandatum, secundum humanitatem unde vel ille, Pater; vel iste, Filius esse probatur?
mino datum, totius Trinitatis est. *Dissentio ite-* Ex eo utique, quod ait : *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est.* Ipsum enim dedisse, genuisse
n factu est inter Judæos propter sermones hos. fuit (1244). Non enim prius fuit ille, qui dedit,
:ebant autem multi ex ipsis : Dæmonium habet, et
anit. Quid eum auditis? Et isti quidem non erant
ovibus ejus. *Alii dicebant : Hæc verba non sunt*
monium habentis. Nunquid dæmonium potest cæ-
rum oculos aperire? Isti autem jam ad ovile pro-
ɪquabant, et ejus oves fieri incipiebant.

XXXI. *Facta sunt encænia in Jerosolymis, et*
ems erat. Et ambulabat Jesus in templo in por-

(1239) August. tract. 47 : « Duobus istis gregibus, D nquam duobus parietibus factus est lapis anguris. »

(1240) Aug. tract. 47 : « Quid est *ego pono?* Ego am pono : non glorientur Judæi; sævire potuerunt, otestatem habere non potuerunt. Sæviant quantum ossunt. Si ego noluero, quid sæviendo facturi sunt? » a etiam Chrysost. hom. 72, in Joan. n. 2 : « *Potestam habeo*, etc. Quandiu ergo retinere voluit, nemo ontra potuit : cum permisit autem, tunc facile fuit. » id. et hom. 60, n. 2, ubi et de præcepto, seu mandato Christo dato, de quo fuse Cyrill pag. 661, conordiam cum Patre interpretantes. Aliter Latini P. nonnulli, de quibus Petav. de Incarn. lib. IX, et ap. 8, et TT. passim. Utris A. assentiatur, non satis eipse explicat.

(1241) Augustin. tract. 48 : « Encænia festivitas rat dedicationis templi. Græce enim καινὸν dicitur torum, » etc.

(1242) August. ib. : « Hiems erat, et frigidi erant. ad illum enim divinum ignem accedere pigri erant, si accedere est, credere... friguerant a diligendi charitate, et ardebant nocendi cupiditate. » Gregorius, lib. II Moral. c. 2 : « Intueri libet quomodo sacra eloquia in exordiis narrationum qualitates exprimant terminosque causarum. Aliquando namque a positione loci, aliquando a positione corporis, aliquando a qualitate aeris, aliquando a qualitate temporis sigvant, quid de ventura actione subjiciant... A qualitate aeris res subsequens demonstratur : sicut evangelista, cum prædicante Domino, nullos tunc ex Judæis creditures diceret, præmisit, dicens : *Hiems autem erat.* Scriptum namque est : *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Idcirco ergo hyemis curavit tempus exprimere, ut inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret.

(1243) Hic Bedæ verba A. ferme exscripsit.

(1244) Hieron. ad Ezechiel. c. XVIII : « Et ipse

Digitized by Google

quam ille cui dedit; quia non prius fuit ille qui genuit, quam ille quem genuit. Neque enim aliquando Pater sine Filio fuit; quia sine Verbo, sine virtute et sapientia, sine vita et veritate nunquam esse potuit. Hoc enim totum est Filius Dei. Ipse enim est « veritas et vita (*Joan.* XIV, 6). » Ipse est Verbum, virtus et sapientia Patris. Sapientia utique, quam ipse genuit, non quæ sapientem eum fecerit. Est igitur Pater sapiens, quia Sapientiam genuit. Est et verax, quia Veritatem genuit. Sed quia nunquam fuit non sapiens, et non verax, nunquam fuit ante Sapientiam, et Veritatem. Nunquam enim sapiens sine sapientia essse potest. *Sustulerunt ergo lapides ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo : propter quod eorum opus me lapidatis?* An quia ad veritatis viam vos revoco? an quia vos ab æternæ mortis periculis eruo? an ideo fortasse, quia infirmos vestros sanavi, cæcos illuminavi, leprosos mundavi, paralyticos curavi et mortuos suscitavi? Hæc enim opera non lapidatione, sed honore digna sunt. *Responderunt ei Judæi : De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* Stulti Judæi interrogant eum quis sit, et palam eum respondere rogant, et quia veritatem eis respondet, eum occidere volunt. *Respondit eis Jesus : Nonne scriptum est in lege vestra quia ego dixi : Dii estis?* Legem, hoc in loco Psalmos vocat (1245), quia et ipsi judicant, dum et nocentes damnant, et bonos justificant. *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas; quia dixi : Filius Dei sum?* Si, inquit, adoptivi filii dii dicuntur, cur naturalis Filius, Deus non dicatur? Si illi dicuntur dii, ad quos sermo Dei factus est, et ideo quidem dicuntur, quia sermonem Dei custodiunt, cur non magis ipse sermo Dei dicatur Deus? *Non* enim *potest solvi Scriptura*, quia « non præteribit ex ea unum iota, neque unus apex (*Matth* v, 18), » donec tota compleatur. Quod autem ait, *quem Pater sanctificavit*, tale est ac si diceret : Quem Pater sanctum genuit. Idem enim fuit et sanctificasse et genuisse (1246). *Si non facio* **260** *opera Patris mei, nolite credere mihi.* Mirabilia sunt opera Patris. Mirabilia sunt opera et Filii. Facit ille quod vult. Facit et iste quidquid vult

A Sequitur : *Si facio, et si mihi non vultis credere ribus credite, ut cognoscatis et credatis quia est Pater, et ego in Patre.* Quia enim unum Pater et Filius, et Filius est in Patre, et Pat Filio (1247). *Quærebant ergo eum apprehendere exivit de manibus eorum.* Quæramus igitur et sed non sicut illi. Quæramus fide et pietate, effugiet de manibus nostris. His enim manibus prehenditur et tenetur Jesus. *Et abiit iterum Jordanem, in eum locum ubi fuerat Joannes baptizans primum, et mansit illic. Et multi venerunt eum, et dicebant : Quia Joannes quidem signum nullum. Omnia autem, quæcunque dixit Joannes hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum* tasse ad hoc iverat Dominus illuc, ut isti ad

B venirent, eum viderent et in eum crederent.

XXXII. [CAP. XI.] *Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ, et Marthæ roris ejus. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis frater Lazarus infirmabatur* (1248). In magnis dibus Mariæ scripsit hæc evangelista, qua num ungere ejusque pedes tangere meruit. illæ animæ quæ ad similitudinem hujus Mariæ aromatibus, cum unguento et bono odore ad num accedunt. Hæc est illa quæ in Canticis ticorum loquitur, dicens : « Cum esset rex in bitu suo, nardus mea dedit odorem suum (Cn 11). » Tres mortuos Dominum suscitasse filiam scilicet principis Synagogæ in domo

C mulieris viduæ extra portam civitatis; et zarum in sepulcro quatriduanum. Per hos mortuos tria mortis genera significantur (1246) ritur enim homo prava et illicita cogitando tur male operando : moritur in peccatis rando. Cogitas aliquid agere quod non licet tua est anima tua, sed in domo adhuc, et in jacet, quia latet peccatum, et nondum divulgatum est. Si vero cogitationem ad effectum perduxit solum mortua est, sed jam est extra civitatis elata, et per peccatum ab Ecclesia separata, et perditioni proxima est. At vero ille qui tum aliquod magnum commisit et multo in eo perseverat, non solum mortuus est verum etiam jam fetet, quia ejus turpissima mam omnes circumquaque audire abhorreat.

D

dicit : *Pater quod dedit mihi, omnibus majus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei* : ex quo perspicitur una Patris Filique potestas, virtus atque substantia. Si enim de Filii manu quæ dedit Pater nemo potest rapere; et hæc eadem in Patris manu sunt, quæ non rapiuntur ab eo : liquide comprobatur omnia Patris et Filii esse communia. » Aug. tract. 47 : « Pater non quasi ei Filio qui imperfectus est natus aliquid addidit : sed ei quem perfectum genuit omnia gignendo dedit. » V. etiam tract. 48, et Ambros. lib. III de Sp. S. cap. 18. Chrysost. hom. 61, in Joann.; Basil. lib. I adv. Eunom., etc.

(1245) Aug. tract. 48 : « Legem appellavit Dominus generaliter omnes illas Scripturas, quamvis alibi specialiter dicat legem, a prophetis eam distinguens, sicuti est : *Lex et prophetæ usque ad Joannem. In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ.* Aliquando autem in tria distribuit Scripturas, ubi ait : *Oportebat impleri omnia scripta sunt in lege, et prophetis et psalmis de*

(1246) Aug. tract. 48 : « Sic sanctificavit, modo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo dedit, quia sanctum eum genuit. » Vid. eund. de Trin., c. 5, Cyrillum, et PP. alios apud Petav. lib. XI de Incarn., c. 6; Elias Cretens. ad Naz. de *sanctificandi* verbo disserit, quod Scripturis usurpetur.

(1247) Ex hoc Joan. loco eruunt TT. divinarum personarum « circuminsessionem » quam vocat qua Petavius lib. IV de Trin., cap. 16.

(1248) Est homil. Emiseni Fer. VI, post. Quadr., pag. 90, de qua erit judicium sicut de

(1249) Hæc ex Aug. tract. 40, in Joan. attulerat etiam ad Luc., c. VII, n. 17. Vid.

Digitized by Google

ı hos suscitat Jesus, si a peccato cessent, et rde pœniteant, et pro eis parentes, et sorores ater vidua deprecetur. Unde scriptum est : ıfitemini alterutrum peccata vestra, et orate ıvicem ut salvemini. Multum enim valet depreJusti assidua (*Jac.* v, 16) (1250). » Sed quid uatuor dies, quibus Lazarus in sepulcro morjacuit, nisi quatuor ætates intelliguntur? Quaenim ætatibus, quasi quatuor diebus fetens in ıti sepulcro mortuus jacet ille qui in pueritia lolescentia, in juventute et senectute in malo cœperat perseverat (1251). Infantia enim, ignorantiæ plena est, his diebus non annume-. Considera igitur quanta sit benignitas Salis nostri, qui post tantam perseverantiam in , putridum et fetentem resuscitare non dedir. *Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes. ne, ecce quem amas infirmatur.* Audis igitur Dominus amat peccatores utique jam pœnis. Tales enim peccatores signifi at Lazarus. ualibus ipse (1252) Dominus ait : « Gaudeo r uno peccatore pœnitentiam agente, quam ı nonaginta novem justis, qui non indigent tentia. » *Audiens autem Jesus dixit eis : Infirs hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut ficetur Filius Dei per eam.* Non ideo, inquit, tur Lazarus, ut in morte maneat, sed ut pro a Dei a mortuis resurgat. *Diligebat Jesus Mare sororem ejus Mariam et Lazarum.* Diligit Dominus et activam vitam et contemplativam, ccatores ad pœnitentiam conversos (1253). De utem alias disputabitur. *Ut ergo audivit, quia nabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duoiebus. Deinde post hæc dicit* **261** *discipulis : Eamus in Judæam iterum. Dicunt ei discipuli : i, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum illuc? Respondit Jesus : Nonne duodecim horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, lucem hujus mundi videt. Si autem ambulaverit octe, offendit, quia lux non est in eo.* Quid est, it quod dicitis? Me sequimini, post me e. « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII, 12). » sum dies. Vos horæ. *Nonne duodecim horæ diei?* Ideo ego vos duodecim elegi, quia duodecim horæ diei. Quia igitur horæ estis, sequimini (1254). Hoc enim horarum rium est. Si quis autem hunc diem sequasi quis in eo ambulaverit, si quis mihi iderit, non offendet. Cur? *Quia lucem hujus di videt. Ego sum lux mundi. Si vero in nocte ambulaverit,* si errorem et tenebrarum principem secutus fuerit (hoc est enim in nocte ambulare), offendet et cadet. Cur? *Quia lux non est in eo,* quia erroris tenebræ excæcaverunt oculos ejus. *Hæc ait, et post hæc dicit eis : Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit.* Assolet infirmis somnus signum esse salutis. *Dixerat autem,* ait evangelista, *Jesus de morte ejus. Illi autem putaverunt quia de somni dormitione diceret.* Et tale erat ac si diceret : Dormit Lazarus, sed mihi : aliis autem mortuus est. Facilius ego de morte eum resuscitare possum, quam aliquis homo eum de somno excitare valeat. Vado igitur, ut a somno excitem eum. *Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste : Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.* Gaudeo, inquit, quoniam non eram ibi. Si enim Jesus ibi esset, ille mortuus non esset. Ubi enim est vita, mors esse non potest. « Ego, inquit Dominus, sum resurrectio et vita (*Joan.* XI, 25). » Gaudeo igitur, sed propter vos. Cur propter vos? Ut credatis, ut illius resurrectione fides vestra roboretur, cujus mortem ego absens vobis annuntio : *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, et moriamur cum eo.* Hoc enim dicit Thomas, quia tanto odio adversus Jesum et discipulos ejus Judæos inflammatos esse sciebat, ut nihil nisi mortem, et pœnam ab eis exspectaret. *Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.* Quid autem quatuor dies significent, jam superius diximus : *Erat autem Bethania juxta Hierosolymam quasi stadiis duodecim.* Non erat igitur valde difficile ad Martham et Mariam consolandam inde Judæos Bethaniam advenisse. De quibus subditur : *Multi autem venerant, ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo, ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat.* Cur autem ubique Martha sollicita sit, et Maria quieta ; illi sciunt qui per eas activam et contemplativam vitam glorificari intelligunt. *Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Quomodo enim mori posset, si vita illi adfuisset? De se enim Dominus ait : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 6). » *Sed et nunc scio quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus.* At illa : *Scio,* inquit, *quia resurget in resurrectione in novissimo die.* De illa resurrectione certa sum. Hanc te facere

250) Videtur A. Jacobi verba ita intellexisse, primam etiam eorum partem, de confessione atorum (quoniam eam attulit) acceperit de priconfessione non sacramentali, qua laicis etiam ninibus peccatorem se aliquis professus, eorum Deum preces implorat. Atque Estius quidem ad acobi locum satis hanc probabilem esse explaonem asseverat.

251) Beda intelligit hic quatuor veluti mortis ra hominis : 1 ab Adami peccato, 2 a transgressione legis naturalis, 3 a transgressione legis scriptæ, 4 a violatione doctrinæ evangelicæ.

(1252) Lucæ XV, 7. *Gaudium erit,* etc.

(1253) Alibi, id est ad cap. X Luc., n. 22, pag. 162, cum multis interpretibus vitam activam et contemplativam in Martha et Maria præmonstratas dixerat. In Lazaro vero peccatores designatos iidem ferme PP. agnoscunt. Præter Aug. all. 5, Gregor., l. XXIII Mor. c. 12, et hom. 26 in Evang.

(1254) Vid. dicta ad Marc. c. III, n. 2, p. 8, 9.

Digitized by Google

posse non dubito ; sed utrum facias, certa non sum. *Dicit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita.* Per me resurgunt et vivunt quicunque vivunt et resurgunt. *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.* Qui igitur non credit, non vivet. Vivet autem, sed in pœnis. Talis autem vita mors est potius dicenda, quam vita. Vera enim vita mortis amaritudinem non habet. Qui igitur credit in Christum, quamvis temporaliter moriatur, vivet tamen in æternum. Similiter autem ille qui vivit et credit in eum; credere enim vivere est, quia vita animæ fides est (1255), quanquam moriatur. *Credis hoc? Ait illi : Utique, Domine. Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti. Et cum hæc dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam, silentio dicens : Magister adest, et vocat te. Illa, ut audivit, surrexit cito, et venit ad eum. Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Judæi igitur, qui erant cum ea in domo et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam dicentes quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. Maria ergo cum venisset, ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dixit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Ambæ sorores idem dicunt, idem intelligunt, et veram vitam Christum esse credunt, quo præsente et volente **262.** nemo moriatur. *Jesus ergo videns eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu et turbavit seipsum.* Non igitur aliunde turbatus est, sed ipse turbavit seipsum, et magnum aliquid significavit nobis per hoc ipsum (1256). Iste enim fremitus et hæc turbatio nos docet quid nos quoque in tali re agere debeamus, quando vel pro nobis ipsis, vel pro aliis in peccatis turpiter degentibus et fetentibus Deum oramus. « Nos enim, ait Apostolus, quid oremus, nescimus; sed Spiritus sanctus orat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII, 26). » Unde et Psalmista : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19). » *Et dixit Jesus : Ubi posuistis eum?* Sic enim et primo homini a Deo dicitur : « Adam, ubi es? » (*Gen.* III, 9.) Quod tale fuit ac si diceret : Considera modo de quo gloria in quantam miseriam devolutus es. Et quidem illi pronuntur, qui per Lazarum significantur. Sed a quibus pronuntur nisi a mulieribus? Illarum namque consilio factum est ut omnis hesternum et in sepulcro ponatur. *Et lacrymatus est Jesus.* Lacrymemur igitur et nos pro omnibus quos in fetore vitiorum jacere sentimus, ut nostris lacrymis eos Dominus resuscitare dignetur. *Dixerunt ergo Judæi : Ecce, quomodo amabat eum! Quidam autem dixerunt ex ipsis : Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere ut et hic non moreretur? Jesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. Ait Jesus : Tollite lapidem.* Non possunt resurgere qui lapide premuntur et premuntur. Lapis iste, littera legis est, quæ in lapide scripta et data est. « Littera enim occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 6). » Tollatur ergo lapis, removeatur littera quæ occidit, et succedat spiritus qui vivificat (1257). *Dicit ei Martha soror ejus qui mortuus fuerat : Domine, jam fetet; quatriduanus enim est.* Quid enim fetor, et quatriduum significent, superius diximus. *Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi quoniam, si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis.* Jesus enim secundum eam partem qua homo est, fremit, turbatur, lacrymatur, exauditur, et gratias agit (1258). Hæc autem omnia dixerit, cur oraverit, et gratias egerit, manifestat causam dicens : *Propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti.* Hinc est quod alibi ait : « Ego a me ipso non veni, sed Pater meus misit me (*Joan.* VIII, 42). » Hæc autem *dixisset, voce magna clamavit : Lazare, veni foras.* Qui magno somno premitur, magna voce clamandus est. Magno enim somno gravatur, qui in peccatis pultus, neque in pueritia, neque in adolescentia, neque in juventute, neque in senectute exercitus.

(1255) Aug. tract. 49, n. 15 (quem Beda exscribit) : « Unde mors in anima? Quia non est fides. Unde mors in corpore? Quia non est ibi anima. Ergo animæ tuæ vita, fides est : *Qui credit in me,* inquit, *etiamsi mortuus fuerit* in carne, *vivet* in anima, donec resurgat et caro, nonquam postea moritura. Hoc est, qui credit in me, licet moriatur, vivet. Et omnis qui vivit in carne et credit in me, etsi moriatur ad tempus, propter mortem carnis, non morietur in æternum, propter vitam spiritus et immortalitatem resurrectionis. » Ita et tract. 22, n. 6.

(1256) August. l. all. : « Nescio quid nobis insinuaverit, fremendo spiritu et turbando seipsum, Quis enim eum posset, nisi se ipse turbare?... Anima et caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est. Ac per hoc ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas : hoc est turbavit semetipsum. Dixi potestatem; attende significationem. Magnus reus est, quem mortis quatriduum, et illa significat sepultura. Quid est ergo quod turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi quomodo turbari tu debeas, cum mole peccati gravaris et premeris? » Hæc verba usurpat ad h. l. Beda.

(1257) Hoc quoque, ut videtur A. ex l. all. seu ex Beda : « Mortuus sub lapide, nempe lege; scitis enim quia lex quæ data est lapide scripta est. Omnes autem rei sub lege bene viventes cum lege sunt. Justo lex posita est. Quid est ergo *lapidem removete?* Gratiam dicate. Apostolus enim Paulus ministrum Novi Testamenti non littera, sed spiritu. Nam, inquit, *occidit, spiritus vivificat.* Littera quasi lapis est premens. *Removete,* inquit, removete legis pondus, gratiam prædicate. »

(1258) Chrysost. hom. 63, n. 1 : « Humanam exhibet naturam : lacrymatur enim et ingemiscit. Solet quippe luctum humanus affectus corripiens (illud enim *infremuit spiritu* hoc significat) turbationem cohibuit. » Vide p. 685, 686.

Digitized by Google

enim significant illi quatuor dies, quibus La- jam fetens jacuit in sepulcro. *Et statim prodit erat mortuus, ligatus pedes, et manus institis ies illius sudario erat ligata.* Nulla desperationi occasio, cum Lazarus jam fetens et quatrias a mortuis resurgat. Et valde quidem mira- non solum quia mortuus resurrexit, verum quia pedibus manibusque ligatus foras pro- .. Et hæc fortasse significatio est, ut intellis quia « peccator, quacumque hora conversus et ingemuerit, vita vivet, et non morietur »). » Ligatus tamen adhuc esse videtur, donec piscopis solutus, Ecclesiæ sacramentis (1260) icilietur. Iste enim talis, quamvis foris appaintus tamen ligatus non est, quia peccatorum illis solutus, jam Deo per pœnitentiam vinctus Unde et Lazarus, ac si penitus ligatus non esset, de sepulcro liber exivit. Quem tamen Dominus ere jussit, quatenus et nos eos ostendamus esse tos qui, audita voce Evangelii, in anima per pœitiam resuscitari meruerunt. *Multi ergo ex Ju-, qui venerant ad Mariam et Martham, et videquæ fecit Jesus, crediderunt in eum. Quidam m ex ipsis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis fecit Jesus.* Hoc autem, utrum ejus gloriam prædo, an eum accusando dixerint, dubitari po- (1261).

XXIII. *Collegerunt ergo pontifices, et Phai concilium, et dicebant : Quid facimus? Quia homo multa signa facit* (1262). Audierant ifices et Pharisæi Salvatorem nostrum Lazaquatriduanum resuscitasse. Cujus miraculi maudirre territi, inter se conciliantes, dicebant : l facimus? Occidamus Jesum. Cur? *Quia multa a facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent um.* videntes signa et virtutes quæ fiunt per . Quod si fecerint, *venient Romani, et tollent rum locum et gentem.* Timebant enim ne reeum constituerent, et ob hoc contra se Romam exercitum concitarent, quorum imperio, sicut ræ gentes, Judæi quoque subditi erant. Sed sicut Psalmista ait : « Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor (*Psal.* XIII, 5). » Si enim Christo credidissent, si Jesum non occidissent, nec locum, nec gentem amisissent (1263). Sed quia Christum occidere non timuerunt, et locum et gentem perdiderunt. *Unus autem ex ipsis Caiphas, cum esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem,* ait evangelista, *a semetipso non dixit; sed, cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Vos,* inquit, *nescitis quidquam,* neque cogitatis ea quæ necessaria sunt. Ego autem scio et cognovi quia neeesse est *ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem non dixit a semetipso,* sed a Spiritu sancto, qui aliter quam ipse intelligebat, verba illius dirigebat in ipso. Alius Caiphas se dicere putabat, atque aliter sua verba intelligebat. Tota enim ejus intentio erat ut Judæi Christum occiderent, ne ipsi a Romanis occiderentur. Prophetabat tamen (1264) quia Jesus moriturus erat pro Judæorum gente, et non tantum pro illa gente, sed ut filios Dei, qui ubique gentium dispersi erant, in unam fidem et Ecclesiam congregaret, ut fieret unum ovile et unus pastor. *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.* Quasi enim utili accepto consilio ex quo Caiphas hæc locutus est, tota illa Pharisæorum multitudo, quomodo Christum interficeret, cogitabat. *Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.* Hoc enim non timore fecit Jesus, qui ubique securus erat, qui ipsos quoque suos inimicos in potestate habebat, qui nec videri, nec teneri, nec occidi posset, si nollet. Cur ergo? Ut nos doceret, ut providos redderet, ut nos quoque iniquorum hominum furori et iræ cedamus, si eos fortasse nostra præsentia et allocutione non corrigi, sed deteriores fieri videamus (1265). *Proxi-*

(259) *Ezech.* XVIII, 21 : *Si autem impius egerit pœnitiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus , et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit icium et justitiam, vita vivet et non mo- ur.*

(260) Aug. tract. 49 : « Quid est *solvite et sinite e?* Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo. » a hæc verba Aug. exscribit, atque addit : « Potuit m ligamenta solvere qui mortuum resuscitavit : propter unitatem sanctæ Dei Ecclesiæ et individ- m charitatem, dicitur ministris, id est discipulis isti : *solvite eum;* quia sine unitate Ecclesiæ calicæ fidei et charitate ecclesiasticæ sanctitatis cata non solvuntur. »

(261) De hoc quoque dubitavit Aug. scribens et. 49 : « Quidam vero ex eis, sive ex Judæis qui veneraut, sive ex eis qui crediderant, abierunt ad arisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus : sive untiando, ut et ipsi crederent; sive potius prondo, ut sævirent. »

(262) Est homil. Emiseni Fer. VI post. Dom. in s. Verius dicatur S. Brunonis.

(263) Aug. tract. 50 : « Temporalia perdere timuerunt, et vitam æternam non cogitaverunt; ac sic utrumque amiserunt. » Eadem amplioraque habet idem S. Aug. in Ps. LII, in Ps. XIII, ut etiam in Joan. Chrysost. hom. 65, n. 1.

(264) Chrysostom. l. all. : « Vides quanta sit pontificalis potestas? Quia enim pontificatum fortius erat, licet indignus, prophetavit, quid diceret, ignorans. Multi alii quoque futura prædixerunt, indigni licet, » etc. Aug. tract. 50 : « Hic docemur etiam homines malos prophetiæ spiritu futura prædicere; quod tamen evangelista divino tribuit sacramento, quia pontifex fuit, id est summus sacerdos. » Vid. eumd. in Quæst. ad lib. Jud. qu. 49, lib. II de cons. c. 70, lib. II ad Simplic. qu. 1, de Trin. cap. 7, etc.; Hieronymum ad cap. I Jonæ; Ambrosium serm. 14 et 15 in Ps. CXVIII, epist. 50, num. 5; Gregorium, hom. 10 in Ezech., etc.

(265) Aug. tract. 49 : « Non quia potentia ejus defecerat, in qua utique si vellet et palam Judæis conversaretur, et nihil ei facerent; sed in hominis infirmitate vivendi exemplum discipulis demonstra-

Digitized by Google

mum autem erat Pascha Judæorum, et ascenderunt multi Hierosolymam de regione, ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. Hoc Pascha miseri Judæi cruentum habuerunt. Hoc regem et Dominum suum interfecerunt. Hoc multi Hierosolymam undique confluxerunt. Et qui seipsos sanctificare venerant, Christo Domino interfecto, valde deteriores ad propria remearunt. *Quærebant ergo Jesum, et colloquebantur in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum?* Quærebant, inquit, Jesum. Et ideo quærebant, quia eum occidere volebant. In templo stabant, non orabant, sed de Salvatoris morte inter se tractabant. Mirabantur, quia non venerat ad diem festum, qui eos docere solebat in diebus festis. Et eum perdidisse timebant, **264** quem occidere quærebant (1266). *Dederant autem pontifices et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet ut apprehendant eum.* Qui enim ita quærunt Jesum, non possunt scire ubi sit, neque inveniunt eum. Si vultis scire, Judæi, et invenire Jesum, venite ad Ecclesiam, venite ad nos, et indicabimus eum vobis, non prodendo, sed credendo; non ut eum occidatis, sed ut nobiscum in eum credatis.

XXXIV. [Cap. XII.] *Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, et Martha ministrabat.* Mirum si evangelista omnia hæc sine aliqua significatione tam officiose dicere voluit: Bethania enim *domus obedientiæ* intrepretatur (1267). Esto igitur Bethania: sis Deo obediens, quatenus ad te Dominus veniens in domo pectoris tui hospitari dignetur. Præpara ei cœnam. Crede in eum. Observa mandata ejus. Tali enim cœna delectatur Dominus. Unde ipse ait: « Ego sto ad ostium, et pulso. Si quis aperuerit mihi, intrabo et cœnabo cum ipso, et ipse mecum (*Apoc.* III, 20). » Noli ista quærere extra te. Tu enim ipse et Bethania, et Martha, et Lazarus, et Maria esse potes. Si bene ministraveris, si eleemosynas dederis, nudos vestieris, infirmos visitaveris, aliaque his similia feceris, eris Martha. Omnia enim hæc ad activam vitam pertinent, quæ per Martham significatur. Vis esse Lazarus? Fuge mortem, veni ad vitam, age pœnitentiam, et resuscitaberis, et inter Christi convivas connumeraberis. Ideo enim hic dicitur, quia *Lazarus unus erat ex discumbentibus cum eo.* « Peccator enim, quacunque hora conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet et non morietur (*Ezech.* XVIII, 21). »

Quod si hoc tibi fortasse non sufficit, sed alia ecendere velens vis esse Maria, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et spretis omn quæ mundi sunt, soli lectioni, et orationi et c contemplationi vacare studeas. « Hanc enim pa elegit Maria, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* x, Sequitur: *Maria ergo accepit libram unguenti pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit suis pedes ejus, et domus impleta est ex odor guenti.* Hoc enim unguentum fidem significat Unde et merito *pisticum* vocatur, quoniam pistis interpretatur. Nullo unguento magis, quam hoc, lectatur Jesus. Sine hoc unguento ad eum acce et eum tangere non licet. « Impossibile est enim fide placere Deo (*Hebr.* XI, 6). » Hoc unguen pletur domus. Hoc tota Ecclesia redolet. Fetet tur Domino infideles, quia hoc unguentum no runt. Quod autem pedes ungit et capillis ip principium et finem, Deum et hominem, cre intelligit. Caput enim pedibus quodammodo ju qui Deum et hominem eum esse credit. Un solum pedes, sed et caput Salvatori nostro lac lier unxisse narratur (1269). *Dicit ergo unus ex scipulis ejus, Judas Simonis Scariothis qui erat traditurus: Cur hoc unguentum non venit tre denariis, et datum est egenis?* Hoc autem ne pe affectu et misericordiæ studio dixisse putet evangelista subdidit, dicens: *Dixit autem hoc, quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur et loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* igitur nos reprehendat, si iniquos homines tole et cito ab Ecclesiæ communione non separamus, ipse Salvator noster Judam patereturi, quem solum proditorem, sed furem quoque, et sacrile esse sciebat. *Dixit ergo Jesus: Sine illam, ut in sepulturæ meæ servet illud.* Hoc autem tale es diceret: Mysterium est quod agitur, in quo m et sepultura mea cito fieri significatur. Unde et evangelista dicit: « Prævenit ungere corpus me in sepulturam. Pauperes enim semper habebitis biscum, me autem non semper habebitis (*Marc.* 7, 8). » Quid est igitur, quod alibi ait: « Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consum tionem sæculi? » (*Matth.* XXVIII, 20.) Si enim om bus diebus cum eis est, quomodo eum non vi habebunt? Facilis est solutio, si duarum in Ch naturarum memores simus. Quod enim ait, *me non semper habebitis*, de præsentia carnis intel-

bat, in quo appareret non esse peccatum, si fideles ejus, qui sunt membra ejus, oculis persequentium se subtraherent, et furorem sceleratorum, latendo potius devitarent, quam se offerendo magis accenderent. »

(1266) Id. tract. 30: « Quærebant ergo Jesum, sed male. Beati enim qui quærunt Jesum, sed bene. Illi quærebant Jesum, ut nec ipsi haberent eum, nec nos; sed ab ipsis abscedentem suscepimus nos. Reprehenduntur qui quærunt; laudantur qui quærunt: animus enim quærentis, aut laudem invenit, aut damnationem. »

(1267) Hier. ad. c. XXI Matth.: « Reliquit incredulos, et urbem egressus contradicentium, ivit Bethaniam, quod interpretatur *domus obedientiæ.*

(1268) Vid. dicta ad cap. XXVI Matth., num. Beda hic: « Hoc unguentum ex nardo pistica, fideli... Sine fide enim Deo placere impossibile

(1269) Vid. Bernar. serm. 90 de divers.: « Christi Deus, deitas ergo in Christo tangitur, ad laudem ipsius ejus beneficia memorantes, non tam deitas, quam humanitas necesse est ut gitetur... Nam in carnis assumptione duos ille ad hoc accepisse cognoscitur, id est miserico et judicium; ut peccator qui ad caput, id est ad tatem accessum non habebat, ad pedes, id est humanitatem accederet. »

Digitized by Google

emus, quæ post resurrectionem die quadragesimo os ascendit (1270). *Cognovit ergo turba multa ex Ju-*
s **265** *quia illic esset, et venerunt, non propter Je-*
tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a
uis. Isti non amore, sed admiratione ducebanet sicut se habet cupiditas hominum, nova vie et audire cupiebant. *Cogitaverunt autem prins sacerdotum ut et Lazarum interficerent; quia ti propter illum abibant ex Judæis, et credebant lesum.* Stulti Judæi eum occidere volebant, quem er Dominus suscitaverat, ac si iterum eum uscitare non posset.

XXV. *In crastinum autem turba multa, quæ ve-*
at ad diem festum, cum audisset, quia venit Jesus rosolymam, acceperunt ramos palmarum, et proeruut obviam ei. Rami palmarum victoriam signi bant, quam Dominus illis diebus de hoste triumns suscepturus erat. Palma enim in Scripturis sæsime pro victoria ponitur (1271-73). *Et clamabant, sanna, benedictus qui venit in nomine Domini, r Israel.* Hosanna interjectio est, nihilque aliud nificat, nisi quemdam populi affectum congratutis et Deum laudantis (1274). Venit autem Dominus nomine Domini, secundum quod ipse ait : « Ego ni in nomine Patris mei, et non recepistis me; is veniet in nomine suo, et illum accipietis (*Joan.* 43). » *Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum, ut scriptum est : Noli timere, filia Sion. Ecce Rex s venit, sedens super pullum asinæ.* Hæc autem Matthæo exposuimus (1275). De hac enim asina, pullo Jacob patriarcha loquitur dicens : « Juda, laudabunt fratres tui : manus tua in cervicibus nicorum tuorum. Catulus leonis Juda. Ad præn, fili mi, ascendisti. Accubuisti ut leo, et quasi na. Quis suscitabit eum? » (*Gen.* XLIX, 8.) Et lo post : « Ligans ad vineam pullum suum, et ad m, o fili mi, asinam meam (*ibid.*, 2). » Hæc enim a Synagoga est, quæ alio nomine vinea voca. Pullus vero, populus Gentium indomitus et lasci (1276). Vitis autem Christus, qui ait : « Ego n vitis vera (*Joan.* XV, 1). » Ligavit igitur ad eam pullum suum, quia gentilem populum Syogæ conjunxit, ut fieret unum ovile et unus tor. Sed quia prius secundum quamdam partem, agogam sibi conjunxerat, asinam quoque liga- ad vitem. Per se enim Synagogam, et per Synaam nos prædicavit, et prædicando, nos Synagæ sibique ligavit. Sequitur : *Hæc non cognovet discipuli ejus primum, sed quando glorificatus est us, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de et hæc fecerunt ei.* Quid hæc, inquit, significarent, A *non cognoverunt discipuli ejus primum, sed quando glorificatus est*, id est postquam cœlos ascendit, postquam eorum sensus aperuit, ut Scripturas intelligerent, *tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, et* quia *hæc fecerunt ei*, non alio modo, nisi eo quo ante per prophetam fuerant prænuntiata de eo. *Testimonium igitur perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierant eum fecisse hoc signum.* Miraculis igitur trahebantur, qui verbis non movebantur. *Pharisæi ergo dixerunt inter se, et ad semetipsos : videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum vadit.* Deficimus, inquiunt, et non proficimus. Totus mundus post eum vadit, cujus B nomen delere cogitavimus. Quæ sunt enim istæ voces, quæ in ejus gloria resonant? Quid est *Hosanna filio David?* Quid est quod populus dicit, *Benedictus qui venit in nomine Domini?* Proximum est, ut rex ab omni populo constituatur, et Romanis venientibus, locus iste funditus destruatur. *Erant autem Gentiles quidam ex his, qui ascenderant, ut adorarent die festo.* De talibus enim fuit centurio, de quo ipse Dominus ait : « Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel (*Matth.* VIII, 10). » *Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum dicentes : Domine, volumus Jesum videre.* Et Judæi, et Gentiles quærunt Jesum. Judæi ut perdant : Gentiles, ut credant. *Venit Philippus, et dicit Andrææ. Andræas rursum, et Philippus dixerunt Jesu.* C *Jesus autem respondit eis dicens : Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.* Modo, inquit, occidetur Filius hominis; modo cum iniquis reputabitur; modo Sol justitiæ obscurabitur : sed venit hora post hæc, ut clarificetur, et non tantum ab his, sed a cunctis gentibus adoretur. Hoc autem factum est post Christi resurrectionem, ubique apostolis prædicantibus, et Christi nomen in signis et miraculis declarantibus.

XXXVI. *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hoc est enim illud granum frumenti, quod virgo et inarata terra produxit. De quo Psalmista ait : « Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, et D terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 12, 13). » Hujus autem grani immensa multiplicatione **266** omnia Ecclesiæ horrea impleta sunt. De hoc frumenti grano ille panis conficitur, de quo ipse Dominus ait : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI, 51) (1277). » Constat autem hoc et

(1270) Vid. Chrysost. hom. 50 in Matth., n. 4.
(1271-73) Beda ad h. l. : « Rami palmarum laudes it significantes victoriam, quia erat Dominus rtem moriendo superaturus; et tropeo crucis, de bolo mortis principe triumphaturus. »
(1274) Vide dicta ad Matth. cap. XXI, num. 85, 3. 99. Vid. et Bedam ad Marc. cap. XI.
(1275) Vid. loc. indicat.
(1276) Vid. ad Matth. pag. 98.

(1277) Ambros. in Psal. XXXVI : « Ipse granum pro nobis corpore solutus et mortuus est, ut fructum multum afferret in nobis. » Hieron. ad cap. IX Zach.: « Nos, frumentum electorum... intelligimus Dominum Salvatorem, qui loquitur in Evangelio : *Nisi granum tritici cadens in terram*, etc., *mortuum fuerit, ipsum solum permanet*, etc. De hoc tritico efficitur ille panis qui de cœlo descendit. »

Digitized by Google

ad litteram verum esse, quod frumenti granum, si in arca servetur, non crescit; si autem seminetur, si in terra solvatur et moriatur, multum fructum affert. *Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Hoc enim Dominus non dixisset, si animas nostras et bene et male amare, et iterum bene et male odisse non possemus. Ipse enim exponit quid sit male amare, et ipse exponit quid sit bene odisse. Male enim amat animam suam, qui in hoc mundo, qui propter hunc mundum, et propter hanc vitam præsentem eam amat (1278). Iste enim perdet eam : quia sic amando et æternæ morti, et perditioni tradet eam. Qui enim bene amat animam suam, sic eam amat, ut in æternum vivat, non ut brevi tempore in deliciis vivat. Unde et in vitam æternam eam custodit, qui sic in hoc mundo suam animam odit. Ille enim animam suam et vitam suam odisse videtur, qui mori non timet, qui jejuniis et vigiliis, qui paupertate et nuditate aliisque similibus eam affligit. Ille denique, qui sic amat animam suam, ut eam, si necesse sit, pro Christi fide ponere nolit, perdet eam. Qui vero sic odit, ut eam in tali necessitate ponere non recuset, in vitam æternam custodit eam. *Si quis mihi ministrat, me sequatur*, ut sicut ego pro ipso, ita et ipse, si necesse fuerit, pro me moriatur. Sequi enim, imitari est. Ministrant Domino non solum episcopi et sacerdotes, cæterique illius ordinis, verum etiam qui facit eleemosynas, vestit nudos, visitat infirmos, alia his similia misericordiæ et pietatis opera facit, Domino ministrat. Unde ipse quoque Dominus ait : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth.* xxv, 40); » ostendens eos ministrare sibi, qui ipsius membris ministrant. Sed quid eis sibi ministrasse proderit? Sequitur: *Et ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Dicis fortasse, non hoc tibi sufficit. Audi quod sequitur : *Si quis mihi ministraverit, honorificavit eum Pater meus.* Magnus honor, magna gratia, immensæ en divitiæ. Beatus ille quem Deus honorificabit. Ille enim ditabitur illis bonis, quæ « oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II, 9). » Denique, qui ibi erit, ubi ipse est, quid melius unquam habere potest? Hoc enim Psalmista desiderans ait : « Beati, qui habitant in domo tua, Domine. In sæculum sæculi laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5). » Itemque : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI, 4). » Et Apostolus : « Cupio, inquit, dissolvi, et esse cum Christo (*Philip.* I, 23). »

A Sequitur : *Nunc anima me*
cam? Pater, salvum me fac
reni in horam hanc. Pat
Dixit superius : « Venit
hominis (*ibid.*). » Nunc au
turbata est. Sed unde turb
clarificatione multos ubi
turbari, verum etiam fla
que torméntorum generi
enim in eum credidisset,
Nisi enim a mortuis resu
set, tantaque fideles sui i
fecissent, nemo in eum
Nunc anima mea turbata
re, sed meorum fidelium
B sum, et humanis affection
cam; cum pro meo nomi
et cruciari videam? *Pat*
membra mea, salva et cu
hora, ex hoc tempore
perturbationis (1279). Sim
et Ecclesiæ persecutio cœp
apostoli fugiunt, Petrus n
tur omnes. *Sed propterea*
hac hora fideles mei sal
mundentur. Tu vero, *Pa*
ut, me die tertia resurgen
fiat, quod tu Pater, et e
enim cognoverunt nomen
C men meum, quia Pater s
Venit ergo vox de cœlo : E
ficabo. Clarificavi per mir
per **267** resurrectionem
cavi paucis, clarificabo m
omnibus. Pauci enim fu
tem audierunt: « Hic est F
XVII, 5). » Multi vero sunt
credunt. Sed hoc in jud
quando « omnis lingua
Jesus Christus in gloria es
Turba, quæ stabat et
factum esse. Alii dicebant
igitur, et illi vocem audier
illi eam intellexerunt. *R*
D *Non propter me vox hæc v*
enim tali collocutione ind
tatem per omnia sciebat.
stolus, « in signum sunt
bus (*I Cor.* XIV, 22). » *N*
nunc princeps mundi ejic
judicio agitur, ut bonum a

(1278) August. lib. III De doctr. Chr. c. 16 : « Cum ait Dominus : *Qui amat animam suam, perdet eam*, non utilitate vetare putandus est, qua debet quisque conservare animam suam; sed figurate dictum *perdet animam*, id est perimat atque amittat usum ejus, quem nunc habet, perversum scilicet atque præposterum, quo inclinatur temporalibus, ut æterna non quærat. » Vid. eumdem S. Aug. tract. 51 in Joan.

(1279) Chrysost., hom. cæteri ferme interpretes putant, eo modo quo illud *transeat a me calix iste.*

(1280) Augustin. tract. *Clarifica tuum nomen*, nisi rectione? »

Digitized by Google

liscernatur (1281). Ex eo igitur tempore mundus
:ari et judicare cœpit, ex quo Christi doctrinam
epit, quia tunc primum veritatem a mendacio
ernere novit. Et tunc princeps mundi hujus, id
liabolus, rex et dominus iniquorum, ejectus est
s. Non foras utique de mundo, sed foras de
lo baptismate mundo. Quem Christus suo san-
e lavit, et baptismatis aqua mundavit. *Et ego,*
altatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum,
inquit, foras ejectus amittet principatum. Ego
n exaltatus ad meipsum omnia traham. Omnia
icet, quæ trahenda sunt (1282). *Hoc autem di-*
, ait evangelista, *significans qua morte erat*
turus. Respondit ei turba : Nos audivimus ex
quia Christus manet in æternum. Et quomodo tu
. Oportet exaltari filium hominis ? Quis est iste
hominis ? Videntur Judæi hoc in loco in-
xisse quid hac tali exaltatione Dominus signifi-
rit, dum intelligunt eum, sic exaltatum, non
e manere in æternum. *Dixit ergo eis Jesus :*
uc modicum lumen in vobis est. Ambulate, dum
n habetis, ut non tenebræ vos comprehendant.
ambulat in tenebris, nescit quo vadit. Dum lucem
tis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Adhuc,
it, modicum lumen intelligentiæ in vobis est,
nescitis quis sit iste filius hominis. Illi enim
lluminati sunt, qui eum cognoscunt, et qui eum
credunt Filium Dei, et filium hominis. Ambu-
festinate, currite ad lucem, dum potestis, dum
ima est, dum eam videtis, et ante oculos eam
lis, ut non tenebræ erroris et mortis vos com-
ndant. *Qui enim ambulat in tenebris* ignoran-
et erroris, *nescit quo vadat. Ego sum lux*
li. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris,
abebit lumen vitæ (*Joan.* VIII, 12). Ergo, dum
habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.
locutus est Jesus, et abiit, et abscondit se ab eis.
ec quidem significatio est. Ideo enim Dominus
se ab eis abscondit, quia usque hodie ab eis
invenitur. Quotidie enim in lege et prophetis
tur eis, et tamen non invenitur ab eis. Et hoc
quod significabat, quando se abscondit ab eis.
autem tanta signa fecisset coram eis, non cre-
it in eum, ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur,
dixit : Domine, quis credit auditui nostro, et
ium Domini cui revelatum est ? Brachium Do-
Christus est, quod nondum Judæis revelatum
Cæcitas enim ex parte contigit in Israel (*Rom.*
5). » Hoc autem brachio facta sunt omnia, et
ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). » *Prætereq*

A *non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : Ex-*
cæcavit oculos eorum, et induravit eorum cor, ut non
videant oculis, et non intelligant corde ; et convertan-
tur, et sanem eos. Hæc dixit Isaias, quando vidit
gloriam ejus, et locutus est de eo. De quo ? De Chri-
sto : Ait enim : « Vidi Dominum sedentem super
solium excelsum, et elevatum, et ea, quæ sub ipso
erant, implebant templum (*Isa.* VI, 1). » Et paulo
post : « Vade, et dices populo huic : Audite au-
dientes, et nolite intelligere, et videte visum, et
nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et
aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte
videat oculis suis, et auribus audiat, et corde intel-
ligat, et convertatur, et sanetur (*Ibid.*, 9). » Sed
quoniam, sicut hic dicitur, populus iste credere non
B potuit, quia hoc Isaias de eo prædixit, nunquid
Isaias ejus incredulitatis causa fuit ? Absit ! Ejus
namque iniquitas, et cor impœnitens fuit causa, ut
credere non posset (1283). Quod quidem propheta
prævidit et prædixit, et sicut prædixit, non evenire
non potuit. Nunquam enim propheta hoc prævidis-
set, nisi futurum fuisset. Nam, etsi propheta **268**
hoc non prædixisset, tamen nihilominus evenisset.
Sequitur : *Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum. Sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam Dei.*

XXXVII. *Jesus autem clamavit, et dixit : Qui cre-*
dit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.
C Quomodo enim non credit in te, qui credit in te ?
aut quomodo non credit in te, qui credit in eum
qui misit te ? Tu enim dixisti : « Ego, et Pater unum
sumus (*Joan.* X, 30). » Quicunque igitur credit in
Patrem, credit et in Filium, et e converso. Aliquid
igitur subaudiendum est, ut sic dicatur : Qui credit
in me, non solummodo in me, sed etiam in eum qui
misit me (1284). *Et qui videt me, videt eum qui*
misit me. Sic enim et Philippo Dominus ait : « Phi-
lippe, qui videt me, videt et Patrem (*Joan.* XIV, 9). »
Quod quid significet, mox exposuit dicens : *Non*
credis, quia ego in Patre, et Pater in me est ? Item :
Ego et Pater unum sumus. Ego lux in mundum veni,
ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat.
D Quid est, *ego lux in mundum veni*, nisi mundum
illuminare veni ? Cur ? *Ut omnis qui credit, in tene-*
bris non maneat. Ipsum igitur in Christum credere,
illuminari est. Qui igitur in Christum non credit, in
tenebris manet, in tenebris utique cæcitatis et erro-
ris. Non enim cognoscit veritatem, quia veritas

81) Aug. tract. 52 : « In fine quod exspectatur
um, erit judicandorum vivorum et mortuorum,
um erit præmiorum pœnarumque æternarum.
ergo nunc judicium est ?... Commoni charis-
vestram, dici etiam judicium, non damna-
, sed discretionis. » Vid. reliqua apud eum-
S. Aug. et S. Joan. Chrysost. hom. 67, n. 2.
82) August. tract. 52 : « Quæ omnia, nisi ex
s ille ejicitur foras. »
83) Eamdem quæstionem proponit et solvit S.
tract. 53 : « Quare autem non poterant, si a
me quæratur; cito respondeo, quia nolebant; ma-
lam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, et per
prophetam prænuntiavit ille, cui abscondi futura
non possunt. »
(1284) Aug. tract. 54 : « Qui credit in me, in-
quit, non credit in me, id est in hoc quod videt,
sed in eum qui misit me, id est in Patrem. Sed
qui credit in Patrem, necesse est eum credat esse
Patrem; qui autem credit eum Patrem, necesse est
ut credat eum habere Filium : ac per hoc qui cre-
dit in Patrem, necesse est ut credat in Filium. »

Digitized by Google

Christus. *Et si quis audierit verba mea, et non custodierit ea, ego non judico eum.* Cur? *Quia non veni, ut judicem mundum, sed ut salvum faciam mundum.* Planum est quod dicitur, si *modo*, vel *nunc* subaudiatur (1285). Judicabit enim Dominus, sed non modo. Alioquin quomodo verum esset, quod ait : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio? » (*Joan.* v, 22.) *Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum; sermo, quem locutus sum, ipse judicabit eum in novissimo die.* Quis igitur, nisi Christus, judicabit, si sermo Christi judicabit? Omnia enim hæc Evangelii verba, sermo Christi sunt. Hæc autem judicabunt, id est damnabunt. Et hoc merito. Unde hoc? Jesum audi : *Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar. Sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Quia enim veritas est, quia Dei Filius est, quia a Patre missus est, quia a seipso locutus non est, ideo merito judicabuntur et damnabuntur, qui eum spernentes ejus verba recipere noluerunt. Omnia autem hæc ad hominem referenda sunt. Quamvis enim Christus, Dei sapientia, in homine loquebatur, non tamen secundum humanitatem loquebatur a seipso. Secundum divinitatem vero loquebatur a seipso, quia secundum divinitatem unum est Pater et ipse. Loquebatur igitur a seipso, et non loquebatur a seipso. Hæc autem et similia facile intelligere possunt, qui duarum in Christo naturarum non obliviscuntur.

XXXVIII. [Cap. XIII.] *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Sciens, inquit, Jesus quia venit ejus hora. Sciebat enim, quando veniret, quia ante mundi constitutionem, et tempus, et annum, et diem disposuit, quando veniret. Sed quæ *hora? Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Ab hoc enim transitu Pascha, *transitus* interpretatur (1286). *Cum* semper *dilexisset suos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos*, id est in finem ostendit, quanto amore dilexerit eos. « Majorem enim hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (1287). » Hoc enim ipse dixit. Et hanc tantam dilectionem et dicendo significavit, et patiendo monstravit. *Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in corde, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotis, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cœna et ponit vestimenta sua.* Et cœna facta, id est parata (1288), et ante posita, sed nondum sumpta, cum Judæ diabolica persuasione jam victus et deceptus erat, ut Dominum traderet, *sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus*, sciens se esse legum, et Dominum dominantium, neque obliviscens esse Filium Dei, *et quia a Deo exivit et ad Deum* quamvis talis esset, quamvis talem se esse *surgit tamen a cœna*, et usque ad discipulorum lavandos seipsum **269** humiliat. *Ponit vestimenta sua*, accipit linteum, *præcingit se*, *mittit aquam pelvim*, et tam charitative, tam modeste, tam ciose præparatus, venit *lavare et tergere pedes pulorum.* Et ut omnia ratione et ordine et faciendo nos instrueret, *venit* prius *ad Simonem trum.* Ipse enim inter alios major erat (1289). *dicit ei Petrus : Domine, tu mihi lavas pedes?* decet, non convenit. Tu Dominus : ego servus Deus : ego homo; tu Creator : ego creatura. mihi lavas pedes? *Respondit Jesus*, et dixit *Quod ego facio, tu nescis modo; scies autem* Hæc mea humiliatio, magni sacramenti est catio, quam, me docente et exponente, posteri At ille de tanta Filii Dei inclinatione adhuc in eadem voluntate persistens, *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Nunquam patiar, nunquam hoc feram, nunquam de Domini mei hoc tale servitium recipiam. *ei Jesus : Si non lavero te, non habebis cum.* Illi igitur partem habebunt cum Christo regno suo, quos ipse dilexit, et lavit a peccatis sanguine suo. *Dicit ei Simon Petrus : Domine, tantum pedes meos, sed et manus, et caput.* Si inquit, placet, si id sedet animo, si aliter fieri potest, servus tuus sum, totum me tuæ voluntati subjicio, et non pedes tantum, sed et manus caput tibi offero. Dicit ei Jesus : *Qui lotus est, indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Qui enim semel lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, qui quoniam semper terram tangunt, frequenter pulvere maculantur (1290). *est mundus totus.* Subauditur præter pedes. Per quidem per hos pedes, sensus corporis et affectiones significari puto. Ipsi enim nos extra nos, et ipsi frequenter macula tur

(1285) Hoc quoque ex Aug. ib. : « Audite quomodo dicit Filius : *Ego non judico eam*, cum dicat alio loco : *Pater non judicat quemquam*, etc., nisi quia intelligendum est : Modo non judico eum. »

(1286) Vid. August. tract. 55 : « Ecce Pascha, ecce transitus, » etc., cujus verba exscribit Beda.

(1287) Joan. xv, 13. Atque ad h. loc. August. : « Quia tantum dilexit eos, ut moreretur pro eis; hoc enim testatus est dicens : *Majorem hoc charitatem nemo habet*, » etc.

(1288) Beda ad h. l. : « Cœna ergo facta dictum est, jam parata et ad convivantium mensam usumque perducta. »

(1289) Beda ad h. l. : « *Venit ergo ad Simonem Petrum*, quasi aliquibus jam lavisset, et ps venisset ad primum. Quis enim nescial, p apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed ita intelligendum est, quod post aliquos ad eos nerit, sed quod ab illo cœperit. Quando ergo discipulorum lavare cœpit, venit ad eum, a quo pit, id est ad Petrum. »

(1290) Hier. ep. 18 ad Damas., n. 12: « quod... ille respondit: *Domine, non solum pedes* Ascensurus ergo Dominus ad cœlum, quia ut homines terræ insistentes, adhuc habentes catoribus sordibus pedes pollutos, vult eos penitus liberare. » Augustinus, De Eccles 56, n. 5 : « In his autem qui hic

Digitized by Google

(291). Portat de visus ad mulieris speciem con-
landum : ibi maculatur; indiget lavatione. Por-
auditus ad audiendam detractionem, et con-
vanitatis : ibi maculatur; indiget lavatione.
et le gustus ad crapulam, et ebrietatem : ibi
latur; indiget lavatione. Sic et in aliis. Isti
sunt illi pedes, quos etiam illos, qui jam loti
ptizati sunt, frequenter lavare oportet. Sed
de animæ affectionibus dicam, cum ipsis quo-
nonis actionibus superbia, et vana gloria sæpe
inisceat? Et hic igitur lavatio necessaria est.
itur : *Et vos mundi estis, sed non omnes.* Hoc
n, quia evangelista exposuit, nobis aliter expo-
non licet. *Sciebat enim*, ait evangelista, *quis-
esset qui traderet eum; propterea dixit : Non
mundi omnes. Postquam ergo lavit pedes eo-
et accepit vestimenta sua, cum recubuisset ite-
, dixit eis : Vos vocatis me, Magister et Domine,
ene dicitis; sum etenim.* Bene, inquit, dicitis,
mo Magistrum et Dominum vocatis. Sicut
dicitis, ita est. Sed quia Magister sum, meam
rinam recipite, et quia Dominus, meum manda-
custodite. Quid mandatum? Vultis audire,
? *Si ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister,
debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum
dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita
faciatis.* Quamvis enim hoc ad litteram custo-
plenum sit charitate et humilitate, majus ta-
aliquid significare videtur, sicut et cætera, quæ
ator noster similiter egit. Et hoc est fortasse,
Apostolus ait. Hæc est forsitan illa lex, quam
dimplere præcepit, quando dixit : « Alter alte-
onera portate, et sic adimplebitis legem Christi
t. VI, 2), » id est mandatum Christi. Unde et
bus apostolus ait : « Confitemini alterutrum pec-
vestra, et orate pro invicem, ut salvemini (*Jac.*
). » Dum enim pro se invicem sancti orant (1292),
alterius pedes lavat. *Amen, amen dico vobis,
est major servus domino suo, neque apostolus
r eo qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis,
eritis ea.* **270** Si, inquit, scitis et intelligitis

A quæ fecerim vobis, et hoc exemplum secuti, faceritis similiter aliis, quemadmodum ego feci vobis; beati eritis. Sed cur vestris æqualibus non facitis, quod me vobis meis servis et discipulis facere videtis? *Non de vobis omnibus dico. Ego scio quos elegerim.* Dixi, inquit, vobis, beati eritis; sed non omnibus dixi. Illis dixi, qui facturi sunt ea; illis dixi, quos elegi non tantum ad apostolatum, verum etiam ad beatitudinem (1293). Ad apostolatum enim et Judas electus est. Unde et superius Dominus ait : « Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? » (*Joan.* VI, 71.) *Sed ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat meum panem, levabit contra me calcaneum suum.* Sic enim scriptum est : « Homo pacis meæ, in quo sperabam, qui edebat
B panes meos, ampliavit adversus me supplantationem (*Psal.* XL, 10). » *Amodo dico vobis, priusquam fiat; ut credatis, cum factum fuerit, quia ego sum.* Ille, subauditur, de quo illa Scriptura hæc dicit : *Amen, amen dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit, et qui me accipit, accipit eum qui me misit.* Quamvis enim sit aliter Pater in Filio, et aliter Filius in apostolis; tamen, quia Christus in eis est, quicunque apostolos accipit, accipit et Christum. *Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis, quia unus
C ex vobis tradet me.* Spiritu enim turbatur, quia spiritualiter turbatur. Spiritualis enim turbatio ad pietatem et misericordiam spectat. Carnalis autem turbatio iram excitat et furorem. Spiritu igitur turbatur Jesus, sive quia discipulus eum tradit, et tradendo perit, sive ut nos doceat quid agere debeamus, quando in magnum facinus et scelus aliquem hominem ruere videmus (1294). Erat autem Judas unus ex eis, quia carnaliter conversabatur cum eis, quamvis mente et fide jam recessisset ab eis. Inter eos ad apostolatum electus fuerat; sed cum eis ad vitam æternam prædestinatus non fuerat. *Aspiciebant ergo ad invicem discipuli hæsitantes, de quo
D diceret.* Unusquisque sibi timebat, quod in conscientia non habebat; quia eum mentiri non posse

isi munda sit, quoniam juste vivunt; opus ta-
habet pedes lavare, quoniam sine peccato uti-
non sunt. »

291) Beda ad h. l. : « Quid, fratres mei, quid
is? nisi quia homo in sancto quidem baptismo
ablnitur, non præter pedes, sed totus omnino :
mtamen cum in rebus humanis postea vivitur,
ie terra calcatur. Ipsi igitur humani affectus,
quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi
s sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, et sic
mur, ut si dixerimus quia peccatum non habe-
nos ipsos decipiamus, et veritas in nobis non
Quæ sunt verba Augustini tract. 56.

292) Aug. tract. 68 et Beda : « Imo vero id
a nos esse admonitos in hujus Dominici operis
tdine noverimus, ut confessi invicem delicta
ra oremus pro nobis, sicut et Christus interpel-
ro nobis. Audiamus apostolum Jacobum, hoc
n evidentissime præcipientem, et dicentem :
itemini, etc. Quid enim videtur in hac altitudine
menti Dominus significare, cum dicit : *Exem-
enim dedi vobis*, etc., nisi quod apertissime

dicit Apostolus : *Donantes vobismetipsis*, etc.? Invicem itaque nobis delicta donemus, et pro nostris delictis invicem oremus, atque ita quodammodo invicem pedes nostros lavemus. »

(1293) Vid. de hoc dicta superius.

(1294) Athanas. De Incarnat. : « Quod sic animæ suæ sensum Dominus ostendit, in compassionem nostræ animæ; ut ita et ipsius intelligeremus passionem, et enm tamen impatibilem confiteremur. » Aug. tract. 60 : « Hinene turbatus est Jesus, non carne, sed spiritu, quia dicturus fuerat : *Unus ex vobis tradet me?*... An potius in eo nostra turbatur infirmitas? Ita vero nihil indignum credant servi de Domino suo, sed agnoscant se membra in capite suo... Proinde quando turbatur magnus, fortis, certus, invictus, non ei timeamus, quasi deficiat; non perit, sed nos quærit. Nos, inquam, nos omnino sic quærit. Nos ipsos in illius perturbatione videamus, ut quando turbamur, non desperatione pereamus. Quando turbatur, qui non turbaretur nisi volens, cum consolatur qui turbatur nolens... Turbetur plane animus christianus non miseria, sed

Digitized by Google

sciebant. *Erat ergo recumbens unus ex discipulis in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.* Quid est enim iste discipulus, nisi idem ipse, qui hæc scribit, beatus Joannes? Qui secundum consuetudinem sanctarum Scripturarum sic de se, quasi de alio, loquitur. Sic enim Moyses frequenter dicit: « Locutus est Dominus ad Moysen (*Exod.* VI, 2, 10, 13; *Deut.* XXXII, 48, etc.). » Et alii prophetæ similiter. Recumbebat autem discipulus iste in sinu, id est in pectore Jesu, et super illum fontem sapientiæ et scientiæ, de quo hæc omnia haurire promeruit, quæ per totum hoc Evangelium tam affluenter nobis eructat (1295). *Innuit ergo huic Simon Petrus et dicit ei: Quis est, de quo dicit?* Innuit, inquit, id est secrete admonuit ut de quo diceret interrogaret. *Itaque, cum recubuisset supra pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondit Jesus: Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotis.* In eo fortasse, quod panem intinctum ei dabat, eum diabolica nigredine tinctum jam et infectum significabat. *Et post buccellam tunc introivit in illum Satanas.* Introiverat enim jam antea in eum Satanas ad tentandum, et decipiendum; sed tunc primum intravit in eum ad possidendum. Et forsitan adhuc dubitabat, atque timebat ut Judas resipisceret, et a perditione quiesceret. Sed postquam per buccellam designatum vidit, quasi proprium invasit, et suæ servituti eum subjugavit. *Dicit ei Jesus: Quod facis, fac citius.* Non præcipiendo hoc dixit, sed prædicendo (1296), quia videbat ejus animum præ nimio desiderio accelerandi, quod cœperat, non posse quiescere. *Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut* **271** *aliquid daret. Cum ergo accepisset buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.* Bene quia nox erat, quoniam in noctem, et in mortem, et in tenebras ibat (1297). *Cum ergo exisset, dicit Jesus: Nunc clarificatus est filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificavit eum in semetipso, et continuo clarificavit eum.* Nunc, inquit, quia filius noctis et tenebrarum recessit a discipulis meis, nunc filius hominis clarificatus

A est in eis. Nunc nihil caliginis et tenebrarum
in eis (1298). Et Deus clarificatus est in e
nihil tenebrarum aliquando divinitas sensit
Ipse est enim illa « lux, quæ in tenebris
tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.*
Quamvis igitur clarificetur in aliis, in se
clarissimus est. In aliis enim clarificatur,
clarificantur, qui ejus membra sunt. Similiter
et Deus clarificatus est in eo, quia clarum
Et hoc est, quod ait: *Si Deus clarificatus*
Deus clarificavit eum. In quo? *In semetipso.*
Continuo. Quid est *continuo?* Statim ut
Cæteri enim homines prius generantur et
tur: deinde per pœnitentiam, per baptismum
ministerium sacerdotum regenerantur et
B tur. Filius autem hominis non prius
quam clarificatus. Divinitas enim humanitati
juncta, statim in ipsa unitione, hominem
assumptum sanctificavit, et clarificavit, et
corruptela primæ prævaricationis mundavit
Dicatur ergo: Nunc filius hominis clarificatus
in discipulis suis. In quo filio hominis Deus
catus est continuo, ut se humanitati
quam ipse in semetipso clarificavit et sanctificavit.
Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Hoc
carnis præsentia dixit, quæ non post multos
cœlos ascendit. *Quæretis me, et sicut dixi*
Quo ego vado, vos non potestis venire, et
modo. Quærebant enim discipuli videre
desiderio quærebant, quia semper cum eo
C piebant. Unde Apostolus ait: « Cupio dissolvi
esse cum Christo (*Philip.* I, 23). » Sed non
tunc venire quo ipse ibat, quamvis illuc
erant. Unde et subdidit: *Et vobis dico,*
dixi, inquit, absolute dixi. *Quo ego vado,*
potestis venire (1300). Vobis autem dico,
non potestis venire quo ego vado. Prius
tet vos ire, et prædicare Evangelium omni
Mandatum novum do vobis, ut diligatis
dilexi vos. Diligere namque non est
tum; sed sic diligere, sicut ipse dilexit.
mandatum est (1301). Lex enim proximos
præcepit; sed non pro eis mori præcipit.
cognoscent omnes, quia mei discipuli estis,

misericordia; timeat, ne pereant homines Christo; contristetur, cum perit aliquis Christo; concupiscat acquirere homines Christo, lætetur cum acquiruntur homines Christo: timeat et sibi ne pereat Christo, » etc. Eadem verba habet Beda. Vid. Cyrill. pag. 751.

(1295) S. Gregor. lib. XXVII Moral. cap. 6: « Quid charius Joanne? Iste per amorem in ipso auctoris nostri pectore requievit; et qui ad corporalis cœnæ refectionem venerat: spiritale pabulum de sinu Redemptoris sumpsit. »

(1296) Aug., tract. 62: « Non præcepit facinus, sed prædixit. » S. Leo, serm. 58 De pass. Dom. 7, cap. 4: « Vox hæc non jubentis est, sed sinentis; nec trepidi, sed parati: qui habens omnium temporum potestatem, ostendit se et moram non facere traditori; et sic ad redemptionem mundi paternam exsequi voluntatem, ut facinus quod a persequenti-

D bus parabatur nec impelleret, nec timeret.
(1297) Aug. ad h. l.: « Et ipse qui exivit
nox. »

(1298) Aug. tract. 63: « Exiit Judas, et clarificatus est filius hominis. Ille quippe exierat, quem dictum erat eis: *Et vos mundi estis, sed non omnes.* Exeunte itaque immundo, omnes mundi manserunt, et cum suo mundatore manserunt.

(1299) Aug. tract. 63 explicat de claritate Patris post passionem. Quod autem dicitur continuo, *interpretatur;* « Resurrectionem suam, non nostram in fine sæculi, sed continuo futuram. » S. Cyrill. pag. 745.

(1300) Aug. tract. 64: « Hoc est, modo non potestis venire, Judæis autem cum hoc diceret, non dixit modo. »

(1301) Aug. tract. 65: « Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis, non sicut se

abueritis ad invicem. Dicit ei Simon Petrus : A
e, quo vadis? Respondit ei Jesus : Quo ego vado
tes me modo sequi. Sequeris autem postea.
Petrus : Cur non possum te sequi modo? Ani-
eam pro te ponam. Respondit Jesus : Animam
ro me pones? Amen, amen dico tibi, non canta-
us, donec ter me neges. Solus Marcus dicit :
ntabit gallus. Ut igitur Evangelia conveniant,
catur : Non cantabit, id est non complebit
, donec me ter neges. Huic autem simile
i diceremus : Non prius cœnavit Jesus, quam
pedes discipulorum, id est non prius cœnam
evit, etsi prius cœnare cœpit (1302).

XIX. [CAP. XIV.] *Et ait discipulis suis : Non*
r cor vestrum, neque formidet. Creditis in
, et in me credite. Ego, inquit, *vado, et quo ego* B
vos non potestis venire modo; venietis autem
. Sed *non turbetur cor vestrum* propter hoc,
formidet. Nam etsi vado, vos tamen non re-
: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus
ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII,
Creditis in Deum, et in me credite. Non enim
t vobis credere in Patrem, nisi et in Filium
tis : « Ego enim et Pater unum sumus (*Joan.*
. » *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*
nibus eas, quæ nobiliores et clariores sunt,
præparare et dare disposui. « Vos enim estis,
ermansistis mecum in tentationibus meis (*Luc.*
29, 30). » *Et ego dispono vobis, sicut disposuit*
Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis **272** C
mensam meam in regno meo, et sedeatis super
os, judicantes duodecim tribus Israel. Si quo
dixissem vobis, quia vado præparare vobis lo-
tamen non turbari, sed lætari deberetis. Si,
t, minus in aliquo, et non tam sufficienter
sem vobis, quia vado præparare vobis locum,
tamen desiderare debuistis, ut quantocius il-
em, et in illius tantæ beatitudinis gloriam vos
ducerem. Nunc autem, cum toties vobis id dixe-
atque promiserim, quid trepidatis? Certi igitur
e, et nolite dubitare, quia *si* ego *abiero, et præ-*
iero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad
sum. Cur? Ut ubi ego sum, et vos sitis. Unde et
rius dixi, quia « Ubi ego sum, ibi et minister
erit (*Joan.* XII, 26). » Accipit enim Dominus D
lorum animas quotidie ad seipsum, angelorum
sterio, et ineffabili potentia sua. Hoc tamen
plenius, et abundantius faciet, quando ad judi-
venlens, corporibus animabus conjunctis, suis

fidelibus loquetur dicens : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV, 34). » Necesse autem fuit ut ipse prius iret, et cœli januas aperiret, suoque introitu singulis quibusque convenientia loca pararet. Multæ enim ibi sunt mansiones; quia, ut Apostolus ait, « Stella differt a stella in claritate (1303). » Sequitur : *Et quo ego vado, scitis, et viam scitis.* Quo enim ibat, nisi ad Patrem? sciebant autem apostoli et Patrem, et ipsum; non specie tamen, sed fide. Credendo enim sciebant, non videndo. Qui igitur et Patrem sciebant et ipsum, sciebant utique et quo ibat, quia Patrem sciebant, et viam ipsam sciebant, quia ipsum sciebant. Sed quia hæc verba nondum intelligebant, id ipsum quod sciebant, se scire nesciebant. Unde et Thomas respondens ait : *Domine, nescimus quo vadis : et quomodo possumus viam scire?* Quidam enim ex ipsis putabant, quod de morte diceret : sicut Petrus, qui modo superius ait : « Domine, quo vadis? » (*Joan.* XIII, 36.) Cui Dominus : *Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea.* At ille : *Cur,* inquit, *non possum te sequi modo? Animam meam pro te pono.* Vides igitur, quia de morte intelligebat, qui se simul cum ipso animam suam ponere dicebat. Hinc est itaque, quod ait Thomas : *Nescimus quo vadis;* quia adhuc ignorabat de quo itinere loqueretur, an mortis, an cœli. Et Dominus continuo sua responsione eis exposuit qualiter hæc verba intelligere debuissent. Ait enim : *Ego sum via, veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Si me, inquit, scitis, et viam scitis; quia ego sum via. Et si me scitis, Patrem quoque scitis; quia *ego et Pater unum sumus* (1304). Si vero Patrem scitis, et quo ego vado scitis, quia ego ad Patrem vado. *Ego,* inquit, *sum via.* Sed cur via? *Quia nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Ego sum *veritas.* Unde hoc? Quia nemo cognoscit Patrem, nisi per me. « Nemo enim novit Patrem, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare (*Matth.* XI, 27). » Nihil enim nisi veritate cognoscitur. Ego sum *vita;* quia nemo vivit, nisi per me. *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. Et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.* Vultis, inquit, venire ad Patrem? Vultis eum cognoscere? Prius me cognoscite, quem videtis, et sic postea cognoscetis eum, quem nondum videtis. Jam enim vidistis eum, sed non in se. Vidistis autem eum, sed in me. Vidistis quidem, sed mente et fide. Ipse enim loquitur in me, quia ego a meipso non loquor. Quem, dum

corrumpunt, nec sicut se diligunt homines, quo-
homines sunt; sed sicut se diligunt filii ejus
fratres, ea dilectione invicem diligentes, qua
dilexit eos. »

302) Proponit et solvit hanc quæstionem Aug. III De consens. Evang. cap. 2 : « Quæstio nascitur evangelistarum verbis aliquanto diversis. Matus ; *Antequam gallus cantet, ter me negabis ;* Mar- : *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me e*
Murus ; Luc. et Joan. iisdem ferme verbis : *Non abit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.*
Non cantabit gallus, donec ter me neges. » Solverat vero August. eodem ferme modo, ac A. sed pluribus.

(1303) I Corinth. XV, 41. Vid. S. Gregorium lib. III Moral., cap. 42, et lib. XXXV, cap. 24, et homil. 16 in Ezechiel.

(1304) Joan. X, 30. Aug. De doctr. Christ. lib. I, cap. 34 : « *Ego sum via, veritas, et vita :* hoc est, per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur. Cum enim ad ipsum pervenitur, etiam ad ipsum Patrem pervenitur; quia per æqualem ille, qui est

Digitized by Google

auditis, videtis. Qui enim mente audit, videt utique quod audit; quia idem sunt et visus, et auditus in mente; et non solum isti, sed et gustus quoque, et odoratus, et tactus. Unde est illud : « Gustate et videte (*Psal.* XXXIII, 9), » id est gustando videte. Sic igitur eum vidistis, dum eum in me loquentem audistis. Et amodo cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. *Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Iste enim non mente solummodo, et fide, sed carnis etiam oculis eum videre desiderabat. Sicut et Moyses, qui ait : « Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te (*Exod.* XXXIII, 13). » Cui Dominus : « Non me, inquit, videbit homo, et vivet (*Ibid.*, 20). » *Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem.* Ille de exteriori visu loquebatur : Christus autem ad interiorem, id est ad intelligentiam et mentis oculos eos provocabat. *Tanto tempore vobiscum sum*, tanto tempore inter vos conversatus sum, vobisque in doctrina, in signis, in miraculis divinitatem et potentiam meam revelavi, *et non cognovistis me? Philippe, qui videt me*, non, sicut tu intelligis, oculis carnis, sed sicut ego dico, oculis mentis, *videt et Patrem. Non credis, quia ego in Patre et Pater in me est?* Si enim hoc credis, et me et Patrem vides. Si hoc non credis, neque me, neque **273** Patrem vides. *Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor.* A quo igitur? A Patre. Ubi est? Audi ubi est. *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Quid est, *ipse facit opera? Ipse loquitur in me.* Loquendo enim operatur Deus. « Ipse enim dixit, et facta sunt (*Psal.* XXXII, 9). » Verbis enim et non herbis sanat infirmos Jesus. Sed notandum valde : cum ipse et Pater unum sint, ubique tamen Patrem glorificat. Si enim dixisset : Ego a meipso, secundum humanitatem non loquor, sed divinitas in me manens ipsa facit opera, bene quidem dixisset. Hoc tamen non dixit, ut omnem ad Patrem gloriam referat. *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* Si verbis, inquit, non creditis, operibus credite. Opera enim quæ ego facio, ipsa manifeste ostendunt quia ego sum in Patre, et Pater in me est. Sed audite adhuc majus argumentum, et cui nemo contradicere possit. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ*

A *ego facio, et ipse faciet, et*
ego ad Patrem vado. In
Dei Filius ego sum; quia
bus admiranda opera faci
me credunt, similia et ma
Et hoc merito, quia ego
quia Dei Filius sum, et
quem vado. Et multum qu
operentur, qui credunt in
quodcunque petieritis in n
glorificetur Pater in Filio.
Pater in Filio, dum talia fi

XL. *Si diligitis me, m*
enim et mundi hujus pote
fideles probant et cognosc
B rum mandata custodiunt.
exhibitio est operis (1306)
dilectionem abnegat. Sed q
Qua mercede ejus mand
qua? *Et ego rogabo Patrem*
bit vobis, ut maneat vobi
enim Filius Patrem, non s
per omnia est æqualis Patr
tatem, qua minor est Pa
Paracletum, Spiritum sanc
est Pater, alius Filius, ali
non est aliud Pater, aliud
sanctus. Omnes enim unum
Unum enim ad essentiam
personam et numerum refe
C stolis alium Paracletum, i
Paracletus enim *consolator*
quem Spiritum sanctum in
qui eos consolari solebat,
poraliter conversari habeb
secundum humanitatem i
secundum divinitatem ab
ipse ait : *Non vos* deseram
enim est Spiritus sanctus
Sciendum est autem quia s
Spiritum sanctum, quonia
dit. Sequitur : *Spiritum v*
potest accipere, quia non v
autem cognoscetis eum, qu
D *vobis erit.* Vocatur enim
quia nihil docet, nisi ve

æqualis, agnoscitur. » De his verbis evangelicis fuse August. idem serm. 141 et 142. Vide etiam Cyrillum pag. 768.

(1305) Vid. Aug., tract. 72, et Cyril., pag. 804, et præcipue Chrysost., hom. 62 in Joan.

(1306) Notissima sunt hæc verba sancti Gregorii, hom. 30 in Ev., n. 1 ad Joan XIV, 23, quibus subjicit : « Vere etenim Deum diligimus, si ad mandata ejus nos a nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria difluit, profecto Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit... Ad vosmetipsos ergo, fratres charissimi, introrsus redite; si Deum vere amatis, exquirite : nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione Conditoris, lingua, mens et vita requiratur. Numquam est Dei amor otiosus. » Præclara etiam hom. 75 in Joan. : « Oper verborum ostentatione : cuivis facile est; operari

(1307) Vid. Cyrillum, p

(1308) Aug., tract. 74 *Rogabo Patrem, et alium* ostendit et seipsum esse enim Latine dicitur Adv Christo : *Advocatum habem* « Consolator ergo ille vel interpretatur quod est Gr hoc nomine Estium, Mald pretes, et Ciampinii disse

(1309) Cyril., pag. 810 unde veritatis Spiritum il

Digitized by Google

phetarum dicta, et quæcunque a Spiritu sancto nposita sunt. Hunc autem mundus non potest acere, quia mundi hujus amatores eum habere et ere non possunt. Unde hic idem Joannes aposto- ait : « Nolite diligere mundum neque ea quæ in ndo sunt. Si quis diligit mundum, non est chari- Patris in eo. Quoniam omne quod in mundo est, ıcupiscentia carnis est, et concupiscentia oculo- n, et superbia vitæ, quæ non ex Patre, sed ex ndo est (*I Joan.* II, 15, 16). » Si igitur in his qui ndum diligunt, charitas non est, Deus autem ıritas est, quomodo in his qui mundum diligunt, iritus sanctus esse potest? Qui igitur charitatem ent, et spem suam non in incerto divitiarum sed Deum ponunt, et virtuti operam dant, quamvis in c mundo divites sint, mundi tamen amatores non nt. Sed cur **274** mundus non potest accipere iritum sanctum? Quid est accipere? Tenere uti- e et possidere. Venit enim multoties Spiritus nctus etiam in aliquem iniquum, qualis fuit Ba- am et Caiphas, quales et illi qui Domino in judicio cturi sunt : « Nonne in nomine tuo prophetavimus? » *Matth.* VII, 22.) Venit quidem, sed in eis non ma- t (1310), sicut manet in istis quibus modo Dominus t, *ut maneat vobiscum in æternum.* Nunquam enim paratur ab eis, quod in æternum manet in eis. ıdiamus modo cur mundus non possit accipere iritum sanctum. Dicat ipse Dominus : *Quia non tet eum, nec scit eum.* Quid est, non videt eum nec it eum, nisi quia non cognoscit, neque intelligit lcedinem ejus, bonitatem ejus, gratias ejus, mise- cordiam et pietatem ejus, et cætera quæ illius nt? Hinc est enim quod Apostolus ait : « Animalis mo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (*I Cor.* 14). » *Vos autem cognoscetis quia apud vos mane- t, et in vobis erit.* Illi eum cognoscunt, qui cum eo nent, et ejus voluntatem faciunt. *Non relinquam s orphanos. Veniam ad vos.* Orphani sunt qui pa- em non habent. Non sunt orphani Christiani, quia ristus resurrexit. *Adhuc modicum, et mundus me m non videt.* Non enim iniquis hominibus et mundi ujus amatoribus, sed solis apostolis aliisque fideli- s post resurrectionem suam Salvatorem nostrum pparuisse legimus. De quibus subditur : *Vos autem debitis me, quia ego vivo, et vos vivetis.* Neque enim nveniens erat ut Christus a mortuis resurgens, ctusque jam æternus et immortalis, iniquis homi- bus Deo mortuis, et a vita quæ Christus est, sepa- atis se manifestaret. Manifestavit autem se discipu- s suis, ut vivus a viventibus videretur. *In illo die s cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in e, et ego in vobis.* In quo die? In illo in quo ego ittam *vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum t æternum.* Ipse enim eos docuit, ipse eis fidei mys- A steria revelavit. Unde ipse Dominus ait : « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (*Joan.* XVI, 13). » Est autem Filius in Patre, quia unum idemque est cum Patre. Sumus et nos in Christo, quia membra ejus. Est ipse in nobis, quia vita nostra. Illa igitur anima mortua est, et Deum videre non potest, quæ hanc vitam non habet. *Qui habet mandata mea et servat ea, ipse est qui diligit me.* Quo fructu? *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo.* Quid inde? *Et ego diligam eum.* Qua utilitate? *Et manifestabo ei meipsum.* Si ergo non sufficit tibi ut diligaris a Patre, si non sufficit tibi ut te Filius diligat, sufficiat tibi quod ille, qui sapientia est, qui veritas est, qui justitia est, manifestabit seipsum tibi. In his enim omnis animæ beatitudo consistit. Hoc solum desiderabat Moyses, cum Domino diceret : « Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam, ut videam te (*Exod.* XXXIII, 13). » Beatus igitur ille, cui ille manifestabitur, quo manifestato, nihil deerit ad beatitudinem. « Scimus enim quia, cum apparuerit et revelabitur nobis, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*Joan.* III, 2). » Sed cui non sufficit ut sit similis Filio Dei? Similis autem ejus est, qui eum videt sicuti est. Sufficiat igitur nobis hoc, quod seipsum manifestabit nobis. *Dicit ei Judas, non ille Iscariotes : Domine, quid factum est, quia nobis manifestaturus es teipsum, et non mundo? Respondit Jesus et dixit ei :*

B

C

XLI. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermonem meum non servat.* Hæc enim respondit Dominus cuidam discipulo interroganti cur suis tantum discipulis et fidelibus, et non universo mundo se manifestaret. Magna quæstio, magnæque quæstionis nobilissima solutio. Ideo, inquit, mundo, id est mundi amatoribus, me non manifesto, quia me non diligunt. Quod ex eo quidem apertissime probatur, quia sermonem meum non servant. Mei autem discipuli et fideles, quia diligunt me, et quia mandata mea custodiunt, digni sunt, quibus meipsum manifestare debeam, ut cognita sapientia sint sapientes, cognita justitia sint justi, cognita veritate sint veraces, et vita cognita in æternum vivant. Hæc enim omnia Christus est. Omnia hæc manifestantur in Christo. Et non solum hæc, inquit, habebit ille qui diligit me, sed et *Pater meus diliget eum.* Quanta dilectione! Vis audire quanta? *Et ad eum veniemus,* et non tantum *veniemus*, sed *et mansionem* quoque *apud eam faciemus.* In illis enim mansionem Dominus facit, in quibus veniens manet, et a quibus, postquam venit, non recedit. Venit enim Dominus in eos, sed mansionem non facit in

D

om. 75 : « Spiritum veritatis appellat, figuras veteis legis denotans. »

(1310) S. Gregor. l. all. explicans verba Joan. : *eniemus et mansionem apud eum faciemus* : « In ucrumdam etenim corda venit, et mansionem non facit, quia per compunctionem quidem, Dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum, quod compuncti fuerant, obliviscuntur : sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minime planxissent. »

Digitized by Google

eis qui ad tempus credunt, et **275** in tempore tentationis recedunt. Sequitur : *Et sermo, quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me Patris.* In hoc enim apertissime monstrat, omnia hæc verba, quæ discipulis audientibus locutus est, non humanitatis, sed divinitatis esse. Et ejus igitur erat sermo iste secundum divinitatem, et ejus non erat secundum humanitatem (1311). Potest autem et altius intelligi, ut sic dicatur : Et sermo quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me, Patris : id est, ego non sum a meipso, sed a Patre, qui misit me, cujus utique Verbum, et sermo, et sapientia ego sum (1312). Me igitur loquente, quid audistis, nisi Verbum Patris, quod in principio erat Verbum, et sermonem, et sapientiam Patris? Verbum autem, sermo et sapientia non a se, sed ab alio sunt. *Sermo igitur, quem audistis, non est meus,* quia ego non sum a meipso. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens.* Hæc, inquit, omnia verba locutus sum ego Verbum. Mea igitur sunt hæc verba ; sed ego non sum meum Verbum. Cujus ergo ? Illius, de quo dicitur : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII, 6). » *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Doletis, inquit, quia non semper vobiscum corporaliter maneo, et quia hæc verba, meæque carnis præsentiam subtrahо vobis ; sed nolite contristari, quia mea vice, et in meo nomine magnus consolator, et doctor sapientissimus dabitur vobis. Ille vos consolabitur. Ille vos docebit. Ille vobis omnia suggeret, et ministrabit quæcunque dixero vobis. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Sed non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Mundus enim non dat pacem, nisi his, a quibus accipit pacem. Sed quid dicit Apostolus? « Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (*Rom.* XII, 18) ; » et Psalmista : « Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis (*Psal.* CXIX, 7). » Et talem quidem pacem dedit Jesus discipulis suis, dicens eis : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*Matth.* V, 44).) » Hanc autem pacem debemus habere cum malis, non ut eis in malitia consentiamus, sed ut ab iniquitate eos ad justitiæ viam trahamus. Inde est enim quod Dominus ait : « Nolite putare, quia pacem veni mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium (*Matth.* X, 34). » *Non turbetur cor vestrum, neque formidet : audistis, quia ego dixi vobis : Vado et venio ad vos. Non turbetur cor vestrum* de morte mea, *neque formidet* absentia mea. Estote semper memores, quia dixi vobis : *Vado, et venio ad vos.* Non dixi simpliciter modo, *Vado*, sed *Vado, et venio*. Sicut igitur timemini quia dixi, *Vado*, ita confortamini, quia dixi, *Venio*. Ad Patrem vado, sed vos non relinquo. Major est divinitas, quæ vobiscum remanet, quam humanitas, quæ cœlos ascendet. Jam enim et illius imbecillitatem, et hujus potentiam cognoscite. Vadit igitur Christus ad Patrem per humanitatem, qui ubique est per divinitatem (1313). Quomodo ergo venit ? Ipse enim utrumque dicit et *Vado*, et *Venio*. Venit enim, et invisibiliter venit, præbendo se illum, dando solatium, corroborando fidem, et confirmando charitatem. Sic enim Dominus ad Apostolum venerat, qui ait : « An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ? » (*II Cor.* XIII, 3). Hoc autem modo, non Filius, sed Pater quoque venit et venit. Unde et modo superius : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* — *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia eo vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Dicebant enim eum apostoli, sed nondum spiritu perfectoque amore, dum solum carnis præsentiam se amittere dolebant. Hoc enim non fecit Joannes Baptista, neque corporaliter cum eo conversatus est, quem secundum divinitatem apud se semper habebat, semperque mentis oculis inspiciebat. *Si diligeretis me*, inquit, sicut me diligere debetis sicut post adventum Spiritus sancti me diligunt. Unde vos modo doletis, inde *utique gauderetis*. Doletis igitur, quia ad Patrem vado, quia portas paradisi aperio, quia cœli januas pando, quia vitæ semitam vobis ostendo, et Spiritum Paracletum **276** vobis mando? « Nisi enim ego abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos (*Joan.* XVI, 7). » Vado igitur ad Patrem, quia Pater major me est, id est, secundum hoc vado ad Patrem, secundum quod major est Pater. Æqualis est enim Patri secundum divinitatem, minor vero secundum humanitatem. *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat : ut cum factum fuerit, credatis.* Quid credatis? Quæcunque vobis dixi, et credere jussi. *Jam non multa loquar vobiscum.* Cur ? Vultis audire cur? quia jam princeps appropinquo. Jam cum satellitibus suis princeps hujus mundi ad prædam occurrit. Et hoc est, quod ait : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* Venit adversus me, servit, quidquid facit æqualis, a quo habet hoc ipsum quod ille est indifferenter æqualis. » Eadem verba habet Beda.

(1311) S. Joan. Chrysostomus, hom. 75, n. 3 : « Quomodo sermo tuus est, et non tuus? Id est, Nihil extra Patrem loquor, neque proprium quidquam, præter placitum ejus. »

(1312) S. Aug., tract. 76 : « Ubi sermonem, hoc est Verbum, non suum dixit esse, sed Patris, seipsum intelligi voluit. *In principio* enim *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Non itaque suum, sed Patris est Verbum : quomodo nec sua imago, sed Patris ; nec suus filius idem ipse, sed Patris. Recte igitur tribuit auctori

(1313) Augustin., tract. 78 : « Per quod ergo Filius non est æqualis Patri, per hoc iturus erat ad Patrem, a quo et venturus est vivos judicaturus et mortuos : per illum autem, in quo æqualis est ingenti unigenitus, nunquam recedit a Patre. Sed cum illo est ubique totus pari divinitate, quem nullus continet locus. »

Digitized by Google

mit contra me, sed nihil habet in me. « Potestem enim habeo ponendi animam meam, et itern sumendi eam. Nemo tollit eam a me, sed ego o eam a meipso (*Joan.* x, 18). » Considera do, quid in aliorum exitu facit, qui contra ipsum ndi Salvatorem et Dominum venire præsumpsit. l cur *princeps mundi* dicitur *diabolus?* Cur us? Non enim sine causa dictum est *hujus.* Alid enim determinatur, dum dicitur *hujus.* Non m diceretur princeps mundi hujus, si totius ndi princeps esset. Est igitur princeps mundi us, hujus nequam et præsentis, et Christum idere cupientis (1314). Est denique princeps ndi hujus, id est omnium illorum qui non habent ram alterius, nisi sæculi hujus. Et quasi aliquis eret : Si princeps mundi hujus non habet quid- B quam in te, et si nihil potest adversum te, cur te non defendis? Cur te occidi permittis? Ait : *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Amodo, inquit, est non impotentia, non ex defectu, sed obedientia. Poteram me defendere, si voluissem. *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem,* et cognoscendo, me imitetur, « factus » sum « obediens » Patri « usque ad mortem (*Philipp.* II, 8). » *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio,* id est, sicut voluit Pater, ita facio. Ipsum enim voluisse, mandasse fuit, quoniam una eademque voluntas est in utroque. *Surgite; eamus hinc.* Non est hic locus nostræ habitationis. Cœlum attendite, quia inde originem habetis.

PARS TERTIA

277 XLII. [CAP. XV.] *Ego sum vitis vera, et Pater us agr cola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum; et omnem, qui fert fruum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Ecce is vocatur Christus, et vitis vera. Sed cur vitis, cur vera? Vitis enim vocatur, quia vinum fecit. mia enim hæc Evangeliorum verba vinum sunt, non qualecunque, sed optimum vinum, non de , nisi de hac vite vindemiatum et expressum. le est enim, quod in suæ prædicationis initio ias Dominus convertit in vinum, quatenus nova is novum vinum funderet, quo illas nuptias et chitriclinum inebriaret. Dicitur autem vitis vera. rtasse ad illius vitis distinctionem, quæ et pro s labruscas, et pro vino dedit acetum (1315). Iluvinum dulce, semperque suave. Hujus verba nper vera, et nullius falsitatis admistione corrui. Dicat ergo : *Ego sum vitis vera, et Pater meus icola est.* Sed quid facit iste agricola? Vis aue quid? *Omnem palmitem in me non ferentem ctum, tollet eum; et omnem, qui fert fructum, purit eum, ut fructum plus afferat.* Quot sunt Chriani, tot sunt et palmites hujus vitis. Alii quidem i, alii autem mali; et boni quidem fructiferi; li autem infructuosi. Tolluntur infructuosi, et enduntur; fructiferi vero purgantur, et gladio ritus amputantur, ut fructum plus afferant. Gla- is spiritus, est verbum Dei, et iste sermo sancti C Evangelii. De quo et subditur : *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Audis igitur, quia sermo Dei gladius est et ferramentum quo ab omni nociva superfluitate isti et mundati et purgati sunt. Primi enim palmites hujus vitis fuerunt apostoli. Quibus modo Dominus ait : *Manete in me et ego in vobis.* Et cur maneant, reddit causam. *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis et vos palmites.* Ipse Dominus exponit qualiter ejus verba intelligere debeamus. Siccatur enim palmes, si separetur a vite, quoniam humorem totamque vitam habet in vite. Ita et Christianus, si a Christo separetur, moritur, quia separatur a vita. *Qui manet in me, et ego in eo, hic affert fructum multum.* Ille, inquit, affert fructum multum, qui manet in me, et quasi membrum meum mihi adhæret, et in quo ego maneo, qui sapientia sum et veritas, et vita. Ideo enim apostoli tantum fructum de suæ prædicationis semine Domino attulerunt, quia ab ejus fide et dilectione nullatenus separari potuerunt. Insuper et ipse Dominus in eis erat, qui eorum semini incrementum dabat. Nam, ut Apostolus ait, « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (*I Cor.* III, 7). » Unde et subditur : *Quia sine me nihil potestis facere. Et si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et arescet, et colligent*

(1314) Aug. l. al. : « Quemadmodum autem sit intelligendus princeps mundi diabolus, evidentius apet Paulus apostolus, qui cum dixisset : *Non est bis colluctatio adversus carnem et sanguinem,* id est versus homines, subjecit atque ait, *sed adversus ncipes et potestates et rectores mundi tenebrarum um,* ne quisquam mundi nomine intelligeret unisam creaturam. . . Tenebrarum, inquit, harum, est mundi hujus amatorum. » Chrysost., hom. 75, : « Principem mundi diabolum dicit, et impro- bomines. Non enim cœlo et terræ imperat; nam D omnia evertisset et prostravisset; sed illis dominatur, qui se illi dediderunt : ideo vocat illum principem tenebrarum hujus sæculi: tenebras autem hic dicit mala opera. »

(1315) August. tract. 70, et Beda : « Sed cum de se dicit : *Ego sum vitis vera,* ab illa se utique discernit, cui dicitur : Quomodo conversa es in amaritudinem, vitis aliena? Nam quo pacto est vitis vera, quæ exspectata est, ut faceret uvam, fecit autem spinas (*Isa.* v)?

Digitized by Google

eum, et in ignem mittent et ardet. Qui enim in Christi fide non manet, de Ecclesia et sanctorum collegio foras ejicitur, arescit et moritur, et a malignis spiritibus rapitur, in ignem æternum et inexstinguibilem mittitur, et ibi sine fine cruciatur, et ardet. *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Magna promissio, magnum et incomparabile donum! Qui manet in Christo, et in quibus manent verba Christi, petant quod volunt, et fiet eis. Si enim male voluerint et male petierint, jam nec ipsi manent in Christo, nec in ipsis manent verba Christi (1316). Recordentur igitur verborum Christi; imo non recordentur, sed firmiter teneant, semperque in memoria habeant, et sic petant, sicut verba Christi petere docent. Quærant igitur regnum Dei, et justitiam ejus, et omnia adjicientur eis (*Matth.* VI, 33). Petant in fide nihil hæsitantes, et ea petant, quæ ad salutem pertinent, et quæ Dei dispositioni et verbis evangelicis non sint contraria. Sed hæc specialiter dicuntur apostolis quorum sanctas petitiones semper et ubique Dominus exaudivit. Rogavit enim Apostolus Dominum, et ter rogavit, seque bene a Domino exauditum **278** intellexit, postquam se contra seipsum petisse cognovit. Exauditur enim homo, si fiat, quod vult. Factum est autem quod Apostolus voluit, quia, postquam suam petitionem contra seipsum esse cognovit, jam exaudiri noluit. Unde et ait: « Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi (*II Cor.* XII, 19). » Nam neque hic simpliciter dicitur, *quodcunque petetis*, sed *quodcunque volueritis, et petetis, fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.* In hoc, inquit, et propter hoc, me revelante et docente, Pater meus manifestatus et clarificatus est in vobis, ut vos quoque eum ubique prædicando et clarificando, fructum plurimum afferatis, et multas gentes ad eum convertatis, et efficiamini mei discipuli, me imitando non solum vita et doctrina, verum etiam miraculorum operatione. *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.* Multum enim debet diligere, qui multum diligitur. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.* In illis est gaudium Christi, qui tale gaudium habent, quale habet Christus; sive etiam de quorum sancta conversatione gaudet Christus.

XLIII. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Multa sunt præcepta Domini, sed omnia in hoc uno præcepto concluduntur. Unde Apostolus ait, Quia « plenitudo legis est dilectio (*Rom.* XIII, 10). » Dilectio ut proximum diligamus. « In his ptis universa lex pendet, et 40). » Sed hæc ideo unum sui git Deum, diligit et proxi « Qui enim non diligit fratre Deum, quem non videt, qu et hoc mandatum habemus Deum, diligat et fratrem suu similiter autem, qui proxim ligit, si tamen vera dilection enim vera dilectio, quæ tem dit, et non ad æternæ beati Si enim pro talibus utilit tuum, sic diligis enm, sic nem tuum. In his enim sim deficit amor. At vero cha Unde scriptum est: « Aquæ exstinguere charitatem, ne Quia fortis est, ut mors, fernus æmulatio (*Cant.* V æmulatione Apostolus ait: æmulatione (*II Cor.* XI, 2). proximum diligit, qui non terreno commodo eum dilig præcepta Dei. Talem enim Dominus ostendebat, cum d mea, et qui sunt fratres me luntatem Patris mei, qui in c et soror, et frater est (*Matt* inquit, matrem meam et mater mea est, et fratres voluntatem Patris mei. App que diligit proximum, dil proximum diligit propter D qui Deum diligit, proximun Deum diligit, præceptum e præceptum ejus, ut nos i ipse dilexit nos. Quomodo i perfecta dilectione. *Majore nemo habet, quam ut anim amicis suis.* Hanc autem dil Jesus. Hanc igitur et nos l *estis*, sic tamen *si feceritis*, Non sunt igitur ejus amici, custodiunt. *Jam non dicam servus nescit quid faciat do Vos autem dixi amicos.* Et *quæcunque audivi a Patre n* rito eis mutat nomina, qui quia servi esse desierint, s esse cœperint. Jam non so tur, ut servi; sed ad secr amici. Quæcunque enim a fecit eis; illo tamen temp

(1316) Augustin., tract. 81: « Manentes ergo in eo, cum verba ejus in nobis manent, quodcunque voluerimus petimus, et fiet nobis. Quia si petimus et non fit, non hoc petimus quod habet mansio in eo, nec quod habent verb nobis, sed quod habet infir quæ non est in eo, et in ejus. »

Digitized by Google

cessaria eis. Unde et in sequentibus ait : « Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare odo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, cebit vos omnem veritatem (*Joan.* XVI, 12). » Sic im multa determinanda sunt, quæ universaliter i videntur. Quale est illud : « Cum exaltatus fuero lerris, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII, 32). » mque : « Prædicate Evangelium omni creaturæ *larc.* XV, 16). » Et Apostolus de charitate : « Omnia edit, omnia sperat, omnia sustinet (*I Cor.* XIII, 7). » multa his similia. Nam et id, quod modo dixius, « Docebit vos omnem veritatem, » similiter derminandum est : alioquin verum non esset quod ostolus ait : « Nunc cognosco ex parte, tunc tem cognoscam, sicut et cognitus sum (*Ibid.*, 12). » mo enim in hac vita cognoscit omnem veritatem. cat ergo Jesus discipulis suis : *Quæcunque audivi Patre meo, nota feci vobis.* Hoc tempore, subautur, necessaria vobis, et revelanda vobis. Non im sunt modo omnia dicenda vobis; quia non est **79** vestrum nosse tempora et momenta quæ Pater osuit in sua potestate (1317). *Non vos me elegistis, d ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum feratis, et fructus vester maneat.* Quid est igitur od in Canticis canticorum Ecclesia dicit : « Dilecus meus candidus et rubicundus, electus ex milus (*Cant.* V, 16), » si ipsi eum non elegerunt? » Quid t etiam quod Psalmista ait. « Et cum electo eleus eris? » (*Psal.* XVII, 27.) Elegit igitur Dominus scipulos suos, elegerunt et discipuli Dominum. Sed se prius elegit eos, et ipsi postea elegerunt eum. uod illi utique non fecissent, nisi ipse prius eos egisset. Et ipse quidem elegit eos, ut ejus discili essent. Ipsi vero elegerunt eum, ut eorum Dominus esset. *Ego*, inquit, *elegi vos.* Ad quid? *Ut eatis universum mundum, et prædicetis Evangelium omni eaturæ. Et fructum afferatis.* Iste fructus, omnium lelium multitudo intelligitur. De quo bene subdir : *Et fructus vester maneat.* Hoc est enim quod ibi ait : « Qui credit in me, non morietur in æterm (*Joan.* XI, 26). » Et : « Quodcunque petieritis atrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XVI, 23). » uod Dominus promisit futurum, nos videmus esse mpletum. Scimus enim apostolos in nomine Jesu hristi cæcos illuminasse, paralyticos curasse, leosos mundasse, mortuos suscitasse, et alia omnia ıscepisse, pro quibus Patrem deprecati sunt in omine Filii. Apostolus tamen dicit : « Ne magnido revelationum extollat me, datus est mihi stiulus carnis meæ, angelus Satanæ, ut me colaphiet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea. Nam irtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII, 7, 8, 9). »

A Ac si diceret : Adversum te rogas tibi; contraria postulas; virtutis lorica exspoliari petis. Et mox Apostolus, cognita ratione, lætus valde, quod exauditus non fuerat, ait : « Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi (*Ibid*). » Bene igitur exauditus est, qui inde lætatur quod exauditus non est (1318).

XLIV. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Magna est virtus charitatis, quæ toties discipulis a Domino commendatur. Qui hoc unum mandatum custodit, legem et prophetas adimplet. De hoc enim per prophetam dicitur; quia « Verbum breviatum faciet Deus super terram (*Isa.* X, 22). » *Si vos mundus odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Nolite, inquit, mirari, si mundus vos B odio habuit. Nolite mirari si mundi amatores vos persequuntur et perdere nituntur. Sed potius scitote et memores estote quia me priorem vobis, quia me omnium majorem et Dominum non solum odio habuerunt, verum etiam occiderunt. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret.* Quomodo enim de mundo non sunt, qui de hominibus nati sunt et de terra facti sunt? (1319) Fuerunt utique de mundo; sed jam tunc non erant de mundo, quia nullum amorem habebant in gloria et voluptatibus mundi. Unde et subditur : *Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Non enim dixit, *quia de mundo non fuistis;* sed potius *quia de mundo non estis;* quoniam, etsi tunc C de mundi hujus amatoribus non erant, de mundo tamen assumpti et electi erant. Et idcirco mundus, id est mundi amatores, eos non diligebant, quia sibi operibusque suis contrarios esse videbant. Unde et de Salvatore nostro dicebant : « Venite, interficiamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris (*Sap.* II, 12). » *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo.* Hoc autem ad quid dixerit audiamus. *Si me,* inquit, *persecuti sunt, et vos persequentur. Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.* Nec in vobis fieri dubitetis, quod in me fieri videtis. *Sed hæc omnia facient vobis, non propter vos, sed propter nomen meum,* quod prædicabitur a vobis. Et hoc ideo, *quia nesciunt eum qui misit me.* Si enim scirent Patrem, D sciren et Filium, cujus est Pater. Sed cur nesciunt? Quia scire nolunt? Scire autem, credere est. Venit ad eos, locutus est eis, Scripturas aperuit, veritatem revelavit, signa multa et inaudita miracula fecit. Ei tamen credere nolueruut. Nulla igitur eis est excusatio. Et hoc est quod ait : *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quid est hoc : Si non venisset, peccatum non haberent? Ergo

(1317) Hanc quæstionem et Augustinus proposuit ract. 86, et ita solvit, ut dicat, in futura beata vita ore ut omnia nota sint Dei amicis. Aliter Chrysotomus, hom. 77, n. 1. « Cum dicit : *Omnia quæ udivi,* nihil aliud vult significari quam quod nihil lienum loquatur, sed quæ a Patre audivit. »

(1318) Hactenus nomina.

(1319) S. Gregorius, lib. XI, epist. 2 : « Mundum videlicet, corda carnalia designans, quæ diligunt mundum. » S. Aug., tract. 87 : « Et ipsi inde erant, unde ut non essent, electi sunt. »

Digitized by Google

non habebant Judæi peccatum, priusquam veniret ille qui venit tollere peccata? Habebant quidem peccata; hoc tamen peccatum non habuissent, si Christus non venisset. Non enim de omni peccato hoc debet intelligi, sed de peccato **280** infidelitatis, quod Christo credere noluerunt, quod eum oderunt et occiderunt. Unde et subditur : *Qui me odit, et Patrem meum odit.* Non parum igitur et leve videatur eis quod me oderunt, qui simul mecum et Patrem oderunt. *Ego* enim *et Pater unum sumus. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Hoc enim solum Judæis sufficere debuit, quod et Dei Filium se esse dicebat, et tanta miracula faciebat. Quæ utique facere non posset, si mentiretur. *Nunc autem et viderunt, et oderunt, et me, et Patrem meum.* Sed hoc totum *factum est ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est* (*Psal.* XXIV, 19) : *Quia odio habuerunt me gratis.* Sed dicit aliquis : Quid igitur ad eos, si ideo hoc Judæi fecerunt, ut sermo legis adimpleretur? Multum quidem. Eorum enim iniquitas fuit causa, ut hoc de eis Propheta prædiceret. Quod si ille non prædixisset, tamen nihilominus evenisset. Quamvis igitur quod ille prædixit, non evenire non potuit, non tamen propheticus sermo, sed eorum iniquitas hujus tanti mali causa fuit (1320).

XLV. *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Semper Salvator noster tristibus miscet læta, ut discipulorum corda mœrentia consoletur. *Cum*, inquit, *venerit Paracletus*, qui *consolator* interpretatur, *ille testimonium perhibebit de me.* Ille et vos, et alios multos perfectissime intelligere faciet, quia et qualis ego sim. Ipse enim in vobis loquitur, et per vos. Cum igitur steteritis « ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (*Matth.* x, 19, 20). » Et ipse quidem *testimonium perhibebit de me*, ejusque virtute et inspiratione innumerabilis multitudo hominum convertetur ad me. Et non solum ipse, sed vos quoque *testimonium* mihi *perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Multa (quasi diceret) jam scitis quæ ab initio a me audistis, quoniam extunc mecum fuistis, in quibus mihi testimonium perhibebitis. Non enim habebant necessarium iterum discere quæ ab ipsa Sapientia didicerant, et memoriæ jam commendaverant. Una enim, eademque doctrina est et Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et quamvis quædam perso-

naliter agere videatur, una tamen omnium trium operatio. Quos igitur docet Filius, docet et Pater Spiritus sanctus. Sic et in aliis. Unum enim sunt, simul ubique et inseparabiles. Paucis autem verbis hoc in loco Spiritus sanctus et a se venire, et a Patre Filioque procedere ostenditur. In eo enim quod dicitur, *cum venerit*, a seipso venire ostenditur. In eo vero quod Dominus ait, *quem ego mittam vobis a Patre*, ab utroque procedere monstratur (1321). Quid est enim, *quem ego mittam vobis a Patre*, nisi quem Pater, et ego mittam vobis? Ab utroque ergo mittitur, quia ab utroque procedit. Sed quia Pater a nullo, Filius a Patre, Spiritus sanctus a Patre et Filio; ideo Dominus ait : *Qui a Patre procedit.* Id tale est ac si diceret : Ab illo procedit Spiritus sanctus, a quo et ego exivi, et veni in mundum. Habet enim, ut in hoc libro apparet, habet Filius cum Patre communia, quæ tamen non ad se, sed ad Patrem honorandum refert. Quomodo autem et quando Spiritus sanctus super Christi discipulos venerit, Lucas evangelista in Actibus apostolorum plenissime narrat. Ait enim : « Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Spiritus sanctus. « Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (*Act.* II, 1, 2, 3). » Et merito quidem die quinquagesimo venit Spiritus sanctus, quia ipse est remissio omnium peccatorum. Annus enim quinquagesimus, qui hunc diem significabat, Jubilæus vocatur, id est annus remissionis, in quo et servis dabatur libertas et omnis hæreditas ad proprios dominos revertebatur. Quod quidem tunc completum est, quando Ecclesiæ duces in Spiritu sancto baptizati, et ab omni vitiorum servitute liberati sunt (1322). Unde ipse Dominus ait : « Joannes baptizavit quidem aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu sancto non post multos hos dies (*Act.* I, v). » -- « Nisi » enim « quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei (*Joan.* III, 3). » Hac igitur die et hæreditas **281** et libertas reddita est nobis; per quem ille, sine quo hæreditas et libertas haberi non potest, datus est nobis. Hæreditas nostra, regnum Dei est : in quod non intratur, nisi per aquam et Spiritum sanctum. Hac itaque die genus humanum venit ad jubilæum. Hac die venit ad annum libertatis et remissionis. Hoc anno cœperunt ejulare, clangere tuba, et loqui, et prædicare omnibus lin-

(1320) S. Augustin, tract. 89 : « Quid est ergo, *si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent?* Nunquid sine peccato erant Judæi, antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum quasi sub generali nomine vult intelligi..... Hoc est autem quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit, ut credatur in eum. Hoc peccatum, si non veniret, utique non haberent. » Ita et Beda.

(1321) Concil. Florentin., sess. 23. Et inter. Tolet. ad n. 25 et TT.

(1322) Idem fuse habet, et observavit Nazianzenus, orat. 44 in S. Pentecosten, pag. 708, edit. Paris., a. 1630.

Digitized by Google

nis. Has enim tubas illæ tubæ significabant, quibus tunc, incipiente jubilæo, tota illa terra ad festivitatem parabatur. Apparuit autem in igne Spiritus sanctus, ut manifestissime intelligamus, quia jus præsentia mentis oculi illuminantur, peccata runtur, et corda fidelium igne charitatis accenduntur. Sed quia ignis iste linguarum speciem habebat, ipsum qui in Sanctis loquitur. se esse ostendebat, t linguis quodammodo linguas tangebat, et sic ad oquendum apostolos instruebat. Sequitur[CAP. XVI.]: *hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Unde? Vultis audire unde? *Absque synagogis facient vos*, et quasi iniquos, et contra legem facientes a se repellent, et a synagogis ejicient. Vos autem verborum meorum memores, non scandalizemini, sed patienter et fiducialiter omnia sustinete. Dixi vobis, quia *absque synagogis facient vos.* Ecce plus dico: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Totus contra vos mundus conjurabit. Totus exercitus Satanæ contra vos armabitur. Hinc Judæi, inde gentiles: isti propter legis observationem, illi propter deorum religionem. Et in tantum omnes abominabuntur vos, ut magnum se arbitretur obsequium præstare Deo, quicunque interfecerit vos. *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Si enim Patrem, et Filium cognovissent, se errasse utique intellexissent, et sic errorem reliquissent, et ad fidem venissent. *Sed hæc locutus sum vobis, ut, cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Cur reminiscamini? Ut in ipsis tribulationibus, et angustiis constantius firmiusque pugnetis, cum me omnia præscisse et prædixisse cognoscetis. *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.* Si enim semper cum eis corporaliter esset, hac tali consolatione eos præmunire necessarium non esset. Unde et subditur:

XLVI. *At nunc vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* Dixerat superius beatus Petrus: « Domine, quo vadis? (*Joan.* XIII, 36.) » Sed jam nunc ejus sermonibus omnes edocti et instructi, nemo eum interrogat quo vadit; quoniam certissime sciunt quia ad Patrem vadit. Ut quid enim interrogarent quod sciebant, et unde non dubitabant? *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implerit cor vestrum.* Videbat enim eos contristatos de recessu suo, quem modo audierunt et cognoverunt in sermone suo. Quis enim non doleret, a tali, tam bono, tam dulci, tamque suavi Domino separari? *Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam.* Quid enim veritas nisi veritatem dicere potest? Dicit igitur hoc, non tantum sermonem suum confirmando, quantum illorum corda consolando. *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quamvis enim et ibi, et ubique Spiritus Paracletus erat, siquidem « Spiritus Domini replevit orbem terrarum » (*Sap.* I, 7); » aliter tamen venturus erat. Sic enim ante tempora prædestinatum fuerat, ut prius Dei Filius de Virgine nasceretur, moreretur, resurgeret, cœlos ascenderet, et sic tandem Spiritum sanctum consolandis discipulis mitteret. Sic erat dispositum, sic præfinitum, et aliter evenire non poterat (1323). *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* Hoc autem exponit: *De peccato quidem, quia non credunt in me. De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me. De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.* Ecce tria posuit, in quibus Spiritus sanctus mundum redarguit. De quibus ipse quoque Dei Filius eum prius redarguerat. Tale est igitur, ac si diceret: Ego quidem ad Patrem vado; sed Spiritum vobis Paracletum mitto, qui mea vice vos doceat, confirmet, et corroboret; qui in vobis, et per vos arguat mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. De peccato quidem infidelitatis (1324) quia non credunt in me. Et quia non credunt **282** in me, justitiam non operantur. Et ideo arguet eos Spiritus sanctus etiam de justitia (1325). Sed cur ipse vice mea, et non ego per meipsum? *Quia ego ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Ipse enim hanc redargutionem facere non poterat, nisi quia secundum carnem cœlos ascendebat, et quia corporaliter in hoc mundo ulterius non manebat. Et non solum de peccato, et de justitia, verum etiam de judicio arguet mundum Spiritus sanctus. De quo judicio? De illo quidem, de quo superius ait:

(1323) Causam dat, et explicationem August. tract. 94: « Quid est ergo: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos*; nisi non potestis capere Spiritum, quandiu secundum carnem persistitis nosse Christum? » Sic etiam S. Gregorius lib. VIII Moral. cap. 17: « *Si ego non abiero, Paracletus non veniet*, ac si aperte diceret: Si ab intentionis vestræ oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos invisibilem, per consolatorem Spiritum non perduco: » et S. Bernard. serm. 4 in Ascens. D.: « Quid est ergo *Nisi ego abiero*, etc., nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus? »

(1324) Aug. lib. III, contr. 2, ep. Pelag., c. 3: « Filios autem diaboli infidelitas facit; quod peccatum proprium vocatur, quasi solum sit, si non exprimatur quale peccatum sit. Unde quod ait Dominus de Sp. sancto. Ipse arguet mundum de peccato, infidelitatem intelligi voluit. » Et tract. 95, « Hoc enim peccatum, quasi solum sit, præ cæteris posuit, quia, hoc manente, cætera detinentur, et, hoc discedente, cætera remittuntur. » At Chrysost. homil. 78, n. 2: « Arguet de peccato, id est omnem excusationem eis auferet, ostendetque illorum scelera, sine venia esse. »

(1325) Chrysost. l. all.: « De justitia, quia irreprehensibilem viam duxi, cujus rei indicium est, quod ad Patrem vadam. » August. qu. Vet. et Nov Test., q. 89: « Hoc est arguere mundum, ostendere illi vera esse quæ credere noluit; credere enim noluit a Deo venisse Salvatorem; Salvator autem, servata justitia, non trepidavit reverti ad eum qui se miserat, et per id quod regressus est, probavit se inde venisse: quia *nemo*, inquit, *ascendit ad Deum, nisi qui descendit a Deo.* Videntes ergo po-

Digitized by Google

« Nunc judicium est mundi. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 31). » Unde et bene hic dicitur : *De judicio quidem, quia princeps mundi hujus jam judicatus est*, id est foras ejectus est (1326). De tali namque judicio ait Psalmista : Judica, Domine, judicium meum, et causam meam. Itemque : « Judica judicium meum, et redime me (*Psal.* CXVIII, 154). » Quid igitur judicium mundi, nisi redemptio mundi? Quid est judicium mundi, nisi judicium, in quo judicatur, damnatur, et de cordibus fidelium ejicitur princeps mundi? De hoc igitur judicio arguitur mundus; quia tanti beneficii ingratus adhuc sequitur principem mundi. Arguitur ergo mundus de peccato, qui in Christum credere noluit. Arguitur et de justitia, quam, eo docente, audivit, et servare noluit. Arguitur et de judicio, quo princeps mundi est damnatus, et mundus ipse liberatus; sed tanti beneficii ingratus nondum Christum sequitur suæ salutis auctorem, sed potius diabolum deceptorem. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Multa, inquit, jam dixi vobis. Multa adhuc habeo vobis dicere, quæ ideo non potestis portare modo, quia illam tantam mei Spiritus plenitudinem nondum vobis infundere volo. Cur? Ut omnia suo tempore fiant, ut prius cœlos ascendam, et tunc tandem « effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt (*Act.* II, 18). » Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, qui nihil docet, nisi veritatem, de quibuscunque rebus vos docuerit sine alicujus falsitatis admistione, integram, et perfectam, omneque veritatem vos docebit. *Non enim loquitur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* Sic enim et de seipso Dominus ait : « Ego a meipso non loquor (*Joan.* XIV, 10). » Itemque : « Et sermonem, quem audistis, non est meus (*Joan.* V, 24). » Quod quidem, sicut superius exposuimus, tale est ac si diceret : « Ego non sum a meipso *Joan.* XII, 49). » Pater enim a nullo, Filius a Patre, Spiritus sanctus a Patre Filioque procedit. Non igitur loquitur a semetipso, quia non est a semetipso. Loquitur tamen et a semetipso, quia « Spiritus ubi vult spirat (*Joan.* III, 8). » Sed non tantum a semetipso, quia unum sunt Pater et Filius cum ipso. Tres igitur in uno loquantur, quia tres unum sunt. Dicat ergo : *Non enim loquitur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur* (1327). Quid est *audiet?* Neque enim intelligendum est, ut in illa Trinitate invisibili, et inseparabili vocalis aliqua, et clamosa collocutio fiat. In eo ergo se audiunt, quo idem sciunt, et volunt. Loquitur igitur Spiritus sanctus quæcunque audiet, id est, quæcunque Patrem et Filium velle cognoscet. Sicut enim voluntas communis est, sic et auditus. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Et hoc exponit : *Omnia quæcunque habet Pater mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Ille me, inquit, clarificabit, id est, meam claritatem, vobis revelabit, et per vos multis aliis me Dei esse Filium manifestabit. Et hoc ideo, quia de me accipiet. Si enim Spiritus sanctus accipit de his, quæ Patris sunt, accipit utique et de his, quæ Filii sunt, quoniam omnia quæcunque habet Pater, Filii sunt. Est igitur Spiritus **283** sanctus, Spiritus Filii, siquidem est Spiritus Patris (1328). Pater enim ad Filium refertur, et Filius ad Patrem. Spiritus enim sanctus ad Patrem et ad Filium; sed ad Spiritum sanctum nihil refertur. Est enim Pater Filii Pater, et Filius Patris Filius; Spiritus vero sanctus, Spiritus est Patris et Filii. Sed neque Pater, Spiritus Pater est : neque Filius, sancti Spiritus Filius est. Nihil igitur refertur ad Spiritum sanctum. Quoniam autem Spiritus sanctus et Patris, et Filii Spiritus est, unde habet esse, inde habet et sapientem, et veracem esse. Quod enim est ei esse, hoc est ei sapientem et veracem esse, et similia. Est enim Spiritus sapientiæ et intellectus. Est et Spiritus omnis veritatis. Sed hoc de Patre, Filioque habet, et accipit. Et hoc est, unde Dominus ait : *Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Hæc autem, quia omnium trium communia sunt, et substantialiter communia, poterat dixisse Dominus, si voluisset, quia de meo et de suo accipiet, et annuntiabit vobis. Nam et Filius, quando prædicabat, et

testates ascendere eum confusæ sunt, videntes verum esse, quod velut falsum speraverant. Itaque ista justitia arguit eos, quia justum esse, probatum est, quia regressus est, unde venerat. » Aliter Aug. tract. 95 : » Quo pacto igitur mundus arguendus est de justitia, nisi de justitia credentium?... Arguitur de justitia eorum qui credunt, ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio ... Quapropter mundus de peccato quidem suo, de justitia vero arguitur aliena; sicut arguuntur de lumine tenebræ... Quantum enim malum sit eorum qui non credunt, non solum per seipsum, verum etiam ex bono potest eorum apparere qui credunt. »

(1326) S. Aug. l. all. : « De hoc itaque judicio, quo princeps judicatus est mundi (diabolus) arguitur a Spir. S. mundus; quoniam cum suo principe judicatur, quem superbum atque impium imitantur... Credant itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia detinentur: transeant in numerum fidelium; ne arguuntur de justitia eorum, quos justificatos non imitantur: caveant futurum judicium, ne cum mundi principe judicentur; quem judicatum imitantur. » Augustini hæc verba recitat ad h. l. Beda.

(1327) Aug. tract. 99 : « Sic itaque debemus accipere quod de Spiritu S. dictum est : *Non enim loquetur a semetipso*, etc. ut intelligamus, non eum esse a semetipso... Non ergo loquetur a semetipso, quia non est a semetipso : sed quæcunque audiet loquetur : ab illo audiet a quo procedit : a quo illi est essentia, ab eo scientia; ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud, quam scientia. »

(1328) Aug. tract. 99 : « Spiritus S. non est unius eorum Spiritus, sed amborum... Et multa sunt testimonia, quibus hoc evidenter ostenditur, et Patris et Filii ipsum esse Spiritum. »

Digitized by Google

e suo, et de his quæ Patris et Spiritus sancti sunt, A *tiam habebitis*. Sic, inquit, fiet vobis, sicut fit mu-
ecipiebat; quoniam una est sapientia et veritas lieri prægnanti et parturienti. Quæ quidem, cum
manium trium. Unde et ipse dicebat : Mea doctrina parit, tristitiam habet, quia mortis horam advenisse
on est mea (*Joan.* VII, 16) (1329). timet. Sed tanta lætitia sequitur post partum, ut

XLVII. *Modicum, et jam non videbitis me, et iterum* totius illius tristitiæ non recordetur, propter pueri
odicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem. Mo- nativitatem. Sic igitur et apostoli, quando pariebant
ico enim tempore in sepulcro Dominus jacuit, et baptizabant, quando per fidem, adoptionis filios
no eum discipuli videre non potuerunt. Et iterum generabant, tunc quidem tristitiam habebant, quia
nodico tempore post resurrectionem eum viderunt; moriendo pariebant. Pariebant utique, ut Apostolus
uia, ut Lucas ait : « Per dies quadraginta apparuit ait : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chri-
is loquens de regno Dei (*Act.* I, 3). » Et hoc est stus formetur in vobis (*Galat.* IV, 19). » Itemque :
uod ait : *Modicum, et jam non videbitis me, et ite-* « Nam etsi multos pædagogos habeatis, sed non
um modicum, et videbitis me. Sed cur modicum? multos patres. In Christo Jesu per Evangelium ego
Quia ad Patrem vado. Si enim ad Patrem non isset, vos genui (*I Cor.* IV, 15). » Hoc autem significabat
on modico, sed multo tempore eum vidissent. Hæc Rachel, quæ pariendo mortua est. Unde et filium
utem discipuli non intelligentes, dicebant : *Quid* B moriens vocavit *Benoni*, id est filium doloris mei
st hoc, quod dicit nobis : Modicum, et non videbitis (*Gen.* XXXV, 18). Pariebant igitur apostoli in dolore,
ne, et iterum modicum, et videbitis me, et quia quia propter hunc talem partum **284** occidebantur,
ado ad Patrem? Quid est hoc, quod dicit : Modi- cruciabantur, et multos dolores, multasque angu-
um? Nescimus quid loquitur. Sciebant enim disci- stias patiebantur. Beatus iste partus, quo tanta
puli quod ad Patrem Dominus iret, quia jam mul- soboles tam nobilium filiorum ubique gentium ger-
oties hoc eis nuntiaverat. Unde et modo superius : minavit. Sequitur : *Iterum autem videbo vos, et*
Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis inter- *gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet*
ogat me, Quo vadis. Et ideo nemo me modo inter- *a vobis.* Quando enim eos non videat, qui semper,
ogat, quo vadis, quoniam certissime scitis, quia ad et ubique, et omnia videt? De illa igitur visione
Patrem vado. Hoc igitur solum erat, quod apostoli dicit, quæ æterna est, et finem non habet, quæ sem-
ntelligere non poterant, et hoc discere cupiebant. per in gaudio est, cujus lætitia et beatitudo auferri
Quid illud *modicum* significaret, quo eum et vide- non potest. Unde et ait : *Et gaudium vestrum nemo*
ent, et non viderent : (1330) *Cognovit autem Jesus,* *tollet a vobis. Et in illo die me non rogabitis quid-*
uia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quæ- C *quam.* In quo die? (1332) In illo utique, in quo hoc
itis inter vos, quia dixi : Modicum, et non videbitis vestrum tantum, taleque complebitur gaudium. Ma-
ne, et iterum modicum, et videbitis me. Amen, nifestum est igitur, quia post judicium, et jam sus-
men dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos, mundus ceptam beatitudinem, nullæ preces necessariæ erunt.
utem gaudebit; vos autem contristabimini, sed Modo enim sanctorum intercessiones necessariæ
ristitia vestra vertetur in gaudium. Hæc est igitur sunt et his qui in hoc sæculo sunt, et his qui in pur-
xpositio, sed obscura; et tale est ac si diceret : gatoriis sunt. Hic est autem ille dies, de quo scri-
Modo quidem non intelligitis quid significet, *Modi-* ptum est : « Quia melior est dies una in atriis tuis
um, et non videbitis me, sed me post modicum mor- super millia (*Psal.* LXXXIII, 11). » In hoc die cessa-
uo et sepulto, vestrisque ab oculis sublato, quando bunt preces, quia nemo erit cui misericordia et indul-
ro morte mea plorabitis et flebitis, quando et mundi gentia fieri possit, aliis in æternum damnatis, aliis
matores, Scribæ videlicet et Pharisæi, de mea ad æternam beatitudinem vocatis.
norte gaudebunt, tunc utique intelligetis quid signi- XLVIII. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis*
icet, *Modicum, et non videbitis.* Intelligetis etiam *Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Si consideremus
uid significet illud quod sequitur : *Et iterum modi-* D quibus hæc verba specialiter proprieque dicantur,
um et videbitis me, quando, me tertia die resur- facilis est solutio. Apostolis enim loquebatur Domi-
ente, tristitia vestra vertetur in gaudium (1331). nus, quos in nomine Christi Jesu cæcos illuminasse,
Gavisi sunt enim discipuli, viso Domino (*Joan.* XX, paralyticos curasse, mortuos suscitasse, et alia multa
20). » Unde et Psalmista : « Ad vesperum, inquit, miracula fecisse, legimus. Nihilque Patrem in no-
lemorabitur fletus, et ad matutinum lætitia (*Psal.* mine Filii eos petisse audivimus, quod non accepe-
XXIX, 6). » *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia* rint. Unde et quosdam male petentes Jacobus apo-
venit hora ejus : cum autem pepererit puerum, jam stolus redarguens ait : « Petitis, et non accipitis, eo
non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus quod male petatis (*Jac.* IV, 3). » Itemque : « Si
st homo in mundo. Et vos igitur tunc quidem tristi- quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omni-

(1329) Hactenus homil.

(1330) Aug. tract. 101 : « Hoc enim est quod eos movebat, quia dixit *modicum*, etc. Nam in præcedentibus, quia non dixerat : Modicum, sed dixerat : Ad Patrem vado, etc., tanquam aperte illis visus est occultus. »

(1331) Aug. l. all. : « Nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit, et mox manifestatum est, jam nobis utique manifestum est : post paululum enim passus est, et non viderunt eum; rursus post paulum resurrexit, et viderunt eum. »

(1332) Hanc quæstionem movet, eodemque modo componit Aug. tract. 101.

Digitized by Google

bus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans (*Jac.* I, 5). » Apparet igitur his verbis Apostolum quoque ideo exauditum non esse, eo quod in nomine Jesu, et bene non petisset (1333) : si tamen cum non exauditum dicamus, qui, quasi melius exauditus, se quod petebat, non accepisse lætatur. Noluit enim exaudiri, postquam se male petisse cognovit. Atque in eo exauditus melius est, quod de his quæ petebat exauditus non est. Est enim exauditus, non de his quæ petebat, sed de his quæ volebat. Nemo autem sic exauditur, sicut ille qui utiliter accipit quod vult. Sequitur : *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Quid est hoc ? Legimus enim Christi discipulos, prius etiam quam eis hæc Dominus diceret, in nomine Jesu Christi infirmos multos sanasse, et dæmonia ejecisse. Unde et ad eum reversi, ut Lucas ait, cum gaudio dicebant : « Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo (*Luc.* x, 17). » Legimus etiam eos increpasse quemdam, qui eos non sequebatur, eo quod in nomine Jesu dæmonia ejecisset. Quid est igitur quod ait : *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo* ? Cum manifestum sit eos in nomine Jesu tam multa petisse ? Dicit fortasse eos non petisse in nomine Jesu, id est, non petisse ea quæ pertinent ad salutem. Sic enim hoc quidam intelligere volunt (1334). Sed non est verum. Quid igitur dicemus ? Dicunt discipuli : « Etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo (*Matth.* VII, 22). » Dicit Magister : *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Tene igitur quod superius ait : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Deinde junge quod sequitur : *Usque modo non petistis quidquam*, subauditur *a Patre, in nomine meo.* Quia enim non Patrem, sed Filium videbant, ad Filium solummodo respiciebant. Sed postquam Filius cœlos ascendit, melius instructi, et a Spiritu veritatis edocti, et Patrem, et Filium rogare cœperunt. Vult igitur Filius ut quod in ejus nomine petitur, a Patre petatur, semperque Pater in Filio honoretur (1335). Sequitur adhuc de ipsa petitione : *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit.* Dixit ut peterent, et ut a Patre peterent, et in suo nomine peterent. Nunc autem eos docet quod petere debeant. *Petite*, ait : Quid ? *Ut gaudium vestrum sit plenum.* Illud enim gaudium plenum est, quod perfectum et integrum est, quod nunquam finitur, et æternum est (1336). Hoc igitur petendum est, ut ad tale gaudium perveniatur. Quæ vero ab isto gaudio hominem separant, ea petenda non **285** sunt. Sic igitur temporalia quæramus, ut mens, et desiderium ab æterno gaudio non separetur. Sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Audiamus semper quod hic dicitur : *Petite, ut gaudium vestrum plenum sit. Et accipietis.* Accipietis utique, sed non modo accipietis, sed non in hac vita. Hoc enim gaudium non accipitur, nisi post hanc vitam. « Quærite igitur primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI, 33). » *Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Hoc est enim quod alius evangelista ait : « Quia in parabolis loquebatur Jesus, et sine parabolis non loquebatur eis (*Matth.* XIII, 34). » In proverbiis enim aliud auditur, et aliud intelligitur. Per illam autem horam, qua non in proverbiis, sed palam se de Patre locuturum dicit, ab ejus resurrectione omne tempus futurum significatur, sive per se visibiliter ; sive per Spiritum sanctum invisibiliter eis loquatur (1337). Adveniente enim Spiritu sancto, tunc palam et manifeste nuntiatum et revelatum est eis, quod prius de Patre ignorabant. Neque fuit necesse rium, ut ulterius dicerent : « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis (*Joan.* XIV, 8). » Videntes in Patre Filium, et in Filio Patrem, et in utroque Spiritum sanctum. *In illo die in nomine meo petetis.* In illo, inquit, die, petetis in nomine meo, ut in virtutibus, quæ per vos fient, glorificetur nomen meum, glorificetur et Pater, quem vos petetis in nomine meo. Non enim dixit : Petetis nomen meum ; sed *petetis in nomine meo*, ut ostenderet nobis, a quo, et in quo petere debeamus. Superius dixerat : *In illo die me non rogabitis quidquam.* Nunc autem dicit : *In illo die in nomine meo petetis.* Quod utique contrarium

(1333) Notissima verba Augustini, quæ repetit ad li. I. tract. 102 : « Jam pictum est in superioribus... non peti in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis ; » quibus similia habet S. Gregorius homil. 27 in Evang.

(1334) Ita S. Gregor. hom. 27 in Evang. : « Nam si id quod non expedit petitur ; non in nomine Jesu petitur Pater ; unde et eisdem apostolis adhuc infirmantibus Dominus dicit : *Usque modo non petistis in nomine meo*, ac si aperte diceretur : Non petistis in nomine Salvatoris, qui nescitis quærere æternam salutem. »

(1335) Aug. tract. 102 duas habet explicationes : « Vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen, non sicut cognoscendum est cognovistis : vel non potistis quidquam ; quoniam in comparationem rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis. » Prima harum accedit ad explicationem A.

(1336) Aug. l. all. : « Hoc quod dicit gaudium plenum, profecto non carnale, sed spiritale gaudium est, et quando tantum erit, ut aliquid ei jam non sit addendum, procul dubio tunc erit plenum. »

(1337) Ita Chrys. hom. 79, n. 2 : « Hoc est resurrectionis tempus... Nam quadraginta diebus versabatur, loquebaturque cum illis, convescens et exponens ea quæ ad regnum Dei pertinebant. » Augustin. lib. I de Trinit. cap. 10 ; Greg. lib. XXX. Moral., cap. 22, de futura beata vita hoc exponunt. Augustinus tamen tract. 102 improbat hanc explicationem alteram, quod sequatur. *Illo die in nomine meo petetis* : in futuro enim sæculo cum pervenerimus ad regnum... quid petituri sumus, quando satiabitur bonis desiderium nostrum ?.... Petitio namque alicujus est indigentiæ, quæ ibi nulla erit, ubi hæc satietas erit. Ergo explicat, « ut intelligatur Jesus discipulos suos de carnalibus vel animalibus se spirituales promisse facturum... qualis erat qui dicebat : *Sapientiam loquimur inter perfectos ; et non potui vobis loqui quasi spiritalibus*, » etc.

Digitized by Google

set, si de eodem die intelligeretur. Hic igitur dies
t hujus sæculi. Ille vero alterius sæculi. Hic ante
dicium : ille post judicium. *Et non dico vobis,*
ia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater
iat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia a
o exivi. Postquam, inquit, cœlos ascendero, non
:o me rogare Patrem de vobis. Sed vos ipsi eum
gate in nomine meo, et quod volueritis, dabit vobis.
ligit enim vos, *quia vos me amastis, et credidistis*
ia a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum:
rum relinquo mundum, et vado ad Patrem. A Patre
ivit, quia a Patre genitus est (1338). In mundum
nit, quia per susceptam humanitatem mundo se
ibilem præbuit. Quomodo exivit nescitur, quia
omodo genitus est ignoratur. Mundum vero relin-
it, et ad Patrem vadit, non secundum divinitatem,
a ubique est, sed secundum humanitatem, qua
alis est. Dicunt ei discipuli ejus : *Ecce nunc pa-*
n loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus
ia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te inter-
get. Volebamus, inquiunt, te interrogare, quia illa
æ dicebas minime intelligebamus; sed sine omni
stra interrogatione tu ipse nobis ea exposuisti, de
ibus te interrogare volebamus. Unde pro certo
imus, *quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis*
interroget. Et hoc modo credimus, quia a Deo
isti. *Respondit eis Jesus : Modo creditis? Ecce*
nit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque
propria, et me solum relinquatis. Et non sum so-
s, quia Pater mecum est. Vobis, inquit, fugienti-
s, et propria latibula singulis potentibus, me vestro
latio solum, sed non Patris auxilio relinquetis so-
m; quia Pater mecum est; et non relinquit me
lum. *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habea-*
. Pacem vobis commendavi. Pacem vobis relinquo.
lo ut in me, et propter me pacem cum omnibus
beatis. Sic tamen ut me non relinquatis. *In mundo*
ressuram habebitis; sed confidite : Ecce vici mundum.
lla nuntiaturus pacem præmisit, ut non odio pu-
eat, sed amore, neque inimicos eos reputent a
ibus cruciantur; sed pro eis orent, ut convertan-
. Confidant, et non timeant mundum, quia victus
cum principe mundi. Ille exercitus timendus non
, qui jam cum suo principe superatus est (1339).
XLIX. [Cap. XVII.] *Hæc locutus est Jesus, et*
36 *sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit*
ra, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clari-

A *ficet te.* Non de hora passionis, quæ jam immineoat, sed de hora resurrectionis hoc dicit, quæ non longe erat (1340). Non enim in passione, sed in resurrectione et Pater et Filius clarificatus est. Nisi enim resurrexisset, nemo in Filium aut in Patrem per Filium credidisset. Orat Jesus, non pro se, sed pro nobis. Ut quid enim loquendo oret Patrem, qui semper in Patre est, et in quo semper est Pater? Orat igitur, ut nos orare doceat, semperque non in nostris viribus, sed in Dei auxilio spem habeamus. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det ei vitam æternam.* Sic, inquit, clarifica Filium tuum, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Habet enim hanc potestatem in omni carne, ut omne quod datum est ei, omne quod ad B vitam prædestinatum est, det ei vitam æternam, et per ipsum et non per alium salvetur. Totum autem hoc ad humanitatem referri debet (1341). Ipsa enim est, cui omnis carnis est data potestas. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Ideo enim sic cognoscere, et ita credere dicitur *vita æterna*, quia, qui ita non cognoscit, et ita non credit, non habebit vitam æternam. Et est causa pro effectu. *Ego te clarificavi super terram. Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* Clarificavit enim Filius Patrem, cum laudando et prædicando et in ejus nomine signa multa et miracula faciendo. Unde ipse dicebat : « Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, illa C testimonium perhibent de me (*Joan.* v, 36). » Et hoc est opus ejus, quod jam consummaverat. Sola enim mors restabat, qua vitam mundo redderet. *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Da, inquit, mihi Pater, illam claritatem, quam habui apud te, priusquam mundus esset. Sic enim se habet ordo. Quid est enim *apud temetipsum*, nisi vocando ad teipsum? (1342) Quia enim carnem suscepit, et cum hominibus conversatus est, mortuus ut homo atque sepultus : nisi resurgeret, et cœlos ascenderet; non solum simpliciter homo, verum etiam magus, et seductor fuisse putaretur. Sed quia surrexit, et cœlos ascendit, sic clarificatus est in mentibus nostris, ut talem eum esse credamus, qualis erat apud Patrem, priusquam mundus fieret. *Manifestavi nomen* D *tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Hoc enim nomen illis solum manifestum est, qui hunc credunt

(1338) August. tract. 102 : « Exiit enim a Patre, ia de Patre est; et in mundum venit, quia mundo im corpus ostendit, quod de Virgine assumpsit. liquit mundum corporali descensione; perrexit ad trem hominis ascensione; nec mundum descruit ovidentiæ gubernatione. »

(1339) S. Leo serm. 72, 2, De resurrect. cap. 4 : Quia misericordia Domini plena est terra, adest bis utique Christi victoria, ut impleatur quod ait : *olite timere, quia ego vici mundum.* Sive ergo con- ambitionem sæculi, sive contra concupiscentias mis, sive contra hæreticorum jacula dimicemus, minica cruce semper armemur. »

(1340) Augustinus tract. 104 : « Clarificatum a Patre Filium nonnulli accipiunt in hoc, quod ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Sed si passione clarificatus dicitur, quanto magis resurrectione? Nam in passione magis ejus humilitas, quam claritas commendatur. » Est prior illa interpretatio de Christo clarificato in passione, Chrysostomi hom. 80, n. 1. Fuse hunc locum explicat Hilarius lib. III De Trinit.

(1341) Vid. Epiphanium, hæres. 69.

(1342) Aug. tract. 105 : « Ipse quippe Patrem clarificavit super terram, cum gentibus prædicando; Pater vero ipsum apud semetipsum ad suam dexteram collocando. »

Digitized by Google

esse Filium, et illum credunt esse Patrem. Nesciebant Judæi hoc nomen, qui dicebant : « Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 8). » *Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt.* Tui, inquit, erant, quia ad vitam prædestinati erant. Et mihi eos dedisti ad docendum, ad redimendum, ad sanctificandum. Et sermonem tuum servaverunt, quem me docente audierunt. *Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.* Quomodo, vel unde cognoverunt? *Quia verba quæ dedisti mihi dedi eis, et ipsi acceperunt ea.* Et in ipsis *cognoverunt vere, quia a te exivi*, id est, quia tu me genuisti; *et crediderunt quia tu me misisti*, id est, ut carnem susciperem et homo fierem voluisti. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt; et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Hæc autem illis difficilia non sunt, qui duarum in Christo naturarum semper memores sunt. Quod enim rogat, et quod sibi aliquid datum dicit, humanitatis est. Quod vero æqualis est Patri, et communiter omnia habet cum Patre, divinitatis est (1343). Sed nota quod pro mundo, id est pro amatoribus mundi, se non rogare, Dominus dicit. Quid autem hic dicemus, nisi id quod Apostolus ait : « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Cur me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti facere aliud vas in honorem, et aliud in contumeliam? » (*Rom.* IX, 20.) Quod autem ait: *et clarificatus sum in eis*, discipulorum fidem commendare videtur. *Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio.* Jam non se deputat esse in mundo, quia subito et post modicum disponit exire de mundo. Unde et subinferens ait : *Et ego ad te venio.* Illos vero in mundo esse dicit, quos hinc abiens, in mundo relinquit. Sive etiam in mundo non erat, quia mundi adversitates non timebat, mundi gloriam non **287** quærebat, et mundi voluptates non sentiebat, *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.* Serva, inquit, eos, Pater sancte, in nomine tuo, ut nunquam in eis deficiat nomen tuum, sed semper sis illorum Pater, et ipsi sint filii tui. In illis enim perit nomen Patris, qui peccando desinunt esse filii. *Ut sint unum sicut et nos*, ut nunquam recedant a fidei veritate, semperque sint stabiles et unanimes in charitate (1344).

A *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo.* Quamvis adhuc corporaliter cum eis esset, tamen sic loquitur, ac si jam cum eis non esset. Sed quid est, *ego servabam eos in nomine tuo*, nisi talis eos componebam, qui nomen tuum semper tenerent et glorificarent? Inde est quod ipse ait : *Ego veni in nomine Patris mei*, id est, ut glorificarem non meipsum, sed nomen Patris mei. *Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex his periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* Hoc autem de Juda dicitur, qui solus periit de duodeno apostolorum numero. *Nunc autem ad te venio et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.* Quia enim ait : *nunc venio ad te*, tale est ac si diceret : Post paucos dies venio ad te. Sed quomodo hæc loquitur in mundo, si, ut superius dixit, non est in B mundo? Per hoc enim datur intelligi, quia secundum aliquid in mundo erat, et secundum aliquid in mundo non erat. Quomodo enim in mundo erat, manifestum est. Quomodo etiam in mundo non erat, jam dictum est. Non enim erat in mundo, quia non erat in voluptatibus mundi (1345). *Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit.* Ego, inquit, dedi eis sermonem tuum. Ego dedi eis verba tua, et doctrinam tuam. Et mundus eos odio habuit. Cur? *Quia non sunt de mundo*, quia non sunt de amatoribus mundi. *Si enim de mundo essent, mundus, quod suum erat, diligeret.* Sed quomodo non sunt de mundo? *Sicut et ego non sum de mundo.* Secundum creationem igitur, de mundo C sunt : sed secundum sanctam conversationem, de mundo non sunt. Nam et ipse Dominus secundum carnem de mundo erat; quia et caro de terra, et terra de mundo erat. *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo;* ne de mundo fieri incipiant. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Quid est : *Sanctifica eos in veritate*, nisi sanctifica eos in meipso? Ego enim sum veritas, quia sum Verbum tuum. Tu sermo tuus. Sermo autem tuus veritas est. Et si ipsi sanctificentur in me, ego pro eis sanctificabo, immolabo, et sacrificabo me ipsum (1346), ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Inde enim de ipso D scriptum est : *Quia dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Sicut tu me misisti in mundum*

(1343) V. Cyrillum pag. 966 : « Qui rogat igitur, ut homo, simul distribuit rursus, ut Deus. » V. Chrysost. hom. 81; ubi fuse docet, discipulorum se infirmitati attemperantem loqui ut hominem. « Si enim dixisset *Ego servo illos*, non credidissent, » etc.

(1344) S. Cyrill. pag. 972 : « Servari vult discipulos in benevolentiæ et voluntatum unione, animo et spiritu inter se quodammodo commistos, et ad eam unionem progredi, ut voluntatum illa conjunctio imago sit naturalis in Patre et Filio unitatis. » Ita S. Ambros. lib. IV, de Fid. c. 7, S. Joan. Chrysost. hom. 82, num. 2, etc., Innocentius III, in gen. conc. Lateran. « Cum ergo Veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem : Volo, inquiens, ut ipsi sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus; hoc nomen, *unum*, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia. »

(1345) S. Cyrillus pag. 980 : « A terreno et [illegible] sensu et mundi rationibus plane dissita est conversatio, et vita Christiana, quam pro virili sequemur inter mundanos nequaquam censebimur... quemadmodum nimirum divinus ipse Paulus nobis de se ipso, et Christo scribit : *Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* »

(1346) S. Cyrillus pag. 990 : « Sanctifica igitur eos, o Pater, inquit, in veritate tua, id est in me. Tuum enim Verbum veritas est, id est ego. Sanctificavi enim pro eis meipsum, id est consecravi et obtuli, unus pro cunctis mortuus, ut ego in novitatem vitæ reformarem, et sanctificati sint in veritate, id est in me. »

Digitized by Google

tum, et ego misi eos in mundum. Ad hoc igitur misit eos, ut mundum prædicarent, salvarent, et a peccatis mundarent. Necesse igitur erat eos esse sanctificatos, qui mittebantur ad alios sanctificandum. *Non pro his rogo autem tantum, sed et pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut et tu, Pater, in me, et ego in te, ut ipsi in nobis unum sint, et mundus credat, quia tu me misisti.* His autem verbis quid aliud sonat, nisi Ecclesiæ unitas et perfectio charitatis? (1347) *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus, ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.* Ego, inquit, claritatem quam dedisti mihi dedi eis; ut sicut ego, ita et ipsi mortuos suscitarent, cæcos illuminarent, leprosos mundarent, et dæmonia fugarent (1348), et per hoc clari et famosi cunctis gentibus apparerent. Ut hæc et similia faciendo *sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus.* Unum enim cum Deo **288** sunt, quia et ipsi dii sunt, et quia unam cum Deo potestatem habent, quamvis non a seipsis, sed a Deo habeant. Unde et superius Dominus ait : « Manete in me, et ego in vobis, quia sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv, 4,5). » Ego sum in eis, et tu es in me. Es igitur tu quoque in eis. Unde fit ut sint consummati et perfecti in unum. Ipsi sunt membra mea. Ego caput illorum. Tu pater et ego Filius. Ecce quomodo unum sumus. Cognoscat igitur mundus in virtutibus, quæ per eos fiunt, et miraculis quæ in meo nomine operantur, quia tu me misisti, et quia dilexisti eos, sicut et me dilexisti. Tantum enim dilexisti eos, ut morti me traderes pro eis. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* Cur? *Ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Hanc autem claritatem videre quid aliud est, quam beatum esse? (1349) Unde hic idem Joannes ait : « Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » *Pater iuste, mundus te non cognovit. Ego autem te cognovi. Et hi cognoverunt quia tu me misisti, et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit; et ego in ipsis.*

L. [Cap. XVIII-XIX.] *Hæc cum dixisset, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron.* Hæc autem in aliis Evangeliis exposita sunt. Non est autem contrarium quod hic hora sexta, et in Marco hora tertia Jesus scribitur fuisse crucifixus. Hora namque tertia a Judæis, sexta a gentilibus, et Romanorum militibus crucifixus est Dominus. Non quod bis sit crucifixus, sed quia hora tertia est ab illis damnatus, et hora sexta ab illis aliis in crucem elevatus. Aliter enim Judæi non occiderunt Jesum, nisi accusando et damnando, et *Crucifige, crucifige* clamando (1350). Unde et ipsi dicebant : *Nobis non licet interficere quemquam.*

LI. [Cap. XX.] *Una autem Sabbati Maria Magdalena venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a monumento.* Quantum ad litteram, magnus amor compellebat hanc mulierem, ut ante lucem ad monumentum Dominum quæreret. Quantum autem ad spiritualem intelligentiam, adhuc tenebris involuta erat, quia nondum interius illuminata. Christi resurrectionem credebat (1351). Unde etiam illi a Domino dicitur : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Sed quid mirum, si resurrectionem mulier ignorabat, cum hic idem dilectus Domini discipulus de seipso dicat, quod *nondum sciebat Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere? Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum, quem amabat Jesus, et dicit eis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum.* Quia enim in monumento Dominus non erat, non resuscitatum, sed sublatum eum esse credebat. Et hoc ideo, quia adhuc ei tenebræ erant, et nondum mentis oculos apertos habebat (1352). Dolebat tamen de corpore Jesu, quod jam ubi quæreret, nesciebat. *Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum.* Sed quomodo venerunt? Currendo utique; et hoc est quod ait : *Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in uno loco.* Tunc *ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, et vidit, et credidit.* Duo isti discipuli duos populos

(1347) Vid. dicta superius et Chrysost. hom. 78, Joan. n. 4. Cyrillus pag. 996 : « Charitatis igitur concordiæ pacisque vinculum petit, quo ad unitatem spiritalem fideles adducantur, adeo ut naturalis et substantialis unitatis, quæ in Patre nimirum Filio intelligitur, characteres imitentur, consensionem nimirum voluntatum in omnibus, et animorum ad unitatem concursum. »

(1348) Ita ferme S. Joan. Chrysost. hom. 82, n. 4. « *Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis;* per signa, per doctrinam, et ut concordes sint. »

(1349) Ita explicat hunc locum Irænæus lib. IV, cap. 38, num. 1.

(1350) Ita Augustin. enarrat. in Ps. LXIII, n. 5 : Quidam evangelista dicit hora sexta crucifixum Dominum, et quidam hora tertia . . . Et revera quando levatus est Dominus in ligno, hora sexta erat... Considerantes autem omnem circumstantiam lectionis... invenimus horam tertiam esse potuisse quando illi clamaverunt *Crucifige, crucifige.* Ergo verius illi occiderunt, quando clamaverunt. »

(1351) Mysticam seu spiritalem intelligentiam exhibet in primis S. Petrus Chrysologus serm. 74 et 75, explicans illud Vespere quæ lucescit.

(1352) S. Gregorius hom. 22 in Ev. : « Maria auctorem omnium, quem carne viderat mortuum, quærebat in monumento, et quia hunc minime invenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebræ, cum venit ad monumentum. »

Digitized by Google

significant ad Christum currentes, et ad fidem venientes, Judæos scilicet et gentiles (1353). Ex his enim Ecclesia tota consistit. Et Joannes quidem significat Judæos; Petrus vero gentiles designat. Quoniam Judaicus populus, priusquam gentilis, ad fidei cognitionem venire cœpit. Et venit ad monumentum, sed non statim introivit; quia Christi resurrectionem audiens non credidit (1354). Si enim statim introisset, linteamina tetigisset; et cum ibi **289** Christum non esse sensisset, resurrexisse credidisset. Sed quid per linteamina Christi, per indumenta Verbi Dei, nisi litteram intelligimus, qua Verbum indutum non apparet? Verbum utique, quod « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1); » quod quidem, nisi litteræ velamine expeliatum fuerit, neque videtur, neque cognoscitur. Venit Joannes ad monumentum, inclinavit se, vidit linteamina, sed non tetigit; quia et Judæi usque hodie se ad legendum inclinant, litteras vident, sed non intelligunt. Tangere enim, intelligere est; nunc autem videamus quid Petrus quoque fecerit, qui post Joannem ad monumentum venit. *Venit*, inquit, *Simon Petrus sequens eum*. Et quid fecit? *Et introivit in monumentum*. Si non introisset, non cognovisset. Introivit ergo et vidit, diligenterque inspexit sola linteamina ibi esse posita. Et illum resurrexisse cognovit, qui in illis linteaminibus prius involutus latebat. Sic et nos, cum ad librum accedimus, id est ad monumentum Christi, in quo ejus mortis et resurrectionis recordamur et admonemur, dum intelligendo intramus, litteræ velamenta revolvimus; mox Christum Dominum resurrexisse cognoscimus. Cum enim legimus: « Ego dormivi, et somnum cœpi, resurrexi, quoniam Dominus suscepit me (1355): » si tamen hoc monumentum cum Petro intramus (intramus autem, si intelligimus, et litteræ velamenta revolvimus), Christum Dominum resurrexisse cognoscimus. Hoc autem Judæi non cognoscunt, quia, etsi monumentum et linteamina, id est librum et litteras, videant, illuc tamen intelligendo non intrant: usitata locutione, ut in illam sententiam nos non posse intrare dicamus, quam intelligere non valemus. Videamus etiam, quid sudarium illud significet, quod super ejus caput positum fuerat. Si enim, ut Apostolus ait: « Caput Christi Deus est (*I Cor.* XI, 3), quid sudarium quo tegitur caput, nisi illam Scripturam designat, quæ loquitur de divinitate? (1356) Vis videre sudarium quo tegitur caput Christi? Lege hujus Evangelii caput: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Unde et bene de hoc sudario dicitur, quia non cum cæteris linteaminibus positum, sed separatim in uno loco involutum erat; quoniam magna distantia est inter eas Scripturas, quæ de Christi divinitate, et eas quæ de ejus humanitate loquuntur. Hinc est quod de quibusdam separatis sacrificiis nemo comedit, nisi Aaron cum filiis masculis. Sequitur: *Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primum ad monumentum, et vidit, et credidit*. Hoc est enim, quod Apostolus ait: « Cum plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). » Prius igitur necesse est ut Petrus introeat cum tota gentium plenitudine, quæ per eum significatur, et sic postea introeat Joannes cum Judæorum populo, qui per eum designatur. Quod autem ait: *Et vidit, et credidit*, non plane de resurrectione, sed de his quæ mulier dixerat, Dominum videlicet de monumento fuisse sublatum intelligi debet. Unde et subditur: *Nondum enim sciebat Scripturas, quia oporteret eum a mortuis resurgere*. Ideo enim nondum Scripturas sciebat, quia adhuc linteamina a longe videbat. Diximus enim Scripturas per linteamina significari. *Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli*.

LII. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum. Et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu*. Recedunt discipuli, stat mulier, et plorat. Adest Jesus mœrentium consolator, et pias mulieris lacrymas intuetur. Exspectat quid mulier agat, neque illico se manifestat. Inclinat se illa, nec semel vidisse sufficit (1357). Nihil est suo amanti. Prospicit in monumentum, et videt duos angelos, qui nihil melius quam duo Testamenta significabant (1358). Quibus nuntiantibus Christi nativitatem, passionem, et resurrectionem, et quæ

(1353) Id. S. Gregor.: « Quid ergo per Joannem, nisi Synagoga; quid per Petrum, nisi Ecclesia designatur? Nec mirum esse videatur, quod per juniorem Synagoga, per seniorem vero Ecclesia signari perhibetur; quia, etsi ad Dei cultum prior est Synagoga quam Ecclesia gentium, ad usum tamen sæculi prior est multitudo gentium quam Synagoga. »

(1354) S. Gregor.: « Vidit enim Joannes posita linteamina, nec tamen introivit; quia videlicet Synagoga, et Scripturæ sacræ sacramenta cognovit, et tamen ad fidem passionis Dominicæ credendo intrare distulit. »

(1355) Psal. III, 6: *Ego dormivi et soporatus sum*, etc.

(1356) S. Gregorius l. all.: « Quid esse, fratres, credimus, quod sudarium capitis Domini cum linteaminibus non invenitur in monumento, nisi quia, Paulo attestante, caput Christi Deus, et divinitatis incomprehensibilia sacramenta ab infirmitatis nostræ cognitione disjuncta sunt; quæque potentia creaturæ transcendit naturam. »

(1357) Gregorius hom. 25 in Ev.: « Certe jam monumentum vacuum viderat, jam sublatum Dominum nuntiaverat: quid est quod se iterum inclinat, iterum videre desiderat? Sed amanti semel aspexisse non sufficit: quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. »

(1358) Id. ibid.: « Possumus etiam per duos angelos duo Testamenta cognoscere, unum prius, et aliud sequens: qui videlicet angeli per locum Dominici corporis sibimet sunt conjuncti: quia mirum utraque Testamenta, dum pari sensu incarnatum et mortuum, ac resurrexisse Dominum nuntiant, quasi Testamentum prius ad caput, et Testamentum posterius ad pedes sedet. »

Digitized by Google

unque de eo sunt, plenissime instruimur et docemur. Qui, quoniam gaudium et resurrectionem modo specialiter nuntiare venerant, non immerito, sed digne satis *in albis* apparent. Stat unum duorum Testamentorum, **290** quæ per angelos figurantur, ad caput Dominici monumenti ; et unum ad pedes (1359) : quia nunc de divinitate, nunc de humanitate nobis loquuntur. Per caput enim, Christi divinitatem ; per pedes, ejus humanitatem intelligimus. Hoc enim significat Moyses, qui cum de agno illo Paschali, et significativo loqueretur, ait : « Et comedetis carnes agni nocte illa cum azymis et lactucis agrestibus ; caput et pedes cum intestinis vorabitis (*Exod.* XII, 9). » Sed audiamus quid flenti mulieri angeli dicant : *Mulier*, inquiunt, *quid ploras* ? Non est plorandum, sed plaudendum : hic dies lætitiæ, non mœroris (1360) ; læta venimus nuntiare tibi. Sed potius ad illum respice, quem tanto amore videre desideras. *Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.* Magnus, inquit, dolor me flere compellit, magna tristitia coarctat viscera mea, quia tulerunt mihi Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. *Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, vidit Jesum stantem, et nesciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras ? quem quæris ?* Sciebat enim Dominus quid illa quærebat ; nec ignorando, sed consolando eam interrogabat ; et ideo interrogationem duplicavit, ut audita voce agnosceret (1361). *Illa æstimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum ; et ego eum tollam.* Quasi de cognito loquitur ; et quem ipsa diligebat, omnes scire cogitabat (1362) : *Dicit ei Jesus : Maria.* At illa, ut se suo nomine vocari audivit, mox eum cognovit, et a monumento, a quo præ nimio amore oculos avertere non poterat, ad illum conversa, ait : *Rabboni* Quid autem significet *Rabboni*, evangelista exposuit : *quod dicitur Magister.* Statim autem ut eum cognovit, corruit ad pedes ejus. Cui Dominus : *Noli me tangere ; nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Ac si dicat : Noli me manibus tangere, quem nondum fide tetigisti ; crede quia surrexi, et quia inferno exspoliato, jam secundum animam cœlos ascendi : nec me quæras in monumento, qui ubique sum et loco arctari non possum. Nondum me credis ascendisse ad Patrem ; nondum me credis æqualem Patri (1363). Quid est enim ad Patrem ascendere, nisi Patri æqualem esse, non altius extenditur Pater, quam Filius : ubicumque est Pater, ibi est Filius. Non igitur eum tangat, neque ad eum accedere præsumat quicunque talem et tantum eum esse non credit. Tenuit tamen illa pedes ejus, sicut et aliæ mulieres, de quibus alii evangelistæ scribunt : « Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum ; Deum meum, et Deum vestrum (*Matth.* XXVIII, 9). » Notissima verba, et quæ per seipsum sæpe eis prædixerat, illis mandat : quatenus ea audientes, facilius crederent verum esse, quod mulier nuntiabat. *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi.*

LIII. *Cum esset sero die illo una Sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in médio, et dicit : Pax vobis.* Quicunque intelligit illud quod scriptum est : « Mors intrat per fenestras nostras (*Jer.* XI, 21), » intelligit etiam quid apostoli significabant, cum januis clausis intus sedebant propter metum Judæorum. Uno enim *Judæorum* nomine, omnes Ecclesiæ inimici significantur. Nam et vitia, et maligni spiritus, hæretici, et tyranni, omnesque Ecclesiæ persecutores hoc uno nomine intelliguntur. Claudamus igitur fenestras nostras, claudamus januas corporis nostri, non tantum propter metum Judæorum, quantum propter metum dæmoniorum, et falsas persuasiones hæreticorum, et corruptelas innumeras vitiorum. Ideo enim Apostolus ait : « Corrumpunt mores bonos colloquia mala (*I Cor.* XV, 33). » Ideo et Psalmista dicit : « Averte oculos meos, ne videant vanitatem (*Psal.* CXVIII, 37). » Multi enim videndo, multi audiendo, multi loquendo, et comedendo **291** perierunt. Istæ igitur sunt illæ fenestræ, istæ sunt illæ januæ, per quas mors ingreditur in hominem. Primi parentes sint nobis in exemplum. Nisi enim serpentis vocem audissent, et male suadenti credidissent, nisi lignum vetitum vidissent, et

(1359) Ita Gregorius l. all. Aliter Aug. tract. 121, et Beda : « Quid est quod unus ad caput, et ad pedes alter sedebat ? An quoniam... Christi Evangelium velut a capite usque ad pedes, ab initio usque in finem significabant esse nuntiandum ? »

(1360) Augustin. l. all. : « Angeli lacrymas prohibebant : ubi quid aliud quam futurum quodammodo gaudium nuntiabant ? Ita enim dixerunt : Quid ploras ? ac si dicerent, Noli plorare. »

(1361) Chrysost. hom. 86, n. 1 : « Nam cum vocavit illam *Maria* ; tunc ipsa illum cognovit. Sic non a visu, sed a voce cognitio perfecta est. »

(1362) Gregorius hom. 25 in Ev. : « Vis amoris hoc agere solet in animo, ut quem ipse semper cogitat, nullum alium ignorare credat. Recte et hæc mulier quem quærit non dicit : et tamen dicit *Si tu sustulisti eum*, quia alteri non putat incognitum, quem sic ipsa continuo desiderio plangit. »

(1363) Hieron. in Epist. ad Paul. De ob. Blæsill. : « Id est, non mereris tangere resurgentem, quem mortuum existimas in sepulcro. » Et ep. ad *Hedib.* qu. 5. « Est sensus : Quem mortuum quæris, viventem tangere non mereris. Si me necdum putas ascendisse ad Patrem, sed hominum fraude sublatum, meo tactu indigna es. » Id. in ep. ad Marcell. : « *Noli me tangere* ; et est sensus : Non mereris meis hærere vestigiis, nec adorare quasi Dominum, nec ejus tenere pedes quem non existimas surrexisse. Tibi enim necdum ascendi ad Patrem meum. Cæteræ vero mulieres, quæ pedes tangunt, Dominum confitentur, et merentur ejus hærere vestigiis, quem ad Patrem ascendisse confidunt. » In eamdem interpretationem conveniunt S. Ambr. lib. X in Luc., lib. III De virgin., et in Ps. XLV, sicut S. Greg. hom. 25.

Digitized by Google

pomum concupiscentiæ comedissent, in tantum barathrum non corruissent. Hoc igitur apostoli significabant, cum clausis januis in domo sedebant. Nemo autem miretur, si clausis januis, corpore jam resurrectionem glorificato, ad discipulos Jesus intravit, qui corpore mortali adhuc et coruptibili de matris utero exivit, clausa et incorrupta semper Virgine Matre permanente (1364). Caro enim nostra post resurrectionem et ejusdem naturæ erit, et alterius gloriæ. Pacem autem eis commendat, quia sine pace impossibile est placere Deo; et ubi pax non est, discordia regnat. Unde Psalmista (1365): « Factus est, inquit, in pace locus ejus (*Psal.* LXXV, 3). » Pacem veniens attulit, et hinc abiens pacem reliquit. *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.* Sed quare manus et latus? Ut videntes vulnerum cicatrices, eum manifestius clariusque cognoscerent, neque jam ulterius de illius resurrectione dubitarent. Sed quod tunc Dominus egit ad sananda vulnera mentis, inde hæretici vulnerantur in mente; qui hinc male argumentantur, suis deformitatibus et accidentibus, nec ipsa resurrectione, corpora nostra posse sanari. Quod si, quod absit! verum esset, multos sanctorum sine oculis et manibus, sine pedibus aliisque membris resurgere oporteret. Hunc autem errorem ille destruit, qui suis discipulis promisit, dicens, quod « capillus de capite vestro non peribit (*Luc.* XXI, 18). » *Dixit ergo eis iterum : Pax vobis.* Frequenter eis pacem commendat, quoniam perfectio tota Christianæ fidei et religionis in pace et dilectione consistit. Unde et ipse discipulis ait : « In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos (*Joan.* XIII, 35). » Meos vicarios vos constituo, mea vice vos mando, meum officium vobis commendo; ad docendum, ad prædicandum, ad baptizandum, ad salvandum, ad meum et Patris nomen glorificandum vos mitto. *Hoc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum*, cujus auxilio et spiratione hoc tantum onus ferre valeatis. Et fortasse ideo insufflavit, ut per hoc intelligamus, firmiterque credamus, quia Spiritus sanctus, sicut a Patre, ita et ab ipso procedit. Sed dicet aliquis : An modo discipulis suis dedit Dominus Spiritum sanctum? Sed non ea plenitudine, qua postea daturus erat (1366) : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quorum, inquit, peccata remiseritis, sive per baptismum, sive per pœnitentiam et per sanctam confessionem, remittuntur eis; et quorum retinueritis, sive per illorum infidelitatem, sive per cor impœnitens, sive per inobedientiam, retenta sunt. Hæc sunt enim, quibus unusquisque vel solvitur vel ligatur. *Thomas autem unus de duodecim, qui dicitur Dydimus, non erat cum eis quando venit Jesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Ecce ad quid Dominus suorum vulnerum cicatrices reservare voluit, et delere noluit : quia in hoc ejus discipulum sanare, et ejus mentis vulnera curare disponebat. Tamen dubitatio hæc apostoli Thomæ multos alios confirmat, et a dubitatione liberat. Hæc enim scripta non essent, si Thomas non dubitasset. Prodierunt autem hæc multis legentibus et audientibus, usque ad sæculi consummationem (1367). *Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et dixit eis : Pax vobis. Deinde dicit Thomæ*, ut in ejus latus digitum inferat, manus videat, et jam non sit incredulus, sed fidelis. Respondet Thomas, et dicit ei : *Dominus meus, et Deus meus* (1368). Quid est, *Dominus meus, et Deus meus?* Jam nihil dubito; certus sum, confirmo resurrectionem, prædico immortalitatem : tu es Dominus meus, magister meus; ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. Tu es denique Deus meus, qui me creasti : pro me carnem suscepisti; quam, ut me redimeres, morti tradidisti; et ut **292** me tecum resuscitares, nunc a mortuis resurrexisti; hæc est fides mea; ita sentio, et ita credo (1369). *Dicit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt.* Si enim ideo credidit quia eum vidit, constat quod si eum non vidisset, non credidisset. Unde merito beati sunt qui corporeis oculis eum non viderunt, et hæc, et his similia audientes, et in eum crediderunt. *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Signum enim fuit, quod clausis januis ad discipulos intravit. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Hæc enim sola sufficere poterant ad fidei documentum, etiamsi alii evangelistæ cætera ejus facta non scripsissent.

(1364) Petrus Chrysol. serm. 84 idem sensit.

(1365) S. Leo serm. 1 De ascens. c. 3 : « Ingerit dubitantium oculis manentia in manibus suis et pedibus crucis signa, et ut diligentius pertractetur, invitat : quia ad sananda infidelium vulnera, clavorum et lanceæ erant servata vestigia, ut non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei Patris consessuram throno, quæ jacuerat in sepulcro. »

(1366) Vid. S. Ambros. lib. II De Jacob., cap. 2.

(1367) Vid. S. Gregorium hom. 26 in Ev. n. 3.

(1368) S. Petrus Chrysol. serm. 84 : « Cur Thomas vestigia fidei sic requirit? Cur tam pie patientem, tam dure discutit resurgentem?... Quæsivit, fratres, pietas ista, exegit ista devotio, ut resurrexisse Dominum nec ipsa in posterum dubitaret impietas. Sed Thomas non solum cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum. » Notissima est super hunc Evangelii locum hom. 26 S. Greg., n. 7.

(1369) Hilar. lib. VII De Trinit.: « Veritatem igitur evangelici sacramenti Thomas intelligens, Dominum suum et Deum suum esse confessus est. Non est hic honoris nomen, sed naturæ confessio est : reliqua enim ipsis atque virtutibus Deum credidit; et Dominum professionis hujus religionem, non honoris esse docuit, sed fidei, dicens : *Quia vidisti me, credidisti.* »

Digitized by Google

LIV. (1370) [*Cap.* XXI.] *Manifestavit se Jesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic: Erant autem simul Simon Petrus, et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum.* Quid est enim quod apostolus Petrus de piscatione iterum redit? similiter autem et filii Zebedæi? Ipsi enim sunt, quibus Dominus dixerat: Venite post me: faciam vos fieri piscatores hominum (1371) (*Marc.* I, 17). » In hoc igitur ostenditur, in his et similibus victum quærere quotidianum, non esse peccatum. Unde et Apostolus propriis manibus laborans, unde vivat, cæteros quoque ad laborandum invitat dicens: « Laboret unusquisque operando manibus suis: quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patientibus (*Eph.* IV, 28). » *Exierunt et ascenderunt navem, et illa nocte nihil prehenderunt.* Quia in nocte nihil laborabant, et nonnum ad eos venerat Jesus (1372). Insuper, quia per e ad piscandum venerant, et ab alio missi non fuerant. Eos enim adhuc significabant, qui non ex præcepto canonum, sed proprio arbitrio, Ecclesiam prædicare et regere veniunt. Tales enim, pisces Dei ligiunt, et eorum retia intrare, eorumque prædicationes audire dedignantur. *Mane autem jam facto stetit Jesus in littore, non tamen cognoverunt discipuli, quia Jesus est.* Ecce jam aliud significare incipiunt: quia jam non in nocte laborant, ad diem veniunt, et Dominum vident. *Dicit ergo eis Jesus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis.* Ac si diceret: Ego hac vice non misi vos; in nocte venis.is, sinistrorsum laborastis, nihil prendidistis. Nunc ergo mittite in dexteram navigii rete, ex meo præcepto laborate, meam doctrinam prædicate: nesciat sinistra vestra quid faciat dextera vestra, et invenietis (1373). In dextra igitur piscari, est veram et catholicam doctrinam sincero affectu et mundo corde prædicare (1374). Piscatores enim apostoli sunt, prædicatores et doctores: retia vero hæc, Evangelia omnisque sermo divinus. Pisces autem omnes fideles intelliguntur. Tales enim pisces in baptismatis flumine natant; tales retibus Evangelii et amore fidei capiuntur. *Miserunt ergo, et jam non valebant illud* A *trahere, præ multitudine piscium.* Magnum miraculum! per totam noctem laborantes nihil ceperunt, et tam subito ad Domini jussionem tanta piscium convenit multitudo! Possumus autem per hanc primam et nocturnam piscationem intelligere eam, quam tunc apud Judæos apostoli habuerunt, quando eis nolentibus credere Apostolus ait: « Vobis primum oportuit prædicari verbum Dei: sed quia repulistis illud, et indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). » Quid est enim: *Ecce convertimur ad gentes*, nisi quod hic dicitur: *mittite in dexteram navigii rete?* Quia enim pisces Judaici fluminis apostolorum retia intrare noluerunt, ad flumina gentium apostoli missi sunt. Et tunc quidem doctores piscantur in nocte, quando B auditores interius excæcati veritatem non intelligunt. *Miserunt ergo in dexteram navigii rete, et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Hoc est enim quod Psalmista ait: « Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX, 6). » Quo viso miraculo, discipulus ille, quem diligebat Jesus, dixit Petro: *Dominus est. Simon ergo Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se; erat enim nudus; et misit se in mare.* Ubique Petrus ferventioris fidei, et majoris dilectionis **293** invenitur (1375). *Alii autem discipuli navigio venerunt; non enim longe erant a terra.* Quid enim per hanc terram, nisi terram viventium intelligimus? (1376) a qua isti longe non erant, quia corporeis vinculis resoluti, cito illuc ituri erant. *Quasi* C *cubitis ducentis trahentes rete piscium* (1377). Centenarius numerus perfectus est, qui tunc quidem duplicatur, quando sermone et opere adimpletur. Trahunt igitur doctores rete piscium cubitis ducentis, quando et sermone et opere post se ad æternam vitam ducunt audientes (1378). *Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem.* Hoc enim cibo Christi piscatores, et prædicatores semper recreantur, et vires suscipiunt, quotiescunque fatigati ab hoc opere redeunt. Quoties enim prunas, et piscem superpositum, et panem vident, quoties Christi passionis et prædicationis recordantur; toties laboris, et fatigationis, et omnium suarum angustiarum obliviscuntur. Quid D est enim piscis prunis assus, nisi Christus in cruce

(1370) Joan. XXI, 1: *Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis.*

(1371) Vid. S. Greg. hom. 24 in Evang., et S. Joan. Chrysost. hom. 87.

(1372) S. Greg. l. all., n. 3: « Facta est autem discipulis piscationis magna difficultas, ut, Magistro veniente, fieret admirationis magna sublimitas. »

(1373) Vid. allegoricam aliam explicationem Petr. Chrys. hom. 78.

(1374) Aliam explicat. juxta allegor. suggerit S. August. tract. 122.

(1375) Chrysost. hom. 87 in Joan., n. 2: «Proprios mores referunt Petrus et Joannes. Ille ferventior, hic altior erat; ille vehementior, hic perspicacior. Ideo Joan. prior agnovit Jesum, Petrus prior ad eum properavit. » Chrysolog. serm. 78. « *Misit se in mare*, ut esset primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum. »

(1376) S. Aug. tract. 122: « Littus finis est maris, et ideo finem significat sæculi. »

(1377) Sanctus Gregorius loco allato: « Quia ergo prædicator Ecclesiæ nos a mundi hujus fluctibus separat, nimirum necesse est ut rete plenum piscibus Petrus ad terram ducat. Ipse enim pisces ad soliditatem littoris pertrahit, qui sanctæ prædicationis voce, stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit... Quoties per eum ad amorem quietis æternæ convertimur; quoties a terrenarum rerum tumultibus separamur, quid aliud, quam missi intra retem fidei pisces ad littus trahimur? »

(1378) August. tract. 124: «Ibi rete propter significanda schismata rumpebatur: hic, » etc.

Digitized by Google

passus? Quid est enim panis, nisi evangelica prædicatio, qua eos Dominus reficere solebat, dicens: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere? » (*Matth.* x, 28.) His enim apostoli recreantur: his animantur, et satiantur, et ad laborem iterum incitantur. *Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.* Semper enim apostoli et doctores pisces Domino afferunt: semper exemplo et doctrina fidelium animas ad eum ducunt. Unde et subditur: *Ascendit ergo Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus, et cum tanti essent, non est scissum rete.* Boni pisces erant isti, a quibus rete scissum non est. Mali pisces hæretici et schismatici, qui evangeliorum retia quotidie scindunt (1379). Sed quid per centum quinquaginta et tres pisces, nisi omnes baptizatos et fideles intelligimus? (1380) Hoc enim significant tres, quod centum quinquaginta. Si enim in æquas partes centum quinquaginta dividamus, tres et non amplius quinquagenæ fiunt. Tres enim sunt mundi partes, quæ per tres pisces, et tres quinquagenas significantur, Asia videlicet, Africa et Europa. Inde est quod mulier abscondit fermentum in tribus satis farinæ, donec fermentaretur totum. Inde est quod in cruce titulus Hebraice, Græce et Latine scribitur. Capiunt igitur apostoli tres pisces, et centum quinquaginta; quoniam eorum exemplo et sermone ducuntur quicunque ex his tribus mundi partibus ad Ecclesiam veniunt. *Dicit eis Jesus: Venite, prandete; et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes quia Dominus est. Et venit Jesus, et accepit panem, et dabat eis, et piscem similiter.* Quotidie nos Dominus ad prandium invitat. Quotidie nobis et panem et piscem apponit. Quotidie nobis cibum evangelicum, et sui corporis, et sanguinis delicias administrat. Dum enim hæc Evangelia legimus, sui panis cibos nos in terris reficit. Hic et piscem assum nobis tribuit, quia qualiter passus est hic invenimus (1381). Nec bene Christi retia trahere possunt, qui his cibis assidue non reficiuntur. *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis.* De illis hic manifestationibus loquitur, quæ vel omnibus, vel pluribus in unum collectis factæ sunt.

LV. *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his?* Dicit ei: *Etiam, Domine: tu scis quia amo te.* Interrogat Dominus Petrum, an se diligat, quem semper et ubique majorem amoris affectionem erga se ostendere videbat. Sic modo superius, cum cæteri ad eum navigio venissent, ipse moras navis exspectare non potuit, sed amoris immensitate cogente, in mare se præcipitavit, ut velocius ad Dominum venire potuisset. *Simon,* inquit, *Joannis, diligis me plus his,* qui tui amoris affectum erga me ostendis, plusquam hi? *Dicit ei: Etiam, Domine: tu scis quia amo te.* Etiam, Domine, amo te, et tu scis quia amo te. Scis etiam quantum diligo te. Ego autem nescio, an plus cæteris diligam te. *Dicit ei: Pasce agnos meos.* Non vult Dominus suos agnos alii committere, 234 nisi illi qui eos diligit, quos ipse tantum dilexit, et pro eis mori dignaretur. Et ideo prius Ecclesiæ pastorem interrogat, an sese diligat? et sic postea ad pascendum suos agnos ei committit (1382). *Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me?* Ait illi: *Etiam, Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me?* Tunc Petrus contristatus, et timens se a Domino habere suspectum, quia dixit ei tertio, amas me? respondit dicens: *Domine, tu omnia scis: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oves meas.* Prius agnos, deinde oves ei commisit; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres: regit, et subditos, et prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves, in Ecclesia nihil est. Nihil, inquam, quod suis pastoribus Dominus commiserit. Ecce Petrus, qui ter negaverat, ter Dominum se amare respondit: quatenus amor deleat culpam, et dilectio tollat offensam (1383). Et dicit ei Jesus: *Amen, amen, dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.* Quod quid significet, Evangelista exponens ait: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* In crucis namque patibulo positus beatus Petrus, ibique manus extendens, ab aliis cinctus et ligatus est. Et merito, postquam ter Dominum se amasse respondit, mortem suam ei Dominus nuntiavit, in quo quantum

(1379) Aliter, sed eleganter Chrysolog. l. all.: « Ex Judæis et gentibus centenarium numerum duplicat, qui duorum vitam salutemque jungit populorum. »

(1380) Vid. de hoc numero disserentem S. Aug. tract. 122; S. Greg. hom. 24, n. 4, etc.

(1381) Aug. l. all.: « Piscis assus, Christus est passus. Ipse est et panis vivus qui de cœlo descendit; huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam. » Vid. etiam S. Gregor. hom 24, num. 5.

(1382) S. Aug. tract. 123: « Merito dicitur Petro: *Diligis me?* et respondet: *Amo te,* eique refertur, *Pasce agnos meos,* et hoc iterum, hoc tertio... non ergo nos sed ipsum amemus, et in pascendis ovibus ejus ea, quæ sunt ejus, non ea quæ sunt nostra quæramus... Non sint ergo seipsos amantes qui pascunt oves Christi, nec tanquam suas, sed tanquam ipsius eas pascant; et velint ex illis suos lucra conquirere, sicut amatores pecuniæ; vel eis dominari, sicut elati; vel gloriari de honoribus quos ab eis sumant, sicut superbi, » etc. Vid. in hæc verba serm. 146, 147.

(1383) Ambros. in Apolog. Dav. c. 9: « Nonnulli ideo trinam interrogationem dilectionis factam esse dixerunt, quia trina fuerat negatio; ut trinæ lapsum negationis professio charitatis toties repetita deleret. » Isidorus Pelusiot. lib. I, epist. 103: « Triplex Domini ad Petrum de charitate interrogatio, a Domini ignoratione proficisci minime existimanda est, ne ita quidem decipiantur; verum triplicem negationem tripliei assensione bonus medicus depulit. » Non sunt Augustin. quoque verba tract. 123: « Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori fecunda serviat quam timori, et plus vocis ei esse videatur mors imminens quam vita præsens. »

Digitized by Google

um dilexerit apertissime demonstravit. Unde et ubditur :

LVI. *Et cum hoc dixisset, dicit ei : Sequere me.* Si ne, inquit, diligis, sequere me, veni post me, imiare me. ut sicut ego pro te, ita et tu moriaris pro ne. Hoc autem audiens beatus Petrus, et mente, et edibus cœpit ire post Jesum. *Conversus autem vidit llum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, ui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit : Domine, quis est qui tradet te?* Pluribus in locis oannes apostolus de seipso loquens ait : *Hic est liscipulus ille, quem diligebat Jesus;* quasi vel solum psum, vel præ cæteris ipsum unum dilexisset. Chritus autem, si aliquem plus diligebat, eum utique lus diligebat, qui cæteris melior erat. Quod autem mnes diligeret, ipse ostendens, ait : « Sicut dilexit ne Pater, et ego dilexi vos (*Joan.* xv, 9). » Perfecte gitur diligebat omnes. Non ergo plus diligebat Joanem, quia perfecta dilectione nulla dilectio major st. Sed dicis : Ille melior est, qui plus diligitur a Domino. Et ego dico quia ille melior est, qui plus iligit Dominum. Non facile igitur patet quis melior it, an Petrus, an Joannes? Quod enim Petrus plus iligat Dominum, ostendit etiam ipse Dominus, dum icit : *Simon Joannis, diligis me plus his?* Quod vero oannes plus diligatur a Domino, ipse manifestat icens : *Hic est discipulus, quem diligebat Jesus.* Ioc ergo, quia ad litteram non procedit, significationem videamus. Quid enim per Petrum, nisi vita ctiva? Quid per Joannem, nisi vita contemplativa esignatur? (1384) Iste enim et uxorem, et prolem abuit. Ille semper in virginitate perseveravit. Istum d laborem, illum ad quietem Dominus invitat. Isti icit : *Sequere me.* De illo dicit : *Sic eum volo mahere, donec veniam, quid ad te?* Fatigatur enim semer, et transit vita activa : manet vero, et quiescit ontemplativa. Unde in Canticis canticorum dicitur : Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque amporum, ut non suscitetis neque evigilare faciatis ilectam, donec ipsa velit (*Cant.* xi, 7). » Nota modo, uod ipsa quoque vita *dilecta* dicatur, quæ per hunc ilectum significatur. Ipse quoque Joannes hoc in loco itam contemplativam se significare ostendit, dum se supra 295 pectus Jesu recubuisse dicit. Illi enim recumbunt supra pectus Jesu, qui sapientiæ et scientiæ operam dant, et qui lectioni vacant, et contemplationi. Si ergo Petrus significat vitam activam, Joannes autem contemplativam, plus utique diligit Dominus Joannem, quam Petrum, id est illam vitam quæ significatur per Joannem, quam illam quæ significatur per Petrum, quamvis æqualiter diligat Joannem et Petrum. *Hunc ergo cum vidisset Petrus, dicit Jesu : Domine, hic autem quid?* De me, inquit, jam scio. Certus sum de morte mea. Nuntiasti mihi passionem meam. Volo etiam scire, qua morte te clarificet iste frater, et conservus, et socius meus. *Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere donec veniam. Quid ad te? Tu me sequere.* Tu, inquit, me sequere. Tu, sicut ego, crucem ascende. Tu eamdem, quam ego, mortem patere. Hunc autem sic volo manere. Non cruce, non persecutoris gladio, non aliqua violentia volo eum vitam finire ; sed in pace et quiete diem ultimum terminare (1385). Veniam ad eum, et quando mihi placuerit, vocabo eum. Nemine cogente, sed ipso volente, et me vocante, de pace in pacem, de quiete in quietem transferam eum. Legitur enim (1386) quod beatus Joannes, longo jam senio confectus, cum in pace et quiete Ecclesiam regeret apud Ephesum, populum ad se convocans, post longam allocutionem, et missarum celebrationem, in locum juxta altare defossum descendit, et ita quasi somno quodam levi atque suavi ad Deum transivit. Quid est igitur : *Sic eum volo manere?* Quid est *sic* ? Sic, inquit, ut a nemine occidatur, sed me vocante, suaviter et jucunde de hac vita in aliam transferatur. *Exiit ergo sermo iste inter fratres, quod discipulus ille non moritur. Et non dixit Jesus : Non moritur, sed : Sic eum volo manere, donec veniam. Quid ad te?* Non bene ergo discipuli intellexerant id quod Dominus de Joanne dixerat, *sic eum volo manere, donec veniam.* Non enim his verbis Jesu significatur, quod Joannes non moriatur. Si enim hoc his verbis significaretur, nequaquam Joannes dixisset : *Et non dixit Jesus : Non moritur, sed : Sic eum volo manere, donec veniam.*

(1384) Alia est Augustini explicatio tract. ult. in oan.: « Hæc igitur Ecclesia, quam significabat Petrus, uandiu degit in malis, amando et sequendo Christum iberatur a malis... Est autem alia vita immortalis, uæ non est in malis. Ibi facie ad faciem videbimus uod hic per speculum et in ænigmate videtur, quanlo multum in conspicienda veritate proficitur. Duas taque vitas sibi divinitus prædicatas et commendatas ovit Ecclesia; quarum est una in fide, altera in pecie; una in tempore peregrinationis, altera in eternitate mansionis; una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria; una in opere ctionis, altera in mercede contemplationis, » etc.

(1385) Nota est explicatio S. Aug. l. all. n. 6 : « Quantum sapio, quantum capio, quid est hoc? isi tu me sequere per imitationem perferendi emporalia mala, ille maneat, donec sempiterna enio redditurus bona. » Sed Petrus Damiani ser. 4 : « *Sic eum volo manere*, etc. Qui enim Petrum oluit secum in crucis patibulo triumphare, ipse decrevit Joannem in ecclesiastica pace quiescere. »

(1386) Scripsit hoc Gregorius Turonensis lib. I De glor. Mart. c. 30 : « Joannes vero apostolus et evangelista Dei, post peractum tam agonis legitimi, quam prædicationis saluberrimæ cursum, vivus descendens in tumulo, operiri se humo præcepit. Cujus nunc sepulcrum manna in modum farinæ hodieque eructat, ex qua beatæ reliquiæ per universum delatæ mundum salutem morbis præstant... de hoc et post resurrectionem dixit : *Sic eum volo manere* donec veniam, » Et lib. I Hist. Francor., n. 24, de Domitiano loquens : « Post cujus mortem B. Joan. apostolus et evangelista exsilio redlit ; qui senex et plenus dierum perfectæque in Deum vitæ, vivens se deposuit in sepulcro. Hic fertur non gustare mortem, donec iterato Dominus judicaturus adveniat, ipso in Evangelio ita dicente : *Sic eum volo manere, donec veniam.* » Vide S. Augustin tract. 124.

Digitized by Google

Quid enim aliud dixit Jesus, nisi id, quod ejus verbis significabatur ? Non enim tantum attendimus verba, quantum verborum significata (1387). *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his. Et scripsit hæc, et scimus quia verum est testimonium ejus. Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros.* Hic modus locutionis hyperbole dicitur a grammaticis (1388), quod *fidem excedens* interpretatur. Excedit enim audientium fidem, neque facile creditur, quod taliter A diciter. Sic enim et David de Saul et Jonatha loetus est quod essent aquilis velociores, leonibus fortiores. In his tamen non verba ipsa, sed loquendi intentionem attendere debemus. Potest autem et sic intelligi, quod, si omnia scriberentur, quæ fecit Jesus, mundus ipse eorum occulta mysteria et profundas significationes ad plenum capere et intelligere non posset. Et ideo pauca de pluribus eligit, ut facilius intelligantur, diligentius quærantur, fide credantur, et memoriæ tradantur.

(1387) Vetus tamen fuit hæc opinio, Joannem mortuum non esse, ut intelligere licet ex Tertulliano, De anima cap. 50 ; ex Ephremio ap. Photium cod. 229. Augustinus quoque tract. 124, n. 2 : « Sed cui placet adhuc resistat, et dicat verum esse quod ait Joannes, non dixisse Dominum, quod discipulus ille non moritur ; sed hoc tamen significatum esse talibus verbis, qualia cum dixisse narravit : et asserant apostolum Joannem vivere, atque in illo sepulcro ejus, quod est apud Ephesum, dormire eum potius quam mortuum jacere, contendat. Assumat in argumentum, quod illic terra sensim scatere, et quasi ebullire perhibetur ; atque hoc ejus anhelitu fieri, sive constanter, sive pertinaciter asseveret... Quem tradunt, quod in quibusdam scripturis quamvis apocryphis reperitur, quando sibi fieri jussit sepulcrum, incolumem fuisse præsentem : eoque effosso et diligentissime præparato, ibi se tanquam in lectulo collocasse, statimque eum esse defunctum : ut autem isti putant, qui hæc verba Domini sic intelligunt, non defunctum, sed defuncto similem exhibuisse ; et cum mortuus putaretur, sepultum fuisse dormientem : et donec Christus veniat sic manere, suamque vivacitatem surrigine pulveris indicare ; qui pulvis crebrius, ut ab imo ad superficiem tumuli ascendat, fine quiescentis impelli. Huic opinioni supervacaneum existimo reluctari, » etc.

(1388) Aug. ib. n. 8 : « Hunc loquendi modum Græco nomine, non solum Græcarum, verum etiam Latinarum litterarum magistri hyperbolen vocant : qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis divinis litteris invenitur. »

EXPLICIT LIBER DILIGENTIS LUCIDÆQUE EXPOSITIONIS.

? Bib. Com. in Revelation.

S. BRUNONIS ASTENSIS

EPISCOPI SIGNIENSIS

EXPOSITIO IN APOCALYPSIM.

PRÆFATIO EDITORIS.

296 Non ut eadem repetamus, quæ hoc de commentario in præfatione generali diximus, iterare operæ pretium fari volumus, sed aliqua addenda sunt, ut hujusmodi S. Brunonis interpretatio majori in pretio habeatur. Haud parum ad ejus æstimationem confert ipsius commentatoris testimonium, fatentis se Apocalypsin interpretasse, cum Signiensis Ecclesiæ administrationem reliquisset ; adeoque in secessu Casinensi monachus, jamque maturæ esset ætatis hoc opus perfecit. Eo enim tempore rerum spiritualium meditationibus, sanctorumque Patrum lectionibus omnino vacans, satius librum hunc mysteriis altissimis plenum scrutari et introspicere valuit. Additur etiam, ut cum plures annos in episcopatu egisset, in quibus episcopalis muneribus et legationibus perfunctus fuerat, Ecclesiæ universæ faciem agnoscens, in exponenda Apocalypsi, quæ ad septem episcopos Asiæ scripta est ; de officio et sanctitate episcopi, de clericorum moribus, deque vita Christiana docte et opportune disseruit. Neque hæreticorum errores, Simoniam præsertim et schisma insectari omisit, quæ duo mala tunc temporis Ecclesiam latius infestabant. Hic non inopportunum erit animadvertere hujusmodi Brunonis commentarium quam mirabiliter conferat ad confirmandam Apocalypsis veritatem, et auctoritatem contra hæreticos, qui eam labefactare et evertere conati sunt. Nemo enim consentientibus plurimis tum Græcis, cum Latinis Patribus in dubium revocare audebit hac in revelatione statum futurum Ecclesiæ, a Christo Domino institutæ, variis sub imaginibus adumbrari, iisque fideles præmoneri, ne se subripi a diabolo sinant, neve ab evangelicæ legis observantia deficiant. Multimodis probanda est eorum fides, præcipue in mundi fine per Antichristum, atque per ejus asseclas, hæreticos scilicet, quorum versutiæ, hallucinationes, et falsa dogmata adeo incautos, et a vero depravatos invadent, ut miserrime, si ipsis crediderint, sint perituri. Decebat ergo infinitæ Dei misericordiæ, ut qui tot ante sæcula per prophetas, et per figuras primum Redemptoris hominum adventum mundum annuntiare fecerat, ut vias ejus ipsi pararent, id est, ut se paratos ad eum digne recipiendum redderent ; de secundo ejusdem adventu in terram eos præmoneret ; quando scilicet consummata fuerint omnia ab æterno stabilita, eritque tempus quo Christus, supremus judex, justos gaudiis, malos æternis pœnis destinabit. Ad hoc enim quidquid in Veteri Novoque Testamento scriptum est, cum rei-

pœni

Digitized by Google

ratur ; hanc oportebat veritatem talibus rationibus et argumentis suffultam tradere, ut, nisi quis lucem pro tenebris accipere voluerit, de ea omnino persuasus esset. Cum hæc ergo tractanda et illustranda sibi proposuisset auctor noster, in septem libros totam S. Joannis evangelistæ revelationem distribuit ; quibus arcana singula, figurativis signis involuta detexit, et a præcipuis aliarum scripturarum testimoniis confirmari demonstravit. Neque silentio præteribo peculiarem hanc S. Brunoni laudem esse tribuendam, quod paucos inter Patres sit collocandus, qui totum Apocalypsis librum suis commentariis locupletarunt : nam quamvis loca aliqua a pluribus interpretata inveniantur ; quos inter S. Hippolytum, et Cassiodorum nominabo ; pauci tamen a capite ad calcem exponere aggressi sunt. Spero etiam mihi pergratos fore lectores, quod hac in editione non interpolatam, ut Marchesius publicavit, sed integram totamque perfectam, S. Brunonis expositionem in Apocalypsim habebunt, cum in ea ex collatione duorum codicum optimæ notæ Bibliothecæ Vaticanæ, et editionis Lugdunensis Bibl. PP. tom. XX, in quo edita est Expositio auctoris in Apocalypsim, plura loca integra clarioraque restituta sint.

PRÆFATIO AUCTORIS.

297 « Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta quot verba. Parum dixi, et pro merito voluminis sui omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ (1389). » His enim paucis verbis beatus Hieronymus (cujus auctoritate et prudentia non parum S. Ecclesia roboratur) aperte demonstrat, quantæ liber iste sit dignitatis. In cujus expositione, ideo nos post multos alios qui eum exposuerunt, laborare curavimus; quoniam et si sententias bene sint executi, in visionum tamen continuatione, distinctioneque parum quid dixisse videntur. Quamvis id ipsum, propter hoc ipsum, quidam amicorum meorum me facere rogaverunt, quorum utique petitioni et voluntati parere idoneum æstimavi. Et prius quidem quam ad episcopatus dignitatem, Christo Domino, non meis meritis, me cante, conscenderem, Ingoni Astensi episcopo salterium, Senensibus vero canonicis, cum quibus ipse qualiscunque canonicus victitabam, Cantica canticorum, prout potui, exposui ; post episcopatum autem hanc beati Joannis Apocalypsim, propter causam superius memoratam, et ante hanc, prophetarum nobilissimum Isaiam, rogatu Damiani venerabilis abbatis, satis compendiose lucideque disseruí. Hunc igitur librum, de quo nunc loquimur, septem libris determinavi ; quoniam et si plures habeat, septem tamen ejus principales sunt visiones, quarum et si verba diversa, sententia tamen pene eadem esse videtur. In omnibus enim Ecclesiæ persecutiones narrantur, præter quod in ultimo cœlestis Jerusalem ædificia describuntur. Primus quidem liber de septem Ecclesiarum, totidemque A angelis, in quibus omnes usque ad consummationem sæculi significantur, abundanter loquitur, suaque unicuique præmia victori promittit. In secundo autem a principio nascentis Ecclesiæ incipiens, in septem sigillis aperiendis, omnia ejus usque in finem sacramenta, beatus Joannes (imo per eum Spiritus sanctus) comprehendit. In tertio vero a Christi prædicatione initium faciens, in septem angelis tubis canentibus, usque ad Antichristi adventum omnes Ecclesiæ persecutiones per ordinem narrans, post Henoch, et Eliæ mortem, et resurrectionem, Christo Domino, ad judicium veniente, finem facit. Similiter autem et in quarto a Salvatoris nostri sermone, sanctæque matris Ecclesiæ porta, et cruciatibus inchoans, sub specie bestiæ septem B capitibus deformatæ, quid et a quibus Ecclesia passa sit, usque ad universale judicium, librum prætendit. At vero in quinto iterum, sicut in aliis a capite incipit, et septem angelis septem iracundiæ Dei phialas plenas fundentibus, eadem, quæ in aliis significando, ad eumdem terminum venit. Sextus autem liber a Christo incipit, qui draconem antiquum suo tempore ligat et solvit, atque alios secunda morte damnando, alios vero secunda resurrectione beatificando (1390), illis infelicissimum, his gloriosissimum finem facit. In septimo vero relinquitur sabbatismus (1391) Dei, in quo servilis operationis nihil fit, nihilque narratur, sed tamen cœlestis Jerusalem ædificia describuntur, quæ omnium generum lapidibus exornata, et duodecim margaritis per duodecim portas decorata, nullum nisi decorum in se recipit habitatorem. C

(1389) Sixtus Senensis Bibl. Sanct. lib. IV eadem verba usurpat ubi de libro Apocalypsis a Brunone Astensi suis interpretationibus illustrato testimonium præbet ; sed erronee Senarum episcopum appellat, cum Signiensem dicere debuisset. Eadem dixerat S. Dionysius Alexand. cujus verba refert Calmetus art. 1, præf. in Apoc. Cassiodori brevis commentarius in Apocalypsim una cum commentario in Epistolas D. Pauli editus fuit a March. Scipione Maffeio Florentiæ ex typographia Josephi Manni, an. 1721, et Joanni Gastoni Magno Etruriæ principi dicatus.

(1390) Cod. Vat. *beando*.

(1391) Cod. Vat. *populo Dei*.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

298 (1392) *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet facere cito, et significavit, mittens per angelum suum, servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit Verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcunque vidit.* Hæc, inquit beatus Joannes, est Apocalypsis, id est revelatio, non mea quidem, sed Jesu Christi (1393). Væ enim prophetis, qui prophetant de corde suo. Unde et ad Jerusalem dicitur : « Prophetæ tui viderunt tibi falsa (*Jer.* VI, 31); » quales in libris Regum plures inveniuntur. Ut ergo apostolus et propheta se a talibus sequestraret, dicens, *Apocalypsis*, addidit, *Christi Jesu*. Sed unde, et a quo Christus eam accepit ? Vis audire a quo : *Quam dedit illi Deus.* (1394) Christus Jesus, et homo est, et Deus : secundum hominem autem mortalis, et ignorantiæ subditus : at vero secundum Deum immortalis, et omnia sciens. Deus ergo, id est divinitas, quæ in Christo erat, imo et est, dedit eam Christo Jesu. Quod nihil est aliud, quam Christus Jesus dedit hanc revelationem, hoc est ipse sibi. Quare autem eam dederit, requiritur : *palam facere servis suis*, id est, ut servis suis (1395) palam faceret et revelaret. Potest autem et sic intelligi, ut Pater eam Filio dederit; unde et ipse Filius ait : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo (*Luc.* X, 22). » Itemque : « Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me, Patris (*Joan.* VII, 16). » Sequitur : *Quæ oportet fieri cito ;* ea, inquit, Salvator noster servis suis palam fecit et revelavit quæ cito, et non post multum temporis fieri oportet. Nam et passiones martyrum hic enarrantur, quæ adhuc vivente apostolo fieri cœperunt. Denique ad summæ providentiæ intuitum omnia cito sunt, quamlibet multum morentur. *Et significavit, mittens per angelum suum servo suo Joanni.* Significavit, inquit, palam fecit, et revelavit. Hoc (1396) autem per angelum suum mittens principaliter servo suo Joanni, qui cæteris conservis eam manifestaret. Sed quis est iste Joannes, qui testimonium perhibuit Verbo Dei ? Quale testimonium ? « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Unde et ipse ait : « Hic est discipulus ille qui testimonium perhibuit de his, et scripsit hæc, et scimus quia verum est testimonium ejus (*Joan.* XXI, 24). » Sed unde testimonium Dei Verbo perhibuit ? Omnium quidem quæcunque vidit. Sic et in Epistola sua ait : « Quod fuit ab initio, quod audivimus de Verbo vitæ, et manus nostræ tractaverunt, annuntiamus vobis (*I Joan.* I, 1). »

Beatus qui legit, et qui audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt. Quam sit laudabilis hæc prophetia (1397), his verbis declarat. Beatus, inquit, non solum qui legit verba prophetiæ hujus (quod quidem paucorum est), verum etiam et qui audit quod pene omnibus datum est. Sic tamen si servat ea quæ in ea scripta sunt. Magna quidem est promissio, sed laboriosa est observatio. Unde et Apostolus ait. « Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (*Rom.* II, 13). »

Tempus prope est. Prope, inquit, tempus est quo et ista compleantur, et Christus ad judicium veniens sua præcepta servantibus merita retribuat. Unde et in fine hujus libri dicit : « Ecce venio velociter, beatus, qui custodit verba prophetiæ libri hujus (*Apoc.* XXII, 27). »

Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in **299** *Asia, gratia vobis, et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est.* Quæ sunt autem istæ septem Ecclesiæ, in sequentibus declaratur. His autem beatus Joannes hanc Apocalypsim mittens, ait : *Gratia vobis et pax ;* quoniam ad gratiam et bonam voluntatem, et ad summi Dei pacem reconciliati estis. (1398) Hic autem ab eo qui est, quem Judæi non esse putant, et qui erat prius etiam quam de Virgine nasceretur. Et qui venturus est, mundum videlicet judicare, atque unicuique secundum merita dare.

Insuper et a septem spiritibus, qui in conspectu

(1392) « Quidam prologus præmittitur, ut præsentis libri dignitas breviter indicetur : dicit enim Joannes apostolus, a Domino Christo visionem de fine sæculi sibi monstratam, et per quem, et cur sit ostensa monstratur : ut tanta veritate patefacta, et confidentiam devotus acciperet, et metum infidelium conscientia reperiret. Laudatur etiam qui hæc legere vel custodire maluerit, ut talibus promissionibus invitatus devotorum animus ardentius excitetur. » Cassiodorus in Apoc., n. 1 edit. Florent., 1721.

(1393) « Apocalypsis Evangelium Jesu Christi redivivi merito dicitur; cum in eo præcipue docuerit quæ ab exordio Ecclesiæ ad ejus consummationem sunt eventura. Priora Evangelia actiones et præcepta Christi referunt, quibus nova Ecclesia instruenda erat; sed pauca de futuris eventibus complectuntur. » Sassy in Comment.

(1394) « Sed quis est iste Dominus, qui est, qui fuit, et qui veniet, evidenti relatione patefecit : protestans ipsum Dominum Christum, qui nos redemit sanguine pretioso. Dicit etiam, qualis veniet in secundo adventu suo, qualemcunque illum homines declarata potestate visuri sunt : nam ipsum esse primum, et novissimum, et omnipotentem, ipsius quoque divinitatis voce confirmat. » Cassiod.

(1395) Cod Vat., *palam eam.*

(1396) Cod. Vat. omittit *autem.*

(1397) Cod. Vat. in his verbis declaratur : « Beatus est, inquit, non solum, » etc.

(1398) Cod. Vat. *Hoc autem.*

Digitized by Google

ejus throni sunt (1399). Ilos autem septem spiritus, sive magis septem Spiritus sancti gratias propheta enumerans ait : « Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI, 2). » Hi autem in conspectu throni ejus esse dicuntur, per quem Christi humanitatem, et vel sanctam Ecclesiam intelligimus. Nunc autem ad superiora revertimur (1400). Nam quoniam indeterminata dixerat, *ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est*, ut sciretur de quo loquebatur, subjunxit : *Et ab Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.* Testis namque fidelis ille est, qui ait : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* X, 32). » Ipse enim quotidie interpellat pro nobis ad Patrem. Est autem et primogenitus mortuorum, quoniam nemo ante ipsum ad immortalitatem a mortuis resurrexit. Omnes enim iterum mortui sunt, quicunque ante eum resurrexerunt. Potest autem et sic intelligi, ut non solum eorum qui tunc, quando ista dicebantur, vivebant, verum etiam qui jam pridem mortui erant, ipse sit primogenitus. (1401) Unde et primogenitus alibi dicitur, ante omnem creaturam (*Eccli.* XXIV, 5). Est autem princeps regum terræ, utpote Rex regum, et Dominus dominantium. Merito igitur gratia et pax ab eodem nobis donari dicitur, quoniam per ipsum reconciliati sumus, cooperante videlicet Spiritu sancto, in quo sumus regenerati et illuminati.

Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. (1402) Quantum nos ipse dilexerit apertissime demonstratur, cum pro nobis omnibus mori non dubitaverit. Nam sicut ipse ait : « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV, 13). » Lavit autem nos in sanguine suo, qui ideo ex ipsius latere simul cum aqua defluxit, ut non solum nos redimeret, verum etiam a peccatorum sordibus emundaret.

Et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo, et Patri suo, ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen. A privilegio majoris partis regnum nostrum sacerdotes appellat, quoniam non tyranni et homicidæ, sicut in aliis, imo sacerdotes et episcopi in Ecclesia Dei obtinent principatum. Nam et secundum apostolum, totum regnum nostrum in sacerdotio consistit, qui omnes sacrificare præcipiens, ait : « Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem (*Rom.* XII, 1). » *Ipsi* autem sit, *gloria*, jam fugatis et victis inimicis, *et imperium*, quia ubique dominatur. Hoc autem non ad tempus, ut imperatoribus Romanis contigit, sed *in sæcula sæculorum.* Quod nos quidem confirmantes, lætabundi omnes dicamus : *Amen* (1403).

Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ ; etiam : Amen. Legitur enim in Actibus apostolorum, quod cœlos ascendentem nubes eum susceperit ab oculis eorum, deinde angeli dixisse memorantur. « Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I, 15). » In nube ergo veniet, siquidem in nube ascendit. Possumus autem et per nubes, prophetas et apostolos intelligere, per quorum doctrinam, quasi per pluviam fides in Ecclesia germinavit. Cum his autem ad judicium veniet, quoniam et ipsi judices erunt. Et videbit eum omnis oculus, non solum sanctorum, verum etiam Judæorum, qui eum crucifixerunt et occiderunt : ut et illi de fide gaudeant, et isti de sua perfidia doleant (1404). *Et plangent se super eum omnes tribus terræ ;* alii quidem præ gaudio, alii vero præ timore ; alii quia parum, alii quia nihil ei servierunt. Quod autem subditur, *etiam, amen*, quorum alterum est Latinum, alterum Hebræum, confirmatio est eorum **300** quæ dicta sunt, (1405) ut omnes, et Latini et Hebræi, eum regem et judicem clament. Neque dicent : « Non habemus regem, nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15), » cum regem viderint etiam supra Cæsarem.

Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus qui est, et qui venturus est omnipotens. Hæc enim duo elementa sic in Græcorum alphabeto posita sunt, ut alterum primum, alterum ultimum locum obtineat. Est ergo Christus alpha et omega, primus et novissimus, initium et finis ; primus ante omnia, finis post omnia, a quo cuncta procedunt, ad quem cuncta redeunt (1406) ; intra quem omnia, extra quem nihil ; ad quem qui pervenerit, ultra non habet, quo vadat. Et ipse quidem revera est, quoniam semper est. Ipse est qui erat, quoniam in

(1399) Dividuntur commentatores in hujusce loci interpretatione : opinantur aliqui intelligendos esse angelos, quorum proprium est astare ante thronum Dei ; alii autem aiunt expressum esse Spiritum sanctum, cujus sunt septem dona, vel gratiæ, quorum sententiam secutus videtur S. Bruno.

(1400) Cod. Vat. : *Nunc autem ad superiora revertitur.*

(1401) Cod. Vat. : *Alibi dicitur ante omnem creaturam.*

(1402) Cod. Vat. : *Quantum enim.*

(1403) Cod. Vat. : id est *fiat.*

(1404) Hoc idem prædictum fuerat a propheta Zacharia c. XII, 10 : « Aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem. »

(1405) Cod. Vat. : Ut cum Latini et Hebræi eum occiderent, Latini et Hebræi regem et judicem clament. Neque dicent, Non habemus judicem nisi Cæsarem, cum regem viderint etiam super Cæsarem.

(1406) Hæc concordant cum Apostolo, qui ad Rom. II, 36, dixit : « Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. »

Digitized by Google

principio erat, ipse etiam ventarus est, ut supra dictum est.

Ego Joannes frater vester, et socius in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu : fui in insula quæ vocatur Pathmos propter verbum Dei, et testimonium Jesu : fui in spiritu in Dominica die (1407), *et audivi post me vocem magnam, tanquam tubæ, dicentis* (1408) : *Quod vides, scribe in libro et mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, et Smyrnæ, et Pergamo, et Thyatiræ, et Sardis, et Philadelphiæ, et Laodiciæ.—Ego*, inquit, *Joannes*, Dei gratia interpretatus, per Dei gratiam in apostolatum electus, *frater vester*, quem, sicut vos, ex aqua et Spiritu sancto sancta mater Ecclesia genuit. *Et socius in tribulatione*, ne vos in tribulationibus deficiatis, quas me quoque apostolum et doctorem vestrum ferre videtis. *Socius et in regno*, et eadem perferentes, eamdem quoque gloriam suscipiamus. *Et in patientia* socius, ut et vos, sicut ego, magis pati velitis, quam de injuria vindicare : quam utique patientiam in Christo fuisse audistis, qui cum se defendere posset, mortem tamen et crucem sustinuit. *Ego*, inquit, *fui in insula, quæ vocatur Pathmos, propter verbum Dei.* Lege historias, et invenies beatum Joannem, propter insuperabilem evangelizandi constantiam, et quia testimonium perhibebat Jesu, in Pathmos insulam in exsilium missum (1409). Vidit hanc visionem *in Dominica die*, ut eam ipsius esse non dubitaret, cujus est dies. Præcipitur autem sibi, ut quod in spiritu videt, in libro scribat, et septem Ecclesiis mittat, ut per has septem, omnes alias mundi Ecclesias intelligamus. De his autem et propheta olim prædixit. « Apprehendent septem mulieres virum unum (*Isa.* IV, 1). » Et bene septem dicuntur, quoniam septem a septem spiritibus reguntur, et in septem diebus includuntur.

Et conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum, et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, et præcinctum ad mamillam zona aurea. Conversus namque ad spiritualem intelligentiam beatus Joannes vidit et intellixit vocem illam, quæ cum eo loquebatur. Convertere ergo et tu, quicunque hanc prophetiam intelligere cupis, ut nihil carnaliter sapiens, totus ad spiritualem intellectum rapiaris. Septem autem candelabra aurea, sicut in sequentibus demonstratur, septem sunt Ecclesiæ, quas sæpius memoravit. Et merito candelabris Ecclesiæ comparantur super quas, ut cæteris lumen præbeant, quasi lucernæ episcopi constituuntur. Unde et in Evangelio Dominus ait : « Nemo lucernam accendit, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt (*Matth.* V, 15). » Quæ ideo aurea fuisse memorantur, quoniam sicut aurum omnibus metallis præfertur ; ita et Ecclesia fulgore sapientiæ, et integritate fidei, et incorruptione virtutum, cunctis nationibus melior est. In medio autem similis filio hominis videtur, per quem Christum intelligimus, qui perfectus Deus, perfectusque homo est (1410). Dicitur autem vestitus podere, cane videlicet virginali et incorruptibili, quam nulla unquam macula denigrare valuit. Sed quid zona aurea circa mamillas, nisi sapientia **301** in corde? (Inter mamillas namque jacet cor.) Ut ergo omnes sapientiæ et scientiæ thesauros in Christo pectore reconditos demonstraret, zona aurea ejus (1411) mamillam præcinctam dixit. Si autem et sapientia fulget in pectore (hoc est enim zona aurea circa mamillas), cinge eam ne effluat, stringe ne amittas, dic cum Propheta : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (*Psal.* CXVIII, 11). »

Caput autem ejus, et capilli erant candidi, tanquam lana alba, et tanquam nix, et oculi ejus velut flamma ignis, et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti, et vox illius tanquam vox aquarum multarum. Caput ejus atque capilli lanæ et nivi comparantur, ut qui nuper in Judæa adolescens et juvenis apparuit, vetustus, et plenus dierum, et cunctis patriarchis et prophetis antiquior intelligatur. Ideoque et Judæis, quamvis sibi indignantibus, ipse dicebat : « Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum (*Joan.* VIII, 58). » Et quamvis hujus videretur esse ætatis, in qua et oculi caligare, et pedes lassescere, et vox deficere solet; attamen et oculi perspicaces, et pedes fortes, et vox sublimis, et cætera virilis valetudinis in eo esse videbantur. Possumus autem et per oculos ejus prophetas intelligere, qui claro et perspicaci intuitu, usque ad sæculi consummationem cuncta perspexerunt; per pedes vero aurichalco similes, apostolos virtutibus validos, sapientia claros, et charitatis igne accensos intelligamus, de quibus dicitur : « Quam speciosi

(1407) Ne Christiani judaizarent, apostoli diem post Sabbatum Deo consecrarunt, eumque diem Dominicam appellarunt, et hoc etiam præcipue in memoriam resurrectionis Christi et adventus Spiritus sancti.

(1408) Hæc est prima revelatio, quam habuit S. Joannes.

(1409) « In hac persecutione (Domitiani) Joannes apostolus idem et evangelista, qui etiam tum in vivis supererat, ob testimonium quod divino Verbo perhibuit, in insulam Pathmum traditur esse relegatus. » Eusebius, Hist. eccl. lib. III, cap. 18.

(1410) Juxta interpretes intelligendum Joannem non vidisse ipsum Christum, sed speciem Christi phantasiæ ejus objectam, et per angeli ministerium impressam; in spiritu autem elevatus B. evangelista omnia symbolice coram eo gerebantur, ut cum inferius dixit, se vidisse Deum in throno sedentem. Egregie autem scripsit in hunc locum Cassiodorus : « Memento autem has et alias hujusmodi visiones, quas Dominus servis suis declarare dignatus est, ad tempus esse pro rerum qualitate formatas, manente in excellentia sua natura deitatis. Cæterum natura ipsa, ut est divinitatis, nulli hominum viventi adhuc probatur ostensa ; quam post resurrectionem, sicuti est, se mundis cordibus patefacere compromittit. »

(1411) Cod. Vat. : *mamillas præcinctas.*

Digitized by Google

pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Rom.* x, 15). » Vox vero ipsius, quæ quasi aquæ multæ resonabat, sancta prædicatio, populique laudatio est, quæ ubique terrarum, cunctorum ore fidelium Dominum magnificat.

Et habebat in dextera sua septem stellas, et de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat : et facies ejus, sicut sol, lucens in virtute sua. Quod autem hæ septem stellæ septem sunt supradictarum Ecclesiarum angeli, id est episcopi, ipse in sequentibus apertissime demonstrat (1412). Hos autem in sua dextera Christus habet, quia in sua virtute eos disponit et regit. Gladius autem ex utraque parte acutus, qui ex ejus ore exibat, sermo ipse est; de quo Apostolus ait : Et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* vi, 17). » Itemque : « Vivus est Dei sermo, et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* iv, 12). » Utrimque autem acutus gladius iste dicitur, quoniam undique peccatores percutit. Facies autem Christi, sicut sol in meridie ita lucebat, quia, quamvis senex esset, senectutis tamen pallor, et macies in eo non apparebat. Ante hanc autem faciem, quando pervenerint, quasi sol in regno Dei sancti fulgebunt.

Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus ; et posuit dexteram suam super me dicens : Noli timere, ego sum primus et novissimus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis et inferni. Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc. Quasi mortuus cecidit beatus Joannes, quoniam adhuc mortalis tantam visionem ferre non potuit. Sic et Daniel post illam terribilem visionem cecidit, et egrotavit. Posuit autem Dominus dexteram suam super eum, quia suæ virtutis præsentia eum confortavit, et ait : *Ego sum primus et novissimus.* Hoc autem superius expositum est. *Et fui mortuus* secundum carnem. *Et ecce sum vivens in sæcula sæculorum.* Unde Apostolus, « Christus, inquit, semel mortuus est, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* vi, 9). » *Et habeo claves mortis, et inferni* (1413). Prius enim mors et diabolus hinc vagabantur, prius omnes inferni portæ apertæ erant, undique illuc concursus fiebat populorum : at vero quia nunc paradisi portæ apertæ sunt, clausæ sunt portæ mortis, in carcere et sub clave diabolus premitur : *Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt*, id est quæ modo in Ecclesia aguntur, *et quæ oportet fieri post hæc* (1414). Magnus iste liber, in quo præterita, præsentia et futura continentur.

Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextera mea, et septem candelabrorum aureorum : septem stellæ, angeli sunt septem Ecclesiarum, et septem candelabra septem Ecclesiæ. Expositio est superiorum, mysterium autem res est occulta, et figuraliter sive allegorice dicta (1415).

CAPUT II.

Et angelo Ephesi scribe : Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum **302** *aureorum : Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos, et tentasti eos, qui se dicunt esse apostolos, et non sunt ; et invenisti eos mendaces, et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti.* Episcopum Ephesiorum angelum appellat (1416), quoniam Christi legatione fungens Evangelium populo annuntiabat. Angelus enim *nuntius* interpretatur. Septem autem stellæ, septem episcopi sunt, quorum et iste unus erat; et est finitum pro infinito, per hos enim omnes alios intelliginus. Quos in dextera sua Dominus tenere perhibetur, quoniam non suæ, sed illius sunt ditionis, ipse eos regit atque gubernat, ipse inter mundi hujus turbines et tempestates sustinet, ne cadant. Stellæ autem ideo dicuntur, quoniam, ut Apostolus ait : « Sic inter peccatores fulgent, quasi luminaria in mundo (*Phil.* ii, 15). » Ambulat autem in medio (1417) candelabrorum aureorum, quæ septem Ecclesias superius significare dixit. (1418) Ambulat quippe in medio Ecclesiarum, quoniam sicut bonus paterfamilias, et greges, et pastores visitans, uniuscujusque vitam et opera considerat. Hinc autem supradictum episcopum, de opere, labore et patientia laudare incipit, quem in tantum mali persequebantur, ut eos sustinere non posset. Præterea neque falsis apostolis participare voluit, sed tentans eos, invenit mendaces; unde et illorum vitavit consortium, et quamvis multa pro Christi nomine sustinuerit, magna tamen præditus patientia non defecit.

Sed habeo adversum te pauca, *quia charitatem tuam primam reliquisti* (1419). *Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera*

(1412) Iidem episcopi, qui supra dicti sunt angeli, unde septem aurea candelabra, hic stellæ appellantur, propterea quod proprio et permanenti fulgore in Ecclesia fulgere debent. Dicitur autem Christus stellas illas in manu sua habere, quatenus episcopi in speciali ejus cura et providentia sunt.

(1413) Habeo potestatem hostes meos, et Ecclesiæ, morte et gehenna puniendi, eosque æque ac diabolum in morte et inferno concludendi, uti eos concludam in fine mundi. » Ita Andreas et Ricardus Victor.

(1414) Provocat hic ad persecutiones sub Trajano, aliisque imperatoribus persecuturis Ecclesiam.

(1415) Cod. Vat. caret divisione capitum, unde sequitur.

(1416) Plerique expositores contendunt hunc Ephesiorum episcopum fuisse S. Timotheum, ad quem D. Paulus duas Epistolas scripsit; idque ex Chronologia evincunt; si quidem Joannes anno Ch. 97 suam Apocalypsim scripsit; obiit autem Timotheus an. 109, Trajani 10, habuitque Onesimum in Ecclesia Ephesina successorem.

(1417) Cod. Vat., *septem.*

(1418) Id. cod. : *Ambulat quidem.*

(1419) Admonitus a Joanne Timotheus quod a primo charitatis fervore, nempe a zelo prædicandi verbi Dei exciderit, fortasse propter ætatem cum jam 40 annos in episcopatu ageret, et propter Ephesiorum resistentiam cultui Dianæ addictorum, novos resumpsit spiritus, vehementerque eorum redarguens impietatem, martyrio ab his affectus est.

Digitized by Google

hac. Sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Hunc enim, quem de labore et patientia multum laudaverat, quia ex culmine charitatis, quam prius magnam habuit, nunc cecidisse redarguit. Admonet ergo ut pœnitentiam agat, alioquin contra eum veniet, suumque candelabrum de loco suo movebit. Movetur autem candelabrum de loco suo, quando Ecclesia a proprio episcopo separatur; tantum ergo valet pœnitentia, ut eum iterum Ecclesiæ reconciliet, qui ab ea separari prius dignus fuerat.

Sed hoc habes bonum, *quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. Qui habet aures audiendi audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Reprehensus de charitate, de fidei tamen constantia laudatur. Nicolaitæ namque hæretici idolotithum edere jubebant, insuper et mulieres omnes volebant esse communes. (1420) Quod autem ait : *Qui habet aures audiendi audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*, procul dubio non corporis, sed cordis aures requirit. Lignum autem vitæ in paradisi (1421) nos docuit Moyses, de quo primo homini comedere interdictum est. Datur igitur vincenti, quod negatum fuerat victo. Vince igitur prius, et sic demum accede ad lignum vitæ, prius reseca vitia, pelle odia, supera inimicos, deinde comede. « Qui enim manducaverit et biberit indigne, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* II, 29). » Paradisus Dei Ecclesia est, hortus revera deliciarum, lignum vitæ caro Christi est; ligaum vitæ Dei sapientia est; de qua et dicitur : « Lignum vitæ his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam, beatus (*Prov.* III, 18). »

Et angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe (1422). *Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit : Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam ; sed dives es, et blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Nihil horum timeas, quæ passurus es.* Nam quia Judæi, priusquam carnem sumeret, Christum non fuisse dicunt; (1423) ideo primum se novissimum appellat. Non tamen secundum carnem se fuisse mortuum negat; verumtamen resurrexisse, quod illi non credunt, **303** et in æternum se vivere affirmat. Laudat autem Smyrnæ (1424) episcopum, non solum de tribulationibus per quas intraturi sumus in regna cœlorum, verum etiam de paupertate. Beatus igitur episcopus, qui sic sua distribuit, ut semper pauper vivat; talis enim dives est, sicut de isto dicitur. Unde et Apostolus ait : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* VI, 10). » Multi autem se Judæos esse dicunt, sed non sunt, in quibus verciter habitat Satanas : Judæus enim *confessor* interpretatur. Quicunque igitur Christum Dei Filium esse non confitetur, hic Judæus non est. Audi Apostolum : « Non enim qui in manifesto Judæus est, sed qui in abscondito; et circumcisio non carnis, sed spiritus (*Rom.* II, 28). »

Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem : esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Qui vicerit, non lædetur a morte secunda. Multa, inquit, passurus es, sed nihil timeas. Ecce enim diabolus, et membra ejus : ecce Nero, Diocletianus, et Maximianus, multos ex vobis in carcerem missurus est, ut tentemini, an fideles sitis; ut tentemini, si forte vos decipere valeant. *Et habebitis tribulationem diebus decem* (1425). Nullus enim numerus procedit ultra decem : omnis enim qui numerat, postquam ad decem pervenerit, iterum ab uno incipiens, ad decem usque recurrit, (1426) in numero ulterius progredi nescit, nisi tantum ab uno numerare incipiat. Quid igitur est tribulationem habere diebus decem ? hoc est tribulationem habere cunctis diebus. Sequitur : *Esto fidelis usque ad mortem.* Namque SS. martyres fideles exstiterunt, qui nec in ipsa morte Deum negaverunt. Sed quo fructu ? *Et dabo,* inquit, *tibi coronam vitæ.* « Nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » Quid est autem corona vitæ, nisi æternus immortalisque triumphus? Qui habet aures audiat quid per os meum Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit tentationes diaboli, non lædetur a morte secunda : primam enim mortem, quæ in corpore fit, nemo nunquam evadere potest; at vero a secunda, qua animæ a Deo separatæ æternis tradentur supplicii, solummodo sancti non lædentur (1427).

Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui habet romphæam ex utraque parte acutam : Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Diximus superius quod de ejus ore exibat gladius ex utraque parte acutus, quem hoc loco romphæam appellat, per quam

(1420) Nicolaum unum ex septem primis diaconis aliqui, ut Irenæus, Tertullianus, Hilarius et alii, quos citat Baronius tom. V., an. Christi 68, auctorem faciunt hujusmodi hæresis, alii excusant; Augustinus nempe hæres. 5, et Clemens Alexand. lib. III Strom; dicentes eos damnandos, qui ejus dicta sinistre intellexerunt.

(1421) Cod. Vat., *esse Moyses nos docuit.*

(1422) Putant commentatores hunc Smyrnæ episcopum fuisse S. Polycarpum ordinatum a S. Joanne Evang., ut refert S. Hieronymus, et certe his temporibus vixit. Vid. Cornel. a Lapide.

(1423) Cod. Vat. : *Ideo primum se vocat. Quia vero sicut cæteri homines mortuum putant, novissimum se appellat. Non tamen secundum carnem se mortuum fuisse negat*, etc.

(1424) Cod. Vat., *Ecclesiæ.*

(1425) Nonnulli censent, ut Beda, Haymo, Lyranus et Joachim, hic significari decem persecutiones Christianorum per Romanos imperatores excitatas, quæ a Nerone numerantur usque ad Diocletianum.

(1426) Cod. Vat., *inde vero ulterius progredi nescit, nisi iterum ab uno numerare incipiat.*

(1427) « Nolite timere eos, inquit Christus (*Matth.* x, 28), qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. » Hoc

Digitized by Google

judiciariam intelligimus potestatem. Laudat autem Pergami episcopum, quod etiam inter malos bonos exstiterit, et cum inter eos habitet, ubi (1428) sedes est Satanæ, in quorum corde diabolus sedet et regnat, nomen Christi tamen tenuit, verumque Christianitatis nomen habuit, et Christi fidem nunquam negavit.

Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat. Antipas, ut fertur, martyr quidam fuit, qui pro Christi nomine Pergami ab iniquis occisus est. Ait ergo : *In diebus illis, Antipas, qui fuit testis meus fidelis*, siquidem pro meo nomine occisus est. (1429) Apud vos, id est in civitate vestra, in qua, propter habitantium iniquitatem, ipse quoque magister eorum Satanas habitare dignoscitur. In diebus illis, inquam, Antipas et fides tua, subauditur, probata est, et quod ubi Satanas Pergami habitet, manifestum.

Sed habeo adversum te pauca, quoniam habes (1430) *tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari; ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Prædictus episcopus de fide laudatur, de negligentia reprehenditur, videlicet quod apud se hæreticos esse permiserit, et contra Nicolaitarum hæresim totis viribus non pugnaverit. Legitur autem quod Balaam propheta cum venisset ad Balac regem Moabitarum, et Dei populo malediceret, cumque ex, quia maledicere nolnit, et indignatus esset, propheta regi placere volens, consilium dedit ut venienti Israeli cibos pararet, atque mulieres apponeret quæ eos ad fornicationem incitarent; quod in quantam filiis Israel ruinam acciderit, lege historiam, et invenies (*Num.* XXIV, XXV). Hic autem Nicolaitarum hæresis similis fuit, qui idolothytis vesci et mulieribus promiscue uti licere docebant.

Similiter pœnitentiam age; si quominus **304** *veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.* Præcipitur et isti ut pœnitentiam agat; quod si non fecerit, cito ad eum Dominus veniet, id est subito eum judicabit, atque de hac vita vocabit, ne subsistat, alius pro eo subrogabitur, per quem contra hæreticos in sui oris gladio Christus pugnabit. Hoc autem episcopi audiant et viriliter pugnent, ne militare cingulum amittant. Hinc enim gladius uterque acutus, Novum est et Vetus Testamentum, ut qui novis credere nolunt, veteribus convincantur exemplis, (1431) et qui apostolis non credunt, prophetis credant. Disputo cum Judæo, non timet gladium Pauli, volvo ensem, necatur ab Isaia. Talis igitur est gladius Christi. (1432).

Vincenti dabo manna absconditum, et dabo ei calculum candidum, et in calculo nomen meum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit (1433). Quis pro tali sponsione non præliabitur ? Quis pro tanto munere (1434) non curret in hostem ? Et ego quidem manna absconditum illud esse puto quod olim suis discipulis Christus promittebat, dicens : « Et ego dispono vobis regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo (*Luc.* XXV, 9). » O manna absconditum ! (1435) o deliciæ incognitæ, beatus qui ad eas pergere valeat ! Sed quid per calculum candidum, nisi corpus immortale ? Calculum quidem, quia forte et impassibile, candidum autem, quia novum et mundum, et ab omni sorde purgatum (1436). In peccatoribus autem non candidus calculus, sed terra nigra, et caro corruptibilis videtur. Nomen autem novum in calculo scriptum, non est nostrum perscrutari quale erit. (1437). Mentior utique, quia dico quod nescio, nondum enim accepi : o utinam aliquando accipere merear ! Non dubito tamen multo melius et dignius esse isto, quo modo utimur, quo et homines vocamur.

Et angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos ut flamma ignis, et pedes ejus similes aurichalco : Novi opera tua, et charitatem, et fidem, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura a prioribus. Sed habeo adversum te, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetas docere, et seducit servos meos fornicari, et manducare de idolothytis. Quare autem Dei Filius oculos habeat ut flamma ignis, et pedes aurichalco similes, jam superius dictum est. Hunc quoque episcopum, sicut superiorem, de opere, charitate, et fide, de fide, et ministerio laudat, qui semper de virtute in virtutem proficiens se ipso semper melior fuerit. Reprehenditur tamen, quod mulierem Jezabel (1438) non redarguerit, quæ, prave prophetas exponendo, Dei servos peccare cogebat. Jezabel

rgo prima est corporis, mors secunda est gehenna.

(1428) Cod. Vat., *in quibus*.

(1429) Antipas sæviente in Christianos Domitiano episcopus Pergami publice Christum prædicabat, demonesque fateri coegit quod a se per Christi nomen invocatum fugarentur. Hinc a præfecto urbis captus, tractusque ad templum Dianæ, et in bovem æneum multo igne candentem conjectus, laudans et gratias agens Deo quod se hoc agone et laurea martyrii dignatus esset, in cœlum martyr evolavit ub an. Chr. 93, Domitiani decimo.

(1430) Cod. Vat., *illic*.

(1431) Cod. Vat. : « Et qui apostolos non audiunt, prophetis credant. »

(1432) Hoc signo caret cod. Vatic.

(1433) Cod. Vat., *Quis enim*.

(1434) Cod. Vat., *non currat*.

(1435) Manna absconditum est, nomen novum est, quod nemo scit, nisi qui accipit; non illud eruditio, sed unctio docet ; nec scientia, sed conscientia comprehendit. S. Bernardus lib. De convers. ad cleric. c. 21.

(1436) Cod. Vat. : « Peccatoribus autem non calculus canditus, sed terra nigra, et caro corruptibilis redditur. »

(1437) Cod. Vat. : « Quoniam nemo illud scit, nisi qui accipit. Quod enim nemo scit, si dico quale sit, mentior. Utique quia dico quod nescio. Nondum enim accepi. »

(1438) Alcazar pro Jezabel accipit Synagogam, id est Judæos, qui inexpiabili odio prosequebantur apostolos, et Christianos (sicut Jezabel prosequebatur Eliam et Dei cultores) eosque vel in mortem,

Digitized by Google

hac. Sin autem veniо tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Hunc enim, quem de labore et patientia multum laudaverat, quia ex culmine charitatis, quam prius magnam habuit, nunc cecidisse redarguit. Admonet ergo ut pœnitentiam agat, alioquin contra eum veniet, suumque candelabrum de loco suo movebit. Movetur autem candelabrum de loco suo, quando Ecclesia a proprio episcopo separatur; tantum ergo valet pœnitentia, ut eum iterum Ecclesiæ reconciliet, qui ab ea separari prius dignus fuerat.

Sed hoc habes bonum, *quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. Qui habet aures audiendi audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Reprehensus de charitate, de fidei tamen constantia laudatur. Nicolaitæ namque hæretici idolotithum edere jubebant, insuper et mulieres omnes volebant esse communes. (1420) Quod autem ait : *Qui habet aures audiendi audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*, procul dubio non corporis, sed cordis aures requirit. Lignum autem vitæ in paradisi (1421) nos docuit Moyses, de quo primo homini comedere interdictum est. Datur igitur vincenti, quod negatum fuerat victo. Vince igitur prius, et sic demum accede ad lignum vitæ, prius reseca vitia, pelle odia, supera inimicos, deinde comede. « Qui enim manducaverit et biberit indigne, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* II, 29). » Paradisus Dei Ecclesia est, hortus revera deliciarum, lignum vitæ caro Christi est; lignum vitæ Dei sapientia est; de qua et dicitur : « Lignum vitæ his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam, beatus (*Prov.* III, 18). »

Et angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe (1422). *Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit : Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam; sed dives es, et blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Nihil horum timeas, quæ passurus es.* Nam quia Judæi, priusquam carnem sumeret, Christum non fuisse dicunt; (1423) ideo primum se novissimum appellat. Non tamen secundum carnem se fuisse mortuum negat; verumtamen resurrexisse, quod illi non credunt, **303** et in æternum se vivere affirmat. Laudat autem Smyrnæ (1424) episcopum, non solum de tribulationibus per quas intraturi sumus in regna cœlorum, verum etiam de paupertate. Beatus igitur episcopus, qui sic sua distribuit, ut semper pauper vivat; talis enim dives est, sicut de isto dicitur. Unde et Apostolus ait : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* VI, 10). » Multi autem se Judæos esse dicunt, sed non sunt, in quibus vere citer habitat Satanas : Judæus enim *confessor* interpretatur. Quicunque igitur Christum Dei Filium esse non confitetur, hic Judæus non est. Audi Apostolum : « Non enim qui in manifesto Judæus est, sed qui in abscondito; et circumcisio non carnis, sed spiritus (*Rom.* II, 28). »

Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem: esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Qui vicerit, non lædetur a morte secunda. Multa, inquit, passurus es, sed nihil timeas. Ecce enim diabolus, et membra ejus : ecce Nero, Diocletianus, et Maximianus, multos ex vobis in carcerem missurus est, ut tentemini, an fideles sitis; ut tentemini, si forte vos decipere valeant. *Et habebitis tribulationem diebus decem* (1425). Nullus enim numerus procedit ultra decem : omnis enim qui numerat, postquam ad decem pervenerit, iterum ab uno incipiens, ad decem usque recurrit, (1426) in numero ulterius progredi nescit, nisi tantum ab uno numerare incipiat. Quid igitur est tribulationem habere diebus decem ? hoc est tribulationem habere cunctis diebus. Sequitur : *Esto fidelis usque ad mortem.* Namque SS. martyres fideles exstiterunt, qui nec in ipsa morte Deum negaverunt. Sed quo fructu ? *Et dabo,* inquit, *tibi coronam vitæ.* « Nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit (II *Tim.* II, 5). » Quid est autem corona vitæ, nisi victorinus immortalisque triumphus? Qui habet aures audiat quid per os meum Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit tentationes diaboli, non lædetur a morte secunda : primam enim mortem, quæ in corpore est, nemo nunquam evadere potest; at vero a secunda qua animæ a Deo separatæ æternis tradentur supplicii, solummodo sancti non lædentur (1427).

Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui habet romphæam ex utraque parte acutam : Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Diximus superius de ejus ore exibat gladius ex utraque parte acutus, quem hoc loco romphæam appellat, pe[ssi]mum se appellat. *Non tamen secundum carnem mortuum fuisse negat*, etc.

(1420) Nicolaum unum ex septem primis diaconis aliqui, ut Irenæus, Tertullianus, Hilarius et alii, quos citat Baronius tom. V., an. Christi 68, auctorem faciunt hujusmodi hæresis, alii excusant; Augustinus nempe hæres. 5, et Clemens Alexand. lib. III Strom; dicentes eos damnandos, qui ejus dicta sinistre intellexerunt.

(1421) Cod. Vat., *esse Moyses nos docuit.*

(1422) Putant commentatores hunc Smyrnæ episcopum fuisse S. Polycarpum ordinatum a S. Joanne Evang., ut refert S. Hieronymus, et certe his temporibus vixit. Vid. Cornel. a Lapide.

(1423) Cod. Vat. : *Ideo primum se vocat. Quia vero sicut cæteri homines mortuum putant, nonis-*

(1424) Cod. Vat., *Ecclesiæ.*

(1425) Nonnulli censent, ut Beda, Haymo, Lyranus et Joachim, hic significari decem persecutiones Christianorum per Romanos imperatores excitatas, quæ a Nerone numerantur usque ad Diocletianum.

(1426) Cod. Vat., *inde vero ulterius progredi nescit, nisi iterum ab uno numerare incipiat.*

(1427) « Nolite timere eos, inquit Christus (*Matth.* x, 28), qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. » Unde

Digitized by Google

judiciariam intelligimus potestatem. Laudat autem Pergami episcopum, quod etiam inter malos bonos exstiterit, et cum inter eos habitet, ubi (1428) sedes est Satanæ, in quorum corde diabolus sedet et regnat, nomen Christi tamen tenuit, verumque Christianitatis nomen habuit, et Christi fidem nunquam negavit.

Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat. Antipas, ut fertur, martyr quidam fuit, qui pro Christi nomine Pergami ab iniquis occisus est. Ait ergo : *In diebus illis, Antipas, qui fuit testis meus fidelis*, siquidem pro meo nomine occisus est. (1429) Apud vos, id est in civitate vestra, in qua, propter habitantium iniquitatem, ipse quoque magister eorum Satanas habitare dignoscitur. In diebus illis, inquam, Antipas, et fides tua, subauditur, probata est, et quod Satanas Pergami habitet, manifestum.

Sed habeo adversum te pauca, quoniam habes (1430) *tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari; ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Prædictus episcopus de fide laudatur, de negligentia reprehenditur, videlicet quod apud se hæreticos esse permiserit, et contra Nicolaitarum hæresim totis viribus non pugnaverit. Legitur autem quod Balaam propheta cum venisset ad Balac regem Moabitarum, et Dei populo malediceret, cumque non posset, quia maledicere noluit, et indignatus esset, propheta regi placere volens, consilium dedit ut filiis Israeli cibos pararet, atque mulieres apponeret quæ eos ad fornicationem incitarent; quod quantam filiis Israel ruinam acciderit, lege historiam, et invenies (*Num.* XXIV, XXV). Hic autem Nicolaitarum hæresis similis fuit, qui idolothytis vesci mulieribus promiscue uti licere docebant.

Similiter pœnitentiam age; si quominus **304** *veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.* Præcipitur et isti ut pœnitentiam agat; quod si non fecerit, cito ad eum Dominus veniet, id est celebrito eum judicabit, atque de hac vita vocabit, eo sublato, alius pro eo subrogabitur, per quem contra hæreticos in sui oris gladio Christus pugnavit. Hoc autem episcopi audiant et viriliter pugnent, ne militare cingulum amittant. Hinc enim gladius uterque acutus, Novum est et Vetus Testamentum, ut qui novis credere nolunt, veteribus convincantur exemplis, (1431) et qui apostolis non credunt, prophetis credant. Disputo cum Judæo, non timet gladium Pauli, volvo ensem, necatur ab Isaia. Talis igitur est gladius Christi. (1432).

Vincenti dabo manna absconditum, et dabo ei calculum candidum, et in calculo nomen meum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit (1433). Quis pro tali sponsione non præliabitur ? Quis pro tanto munere (1434) non curret in hostem ? Et ego quidem manna absconditum illud esse puto quod olim suis discipulis Christus promittebat, dicens : « Et ego dispono vobis regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo (*Luc.* XXV, 9). » O manna absconditum ! (1435) o deliciæ incognitæ, beatus qui ad eas pergere valeat ! Sed quid per calculum candidum, nisi corpus immortale ? Calculum quidem, quia forte et impassibile, candidum autem, quia novum et mundum, et ab omni sorde purgatum (1436). In peccatoribus autem non candidus calculus, sed terra nigra, et caro corruptibilis videtur. Nomen autem novum in calculo scriptum, non est nostrum perscrutari quale erit. (1437). Mentior utique, quia dico quod nescio, nondum enim accepi : o utinam aliquando accipere merear ! Non dubito tamen multo melius et dignius esse isto, quo modo utimur, quo et homines vocamur.

Et angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos ut flamma ignis, et pedes ejus similes aurichalco : Novi opera tua, et charitatem, et fidem, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura a prioribus. Sed habeo adversum te, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetas docere, et seducit servos meos fornicari, et manducare de idolothytis. Quare autem Dei Filius oculos habeat ut flamma ignis, et pedes aurichalco similes, jam superius dictum est. Hunc quoque episcopum, sicut superiorem, de opere, charitate, et fide, de fide, et ministerio laudat, qui semper de virtute in virtutem proficiens se ipso semper melior fuerit. Reprehenditur tamen, quod mulierem Jezabel (1438) non redarguerit, quæ, prave prophetas exponendo, Dei servos peccare cogebat. Jezabel

---

(1429) Cod. Vat., *in quibus.*

(1430) Antipas sæviente in Christianos Domitiano episcopus Pergami publice Christum prædicabat, dæmonesque fateri coegit quod a se per Christi nomen invocatum fugarentur. Hinc a præfecto urbis captus, tractusque ad templum Dianæ, et in bovem æneum multo igne candentem conjectus, laudans et gratias agens Deo quod se hoc agone et laurea martyrii dignatus esset, in cœlum martyr evolavit sub an. Chr. 93, Domitiani decimo.

(1430) Cod. Vat., *illic.*

(1431) Cod. Vat. : « Et qui apostolos non audiunt, prophetis credant. »

(1432) Hoc signo caret cod. Vatic.

(1433) Cod. Vat., *Quis enim.*

(1434) Cod. Vat., *non currat.*

(1435) Manna absconditum est, nomen novum est, quod nemo scit, nisi qui accipit; non illud eruditio, sed unctio docet ; nec scientia, sed conscientia comprehendit. S. Bernardus lib. De convers. ad cleric. c. 21.

(1436) Cod. Vat. : « Peccatoribus autem non calculus candidus, sed terra nigra, et caro corruptibilis redditur. »

(1437) Cod. Vat. : « Quoniam nemo illud scit, nisi qui accipit. Quod enim nemo scit, si dico quale sit, mentior. Utique quia dico quod nescio. Nondum enim accepi. »

(1438) Alcazar pro Jezabel accipit Synagogam, id est Judæos, qui inexpiabili odio prosequebantur apostolos, et Christianos (sicut Jezabel prosequebatur Eliam et Dei cultores) eosque vel in mortem,

Digitized by Google

namque *fluxus sanguinis* interpretatur; significat autem hæreticorum Ecclesiam, quæ, de animarum morte et sanguine gaudens, simplices quosque tunc temporis despiciens, post deos fornicari et idolothytis vesci docebat.

Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere de fornicatione sua. Et ecce ego mittam eam in lectum, et qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis, et filios eorum interficiam in morte, et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum Dominus, scrutans corda et renes, et dabo unicuique vestrum secundum opera vestra. Clementissimus Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed vitam; qui ideo dat tempus pœnitentiæ, ne sua pereat creatura. Nam quia ista Jezabel, id est impia hæreticorum multitudo, pœnitentiam agere noluit, ideo de ea dicitur: *Ecce mittam eam in lectum.* In lectum mittitur, quatenus omni Satanæ privata virtute languescat et vires amittat; per quod datur intelligi ut, quamvis pœnitentiam agere nolit, in sua tamen perfidia non diutius gloriabitur: cito etenim illa hæresis destructa est. Similiter autem et illi, qui cum ea mœchantur, id est qui eorum blanditiis et seductionibus acquiescunt, nisi et ipsi pœnitentiam egerint, et a tali **305** operatione cessaverint, et in maxima tribulatione et doloribus sempiternis cum ea (1439) erunt. Unde et subditur: *Et filios eorum interficiam in morte;* id est eorum sequaces morte morientur æterna. Et tunc tandem scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans corda et renes. Scit enim Dominus in cujus corde sit perversa scientia, et cujus renibus libido dominetur; ut et *justus judex* dicitur, « qui reddet unicuique secundum opera sua (*Matth.* XVI, 27); » quoniam et sancti a se differunt in claritate, et mali secundum merita pœnas recipiunt.

Vobis autem dico cæteris, qui Thyatiræ estis: Quicunque enim habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt doctrinam Satanæ, quemadmodum dicunt non mittam super vos illud pondus; tantum id quod habetis tenete, donec veniam; et qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringet eas, sicut ego accepi a Patre meo, et dabo illi stellam matutinam. Qui habet aures, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Minatus est enim superius Jezabel et sequacibus ejus; nunc autem fidelium ejusdem civitatis alloquitur multitudinem, eisque promittit quia nequaquam aliud pondus super eos mittet, neque aliam pœnitentiam, vel satisfactionem eis imponet, de hoc videlicet quod cum hæreticis conversati sunt. Sic tamen, si eorum doctrinam non receperint, et altitudinem, superbiam et astutiam Satanæ non cognoverint, ut illam imitarentur atque diligerent. Quod autem sequitur: Quemadmodum dicunt, proverbium erat apud eos: nam quem superbia inflatum videbant, illum Satanæ secreta et altitudinem cognoscere dicebant. Sequitur: *Tantum id quod habetis tenete, donec veniam* (1440). Venit quippe, quando unumquemque de hujus tabernaculi habitatione per mortem vocat. Quod tamen de universali judicio accipi potest. Qui autem Satanæ insidias vicerit, et Dei opera usque in finem custodierit, dabit illi potestatem super gentes, gentes utique hæreticorum et Judæorum, quas sic ad suum nutum reget, utique et constringet, ut neque evagandi neque fugiendi licentiam habeant. Has autem in virga ferrea, id est imperio et doctrina forti et insuperabili, tanquam vasa figuli, quæ utique fragilia sunt, confringet atque comminuet. Quod autem sequitur: *Sicut accepi a Patre meo,* talem se suis servis potestatem dare significat, qualem et ipse naturaliter habet, unde ipse ait: « Qui credit in me, opera, quæ ego facio et ipse faciet (*Joan.* XIV, 12). » *Et dabo illi stellam matutinam;* stellam claram et lucidam, stellam solis et diei nuntiam, de qua scriptum est: « Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel (*Num.* XXIV, 17). » Nihil enim majus dari poterit, qui Dei Filii præsentiam, claritatem et illuminationem ante oculos semper habebit: hoc enim ille desiderabat, qui dicebat: « Ostende faciem tuam, et salvi erimus (*Psal.* LXXIX, 8). »

CAPUT III.

Et angelo Sardis Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei et septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es. Esto vigilans et confirma reliqua quæ moritura erant. Non enim inveni opera tua plena coram Deo meo; in mente ergo habe, qualiter acceperis et audieris, et serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te. Quid enim significent septem spiritus, et septem stellæ, jam superius expositum est. Hic autem episcopus, aliter a populo, aliter a Deo judicabatur: nam et si a populo laudaretur, apud Deum tamen mortuus jam et inutilis erat; unde admonetur ut sit vigilans corporis, et dissidiæ somnum a se expellat, et opera, quæ jam in se moritura erant, iterum confirmet atque vivificet: non enim inveniuntur plena coram Deo. Plena namque illa opera et perfecta sunt coram Deo, quæ non ad vulgi favorem, sed ex bona mentis intentione fiunt. In mente ergo habere præcipitur quam puram et sinceram doctrinam ab apostolis acceperit, eamque custodiat

vel in suam hæresim adigebant, contendentes, ut saltem Christiani legem Moysis observarent, itaque Judaismum cum Christianismo miscerent; unde multos seducebant. Quare arguitur episcopus, quem aliqui S. Carpum putant, quod cum eis conviveret, falso, et frustra sperans eorum conversionem.

(1439) Cod. Vat., *similiter eum ea.*

(1440) Cod. Vat. « fidem inquit rectam, et evangelicam doctrinam, quam habetis constanter, firmiterque tenete, donec veniam. Venit quidem quando unumquemque. »

Digitized by Google

et observet, et de his in quibus deliquit pœnitentiam agat, alioquin tanquam fur, et qua hora nesciet, ad eum veniens, de hac vita subito exire compellet.

Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua, et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ : et confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram angelis ejus. Qui habet aures audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Tu, inquit, non sicut debuisti vixisti, habes tamen paucos in populo tibi commisso, quorum nomina jam scripta sunt in libro vitæ. Et hi quidem non inquinaverunt vestimenta sua, **306** et corpora sua, ut hæreticorum spurcitiis assentirent, et sese luxuriæ, idololatriæ subjugarent, sed semper ambulaverunt mecum in albis, nulla vitiorum sorde denigrati. Mecum, inquit, quoniam hujusmodi consortio digni sunt. Quicunque autem ita vicerit, ut illi vicerunt, sic vestietur vestimentis albis, quemadmodum illi vestiti sunt, neque delebo nomen ejus de libro vitæ (1441) : liber namque vitæ, dispositio et memoria illius est. Unde et subditur :

Et confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram angelis ejus. Nullæ enim ibi chartæ, vel litteræ sunt necessariæ, ubi talis est doctor ad nomina recitanda.

Et angelo Philadelphiæ scribe : Hæc dicit Sanctus et verus, qui habet claves David, qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit : Scio opera tua, et ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem, et servasti nomen meum : ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur : ecce faciam illos, ut veniant et adorent ante pedes tuos, et scient quia dilexi te, quoniam servasti verbum patientiæ meæ. Hæc, inquit, dicit Sanctus et verus, Christus, videlicet Dominus noster, qui nunquam mentitur (1442), nullum decipit, qui habet clavem et fortitudinem patris sui David. David namque *manu fortis* interpretatur, cujus vigor et fortitudo velut clavis quædam erat ad inimicorum civitatem capiendam et reserandam (1443). Hanc clavem hæreditariam et Christus habet, qui illas duas et maximas civitates, infernum videlicet et paradisum aperit, et claudit cui vult; quo quidem aperiente, nemo claudit, quo claudente, nemo aperit. Unde et subditur : *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere,* per quod paradisi januam possumus intelligere. Sive illud, de quo Apostolus ait : « Ostium mihi magnum et evidens apertum est, et adversarii multi (*I Cor.* XVI, 9), » significans aures omnium sibi esse apertas ad Evangelium audiendum. Sic et in hoc loco, etsi hæretici huic episcopo resistant, tamen aures et auditum fidelium claudere non poterunt. Sed quia modicam habet virtutem, id est paucos in hoc opere auxiliatores, ipse Dominus auxiliator ejus multos de Synagoga Satanæ, qui se Judæos esse mentiuntur, ei subjiciet et humiliabit, ut et ad fidem convertantur, et victi succumbant. Unde et subditur : *Ecce faciam illos ut veniant et adorent ante pedes tuos;* jam scilicet ad fidem conversi et rei veritatem agnoscentes. Et ecce tandem scient quia ego dilexi te, et hoc merito. Servasti enim verbum patientiæ meæ : nam quia patientiam prædicavi, tu quoque mea verba considerans, omnia patienter sustinuisti.

Et ego servabo ad horam tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitatores in terra. Ecce venio cito; tene quod habes, et nemo accipiat coronam tuam. Et qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius. Et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Domino, et nomen meum novum. Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Tu (1444) servasti verbum patientiæ meæ, et ego quoque te servabo ad horam tentationis, quæ ubique terrarum ventura est. Nemo est qui non tentetur, sed non omnes superantur. Unde Apostolus ait : « Tentatio vos non apprehendat, nisi humana (*I Cor.* x, 13). » Ecce venio cito (1445), te, subauditur, a tentationibus liberare, et pro patientia coronare. Tene ergo quod habes; nullus te a tuæ fidei constantia separare valeat, ut nemo accipiat coronam tuam; nemo tibi subripiat locum tibi præordinatum. *Et qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Tales enim columnæ, Petrus Jacobus et Joannes fuerunt, de quibus Apostolus ait : « Qui videbantur columnæ esse Ecclesiæ (*Galat.* II, 9). » Super hos Ecclesia firmata et fundata est, secundum illud : « Ego confirmavi columnas ejus (*Psal.* LXXIV, 4) : »

(1441) « Et non delebo nomen ejus de libro vitæ. » Id est, dabo ei donum perseverantiæ, nec sinam eum labi in mortale peccatum, quo justitiam amittat. « Ita Pererius. Dupliciter autem scribi sanctos in libro vitæ docet S. Th., I, p., q. 24 ar. 3 : » Primo inchoate, quoad præsentem justitiam, quomodo omnes Christiani in baptismo scribuntur in libro vitæ. Unde iis ait Paulus Eph. II, 5, 19 : « Estis cives sanctorum et domestici Dei. » Secundo complete, quoad perseverantiam et gloriam. Primi deleri possunt; unde psalmo LXVIII dicitur : « Deleantur de libro viventium. » Secundi autem, quia victores, et in victoria hac perseverantes de libro vitæ non delebuntur. Est enim liber vitæ conscriptio ordinatorum in vitam æternam, ad quam ordinatur aliquis ex duobus; scilicet ex prædestinatione divina; et hæc ordinatio nunquam deficit : et ex gratia : Quicunque enim gratiam habet, ex hoc ipso est dignus vita æterna; et hæc ordinatio deficit interdum, quia aliqui ordinati sunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam, a qua tamen deficiunt per peccatum mortale, » etc. Ita angelicus doctor.

(1442) Cod. Vat., *qui nulli unquam.*

(1443) Cod. Vat., « civitates capiendas, et reserandas. »

(1444) Cod. Vat. : *Tu, inquit.*

(1445) Prænuntiatur Trajani persecutio contra Christianos, qui a Nerva adoptatus est in imperium an. Ch. 98, aliorumque imperatorum, Christiani nominis hostium.

Digitized by Google

307 et Apostolus : « Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II, 20). » Eorum namque doctrina et exemplis usque in finem Ecclesia regetur, et sustinebitur. Et foras non egredietur amplius; qui ergo ab Ecclesia separatur, sciat se nondum esse victorem. *Et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem*, quæ descendit de cœlo a Domino, et nomen meum novum. Non solum, inquit, nomen meum super eum scribam, ut a Christo Christiani vocentur, verum etiam nomen Dei mei, ut et ipsi dii appellentur, secundum illud : « Ego dixi, Dii estis (*Psal.* LXXXI, 6). » Insuper et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, ut sicut illa universaliter sponsa Christi vocatur, ita et uniuscujusque anima singulariter nuncupetur. Unde Apostolus ait : « Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI, 2). » Quod autem Jerusalem sponsa Christi dicatur, audi hunc eumdem in fine libri hujus dicentem : « *Vidi*, inquit, *civitatem novam Jerusalem, descendentem de cœlo a Deo, paratam, tanquam sponsam ornatam viro suo.* » Possumus autem et nomen illud, quod ei ab angelo expositum est, novum Christi nomen intelligere; sic enim scriptum est : Et vocabis nomen ejus Jesum (*Luc.* I, 31), » quod interpretatur *Salvator;* nemo enim salvatur, nisi hoc nomine insignitus.

Et angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit : Amen, testis fidelis, et verus, qui est principium creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, et neque frigidus es, neque calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Christus enim, *amen* vocatur, quod Hebraice naturaliter significat verum. Dicatur ergo : Hoc dicit ille, qui de se ipso ait : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6); » id ipsum enim veritas, et verum significat. Qui est *testis fidelis, et verus*, sicut jam supra expositum est. *Qui est principium creaturæ Dei*, a quo videlicet omnis creatura sumpsit exordium. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus :* hic enim episcopus sic se pro tempore callide habebat, ut simul bonis faveret et malis; unde cujus potissimum sectæ fuisset, non facile discerni poterat (1446). Ideoque subditur : *Utinam frigidus esses, aut calidus*, ut Dei populum per tuam hypocrisim decipere non posses; sed *quia tepidus es, et neque frigidus, neque calidus, incipiam te evomere ex ore meo;* ac si dicat : Anguis est mihi (1447) in stomacho, nauseam mihi facis, non te ulterius sufferre possum : ejiciam te ergo ex ore meo, et nominis tui non recordabor amplius.

Quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Ego quos amo arguo, et castigo; æmulare ergo, et pœnitentiam age. Tu, inquam, dicis, et tecum reputas quod nihilo egeas, et sic clausis oculis præteriens, sive bona, sive mala fiant, ad te pertinere non putas; et nescis quia tu es miser et miserabilis, omnique felicitate privatus. Et pauper divitiis spiritualibus; et cæcus amissa discretione et lumine cordis; et nudus bonorum operum indumentis (1448). Sed crede consiliis meis, et bene tibi erit. Suadeo te emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias; aurum enim istud ignitum et probatum, quo homines locupletantur, charitas est, et boni malique discretio. Hæc enim semper ardet; et in Dei proximique dilectione sic accensa est ut exstingui non valeat, secundum illud : « Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem (*Cant.* VIII, 7). » Sine hac nemo locuples erit, qui enim in hac offendit, et si totam legem observet, factus est tamen omnium reus. Sequitur : *Et vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ.* Qui enim hujus vestibus indutus non fuerit, et carnem qua indutus est a vitiorum maculis et sorde non mundaverit, confusus in judicio, cunctorum oculis irridendus apparebit. Præcipitur autem oculos collyrio ungere, quod utique medicamentum est ad oculos necessarium, et quia avaritia et cupiditate cæcatus fuerat, largitate, et misericordia et charitatis unctione mentis oculos inungat, quatenus omnium vitiorum detersa caligine, claritatis lumen recipiat. Sed quia de tanta redargutione indignari episcopus poterat, ideo benevolentiæ verba subinferens, ait : *Ego quos amo arguo, et castigo*, secundum illud **308** « Castigat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6). » Æmulare ergo virtutes, æmulare charismata meliora et age pœnitentiam, et salvus eris.

Ego sto ad ostium, et pulso, si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Qui habet aures, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Stat enim Christus ad ostium, et pulsat quotidie vox ejus, quotidie evangelica prædicatio nostris auribus insonat. Unde Apostolus : « Argue, inquit, obsecra opportune, importune (*II Tim.* IV, 2); » aures enim portæ sunt per quas in pectoris tabernaculum Christus ingreditur, quas si quis aperuerit, et pulsantis vocem audierit, mox in ejus mentis hospitium Christus intrabit, ibique habitabit, ideoque toties superius dictum est : *Qui habet aures, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.* Sed quid est? *Et cœnabo cum illo, et ille mecum*, nisi eisdem cibis utemur, eo-

(1446) Redarguitur episcopus Laodicenus, cujus nomen ignoratur, quod boni æque ac mali accepti essent apud ipsum, quare fides ejus dubia reddebatur; et cum in Dei servitio ignavia laboraret, in divinam offendit indignationem. Tepiditas etiam Deo abominabilis est, ac supremæ dominationis et bonitatis indigna.

(1447) Cod. Vat., *gravis et mihi.*

(1448) Satis se habere virtutis nonnulli videntur, quod in aliqua sublimi dignitate sunt constituti; sed tunc magis ipsis est elaborandum ne muneri suo deteriores fiant.

Digitized by Google

dem pane reficiemur, eademque doctrina saturabimur, et meus quidem cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis est (*Joan.* 4). Qui autem isto cibo vescetur mecum, mecum cœnabit, et ego secum (1449). Promittit autem victoribus (1450) secum in regno sedere suo, ut intelligant se super gentes et regna judicandi accipere potestatem. Unde ipse ait : « Vos qui secuti estis me sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). » Vicit et ipse omnesque suos captivavit inimicos, atque cum Patre suo simul sedet in throno ejus, secundum illud : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V, 22). »

LIBER SECUNDUS.

CAPUT IV.

Post hæc vidi, et ecce ostium apertum in cœlo, et vox prima, quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicentis : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Statim fui in spiritu, et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens, et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis (1451). — Post hæc, inquit, inspexi, et vidi omnem Ecclesiæ fabricam, et quæcunque usque in sæculi consummationem futura erant. *Et ecce ostium apertum in cœlo;* cœlum hoc in loco sancta Ecclesia intelligitur, sicut in Evangelio frequenter habemus. Ut : « Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare (*Matth.* XIII, 47), » et similia, cum de Ecclesia loquitur. Hujus autem ostium nunquam clauditur, hujus porta omnibus patet, neminem ad se venientem repellit; quicunque excluditur, vel non ingreditur, non ostii, sed intrantis culpa est. Vox autem prima, quæ tanquam tuba sublimis et excelsa secum loquebatur, vox angelica fuit, quæ ista annuntiabat; quæ bene tubæ comparatur, quoniam sancti Spiritus inspirationem vix humana fragilitas ferre potest, de cujus voce alibi dicitur : « Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis (*Act.* II, 2). » Quæ autem vox ista dixerit, audiamus. *Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.* Ascensus iste, non corporis, sed mentis fuit. Ascende, inquit, huc, erige mentem, dilata visum, et ea, quæ oculis carnis cerni non possunt, uno mentis intuitu contemplare. Quibus auditis, statim fui in spiritu; nihil carnale, nihil molis corporeæ me habere sensi; sed raptus in spiritu, et in excessu mentis, alium continuo visum suscepi (1452). *Et ecce sedes posita erat in cœlo.* Sedes enim ista, quam in cœlo positam vidit beatus Joannes, doctores Ecclesiæ sunt, in quibus Dominus sedet et habitat. Anima enim justi sedes est sapientiæ. Super hanc autem sedem Dominum sedere vidit, cujus species erat similis aspectui lapidis jaspidis et sardinis. Jaspis viridem habet colorem, sardius vero clarum et igneum. Tali ergo colore Dominus **309** noster apparere voluit; ut nobis insinuaret quid appetere debeamus. Habet enim colorem jaspidis; quia semper viridis, semper vivens, semper immortalis est, et nunquam ad siccitatem perveniens. Habet autem et colorem sardinis; siquidem Deus noster est ignis ardens. Hac enim specie et Moysi quondam apparere dignatus est. Ardeamus et nos fervore charitatis accensi, simul cum Apostolo dicamus : « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? » (*Rom.* VIII, 35;) et cætera.

Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdi. Smaragdus enim quasi herba viridis est, per quam immortalitatem intelligimus, quæ semper virens nunquam ad siccitatem pervenit. Iris autem, id est arcus cœlestis, duos principales colores habet, quorum alter est igneus, alter cæruleus, et quasi aqua viridis; et rubeus quidem martyrium, viridis autem baptismum designat (1453). Nemo ergo sedi Dei appropinquabit, nemo viriditatem et immortalitatem suscipiet, nisi aut per martyrium transeat, aut baptismate abluatur : sint ergo iris, qui volunt esse in circuitu solis.

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores circumsedentes, amictos vestimentis albis, et in capitibus eorum coronas aureas. Quid aliud (1454), inquit, post irim vidi, in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, totidem seniorum coronas aureas ipsi offerentium, quatuor animalia sub eodem posita describuntur.

(1449) Cum tam liberalis sit Deus noster, tamque præclaræ promittantur ejus remunerationes, quis non toto animo pro eo certabit, omniaque ad majorem ejus gloriam non sustinebit?

(1450) Cod. Vat., *secum in throno sedere.*

(1451) Vocatus Joannes animi contemplatione conscendit ad cœlos, et sedentem Dominum respexit in thronum, cui gemmarum colores tropica locutione consociat Cassiodorus, qui descriptionem visionis eximie prosequitur.

(1452) Facta autem a beato Joanne in præcedentibus primæ visionis relatione, hoc in capite, et sequentibus pergit loqui de secunda revelatione, in qua non Christus in specie hominis se exhibuit, sed Deus Pater in omni splendore, sedisque majestate ei apparuit, ac proinde divinus thronus pretiosioribus instructus gemmis, tonitrua et fulgura ab illo procedentia, nec non chorus circum eum viginti quatuor

(1453) Ex S. Brunonis interpretationem, quæ ab ipso non confirmata rationibus, videbitur aliquibus aut obscura, aut etiam ex solo illius sæculi ingenio deprompta. Verum qui baptismatis rationem et recens baptizati appellationem consideret, optimam statim esse conspiciet interpretationem Scripturis ac recte rationi omnino consentaneam. Baptismus enim per aquam administratur; recens baptizati, neophyti dicuntur : quæ quidem vox ex Græco fonte significat recens plantatum, id est in Ecclesia Christi, in ejus gratia atque justitia. Ex Scripturis autem *justus ut palma florebit*, quæ certe viridis est; et justus quidam, sicuti a Deo benedictus, *erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas,... et erit folium ejus viride*, etc. Jerem., cap XVII.

(1454) Cod. Vat. : *Et aliud.*

Digitized by Google

niores sedentes in eis. Et ego quidem hos viginti quatuor circa sedem Dei residentes, duodecim patriarchas et totidem apostolos intelligo, quos quidem duodecim patriarchas Jacob carnaliter genuit, ex quibus cæteri sancti Veteris Testamenti orti sunt. Duodecim vero apostolos Christus elegit, ex quibus omnis Ecclesiæ multitudo pullulavit. Unde scriptum est : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii (*Psal.* XLIV, 17). » Sedilia vero viginti quatuor duodecim tribus sunt, in quibus prædicti patriarchæ obtinent principatum, et duodecim Ecclesiæ, quibus apostoli præfuerunt. Nam usque hodie quilibet episcopus Ecclesiam sibi commissam, sedem suam vocare solet. Hi autem omnes vestimentis albis induti erant, mundi videlicet a peccato, utpote ad Christi convivium invitati. Habebant autem in capitibus coronas aureas, per quas intelligimus eos omnes suos inimicos superasse : « Nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » Unde Apostolus, quia bene præliatus fuerit, de se ipso ait. « De reliquo reposita est mihi corona justitiæ (*Ibid.*, 8). »

Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua. Diximus superius quod Ecclesiæ doctores sint sedes Dei. De hac igitur sede procedunt fulgura, et voces, et tonitrua : sententiæ namque ab eorum ore jaculatæ, quasi fulgura et ignitæ sagittæ, totam vitiorum et hæreticorum dissipant multitudinem, quæ quidem absque voce et tonitru non fiunt, dum sancta prædicatio et alte in Ecclesia resonat, et quemdam terrorem futuri judicii incutit audientibus. Finge ergo doctorem aliquem in Ecclesia prædicare, et subito audies quæ fulgura sententiarum, quæ voces utriusque Testamenti, quæ tonitrua minantium verborum ab ejus ore procedant.

Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. Vidit enim lampades, quibus sedes illuminabatur, et quæ illæ fuerint exponens, ait, *qui sunt septem spiritus Dei;* id est, septem gratiæ Spiritus sancti. Secure ergo prædicent doctores tanto lumine illustrati. Non enim, ut Dominus ait, ipsi loquuntur, sed Spiritus sanctus loquitur in eis.

Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo. Erat, inquit, in conspectu sedis tanquam mare vitreum, clara videlicet aqua baptismatis. In conspectu quidem, quoniam nullatenus sancti doctores hujus aquæ obliviscuntur. Quæ quidem crystallo similis perhibetur quoniam crystallus ex aqua fit; tamen indurata, magis ignis quam aquæ tenet naturam. Sancti ergo ex aqua regenerati in crystallum convertuntur, quoniam igne S. Spiritus plene, quales sunt interius, tales exterius apparent.

Et in medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia, plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Hæc enim quatuor animalia, quatuor evangelistæ sunt; qui bene in medio sedis, et in circuitu conspiciuntur, quoniam eorum doctrina omnia replet, prælatos pariter et subditos. Sunt autem plena oculis ante et retro, quia præterita, **310** præsentia et futura intuentur. Non timent tela inimicorum, non timent sententias hæreticorum, quoniam omnia prævident, nihilque eis improvisum accidere potest. Et animal primum simile leoni, per quem Marcum evangelistam intelligimus, qui quasi leo per desertum rugiens, suum Evangelium incipiens ait : « Vox clamantis in deserto, parate viam Domino, rectas facite semitas ejus (*Luc.* III, 4). » Secundum vero animal, scilicet vitulo, Lucas est, qui a sacrificio (quod maxime de vitulis fieri solebat) inchoans ait : « Fuit in diebus Herodis Judææ sacerdos (*Luc.* I, 5), » etc. Tertium autem animal, cui quasi hominis facies erat, Matthæus intelligitur, qui Christi nativitatem incarnationemque describens, perfectum eum esse hominem et ex hominibus natum denuntians, ait : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham (*Matth.* I). » At vero quartum animal, quod aquilæ volanti simile erat, B. Joannem, cujus verba hæc sunt, fuisse non dubitamus, qui quasi aquila præ cæteris altius volans, Christum Dei Filium sine initio Deum esse demonstrat, dicens : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Qui ergo hæc animalia cognoscere velit, inspiciat et legat in facie, id est in suorum dictorum principiis, et confessionem quæ et qualia sunt intelligere poterit.

Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas, et in circuitu et intus plena sunt oculis, et requiem non habebant, die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. — Singula, inquit, prædictorum quatuor animalium senas alas habebant, quæ collectæ simul viginti quatuor faciunt, tot sunt igitur alæ quot et prædicti seniores; unde bene animalium eos alas esse intelligimus : his enim alis ubique terrarum Evangelia volaverunt. Sed quia vetus et Novum Testamentum idem sunt (1455), et idem significant, ideo non solum apostoli, verum etiam patriarchæ, animalium alæ merito dicuntur. Hæc autem animalia et in circuitu, et intus plena sunt oculis, ut et visibiles et invisibiles, exteriores et interiores prævideant inimicos. Quod autem die ac nocte non cessant clamare : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens*, mysterium indicat Trinitatis; cum enim ter dicatur Sanctus, non tamen nisi semel dicitur Dominus Deus omnipotens, ut qui in personis dividitur, in majestate tamen, potentia et substantia unus esse credatur. Quod autem sequitur : *Qui est, et qui erat, et qui venturus est*, jam superius exposuimus.

Et cum darent illa quatuor animalia gloriam, et

(1455) Cod. Vat., *idem dicunt.*

Digitized by Google

honorem, et benedictionem sedenti super thronum, A vienti in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. Cum inquit, animalia Deum laudarent, benedicerent et glorificarent, confestim viginti quatuor seniores ad eorum voces procidentes, Deum vivum, et verum adorabant. Quis enim sanctorum Evangelium audiens, Patri gratias non agat, « qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII, 32), » cujus doctrina et passione redempti sumus. Mittunt autem coronas ante thronum, quia B victoriam, triumphum et coronam non suis viribus, sed victori Deo ascribunt. Quod si Nabuchodonosor fecisset, non tam cito fortasse regnum amisisset. Hi autem quia cuncta se a Deo recepisse cognoscunt, non de se, sed de Domino dicunt : *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem.* Quare hoc? Quia non nos, sed tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam, id tuæ videlicet sapientiæ dispositione, prius etiam quam fierent; et nunc quidem creata sunt, et suis quæque temporibus distributa : « In voluntate enim tua universa sunt posita (*Ephes.* I, 9). »

CAPUT V.

Et vidi in dextera sedentis super thronum scriptum intus, et foris signatum sigillis septem (1456). Liber iste, quem beatus Joannes in dextera sedentis super thronum se vidisse dicit, utriusque Testamenti scientia intelligitur; quem ideo in dextra sua Dominus tenere dicitur, quia ejus cognitioni nihil est occultum. Est autem scriptus intus et foris, quia aliter secundum litteram, aliter secundum spiritualem intelligentiam interpretatur. Sed quid per septem sigilla, nisi Christi nativitatem, passionem, resurrectionem, ascensionem, baptismum, judicium, et meritorum retributionem intelligimus? His enim signatus, nec ab **311** ipsis legis peritis, et sapientibus intelligi potuit. Nam quamvis propheta dicat : Ecce virgo concipiet, et pariet filium (*Isa.* VII, 8); » tamen quia liber signatus est, hoc Judæi non D intelligunt. De passione et resurrectione scriptum est : « Ego dormivi, et somnum cepi, et resurrexi, quia Dominus suscepit me (*Psal.* III, 6). » Sed quis eorum hoc intelligit? Sic autem et de ascensione : « Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ (*Psal.* XLVI, 6). » De baptismate vero : Lavamini, mundi estote (*Isa.* I, 16) : De judicio autem : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (*Psal.* LXXI, 1). » De meritorum vero retributione omnes Scripturæ plenæ sunt; hæc tamen non intelliguntur, quia liber signatus est.

Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? Et nemo poterat in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quia nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre illum. Angelus iste fortis, sapiens, quilibet prædicator est Ecclesiæ, quia divina mysteria et Scripturarum profunditatem considerans, admiratur et dicit : *Quis est dignus aperire librum* (1457)? Quis tam occulta mysteria reserare poterit? Quis ejus signacula et tam difficiles ejus quæstiones solvet? Quis sapiens, et intelligit hæc? Et nemo poterat in cœlo, neque in terra aperire librum : nemo enim hunc librum aperire vel intelligere sui ingenii acumine posset, nisi ille qui eum edidit et clausit aperuisset. Nam neque illi qui in cœlo sunt, id est viri ecclesiastici, neque illi qui in terra, id est philosophi et sapientes, neque qui subtus terram, id est maligni spiritus, hunc librum intelligere vel videre potuerunt, donec Christus eum aperuit, et discipulis suis sensum dedit ut Scripturas intelligerent. Flebat autem multum beatus Joannes, quod ad librum aperiendum nemo dignus inveniebatur. Sciebat enim mundum non aliter ad fidem posse converti, vel Ecclesiam construi posse, nisi ille liber aperiretur, ejusque testimonia manifesta forent.

Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris, ecce vicit Leo de tribu Juda, et radix David aperire librum, et solvere septem signacula ejus. Unus iste de senioribus, qui eum, ne fleret, confortavit, nemo melius, quam idem ipse intelligi potest : nam et ipse unus de senioribus erat. Recordatus ergo quod in Christi passione velum templi scissum est et sepulturæ apertæ, se ipsum a fletu temperaverit, secumque reputans et dicens : « Ecce vicit Leo de tribu Juda. » In benedictione namque Judæ inter cætera scriptum est : « Ad prædam, fili mi, ascendisti; accubuisti, ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum? » (*Gen.* XLIX, 9.) Quod quidem in Christi passione completum est, quando ad prædam crucem ascendit, in qua omnes suos inimicos superavit; et quando ut leo accubuit, siquidem fortior a somno surrexit. Ipse autem radix David, de quo Propheta ait : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (*Psal.* XI, 1). » Et Psalmista : « Juravit Dominus veritatem, et non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI, 11). » Hic ergo ad hoc vicit, ut librum aperiret et solveret septem signacula.

Et vidi, et ecce in medio throni, et quatuor animalium, et in medio seniorum, agnum stantem tanquam

(1456) Inter hæc vidit Joannes librum in dextera Patris sedentis in throno, intus forisque conscriptum, quoniam in lege quædam adhuc occulta, quædam noscuntur esse manifesta. Ista septem sigillis.

in est septiformi Spiritus conspiciebatur esse signatus; quia mysteria Domini usque ad tempus præfinitum habentur semper incognita. Cassiod.

(1457) Ced. Vat., *hunc librum.*

Digitized by Google

occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Hic est enim ille agnus, de quo scriptum est : « Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi (*Joan.* I, 29). » Qui bene in medio throni, et quatuor animalium, et seniorum stare dicitur, quia cum sanctis suis semper habitat, eosque nunquam derelinquit (1458), sicut ipse ait : « Non vos deseram, neque derelinquam (*Joan.* XIV, 18) : » Itemque : « Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Vidit autem eum tanquam occisum, quia nihil est quod plus in memoria sancti Dei habeant, quam mortem sui Salvatoris. Cornibus septem (1459), et oculis, ideo Spiritus sancti gratiæ cooperantur, qua ipsis defendimur et illuminamur.

Et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum, et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Secundum humanitatem namque de dextera sedentis in throno Christus Dominus noster librum accepit, a quo secundum divinitatem omnis sapientia et scientia procedit. Quem cum aperuisset, quatuor animalia et viginti **312** quatuor seniores ceciderunt coram agno, quia postquam Scripturas intellexerunt omnes sancti apostoli, et doctores Christo Domino nostro gratias egerunt, qui eis per Spiritum sanctum et intelligendi sensum dedit, et sua beneficia ibi eis (1460) cognoscere fecit. Habent autem sancti doctores citharas, quarum suavi modulatione corda hominum peccatis tumentia placant. Talis citharœdus apostolus erat, super cujus prædicatione ipsi philosophi obstupescebant. Habent autem et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum; plenæ enim sunt odoramentis orationes sanctorum, quia nihil suavius eis Domino redolet.

Et cantabant canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes, et regnabunt super terram. Cantant sancti (1461) canticum novum, canticum videlicet Christi passionis, nostræque redemptionis (1462); novum quidem erat, et ante id temporis omnibus inauditum. Cantabant utique, et dicebant : Tu quidem de dextra sedentis in throno librum accepisti, et tu revera Agnus es, Domine Deus noster, accipere librum (1463). Quis enim dignior legem ad exponendum suscipere (1464), quam ipse doctor et conditor legis; qui non solum docuit et fecit, et fecit quod docuit; sic enim scriptum est : « Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere, et docere (*Act.* I, 1). » Docet ergo legem, aperuit et revelavit signacula et occulta mysteria ejus. Mortuus est, jubente lege : « Quia sic oportuit pati Christum, et resurgere a mortuis, ut nos a morte redimeret (*Luc.* XXIV, 46). » Unde et subditur : *Quoniam occisus est et redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Sed unde redemisti! *Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione.* Non enim Judæorum Deus tantum, imo et gentium. Ex cunctis ergo gentibus ad fidem vocavit, quos suo sanguine redemit. Sequitur : *Et fecisti nos populum*, videlicet Christianum, *Deo nostro regnum*, quia in nobis ipse regnat *et sacerdotes*, cui quotidie hostias placabiles immolamus (1465). Hinc autem persona mutatur, et Scripturis vox introducitur, et regnat super terram.

Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum, et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna : Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Prius enim quatuor animalia, et viginti quatuor seniores, per quos totam primitivam Ecclesiam intelligimus, Christum laudantes, dignum eum esse dixerunt, qui et librum aperiret atque signacula ejus solveret. Nunc autem vox multorum angelorum, id est doctorum omnium, qui ab eorum tempore fuerunt, vel futuri sunt, subinfertur; qui quoniam innumerabiles sunt, numerum ponens infinitum, millia millium eos esse dicit, et ipsi quidem seniorum voci respondentes, atque id ipsum repetentes dicunt : *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem.* Quod tale est ac si diceret : Quem Judæi ingloriosum et mortuum putant (1466), ipse dignus est qui honoretur, glorificetur et benedicatur : dignus est,

(1458) Dicitur etiam hic agnus medius stare inter thronum et quatuor animalia, quia Christus mediator Dei est, angelorum et hominum. Ita Cornelius a Lapide. Antiquissimus mos est in Ecclesia Christum sub figura agni repræsentari musivis operibus, in picturis, etc., et in missa etiam post præceptum Sergii papæ sub tali nomine invocatur; Joannes enim Baptista Redemptorem nostrum agnum Dei appellavit. Apparuit autem tanquam occisus, quia victor a mortuis resurrexerat, et non erat amplius moriturus.

(1459) Cod. Vat. omittit *septem*.

(1460) Cod. Vat., *eos ibi*.

(1461) Cod. Vat. « Cantabant, inquit, sancti. »

(1462) Grates, quas Christo rependunt sancti ob operatam communem salutem a nobis semper agendæ sunt, præcipue vero in missæ sacrificio, in qua reparationis nostræ mysteria renovantur.

(1463) Quamvis Christus Dominus per unionem hypostaticam quæ sunt propria divinitatis acceperit, aliqua tamen passione, et morte sua specialiter meruit : ut sui corporis gloriam, Ecclesiæ institutionem, propagationemque per totum orbem, potestatem etiam judicandi omnes gentes, ac demum secretorum cœlestium scientiam revelandi. Ita Cornelius a Lapide, aliique expositores.

(1464) Cod. Vat. : « Quis enim dignius legem ad exponendum suscipiet. »

(1465) Cod. Vat., « hostiæ placabiles immolantur. »

(1466) Cod. Vat. : « Quem Judæi mortuum, et ingloriosum putant. »

Digitized by Google

quem fortem, sapientem Deum et justissimum prædicemus.

Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, et quæ super terram, et quæ subtus terram, et quæ sunt in mari, et quæ in eo sunt, omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum, et quatuor animalia dicebant, Amen, et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt. Prius quatuor animalia et seniores, deinde omnes doctores, postmodum vero omnis creatura Deum laudat et benedicit. Et creatura quidem, quæ in cœlo est, angelorum ordines sunt : quæ vero super terram, homines justi, jam a terrenis sublimati; quæ autem subtus terram, peccatores, vel maligni spiritus sunt, quos Ecclesia judicabit (1467). Quæ vero in mari, omnes illi intelliguntur, quicunque in hoc mundo versantur. « Omnis enim spiritus laudat Dominum (*Psal.* CLVI, 6). » Et quatuor animalia dicebant : Amen, prædictorum videlicet laudes affirmando. Unde viginti quatuor lætabundi in facies suas ceciderunt, et adoraverunt Deum, qui tantam gloriam et potestatem Filio suo dedit.

313 CAPUT VI.

Et vidi quod aperuisset agnus unum de septem signaculis, et audivi unum de quatuor animalibus, dicentem tanquam voce tonitrui : Veni, et vide; et vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret. Septem enim sunt signacula, septem Ecclesiæ, septem dies, in quibus omnis prædicatio fit, et septem quidem signacula sic sibi cohærent, ut qui unum novit, nihil de aliis dubitet : cui igitur unum sigillum aperitur (1468), nullum clauditur, et cui econtra unum clauditur, nullum aperitur. Qui enim Christi nativitatem non credit, nihil de passione, resurrectione et ascensione, baptismo, judicio; nihil de meritorum retributione intelligit. sic et in aliis Septem ergo sigilla, septem sunt mysteria, in quibus fides nostra principaliter continetur (1469). Omnis ergo prædicatio, omnis nostræ fidei instructio imperfecta est, in qua hæc septem sigilla non reserantur. Nihil ergo aliud est, unum de sigillis aperire, nisi ab uno quolibet istorum incipere, et sic reliqua reserare. Videamus ergo quid dicat. *Et vidi*, inquit, *quod aperuisset agnus unum de septem signaculis.* In prima namque Ecclesia unum de septem sigillis agnus aperuit, quando prima prædicatio cœpit, et hæc quidem maxima et principalis disputatio de incarnatione Filii Dei habebatur. Sic autem a prima usque ad ultimam, Ecclesiæ sibi succedunt, ut septenarium numerum nunquam excedant. *Et audivi unum de quatuor animalibus dicentem, tanquam vocem tonitrui : Veni, et vide;* unam enim eamdemque prædicationem quatuor ista animalia scripserunt, etsi in quibusdam diversa narrare videantur. Scribunt ergo verba Christi, et sublimi voce clamant, utpote qui universo mundo loquuntur. Sed quid dicunt? *Veni, et vide.* Accede ad Evangelium, reseratus est liber, vide, et intellige quid in eo continetur. *Et ecce equus albus.* Equus enim iste albus, totus pulcher, et sine macula, quilibet doctor Ecclesiæ intelligitur. *Et qui sedebat super illum, habebat arcum.* Ilic est enim Christus Dominus noster, de quo scriptum est : « Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III, 8). » Sed quid per arcum, nisi ejus prædicatio intelligitur? Ex qua velut sagittæ, veritatis sententiæ procedentes, cunctos vulnerant inimicos. *Et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.* Quotidie namque Christus per servos suos ad prælium exit, quotidie dimicat, atque inimicorum sternit exercitus, et toties coronatur quoties in sanctis suis victoriam operatur.

Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal dicens : Veni, et vide. Et exivit alius equus rufus, et qui sedebat super eum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant homines, et datus est illi gladius magnus (1470). Aperuit, inquit, agnus secundum sigillum, quia iterum servos suos Evangelium prædicare Dominus misit, hoc est enim quod dicit. *Et audivi secundum animal, dicens : Veni, et vide :* Secundum animal, quod nos venire et videre invitat, secunda prædicatio est. Quamvis enim doctorum prædicationes innumerabiles sint, non tamen nisi septem esse dicuntur, quoniam tot sunt septem dies, in quibus fiunt. Defunctis ergo primis prædicatoribus, alii successerunt, qui et ipsi Evangelium prædicarunt. Sed quoniam istorum tempore major in Ecclesia prædicatio crevit, ideo alius equus rufus exisse narratur. Equus enim rufus, et sanctorum sanguine cruentatus, tyranni intelliguntur, qui Christi martyres persecuti sunt : qualis fuit Nero, qui ipsos apostolos interfecit. Super hunc autem diabolus sedet, quia suæ iniquitatis freno per cuncta facinora eum præcipitat. Ilic autem pacem de terra sumit et aufert, quia ut discordiæ princeps et pacis inimicus, humanum genus semper insidiando et tentando in-

(1467) Cod. Vat., « quos Ecclesia judicat. »

(1468) Cod. Vat. : « Cui ergo unum de sigillis aperitur. »

(1469) Conveniunt omnes expositores hoc caput figuris, ænigmatibus mysteriisque constare, quæ unusquisque pro suo studio, et meditatione in suam sententiam trahere conatur. Aliqui enim moralem, alii historicam, et alii mysticam seu spiritualem interpretationem, ut Bruno noster, sequuntur. Diversus autem status Ecclesiæ his describi inducum est.

(1470) Ad faciliorem sequentium intelligentiam, notandum; tres sequentes equos : scilicet rufum, nigrum et pallidum, primo oppositos esse, utpote albo et fausto, cujus sessor est Christus. Nam tres alios non esse Christum patet; quia secundus, scilicet rufus, pacem terræ conturbat, tertius niger stateram habet fraudulentam, quartus sessorem habet Mortem et comitem Infernum, qui stragem illam edunt. Hæc Cornelius; cui alios aliter interpretari fatetur.

Digitized by Google

quietat. Hic facit ut sese homines interficiant, et secum et inter se bella civilia gerant. Huic et gladius magnus datus est, quoniam multis modis homines jugulando decipit : alium enim per superbiam, alium per avaritiam, alium per luxuriam, atque alium alio modo occidit et perdit.

Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens : Veni, et vide. Et ecce equus niger, et qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua. Et audivi tanquam vocem in medio **314** *quatuor animalium dicentem : Bilibris tritici denario uno, et tres bilibres hordei denario uno, et vinum, et oleum ne læseris.* Aperitur tertium sigillum, quia tertia prædicatio succedit, iterumque beatus Joannes ad videndum invitatur. Et ecce equus niger, Ecclesiæ videlicet persecutores (1471), qui quoniam prave vivunt, et omni luxuria, et voluptati se supponunt, non immerito nigri vocantur. *Et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua;* hic enim est illo malignus spiritus, qui cum sit omnium iniquissimus, æquitatis tamen se fingit habere instrumenta. Nemo tamen cum hoc nequissimo mercatore negotiari poterit, qui se tandem non cognoscat esse deceptum ; et idcirco de medio quatuor animalium vox procedens, pretium rebus imponit, qualiter, et quantum emi, vel vendi debeant. Semper nos Scripturæ et doctores docent quomodo diaboli fraudes cavere debeamus. Bilibris tritici denario uno, et tres bilibres hordei denario uno. Sic, inquit, vendatur, sic ematur, falsa est illius statera; nemo ei credere velit. Duæ libræ tritici, cujus denarii pretium habeant. Si enim secundum litteram intelligatur nimis carum hoc triticum esse videbitur. Est ergo alterius generis excellentiorisque naturæ, quo non corpus, sed anima pascitur. per hoc enim fidei doctrinam et sacram Scripturam intelligimus. Duæ vero libræ, duo sunt Testamenta; ejusdem utique ponderis, ejusdem mensuræ, ejusdemque pretii, neque sine altera alterum valet; unde non duobus, sed denario comparatur; denarius autem iste vitam æternam designat, quem bene in Dei vinea laborantibus se daturum esse Dominum promisit : sic enim scriptum est : « Conventione autem facta cum operariis de denario diurno, misit eos in vineam suam (*Matth.* xx, 12). » Qui igitur ad hunc denarium pervenire desiderat, has duas libras tritici secum portet, his vescatur, et harum nunquam obliviscatur. Per tres vero bilibres hordei, quæ eodem denario comparantur, Trinitatis fides intelligitur ad cujus medullam (1472) et profundissimam intelligentiam, quia nemo unquam in hac vita accedere potuit, ideo recte non tritico, sed hordeo assimilatur; unde perpauci sunt, qui non solum disputare, verum etiam de ea cogitare non formident, pro ea tamen denarium recipient; si tamen credant, quamvis non intelligant. Sequitur : *Et vinum, et oleum ne læseris.* Vinum legis austeritatem, oleum Evangelium significat. illud inebriat, hoc sanat; illud mentem evertit, hoc dementes ad mentem revocat : « Littera enim occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 6). » Hinc autem lædunter, si quando prave intelliguntur vinum ergo, et oleum lædit, quicunque Scripturas male interpretatur

Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni, et vide. Ecce post tertiam tertii temporis prædicationem; quarta prædicatio subsequitur, in qua quid propheta videri, audiamus. *Et ecce,* inquit, *equus pallidus, et qui sedebat super illum, nomen illi Mors, et Infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, et fame et morte, et bestiis terræ* (1473). Iste enim equus, id est Ecclesiæ inimici, qui prius rubeus, propter sanguinem martyrum ; deinde niger, propter vitæ pravitatem apparuit; nunc pallidus conspicitur, utpote qui odio, invidia et indignatione plenus erat. Insuper et vitam non habebat, qua quicunque privatur, pallidus efficitur : unde et subditur : *Et qui sedebat super eum, nomen illi Mors.* Quem enim aliunde colorem habere potest, super quem mors ipsa pallida sedet? Mors enim hoc in loco, diabolus intelligitur, qui prius mortem intulit mundo. Unde Salomon ait : « Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24). » Hunc autem infernus sequitur, quia quos diabolus decipit, et perimit, eos procul dubio infernus recipit. More ergo canis, vel vulturis post hunc lanistam et sanguinarium, quadam aviditate ductus infernus ire perhibetur. Unde Psalmista : « Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam (*Psal.* XXI, 21). » Huic ergo potestas data est super quatuor partes terræ, id est ubique terrarum (siquidem in quatuor partes mundus iste dividitur) interficere homines gladio, fame, et morte, et bestiis terræ; gladio quidem callidæ persuasionis, fame vero audiendi verbum Dei. « Hic est enim, qui tollit verbum de corde hominum, ne credentes salvi fiant (*Luc.* VIII, 12); » morte vero tyrannica vel qua a Deo animæ separantur. De qua dicitur : « Quoniam non est in morte, qui memor sit tui (*Psal.* VI, 6). » Per bestias autem terræ, malignos spiritus, vel hæreticos intelligimus, de quibus Propheta : « Ne trades bestiis animas confitentes tibi (*Psal.* LXXIII, 19). » et isti quidem plus cunctis bestiis crudelitate desæviunt.

(1471) Decem Ecclesiæ persecutores imperatores usque ad Constantinum Magnum numerantur. Primus Nero; secundus Domitianus; tertius Trajanus; quartus Antoninus; quintus Septimius Severus, sextus Maximinus; septimus Decius; octavus Valerianus; nonus Aurelianus; decimus Diocletianus cum Maximiano, qui omnium crudelissimi majorem vastitatem in Ecclesiam intulerunt.

(1472) Cod. Vat., « ad cujus videlicet fidei medullam, etc. »

(1473) Accipiunt aliqui locum hunc pro variis Romani imperii eversionis, quod gladio, fame, pestilentia, aliisque calamitatibus penitus desolandum erat. Ita Calmet.

Digitized by Google

Et cum aperuisset **315** *quintum sigillum, vidi sub* A et Elias venturi sunt; postea vero Sabbatismus po-
tare animas interfectorum propter verbum Dei, et
ppter testimonium quod habebant, et clamabant voce
gna dicentes: Usquequo, Deus sanctus et verus, non
dicas, et vindicas sanguinem nostrum, de his, qui
bitant in terra? Jam enim quinta prædicatione in-
hante vidit beatus Joannes sub altare interfecto-
m animas; quia enim pro Christo immolati fue-
nt, bene sub altari esse dicuntur (1474). Altare
tem hoc in loco, vel fidem, vel crucem intelligere
ssumus. Unde Apostolus ait : « Mihi autem absit
ariari, nisi in cruce Domini nostri Jesus Christi! »
al. VI, 14.) Sed quare interfecti fuerant, nisi
opter verbum Dei quod prædicabant, et propter
stimonium Christi quod habebant et ferebant? Cla-
abant autem voce magna, quia eorum petitionibus B
ires Dei apertæ erant. Rogabant autem sanctum
verum Dominum, qui nulli unquam mentitus est,
eos juste judicaret atque eorum sanguinem in-
ste a peccatoribus fusum vindicaret, neque enim
iud postulant, nisi quod eum velle cognoscunt.
equitur :

Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum
t ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec
mpleatur numerus conservorum, et fratrum eorum
ui interficiendi sunt, sicut et illi. De his enim Isaias
t : « Duplicia in terra possidebunt (*Isa.* LXI, 7). »
uplicia quidem, quoniam eorum animæ modo cum
eo beatitudine perfruuntur; postea vero animæ
mul et corpora immortalitatem et gloriam susci-
ent. Singulas ergo stolas interim habent, quia C
nquam ad duplicia pervenerunt. Exspectant autem
mpus adhuc modicum, donec ultima persecutione,
æ ab Antichristo fiet, cæteri sancti interficiantur,
tunc tandem ad judicium Dominus veniens, eos
ndicabit, et unicuique secundum opera mercedem
bit (1475).

Et vidi, cum aperuisset sigillum sextum, et ecce
rræmotus factus est magnus, et sol factus est niger
nquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut
nguis; et stellæ cœli ceciderunt super terram; sic-
ficus mittit grossos suos, cum a vento magno
ovetur, et cœlum recessit sicut liber involutus, et
nis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt. — Sex-
m namque sigillum, sexta est prædicatio, quam
idem ultimam fore esse putamus, in qua Enoch D

suorum glorificatio; atque tunc duplicem stolam acceperunt dicuntur.

(1476) Quæ Christus Dominus apostolos eventur in mundi fine memorat, Matth. XXIV, hic a Joanne confirmantur. Tunc enim fiet universalis commotio, cum Antichristo sævienti, et contra veritatem prædicanti Enoch et Elias adversabuntur. Prævalebit tamen (sic Deo permittente) in multis seductio, et justitia, et quasi sol obscurari videbitur, et justi, ut stellæ, cadent in depravationem. Machina etiam visibilis mundi tota dissolvetur.

(1477) Cod. Vat. : « Stellæ vero cœli super terram cadent; » sive quia sancti a persecutoribus trucidabuntur, et juxta litteram super terram cadent exanimes; sive etiam quia multi, » *etc.*

(1478) Ex Cod. Vatic. corrigitur editio.

(1474) Præmissis vaticiniis de Ecclesiæ persecu-ribus a quibus sancti necandi sunt, interfectorum rtem et felicitatem prænuntiat beatus Joannes, rumque animas ait vidisse subtus altare, hoc est possessione æterni gaudii Deo fruentes, et cla-ntes vindictam de sanguine ab ipsis super terram uso, quo persecutorum punitio, et laborum fru-is licantur. Plura de statu animarum post mortem congerunt Cornelius et Calmet, quæ apud illos enda relinquimus.

(1475) Visio Dei ad quam justorum animæ statim corporibus separatæ pervenient, eorum beatitudi-n essentialem, ut inquiunt theologi, constituit, l nondum completa, perfecta eorum felicitas erit, i cum post universalem resurrectionem, fiet suo-m corporum unio cum animabus et corporum

Digitized by Google

suis movebuntur, id est ut omnes hujus sæculi potentes, omnesque mundi hujus nationes a pristina pravitate ad fidem Christi convertentur. « Cum plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 55). » Hoc est enim quod sequitur:

Et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites et fortes, et omnis servus et liber abscondent se in speluncis, et in petris montium, et dicent montibus, et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira agni, quoniam veniet dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare? Per reges quidem terræ, et principes, et tribunos, et divites, et fortes, et omnes servos, et liberos, omnes homines promiscue intelliguntur, qui abscondent se in speluncis et petris montium. Quid enim per speluncas et petras montium, nisi sanctos intelligimus? ad quos velut ad turrem, et castella, et loca munitissima, ut ab eis tueantur, omnes confugient, *Et tunc dicent montibus et petris*, id est sanctis supradictis, quos sine timore stare secure videbunt, ut super eos cadant, id est ut eos abscondant (1479). Sic enim cadere solemus, cum ad auxiliandum, super aliquem nos projicimus, ne ab alio occidatur. Hic autem tantus terror, unde fiet, nisi a facie sedentis super thronum, et ab ira agni? Quem simul cum ipso Patre sibi cognoscent esse iratum. Unde et subditur: *Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum*, quæ utique finem non habebit. *Et quis poterit stare?* Nemo quidem, nisi cui ipse iratus non fuerit.

CAPUT VII.

Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne starent venti super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Illos angelos, illos esse puto, de quibus Dominus ait · « Mittet Filius hominis angelos suos cum tuba, et virtute magna, et congregabit electos ejus a quatuor ventis (*Matth.* XXVIII, 31). » Itemque: « Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent illos in caminum ignis; et istis quidem datum est nocere terræ, et mari, et arboribus (1480) (*Matth.* XIII, 49). » Sed quid per quatuor ventos, nisi eorum potestas, quæ cum magna virtute ventura est, intelligitur? Hos autem ventos tenere dicuntur, quia nisi permissi, nocere non possunt. Tenent ergo potestatem et vires suas, donec, jubente Deo, flare incipiant, quibus flantibus, quanta ubique perturbatio fiet, quid attinet dicere? Et tali quidem vento resistere nemo valebit, nisi qui fide Trinitatis gratus fuerit. Ideoque Psalmista ait: « Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4). » Sed quid super terram nisi peccatores? Qui sola terrena et transitoria diligunt? Quid vero per mare, nisi instabiles et fluctuantes, qui omni vento doctrinæ circumferuntur? Per arbores autem illos intelligimus, de quibus in Evangelio Dominus ait: « Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* VII, 19). »

Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens: Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoad usque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Bene quidem angelus iste, prospera et lætitiam annuntiaturus, ab ortu solis venisse describitur (1481): iste enim luce sua, erroris tenebris fugatis, bonos separabit a malis. Habebit autem signum Dei vivi; crucem videlicet portans, quæ et malis timorem, et bonis lætitiam præstabit. Et clamavit quatuor angelis, prædictis scilicet **317** adversariis potestatibus, quibus suo tempore terræ et mari nocere concessum fuerat; et dixit: Tenete ventos, ne laxetis impetum, vestræque tempestatis incursus, nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoad usque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum; ut et per se zizania et per se frumenta colligantur. Hoc autem est illud Trinitatis signum, quod in baptismo omnes suscepimus, quæ ideo iterum signandi (1482) esse dicuntur, qua sic in unius cujusque fronte hoc signum lucebit, ut nulli sit dubium quis erit salvandus, et inter Christi servos computandus (1483).

Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Cum enim tribus sint duodecim et unaquæque duodecim millia in se contineat, dubium non est quin centum quadraginta quatuor millia faciat. Sed quare unicuique tribui duodecim millia dare voluerit? Nisi forte propter numeri dignitatem, qui satis sacer in divina Scriptura invenitur, scire non

(1479) Singularis est hujusmodi Brunonis expositio; cum omnes commentatores litteraliter intelligant talem ac tantum invasurum homines terrorem, et confusionem ex signis adventum Christi judicis præcedentibus, ut nullibi nisi in cavernis et antris securitatem sibi esse censebunt; quare ea studiose quærent, et in ipsis celabuntur.

(1480) Prædictum est Sap. VI armaturum Deum omnem creaturam ad inimicorum ultionem, et pugnaturum orbem terrarum contra insensatos; verumtamen quando Deo placebit; ideoque hic dicuntur quatuor angeli constituti, ut continerent quatuor ventos, ne effrenato impetu terram subverterent. Ante adimplinda erant alia de quibus sequentes Joannis visiones loquuntur.

(1481) Conveniunt plures interpretes, quos refert Cornelius, angelum hunc esse ipsum Christum Dominum qui ab Isaia cap. IX magni consilii angelus dicitur, et a Zacharia cap. VI, Vir oriens; qui nascens pacem in universo orbe oriri fecit, qui ascendit ab ortu solis, hoc est mane surrexit, et confestim apostolos ad mundi illuminationem misit.

(1482) Cod. Vat., *iterum signati.*

(1483) « Qui symbolo crucis fide et moribus conformati fuerint, certum salutis signum in fronte gestabunt; Christus enim crucifixus est, ut sequamur vestigia ejus, et tessera nostræ electionis perfecta erit illius imitatio. Signamur in baptismate, signamur in confirmatione, sed opera vivificum et salutare signum illud reddent. » Cornelius.

Digitized by Google

ssum ; et ego quidem plures his fore crediderim; A (*Psal.* XIV, 1.) *Ex tribu Levi duodecim millia signati.* Levi *additamentum* dicitur, et eos designat qui nunquam otiosi esse volunt; sed semper laborantes et in melius proficientes, quotidie sibi aliquid virtutis et bonitatis adaugent. *Ex tribu Isachar duodecim millia signati.* Isachar, *asinus fortis*, eos demonstrat de quibus ait : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Galat.* VI, 2). » *Ex tribu Zabulon duodecim millia signati.* Zabulon, qui in littore maris habitans, navigio, et piscationi operam dabat, Ecclesiæ ministros designat, qui Christi navem, Ecclesiam scilicet regunt, et baptizandi ministerium habent. *Ex tribu Joseph duodecim millia signati.* Joseph, *accrescens*, sive *mundi salvator* interpretatur, per quem apostolos et B doctores intelligimus, qui Christi militiam crescere fecerunt, et verbum Dei ubique seminantes, mundum fame periclitantem salvaverunt. *Ex tribu Benjamin duodecim millia signati.* Benjamin, **318** *lupus rapax*, sive *filius dexteræ*, eos significat qui semper avidi verbi Dei (1486), sacri eloquii doctrina satiari non possunt; et hi quidem sinistram relinquentes, per dexteram viam, quæ ducit ad vitam, gradiuntur; qualis fuit Apostolus, qui ex eadem tribu natus est (1487). Quod autem tribus Dan inter cæteras tribus non computatur, sed pro ea tribus Manasse, qui non Jacob, sed Joseph filius fuit, interponitur; illud significare puto quod ex apostolorum numero, Juda abjecto, pro eo Mathias C est subrogatus. Sicut enim Judas Christum morti tradidit, ita Antichristus, qui de tribu Dan nasciturus est, ejus servos multos interficiens, ipsius nomen et fidem destruere conabitur.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum : et clamabant voce magna, dicentes : Salus Deo nostro, et qui sedet super thronum, et agno. Hæc magna turba, quæ infinita est et numerari non potest, Ecclesia est, quæ non ex solis Judæis, sed ex cunctis gentibus, et tribubus, et populis et linguis in unam fidem undique collecta est. Hujus autem filii ante thronum stare dicuntur : quia omnes, ut D Apostolus ait, « sive boni, sive mali, stabimus ante tribunal Christi (*Rom.* XIV, 10). » Stabant autem et in conspectu agni, quia nequaquam de illis erant de quibus dicitur: « Tollantur impii, ne videant gloriam Dei (*Isa.* XXVI, 10). » Sed quomodo sta-

que puto de aliqua tribu tot esse salvandos quot tribu Juda, quæ semper plus cæteris Domino æsit (1484). Sed quoniam de filiis Ecclesiæ postam locutus est, quorum multitudinem dinumerare no poterat, ideo filios Synagogæ in numero po-, ut multo plures his filios Ecclesiæ esse scias(1485). Quæ enim finitis ad infinita comparatio? uitur : *Ex tribu Juda duodecim millia signati.* enim ordine quo nati sunt patriarchæ, hoc in ponuntur; non enim Judas, sed Ruben primoitus fuit; sed iste, quia cubile patris maculavit, nogenita perdidit, et ille, quia de ejus stirpe nem Christus assumpsit, regiam dignitatem epit. Judas enim *confessor* interpretatur, et de fessoribus Dominus ait: « Qui me confessus it coram hominibus, confitebor et ego eum co- Patre meo, qui in cœlis est (*Matth.* X, 32). » *tribu Ruben duodecim millia signati.* Ruben *vi- filium* interpretatur, per quem eos intelligimus patris opera considerantes, in creaturis Creatoagnoscunt. *Ex tribu Gad duodecim millia si-i.* Gad, qui *accinctus* dicitur, significat illos us Dominus ait : « Sint lumbi vestri præcincti, icernæ ardentes in manibus vestris (*Luc.* XII, » Tales enim verbi Dei ense semper accincti, rum, vel hæreticorum non timent exercitus. *tribus Aser duodecim millia signati.* Quid enim Aser, qui *beatus*, sive *pinguis panis ejus* interatur, intelligimus, nisi eos qui divini eloquii uedine alios reficientes, secum ad æternæ vitæ itudinem eos perducunt? *Ex tribu Nephtali duo- millia signati.* Nephtali *latitudo* interpretatur, quem eos intelligimus, qui a charitate nunquam lunt; de charitate namque dicitur : « Latum latum tuum nimis (*Psal.* XIX, 60). » Itemque: nitudo legis est dilectio (*Rom.* XIII, 10). » *Ex Manasse duodecim millia signati.* Et Manasses m interpretatur *oblivio*. Ex ejus tribu illi sunt, Christi calice inebriati omnium terrenorum iscuntur. Talis erat beatus Paulus, qui dice« Nihil judicavi scire inter vos nisi Christum , et hunc crucifixum (*I Cor.* II, 2). » *Ex tribu n duodecim millia signati.* Sed quid Simeon, *habitaculum* interpretatur, nisi eos significat ospitalitatem sectantes, simul cum Apostolo : « Non habemus hic manentem civitatem, sed m inquirimus (*Hebr.* XIII, 14). » Et cum Psal: « Domine, quis habitavit in tabernaculo tuo? »

84) De numero salvandorum Judæorum in fine i variæ sunt scriptorum sententiæ, quas refert lius; plures autem D. Pauli auctoritati adit, dicentis omnem Israel salvandum ad Rom.

85) Cum totus orbis, juxta Christi promissio- antequam mundus finem habeat, futurus sit grex sub uno pastore, multo major erit numehristianorum salvandorum, quam Judæorum, ipsi in Christum credent; ac proinde, ut bene S. Bruno, eorum numerus a S. Joanne circumscribitur; sed de Christianis dicit esse turbam magnam quam dinumerare nemo poterit.

(1486) Cod. Vat., « audiendi verbum Dei. »

(1487) Per hujusmodi nominum tribuum interpretationes, quæ communes sunt apud commentatores, diversæ ad salutem viæ ostenduntur; scilicet quod aliqui per excellentiam fidei, alii per charitatem, alii per contemptum mundi, hi per Evangelii propagationem vitam æternam consequuntur, etc.

Digitized by Google

bant? Amicti stolis albis, induti videlicet carne immortali et incorruptibili, et bonorum operum veste candidati (1488). *Et palmæ in manibus eorum;* quibus inimicorum suorum omnium eos victores exstitisse significabatur. Et clamabant voce magna, dicentes: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et agno:* merito ei salutem optant, et de salute gratias agunt, a quo se salvatos esse cognoscunt (1489).

Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Dominum, dicentes: Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. De throno namque, et senioribus, et quatuor animalibus satis superius dictum est. Postquam sanctorum multitudo innumerabiles laudes, et gratias Domino egit, confestim eorum voci respondentes angelorum exercitus circumstantes ceciderunt in facies suas, et adoraverunt, dicentes: Amen, id est, sicut dicitis, ita fiat. Sit benedictio ab omni creatura, et claritas nobilitatis, et sapientia operationis, et gratiarum actio de beneficiis, et honor dignitatis, et virtus regiminis, et fortitudo superandi inimicos Deo nostro in sæcula sæculorum (1490). Amen.

Et respondens unus de senioribus dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt? Et dixi illi: Domine, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni; ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus, et qui sedet in throno, habitat super illos. Beatus namque Joannes in persona Ecclesiæ cogitabat, qui essent illi candidati, quos ante thronum stare videbat, ideoque interrogatur ab uno de senioribus, quos esse, vel unde venisse opinetur? Qui non suæ credens, sed illius sententiam audire volens, non se, sed illum scire respondit. Hoc enim omnes seniores prædicaverunt, hoc in sanctis Scripturis interrogati respondent: Interroga Paulum, et dicet tibi: « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). » Ait ergo: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna,* quam non solum a persecutoribus, verum etiam in fame et siti, in frigore et nuditate, multisque aliis modis pro Christi nomine passi sunt. *Et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni.* Est enim stola talaris vestis, id est ad talos usque pertingens, per quam, carnem intelligimus, quæ Christi sanguine redempto super nivem dealbata est; ideo enim in **319** Christi latere sanguis simul et aqua exiit, ut nos redimeret et lavaret. Sequitur: Et qui in lavati et mundati sunt, ideo sunt ante thronum Dei, ubi immundus et coinquinatus stare non poterit; et *serviunt ei die ac nocte,* sine intermissione videlicet et jubilantes et laudantes Deum in cœlesti Jerusalem. Et qui sedet in throno, habitat super illos, quoniam nulli alii potestati subjiciuntur; ac solus Deus est illorum princeps.

Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Non enim esurire et sitire poterunt qui summi boni visione saturabuntur. At vero neque cadet super illos sol, neque ullus æstus, quia nulla tribulationis adustio, nullus tentationum ardor super eos ulterius descendet. Quare hoc? Quoniam agnus, qui in medio throni est, id est Filius, qui est in sinu et corde Patris, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, quibus refecti, neque famem, neque sitim, neque calorem vel æstum patiuntur. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum,* quia nihil unde flere et dolere debeant adest. Qui enim seminant in lacrymis, in gaudio metent vitam æternam.

CAPUT VIII

Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi media hora. Septimo sigillo aperto, factum est silentium (1491); quia jam non erit necesse ut alter alteri loquatur: omnes enim omnia scient: tunc enim facie ad faciem videbimus quem nunc per speculum videmus et in ænigmate. Quod autem ait: *Quasi media hora;* ad hoc valet: quia, quamvis post judicium nulla in Ecclesia fiat prædicatio, silentium imperfectum posuit. Quod iterum a capite incipiens, de eisdem est locutus. Ait ergo: *Et cum aperuisset sigillum septimum,* id est quo omnia secreta revelavit, factum est silentium in cœlo; per se quidem continuum et æternum, nam

(1488) Vestis beatorum in cœlo, postquam in resurrectione carnem assumpserint, erit immortalitas, incorruptibilitas, perfectaque in omnibus potentiis glorificatio, ut nihil ad omnimodam felicitatem eis desit.

(1489) « Magna, » inquit S. August. Serm. 11 De sanctis, « voce decantant, qui magna gratiarum actione recolunt, non sua se virtute, sed ipso auxiliante, tribulationum impugnantium superasse certamina. »

(1490) Usque dum hoc in mundo sumus infirmitatis et ignorantiæ humanæ velamine circumamicti, actus condignos laudis et honoris Dei elicere non valemus; cum vero ante conspectum ejus apparuerimus, vultus ejus lumine illustrati, tunc elevabimur ad repetendas ei grates, ad magnificandam bonitatem, et ad cætera ejus attributa celebranda, quæ modo nonnisi in ænigmate et in speculo cognoscimus; sed tunc facie ad faciem eum videbimus et laudabimus.

(1491) Magnum in hoc silentio contineri mysterium ex pluribus interpretationibus, quas refert Cornelius, constat. Quis eorum veritatem attigerit, non est meum judicare; non improbabile est in eo significari admirationem, et stuporem quo rapti abrepti sunt, cum aperto septimo sigillo cognoverunt quæ ante extremum judicium secutura erant in mundo, quæque subinde Joannes annuntiavit

Digitized by Google

ntem, quia angelis iterum locuturus erat, per meliam horam interruptum est. Atque pene eadem quæ superius dixerat, quamvis aliis verbis, iterum loqui cœpit, sicut in sequentibus audietis.

LIBER TERTIUS.

320 *Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ.* De his enim eptem angelis, nihil ad præsens locuturus est, donec ad illum locum perveniat, ubi ait : *Et septem ngeli, qui habebant septem tubas, paraverunt se ut uba canerent.* Interim videamus quid sequitur :

Et alius angelus venit, et stetit ante altare, habens huribulum aureum, et data sunt illi incensa multa ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum, et ascendit umus incensorum de orationibus sanctorum, de manu ngeli coram Domino. Hic enim Angelus Christus est, ui de Virgine carnem suscipiens, Patris voluntatem undo annuntiavit (1492). Stetit autem ante altare, quia non timuit crucem ascendere, in qua pse sacerdos et sacrificium se ipsum pro nobis Deo Patri hostiam placabilem immolavit; habens thuribulum aureum, pretiosum videlicet corpus, quod de Virgine Matre suscepit, in quo et ipsa divinitas, et virtutum omnium abundantia redolebat. Et data unt ei incensa multa, quia sanctorum aromata et orationes parum odoris habebant, antequam in hoc thuribulum imponerentur : ipse est enim mediator Dei et hominum, qui nostras orationes Deo Patri repræsentat; unde et subditur : *Ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod st ante thronum.* Ecce aliud altare, quod aureum sse dicitur, per quod providam et sapientissimam Dei memoriam intelligimus. Et sic videtur esse dictum, quasi prædictus angelus cum aureo thuribulo le altari crucis, super altare aureum sanctorum ponat orationes. Et Dei quidem memoria altare dicitur, quia nullum sacrificium valet, cujus odor eam non tangit. Et ascendit fumus incensorum, factus ubauditur, de orationibus sanctorum, de manu ngeli, qui eas offerebat coram Domino : gratia amque ministri chara facta est oblatio.

Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de gne altaris, et misit in terram, et facta sunt tonitrua, A *et voces, et fulgura, et terræmotus magnus.* Dixerat enim superius quod angelus, habens thuribulum aureum, stetit ante altare : nunc autem dicit quod ipsum thuribulum accepit atque de igne altaris implevit : et thuribulum quidem, carnem Christi; altare vero, crucem significare diximus (1493) : accepit ergo angelus thuribulum, Christus videlicet carnem suam, et implevit illud de igne altaris : alapis scilicet et flagellis, clavis et spineæ coronæ, cruci et aceto, omnibusque opprobriis eam subjiciens; et tali quidem igne Salvator noster pro nobis exustus est : accepit autem, ideo dicit; quia humanitas ex toto in potestate divinitatis sese tradiderat. Unde ipse dicebat : « Non mea, Pater, sed tua voluntas fiat (*Luc.* XXII, 42). » Quod autem ait : *Et* B *misit in terram ;* dupliciter intelligi potest, sive quia caro ejus, postquam igne tribulationis et opprobriis plena et satiata fuit, in terram, id est in sepulcrum eam Dominus misit, et tribus diebus jacere permisit; sive etiam misit in terram, quia ubique terrarum per discipulos suos ejus passio prædicatur. Misit autem, quando dixit : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 16). » Et facta sunt tonitrua : doctoribus ubique altisone Deum laudantibus. Et voces, populi scilicet sua peccata confitentis. Et fulgura, virtutum utique et miraculorum signis coruscantibus. Et terræ motus magnus : aliis ad fidem venientibus, **321** atque aliis contra fidem sævientibus.

C *Et septem angeli, qui habebant septem tubas, paraverunt se, ut tuba canerent.* His autem expeditis, in quibus Christi nativitas, et passio breviter continetur, ad ea revertitur, quæ superius narranda susceperat. Septem enim angeli, septem doctores sunt, septem vero tubæ septem prædicationes. Nam quia, ut supra diximus, tempora non sunt nisi septem; ideo angeli et tubæ, quamvis pene innumerabiles sint, non tamen dicuntur nisi septem. Sic autem et Ecclesias, quamvis plures sint, non tamen scripsit

(1492) Hæc mystice juxta morem suum explicavit Bruno; verum non desunt qui vere et proprie significari angelum velint, ut sunt septem alii qui tuba canere, et phialas effundere a Joanne memorantur. Putant enim, ut Aretas, Ribera et alii, peculiarem esse angelum, qui celebranti sacerdoti assistat, eum D adjuvet et dirigat, ejus preces et hostias Deo offerat, sive is angelus sit custos celebrantis, sive custos altaris et templi, ad hanc custodiam et oblationem sacrificiorum peculiariter a Deo deputatus. Hujusmodi expositio plane cohæret cum oratione quam in canone missæ recitamus : Supplices, te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc proferri per manus sancti angeli tui, in sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ. Ita D. Th. III p., q. 83, art. 4 ad 9.

(1493) Suscepta a Brunone mystica loci hujus interpretatione, eam usque ad finem studiose prosequitur, omnia ad Christum, et ad Ecclesiam referens, in quo non minus ingenium, quam pietas spectanda est. Reliqui sane expositores de plagis, seu de calamitatibus, et in imperium Romanum pro varietate temporum effundendis amplissime disserunt. Et revera si hisce vaticiniis facta jam peracta conferantur, vera fuisse confitebimur; adeoque ea etiam indubia habenda sunt, quæ obvenient mundo ad finem versuro.

Digitized by Google

nisi septem; septem quidem Ecclesiis, septem angeli septemque tubæ sufficiunt.

Et primus angelus tuba cecinit, et facta est grando, et ignis mistus in sanguine, et missus est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum combusta est, et omne fenum viride combustum est. Primo namque angelo tuba canente, id est primis doctoribus prædicare inchoantibus, facta est grando, et ignis mistus in sanguine; id est ira, et indignatio, non sine multorum pernicie et calamitate: nam qui apostolis credere noluerunt, ideo ira, et indignatio, et furor descendit super eos. Unde Apostolus ait : « Aliis sumus odor vitæ ad vitam; aliis odor mortis ad mortem (*II Cor.* II, 16). » Et Dominus in Evangelio : « Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccatis suis (*Joan.* XV, 22). » Sed quia non dicit a quo grando, et ignis iste factus sit, et de Deo, et de diabolo intelligi potest, quia nihil ille, nisi permissus operatur, secundum illud : « Misit eos in iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem, immissiones per angelos malos (*Psal.* LXXVII, 49). » Tali enim grandine, talique igne, terram, et peccatores iste nequam conterit, et exurit. Unde et subditur : *Et missus est in terram.* Sed quid egit? Sequitur. *Tertia pars terræ combusta est et tertia pars arborum combusta est.* Sed quis est, quod sola tertia pars comburitur et dissipatur, cum utique multo plures sint illi qui salvantur (1494) : « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi? » (*Matth.* XXII, 14.) Duæ ergo partes quæ salvantur, prælati et subditi intelliguntur; de quibus Dominus ait : « Si duo ex vobis consenserint de omni verbo quod petieritis, fiet vobis (*Matth.* XVIII, 19). » Tertia vero pars, quæ neque inter prælatos Ecclesiæ, neque inter subditos enumeratur, hæretici sunt omnesque infideles, qui procul dubio igni tradentur inexstinguibili. Et hæc quidem tertia pars secundum numeri quantitatem illis duabus major erit. Exuritur ergo terra; corpora videlicet infidelium exuruntur, et arbores quæ fructum non ferunt : « Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). » Et omne fenum viride combustum est, populus videlicet luxuriæ et voluptati deditus, qui solummodo mundi florem, viriditatem et pulchritudinem concupiscit : « Vere enim fenum est populus (*Isa.* VII, 8). »

Et secundus angelus tuba cecinit, et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis, et mortua est tertia pars creaturæ, quæ habebat animas in mari, et tertia pars navium interiit. — Secundus namque angelus tuba cecinit; quia post primam secunda prædicatio cœpit, et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare. Mons enim magnus ille est, qui quondam in corde suo dicebat : « In cœlum ascendam, super cœli sidera exaltabo solium meum (*Isa.* XIV, 13). » Et talis quidem mons ille est, de quo Dominus ait : « Habete fidem Dei; amen dico vobis, quicunque dixerit huic monti : Tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei (*Marc.* XI, 23). » Ille autem mons igne invidiæ, odii, pravique desideri semper ardet, qui in mare et inter mundi hujus procellas missus, discordias et lites concitare non cessat. Unde tertia pars maris sanguis facta est, id est omnis illa doctrina, et scientia, quæ a duobus Testamentis discordat, sive philosophorum, sive hæreticorum sit, nihil aliud est, nisi sanguis et peccatum; qui ergo ea utuntur, moriuntur; unde et subditur : *Et mortua est tertia pars creaturæ, quæ habebat animas in mari.* Animata enim creatura, quæ in mari mortua est, id est, quæ amara et perversa sapientia inebriata a veritate discedit, illi sunt de quibus Apostolus ait : « Quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim esse sapientes, stulti facti sunt (*Rom.* I, 21). » Cur autem tertia pars moriatur, supra dictum est. Sequitur. *Et tertia pars navium interiit.* Sunt enim naves bonæ et malæ. Bona navis beati Petri, in qua cum apostolis Christus residebat, et septem quidem prædictæ Ecclesiæ septem naves sunt (1495) : in quibus vero Judæi, hæretici, et philosophi navigant, ipsa est tertia pars navium, quæ interibit.

322 *Et tertius angelus tuba cecinit, et cecidit de cœlo stella magna, ardens tanquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum, et nomen stellæ dicitur absinthium, et facta est tertia pars aquarum in absinthium, et multitudo hominum mortui sunt de aquis, quæ amaræ factæ sunt.* — Tertius enim angelus tuba cecinit, quando tertia prædicatio cœpit, in qua stella magna ardens tanquam facula de cœlo cadens, in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum cecidisse narratur. Quando aliquis hæreticorum ab Ecclesiæ fide divisus, qui magno sapientiæ lumine splendere videbatur, omnes illos suæ amaritudinis felle infecit, qui puram et sinceram fidem tenere neglexerunt. Toties enim de cœlo stella cadit, quoties aliquis fidelis per hæresim ab Ecclesia separatur; sed quanto astutior et sapientior est, tanto majorem flammam ferre videtur, et quamvis totus de cœlo cadat, tamen non utique cadit, ubi enim erat, ibi cadit. Cadit autem in tertiam partem fluminum. Duo autem flumina, duo sunt Testamenta : fontes autem tot sunt quot et doctores. In his autem nemo cadit, quia nulla hæresis in eis est. Tertium ergo flumen, in quo hæretici cadunt, ipsum est quod ipsi faciunt : faciunt enim, quoniam eorum hæretica doctrina in prædictis fluminibus non intelligitur prædicabat. Bona navis, in qua cum apostolis Christus sedebat. Et septem quidem, » etc.

(1494) Cod. Vat., « qui pereunt, quam illi qui salvantur. »

(1495) Cod. Vat., « in qua Christus residens popu-

Digitized by Google

nitur. Et merito stella absinthium vocatur, quia ad illius herbæ similitudinem, quæ hoc nomine censeur, felle, omnique amaritudine plena est; cujus aporem ille fugit qui cum Propheta Domino dicit: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel, t favum ori meo (*Psal.* CXVIII, 103). » Et facta est ertia pars aquarum in absinthium; illa videlicet uæ de hæreticorum corde manat, et quæ a prædiis fluminibus non derivatur. Sed quid sequitur? it multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ actæ sunt; amara est ergo hæreticorum doctrina, nortifera et venenata: « Venenum aspidum sub abiis eorum (*Psal.* XIII, 3). » Fuge ergo has aquas, Christiane, noli eas bibere: nota sunt flumina, noti unt fontes aquarum salientium in vitam æternam, e quibus, si biberis, non sities ultra.

Et quartus angelus tuba cecinit, et percussa est ertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stelarum; ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei on luceret tertia pars, et noctis similiter. Prædicat ngelus, excitatur hæreticus; neque enim fortasse ste loqueretur, nisi prius ille aliquid dixisset, quod ujus fidei contrarium esse videretur. Notandum utem quoniam in secundo libro tyrannorum perecutio describitur; ita et in hoc tertio hæreticorum lenissime continetur (1496); quæ quidem persecuio tanto gravior illa fuit, quanto meliores sunt aniæ quam corpora, quas isti persequebantur. Hæc utem hæresis de qua nunc loquitur, proprie Ariaorum et Sabellianorum esse videtur, qui de ipsa livinitate prave disputantes, alii unitatem, alii Triitatem negabant (1497). Unde et hic dicitur, quia *ercussa est tertia pars solis.* Quid enim per solem, isi Dominum ipsum, a quo omnia illuminantur inelligere debemus? Solis ergo tertiam partem Arius ercutiebat, quando Filium a Patre dividens, ipso minorem esse dicebat. Sed nunquid similiter Sabellius tertiam solis partem non feriebat, quando otius Trinitatis unam dicebat esse personam? Hæc autem hæresis in tantum crevit, ut pene totum ad e mundum traheret (1498). Unde et subditur: *Et ercussa est tertia pars lunæ.* Quod autem luna Ecclesiam significat, nemo ignorat qui sacras Scripturas intelligit. Percussa est ergo tertia pars lunæ, quia omnes illi hac hæresi perierunt, qui neque doctoribus credere, neque inter auditores esse voluerunt. Sed quamdam tertiam novamque doctrinam imitantes, et subjectos, et prælatos pariter respuerunt. Has autem duas partes habet Ecclesia, si qua tertia est, ipsius non est. Sequitur: *Et tertia pars stellarum.* Multi enim ab hæreticis decepti sunt, qui propter doctrinam et scientiam quam habebant, tanquam stellæ in Ecclesia splendere videbantur. Quia ergo cœlo et Ecclesiæ fidei firmiter non adhæserunt; ideo ab hæreticis percussi sunt. Sed qualiter percussi? Ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret pars tertia, et noctis similiter. Quæ sit autem tertia pars quæ obscuratur, satis dictum est. Sed quomodo diei et nocti, perfectis et imperfectis, sapientibus et insipientibus pars illa lucere potest, quæ et regem sequitur tenebrarum, et per erroris iter incedens in fumum **323** desinit et caliginem? Nam et ipsius solis tertiam partem, de qua jam diximus, in tantum hæretici offuscaverunt (1499), ut ipsi quoque sapientes dubitarent quid eligere debuissent (1500).

Et vidi, et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœlum, dicentis voce magna: Væ! væ! væ habitantibus in terra! Nam quia aquila altius volat, et oculis irreverberatis, præ cæteris animalibus solem acutius intuetur, eos in Ecclesia designat, qui et sapientiores sunt, et Dei notitiam majorem habere meruerunt. Vidit ergo beatus Joannes et audivit hanc aquilam, doctorem scilicet aliquem per medium Ecclesiarum sollicite discurrentem, et quantum populo imminebat, quantumque scandalum in Ecclesia emergebat, magna voce dicentem. Hoc enim et ipse Dominus in Evangelio ait: « Væ mundo a scandalis (*Matth.* XVIII, 7). » Sic autem et doctor iste videns tantam hæresim, tantaque bella contra sanctos exsurgere, ut sibi quisque caveat, magna voce admonet, dicens: *Væ! væ! væ habitantibus in terra!* De cæteris vocibus (1501) trium angelorum, qui erant tuba canituri, subauditur amodo tractare incipiens: est autem titulus eorum quæ sequuntur.

CAPUT IX.

Et quintus angelus tuba cecinit, et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, et data est illi clavis putei abyssi, et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol, et aer de fumo putei. Quinto enim angelo tuba canente, stella de cœlo in terram cecidit, quia,

(1496) Brunonem hac in interpretatione secuti unt alii expositores, ut videre est apud Cornelium, almetum, Viegam, etc.

(1497) Cod. Vat., *denegant.*

(1498) Hic forte aliquid deest, quod hæc conjunat cum periocha, in qua S. Bruno loquitur de hæesi Ariana. Sabelliana enim, cum qua videtur conexus sequens sermo, non adeo amplos habuit fines, ec adeo Christiano nomini fuit luctuosa, ut Ariana. lla enim, teste Epiphanio, duntaxat in Mesopotamia circa Romam obtinuit. Ariana vero, sicuti notissimum est, adeo fraudulenta fuit ut fere omnis hristianus orbis visus sit Arianus, non quod episcopi in concilio subscripserint formulæ, quam Ariam intelligerent, seu a catholica doctrina alienam, sed quod existimarunt catholicam, quam subdoli Ariani tuebantur in sensu pravo, quem necessario non ferebant verba ipsius formulæ, quæ poterat catholica censeri.

(1499) Cod. Vat., *obscurarentur.*

(1500) Qui versati sunt in ecclesiastica historia, si ex multis hæreses tantum Arianam et Pelagianam mente observabunt, quam longa quamque acerba intulerint mala in Ecclesiam videbunt, ut non simplices modo, sed clariores in doctrina et in dignitatibus deceptos lugere debuerit. Revera tunc tertia pars stellarum obscurata apparuit.

(1501) Cod. Vatic., *tuæ.*

Digitized by Google

quinta prædicatione incipiente, diabolus eam ferre non valens, Ecclesiam fugiens, inter iniquos et peccatores habitationem sibi paravit; ut, quia verba vitæ coercere non valuit, saltem contra sanctos iniquorum turbas concitaret (1502). *Et data est illi clavis putei abyssi.* Abyssus infernum, puteus ejus Antichristum significat, clavis putei potestas diaboli est. Unde et subditur : *Et aperuit puteum abyssi.* Nam (1503) ante hoc tempus puteus abyssi, id est os Antichristi clausum erat; qualis aqua in abysso contineretur, nesciebatur. Diabolus ergo clavi potentiæ suæ hujus nequissimi os ad loquendum aperuit, et quidquid sceleris et blasphemiarum infernus habebat, hujus nefario ore miseris suis auditoribus propinavit. Sequitur : *Et ascendit fumus putei sicut ignis fornacis magnæ.* Ideo enim Antichristus dicitur, quia Christo contraria operatur. Ergo quia Christus est lux vera qua totus mundus illuminatur, merito de ore Antichristi fumus et caligo ascendit, qua ipse sol et aer obscuratur; unde et subditur : *Et obscuratus est sol et aer de fumo putei.* Tanta enim erit hujus obscura et fraudulenta hæresis, tantaque nubes deceptionis ut ipsius solis justitiæ Christi Dei nostri nomen pene deleat, obscuret et ad nihilum redigat. Aer quoque non lucebit, quia erroris caligo ubique terrarum densabitur, quæ Deum inter et hominem posita ab eorum oculis ipsius claritatis lumen abscondet.

Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ; et præceptum est illis ne læderent fenum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum in frontibus suis. Locustæ namque, quæ de fumo putei in terram exierunt, multitudo hæreticorum est (1504), qui ab iniqui hujus hominis errore exorti, totam devastantes terram replebunt. Et bene locustis hæretici computantur (1505) quia, soluti et sine jugo, terram et Ecclesiam Dei ubique voraci aviditate depopulari non cessant. Quæ sicut scorpiones potestatem habere perhibentur, qui longis ulnis suæ deceptionis eos quos possunt complectentes et ad se trahentes, novissime cauda feriunt, et post multa pocula sinceræ fidei, suæ hæreseos venena infundunt. Si enim a principio suam hæresim propalarent, nemo eis credere vellet; ideo ergo veritatis **324** verba præponunt (1506), ut falsitas subsequens suscipiatur. Præcipitur autem illis, ut nihil aliud lædant, nisi homines, qui signum Dei in suis frontibus non habebant (1507). Signum namque Dei in fronte habet, qui nihil timens, statim ad primam interrogationem se Christianum esse confitetur : qui præ timore aliquo Christi nomen occultat, hic signum Dei in fronte non habet. Tales ergo; id est falsi Christiani, sive etiam qui signum Dei nunquam receperunt, ut Judæi et pagani, facile ab hæreticis decipi possunt. Fenum autem terræ, et omne viride, omnisque arbor fructifera, et in paradiso Dei, quæ est Ecclesia plantata, eorum fraudulenta versutia non lædetur quia sancto Spiritu eam vivificante, tam fortis viridisque est, quod nullo veneno occidi poterit.

Et dictum est ne occiderent eos, sed ut cruciarent mensibus quinque, et cruciatus eorum sicut cruciatus scorpii, cum percutit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam, et cupient mori, et fugiet mors ab illis. Tanta est enim iniquitas malignorum spirituum, qui in eis locustis sedent et habitant, ut, si divina providentia eis frena laxaret, uno momento omnes homines interimerent. Sed quia non possunt, cruciant, ut possunt. Hoc autem mensibus quinque : quinque namque mensibus hæc diaboli membra cruciandi potestatem habere perhibentur, qui numerus, quoniam imperfectus est (siquidem neque annum, neque dimidium complet), brevi tempore Antichristum regnare significat; tribus enim annis, et dimidio suæ iniquitatis potestatem exercebit : « Nisi enim Dominus abbreviasset dies illos, non fieret salva omnis caro (*Matth.* XIII, 20). » Possumus autem et sic intelligere, ut, quamvis toto illo tempore homines decipere non posset, quinque tamen illis ultimis mensibus, signis et prodigiis, omnique decipiendi arti operam dabit, ut quasi Deus adoretur, colatur et veneretur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Nam et Salomon ait : « Ante ruinam exaltatur cor (*Prov.* XVI, 18). » Et merito quinque mensibus cruciantur, qui Creatorem suum quinque corporis sensibus offendere non timuerunt. Sed quomodo cruciantur? Sequitur : *Et cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii, cum percutit hominem.* Unde datur intelligi quod non tantum aperta persecutione, quantum occulta persuasione homines vulnerabit. Quod autem ait : *Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient,* dupliciter intelligi potest. Et mali quidem, quia ultimum tremendi judicii diem, jam manifestis signis, appropinquare videbunt, magis mori vellent quam eadem terribilia pati : vellent enim impii mori sed non possunt; vivent igitur, ut nunquam mortis periculo careant. Quod si de bonis intelligatur, [illegible]

(1502) Prosequitur S. Joannes statum Ecclesiæ vaticinans, cujus priorum seculorum victoriis invidit diabolus, triumphaverat enim de Judæis, de idololatris et de primis hæreticis; novos hujus generis hostes, hæresiarchas dico in Luthero, Calvino et eorum sectatoribus excitavit. Apertus quodammodo fuit puteus abyssi, cum tot publicarunt errores et blasphemias sub specie reformationis Ecclesiæ, ut evangelica veritas multis in regnis et provinciis obscurata fuerit, et modo etiam in eadem lugenda obscuritate remaneant.

(1503) Cod., *namque ante id temporis.*

(1504) Hæc eadem interpretatio est Lyrani, Arcoli, S. Antonini, et card. Bellarmini, etc., quos citat Cornelius. Quot hæreticorum monstra, velut infestus locustarum exercitus ex Lutheranismo et Calvinismo prodierint scriptores nostri testantur.

(1505) Cod. Vat., *comparantur.*

(1506) Cod. Vat., *proponunt.*

(1507) Id. cod., *non habent.*

Digitized by Google

erit tribulatio et angustia, tantusque timor, ne ab iniquis decipiantur, ut mori cupiant et esse cum Christo : « Erit enim tunc persecutio talis, qualis non fuit ab initio sæculi, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth.* XXIV, 21). » Et hoc est quod boni timebunt; unde magis mori quam vivere desiderabunt. *Sed fugiet mors ab eis;* ut ad eum diem perveniant, in quo divina dispensatione de hoc mundo migrare ante sæcula prædestinati sunt. Sequitur :

Et similitudines locustarum similes equis paratis ad prælium. Et super capita earum tanquam coronæ similes auro, et facies earum sicut facies hominum (1508). Diximus enim per locustas, hæreticos significari, qui bene equis paratis in prælium assimilantur, quia arrogantiæ fastu semper bella concupiscunt; de quibus Psalmista : « Dissipa gentes quæ bella volunt (*Psal.* LXVII, 31). » Portant autem tanquam coronas similes auro super capita, quia garrulitate et sophismatibus contra sanctos disputantes, eum veritati acquiescere nolunt, ne victi videantur, victores et sapientes a stultis et miseris hominibus esse creduntur : corona namque victoriam, aurum vero sapientiam designat. Habent ergo coronas, tanquam auro similes, quia non veraciter, nec sapienter vincunt, sed quasi victores esse videntur. Facies vero hominum repræsentant, quia de Scripturis divinis testimonia proferentes, rationabiliter se loqui velle promittunt. Sed quia in his facile superantur, quasi scorpius cauda ferientes, ad dialecticas quæstiones sese convertunt. Cum autem fera sint crudeliores, hominum tamen simplicitatem se habere simulant.

Et habebant capillos sicut capillos mulierum, et dentes eorum sicut leonum erant. Quid enim per capillos mulierum, quos hæretici habent, nisi eorum vitam mollem, muliebrem et in omnem luxuriam dissolutam intelligimus. Hoc enim Apostolus intelligens præcipit mulierem **325** velare caput suum. Habent autem et dentes, sicut leones, quia et omnibus detrahunt, et leviter provocati facile irascuntur, et ad se vindicandum, quasi leones, quod in animo gerunt, statim in dentibus et verbis ostendunt.

Et habebant loricas, sicut loricas ferreas, et vox alarum earum, sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. Ferreas autem loricas hæretici habent, quia dialecticis argumentis et syllogismorum concatenatione sic sua dogmata tuentur, ut eis quoque sententiis veritatis non facile dissolvantur. Habent autem et alas, quibus velociter circumvolantes, suas hæreses omnibus manifestant; per quas nihil melius quam eorum discipulos intelligere possumus; quarum videlicet alarum vox ita sonat, veluti currus multorum equorum, cum in bello gradiuntur; unde cum strepitu, superbia et garrulitate eorum prædicatio magis agi videtur, quam cum ratione et veritate.

Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum, et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. Per caudam enim, quæ posterior animalis pars est, ultima actio hæreticæ pravitatis intelligitur, quæ caudis scorpionum similis dicitur; quia sicut scorpius cauda percutit, sic et hæreticus, cum multa bona prius prædicet et ostendat, in fine tamen occultum virus infundit, quo animas hominum pertrahit ad interitum. Unde et subditur : *Et aculei erant in caudis earum.* Nam et Apostolus ait : « Aculeus peccati mors (*I Cor.* XV, 59). » Portant ergo hæretici mortem in caudis, quia finis consilii ipsorum mortis vulnere non carebit. Sequitur : *Et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.* Cur autem quinque mensibus nocere dicantur, superius exposuimus.

Et habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, *Græce autem* ἀπολλύων, *et Latine habens nomen* exterminans. *Væ unum abiit, et ecce veniunt duo væ post hæc.* Quis est enim hic angelus abyssi, nisi Antichristus, qui et puteus abyssi supra vocatur? Cœlestis ergo nuntius, Christus, tartareus Antichristus ; ille ad cœlos, iste ad tartara suos invitat. Et sicut Christus est rex omnium fidelium, ita et Antichristus rex est omnium hæreticorum et infidelium. Cujus nomen beatus Joannes tribus principalibus linguis exprimere voluit (1509) ut omnes eum cognoscerent, omnesque eum vitarent. Quis enim exterminantem non fugiat? Exterminat enim et prius quidem extra terminos fidei et Ecclesiæ, deinde vero extra terminos supernæ Jerusalem, omnes sibi obedientes exterminat et eliminat. Quod autem væ jam abiisse dicitur, primam ejus discipulorumque ejus, quos et locustas appellavit, prædicationem intelligimus; tribus enim annis regnabit, tribus prædicationibus prædicabit, atque tribus væ homines affliget.

Et sextus angelus tuba cecinit, et audivi unum ex cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei, dicens sexto angelo, qui habebat tubam : Solve quatuor angelos, qui ligati sunt in flumine magno Euphrate. Quintus namque et sextus angelus, de quibus jam diximus et dicturi sumus, doctores Ecclesiæ erunt, quorum tempore veniens Antichristus, eorum prædicationibus suis falsis sermonibus obviabit. Hoc autem altare omni pulchritudine et sapientia decoratum, in quo Christi passio, omneque ejus sacrificium qualiter fuerit, qualiterque fieri debeat, plenissime continetur, Novum

(1508) Quamvis supramemorati hæretici, ex quo falsas doctrinas suas effuderunt, multis malis Ecclesiam affecerint ; attamen persæpe victi ac profligati a validissimis fidei propugnatoribus concidendi. Verum extremis temporibus, et Antichristo dominante, fortiores audaciosresque fient, extremamque subversionem justorum probeque credentium minitabuntur.

(1509) Versio Latina vocis Græcæ, ut notat Cornelius, addita est ab interprete. S. enim Joannes Græce Apocalypsim scripsit.

Digitized by Google

Testamentum esse credimus, cujus quatuor cornua, quatuor evangelistas esse putamus. Quod bene ante Dei oculos esse dicitur, quia cujus spiritu compositum est, ab ejus oculis, et memoria non recedit. Est etiam ante oculos Dei, quoniam sancti, qui Dei oculi vocantur, omni tempore illico sanctificantur (1510), et in eo se exercent. Loquitur ergo unum ex quatuor cornibus altaris, id est aliquis evangelistarum (quod enim unus dicit, omnes dicunt), et admonet sextum angelum, qui habebat tubam, ut solvat quatuor angelos in flumine magno Euphrate ligatos. (1511) Quid enim aliud faciunt doctores, nisi quod altaris cornua, id est quatuor Evangelia docent et prædicant? Præcipit ergo Evangelium huic sexto angelo; id est cuilibet doctorum, ut quatuor angelos, qui in prædicto flumine ligati erant, ipse solvat, id est solutos esse ostendat. Hoc namque flumen, quo nullum aliud majus est, mundum esse significat (aquæ enim multæ populi multi), et quia quatuor sunt mundi partes, quatuor quoque angeli esse referuntur, qui nunc quidem, quoniam secundum desiderium suum facere nequeunt, ligati esse dicuntur: at vero tunc soluti erunt, quia cunctis suis viribus mundum **326** vexabunt. Si autem vis scire ubi unum ex cornibus altaris ista præcipiat, lege Matthæum, ait enim : « Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, tunc qui legit, intelligat (*Matth.* XXIV, 13). » Cum enim Ecclesiæ angelus, et doctor Antichristum in templo sedentem videbit, quid aliud dicere poterit, nisi quia diabolus solutus est, et dies ultimus appropinquat?

Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum, ut occiderent tertiam partem hominum, et numerus equestris exercitus vigesies millies dena millia audivi numerum eorum. Soluti sunt, inquit, angeli, quos voce Evangelica sextus angelus nuntiavit esse solutos, qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum, ut quos videlicet in hora superare non possent, per diem integrum eos persequi non cessarent, et qui in die (1512) non vincerentur, per totum mensem tentarentur, quos vero neque per mensem expugnare possent, saltem longa quasi anni obsidione subjugarent. Tale est ergo ac si diceret, quia parati erant sine intermissione et omni tempore ut persequerentur et occiderent tertiam partem hominum, illam videlicet quæ neque inter Ecclesiæ prælatos, neque inter subditos computata, tertiam divisionis et portionis (1513) obtinet locum, de qua quidem parte satis superius dictum est. Quod autem numerus equestris exercitus vigesies millies dena millia referuntur hoc significare puto, ut quia novem sunt angelorum ordines, ad decimum qui excidit dena millia referamus (1514). Per millies ergo, qui numerus multiplex est, eos infinitos et innumerabiles intelligamus; at vero per vigesies, in quibus bis decem continentur, decimum malignorum spirituum ordinem ex malis hominibus duplicatum esse demonstrat. Nihil ergo aliud est vigesies millies dena millia, nisi quod innumerabilis malignorum spirituum ordo etiam ex pravis hominibus sit duplicatus.

Et ita vidi equos in visione, et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas, et capita equorum erant tanquam capita leonum, et de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur. Quid enim per equos, nisi hæreticos? Quid per eorum sessores, nisi malignos spiritus intelligimus? Non est ergo mirum si se per abrupta vitiorum tales equi præcipitant, quos tam feri et insani equites calcaribus stimulant indeficientibus. Habent igitur maligni spiritus loricas, quibus se suosque milites tueantur. Quæ bene igneæ, hyacinthinæ et sulphureæ perhibentur, ut, quod ipsi ad tutamen suscipiunt, hoc eis in detrimentum (1515) vertatur. His tamen armis in bella ruunt, his miseros homines serrant et vincunt. Aliis enim se igneos et iratos ostendunt, ut quondam per se et per membra sua, martyribus faciebant: aliis cæruleos et hyacinthinos, et quasi de cœlestibus venientes, in angelos lucis transfiguratos (hyacinthus namque cœlo in colore similis est) quos vero luxuriæ et turpitudini deditos vident; eos sulphureis armis aggrediuntur; hoc enim unicuique subministrant, in quo ejus animum delectari conspiciunt. Capita vero equorum, per quos hæreticos intelligimus, leonum capitibus similia esse dicuntur, quia sicut leones ita hæretici crudelitate et sanguine gaudent, de quibus bene per Prophetam dicitur : « Sepulcrum patens est guttur eorum (*Psal.* v, 10); » item que : « Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus (*Psal.* 7). » *Et de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur.* Ignis quidem iracundiæ, furoris et odii, fumus autem erroris et cæcitatis, quia, ne Deum cognoscant, mentes hominum caligare faciunt. Per sulphur vero, quid aliud intelligimus, nisi eorum turpes fetidosque sermones, quibus Dominum blasphemare non timent.

Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, fumo et sulphure, qui procedebat ex ore ipsorum : potestas enim equorum in ore est et in cauda eorum, nam caudæ eorum similes sunt serpentibus, habentes capita, et in his nocent. Tertia namque pars hominum quæ occisa perhibetur, ipsa est de qua

(1510) Cod. Vat. *illud scrutantur.*

(1511) Aliqui commentatores, pro his quatuor angelis, quatuor præcipuos dæmones intelligunt, qui quasi præsunt quatuor orbis partibus : ligati autem sunt in passione Domini ne tantum noceant hominibus, quam ante. Hi in fine mundi rursus solventur, ut grassentur puniantque impios. Hi autem ligati sunt in Euphrate. Hic enim locus ad hoc est congruus, quia Euphrates aluit Babyloneam; Babylon autem typus est regni diaboli et imperii, etc. Ita apud Cornelium.

(1512) Cod. Vat., *sic autem et qui in die*

(1513) Cod. Vat., *prædictionis.*

(1514) Idem cod., *reducamus.*

(1515) Cod. Vat., *in tormenta.*

Digitized by Google

am sæpe diximus : non enim in duabus Ecclesiæ partibus hæretici habent potestatem. Et illi quidem gne pereunt, quia timore afflictionis, tribulationis et angustiarum, se hæreticorum dominationi subjiiunt. Quos autem erroris et deceptionis calliditate xcæcant, eos procul dubio fumus suffocat. In sulhure vero moriuntur, qui in eorum turpissima etidaque conversatione delectantur, et ut licentius eccare possint, eorum nefando concilio associantur lios ergo minis, alios calliditate, alios scelerum inpunitate subjiciunt. Sequitur : *Potestas enim quorum in ore est et in caudis eorum.* In ore quidem d persuadendum, in caudis ad decipiendum; qui nim dulci eorum cantilena delectati fuerint, ultimæ lecceptionis cauda percussi, veneno insanabili interbunt. Unde et subditur : *Nam caudæ eorum simiB es sunt serpentibus, habentes capita, et in his nocent.* Omnis namque diaboli deceptio a serpente cœpit, **327** et in serpentem desinit; quidquid hæretici dicant, quidquid suavitatis et dulcedinis sibi ostendant, cauda tamen cavenda est, ultima locutionis verba observanda sunt, serpentes sunt, quæ sequuntur labiles, tortuosi et venenosi, cave ne decipiaris; siquidem primi homines a serpente decepti sunt.

Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt, neque ambulare, et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis. C Illi, inquit, quos hæretici decipere potuerunt tribus plagis supra dictis occisi sunt, cæteri vero, qui his plagis non sunt occisi, et tamen propter peccata sunt digni morte, ut Judæi et pagani, illi, subaudiur, intelligantur qui neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia et simulacra, etc. (1516). Quantum enim pœnitentia valeat, in his verbis declaratur.

CAPUT X.

Et vidi alterum angelum fortem descendentem ae cælo amictum nube, et iris in capite ejus, et facies jus erat ut sol, et pedes ejus tanquam columna ignis, t habebat in manu sua libellum apertum. Quamdam oc in loco digressionem beatus Joannes, imo Spi- D itus sanctus, qui ei loquebatur, facere videtur. um enim de septem angelis tuba canentibus loqui roposuisset, cumque ad septimum nondum perveisset, quædam alia interposuit, quæ longe ab hac ıateria videntur esse diversa. Quod fortasse ideo ecit, quoniam Christus, qui hic ad loquendum introducitur (1517), septimi angeli mentionem faciens, in diebus vocis ejus cuncta dicit esse complenda. *Et vidi*, inquit *alium angelum fortem descendentem de cælo.* Hic est enim angelus magni consilii, hic est angelus Testamenti, de quo dicitur : « Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, et angelus Testamenti, quem vos vultis (*Malach.* III, 1). » Quem bene fortem dicit, qui (1518) inimicorum fortissimum superavit. De cœlo autem descendere videtur, ut nemo illuc cum ascendisse dubitare possit. Erat autem nube amictus, id est humana carne indutus ; de quo scriptum est : « Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (*Isa.* XIX, 1). » Hæc est enim illa nubes, nostri videlicet Salvatoris humanitas, quæ imbre fidei totum mundum irrigavit. *Iris autem erat in capite ejus*, qua velut pro corona utebatur, ut sicut jam semel aquis triumphaverat, ita secundo per ignem triumphaturus esse sciatur. Iris enim principales duos habet colores, viridem scilicet et rubrum ; et alter quidem aquam, alter vero ignem designat. *Et facies erat ut sol*, qualis quondam transfiguratus tribus discipulis in monte apparuit, hujus splendore fugantur tenebræ, quæ, de fumo putei exortæ, in caliginem cuncta converterant. *Et pedes ejus tanquam columna ignis.* Pedes enim apostoli sunt, de quibus dicitur : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! » (*Rom.* X, 15.) Qui merito columnæ ignis assimilantur, quoniam et fortes sunt ; neque a rigore fidei flecti possunt, et suo splendore totum mundum illuminarunt, quibus Dominus ait : « Vos estis lux mundi (*Matth.* V, 14). » Et habebat in manu sua librum apertum. Librum namque apertum utriusque Testamenti scientiam intelligimus. « Vicit enim Leo de tribu Juda (*Apoc.* V, 5), » qui et librum prius clausum, et signatum aperuit, ejusque secreta mysteria reseravit. Et quia prædicti angeli figuram audivimus, etiam quid egerit amodo audiamus.

Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas, et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram ; et audivi vocem de cælo dicentem mihi : signa, quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. Diximus enim pedes Domini esse apostolos, quos et supra mare, et super terram Dominus posuit, ut eos ubique fuisse intelligamus. In omnem enim terram exivit sonus eorum ; et supra mare quidem ad baptizandum, supra terram vero ad prædicandum. « Ego,

(1516) Duplex hominum genus his extremis plagis puniendum dicitur ; hi scilicet qui dolos et falsa hæreticorum dogmata non præcaverunt, et illi qui le pravis gestis, aut de incredulitate per pœnitentiam Deo non satisfecerunt. Ut in diebus Noe cum abricaretur arca multi imminere universale diluvium non crediderunt ; ita fine mundi appropinquante, quanquam iterata signa et prodigia proximam Dei in impios vindictam annuntiabunt, plurimos tamen eadem malitia et incredulitas obcæcabit.

(1517) Qui hic inducitur angelus ex multis interpretibus idem ipse Christus est ; nam plus aliquid supra angelum exigit potestas illa qua valet, majestas oris, et apparatus, ac demum iris, quæ caput ambit (*Apoc.* XI, 3). Deus sequitur : « Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt amicti saccis. » Ita Calmet.

(1518) Cod. Vatic., *quoniam*.

Digitized by Google

inquit Apostolus, plantavi, Apollo rigavit (*I Cor.* III, 6); » et quia 328 major labor est prædicare quam baptizare, et quia plura adversa prædicatores, quam baptizatores patiuntur; ideo sinistrum pedem super terram, dextrum autem super mare posuisse Dominus dicitur. *Et clamavit voce magna quemadmodum cum leo rugit.* Quod enim ubique auditur, magna quidem voce profertur. At vero Christi prædicatio ubique narratur, ubique Christi Evangelium prædicatur; quod utique, quasi leo rugit, quia victoriam et fortitudinem manifestat. Quo clamante, septem tonitrua locuta sunt, quia, eo prædicante, septem sancti Spiritus gratiæ in ejus ore resonabant. Sed quid est quod vox de cœlo veniens signare tantum jubet, scribere vero Apostolum prohibet ea quæ septem tonitrua loquebantur? Quod enim scribimus, posterorum memoriæ tradimus. Unde Apostolus: « Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt (*Rom.* XV, 4). » Quod vero signamus, occultum esse volumus. Vox autem de cœlo veniens, scribere prohibet ea quæ in Evangelio loquitur, dicens: « Nolite sanctum dare canibus, et margaritas spargere ante porcos (*Matth.* VII, 6). » Audierunt ergo apostoli quæ S. Spiritus tonitrua loquebantur, omnibus tamen omnia prodere prohibiti sunt; non enim omnia omnibus dicenda sunt. Unde Apostolus, inquit: « Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 4). » Alia ergo omnibus pandunt alia clausa et signata in mente tenent, secundum illud: « Vobis datum est noscere mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis (*Luc.* VIII, 10). »

Et angelus, quem vidi stantem super mare et super terram, levavit manum suam ad cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum, et omnia quæ in illo sunt, et terram, et ea quæ in ea sunt, quia tempus amplius non erit. Sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos prophetas. Mos est enim eorum qui jurant, ad ea manum extendere, per quæ jurant. Ad cœlum ergo Dei Filius manum levat, quia in cœlo est Pater, per quem jurat. Omnis enim ejus sermo juramentum est: quoniam quidquid dicit, firmum et stabile est. Jurat ergo per illum qui semper vivit, et nunquam non erit; quia temporis mutabilitas amplius non erit. Sed septimo angelo tuba canente, omnia complebuntur, quæ a prophetis prædicta fuerunt, et quod post primum judicium juraverat, quod non induceret amplius aquas diluvii super terram, nunc iterum juratur, quod cœlum transibit, et terra. Hæc enim duo judicia iris illa significabat, quam in capite Christus habebat.

A *Et vox quam audivi de cœlo iterum loquentem* (1519) *mecum, et dicentem: Vade, accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare et super terram; et abii ad angelum dicens ei ut daret mihi librum, et dixit mihi: Accipe, et devora illum, et faciet amaricare ventrem, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel* (1520). Prius enim audierat vocem de cœlo dicentem sibi, ne ea quæ tonitrua locuta fuerant, scriberet; nunc autem eadem vox præcipit ut librum de manu prædicti angeli apertum accipiat: « Tempus enim tacendi, ut Salomon ait, et tempus loquendi (*Eccle.* III, 7); » liber enim apertus indicat quia ad hoc ei datur, ut prædicet. Abiit ergo ad angelum, accessit ad Dominum, rogavit ut ei subministraret, quid ejus populo nuntiaret. Non enim
B apostoli loquuntur, sed Spiritus sanctus in eis. Et dixit angelus: *Accipe, et devora illum, et faciet amaricare ventrem tuum, et in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Liber iste, quem sancti devorare jubentur, utriusque Testamenti scientia intelligitur; quæ in ore quidem dulcis, sed in ventre amara est; dulcis in ore, amara in stomacho, dulcis ad audiendum, amara ad faciendum. « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel, et favum ori meo (*Psal.* CXVIII, 103). » Cum enim ea legimus et audimus, adhuc in ore ea habemus, cum ea facere nitimur, quasi in stomachi ventre collecta digerere laboramus. Cui enim prophetarum evangeliorumque expositio ad legendum et audiendum dulcis non sit? Sed
C nunquid similiter ad faciendum? Libenter Salvatoris verba ille audierat, cui post cætera Dominus ait: « Adhuc tibi unum deest; vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me, et habebis thesauros in cœlis (*Matth.* XIX, 21). » Ita quam amarus cibus iste inventus fuerit, demonstratur, cum subditur: « Et tristis abiit, quia multas habebat possessiones. » Sequitur:

Et accepi librum de manu angeli, et devoravi eum, et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus, et erat in ore meo tanquam mel dulce, et dixit 329 *mihi: Oportet te iterum prophetare populis, et gentibus, et linguis, et regibus multis* (1521). Idcirco enim liber ei apertus datus est, ut non jam sicut prius verba signaret, sed cunctis ea audire volentibus
D propalaret. Hæc quidem secundum diversa tempora accipienda sunt; non enim omnia tempora apta sunt doctrinæ. Sicut enim agricola non omni tempore seminat, ita et doctorem non omni tempore prædicare oportet, et ideo aliquando Dei ministeria celat et signant; aliquando libro aperto omnibus manifestant.

CAPUT XI.

Et datus est mihi calamus similis virgæ, et dixit

(1519) Cod. Vat.: *Et audivi vocem de cœlo iterum loquentem.*

(1520) Sentiunt alii, quos refert Cornelius, hunc librum ipsam esse Apocalypsim, hoc est futurorum revelationem, quæ aspectu jucunda et dulcis videri potuit; cum plurima secreta omnia et abscondita ei aperiebantur. Sed ut illa seria meditatione introspicere cœpit, viditque calamitates mundo adventuras, præcipue vero Antichristi persecutionem, multorumque justorum subversionem, summopere indoluit et ingemuit S. Joannes.

(1521) Hoc ex loco orta est nonnullorum opinio,

Digitized by Google

mihi : Surge, et metire templum Dei, et altare et adorantes in eo; atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus, et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus (1522). Calamus enim, qui ei ad metiendum datus est, regula fidei et vivendi disciplina accipitur; hæc enim regula recta est, et ad quod, et quantum se unusquisque extendere debeat, insinuat, unicuique sua tribuit, et secundum propria officia omnibus sibi congruentia partitur. *Et dixit mihi : Surge, metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo.* Surge, inquit, pelle torporem, quia cæteros ad surgendum admonere debes : ipse prius surge, et qui verbis credere noluerit, operibus credat. *Et metire templum Dei*, per quod Ecclesiam intelligimus, cujus mensura erit ab ortu solis et occasu, ab aquilone et mari. *Metire et altare*, fidem videlicet, qua nihil altius in Ecclesia stare videtur, cujus quidem mensura est, ut unum et verum Deum in unitate et trinitate adoremus. Neque enim ab his terminis ulterius pregrediamur. Metire etiam adorantes in eo, quid prælati, quidve subjecti agere debeant, edoce. Nemo superbiat, cui honorem, honorem. cui timorem, timorem. Ille enim bene mensus non est, qui nimium se extendens, suo se majori præferre nititur. *Atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus.* Per atrium enim, in quo otiosi confabulari solent, Judæi et hæretici intelliguntur, qui utique foras templum ejiciuntur, quia in sanctorum congregatione non erunt. Hos autem, quia hæresi et fabulis inanibus vacant, et quia gentibus, vitiis scilicet, et malignis spiritibus dati sunt, non metitur Apostolus. Ut quid enim metiretur? Nullius enim mensuræ sunt, omnibus se præferunt. De quorum numero ille est qui super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, se exaltat. *Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Quadraginta namque duos menses, tres annos, et dimidium complent. Tot enim annis prædicavit Christus, tot regnabit et Antichristus. Et quia illis tribus annis major cæteris in Ecclesia persecutio fiet, ideo, quamvis ab initio usque in finem mali Ecclesiam calcare non cessent, quadraginta tantum et duobus mensibus eam dicit esse calcandam.

Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes; et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore illorum, et devorabit inimicos eorum, et si quis eos voluerit lædere, sic oportet eum occidi. Hi enim duo testes juxta litteram Henoch et Elias intelliguntur; spiritualiter autem omnes Ecclesiæ doctores, qui duorum testamentorum testimoniis roborati, testes Dei rite vocantur. His autem dat Dominus prophetandi ministerium, ut prædicent diebus mille ducentis sexaginta; tot enim prædicavit Christus (1523). Ergo quia servorum prædicatio in numero quoque dierum Domini sui prædicationi convenire debet, totidem dies et isti prædicabunt. Quod quidem de omnibus quodammodo intelligi **330** potest; cum nihil aliud prædicent doctores, nisi ea quæ in tribus annis et dimidio Christus prædicavit; merito diebus mille ducentis sexaginta prædicare dicuntur, qui utique numerus tres annos in se et dimidium continet. Erunt autem amicti saccis, quibus cæteros ad pœnitentiam provocabunt (1524). Vilibus enim vestibus usque hodie pœnitentes uti præcipimus, qualibus et Ninivitæ in prædicatione Jonæ a majore usque ad minorem induti referuntur. Hi sunt duæ olivæ. quia nunquam oleo misericordiæ carent, per quos et cæteros intelligimus de quibus dicitur : « Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ (*Psal.* CXVII, 3). » Itemque : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei (*Psal.* LI, 10). » Hi sunt et duo candelabra, quorum lumine atque doctrina mundus iste illuminatur. Qui semper stant in conspectu Domini terræ, siquidem visione divina non privantur. Ignis autem, qui exit de ore illorum, et devorat inimicos eorum, ille est de quo Dominus ait : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat (*Luc.*

quod S. Joannes inter vivos servatus fuerit, ut simul cum Henoch et Elia, fide sub Antichristo persiclitante venturus sit de Christiana fide præbere testimonium quemadmodum illi de lege naturæ, et de Mosaicæ legis veritate testimonium præbebunt. Verum S. Joannem diem extremum obiisse Ephesi ætatis suæ anno 93, docent Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Beda. Per Evangelium autem, quod liberatus ab exsilio Pathmos, et ad episcopalem Ephesinam sedem restitutus postea scripsit, iisdem Patribus asserentibus, iterum prophetasse populis, et gentibus, et linguis, et regibus multis ostenditur. Picus Mirandulanus S. Joannem evangelistam in vita conservatum, ut Henoch et Elias fuere, acriter propugnavit.

(1522) Hanc Joannis visionem, quam Bruno spiritualiter exponit, agitque de fide ac de operibus ejus, communiter censent alii interpretes in templo calamo commensurato repræsentari Ecclesiam in duas partes divisam. In ejus interiori parte figuratos aiunt perfectiores et electos, qui nequidquam sævientibus persecutoribus Diocletiano et Maximiano. et denum ipso omnium tyrannorum crudelissimo Antichristo, fideles perseverabunt. Pro parte vero exteriori, sive atrio templi intelligunt tepidos et immorigeratos Christianos, qui in hostium furore, vitæque discrimine deficient. Tempus autem hujusce extremæ persecutionis XLII mensibus præfinitum asseritur, post quod Ecclesia victrix non ultra turbabitur, sed gloriosior exsurget. Vid. Cornelium, et Calmet, etc.

(1523) Quia seductio Antichristi tribus annis cum dimidio duratura est, ut diximus, totidem diebus contra eum prædicabunt, et prodigia magna operabuntur duo prophetæ a Deo missi, ut sint duo testes veritatis, qui communiter Henoch et Elias creduntur, ad hoc in cœlum post vitæ cursum elevati.

(1524) Cod. Vat., *talibus*.

Digitized by Google

xii, 19). » Hic est ignis charitatis, de quo Apostolus ait : « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus (*Rom.* xii, 20). » Tali ergo igne devorati et occisi, subito ex inimicis amici fient. Possumus autem et per hunc ignem, ultionem divinæ maledictionis intelligere.

Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint. Hoc enim et secundum litteram verum est ; quod hic idem Elias tempore Jezabel fecisse legitur; quando clauso cœlo, non pluit tres annos et menses sex. Qui etiam in sanguinem aquas convertit, quando quadringentos prophetas Balaal interfecit, tantaque plaga illis tribus annis terram percussit, ut pene omnes fame interirent. Spiritualiter autem, cœlum ne pluat, claudere, est impios et peccatores verbi Dei pluviis nolle irrigare. Aquas autem vertit in sanguinem, qui hæreticorum scientiam falsam esse docet, et plenam sanguine et peccatis. Terram autem omni plaga percutit, qui pro suis sceleribus iniquos anathematizat et reprehendit.

Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversus eos bellum, et vincet eos, et occidet illos, et jacebunt corpora illorum in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. Et videbunt de populis, et tribubus, et linguis, et gentibus, corpora eorum tribus diebus, et dimidio, et corpora eorum non sinent poni in monumentis. Cum, inquit, suum testimonium finierint et per tres annos et dimidium Christi evangelium prædicaverint, bestia quæ ascendit de abysso, faciet bellum adversus illos (1525). Bestia diabolus est, propter ferocitatem abyssus, Antichristus propter decipiendi obscurissimam profunditatem. Bestia igitur de abysso ascendit, quia de Antichristo diabolus intrat, et exit, ejusque fallaci sermone ad tempus ascendit et crescit. Ilic autem adversus sanctos bellum faciet, et temporaliter eos occidet et superabit. Cætera autem ad litteram intellecta planissima sunt, tametsi ad litteram, ut sonant, ita accipi debeant, nobis certa non sunt. Scimus enim Apostolum dixisse : « Quia nos qui vivimus, qui residui sumus, non præveniemus eos qui dormierunt (*I Thess.* iv, 15), » volens ostendere quod simul omnes resurgere debeant. Corpora ergo illorum omnium fidelium corpora allegorice intelligi possunt. « Omnes enim nos sumus unum corpus in Christo (*Rom.* xii, 6). » Hæc autem et in Jerusalem, et ubique terrarum pro Christi nomine mortua jacent. Videntur autem per tres dies, et dimidium, id est toto tempore regni Antichristi, sive omni tempore prædicationis Christi. Nam quia per tres annos et dimidium Christus prædicavit, non immerito omnis ejus prædicatio tantum temporis obtinere dicitur. Quod autem dies pro anno ponatur, audi quid Ezechieli Dominus dicat : « Et assumes, inquit, iniquitatem domus Juda quadraginta diebus, diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi (*Ezech.* iv, 6). » Corpora autem illorum in monumentis poni non sinuntur, quia, quantum in ipsis est, omni quiete et beatitudine eos privant, neque credunt eos habere vitam post mortem, quos tam dura vident occidi morte, secundum illud : « Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum (*Sap.* iii, 2). » Itemque « Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore (*Ibid.* v, 4). »

Et habitantes terram gaudebunt super **331** *illis, et jucundabuntur, et munera mittent, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitant super terram, et post dies tres, et dimidium, spiritus vitæ a Deo intravit in eos, et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.* Gaudent enim mali de morte bonorum, qui majori licentia peccant, nemine eis in aliquo contradicente. Munera mittunt, quia nullum timentes, alter alterum ad flagitia perpetranda confortat. Quoniam autem viri sancti peccatores crucient, qui sola terrena et transitoria diligunt, his nostris temporibus satis apparet, cum reges et principes, Simoniacos et schismaticos nulla alia de causa contra sanctos insurgere videamus, nisi quia ab eis admoneantur, ut a peccatis cessent, et tam illicita et nefanda perpetrare nolint; qua utique admonitione nisi cruciarentur, non tantopere contra sanctos postea insurgerent. Sequitur : *Et post tres dies, et dimidium, spiritus vitæ a Deo intravit in eos.* Diximus eos superius tres annos, et dimidium tribus diebus et dimidio significari, si quidem dies pro anno ponitur. Spiritus ergo vitæ, id est uniuscujusque animæ, a Deo missus per tres annos, et dimidium intrabit in eos, quia, Christo Domino ad judicium veniente, cunctis corporibus propriis animabus conjunctis, omnes resurgent, et super pedes stantes, obviam ei venienti occurrent. Tunc quidem magnus timor veniet super eos, qui eos videbunt, et cum eis esse non poterunt, quia illum sibi iratum conspicient, cui nec viribus resistere, nec precibus cum placere valebunt.

Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem illis : ascendite huc, et ascenderunt in cœlum, in nube, et viderunt illos inimici eorum et in illa hora factus est

(1525) Quamvis Antichristus contra Henoch et Eliam ei adversantes omnibus dolis sit insurrecturus, illos tamen exterminare non valebit, nisi ex Dei permissione, absoluto suæ prædicationis tempore, et hoc propter admirandam eorum virtutem et potentiam cui nullus prævalere poterit : cum, ut inquit Joannes, ex ore eorum ignis devorans exibit. Interempta autem duorum prophetarum corpora per tres dies cum dimidio exposita in plateis Jerusalem jacebunt, post quos stupentibus omnibus vivi resurgent et intuentibus adversariis ad cœlos evolabunt.

Digitized by Google

terræmotus magnus, et decima pars civitatis cecidit : et occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia, et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli. Vox enim illa magna, quam de cœlo, ut illic ascenderent, eos invitare audivit, ipsa est, quæ in Evangelio loquitur, dicens : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* xxv, 34). » Viderunt autem eos in nube ascendentes inimici eorum, ut de eorum gloria major cresceret pœna. Et in illa hora factus est terræmotus magnus, utique terræmotus, in quo omnes peccatores (qui merito terra vocantur) moventur ut cadant, quatiuntur ut pereant. Et decima pars civitatis cecidit ; hæc enim illa decima pars mundi, quæ decimum ordinem perditorum angelorum secuta est. Et occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia, finitum pro infinito; quicunque enim in septem diebus, in quibus omnia sæcularia continentur, peccaverunt, et pœnitentiam non egerunt, in his septem millibus computantur. Terræmotus autem iste tunc fiet, quando dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus (*ibid.*, 41). » Reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli. In timorem quidem sancti missi sunt, non quod aliqua eis pœna immineret; sed quia eos videbant qui pœnas patiebantur; sive etiam tanto magis Deum timuerunt, quanto ejus potentiam super peccatores intellexerunt. Et dabunt gloriam Deo cœli, qui eos ante sæcula ad vitam prædestinavit, et a crimine liberavit, ne simul cum peccatoribus similia paterentur. *Væ secundum abiit, et ecce tertium væ veniet cito.* Hoc autem væ illud esse puto, quo mali sine fine cruciabuntur.

Et septimus angelus tuba cecinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes : Factum est regnum hujus mundi Dei nostri et Christi ejus in sæcula sæculorum. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes : Septimo namque angelo tuba canente, nulla jam prædicatio in Ecclesia fit, nisi solæ gratiarum actiones : laudatur Deus, et magnificatur, qui cæteris inimicis superatis, regnum sine fine regnaturus suscepit; unde viginti quatuor seniores, de quibus in superioribus satis dictum est, in facies suas ceciderunt, et adoraverunt Deum, dicentes :

Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. Et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua, et tempus mortuorum, judicare et reddere mercedem servis tuis prophetis et sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis, et magnis, exterminandi eos qui corruperunt terram. Malignis namque spiritibus omni virtute privatis, et in tenebras præcipitatis, virtutem suam magnam Dominus accepit, cui nemo ulterius contradicet : et regnabit, cæteris a regiis sedibus expulsis, et superatis. *Et iratæ sunt gentes,* secundum illud : « Dominus regnavit, irascantur populi (*Psal.* xcviii, 1); » iratæ utique sunt, non aliis, quam sibi, et deceptoribus suis, suisque iniquitatibus. Advenit enim ira Dei, et tempus mortuorum, ut ali in æternum crucientur, et pereant, et alii juste judicati bonorum operum mercedem recipiant; mali vero exterminati etiam ipsam salvandi, et in patriam revertendi spem (1526) amittant. Ipsi enim terram, et corpora sua corruperunt, et se, et alios omni turpitudini, cæterisque vitiis, et carnis voluptatibus subdiderunt.

LIBER QUARTUS.

332 *Et apertum est templum Domini in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura, et voces, et terræmotus, et grando magna.* Templum namque, ut sæpe jam diximus, Ecclesia est. Templum vero Domini in cœlo, Christus est in Ecclesia; in eo enim requiescit omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Unde et ipse aiebat : « Pater in me manens, ipse facit opera (*Joan.* xiv, 10). » Et templum quidem ipse se monstrabat, cum diceret : « Solvite templum hoc, et in triduo excitabo illud. Hoc autem, inquit evangelista, dicebat de templo corporis sui (*Joan.* ii, 19). » A capite ergo incipiens beatus Joannes, sicut in superioribus libris, usque ad finem iterum recurrens, quid in Ecclesia viderit, manifestat ; et quamvis non eisdem verbis eadem tamen quæ superius narrare videtur. Narrat autem et hic Ecclesiæ persecutiones. Ait ergo : *Et apertum est templum Domini in cœlo.* Templum enim Domini in cœlo apertum est, quando post triginta annos ad evangelizandum os suum Christus aperuit, quo aperto, visa est arca testamenti ejus in templo ejus. Arca namque Testamenti ejus divitiarum omnium thesauris referta, ipsa ejus sapientia intelligitur, quæ ante quidem occulta erat neque videbatur, sed eo loquente, quantus thesaurus sapientiæ et scientiæ in ejus pectoris secretario reconditus fuerat, omnes qui audiebant viderunt et intellexerunt. Multos enim hæc arca ditavit : multi de hujus arcæ divitiis locupletes facti sunt, pauper enim et miser est qui (1527) de hujus arcæ divitiis nihil habet. *Et facta sunt fulgura, et voces, et terræmotus, et grando magna.* Christo namque

(1526) Cod. Vat., *desperati.*
(1527) Cod. Vat., *de his arcæ thesauris nihil habet.*

Digitized by Google

prædicante, mox fulgura facta sunt, quibus cum omni vitiorum exercitu diabolus ex hominum pectoribus pellebatur; tantæ enim efficaciæ ejus verba erant, ut ei maligni spiritus resistere non valerent. Factæ sunt autem voces multorum ubique (1528) laudantium, et Christi testimonium perhibentium. Et terræmotus, terrenis scilicet, et peccatoribus ad fidem summa cum festinatione currentibus. Et grando magna : nam, sicut scriptum est, non ut Pharisæorum, sed cum potentia ejus prædicatio fiebat; nulli adulando loquebatur, sed quæ grando, quæ angustiæ, quæ tribulationes peccatores exspectarent, constanter omnibus nuntiabat.

CAPUT XII.

Et signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, et in utero habens, et cruciabatur, ut pariat. Hæc enim mulier Ecclesia est, quæ sole, pulchritudine et splendore circumamicta, multos suæ claritatis lumine ad se, et post se attraxit amatores. Sole namque vestitur, quatenus soli justitiæ placeat (1529). « Induite, inquit Apostolus, novum hominem, qui secundum Deum creatus est (*Ephes.* IV, 24). » *Et luna sub pedibus ejus.* Luna enim propter defectionem, suique mutabilitatem, mundum istum significat; unde quia Jericho interpretatur *luna*, homo ille qui de Jerusalem veniebat in Jericho, a Domino descendisse narratur. Habet igitur Ecclesia lunam sub pedibus, quoniam cuncta terrena, transitoria et mutabilia despiciens, et pro nihilo ducens, sola cœlestia concupiscit. Coronam vero in capite portat duodecim stellis, quasi duodecim margaritis ornatam; hæc enim corona, apostolorum duodenus numerus intelligitur. Isti enim vicerunt, isti Ecclesiam coronaverunt, isti primi milites in capite positi, quasi stellæ in Ecclesia fulgent. *Et in utero habens, cruciabatur, ut pariat.* Multos enim in utero habet, multos quotidie filios parit Ecclesia, non tamen sine cruciatu quodam atque dolore. Unde in Evangelio Dominus ait : « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus (*Joan.* XVI, 21); » et Apostolus : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (*Galat.* IV, 19). » Majores tamen persecutionis tempore pariendo Ecclesia cruciatus patiebatur; ideo enim sancti occidebantur, quia parere cupientes, ad baptismum alios invitabant : ibi enim **333** parit Ecclesia, ibi legitimos filios Domino generat.

Et visum est aliud signum in cœlo, et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, cornua decem in capitibus suis, septem diademata, et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum, et misit eos in terram. (1530) Draco enim magnus et rufus, diabolus est, qui in specie serpentis primum hominem decepit, et nunc quidem propter sanguinem martyrum, quem fundere non cessat, rufus apparet. Hic autem septem capita habere perhibetur; septem videlicet vitia capitalia, quæ de matre superbia exorta sunt, ex quibus quasi principiis omnia alia vitia oriuntur. Hæc autem sunt vana gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ingluvies, luxuria, decem vero cornua, omnia alia vitia sunt, quæ ab his capitibus derivantur, quæ quoniam multa sunt, eum numerum ponere voluit, in quo omnes numeri continentur; non enim progreditur numerus ultra decem. Sed ipse in se revolutus omnes alios numeros complet. Quid ergo cornua decem, nisi cornua multa? Habet et in capitibus suis septem diademata, quia pro unoquoque vitio suam portat coronam; quoties enim per invidiam aliquem vincit, toties ab invidia coronatur (1531). Possunt autem septem capita, septem hæresiarchæ, et decem cornua, decem reges intelligi, qui tempore Antichristi, non solum falsis prædicationibus, verum etiam tyrannica potestate sanctam Ecclesiam affligent. De his autem in sequentibus dicetur : *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli;* (1532) *et misit eas in terram.* Quid enim per caudam? nisi deceptionem intelligas. Cauda igitur ejus, id est ipsius calliditas, et hæreticæ pravitatis deceptio trahebat tertiam partem stellarum cœli; videlicet multos, qui in Ecclesia fulgere videbantur. *Et misit eos in terram;* ut non jam cœlestia, sed sola terrena et transitoria diligerent et inhiarent. De hac autem tertia parte jam sæpissime dictum est, quæ neque in prælatorum, neque in subjectorum numero continetur; hæreticos et falsos Christianos eam significare diximus.

Et draco stetit ante mulierem, quæ paritura erat; et cum peperisset, devoravit filium ejus, et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus; et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascant illam diebus mille ducentis et sexaginta. Sæpe enim Ecclesiæ filiis diabolus insidiatur. Non enim magnopere de aliis curam habet; sunt enim escæ ejus electi, et secundum illud propheticum, fiduciam habet, ut influat Jordanis in os ejus; neminem enim ita persequitur, quemadmodum Ecclesiæ filios, et aqua baptismatis regeneratos. Hoc est enim quod dicit:

(1528) Cod. Vat. « Dominum laudantium, et Christo testimonium, » etc.

(1529) « Mulierem amictam sole, clarissime Ecclesiam significavit, paterno indutam verbo, quod sole micantius splendet. Dicendo vero, lunam sub pedibus ejus, cœlesti claritate lunæ in morem ornatam ostendit. Quod autem ait, *in capite ejus corona stellarum duodecim*, duodecim apostolos designat, per quos fundata est Ecclesia. » S. Hippol.

(1530) Qui figuratum textus sensum ad historiam traducere nituntur, in dracone Romanum imperium idololatriæ addictum agnoscunt, et in septem ejus capitibus septem Christianis infensos imperatores, Diocletianum scilicet, Maximianum Herculinum, Galerium, Maximinum, Severum, Maxentium et Licinium. Decem autem cornua, juxta illos, sunt barbari reges, Alaricus, Gensericus, Attila, Totila, et alii, qui Romanam urbem everterunt, ejusque dominationem aliquando usurparunt.

(1531) Cod. Vat., *sic et malus.*

(1532) Ex cod. Vat. corr. edit.

Digitized by Google

Et cum peperisset, devoravit filium ejus. Quod autem ait : *Et peperit filium ejus masculum*, singularem pro plurali posuit : nullum filium nisi masculum parit Ecclesia ; nam et si multas habeat filias, illæ solæ illius sunt, quæ non mollitie muliebri, sed virile masculinum robur obtinere nituntur. Nam neque masculi propter sexum, sed propter constantiam et fortitudinem, filii ejus esse dicuntur. Tales autem in virga ferrea gentes regunt, tales vitia et malignos spiritus superant, tales imperio forti et insuperabili Dei populum per rectam viam incedere docent. *Et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus.* Quotidie namque Ecclesiæ filii ad Deum rapiuntur, quotidie ad thronum ejus ab angelis deferuntur, atque ab ipsis faucibus, devorare cupientibus præda subtracta, gaudens et triumphans cœlos ascendit. *Mulier autem in solitudinem fugit*, quoties malorum vitans consortia ad mentis secretum et ad Dei contemplationem S. Ecclesia sese confert. Unde scriptum est : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV, 8) : » ibique locum habet a Deo paratum. Sed quomodo paratum? Vis audire quomodo? Ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. Sed qui sunt, qui eam pascunt, nisi sacra volumina Scripturarum. Lege Isaiam, et ipse te pascet, lege et alios prophetas, et ibi pascua invenies, nullis deliciis comparanda ; de quibus dicitur : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocavit (*ibid.* XXII, 1). » Per dies autem mille et ducentos sexaginta omne tempus a Christi prædicatione, usque ad diem ultimum intelligimus ; tot enim diebus prædicavit Christus. Et quia prædicatio non mutatur, quamvis sint dies multo plures, tot tamen esse dicuntur, quot illi sunt, in quibus omnis ipsa prædicatio facta est ; nullum enim aliud usque adhuc cibum sumimus, nisi quem in illis mille ducentis sexaginta diebus Christus nobis præparavit. Tale est ergo ac si diceret, ut ibi eam pascant eo suavissimo dulcissimoque **334** cibo, qui in diebus mille ducentis sexaginta a Domino præparatus est.

Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo, et projectus est in terram draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt in terram. Postquam enim mulier peperit, postquam S. Ecclesia filios generavit, mox prælium magnum in cœlo factum est, mox iniquorum persecutiones in Ecclesia exortæ sunt. Unde et subditur : *Michael, et angeli ejus prœliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus* (1533). Quod enim ad custodiam angeli nobis a Deo dati sunt, ipse Dominus ait : « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est (*Matth.* XVIII, 10). » Et Apostolus : « Omnes enim ministri sunt in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14). » Magnum prælium in quo Michael, princeps angelorum, contra draconem pugnat, principem dæmoniorum, magnum utique prælium, in quo Michael contra diabolum, angeli contra angelos et sancti contra iniquos pugnare non cessant. Sed quia Michael interpretatur, *quis sicut Deus*, sui nominis interpretatione nos confortat, ut viriliter pugnemus, ut in tanto prælio non timeamus. « Estote, inquit Apostolus, fortes in bello, et pugnate (1534) cum antiquo serpente (*I Petr.* V, 9). » Quis enim sicut Deus, qui vobis auxiliatur? Quis ita pugnat, sicut princeps militiæ vestræ? (1535) Neque deficiatis in tribulationibus ; ne detis locum persecutoribus, opponite clypeum fidei, neque in vestrum exercitum diabolus subintret. Hoc est enim quod sequitur : *Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Non valuerunt utique resistere, undique prælio imminente, pelluntur namque baptismate, pelluntur pœnitentiis, pelluntur orationibus, pelluntur charitatis et misericordiæ telis. Non habent locum in cœlo, quia ibi est sedes Dei. Quid igitur? Et projectus est in terram draco ille magnus, serpens antiquus ; nam quia in sanctis non habet locum, terram persequitur et peccatores ; hoc enim a Domino sibi permissum fuerat : « Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ (*Gen.* III, 14) ; » terram namque comedit, quia peccatores perdit, et devorat. Hic est ille draco magnus, hic est ille serpens antiquus, qui semper volubilis et tortuosus, et nunquam recta incedens via, ipsos primos humani generis parentes decepit. Vocatur autem diabolus, quia de supernis deorsum ruit. Vocatur autem et Satanas, omni veritati, omnique justitiæ contradicens, qui seducit universum orbem ; ipse enim omnes, qui seducuntur, seducit ; qui seductionis principium adhuc in paradiso, positis primis hominibus, fuit. Ipse quidem projectus est, et angeli ejus cum illo missi sunt in terram, cum omni namque suo exercitu diabolus de cœlestibus cadens, in illis regnat, et dominatur, qui terrenis voluptatibus dediti, sursum corda ad Deum non habent.

Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et po-

(1533) Prædictum olim fuerat a Daniele, c. XII, 1, venturum tempus, in quo S. Michael, princeps magnus angelorum, pugnaturus erat cum Lucifero et asseclis ejus pro filiis populi Dei. Hoc idem vaticinium hic a Joanne renovatur, prædicens prælium Michaelis cum Antichristo, diabolicæ seductionis ministro, ne electi tentationibus ejus succumbant. *Et quamvis toto tempore florentis Ecclesiæ maligni spiritus bonos semper insectabuntur, fine tamen ejus appropinquante, vehementior ac terribilior fiet eorum persecutio ;* unde majori angelorum tutela, et præsidio indigebunt. Opinatur Cassiodorius hic Joannem loqui de prælio quod ab initio mundi habuit archangelus Michael cum Lucifero a quo de cœlo præcipitatus in terram locum suæ beatitudinis amisit, quemadmodum angeli sectatores ejus.

(1534) Cod. Vat., *cum antiquo dracone.*

(1535) Cod. Vat., *Ne ergo deficiatis.*

Digitized by Google

testas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte, et ipsi vicerunt illum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem, propterea lætamini cœli, qui habitatis in eis. Hanc enim vocem, et in cœlo angeli et in Ecclesia sancti quotidie promunt et clamant, semperque tantis pro beneficiis gratias agentes dicunt : *Nunc facta est salus*, mortis principe dejecto et superato. *Et virtus*, quia diabolus virtutem perdidit. *Et regnum Dei nostri :* eo victo et ligato, qui regnum et imperium tenere videbatur. *Et potestas Christi ejus*, ipse enim potens, imo omnipotens est, cui a Patre dictum est : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II, 8). » *Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Quod enim die ac nocte, omni tempore et sine intermissione servos Dei diabolus accuset, ex eo intelligi potest quod de beato Job (1536) apud Dominum a diabolo accusato legitur : « Tantum extende manum tuam, et tange omnia quæ possidet, **335** si non in facie benedixerit tibi (*Job* I 11). » Ipse enim nos accusat, quando ejus instigatione ea facimus quibus et Deum offendimus et accusatione digni sumus. Sequitur : *Et ipsi vicerunt illum propter sanguinem agni.* Sanguis etenim agni, qui pro nostra salute fusus est, ipse nos contra diabolum victores facit (1537) (1538). *Et propter verbum testimonii sui, et quia non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Quod enim anima pro vita ponatur, in Evangelio habes, ubi dicitur : « Qui amat animam suam, perdet eam, et qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodit eam (*Joan.* XII, 25). » Sic autem et in hoc loco non dilexerunt animas suas, id est hanc præsentem vitam, usque ad mortem ; quandiu enim in hac vita fuerunt amore alterius vitæ, nunquam hanc vitam dilexerunt. *Propterea lætamini cœli, et qui habitatis in eis.* Nam sicut scriptum est : « Gaudium erit in cœlis coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV, 7). » Gaudent enim angeli de sanctorum conversione, lætantur de eorum perfecta conversatione.

Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Videns enim diabolus de cœlestibus se esse dejectum atque cum sanctis nullum se posse habere consortium, ad terram et ad mare descendit, (1539) qui inter illos locum sibi habitationis paravit, quos terrenis desideriis et carnis voluptatibus deditos vidit. Quos etiam, velut mare fluctuantes, omni vento doctrinæ circumferri conspexit. Sed væ miseræ terræ et mari instabili, quia cum magna ira et indignatione diabolus veniens omnia conteret et dissipabit. Scit enim quia modicum tempus habet, non dubitat se subito imperium et dominationem perditurum ; modo igitur nocet qui postmodum nocere non poterit.

Et postquam draco vidit, quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum, et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, in locum suum, ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis a facie serpentis. « Invidia namque diaboli, ut Apostolus ait, mors intravit in orbem terrarum (*Rom.* V, 12) ; » nam quia ipse dejectus, perditus et damnatus est, ideo omnes persequitur, omnes dejicere, et perdere et decipere nititur. Quomodo autem, qua arte, quibus machinationibus mulierem istam, sanctam videlicet Ecclesiam, ipse persequatur, quid attinet dicere? Duæ vero alæ aquilæ magnæ, quæ datæ sunt mulieri, duo testamenta, vel duo præcepta charitatis intelliguntur (1540). Et bene aquilæ alas Ecclesia suscepit, quæ et veloces sunt et præ cæteris altius volant ; unde et de viris sanctis dicitur. « Assument pennas ut aquilæ, volabunt, et non deficient (*Isa.* XL, 31). » His autem alis Ecclesia volat, his desertum petit et loca secreta, ubi divinæ contemplationi vacans et in Dei laudibus perseverans, a vitiis et malignis spiritibus non invenitur. Unde et subditur : *Ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis a facie serpentis.* Tempus enim unum annum, tempora autem duos annos, dimidium vero tempus dimidium annum significat. Et merito tot annis Ecclesia pascitur, quot annis Christus prædicavit, quia illo solo (1541) unoque cibo pascitur, quem in illis annis Christus (1542) prædicavit. Non enim, ut ipse ait, venit ministrari, sed ministrare. Quomodo autem, vel a quibus pascatur, jam superius dictum est.

Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a fluminе, et adjuvit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen quod misit draco de ore suo. Et iratus est draco in mulierem, et abiit facere præliuм cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu, et stetit super arenam maris. Aqua enim, quam serpens tanquam

(1536) Id. cod., « eum accusans ad Dominum loquitur dicens. »

(1537) Cod. Vat. : « Dederunt namque testimonium Domino sancti ; magisque mori elegerunt, quam eum pro aliquo amore negarent. Et hoc est quod dicitur. Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Quod enim animam, » etc.

(1538) Quoties aliquis justus hac ex vita decedit, et in cœlestem patriam admittitur, exsultans dicere potest : Nunc mihi facta est salus per virtutem et potentiam Christi Dei mei, diabolo hoste et accusatore devicto. Sanguine enim ejus redemptus, et potenti gratia adjutus omnes mundi illecebras et diaboli fraudes superavi.

(1539) Cod. Vat. : « Quoniam inter illos locum sibi, » etc.

(1540) In hac interpretatione plures convenient commentatores, ut testatur Cornelius.

(1541) Cod. Vat., *unico*.

(1542) Cod. Vat., *ministravit*.

Digitized by Google

flumen misit post mulierem, stultam et erroneam hæreticorum scientiam, sive etiam Ecclesiæ persecutores intelligimus; talis enim aqua ex ore diaboli procedit, tali flumine Christi Ecclesiam submergere nititur. Unde ait : *Ut eam faceret trahi a flumine.* Ecclesia namque a flumine non trahitur, quia hæreticos non sequitur; nam etsi a persecutoribus ad tormenta aliquando invita trahatur, eorum tamen imperio, et voluntati non acquiescit. Ab hoc flumine ergo mali trahuntur, hac aqua hæretici potantur et inebriantur. *Et adjuvit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.* Quid enim terra hoc in loco, nisi Christi humanitas intelligitur (1543)? Hæc enim aperuit os suum et absorbuit **336** flumen, quod misit draco de ore suo. Postquam enim aperuit os suum ad prædicandum, forma vivendi et regula fidei data est, qua omnes hæreses destruuntur; eo quoque jubente, flumina cessant, mare et venti conquiescunt; fit pax et tranquillitas magna, quoniam nisi eo permittente, mali contra bonos sævire non audent. *Et iratus est draco in mulierem, et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu.* Vincitur draco, et draco non quiescit, repulsus irascitur, nec erubescit, et quod in aliis non potest hoc in aliis facere tentat (1544). A matre separatur, filios persequitur; et quia Ecclesiæ principibus, ex quibus cæteri originem ducunt, resistere non valuit, contra eorum filios bella gerit, quos tamen Dei mandata et testimonia habere cognoscit, neque enim magnopere de aliis curat. Unde scriptum est : « Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II, 1). » Sequitur : *Et stetit super arenam maris.* Pugnate viriliter sancti Dei, quia supra firmam petram fundati et firmati estis; stat enim adversarius vester super arenam maris; qui si vel leviter percussus fuerit, statim cadet; utpote qui nullius stabilitatis fundamentum habet.

CAPUT XIII.

Et vidi de mari bestiam ascenaentem, habentem capita septem, et cornua decem; et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiæ. Quid enim per hanc bestiam, nisi Antichristum intelligimus? Qui merito quidem bestia dicitur, quia omni humanitate et ratione destitutus, A in tantum omnes bestias crudelitate vincet, ut terra ipsum mundi Creatorem loqui non pertimescat. Hæc autem bestia de mare ascendit, quia amaritudinis et desperationis filius, de hac mundi procellosa tempestate consurget. Septem autem capita, septem ejus discipulos significant; decem vero cornua, decem reges erunt, qui ipsum quasi Deum colent et adorabunt. Unde et decem diademata habere dicuntur, quæ regiæ sunt dignitatis. Nomina autem blasphemiæ super capita ejus memorantur; quia supradicti perditionis filii ipsum Deum blasphemabunt, atque ipsam Trinitatem perversa ratione dividere audebunt.

Et bestia quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis, et dedit illi draco virtutem suam et potestatem magnam. Pardus est animal multa macularum varietate depictum; merito ergo hæc bestia pardo similis dicitur, quia ut infida, instabilis, versipellis, omnibus mentitur, et in omnes deceptionis se vertit figuras. *Et pedes ejus sicut pedes ursi*, qui, quamvis plantæ hominis similitudinem habere videantur, post se tamen gradientes decipiunt; unde fit ut cum ad ursi fauces pervenerint, non hominem, sed crudelem bestiam secutos se esse sciant. Unde subditur. *Et os ejus, sicut os leonis.* Quos enim vel colorum varietate, vel pedum similitudine decipit, eos ore leonis humiliat atque comminuit; alios igitur vario flore verborum, alios falsi pedis, id est pravi operis imitatione, alios vero leonina rabie et feritate suo cœtui (1545) jungit, sibique subjicit. Idcoque subinferens ait. *Et dedit illi draco virtutem suam et potestatem magnam.* In tantum enim sua virtute et potestate hunc perditionis filium malignus spiritus replebit, ut non homo, sed Deus a pluribus esse putetur. Unde Apostolus ait : « Qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus (*II Thess.* II, 4) (1546).

Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in morte, et plaga mortis ejus curata est, et admirata est universa terra post bestiam, et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, et adoraverunt bestiam, dicentes : quis similis bestiæ? Et quis poterit pugnare cum ea? Potest autem hoc ad litteram

(1543) Cod. « Vat. : Hæc Christi terra adjuvit mulierem : hæc a periculo mortis liberavit Ecclesiam. Hæc aperuit os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. Postquam enim os suum ad prædicandum Christus aperuit, forma vivendi, » etc.

(1544) Quanta passi sint Christiani sub Decio imperatore, ex Eusebio lib. VI, c. 41, abunde constat. Paululum quieverant; nam initia imperii Diocletiani ejus successoris mitiora fuerant. Sed brevi immanior et sævior factus omnes feritatis habenas contra eos laxavit, ac crudelioribus adjunctis suppliciis necavit. Videtur ergo diabolus fortitudine martyrum superatus, at gloriæ invidens Ecclesiæ, superstites ejus, filios perdere molitus est.

(1545) Cod. Vat., *subjungit.*

(1546) Totum hoc caput prophetica videtur Antichristi descriptio, cujus artes et calliditates fallendi homines sub diversis ferarum aspectibus exponuntur, ut modo pardus, modo ursus, modo leo exhibeatur. Dicitur etiam draco seu dæmon illi virtutem suam et potestatem magnam dedisse, qua multa portento similia facturus est ad decipiendas gentes, quæ eum tanquam Deum honorabunt et verebuntur. Putant nonnulli ad majorem deceptionem, ne quid dissimile Christo habere videatur, simulaturum se mori ac postea quasi a mortuis resurrectum, appariturum : quibus explicant illa verba : « Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in morte, et plaga mortis curata est, et admirata est omnis terra. » Vid. Cornelium. Hæc alii intelligunt de Juliano Apostata, in quo bestia, id est persecutio, quæ sub Constantino et Constantio principibus exstincta videbatur, quodammodo atrocior revixit. Ita Calmet.

Digitized by Google

sic etiam intelligi, ut quia (1547) Christi mortem et resurrectionem audierat, cupiens ejus potentiam exinanire, hoc vel in se, vel in aliquo discipulorum suorum facere simulet, quod omnes in Christo factum admirentur. **337** Unde non occisum, sed quasi occisum dicit. Quod si allegorice intelligamus, unum de capitibus in morte occisum, unum aliquem hæresiarcham defecisse significat. *Cujus plaga mortis curata est, quia alius pro eo succedet*, qui tantæ iniquitatis erit, ut mors et plaga prioris oblivioni tradatur, nisi enim magnum aliquod inusitatumque signum vidissent, nequaquam diceretur, *et admirata est universa terra post bestiam. Et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiæ.* Prius enim diabolum, qui in eo est, quasi virtutem aliquam et divinitatem adorant; deinde ipsum divinitatis filium, quem omnipotentia et divinitate plenum (1548) adorant et venerantur, dicentes : *Quis similis bestiæ ? aut poterit pugnare cum ea ?* Quæ et mortuos suscitat et propriam virtutem cuilibet tam cito largitur. Aufert cui vult, dat cui vult, suæ divinitatis potentiam, qui si forte occidatur, confestim mortis ejus plaga curatur.

Et datum est ei os loquens magna, et blasphemiam, et data est illi potestas, facere menses quadraginta duos, et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum nomen ejus, et eos, qui in cœlo habitant, et datum est illi bellum facere cum sanctis, et vincere illos, et data est ei potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem, et adoraverunt eam omnes, qui habitant in terra, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ, et agni, qui occisus est ab origine mundi. Datum est, inquit, ei a principe tenebrarum, cui totis viribus serviet, os loquens magna, os loquens adversus Deum iniquitatem, os loquens (1549) blasphemias, se solum Deum esse confirmans. Quod autem quadraginta et duos menses sit regnaturus, sæpe jam diximus. Blasphemabit autem Deum, et Ecclesiam ejus, et servos, et angelos ejus, prædicans et dicens omnia esse falsa quæ de Christo et Ecclesia ejus dicimus prophetas fuisse locutos. Faciet insuper bellum cum sanctis, et non solum alios, verum etiam ipsum Henoch et Eliam temporaliter vincet, et martyrio consummabit; data est enim ei potestas in omnem tribum filiorum Israel, et in omnem populum, cujuscunque linguæ, vel gentis fuerit. Et adorabunt, et colent eum omnes, qui habitant terram; omnes videlicet qui prædestinati ad vitam non sunt; quorum nomina in libro vitæ, quæ Agnus scripsit et aperuit ab origine mundi, scripta non sunt, qui ideo quidem occisus est, ut nos a morte liberaret et cœli nobis secreta revelaret (1550). Sequitur :

Si quis habet aures audiat, qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadit. Qui in gladio occiderit, in gladio oportet eum occidi. Hic est patientia, et fides sanctorum. Si quis, inquit, cordis aures habet, si cui sanus est intellectus, audiat quæ dicta sunt: caveat, ne decipiatur a deceptoribus; hæc quidem veraciter sciat et nullatenus dubitet, quoniam qui in captivitatem alios duxerit, qui animas hominum decipiens captivas diabolo tradiderit, ipse quoque in captivitatem ibit, et manibus pedibusque ligatis in tenebras projicietur exteriores; qui in gladio occiderit, in gladio oportet eum occidi; quia qui in gladio deceptionis (nam et deceptio gladius est) aliquem perdiderit, ipse quoque gladio æternæ damnationis jugulabitur (1551). *Et hic quidem est patientia, et fides sanctorum;* hic probabitur quis patiens sit atque fidelis : sicut enim in igne aurum, sic in tribulatione probatur sanctus.

Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia agni, et loquebatur sicut draco, et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus, et fecit terram, et habitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. Hæc autem bestia fortasse illud caput est, quod superius in morte (1552) dicitur esse occisum; ideoque de terra ascendere videtur, quasi de sepulcro resurgere, quia ejus mortis plaga curata est (1553). Unde et cornua duo similia agni habere perhibetur, ut ipse quoque immolati, resurgentisque agni nostri figuram et similitudinem in se monstraret. Sed quoniam superbe, et quasi draco venenosa verba proferens loquebatur, non veram agni innocentiam habuisse dignoscitur, quamvis ejus speciem simularet. Faciebat autem (1554) potestatem prioris bestiæ in conspectu ejus, quoniam eodem iniquitatis spiritu plena erat, neque ab ea dissidebat in miraculis, cui similis erat in falsitate. Et fecit terram, et habitantes in ea adorare primam bestiam, cujus curata fuerat plaga mortis. **338** Potest autem sic distingui, ut intelligatur, quod hæc bestia, cujus curata fuerat plaga mortis, fecerit terram, et habitantes in ea adorare bestiam primam. Quod si et ipsam primam occisam et curatam intelligamus, non erit inconveniens; cum frequenter totum pro parte accipiamus.

(1547) Cod. « Vat. De Christi morte, et resurrectione audierat, cupiens ejus potentiam exinanire, » etc.

(1548) Cod. Vat., *opinantur, adorant*, etc.

(1549) Cod. Vat., *blasphemiam*.

(1550) Dicitur autem occisus ab origine mundi Christus non in re, sed in typis atque figuris, ut in Abele, in Isaaco et in patriarchis, qui eum repræsentaverunt.

(1551) Fideles hortatur Apostolus ut ab Antichristi deceptionibus caveant, quia ipse et hi qui ab eo seducti fuerint, ad tartara perpetuis incendiis damnati pertrahentur. Illi autem, qui patienter persecutionem sustinuerint, æterno gaudio donabuntur.

(1552) Cod. Vat., *dixit*.

(1553) Rursus hic in similitudine bestiæ duo cornua habentis Antichristus designatur, duoque cornua habere dicitur, speciem scilicet et simulationem mansuetudinis ac sanctimoniæ ad sibi conciliandam sequelam hominum, qui facile his circumveniuntur. Ita Cassiodorius, qui addit; quod « tam multa Antichristus miraculorum signa facturus est, ut magna devotione adorari faciat idolum, sacrilega falsitate compertum. »

(1554) Cod. Vat., *omnem*.

Digitized by Google

cipiatur. Cum igitur unum de capitibus ejus occisum et curatum dicatur, ipsam quoque secundum ipsum, et occisam, et curatam dicere possumus. *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret descendere de cœlo in terram in conspectu hominum, et seducit habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, quæ habebat plagam gladii.* In hoc enim major erit Antichristi auctoritas, quod non solum ipse, verum etiam discipuli ejus signa multa et prodigia facere (1555) jubebuntur. (1556) Sicut enim in Ægypto adversum Moysen magicis suis incantationibus magi signa multa fecerunt : ita et isti adversum Henoch et Eliam facturi sunt. Unde et ignem de cœlo descendere facient : (1557) et in hoc non suam, sed magistri gloriam quærent. Cum enim in miraculis, quæ facere videbuntur, adorari possent, si vellent, non se tamen, sed Antichristum adorari præcipient, cujus gloriam et magnificentiam in tantum exaltare conabuntur, ut more quorumdam imperatorum etiam ejus statuam et imaginem miseros homines adorare faciant. Unde et subditur :

Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ (1558). *Et faciat, ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ occidantur, et faciet omnes pupillos et magnos, divites et pauperes, liberos et servos habere characterem nominis bestiæ, aut testimonium nominis ejus.* Datum est, inquit, illi, id est diabolo, concessum ut daret spiritum imagini bestiæ. Magnum et insuetum miraculum, ut statua aurea, vel argentea, vel cujuslibet alterius metalli spirare et loqui videatur. « Surgent enim, ut in Evangelio Dominus ait, pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia multa (*Matth.* XXIV, 24). » Talibus ergo signis ad hoc devenient, ut quicunque imaginem bestiæ adorare noluerint, quasi profani et sacrilegi a tyrannis et principibus occidantur, unde fiet, ut (præter sanctos, qui mori non timebunt) nemo inveniatur, (1559) qui aut in dextera, aut in fronte sua ejus characterem et signum non habeat. Nam et usque hodie usus est Scripturarum, ut pro toto nomine, prima nominis littera ponatur; character ergo pro nomine, nomen vero pro fide accipiatur. Sicut enim omnes Christiani nomen, id est fidem Christi in manu et in fronte impressam habent, ita omnes Antichristi servi et discipuli ejus nomen et idem, aut in dextera, aut in fronte gestabunt; et in extera quidem nomen et fidem portat, qui illud git, cujus se dicit esse professionis. Quem enim dilectioni, et misericordiæ, et pietati insistere videmus, trum sit Christianus non dubitamus; ipsa enim ejus opera, quis vel qualis sit, manifestant; quem si vis cognoscere, non ad linguam, sed ad manum attendas; dominica enim sententia est. « A fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* VII, 16). » In fronte vero nomen, et fidem gestare, est omnibus manifestare nulli dominum suum suamque fidem celare, ut sicut frons omnibus est aperta, ita et fides cunctis sit manifesta. Tantus ergo terror cunctos invadet, ut nemo facere, vel dicere audeat, quod ad ejus fide dissentire videatur. Unde et subditur : *Ut ne quis possit vendere, vel emere, nisi qui habeat characterem nominis bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Nam etsi hoc ad litteram accipi possit; quod et in nostris principibus sæpe fieri videmus, ut videlicet ejus litteram, et sigilla securitatis causa ferantur : est tamen alia et ipsa spiritualis emptio, et venditio, de qua scriptum est : « Sindonem fecit, et vendidit (*Prov.* XXXI, 24); » et alibi : « Omnes sitientes venite ad aquas, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac (*Isa.* LV, 1). » Tales nundinæ, taleque mercatum in Ecclesia sit; nihil ibi sine pretio datur; da fidem et accipe vitam. Hoc autem mercatum, magna ex parte tunc temporis cessabit, quando suæ hæresis dogmata solis hæreticis vendere, vel emere licebit. Sed quid mirum, si ista in illa persecutione maxima omnium fiant, cum olim etiam ab imperatoribus edicta proposita fuisse legantur, ut Christiani ubicunque inventi fuissent, sine audientia punirentur? Sequitur :

Hic sapientia est. Qui habet intellectum computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex. Hic, inquit, sapientia necessaria est, obscura sunt quæ dicuntur, et nisi ab his qui majorem (1560) intellectum habent non capiuntur; qui **339** autem habet intellectum, ut ad hujus rei notitiam pervenire valeat, computet prius numerum bestiæ, quæ quidem, etsi Deum se esse fingat, non Deus tamen, sed homo est; et hoc est quod dicit : *numerus enim hominis est, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.* Quod enim senarium numerum tantum posuit, hominem eum esse monstravit; si quidem sexta die factus est homo. Sed quia senarius iste ex denario descendit, eum ex decimo ordine unum esse significat, ut et homo simul, et diabolus, non per naturam, sed per iniquitatem esse credatur : decies namque sexaginta sexcentos faciunt (1561). Sufficiant autem hoc in loco, quæ ab antiquis dicta sunt, nihilque de nostro ponentes, ea solummodo, quæ ab eis accepimus, ad memoriam reducamus. Liber autem iste a beato Joanne Græcis

(1555) Cod. Vat., *videbantur.*

(1556) Ita prædictum accepimus a Christo Matth. XXIV, 24 : « Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut » errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. » Et Marc. XIII, 22 : « Et dabunt signa, et portenta ad seducendos (si fieri potest) etiam electos. » Et Paulus II Thessal. II, 9, loquens de Antichristo : Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, » in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione. »

(1557) Cod. Vat. : « Quoniam id quondam Elias fecisse legitur. Tanto ergo facilius homines decipient, quanto non suam, sed magistri gloriam quærent. »

(1558) Hæc ex codice Vat. supplevimus.

(1559) Cod. Vat. : *sive pauper sive dives sit.*

(1560) Cod. Vat., *intelligentiam.*

(1561) Cod. Vat. : « Similiter autem et sexies decem fiunt sexaginta. »

Digitized by Google

litteris editus est. Litteras autem omnes apud Græcos numerum exprimere manifestum est. In numero ergo litterarum illius posuit nomen, ut lectoris intellectum exerceret, et tale est ac si diceret : In quo nomine hic numerus reperitur, id est sexcenti sexaginta sex, ipsum est nomen ejus. Ut si dicatur ΑΝΤΕΜΟΣ (1562) (1563), qui interpretatur *contrarius*, inde enim Antichristus vocatur, id est Christo contrarius. Vides igitur quam bene hoc nomen sibi conveniat, quod quidem totum numerum supradictum in se contineat hoc modo. Nam A significat unum, N quinquaginta, T trecentos, E quinque, M quadraginta, O septuaginta, Σ ducentos : qui numerus simul collectus facit 666. Verbi gratia A unum, N quinquaginta, T trecentos, E quinque, M quadraginta, O septuaginta, Σ ducentos. Vocatur autem apud Græcos ΑΝΤΕΜΟΣ, qui apud nos dicitur *Antichristus*, atque utrumque idem significat. Sunt et alia nomina, quæ eidem ipsi quadam verborum circuitione convenire videntur, quæ quidem quoniam prædictum in se numerum continent, a veteribus posita sunt ; nullum tamen nomen ita conveniens est Antichristo, ut hoc quod modo diximus, ΑΝΤΕΜΟΣ. Nos tamen, ut lectori satisfaciamus, cætera quoque nomina ponemus. Sunt autem ΑΡΝΟΥΜΕ, quod interpretatur *nego*, et ΤΕΤΑΝ, quod dicitur *sol*. Et ΓΕΝΣΗΡΙΚΟΣ, quod *gentium seductor* intelligitur (1564). Quomodo autem hæc nomina illi conveniant, prudens lector manifeste intelligit. Causa vero brevitatis singulariter nomina ipsa, numerosque signemus. A significat unum, P centum, N quinquaginta, O septuaginta, Υ quadringentos, M quadraginta, E quinque, T trecentos, E quinque, I decem, T trecentos, A unum, N quinquaginta ; Σ tres, E quinque, N quinquaginta, Σ ducentos, H octo, P centum, I decem, K viginti, O septuaginta, Σ ducentos. Quidam etiam Latinis litteris hoc nomen exprimere voluerunt, sed quia Græce hic liber editus est, non multum ad rem pertinere videtur. Ipsum tamen, quamvis inutile, et nos ponamus. Est autem hoc DICLVX. D namque apud nos quingentos, I unum, C centum, L quinquaginta, V quinque, X decem significant ; quæ simul collecta fiunt sexcenti sexaginta sex. Sed quid aliud hoc significare videtur, nisi quod ejus adulatores cum deprecantes, dicent : DIC LUX ; loquere, legislator, ne taceas, tu qui lumen es, monstra per quam viam incedere debeamus (1565). Sed de his hactenus.

CAPUT XIV.

Et vidi, et ecce angelus stabat supra montem Sion, A *et cum illo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus et nomen patris ejus scriptum in frontibus suis.* Narravit superius beatus Joannes, qualiter et ubi cum omni exercitu suo Antichristum viderit, qualiterque omnes qui ab eo secti fuerant nomen ejus, aut in dextera, aut in fronte habuerint. Nunc autem de Christo et de his qui cum eo erant, ubi eos viderit, et quo nomine etiam ipsi in frontibus suis signati fuerint, narrare incipit, *Vidi*, inquit, *et ecce agnus stabat supra montem Sion.* Hic est ille agnus, de quo scriptum est: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I, 29). » Qui bene supra montem Sion stare videtur, quia Ecclesiæ rex, et princeps in omnibus adversis semper ei auxiliatur. Unde ipse ait : « Ego B autem constitutus **340** sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum Domini (*Psal.* II, 6). » Vidit autem cum illo centum quadraginta quatuor millia, per quos omnem Ecclesiæ multitudinem intelligimus. Hic enim numerus sic in duodena millia dividi potest, ut unusquisque duodecim apostolorum, duodena millia in partem habeat, qui etiamsi in suas partes dividatur, nulla ejus pars vacat a mysterio. Centenarius namque numerus perfectus est ; quem quia imperfectum Dominus esse voluit, ad eum complendum pro una ove de cœlis descendit. Unde ipse ait : « Quis est homo qui habet centum oves, si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit illam quærere quæ perierat ? » (*Luc.* XV, 4.) C Quadragenarius autem numerus in tantum convenit pœnitentibus, ut et Moyses et Elias, et per se modo Salvator quadraginta diebus jejunaverit, quos et S. Ecclesia per singulos annos, usque ad finem sæculi imitabitur. Sed quid de quaternario dicam, qui propter quatuor Evangelia, totidemque virtutes principales, ubique sacratissimus invenitur ? Millenarius autem numerus continet, et cum ipse ex aliis numeris constituatur, nullum alium numerum habet supra se, qui ex millenis confici possit. Merito ergo beatus Joannes centum quadraginta quatuor millia cum Agno stantes vidisse describitur, ut per centum summam virginum perfectionem, per quadraginta vero, omnes peccatores ad veram pœnitentiam conversos : per quatuor autem cunctos D Evangeliorum observatores, qui quasi quadrati lapides, semper firmi et stabiles in fide perstiterunt. Per millia vero, omnes cujuscunque sexus, cujuscunque ordinis, cujuscunque conditionis, cujuscunque gentis, et linguæ multitudinem intelligamus. (1566) Omnes autem isti nomen ejus, et

(1562) Marchesius et editio Lugdunensis Biblioth. PP. legunt ANTEMOC, sed mendose. Ex Vaticano autem codice restituimus ΑΝΤΕΜΟΣ ut postrema verbi littera exhibeat notam Σ, quæ apud Græcos in designandis numeris valet 200.

(1563) Cod. Vat. Latine scribit : *Antemos.*

(1564) Hæc nomina vide apud Calmet in hunc locum, qui subjectis notis, litterarum cujusque nominis potestatem exponit, et ad numerum 666 affabre, ut auctor noster, accommodat.

(1565) Qui Diocletianum pro hac bestia intelligere volunt in nomine Diocles Augustus computatis literis juxta numerationem latinorum, numerum 666 confici aiunt. Porro interpretationem hujusmodi probatam quoque fuisse Meldensi episcopo Bossuæo, testatur Calmet in Apoc. cap. XIII, n. 18, ac sibi omnium, quæ in hunc locum afferuntur, probatissimam videri.

(1566) Hujusmodi prolixam S. Brunonis interpretationem brevibus perstrinxit Cassiodorus in-

Digitized by Google

nomen Patris ejus in frontibus suis scriptum habebant ; sed cujus ejus, nisi Agni, et Patris Agni ? Omnes enim Trinitatis signaculo, Patris videlicet, et Filii, et Spiritus sancti, signati erant. Et Judæi quidem Patris nomen in frontibus suis scriptum habent ; Filii vero non habent. Nos vero utriusque nomen in fronte scriptum habemus, quia utrumque laudamus, et prædicamus, credimus, et confitemur.

Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni, et vocem quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium, in citharis suis, et cantabant quasi canticum novum, ante quatuor animalia, et seniores. Nam quoniam aquæ multæ populi multi intelliguntur, nil aliud est vox aquarum multarum, nisi vox multarum, diversarumque gentium in unam fidem venientium, Deum laudantium, et benedicentium. Vox autem tonitrui magni, vox doctorum est in Ecclesia prædicantium, de quibus dicitur. « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam (*Isa.* LVIII, 1) ; » unde, et iste cujus verba hæc sunt, filius tonitrui in Ecclesia vocatur. *Et vocem quam audivi sicut citharœ citharœdorum citharizantium in citharis suis* ; nam quia dulces sanctorum laudes, et cantus, et in Dei auribus suaviter resonant, ideo citharis eorum voces assimilantur. Talis citharœdus erat David, cujus cantilena, et modulatione, ipsa quoque dæmonia placabantur. Quod adhuc in Ecclesia fieri videmus, cum ad episcopi exhortationem adulteros, sacrilegos, homicidas, cæterosque dæmone plenos ad pœnitentiam festinare conspicimus. Cantant autem quasi novum canticum, quia sic Veteris Testamenti scripturas exponunt, ut nova quædam dicere videantur. Possumus etiam et novum canticum, Novi Testamenti prædicationem intelligere. Hæc autem ante quatuor animalia, et seniores cantare dicuntur, et quasi discipuli ante facies doctorum suorum stare videntur. Nihil et aliud cantat Ecclesia, nisi quod ab his animalibus et senioribus didicit.

Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo, et Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium; sine macula enim sunt ante thronum Dei. Nemo, inquit, illud canticum cantare, et dicere poterat, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra ; non Judæus, non paganus, non hæreticus novum illud inusitatumque canticum dicere potest, nondum ejus vetera transierunt, nondum eis facta sunt omnia nova. Sola ergo Ecclesia illud cantat, soli illi qui empti sunt de terra, de quibus Apostolus ait. « Empti enim estis pretio magno (*I Cor.* VI, 20), » qui Christi sanguine **341** redempti sunt, qui de terra super cœlos exaltantur, soli illic hoc canticum dicere possunt. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Hi sunt, qui non meretricibus, sed castis conjugibus adhæserunt. Hæ autem mulieres, hæreticorum sectæ intelliguntur quas, veluti fetidas meretrices, sancti viri fugientes nullum cum eis voluerunt habere consortium ; unde et virgines dicuntur, qui illis non adhæserunt, qui verbi Dei adulteratores appellantur. « Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava. (*I Cor.* XV, 33) » *Hi autem sequuntur Agnum quocunque ierit* ; » sicut et ipse ait. « Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum (*Joan.* XVII, 21) ; » cœlos ergo ascendent, quia ibi est Agnus. *Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo, et Agno :* Sicut enim ex multa messe, parum quid (1567) primitiarum Deo offerunt ; ita ex cunctis gentibus, isti pauci, ad malorum comparationem, Deo, et Agno quasi quædam primitiæ offeruntur. *In ore eorum non est inventum mendacium*, qui nullis tormentis vinci potuerunt, ut eam, quam semel Deo promiserant, fidem negarent. Unde et subditur : *Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* « Qui enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir (*Jacob.* III, 2) ; » macula tamen pro crimine ponitur.

Et vidi alterum angelum volantem per medium cœlum, habentem Evangelium æternum, ut evangelisaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, dicens magna voce : Timete Dominum, et date illi honorem ; quia venit hora judicii ejus ; et adorate eum, qui fecit cœlum, et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt, et fontes aquarum. Hic enim Angelus aliquem Ecclesiæ doctorem significat, quoniam horam judicii, et mortis terminum, qui evitari non potest, unicuique appropinquare considerat ; volens omnes cautos, et providos esse, quid agere debeant, utique discurrendo sollicite edocet. Æternum enim Evangelium, Christi prædicationem intelligimus, quæ non ad temporalia, et transitoria, sed æterna bona nos invitat ; quæ non hæreticorum inventione composita est, sed ab æternæ sapientiæ fonte manavit ; quæ quidem et majoribus, et minoribus loquitur dicens : *Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus*, ut reddat singulis secundum opera eorum ; *et adorate eum, qui fecit cœlum, et terram* ; non dæmonia, non Antichristum, sed omnium creatorem colite, et adorate.

Et alius angelus secutus est dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ a vino iræ fornicatio-

quiens : « In monte Sion vidisse se dicit stantem Dominum Christum, et cum eo CXLIV beatorum, qui nomina tam ipsius quam Patris ejus in frontibus suis scripta portabant. Hi nullo mendacio, nulla fidei forn catione polluti sunt : quod tamen ad omnes beatos constat aptandum : isti personabant Domino canticum novum, quando ab alio non poterat dici ; deinde admirabili prosecutione laudantur. »

(1567) Cod. Vat., *de primitiis.*

Digitized by Google

nis suæ potavit omnes gentes. Et iste quidem angelus alius alios Ecclesiæ doctores significat, qui quanto plus judicii diem appropinquare senserint, tanto magis quotidie prædicationi instabunt, omnemque mundi hujus gloriam et pulchritudinem transire, et ruere docebunt, quatenus sic animos hominum ab ejus appetitu extorquere valeant. Et hoc est, quod dicitur, *cecidit, cecidit Babylon illa magna.* Babylonia namque *confusio* interpretatur, in qua Nabuchodonosor regnavit, quem diaboli tenuisse figuram omnes scripturæ testantur : cecidit igitur Babylon, quoniam mundus transit, et concupiscentia ejus. Præterit enim figura hujus mundi, omnisque iniquorum confusa multitudo peribit. Hæc autem a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes ; quia in tantum hanc præsentem vitam omnes gentes dilexerunt, ut ab ejus blanditiis anima et corpore corrupti iram Dei incurrere non formidarent (1568).

Et alius angelus tertius secutus est illos, dicens magna voce : Si quis adoraverit bestiam, et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, et biberit de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, et cruciabitur in igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum, et in conspectu Agni. Hunc autem tertium angelum, tertiam prædicationem, et ultimam esse putamus ; quando sancti videntes abominationem, et fere omnes ad iniquitatem converti, et bestiam, et ejus imaginem adorari, magna voce clamabunt, tantumque facinus fieri interdicent, et quanta pœna eos exspectet qui eam adoraverint, ejusque characterem susceperint, et de vino iræ Dei quod mistum est mero in calice iræ ipsius biberint, eis denuntiant. Hic est ille calix, de quo scriptum est : quia « Calix in manu Domini vini meri plenus est misto (*Psal.* LXXIV, 9) ; » per quem sacram Scripturam intelligimus ; quæ quidem secundum se mera est, et pura : sed ab hæreticis inficitur, turbatur, et depravatur ; unde non calici, sed vino hæreticorum, quod mero vino, et sanæ intelligentiæ mistum **342** est iratus Dominus esse dicitur. Qui ergo tale vinum biberint, et hæreticorum pravitati assensum præbuerint, in igne æterno, qui non exstinguetur et in sulphure æterni fetoris sine fine cruciabuntur. Hoc autem in conspectu angelorum sanctorum, et in conspectu agni, quoniam neque Christus, neque sancti ejus eorum tormentorum aliquando obliviscentur, secundum illud : « Memento, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem (*Psal.* CXXXVI, 7). »

Et fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum, nec habebunt requiem die, ac nocte, qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus. Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu. Ibi enim fumus semper ascendit, ibi ignis nunquam deficit ; erunt igitur semper in igne, quorum tormenta fumare non desinunt (1569). De bestia autem, et imagine ejus, et de charactere nominis ejus satis superius dictum est. Quod autem ait : *Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu,* (1570) ad hoc valet, quia cum malorum tormenta sancti videbunt, tunc non frustra se patientes fuisse, et mandata Dei, et fidem Jesu non in vanum se custodisse cognoscent.

Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur : amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. Finitis omnibus, quæ ad malorum tormenta pertinebant, quod eorum videlicet cruciatus æternus sit, quod ipsi requiem nunquam sint habituri, dat Dominus sententiam de beatitudine æterna, et quiete bonorum, quam idem quidem scribere præcipit, ut firma et stabilis esse credatur. *Beati,* inquit, *mortui qui in Domino moriuntur* (1571). Sed quid est in Domino mori, nisi in fide, in justitia, in charitate, et spe firma de hac vita migrare, atque pro his, si necesse fuerit, animam dare ? Amodo jam dicit spiritus, a quo totus liber iste dictatur, et scribitur, ut requiescant a laboribus suis, quos multos, et infinitos pro Christi nomine passi sunt. Opera enim illorum sequuntur illos ; quæ quidem digna memoria, magnum eis ante conspectum Domini testimonium ferent.

(1568) In Babylonis ruina, quæ quondam civitas magna fuit, et Chaldæorum imperii caput, propter similitudinem depravationis, impiumque falsorum numinum cultum Roma in sacris litteris, ut I Petri v, 13, et a SS. Patribus hoc nomine appellatur, ejusque subversio, totaque regni destructio juxta aliquos interpretes hic prænuntiata dicitur. More autem prophetarum pro facto jam habetur, quod certo faciendum cognoscitur. Sed hujusmodi interpretationem in cap. 17 prosequemur.

(1569) Fuit olim Origenistarum error, quem renovavit abbas Joachim, damnatorum pœnas non in æternum duraturas, sed aliquando ab his tormentis liberandos, quem errorem damnavit Ecclesia, cum sacræ litteræ æternitatem pœnarum inferni apertissime doceant.

(1570) Ex hoc testimonio satis patet, ad salutem æternam comparandam, non sufficere fidem, ut contendunt hæretici; sed requiri bona opera, observantiam nempe divinorum mandatorum.

(1571) Nemo, dum adhuc vivit, proprie beatus appellari potest, sed post mortem, quia in ea sola consummatio justitiæ et sanctitatis perficitur ; non nisi in termino cursus vitæ bravium comprehenditur.

Digitized by Google

LIBER QUINTUS

343 *Et vidi, et ecce nubem candidam, et supra nubem sedentem similem filio hominis habentem in capite suo corenam auream, et in manu sua falcem acutam.* Vidit, inquam, beatus Joannes nubem candidam, per quam S. Ecclesiam intelligimus. Nubem quidem, quia doctrinæ pluviis multorum hominum corda prius arentia, uberes bonorum operum fructus germinare facit; candidam autem, quia super nivem dealbata, sine macula est, atque ruga. Vidit autem, et similem Filio hominis, super nubem sedentem, Christum videlicet Dominum nostrum, qui se frequenter in Evangelio Filium hominis vocare consueverat, secundum illud : « Quem dicunt homines esse Filium hominis? (*Matth.* xvi, 14.) » Et bene super nubem sedere describitur, qua ut rex, et dominus Ecclesiæ præsidet, et dominatur. Habet autem in capite suo coronam auream, per quam regem, et victorem, omnique pulchritudine decoratum esse significat. Habet vero in manu sua falcem acutam, gladium videlicet spiritus, quod est verbum Dei, de quo iterum Apostolus ait : « Vivus est enim Dei sermo, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* iv, 12). » Notandum autem quod iterum beatus Joannes a capite incipiens, sicut in aliis libris, quod viderit, manifestat.

Et alter angelus exivit de templo clamans voce magna ad sedentem super nubem : Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur, quia aruit messis terræ; et misit qui sedebat supra nubem falcem suam, et messa est terra. Alter, inquit, *angelus exivit de templo.* Alter utique, et idem alter; est enim Deus quam homo, una tamen, eademque persona, Deus et homo. Exivit ergo angelus de templo, exivit Christus a Patre, et venit in mundum : « Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus (*Psal.* x, 4). » Exivit nimirum de templo, et tandem post multum temporis, in signis et miraculis se hominibus manifestavit. Clamavit voce magna ad sedentem supra nubem : non quod vel iste surdus esset, vel iste audiri aliter non posset, sed quia illis voce magna Deus clamare dicitur, qui ejus monita parati sunt et audire, et obedire ; clamavit angelus ad angelum, Deus ad hominem, divinitas ad humanitatem, quando divina inspiratione Christus Dominus noster præcepit, dicens : « Messis quidem multa, operarii autem pauci, rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (*Matth.* ix, 37) (1572) » Misit ergo Christus falcem suam, misit evangelicam prædicationem per discipulos suos, et messa est terra, undique tritico in horreo Dei, quod est Ecclesia, congregato (1573).

Et alius angelus exivit de templo, quod est in cœlo, habens falcem. Eadem similitudo est quæ superior, præter hoc tantum, quod ibi boni, hic vero mali colliguntur. Angelus enim, qui de templo exivit, Christus est, qui tanquam sponsus de thalamo virginalis uteri processit. Hoc autem templum est in cœlo, quia illa omnium mulierum beatissima sic in terris vixit, ut semper ejus conversatio in cœlis fuerit. Denique jam tunc (1574) hæc Virgo nostra de hac vita migraverat, et super choros angelorum exaltata fuerat, quando beatus Joannes ista scribebat (1575). Vidit ergo angelum, qui de templo exierat, quando templum jam pridem in cœlum translatum fuerat, et ipse, ut superior, falcem acutam habebat; hoc autem superius expositum est. Sequitur : *Et alius angelus exivit de altari, qui habebat potestatem super ignem, et clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens : Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ, quia jam maturæ sunt uvæ ejus.* Sicut enim per templum Virginis uterum intelligimus, ita per altare corpus Dominicum. Altare enim ipse se esse docebat, quando suis manibus illud maximum sacrificium suis discipulis offerebat, dicens : **344** « Accipite, et manducate, hoc est corpus meum (*Matth.* xxvi, 26). » Exivit igitur angelus de altari, quando Deus in homine se hominibus revelare dignatus est. Hic autem angelus supra ignem habet potestatem, quoniam nemo nisi ejus dono Spiritus sancti igne succenditur. Unde ipse ait : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat? (*Luc.* xii, 49) » Et bene quidem angelus iste ei qui falcem acutam habebat, botros vineæ terræ vindemiare præcepit, quia homo assumptus, nisi ex consilio divinitatis, nihil faciebat. Sciendum autem duas esse vineas, unam bonorum, alteram malorum; et de bonorum quidem vinea scriptum est : « Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exivit primo mane conducere operarios in vineam suam (*Matth.* xx, 1). » Malorum autem vinea, hæc est, de qua modo loquimur. Unde et vinea terræ merito vocatur, cujus

(1572) Placet aliquibus interpretibus, ut notat Cornelius, hic non Christum, sed angelum intelligere; quia Christus non vocatur angelus, sed Filius hominis. Hic ergo angelus egreditur, ut Christo cooperetur; utique ejus nutu et jussu demetat impios, cum Christus demetet pios et sanctos.

(1573) Cod. Vat. itemque : « Levate capita vestra, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Misit igitur, » etc.

(1574) Cod. Vat., *jam tunc Virgo nostra.*

(1575) Reddit Bruno testimonium, suis diebus communiter acceptam esse in Ecclesia sententiam de exaltatione seu assumptione B. Mariæ Virginis post ejus obitum ad cœlos; quam S. Bernardus plurimis laudibus exornavit.

Digitized by Google

prima vitis fuit Cham. Hæc autem quotidie vindemiatur; si quidem de hac vita quotidie mali tolluntur; (1576) unde et subditur :

Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum, et calcatus est lacus extra civitatem, et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum, per stadia mille sexcenta. Per falcem enim hoc in loco Christi jussionem, ejusque ultionis ministros intelligimus. Quam quidem quotidie in terram mittit, terræque vineam vindemiare non cessat, quia iniquitate sua mali saturi, et inveterati, subito, cum non putatur, de vite simul et vita abscinduntur; abscissi autem non in qualecunque torcular mittuntur, sed in lacum iræ Dei magnum, qui est infernus, submerguntur. *Et calcatus est lacus extra civitatem, et exivit sanguis* B *de lacu.* Non enim intra civitatem sanctam lacus iste continetur, extra est, extra calcatur, cujus maligni spiritus sunt calcatores et vinitores. Ecce namque eum extra civitatem Abraham significabat, cum diceret : « Inter nos et vos chaos magnum firmatum est. Et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta (*Luc.* XVI, 16). » Hic autem loquendi modus hyperbole a grammaticis appellatur. Cum enim magnum prælium, alicubi factum esse, significare volumus, dicere solemus : tantum sanguinem ibi esse fusum, ut in sanguine equi natarent. Sic et in hoc loco volens beatus Joannes divinam ultionem, et malorum pœnam, et mortem significare dicit : eorum sanguinem usque ad equorum frenos crevisse; quod alius propheta significantius exponens, ait : « Et egredientur sancti, et videbunt cadavera mortuorum, qui prævaricati sunt in me, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni (*Isa.* LXVI, 24). » Quod enim ibi est usque ad satietatem visionis, hic est usque ad frenos equorum. Sed quid aliud est, sanguinem de lacu exire, nisi malorum pœnam atque tormenta hujus mundi hominibus innotescere? Unde etiam per stadia mille sexcenta exisse perhibetur; per mille namque stadia totum mundi ambitum intelligimus, per sexcenta vero sex ætates (1577) significantur. Et merito quidem omnia per mille intelliguntur, quoniam, ut jam diximus, omnes numeri in mille continentur. Exivit ergo sanguis per stadia mille, quia nusquam est locus, ubi malorum pœna non sit audita : exivit autem per stadia sexcenta, quoniam nulla ætas fuit, in qua id ipsum non fuerit revelatum (1578). Quod autem non solum terræ dimensio, sed et temporis longitudo stadium vocetur, audi Apostolum dicentem : « Nescitis quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium (*I Cor.* IX, 24)? » Quod alio in loco exponens ait : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi (*II Tim.* IV, 7), » cursum utique sæculi præsentis vitæ.

A

CAPUT XV.

Et vidi aliud signum in cœlo, magnum et mirabile; angelos septem, habentes plagas septem novissimas; quoniam in illis consummata est ira Dei. Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes supra mare vitreum habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum agni, dicentes : Magna, et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens. Magnum, inquit, et mirabile signum vidi in Ecclesia, septem videlicet angelos, id est septem doctorum ordines, qui sibi per diversa tempora succedebant, habentes plagas septem novissimas (1579). Sed quare novissimas? **345** Quia in illis consummata est ira Dei. Magnæ enim plagæ et immensæ illæ erunt, quibus ira Dei consummari et satiari poterit. Novissimum autem aliquando pro ultimo, aliquando pro deteriore ponitur. De his autem plagis multa in sequentibus dicturi sumus. *Et vidi tanquam mare vitreum, mistum igne;* mare namque vitreum aqua baptismatis est, quæ quidem igne Spiritus sancti tota mista et sanctificata, de qua Præcursor Domini Joannes dicebat : « Ego baptizo vos in aqua; qui autem venit post me, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta solvere, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne (*Joan.* I, 26). » Est ergo mare vitreum mistum igne; quatenus aqua sanctificata vitrea et pura exterius corpora lavet, ignis vero S. Spiritus interius vitia exurat, et mundet hominem a peccato.

B

C

Et vidi eos stantes, qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus supra mare vitreum (1580) : non sufficit aqua baptismatis esse regeneratum, nisi insuper bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus vincamus et despiciamus. Sed dicis : Quomodo bestiam illam, quæ nondum venit, superare potero? Audi quid beatus Joannes etiam in Epistola sua dicit : « Filioli mei, novissima hora est, et sicut audistis, Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi sunt (*Joan.* II, 18). » Ergo quamvis in fine sæculi ille perditionis filius, omniumque iniquorum caput venturus sit,

D

(1576) Duo hominum ordines distinguuntur a S. Joanne, justorum scilicet, et improborum. Priorum sors felix, et beatissima, quia in partem suam adducet Christus, suoque in regno æternæ beatitatis hæredes, et possessores collocabit. Reprobi autem ab angelis iræ Dei ministris a cœlesti civitate perpetuo exsules in lacum ignis conjicientur.

(1577) Cod. Vat., *figurantur.*

(1578) Pœnarum infernalium æternitatem ipsis ethnicis notam fuisse Sisyphi fabula dubitare non sinit.

(1579) Habentur hæc veluti prænuntia illarum calamitatum super impios, et juxta aliquos, specialiter super Romanum imperium funditus everlendum, quæ ab angelis statuto tempore effundentur, de quibus sunt sequentis capitis vaticinia.

(1580) Cod. Vat. : « Et vidi eos, qui vicerant bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum. De bestia namque, et magnitudine ejus, et numero nominis ejus multa superius dicta sunt. Sed non sufficit stare super mare vitreum, non sufficit aqua baptismatis esse regeneratum, » etc.

Digitized by Google

quotidie tamen sua membra præmittit, in quibus atque a fidelibus superatur (1581). Omnis enim qui Christo contradicit Antichristus est. Qui ergo stat super mare vitreum, qui in baptismate piscatur et natat, vincat bestiam et imaginem ejus, vincat Antichristum et discipulos ejus, qui sibi conformes sunt atque consimiles. Neque suscipiat (1582) numerum nominis ejus, id est fidem et doctrinam ipsius. Sed quid isti supra mare faciebant? Sequitur : *Habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum agni.* Cithara namque Dei modulatio est divinæ inspirationis, de qua discipulis suis Dominus ipse dicebat : « Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* x, 20). » Canticum vero Moysi, et canticum agni, Vetus et Novum Testamentum intelligimus. Quicunque ergo stant supra mare vitreum, quicunque alios invitant ad baptismatis sacramentum, sic citharizent, taliterque et talia cantent : *Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, justæ et veræ sunt viæ tuæ, rex sæculorum, quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? Quia solus pius es, quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quia judicia tua manifesta sunt.* Quid est ergo, quod dicitur : *Judicia tua manifesta sunt*; cum alibi scriptum sit : « Judicia tua abyssus multa? » (*Psal.* xxxv, 7.) Divina quidem judicia manifesta sunt et occulta : occulta quidem, quoniam nemo ea ad plenum manifestare valet : manifesta autem, quia quomodocunque fiant, nemo tamen justa et vera ea esse dubitat. Stantes ergo doctores super mare vitreum, videntesque gentiles, qui sine Deo erant, ad baptismum festinare; Judæos vero, qui legem habebant, justo Dei judicio condemnatos, salutis medicinam non appetere, obstupescunt in operibus Domini, atque mirantur, et cur ea ignorent, quare illi electi sint, isti vero reprobati, Dei tamen vias rectas et justas esse dicunt; idcoque magis Deum timendum et magnificandum prædicant, quia sola pietate et misericordia gentes vocat; Judæorum vero superbiam confundit et damnat.

Et post hæc vidi, et ecce cœlum apertum est, templum tabernaculi testimonii in cœlo, exierunt septem angeli, habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo et candido, et præcincti circa pectora zonis aureis. Tunc enim templum tabernaculi testimonii apertum est in cœlo, quando Christi prædicatio per ora apostolorum prius sonuit in Ecclesia. Apostoli namque templum sunt, qui in sacrario sui pectoris ipsum tabernaculum, et omnia legis et prophetarum testimonia scripta portant et prædicant.

A De hoc autem templo septem habentes plagas, septem angeli exierunt, quia omnes doctorum ordines ab apostolis originem ducentes, illico suis temporibus in Ecclesia prædicant, quæ ab illis didicerunt. Et quoniam, ut Apostolus ait : « Aliis sunt odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem (*II Cor.* II, 16), » qui eorum monitis non obtemperant, super eos plagas inducunt. Hi autem vestiti sunt lino mundo, et candido, illa videlicet pretiosa margarita, de qua Dominus in Evangelio loquitur, dicens : « Simile est regnum **346** cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventa autem una pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam (*Matth.* XIII, 45, 46); » per quam nimirum Christi fidem et doctrinam ecclesiasticam B intelligimus, qua qui indutus non fuerit, inter Christi convivas discumbere non audebit. Sunt autem et circa pectora zonis aureis præcincti, quatenus per ea quæ exterius apparent, quantus thesaurus sapientiæ et scientiæ in eorum corde interius sit reconditus, intelligatur.

Et unum ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum, et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute ejus, et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem angelorum. Quatuor sunt animalia, omnia tamen unum, idemque narrant et dicunt, quia solum Christi prædicationem describunt. Quod ergo unum ex eis dat, hoc procul dubio C ab omnibus datur. Sed quid est, quod septem phialas aureas, plenas iracundia Dei viventis, septem angeli dedisse perhibentur, nisi quod omnes Ecclesiæ doctores eam doctrinam, quam habent et prædicant, acceperunt? Quæ doctrina, quamvis aurea sit et sapientiæ sale condita, ab aliis tamen avide suscipitur, ab aliis autem quasi insulsum aliquid, vel sine sapore respuitur, et in eos quidem, a quibus respuitur, Dei indignationem et iracundiam desuper infundunt (1583). Propter tales igitur hæ aureæ phialæ, quamvis omnes delicias in se contineant, iracundiæ tamen Dei viventis plenæ esse memorantur. Templum autem, quod fumo impletum est a majestate Dei, et de virtute ejus, vel S. Ecclesiæ, vel cœlestis Jerusalem intelligi potest. Dei namque virtus et majestas, quæ Ecclesiam semper inhabitat, quodam divino occultoque judicio infidelium mentes excæcat, ne ad fidem convertantur et Ecclesiam ingrediantur. Unde Apostolus : « Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, neque enim potest, quoniam spiritualiter examinatur (*I Cor.* II, 14). » Et hoc est quod dicitur : *Et nemo poterat in-*

(1581) Huc usque in sensu S. Joannis apostoli multi in Ecclesia fuere Antichristi, et usque ad mundi finem erunt; sed sicut illi vel hæretici, vel tyranni veritati et potentiæ Dei resistere non valuerunt; ita posteriores isti exterminabuntur. Quare fiet maximum gaudium in Ecclesia super eorum ruinam.

(1582) Ex. Cod. Vat. ita emendavimus. Editio, *sufficiat.*

(1583) Hæc referri possunt ad ea quæ Christus Dominus Judæis dixit Joan. VIII, 47 : « Qui ex Deo est verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, ac proinde in horrendam indurationem incidetis. »

Digitized by Google

trahere in templum, donec consummarentur septem plagæ. His enim consummatis, major in Ecclesia introitus fiet. Quia « cum plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). » De cœlesti autem Jerusalem pro certo scitur, quod nemo corporaliter ingrediatur, donec his septem plagis finitis ad immortalitem sancti resurgant. Quæ bene fumo aromatum et incensorum, qui de sanctorum orationibus procedit, plena esse dicitur, quia ubi Dei majestas, et virtus est, ibi sanctorum orationes et obsequia diriguntur.

CAPUT XVI.

Et audivi vocem magnam de templo dicentem septem angelis : Ite, et effundite septem phialas iræ Dei in terram. Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram, et factum est vulnus sævum et pessimum in hominibus qui habebant characterem bestiæ, et in eos qui adoraverunt imaginem ejus (1584). Hæc magna vox in templo Dei, quod est Ecclesia, quotidie auditur. Quid enim aliud Evangelia narrant, nisi ut doctores ad evangelizandum exeant, et quanta ira et indignatio super peccatores, nisi convertantur, ventura sit, cunctis aperto ore manifestent? Cum enim futuram pœnam sancti denuntiant, quid aliud quam phialas iræ Dei plenas in terram effundunt? Unde et subditur : *Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram.* Primus enim angelus primus est prædicatorum ordo, qui tunc quidem phialam suam in terram fudit, quando primitivæ Ecclesiæ non solum gratiam, quæ bonis parata est, verum etiam quæ tormenta peccatores exspectant, annuntiabat. Hanc autem phialam fundebat Apostolus cum diceret : quod « Dominus reddet unicuique secundum opera sua, his quidem secundum patientiam boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem : his autem qui ex contentione, et non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia superveniet (*Rom.* II, 6, 10). » Sequitur : *Et factum est vulnus sævum ac pessimum in hominibus qui habebant characterem bestiæ, et in eis qui adoraverunt imaginem ejus.* Nondum bestia nata est, et jam miseri **347** homines ejus characterem et nomen venerantur, ejusque imaginem et similitudinem adorant. Ejus namque imago Simon magus, Arius, et cæteri filii diaboli fuerunt. Ejus imaginem et characterem Judæi venerantur, qui se adhuc Messiam exspectare confitentur. In his autem sævum vulnus ac pessimum factum est, quod utique sanari non potest. « Si non venissem, et locutus fuissem, peccatum non haberent ; nunc autem excusationem non habent de peccatis suis (*Joan.* XV, 21). » Quid ergo? Nunquid Christi prædicatio eos vulneravit et peccare fecit? Absit ; sed cum Christus prædicaret, et ipsi ejus monita recipere nolent, a diabolo vulnerati et necati sunt, atque in ejus militia computati. Unde Apostolus ait : « Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, et per illud occidit (*Rom.* VII, 11). » Sic ergo apostolis prædicantibus, cum Judæi et cæteri, qui in errorem seducti fuerant, eorum verba recipere noluissent, tam graviter a diabolo vulnerati sunt, ut jam ulterius sanari non valerent (1585).

Et secundus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui, et omnis anima vivens mortua est in mari. Secundus namque angelus phialam suam in hoc mare magnum et spatiosum fudit (1586), quando secundus prædicatorum ordo armatam mundi hujus sapientiam, philosophorum et hæreticorum doctrinam, insuper et falsam deorum religionem reprehendere cœpit. Unde et subditur : *Omnis aqua maris versa est in sanguinem*, et ipse sanguis mortui. Et omnis anima (1587) vivens mortua est in mari ; quanto enim plus vera doctrina dilucidatur, tanto magis falsa scientia in sanguinem vertitur, et peccatum. Plus etenim peccat, qui cognita veritate falsitatem sequitur, quam ille qui veritatis vocem nunquam audivit. Merito ergo mare in sanguinem vertitur, seque libentes necat et interficit, cum non jam ad mare, sed ad sanæ fidei phialam super infusam sitientes currere debeant.

Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis. Quid enim per flumina et fontes aquarum, nisi legis et prophetarum libros intelligimus? Super hos autem phialam suam, spiritualem videlicet expositionem, Ecclesiæ doctores fuderunt, ne secundum litteram ulterius intelligerentur ; « littera enim occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 6). » Occidit quidem, quando in sanguinem conversa est, a quo etiam suos observatores præcipit abstinere. Et prius quidem isti fontes, secundum historiam intellecti, potabiles erant, nunc autem nisi spiritualiter intelligantur, hæreticos faciunt. Sciant igitur se non aquam, sed sanguinem bibere, qui tali scientia delectantur.

Et audivi angelum aquarum dicentem : Justus es,

(1584) Qui hoc ex capite non morales sensus eruunt, ut commentator noster, sed eversionis Romani imperii vaticinia accipi debere contendunt ; pro voce magna, voluntatem Dei Joannl manifestatam intelligunt, qui cum tempus novæ legis instaurandæ advenerit, Romanorum regnum acerbius contra veri Dei religionem acturum evertere statuit. Has igitur plagas, seu flagella diversis temporibus immissa interpretes isti a Valeriano numerare incipiunt, qui a Sapore Persarum rege victus miseram captivitatem, et atrociorem mortem passus est. Certum enim est quod non tam bella, quam pestilentiæ, fames, terræmotus, incendia et diversa vastationum genera Romam, barbarorum principum ludibrium factam, desolarunt. Ita Cornelius, Calmet, Bossuet, Sassi, etc.

(1585) Cod. Vat., *non valeant.*

(1586) Cod. Vat., *effudit.*

(1587) Cod. Vat. : « Et ipse sanguis totus niger, et puteus factus est tanquam sanguis mortui. Et omnis anima, » etc.

Digitized by Google

qui es, et qui eras sanctus, qui hæc judicasti, quia sanguinem sanctorum et prophetarum fuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt. Et audivi alterum ab altari dicentem : Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua. Laudat quartus prædicator superiorum doctorum sermones, insuper et Deo gratias agit, quia homines iniquos et superbos, qui magis hæreticorum et philosophorum stultam sapientiam, quam veram et catholicam fidem credere et imitari voluerunt, in sua stultitia errorque permisit. Ad quod confirmandum omnis ecclesiastica multitudo, quæ a rectæ fidei altari non discedit, respondit dicens : *Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua.* Vides quanta concordia est in populo Dei, et quomodo sancti prædicatores omnes se vicissim respondent, et Dei opera et justificationes una voce prædicant et extollunt. Sequitur :

Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu affligere homines et igne. Et æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt homines nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam. Postquam Dei judicia angelus quartus laudaverat, ipse quoque nolens suam phialam esse otiosam, super solem eam effudit. Per solem hoc in loco illum intelligimus, qui cum sit cæcus, omniumque tenebrarum caligine obvolutus (1588), Deum tamen justitiæque solem se dicere non timebit. Hic ergo sanam doctrinam ferre non valens, et phialam super effusam (1589) graviter ferens, cum non habeat quod Ecclesiæ doctoribus respondere queat, in suos irascetur et indignabitur, eosque infideles, ut moris est, vilesque vocabit, qui suas injurias non vindicaverint (1590); unde ad tantam insaniam eos accendet et provocabit, ut non solum sanctos, verum etiam ipsum mundi creatorem blasphemare audeant (1591); et hoc est quod dicitur : *Et datum est illi æstu affligere homines, et igne, et æstuaverunt homines æstu magno;* tali namque æstu, talique **348** igne sæpissime homines affligi et æstuare videmus, cum tanta ira diabolo instigante exagitantur, ut vix a multis unus homo detineri valeat, quod ad facinus, quod mente conceperat, totus pallidus et turbatus, quasi fera in sanguinem, ruat. Sequitur : *Et blasphemaverunt nomen Domini habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.* Vides ergo quid diaboli stimulus, quid cauda draconis, quid iniquitatis filius in his qui sibi obediunt (1592), quo igne eos succendat, quo æstu eos inflammet, quibusve stimulis eos exagitet.

Et quintus angelus effudit phialam super sedem bestiæ, et factum est regnum ejus tenebrosum, et commanducaverunt linguas suas præ dolore, et blasphemaverunt Dominum cœli in doloribus, et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. Quartus angelus super ipsam bestiam, quam et solem vocavit, quintus autem narratur phialam suam fudisse super sedem bestiæ, majora, et fortiora ejus membra (1593), hæresiarchas videlicet et tyrannos intelligimus. Super hos autem phialas suas doctores effundunt, quando sua peccata, suosque errores eis ad memoriam reducentes, quas pœnas quosque cruciatus pro eis passuri sunt, eis per ordinem exponunt; unde fit ut qui talibus verbis, si Deum propitium haberent, illuminari debuerant; obstinati potius contra veritatem, tenebrosi fiant et cæci. Et hoc est quod dicitur : *Et factum est regnum ejus tenebrosum.* Sequitur : *Et commanducaverunt linguas suas præ dolore, et blasphemaverunt Dominum cœli in doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.* Ecce qui sapienter admoniti ad pœnitentiam, et lacrymas converti debuerant, quasi quibusdam telis graviter vulnerati sanctorum verbis ad tantam iram et indignationem commoti sunt, ut et Dominum blasphemarent, et inter se ut frenetici, frendentes, quod dicerent non considerarent. Hoc est enim, quod ait : *Et commanducaverunt linguas præ dolore.* Quid enim aliud est linguam præ dolore manducare, nisi inconsiderate et irrationabiliter loqui ? Sequitur :

Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten, et siccavit aquam ejus, ut præparetur via regibus ab ortu solis. Flumen etenim magnum Euphrates, quod in multas partes dividitur, hæreticos designat, qui in multiplices diversasque sectas dividuntur. Super hos autem phialam suæ prædicationis angelus effudit, eorumque aquas fontes et torrentes desiccavit, magnaque ex parte eorum hæreses destruxit. Unde factum est ut aqua desiccata, quæ eis impedimento erat, via regibus ab ortu solis venientibus præpararetur. Reges enim dicuntur sancti, qui quoniam se prudenter regere norunt, nullum in eis habent vitia principatum. Undo Apostolus ait : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore (*Rom.* vi, 12). » Illi autem veniunt ab ortu solis, quia lux eos semper antecedit, nesciunt occasum, sed de virtute in virtutem, quasi de luce in lucem gradientes, semper solis radios, quasi aquilæ, intuentur.

Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos, et in modum ranarum : sunt enim spiritus dæmoniorum, facientes signa, et procedunt ad reges totius terræ, congregare illos ad prælium, ad diem magnum Dei omnipotentis (subauditur dicentis) : *Ecce venio sicut fur; beatus, qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus am-*

(1588) Cod. Vat., *circumvolutus.*
(1589) Cod. Vat., *sibi supereffusam.*
(1590) Cod. Vat., *quantocius non judicaverint.*
(1591) Hujus generis sunt impii illi, qui Dei providentiam damnant, qui de ejus existentia disputant, qui si non verbis, factis certe athei comprobantur
(1592) Cod. Vat., *operetur.*
(1593) Cod. Vat., « quintus autem super sedem bestiæ phialam fudisse narratur. Sedes autem bestiæ major, et fortior, » etc.

Digitized by Google

bulet, et videant turpitudinem ejus, et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedon. Vocatur enim Antichristus draco, propter fallendi fortitudinem et volubilitatem; vocatur et bestia, propter crudelitatem; vocatur autem pseudopropheta, quia se Christum esse mentitur. De cujus ore spiritus tres immundos exire dicit, quos subsequenter exponens, spiritus dæmoniorum esse fatetur, et tali quidem trinitate præditus dæmoniorum omnes suos discipulos falsa signorum et prodigiorum virtute ditabit. Qui bene ranarum similitudinem habere perhibentur, quia eos quos sua dicacitate corrumpunt, garrulitate, et immunditia, omnique sorde replent. Hi autem procedunt ad reges totius terræ, non utique ad eos quibus via ab ortu solis præparatur, imo ad eos qui sola terrena et transitoria, honores et dignitates diligunt. Sed quare procedunt? Sequitur. *Congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis.* Sic sic, diabole, diligis tuos, hoc est tuum consilium, ut contra eum pugnare eos suadeas cui neque tu, neque illud resistere valebit (1594)? Quod quidem ideo facis (1595), ut non solus, sed cum multis in judicio damneris. Vos autem sancti, cavete ne decipiamini, quibus ipse Dominus ait : *Ecce venio sicut fur*, cunctis hominibus meum adventum ignorantibus. *Beatus ergo qui vigilat*, et semper vigilat, ne quasi incautus præoccupetur; **349** *et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus.* Iis enim vestibus primus homo se nudatum esse sentiebat, quando dicebat : « Audivi, Domine, vocem tuam, et abscondi me, eo quod nudus essem (*Gen.* III, 9); » quas quidem si bene custodisset, ejus et nostra turpitudo non apparuisset. Sequitur : *Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedon* (1596). Magedon namque locus est in quo (sicut in libro Regum et Paralipomenon legitur) Josias rex justissimus est interfectus (*II Paral.* XXXV, 22), de quo loco et Zacharias propheta in personam Domini ad judicium venientis loquitur, dicens : « Et aspicient ad me, quem crucifixerunt (*Zach.* XII, 10). » Et paulo post : « In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus ad Remonon in campo Magedon, et plangent terræ familiæ, et familiæ seorsum (*ibid.*, 11, 12). » Congregabuntur ergo in campo, qui vocatur Hebraice Armagedon, id est ante faciem Dei omnipotentis, qui non quasi probaturus, sed quasi judicaturus eos aspiciet.

Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna de templo a throno, dicens : Factum est. Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræmotus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram : talis terræmotus, et sic magnus. Et facta est civitas magna in tres partes, et civitates gentium ceciderunt. Septimus angelus ultima prædicatio erit, quæ ab Henoch et Elia initium suscipiet. Qui bene phialam suam in aerem fudisse dicitur, quia palam et manifeste loquens Antichristum advenisse nuntiabit. Sequitur : *Et exivit vox de templo, ac throno dicens : Factum est.* Vox enim magna quæ de templo exit, vox sanctorum est, qui tam terribili nuntio audito, vicissim se viriliter agere hortabuntur, dicentes : *Factum est.* Advenit ultimus dies, completæ sunt scripturæ prophetarum, moriamur ergo omnes pro nomine Christi. Confestim autem ab adversa parte malo ore facta sunt fulgura, in multis videlicet signis et miraculis, Antichristo ejusque discipulis clarescentibus: et voces prædictarum ranarum, et tonitrua altæ prædicationis hæreticorum, ubique prædicantium. *Et terræmotus factus est magnus, qualis nunquam fuit*, cunctis videlicet terrenis, et peccatoribus magno impetu in Ecclesiam insurgentibus, de quo terræmotu ipse Dominus loquitur, dicens : « Erit tunc tribulatio talis qualis non fuit ab origine mundi, nec futura est (*Matth.* IV, 21). » Tunc autem civitas illa magna iniquorum in tres partes dividetur, quatenus nemo in illa occisus reperiatur, cunctis pro modulo contra sanctos pugnantibus. Et prima quidem pars est Antichristus ejusque familiares; secunda vero multitudo hæreticorum, ubique signa et prodigia facientium; tertia autem tyrannorum exercitus, ubique sanctos affligentium. Quod autem ait : *Et civitates gentium ceciderunt*, eos significat, qui eorum signis et doctrina decipientur.

Et Babylon magna venit in memoriam ante Dominum dare ei calicem indignationis iræ ejus. Et omnes insulæ fugerunt, et montes non sunt inventi, et grando magna descendit de cœlo in homines, et blasphemaverunt homines Deum, propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer (1597). Sicut enim Jerusalem sanctorum Ecclesiam, ita Babylon iniquorum omnium congregationem significat, cujus secundum quemdam modum videtur Deus oblitus, quia malos in suis iniquitatibus crescere et prosperari permittit. Quæ tunc quidem in ejus memoriam reducetur, quando eam sæ indignationis calice potabit. Quod autem calix passionem et mortem significet, pene omnes scripturæ testantur. Sed quid est quod insulæ fugiunt, et montes non inveniuntur? nisi quia multæ mundi hujus Ecclesiæ, multique episcopi et doctores jam fatigati, et procellosas maris tempestates ferre non valentes, locum persecutoribus dabunt, et ne inveniantur, ubique se occultabunt; quod quidem in primitiva Ecclesia sæpissime factum fuisse legimus; cum non qualescunque, sed ipsi apostolici viri se in cryptis, terræque cavernis se abscondisse narrantur. Hæc autem tanta persecutio quare fiat, subjungit dicens : *Et grando magna, sicut talentum, descendit de cœlo super homines.* Hæc enim grando septimi angeli prædicatio intelligitur, quæ in tantum cum omni exercitu suo Antichristum in

(1594) Cod. Vat, *neque ipsi resistere valebitis.*
(1595) Id. cod., *Quod quidem totum facis*, etc.
(1596) Cod. Vat., *Magedon.*

(1597) Cod. Vat., « ut ipsum Deum omnes pariter blasphemarent »

Digitized by Google

iram et indignationem commovit, et exacerbavit, ut ipsum Deum pariter blasphemaverunt (1598). Quæ grando bene talento comparatur, quoniam talentum septuaginta duarum librarum est, quot et discipuli Christi fuisse dicuntur, quorum prædicationem septimus iste angelus est imitatus. Hæc autem superioribus continuanda sunt, illi videlicet loco ubi dicitur : *Et exiit vox magna de templo a throno dicens : Factum est;* inde enim usque ad hunc locum, interpunctio est, **350** quam Græci dicunt parenthesin. Sequitur : *Et blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis, quia magna facta est vehementer.* Sicut enim nos hæreticorum verba, sagittas et grandinem computamus; ita et hæretici sanctorum prædicatione vulnerati, timentes, quasi grandinem eam fugiunt, et impetum tempestatis.

CAPUT XVII.

Et venit unus de septem angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum dicens : Veni, et ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ; et inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino fornicationis ejus. Quod beato Joanni dicitur, universaliter toti Ecclesiæ dicitur. Quia ergo de Babylone angelus loqui cœperat, plenissime eam qualis sit describens, admonet Ecclesiam, ut eam videat, et contempletur. (1599) *Veni*, inquit, *ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*, quod per conversionem intelligimus, damnandam meretricem magnam. *Quæ sedebat super aquas multas*, quoniam in multis populis obtinet principatum. *Cum qua fornicati sunt reges terræ;* fornicati utique, quia male et illicite ea abusi sunt. Quamvis enim sine hac vita præsenti vivere nequeamus, cum ea tamen fornicari dicimur, si contra legem dissolute nimis et luxuriose ea utamur. *Et inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino fornicationis ejus.* Quid est enim vinum fornicationis ejus, nisi illicitum poculum ejus? De quo quidem terræ inhabitatores inebriantur, quia in tantum ab hujus vitæ illecebris decipiuntur, ut quasi dementes, sui suæque utilitatis obliti, per quam viam incedere debeant ignorant.

Et abstulit me in desertum in spiritu, et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, et cornua decem, et mulier erat circumdata purpura et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione et immunditia fornicationis ejus. Desertum non nisi ferarum et animalium irrationabilium esse solet habitatio. Merito ergo in desertum fertur, qui tantum, taleque visurus est monstrum. *Et vidi*, inquit, *mulierem sedentem super bestiam coccineam.* Hæc enim bestia ex multis populis et gentibus constituitur; cujus caput non immerito Romam vocaveram, quæ quidem bestia quoniam multorum sanctorum sanguinem fudit coccinea tota, et rubea apparet (1600). Quoniam vero multis idolorum portentis servivit, ideo nominibus blasphemiæ plena esse dicitur. (1601) Quæ enim major blasphemia, quam aurum, lapides, et lingua deos vocare? Habebat autem capita septem, et cornua decem, de quibus jam supra diximus, et plura in sequentibus dicemus. Talis ergo erat bestia. Sed qualis erat mulier quæ super bestiam sedebat? Sequitur : *Et mulier erat circumdata coccino et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis.* His enim ornamentis ad sui fornicationem suos attrahit amatores, per quæ et cætera intelligimus, quibus miseri homines ab amore Dei ad vitæ hujus felicitatem retrahuntur. *Habebat autem et poculum in manu sua plenum abominatione, et immunditia fornicationis ejus*, per quæ persuasionem quamdam, et in bonis transitoriis delectationem intelligamus; quæ quidem persuasio, et delectatio, superbia, avaritia, luxuria, cæterisque vitiis, quasi suavi aliqua potatione plena multos inebriat, et a recto itinere deviare facit.

Et in fronte ejus nomen scriptum, Mysterium : Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu, et miratus sum cum vidissem illam, admiratione magna. Erat, inquit, *in fronte ejus nomen scriptum*, alterius quam sonare videbatur intelligentiæ, in se continens mysterium, multorum videlicet secretorum. Vocatur enim Babylon magna; nulla enim antiquitus civitas tam nobilis, tamque potens, et tam omnibus divitiis, et deliciis, cunctisque superstitionibus, sicut Babylon, plena fuit. Hæc populum Dei captivavit, hæc usque ad fundamenta Jerusalem civitatem Dei destruxit; hujus insuper rex Nabuchodonosor fuit omnium hominum superbissimus. Hæc ergo quia sola præsentia bona dilexit, præsentem vitam, et malorum omnium congregationem, et ad cæ-

(1598) Terrestris mundi dissolutionem nonnulli hic prænuntiari opinantur. Exacto enim finali judicio quo totus calix indignationis iræ Dei in impios ad tartara damnatos effusus fuerit, tota hæc moles dissolvetur, et, ut ait Christus Dominus, *Cælum et terra transibunt, et fient omnia nova.*

(1599) Si paululum obscure et ænigmatice in superiori capite S. Joannes de urbe Roma locutus est, in hoc sub Babylonis nomine vivis propriisque coloribus eam describit, ut aliter intelligi non debeat. Ob omnimodam moram corruptionem eam meretricem magnam vocat, et cum in idololatriam perdite se injecerat, universosque populos secum fornicari, id est deos mendaces adorare coegerat, ideo vino, seu æstu fornicationis inebriatam appellat.

(1600) Cod. Vat., « cujus caput non immerito Romam vocaverim; quod quidem et Babylon aliquando fuit. Quæ quidem bestiæ, » etc.

(1601) Quæ Roma esset ante Petri et Pauli prædicationem describit S. Leo M. sermo 80 in Natali apostolorum illorum cum dixit : « Hic conculcandæ philosophorum opiniones, hic diluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum. »

Digitized by Google

tera quæ Deus abominatur et odit, homines invitat, **351** merito fornicationum et abominationum mater vocatur. Hæc autem, quia multorum sanctorum et martyrum Jesu sanguinem fudit, quasi jam plena, et satiata, ebria de eo esse perhibetur. Cujus impietatem et crudelitatem beatus Joannes non modica admiratione miratus est.

Et dixit mihi angelus: Cur miraris? Ego tibi dicam sacramentum mulieris, et bestiæ quæ portat eam quæ habet capita septem et cornua decem. Bestia, quam vidisti, fuit et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit, et mirantur inhabitantes terram (quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ a constitutione mundi) videntes bestiam quæ erat, et quæ non est. Ego, inquit, tibi dicam mulieris et bestiæ sacramentum; audi et intellige quid utrumque significet. Bestia enim quam vidisti fuit et non est, fuit enim ad tempus bestia ista: claruerunt aliquando sæculi hujus potentes, et honoribus et dignitatibus sublimati, ac si æterni essent, ab hominibus verebantur. Sed jam quidem non est, quia et assidue de hac vita transit, et tam brevi tempore in ea moratur, ut una eademque hora et esse et non esse videatur. *Et ascensura est de abysso, et in interitum ibit* (1602). Ascensura est enim de abysso, quia iniquorum animæ ad corpora resurgenda revertentur; iterum ad tartara præcipitatæ, et animæ simul, et corpora æternos cruciatus sustinebunt. Et tunc quidem peccatores, qui in libro vitæ scripti non sunt, neque Dei memoria digni habentur, super hanc bestiam mirabuntur et obstupescent, videntes eos damnari, qui soliti fuerunt cum magna potentia cæteros judicare. Sequitur:

Et hic est sensus qui habet sapientiam. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet. Et reges septem sunt; quinque ceciderunt, et unus est, et alius nondum venit, et cum venerit oportet illum breve tempus manere. Expositio est prædictæ similitudinis. Hic, inquit, est sensus, et intellectus eorum quæ dicta sunt, quod et ille quidem bene intelligit qui habet sapientiam. Et septem capita, septem montes sunt; septem etenim montes supra quos mulier sedet, totidemque reges, septem, ut in sequentibus declarabitur, tempora significant, sex videlicet ætates, et septimum sextæ ætatis tempus, et ipsum quidem breve et ultimum. Unde et subditur: Quinque ceciderunt, et unus est, et alius nondum venit (1603); quinque namque ætates, et quinque regna cum suis regibus jam tunc transierant, quando beatus Joannes ista loquebatur, sexta vero ætas, et sextum cum suis regibus regnum tunc incipiebat, quæ et nunc quidem volvitur, et usque ad Antichristi tempora perseverabit. Alius autem, qui nondum venit, ipse est Antichristus, qui quoniam in hac hujus sextæ ætatis venturus est, septimus ponitur, et ipse quidem cum venerit, oportet eum breve tempus manere, non enim nisi tres annos, et dimidium regnabit.

Et bestia, quæ erat, et non est, et ipsa octava est et de septem est, et in interitum vadit. Omne namque totum ex suis partibus constat (1604), et cum nihil aliud sit totum, quam conjunctio partium, differt tamen totum ab unaquaque parte. Unde et bestia ista, videlicet ecclesia malignantium, quæ ex septem prædictis temporibus constituitur, secundum se quidem octava est, secundum constitutionem vero partium, de septem est, quod dialectici quidem facile intelligunt. Et ipsa nimirum cum omnibus suis partibus in interitum vadit.

Et decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges una hora accipient post bestiam. Hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent. Hi cum agno pugnabunt, agnus vincet illos, quia Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles (1605). In mente habeto quod ex omnibus iniquis **352** hanc bestiam constitui diximus, ejusque partes omnium ætatum iniquos et pessimos esse exposuimus. Magna ergo ejus pars Antichristus est, siquidem omnibus iniquior et detestabilior erit, unde non immerito totius bestiæ nomen sibi usurpat. Huic autem ejusdem iniquitatis decem reges adhærebunt, quorum virtute et tyrannide multa mala contra sanctos operabitur.

(1602) Diversæ sunt super hunc locum expositorum interpretationes; aliqui enim hæc referunt ad brevem Licinii persecutionem; qui cum pridem Christianis æque ac Constantinus faveret, postea ortis cum eodem Constantino simultatibus, iterum contra illos sæviit, deorumque cultum restituere contendit. Sed brevis fuit hujusmodi persecutio, nam Constantinus duobus prœliis eum vicit atque necavit. Alii Valentem Arianorum acerrimum patronum, alii Julianum Apostatam, qui brevi vexare Ecclesiam permissi sunt, his verbis prænuntiatos asserunt.

(1603) Hi autem sunt Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximinus, Maxentius, Severus, Licinius. Quinque ceciderunt, nempe Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maxentius et Severus. Unus est, nempe Maximinus, qui Ecclesiæ Orientali bellum sævissimum intulit. Sed eo tandem perinde, ac cæteris, sublato, Licinius venit qui, ut diximus, Ecclesiam modico aliquo tempore insectatus, a Constantino oppressus fuit.

(1604) Qui historiam Joannis vaticiniis aptare student, pro octava bestia Julianum Apostatam ponunt, ille enim Christiani nominis hostis infensissimus idolorum superstitionem restaurare conatus est; sed cito, scilicet post annum unum, et septem vel octo menses, fulmen a cœlo missum eum exterminavit.

(1605) Quamvis hic perspicuum de adventu Antichristi vaticinium habeatur, qui persecutorum ultimus erit; attamen præcedent eum iniqui reges Romanæ potentiæ et superbiæ eversores. Cum enim urbs illa Christiano cultu in ea constituto deorum superstitioni adhærere non destiterit, a remotissimis regionibus misit Omnipotens in illam potentissimos barbaros, Alaricum scilicet, Genericum, Ataulphum, Attilam, Odoacrem, Totilam, aliosque tyrannos, qui contra eum a Deo impulsos esse fatebantur, ac proinde nihil pepercerunt, quin pœnitus everterent, atque vastarent.

Digitized by Google

ab.tur. Pugnabit autem cum agno, sed vincetur; quoniam sicut scriptum est. « Dominus noster Jesus Christus interficiet eum spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 8). » Hæc autem breviter transcurrimus, quia ad litteram intelliguntur.

Et dixit mihi : Aquas quas vidisti, ubi meretrix sedet, populus, et gens, et linguæ, et decem cornua quæ vidisti, et bestiam odient fornicariam et desolatam facient illam, et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igne concremabunt. Deus enim dedit in corda illorum, ut faciant quæ illi placitum est, ut dent regnum suum bestiæ, donec consummantur verba Dei. Et mulier, quam vidisti, civitas est quæ habet regnum super reges terræ. Hæc quæ ipse beatus Joannes exponit, non multum in his exponendis est laborandum.

CAPUT XVIII.

Post hæc vidi alium angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, et terra illuminata est gloria ejus, et exclamavit in fortitudine, dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ, et odibilis, quia de vino fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ, qui cum illa fornicati sunt; et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. Hic angelus, aliquis magnus Ecclesiæ doctor, et cum illo, et per illum cæteri intelligi possunt, qui jam in signis manifestis cognoscentes judicii diem appropinquare, constanter et forti voce prædicantes, quantum huic mundo, suisque amatoribus discrimen immineat, potentialiter nuntiabunt. Unde et ab ejus gloria terra dicitur esse illuminata, quia quæ prius latebant, isti revelabunt. Qui bene de cœlo descendere dicitur; quoniam inde hoc totum divina inspiratione suscipiet, quod cæteris Christi fidelibus nuntiabit. Sequitur : *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Usitatissimus enim est iste locutionis modus, ut ea, quæ certissime fieri scimus, prius etiam quam fiant facta dicamus : unde et eos jam vicisse dicimus, quos victores fore putamus, et eos quos morti propinquos videmus, jam mortuos nuntiamus. Sic ergo angelus in hoc loco, quia non dubitat subito esse Babylonem perituram, ac si jam cecidisset, quasi de præteritis loquens ait : *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Ac si dicat : Nullam spem in ea ulterius habeatis, nullum amorem in ea ponatis, quia in proximo miserabiliter ruere videbitis ; non vos fallat, non vos decipiat, cujus omnis pulchritudo subito evanescet. *Et facta est habitatio dæmoniorum* (1606). Postquam enim Babylon, id est malorum congregatio in tenebras subversa ruerit, quos nisi malignos spiritus in ea habitare credere possumus (1607) ? Quis pro ea nisi immundi spiritus, immundæque volucres eam custodient. Ipsæ namque eam custodient, quia semper de ejus pœnis saturabuntur. Et tunc quidem omnibus odibilis fiet, quando ipsi quoque, quibus servierat, eam affligere non cessabunt. Sed quorsum hæc? Sequitur :

Quia de vino fornicationis ejus bibent omnes gentes, et omnes reges terræ, qui cum illa fornicati sunt. Ejus igitur fornicatio est causa, cur iram et indignationem, multasque hujus mundi ærumnas omnes gentes, omnesque reges terræ incurrant et patiantur.

Et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. Sicut enim Apostolus ait : « Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus (*Tim.* II, 4). » Terræ mercatores sunt, qui non æternis bonis, sed de Babylonis deliciis ditari cupiunt.

Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem : Exite de illa, populе meus, et ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis; quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus. Reddite illi, sicut illa reddidit vobis; et duplicate duplicia secundum opera ejus. Hoc enim in omnibus Scripturis Dominus populum suum admonet, dicens : *Exite de illa, populе meus;* relinquite non tantum corpore, quantum corde iniquorum conversationem ; et ne participes sitis delictorum ejus ; ne simul cum ea fortasse de plagis et de pœnis ejus postmodum accipiatis (1608). Qui enim participes sibi sunt in peccatis, participes erunt et in tormentis. Quoniam pervenerunt **353** peccata ejus usque ad cœlum, siquidem in tantum creverunt, ut pro sua magnitudine ante Deum cum quadam accusatione recitentur. Unde et subditur : *Et recordatus est Dominus iniquitatum ejus.* Quarum quidem, quia impunitas esse relinquebat, oblitus esse videbatur.

Reddite illi, sicut ipsa reddidit vobis, et duplicate duplicia secundum opera ejus. Nam quia iniquorum tormenta, juxta sanctorum, quos afflixerant sententiam, et voluntatem fient, ideo eis ab ipsis sanctis inferri dicuntur. Quæ bene quidem duplicari præcipiuntur, quia illi in sola corpora potestatem acceperunt; sancti autem in animas et corpora potestatem habebunt. Unde et subditur : *In poculo, quo miscuit vobis, miscete illi duplum, et quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, et luctum.* Hoc est, quod diviti per Abraham in Evangelio dicitur : « Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter et mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris (*Luc.* XVI, 25). » Juxta qualitatem ergo deliciarum crescit

(1606) Hujusmodi eversæ urbis Babylonis descriptio desumpta est ex Isaiæ cap. XXIV : « Sed requiescent ibi bestia, et replebuntur domus illorum draconibus, et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi, etc. » Quod hic S. Hieronymus reddidit *pilosi*, Septuaginta verterunt dæmones; insidebat enim tunc mentibus opinio, dæmones et spectra loca deserta et solitudines frequentare. Ita Calmet.

(1607) Cod. Vat. addit, et supplet editionem.

(1608) Ex S. Hieronymo et Orosio scimus plurimos Romanos immanitatem barbarorum formidantes Ægyptum, Africam et Syriam perfugisse, atque in desertis locis sancte vitam egisse.

Digitized by Google

numerus tormentorum. *Quia in corde suo dixit : Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo, ideo in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igni comburetur, quia fortis est Deus, qui judicabit illam* (1609). Iniquorum etenim multitudo dum sibi hujus vitæ felicitatem et prosperitatem abundare conspicit, non ad mala quæ illi ventura sunt, attendit, sed in solis præsentibus bonis, quibus male utitur, superbit et gloriatur. Et quamvis subito regia dignitate et honore carere, et vitali fortitudine viduari, omnique luctu et miseria repleri valeat ; tamen ut stulta, et inscia in corde suo loquitur dicens : *Sedeo regina ;* omnes me, quasi dominam venerantur, *et vidua non sum*, neque consilio et auxilio destituta, *et luctum non videbo*, quæ mihi falso quidam promittunt. Ideoque una die, imo una hora, quando dicetur : *Ite, maledicti, in ignem æternum*, venient plagæ ejus, mors videlicet æterna, et luctus indeficiens, et fames insatiabilis. *Et igni comburetur*, illo scilicet inexstinguibili, de quo nunc diximus; *quia fortis est Deus, qui judicabit illam*, cujus judicio et voluntati nulla fortitudo resistere valebit.

Et plangent, et flebunt super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus longe stantes, propter timorem tormentorum ejus dicentes : Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quoniam una hora venit judicium tuum. Flebunt, inquit, et lugebunt omnes reges terræ atque potentes, non tantum illam quantum se propter illam, quoniam infeliciter dilexerunt illam, (1610). Infeliciter quidem, quoniam cum illa fornicati sunt, magis ad luxuriam et delicias, carnisque voluptates, hanc vitam amantes, quam ut Deo servirent, et in ejus vinea laborarent, et tandem finito labore mercedem operis secum reportarent. Flebunt, inquit, cum viderint fumum incendii ejus longe stantes, id est longe stare desiderantes, propter timorem tormentorum ejus. Desiderio quidem longe stabunt, actu tamen in ipsa erunt ; in ipsa, et cum ipsa ardebunt. Plangent utique et dicent : *Væ, væ, civitas illa magna Babylon*, civitas illa fortis tu es quam sic perire videmus, quoniam sic incendiis tradita es, quam nos stulti et infelices æternam esse opinabamur. Et ecce una hora venit judicium tuum, una hora cecidit superbia tua.

Et negotiatores terræ flebunt, et lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius : merces auri, et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritæ, et byssi, et purpuræ, et serici, et cocci, (et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore, et cinnamomum) et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similæ, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et rhedarum, et mancipiorum, et animarum hominum. Flebunt, inquit, et lugebunt mercatores terræ, supradictæ civitatis destructionem : quæ quamvis ad litteram intelligi possunt, sunt tamen illi mercatores, qui diversarum mercium negotiationibus hujus mundi homines fallere solent. Hi autem sunt maligni spiritus, qui post hujus mundi homines destructionem ideo flebunt, et lugebunt quia neminem invenient cui sua iniquæ artis vendant suppellectilem. Aurum namque et argentum, lapides pretiosi et margaritæ, byssus et purpura, sericum et coccum, quæ ad ornamentum et decorem pertinent, sapientiam, et virtutes, et morum honestatem significant. Lignum vero thyinum, et omnia vasa eboris, et **354** omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore, quia quamvis ad se decorandos super se divites non ferant, eorum tamen gloriam et potentiam demonstrant, honores et dignitates designant, quibus divitum superbia extollitur et gloriatur. Cinnamomum autem, et amomum, et adoramenta, et thus, et unguenta, quæ ad nares et ad olfactum maxime pertinent, quibus etiam membra ægrota et debilia solidantur, et sanantur, sancti Spiritus gratiam innuunt. Vinum vero, et oleum, et similia, et triticum, quibus hominum vita sustentatur, litterarum studia et doctrina intelligitur. Hæc autem omnia maligni spiritus aut vendunt. aut vendere quidem sese fingunt. Vendunt autem et jumenta, illa scilicet, de quibus dicitur : « Computruerunt jumenta in stercore suo (*Joel* I, 17) » Vendunt et oves de quibus Dominus ait : « Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos (*Matth.* V, 16) » Has enim vendere quid est, nisi morti tradere ? Sed quid mirum, si istas vendunt, cum illam maximam et præcipuam ovem vendere (1611) non timuerint ? Vendunt similiter equos, et rhedas, et mancipia, per quos vel hæreticos intelligimus, a quibus, et per quos mali contra bonos præliantur, sive etiam doctores, quorum servitio ad patriam reportantur. Venduut autem et animas hominum, quas si non vendidissent, hodie tot captivos infernus non habuisset. Sequitur :

Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt a te, et omnia pinguia, et præclara præterierunt a te, et amplius illa jam non invenies. Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes, et lugentes, et dicentes : Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat purpura, et bysso, et cocco, et deaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, quoniam una hora destituta sunt tantæ divitiæ. Poma, inquit, mitia et suavia, quæ voluntas et anima tua devorare desiderabat, degustat. lib. I. De civit. Dei c. 33, objecit Romanis, scilicet dum urbis exitium plangerent orientales populi, et maximæ civitates in remotissimis terris, ipsi scenicis ludis ac voluptatibus omnibus deditis multo insaniora quam antea fecerant, facerent.

(1609) Prosequitur S. Joannes describere imaginem Urbis, Dei patientiam, superbia, fastuque suo provocantis, quantaque passura sit mala pro dilectis suis vaticinatur. Olim Babyloni magnæ eadem flagella ab Isaia et Jeremia prædicta fuisse sacræ litteræ testantur.

(1610) Hanc tantam pravitatem et infamiam Au-

(1611) Cod. Vat., *frigidis argenteis.*

Digitized by Google

cesserunt a te, et omnia pinguia virtutum pinguedine, et præclara vitæ, et morum honestate præterierunt a te, et amplius illa jam non invenies. [Quando enim hæc inveniebas, crudeliter ea persequebaris, et perdebas. Quia ergo sanctos occidisti, nequaquam eos tibi auxiliatores invenies (1612)]. Mercatores horum, quæ superius enumeravimus, ab ea longe stabunt, id est longe stare desiderabunt, propter timorem tormentorum ejus flentes et lugentes, et dicentes : *Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat purpura, et bysso, et cocco, et deaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis.* Hæc omnia regiam indicant dignitatem, his potentes et nobiles hujus sæculi ornantur. Per quæ hujus nobilissimæ civitatis potentiam et sublimitatem demonstrat. Sed hæc una hora peribunt, quoniam ad unius jussionis vocem cœlum et terra transibunt.

Et omnis gubernator, et omnis qui in lacum navigat, et nautæ qui in mari operantur, longe steterunt, et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes : Quæ similis civitati huic magnæ? Et miserunt pulverem super capita sua, et clamaverunt flentes, et lugentes, et dicentes : Væ, væ civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus, quoniam una hora desolata est. Omnis, inquit, gubernator, per quem reges, philosophos et hæreticos, cæterosque, quibus mundi regimina commissa sunt, intelligimus. Et qui in lacum navigat, id est qui incautis piscibus, et baptizatis hominibus insidiatur. Et nautæ, qui in mari operantur, id est divites et potentes hujus sæculi, qui per hoc mare magnum et spatiosum suos exercitus, navesque iniquas, piratis, homicidiis et latronibus plenas, et contra sanctos, et Ecclesiam ducunt, et cædes, et incendia, rapinas cæteraque iniquitatis opera quotidie agere non cessant. Hi omnes longe steterunt, ut superius diximus, et clamaverunt, videntes locum incendii ejus, locus enim iste, infernus est, dicentes : *Quæ similis civitati huic magnæ?* Hoc enim præ stupore et admiratione dicunt : *Et miserunt pulverem super capita sua :* quoniam etsi fecerunt pœnitentiam, tamen et ipsam quidem infructuosam pro suis iniquitatibus agentes, terram et pulverem se esse cognoscent. Clamant autem, flent et lugent, stupent et admirantur de hujus mundi tam subita destructione, qui tot reges et regna, tot gentes et nationes suis honoribus divitiisque ditabat. Cuncta enim villa tunc, et sine honore apparebunt, quæ nunc quidem chara et pretiosa esse videntur.

Exsulta super ea cœlum, et vos apostoli et prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa. Expositis enim omnibus, quæ ad malorum confusionem et ad ignominiam pertinebant, ad gaudium et exsultationem, angelus qui loquebatur fideles hortatur, dicens : *Exsulta super ea cœlum,* id est omnis Ecclesiæ multitudo, et maxime vos sancti apostoli et prophetæ, *quia judicavit Deus judicium vestrum de illa.* « Lætabitur enim justus, sicut scriptum est, cum viderit vindictam (*Psal.* LVII, 11). » Sicut enim pro his, qui salvari possunt, assidue Deum sancti exorant, ita de illorum pœna, **355** qui irrecuperabiliter damnati sunt, quia eam Deo placere cognoscunt, exsultant et gaudent (1613).

Et sustulit unus angelus fortis lapidem, quasi molarem, magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon magna civitas illa, et ultra jam non invenietur. In mentis namque excessu posito apparuit beato Joanni angelus unus, qui ideo fortis vocatur, quia fortia operatur. Hic enim sustulit, id est sublevare visus est, lapidem unum molarem magnum, et misit illum in mare ; qui utique secundum naturæ suæ gravitatem, semper profundum et ima petit, et quia rotundus et volubilis est, postquam semel ad occasum vergit, etiamsi teneri velit, stare non potest. Cui bene Babylon comparari potest, quæ semel quidem damnata, suæque damnationis sententia accepta, nulla vi, nullo conamine, nullis precibus stare valebit, quin in profundum laci et in inferni inferiora submergatur. Unde et dicit : *Hoc impetu mittetur Babylon, civitas illa magna. Et ulterius jam non erit.*

Et vox citharœdorum et musicorum, et tibia canentium, et tuba non audietur in te amplius, et omnis artifex non invenietur in te amplius, et vox molæ non audietur in te amplius, et lux lucernæ non lucebit in te amplius, et vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te. Et hæc quidem ad litteram intellecta, omnimodam illius civitatis destructionem significant. Allegorice autem per citharœdos et musicos, per tibiam tubamque canentes (1614), philosophos et sapientes intelligere possumus, qui eam suavi modulatione verborum mulcebant, et mundi hujus oblectamenta amare suadebant, quales Orpheus et Alcæus, Tullius et Horatius, multique alii fuisse memorantur. Ili autem et artifices dici possunt, qui artes ipsas et docebant et faciebant. *Et vox molæ non audietur in te amplius ;* ubi enim mola non auditur, ibi neque cibus, neque hominum habitatio est. *Et lux lucernæ non lucebit tibi amplius ;* in tenebris enim præcipitata, non tantum communi luce solis lunæque carebit, verum etiam ipsam privatam propriæque lucernæ lucem non habebit, siquidem nec ipsi ejus oculi sibi utiles erunt. *Et vox sponsi et sponsæ non audietur in te.* Ubi enim sponsus et sponsa non auditur, humani generis propagatio aufertur. Amodo igitur sterilis erit, quæ in tantorum filiorum multitudine gloriabatur. Quare autem hæc fiant, subinfertur :

Quia mercatores tui erant principes terræ, et quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra. Tam dives enim, tamque nobilis civitas ista fuit ut quos ipsa mercatores habebat, aliarum gentium principes essent. Ad

(1612) Hæc ex cod. Vat. supplevimus.
(1613) Cod. Vat., *et gratulatur.*
(1614) Cod. Vat., *pro tibia tubaque canentes.*

Digitized by Google

ejus tamen nequitiæ cumulum hoc intelligi potest, ut tam impia et avara fuerit, quod eos poneret principes, qui mercatores esse solebant. Tales enim suis calculationibus facile eos decipiunt, quibus dominantur, et non solum tributa exigunt, verum etiam omnibus, quæ possident, suis astutiis non exspoliant. Sequitur :

Quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes, etc. Ibi enim veneficia, ubi medicamina ; ibi hæreses fabricatæ sunt, quibus omnes gentes erraverunt, ubi sanguis sanctorum et prophetarum et fusus et inventus est ; et non solum sanctorum, verum etiam omnium, qui ubique terrarum interfecti sunt. Quis enim nisi iniquorum congregatio humanum sanguinem fundere novit? Ab ea igitur omnis sanguis requiretur, qui super terram fusus est, cujuscunque etiam si infidelium est (1615).

CAPUT XIX.

Post hæc audivi quasi vocem magnam turbarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia, laus, et virtus Deo nostro, et gloria, quia vera, et justa judicia ejus sunt, quia judicavit de meretrice magna, quæ corruperat terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. Et dixerunt iterum : Alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. Et viginti quatuor seniores ceciderunt, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes : Alleluia, amen. Hæc enim magna vox turbarum multarum, vox est sanctorum lætantium, et gratias Deo agentium, ipsumque cum gaudio et voce **356** exsultationis laudantium. Quid enim aliud est alleluia, nisi laudate Deum ; unde et subditur : *Laus, et gloria, et virtus Deo nostro.* Quare hoc ? *Quia vera, et justa judicia ejus sunt.* Unde probas ? *Quia judicavit de meretrice magna* (1616); quoniam totam terram in sua prostitutione, fornicationeque corrupit. *Et vindicavit sanguinem servorum suorum, qui effusus est de manibus ejus.* Quibus auditis, iterum lætabundi dixerunt, *alleluia*, pro talibus tantisque judiciis, et auxiliis Deum laudantes et magnificantes. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum, ut, Dei laudibus crescentibus, crescant pariter et tormenta malorum. *Post hæc viginti quatuor seniores, et quatuor animalia* (in quibus omnes Novi Veterisque Testamenti patriarchas et prophetas, apostolos et doctores intelligimus) *ceciderunt in faciem suam, et adoraverunt Deum, sedentem super thronum majestatis suæ, dicentes : Amen, alleluia ;* ea videlicet confirmantes, quæ ex multarum superiorum voce turbarum audierant ; Deumque pariter laudantes, in cujus laude tanta et talia dicebantur.

Et vox de throno exivit, dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus, et qui timetis Deum, pusilli et magni. Prius enim tota Ecclesia, deinde utriusque Testamenti patriarchæ et doctores ; postmodum vero ipsi angeli Deum laudant, aliosque omnes, parvos simul et magnos ad laudem invitant. Thronus autem hic ille intelligitur, qui inter novem angelorum ordines enumeratur. Quibus hortantibus, quid sequitur, audiamus :

Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruum magnorum dicentium, alleluia, qui regnat Dominus Deus noster omnipotens. Et vox quidem magnæ turbæ, doctores, voces autem aquarum, omnium fidelium multitudinem ; voces vero magnorum tonitruum, angelorum omnium exercitus designant. Isti autem omnes Deum laudantes, alleluia decantabant, dicentes : *Gaudeamus, et exsultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, et uxor ejus præparavit se, et datum est illi ut cooperiat se byssino splendente, et candido ; byssinum autem justificationes sunt sanctorum.*

Et dixit mihi : Scribe : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni invitati sunt. Gaudent enim omnes sancti et lætantur, et dant gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ Agni, qui tollit peccata mundi, quando corporibus animalibus conjunctis, sponsam suam S. Ecclesiam in cœlestes thalamos introducat. Hoc est enim, quod dicitur : *Et uxor ejus præparavit se.* Uxoris enim præparatio, carnis est resurrectio. Et datum est illi, et a Deo concessum, ut cooperiat se byssino splendente et candido. Quod, quid significet, quia exponit, nobis exponere non licet. Byssinum enim, inquit, justificatio sanctorum. Sicut enim byssus, id est linum, de terra exortum cum multo labore in telam et vestimentum perficitur, ita justificationes sanctorum et virtutes per multas tribulationes in carne mortali oriuntur et crescunt. Quod autem scribere præcipit, eos esse beatos, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, firmam et immobilem de eorum beatitudine Dei sententiam esse demonstrat. Unde et subditur : Et dixit mihi : *Hæc vera sunt verba Dei.* Hoc est enim, quod in prophetis dicitur : « Os enim Domini locutum est (*Isa.* XL, 5). »

Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dixit mihi : Vide ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ. Accepta enim tanta promissione de bonorum beatitudine, angelum, qui loquebatur, adorare voluit beatus Joannes, eique interdicit, cum sicut et cæteri, qui Jesu testimonium habent et ferunt, servus et ipse

(1615) Ab initio hujus capitis usque in finem propriis characteribus, et figuris delineavit S. Joannes Romanæ urbis, et imperii excidium, et ruinam, ea peculiariter adnotans quæ a maxima felicitate ad extremam deducent calamitatem. Verum Beda, Aretas, et alii contendunt per Babylonem intelligi non debere Romam, sed cœlum impiorum universum, qui a Christo Domino in judicio exterminabuntur, neque ulla remanebit dignitas, aut potentia, quæ sententiæ ejus resistere poterit. Dicitur autem inventus in ea prophetarum et martyrum sanguis, quia impietatis illius, seu persecutorum testimonium erit.

(1616) Cod. Vat. « Vere enim meretrix est, quæ totam terram, » etc.

Digitized by Google

ejus sit, solumque Deum adorare præcipit Sed quid est Jesu testimonium habere? Sequitur: *Testimonium enim Jesu, est spiritus prophetiæ.* Quicunque ergo de Jesu hoc testificatur, creditque, quod prophetæ prædixerant, hunc Jesu testimonium habere non dubium est.

LIBER SEXTUS

357 *Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur fidelis et verax, et juste judicat, et pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo scit, nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Iterum enim beatus Joannes, sicut in cæteris libris, a principio nascentis Ecclesiæ incipiens, usque ad finem eam describit, qui tunc quidem cœlum apertum vidit, quando prius ad prædicandum doctores de Ecclesia ubique discurrere, atque in eam introducere undique fideles inspexit. Unde, *vidi*, inquit, *cœlum apertum*, id est mysteria revelata, per homines in Ecclesiam intrantes, et subditur, *et ecce equus albus.* Albus enim equus, baptismate candidatus, et super nivem dealbatus, carens macula et ruga, apostoli et doctores intelliguntur. Fidelis autem et verax, quia super eum sedebat Christus Dominus noster, de quo dicitur: « Qui ascendit super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III, 8). » Hic autem et justitiam judicat, et semper pro justitia pugnat; cujus oculi sic sunt ut flamma ignis, apostoli scilicet et prophetæ, qui in Ecclesiæ capite prælucentes, claro et perspicaci intuitu cuncta Ecclesiæ sacramenta usque ad sæculi consummationem vident et considerant. *Et in capite ejus diademata multa.* Quoties enim sancti vincunt, toties Christus coronatur, quia omnis illorum victoria ad Christum refertur, qui est mirabilis in sanctis suis; unde et ipsi dicunt: « In Deo faciemus virtutem (*Psal.* LIX, 14). » *Habens nomen scriptum, quod nemo scit, nisi ipse.* Ipse quidem hoc nomen scit, quia caput est, cum cæteris Ecclesiæ membris, qui ejusdem corporis partes sunt. Et vestitus erat veste aspersa sanguine; id est carne virginali et incorrupta, militis lancea perforata. Unde propheta: « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? » (*Isa.* LXIII, 1.) *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Hoc autem nomen non Judæus, non hæreticus, non paganus cognovit. Nemo enim scit hoc nomen, nisi ipse, id est Ecclesia sua cum ipso. Quod autem ipse, et Ecclesia unum sint, audi quid per beatum Joannem, qui modo loquitur, etiam in Evangelio dicat: « Non pro his, inquit, rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut et tu, Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint (*Joan.* XVII, 20). » Quod ergo Ecclesia scit, nemo scit, siquidem unum sunt et Ecclesia, et ipse.

Et exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssinum album mundum, et ex ore ipsius procedit gladius, ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes, et ipse reget eas in virga ferrea, et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, et habet in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium. Exercitus, inquit, qui sunt in cœlo, sanctorum videlicet congregationes, in quibus sunt martyres, confessores et virgines, sequebantur eum in equis albis, per quos eorum corpora baptismate candidata intelliguntur, vestiti byssinum album mundum: quod ipse superius exponens, sanctorum justificationes esse dixit. Sequuntur igitur eum, quia eadem via incedentes, in quantum possunt, eum imitantur. Gladius autem ex utraque parte acutus, qui ex ejus ore procedit, ipse est, de quo Apostolus ait: « Et gladius spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI, 17). » Itemque: « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV, 12). » In hoc autem gladio percutit gentes, quia nemini parcens, omnium iniquitates et vitia redarguit. Et ipse reget eas in virga ferrea, id est recto et forti imperio, invincibili et inflexibili regimine. Torcular autem vini furoris et iræ, quod ipse calcat, illud est de quo alibi dicitur: « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum (*Isa.* LXIII, 3). » Quoties enim mundum istum nequam pro suis sceleribus perimit, et damnat, toties torcular in ira, et furore calcat. Sic enim quondam Judæos calcavit, eorumque sanguine omnes circa Jerusalem fossas replevit. *Et habet in vestimento, et in femore suo scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium.* Quid enim per vestimentum et femur, nisi humanitas intelligitur, qua et divinitas vestiebatur, et generis propagatio dilatatur? Non ergo secundum divinitatem tantum, verum etiam secundum humanitatem, in qua de inimicis triumphavit, Rex regum, et Dominus dominantium esse credatur.

Et vide unum angelum stantem in sole, **358** *et clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cœlum: Venite, congregamini ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum, ac servorum, et pusillorum, ac magnorum.* Angelus iste, qui in sole stare videtur, Christus est, de quo dicitur: « In sole posuit tabernaculum suum (*Psal.* XVIII, 6). » In sole stare, est palam et manifeste omnibus apparere. Et aves quidem, quæ per medium cœlum volant, vel Ecclesiæ doctores ubique

Digitized by Google

discurrentes, vel maligni spiritus, qui in hoc aere principantur, intelligi possunt : nam et isti, et illi ad cœnam Dei congregantur, et utrique sibi a Deo paratam escam comedunt, sed alio et alio modo. Sancti namque carnes regum, et tribunorum, cæterorumque comedunt, secundum hoc, quod beato Petro plenum immundis animalibus linteum ostensum est eique præceptum ut mactaret et manducaret; cujus rei significationem ipse intelligens, his, qui secum erant, sic ait : « Vos scitis quam abominatum sit viro Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam, sed mihi ostendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem (*Act.* x, 28). » Immundi vero spiritus regum carnes, et tribunorum comedunt, quando peccatores decipiunt et occidunt, et de eorum pœnis lætantur, et satiantur ; secundum quam significationem dicitur : Quia « comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt (*Psal.* LXXVIII, 7). » Sed quid per equos et in ipsis sedentes, nisi corpora et quæ eis præsident, animas intelligimus ?

Et vidi bestiam, et reges terræ, et exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus, et apprehensa est bestia, et cum illa pseudoprophetæ, et qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis, et sulphuris, et cæteri occisi in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ejus, et omnes aves saturatæ sunt de carnibus eorum. Hoc autem in loco illud prælium beatus Joannes narrare videtur, quod Christus Dominus noster in sæculi consummatione contra Antichristum facturus est. Vidi, inquit, bestiam, id est Antichristum, de quo jam sæpe locuti sumus; et reges terræ qui eum sequentur : cum eo erunt pseudoprophetæ et exercitus eorum, omnium videlicet iniquorum multitudinem, congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus, id est cum Christo et electis ejus. Et apprehensa est bestia, id est Antichristus, et cum ea pseudoprophetæ, multi scilicet hæresiarchæ et discipuli ejus. Insuper et ipse, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem et imaginem bestiæ. De hoc enim in quarto libro plura dicta sunt. Hæc est enim illa bestia, quæ de terra ascendens, cornua duo agni similia habens, et quasi draco loquens, omnemque prioris bestiæ potestatem coram illa faciens, terram omnem et habitantes in ea, bestiam primam adorare coegit : hic enim quasi a rege ab Antichristo seductus omni iniquitate omnique fallendi astutia plenus erit. *Vivi missi sunt hi duo*, id est Antichristus, et discipuli ejus, *in stagnum ignis ardentis et sulphuris.* Vivi quidem, quoniam et ipsi, sicut cæteri resurgent, et postea, secundum Scripturam, descendent in infernum viventes : qui enim non vivit, tormenta non sentit; vivunt ergo, ut tormenta sentiant. Et *cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius.* Hoc autem dupliciter intelligi potest, ut vel secundum pristinam conversationem Dei verbo occisi intelligantur, juxta quod Dominus ait : « Non veni pacem mittere, sed gladium (*Matth.* x, 34) : » vel illa terribili et metuenda sententia, quæ in judicio suos feriet inimicos, dicens : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » *Et omnes aves saturatæ sunt de carnibus eorum.* Duplici namque intelligentia, aves bonæ sunt, et res malæ. Et bonæ quidem aves saturatæ sunt, quæ simul cum apostolorum principe, quotidie mactatæ manducant. Malæ vero saturantur, quia in eorum pœnis et tormentis, quasi quodam suavissimo cibo saturatæ gratulantur. Satis enim apud omnes usitata locutio est, ut his nos saturatos esse dicamus, quibus abundare videmus.

CAPUT XX.

Et vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et alligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, et post hæc oportet illum solvi modico tempore. Prophetarum etenim est, nec temporis curare, nec ordinem, sed nunc de futuris loqui, nunc ad præterita reverti, quæ quidem beatus Joannes hoc in loco facere videtur. *Vidi*, inquit, *angelum descendentem* (1617), non alium quidem, sed **359** eumdem ipsum, quem superius se in sole stare vidisse perhibuit, *habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua ;* hujus enim est clavis, hujus est et catena, hic claudit et aperit, hic ligat et solvit, ad cujus jussionem abyssi et cœli portæ pariter clauduntur et aperiuntur. *Et apprehendit draconem serpentem antiquum*, illum videlicet qui primos humani generis parentes suæ fallaciæ venenо decepit et perdidit. De quo et subditur : *Qui est diabolus, et Satanas ; et alligavit eum per annos mille.* Hic enim numerus, ut jam diximus, quia et cæteros numeros in se continet, et supra se nullum majorem numerum habet, aliquando pro omnibus, aliquando pro multis ponitur. Unde et hic dicitur *et alligavit eum per annos mille.* Hoc tale est ac si diceret, per annos multos ; ligavit autem ne aliquo vagabundus discurreret, et secundum suam voluntatem iniquitatis frena laxaret (1618). Missus vero in abyssum, ut ibi, nunc gravia tormenta patiatur, ut in illis solis habitet, qui ca-

(1617) Secutus est Bruno S. Augustinum, qui lib. XX, cap. 7, De civit. Dei, in angelo de cœlo descendente Christum agnovit, cui Pater omnem dedit potestatem, unde dæmonem coerceret ac quantum ei libuerit vinctum, atque ejusdem imperio subjectum teneret. Qua propter dicitur a Joanne, dum de cœlo descenderet, id est cum carnem humanam sumpturus veniret in terram, habere clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua, qua apprehendit et ligavit draconem, serpentem antiquum. Non desunt tamen alii, quorum meminit Cornelius, opinantes hic proprie angelum esse accipiendum, de quo et in cap. 9 habetur, fuisse illi datam clavem putei abyssi.

(1618) Alligatio diaboli est, non permitti exercere

Digitized by Google

itatis et ignorantiæ tenebris operti, solem justitiæ neque vident, neque cognoscunt. *Clausit* autem *super illum, atque signavit*, ut non quomodo vult, et quando vult exeat, et Christi sigillum atque imaginem recognoscens, neminem, nisi permissum tenere, vel seducere audeat. *Et post hæc oportet illum solvi modico tempore;* finitis, inquit, mille annis, id est aliquanta temporis longitudine. Solvetur Satanas modico tempore (1619), quia tribus annis et dimidio, quibus Antichristus regnabit, tanto furoris impetu mundum vexabit, ut semper ligatus et nunquam amplius solutus fuisse putetur. Ad illius ergo temporis comparationem, ligatus et clausus dicitur Satanas, sicut in Ezechiele ad comparationem Jerusalem etiam Sodoma justa vocatur, quæ quidem quam peccatrix fuerit, Moyses ipse testatur.

Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis, et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus suis, aut in manibus, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni : hæc est resurrectio prima. Beatus et sanctus, qui habent partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et vidi, inquit, sedes, et sederunt super eas, quoniam ubique terrarum apostoli et doctores divisi, unusquisque in sede, et in provincia, et civitate sua, regiminis curam et potestatem suscepit, quam quidem et episcopos usque hodie habere videmus. *Et judicium datum est illis;* isti enim sunt judices terræ, et judiciariam possident dignitatem; ad horum judicium omnium fidelium multitudo cucurrit. *Et vidi animas decollatorum,* eorum scilicet, qui propter testimonium Jesu, quod gerebant, et propter verbum Dei, quod prædicarant, ab iniquis decollati sunt. *Et vidi eos qui non adoraverunt bestiam,* id est Antichristum, *neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem ipsius,* id est ejus fidem atque doctrinam. *In frontibus, aut manibus suis :* in fronte quidem ejus fidem habet, qui eum palam et manifeste prædicat, in manibus vero, qui id, quod præcipit, operatur. Unde manifestum est, jam nunc multos esse, qui suis manibus ejus characterem portant. Sequitur : *Et vixerunt et regnaverunt cum illo mille annis;* qui, inquit, neque bestiam, neque ejus imaginem adoraverunt, simul cum Christo mille annis viverunt et regnaverunt. Nisi enim per mille annos, omnes ante judicium, et post judicium annos intelligamus, parum valde est quod dicitur : jam enim mille anni præterierunt, ex quo animæ martyrum cum eo regnare cœperunt, omnes ergo pro mille intelligamus. Siquidem in mille omnes numeri continentur. Cæteri vero mortuorum non vixerunt donec consummarentur mille anni. Quantum enim ad corpus, nec boni, nec mali ante judicium post mortem vixerunt; secundum animam vero, mortui quoque vivunt boni, quia ibi sunt; ubi vita regnat, et ubi mors esse non potest. « Ego, inquit **360** Dominus, (*Joan.* XIV, 6) sum via, veritas, et vita (1620). » Mali vero non vivunt, quia semper de tormentis in tormenta, quasi de morte in mortem transeunt. De quibus dicitur : « Quoniam non est in morte qui memor sit tui (*Psal.* VI, 6). » Hæc est resurrectio prima, de qua Apostolus ait : « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite (*Coloss.* III, 1). » Sicut enim de monumentis corpora, ita de baptismate animæ renovatæ resurgunt. Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima, id est, qui sic in baptismate resurgit, ut in eo ulterius mors, et peccatum non regnet. In his enim secunda mors non habet potestatem, quod simul cum corporibus ad vitam immortalem resurgent, eruntque sacerdotes Dei et Christi, semper seipsos hostiam vivam et immaculatam Deo immolantes. Unde Apostolus : « Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XII, 1). « Et regnabunt cum illo mille annis, id est in æternum et in sæculnm sæculi.

Et cum consummati fuerint mille anni solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris, et ascenderunt super latitudinem terræ, et circumierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam, et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos, et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi est bestia, et pseudo-prophetæ cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. Consummatis, inquit, mille annis, id est multis annis, finitum pro infinito, solvitur Satanas de carcere suo, quia tantum nocendi potestatem et licentiam accipiet, ut usque ad id tempus ligatus, et in carcere fuisse dicatur, et tunc exibit in amplam et spatiosam viam. *Et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog* videlicet *et Magog, et congregabit eos in prælium,* unde datur intelligi, quod ubique terrarum ejus fama divulgabitur. Per Gog et Magog, quidam Gothos, quidam vero Getas et Messagetas

otam tentationem, quam potest vel vi, vel dolo d seducendos homines in partem suam cogendo iolenter, fraudulenterve fallendo. » Idem S. August., od. lib. et cap.

(1619.) Malumus Augustini luce paululum obscuam Brunonis expositionem illustare. « Tunc autem olvetur Satanas, ait, quando et breve tempus erit. lam tribus annis et sex mensibus legitur totis suis uorumque viribus sæviturus; et tales erunt cum uibus belligerandum est, ut vinci tanto ejus impetu, insidiisque non possint. Si autem non solvere-

tur, minus appareret ejus maligna potentia, minus sancta civitatis fidelissima patientia probaretur. » Eod. loco.

1620) « Prima resurrectio est eorum qui a culpa sive per baptismum, sive per pœnitentiam resurgent, et justitia vivunt, et hi cum Christo mille annis, hoc est in æternum regnaturi dicuntur. Secunda autem resurrectio fiet omnium tam bonorum quam malorum, tunc cum habendum erit finale judicium. » Ita S. Aug. cit. loco.

Digitized by Google

intelligere voluerunt : alii vero dicunt gentes esse, quas Alexander Magnus montibus conclusit, ubi jam in infinitam multitudinem sunt multiplicatæ : hæc illi dixerunt. Nos autem secundum nominum interpretationem (1621), salva fide, ista exponamus. Gog enim interpretatur *tectum;* Magog vero *de tecto,* Sed quid tectum nisi peccatores, in quibus vitia et maligni spiritus teguntur et habitant? Quid vero de tecto, nisi eadem vitia spiritusque immundi? Qui nunc quidem quodammodo latent; tunc vero quasi reseratis portis, facto agmine de tecto ubique prosilientes, simul cum ipso tecto in bella ruent? Unde et subditur : *Quorum numerus est sicut arena maris, et ascenderunt super latitudinem terræ, et circumierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam.* Prophetarum enim est, ut jam diximus, pro futuris præterita ponere. *Et descendit ignis de cœlo, et devoravit eos.* [Pluet super exercitum Antichristi, ut olim super agmina Gog et Magog, ignis et sulphur, grando nempe et fulmina, quibus deleatur. Deus halitu oris sui sævum hunc et perniciosum hostem evertet (1622).] Facta namque resurrectione, et ad judicium Christo veniente, statim ignis sequetur, qui et mundum exuret, et peccatores devorabit, et sic de igne in ignem transeuntes, nunquam postea tormentis carebunt; *et diabolus, qui seducebat eos missus est* simul cum ipsis *in stagnum ignis ardentis, et sulphuris.* Hic enim ignis, sicut Dominus ait, « paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* xxv, 41), » in quo et bestia, id est Antichristus, et pseudoprophetæ, qui eum sequuntur, cruciabantur die ac nocte in sæcula sæculorum.

Et vidi ante thronum agnum candidum, et sedentem super eum, a cujus aspectu fugit terra, et cœlum, et locus non est inventus ejus. Et vidi mortuos magnos, et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt. Et alius liber apertus est, qui est vitæ, et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. Agnus iste candidus, nulla vitiorum macula viriatus, ille est qui tollit peccata mundi. Qui ante thronum, et super eum sedet, quia omnium angelorum ordinibus major est, et præ cunctis altius sedet, quasi vellet dicere : Agnum sedentem super thronum, Deum in homine significavit. A cujus conspectu fugit terra et cœlum, quia eo ad judicium veniente, sicut ipse ait, et cœlum et terra transibit. Et locus pristinus, et assuetus non est inventus in eis, omnibus videlicet in melius commutatis. Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, quia sicut **361** Apostolus ait : « Omnes sive boni, sive mali, astabimus ante tribunal Dei (*Rom.* IV, 10), » *Et libri aperti sunt,* in quibus omnia, et ab omnibus, omniumque facta legentur. Hi autem sunt conscientia singulorum, invicem, secundum Apostolum, accusantes aut etiam defendentes. *Et alius liber apertus est qui est vitæ,* in quo soli illi scripti sunt ad vitam prædestinati, in quo soli sancti sua nomina legent et cognoscent. Et judicati sunt mortui, ex his quæ erant in libris scripta; omnium enim, ut diximus, facta et dicta in eis scripta erant, et secundum opera sua unusquisque judicatur.

Et dedit mare mortuos suos, qui in eo erant; et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, et judicatum est de singulis, secundum opera ipsorum. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc mors secunda est. Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Constat enim omnium corpora ubicunque fuerint, sive in terra, sive in mari, quod in judicio resurgent (1623). Dabit ergo hoc mare magnum et spatiosum, omnis videlicet mundi ambitus, mortuos, qui in eo sunt. Dabit et mors, id est diabolus mortis causa atque principium, et simul cum eo infernus, in quo peccatorum animæ clausæ tenentur, mortuos suos, qui in ipsis sunt, ut inde animabus, hinc corporibus venientibus, homo totus et integer ante judicem præsentetur, qui utique secundum ipsorum opera singulos judicabit. Tunc autem infernus et mors in stagnum ignis mittentur, qui neque mors neque diabolus princeps mortis nisi ab inferno ulterius regnabit. « Regnavit enim mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ (*Rom.* v, 14). » Hæc mors secunda est, in qua sine ulla spe resurgendi, totus homo simul cum corpore et anima in tenebras præcipitatur. Hac autem morte moriuntur, et in ignis stagnum submerguntur, quicunque in libro vitæ scripti non sunt, et qui in libro vitæ scripti inveniuntur, in gaudio et exsultatione simul cum Christo sine fine regnabunt.

CAPUT XXI.

Et vidi cœlum novum et terram novam (1624). Quoniam universalis ignis incendio, omni mundanæ corruptione exusta, ad primam pulchritudinem omnis redibit creatura, nimirum præter diabolum cum

(1621) « Hic magna prædicitur Antichristi seductio, quæ in fine in apertum bellum erumpet, siquidem seducti omnes ab universo mundo collecti ipsum Antichristum ducem habentes bonos undequaque ad necem persequentur; eritque clades eorum maxima; sed Ecclesia, seu dilecta civitas non expugnabitur, quin de tyranno ejusque sectatoribus victis ac debellatis triumphabit. » Ita S. Hippolytus de Antichristo.

(1622) Hæc ex cod. Vat. supplevimus.

(1623) « Et mors, et infernus, inquit, reddiderunt mortuos, quos in se habebant. Mare exhibuit; quia sicut inventi sunt, adfuerunt : mors vero, et infernus reddiderunt; quoniam vitæ, de qua exierant, revocaverunt. Nec frustra fortasse non satis fuit, si diceret : Mors, aut infernus, sed utrumque dictum est : mors propter bonos, quia tantummodo mortem perpeti potuerunt, non et infernum; infernus autem propter malos, qui etiam pœnas apud inferos perdunt. » D. August. De civit. Dei, lib. XX, cap. 13.

(1624) Nemo ignorat quam magnæ concertationis occasionem hæc verba scholasticis præbuerint, ut aliqui novos cœlos, novamque terram puriori, elegantiorique materia constare dixerint novosque habitatores assignarint; ita auctor operis De renovatione cœlorum et terræ. Florent. 1780. Alii vero

Digitized by Google

membris suis, qui tunc omnium ultimam miseriam et deformitatem suscipiet : *primum enim cœlum, et prima terra abiit.* Illa scilicet omnia, quæ corrupta, et a pristina pulchritudine deformata fuerant. *Et mare jam non est*, quoniam omni amaritudine fugata, talis tunc erit qualis in principio creatus est mundus. Neque exinde maris hujus amaritudines et mundi hujus procellosas tempestates sancti Dei sustinebunt; verum enim in gaudio et exsultatione simul cum Christo sine fine regnabunt.

Et ego Joannes vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de cœlo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Ego, inquit, Joannes vidi civitatem sanctam Jerusalem, novam descendentem de cœlo. Non illam quidem, quæ prius a Chaldæis, deinde a Romanis usque ad fundamenta destructa, sicut Dominus ait : « Non remanebit in ea lapis super lapidem (*Luc.* XIX, 44); » sed illam novam, de qua Apostolus ait : « Illa autem Jerusalem, quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra (*Galat.* IV, 26). » Hæc enim nova est, quia novum hominem imitata, in novitate vitæ studuit ambulare : quæ quidem secundum majorem et potiorem partem in cœlo est; ibi enim angeli sunt, animæque sanctorum; ideo descendere dicitur. Talem ergo beatus Joannes hanc civitatem descendere vidit (1625), qualis a Deo præparata, simul cum eo in judicio descendet. Et ideo subinferens, ait : *A Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Hæc est enim illa, et illius sponsi nobilissimi nobilissima sponsa, cujus laudes in Canticis canticorum, tam eleganter suaviterque resonant. De qua et beatus Joannes evangelista ait : « Qui habet sponsam, sponsus est (*Joan.* III, 29). » Et Apostolus : « Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI, 2); » et Psalmista : **362** « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate (*Psal.* XLIV, 11). » Quales ergo eam ornatus habituram putamus (1626), quæ tanti viri sponsa? Quos clientes, quales pedissequos secum ducet, quæ tanto talique regi est præsentanda? O nuptiæ inenarrabiles! o divitiæ inæstimabiles! o deliciæ innumerabiles! (1627) quando in cœlesti thalamo, sponsæ suæ, matri nostræ fecundissimæ, semper tamen virgini et incorruptæ, sanctæ videlicet Ecclesiæ, Christus Dominus noster amoris et dilectionis castis amplexibus conjungetur? O vere semperque beati, qui *ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt!* Ubi ipse Deus, ubi ipsa æterni luminis contemplatio, potus est et cibus, summaque refectio. Sequitur :

Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Decet enim, multumque convenit ut in tali convivio tantisque nuptiis cantores sint atque cantatrices, qui et animos mulceant et fatigatos recreent, de præteritis consolentur, et de futuris lætos faciant auditores. Altisone canunt, magnas voces depromunt, quales de throno Dei exire consueverunt (1628). Non enim ipsi sunt qui loquuntur, sed Spiritus sanctus, qui loquitur et cantat in eis. Sed jam nunc Dei cantores, et ut ita dixerim joculatores, quid vel qualiter cantant, audiamus. *Ecce*, inquit, *tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis*, Dei domus, Dei tabernaculum, Dei secretarium, Dei omnipotentis habitatio, quæ prius cum angelis erat, nunc cum hominibus est : amodo cum eis Deus habitabit, amodo inter eos, et cum eis regnabit, et ipsi populus ejus erunt, ei servient, eique subjicientur : nulli tributa solvent, nulli vectigalia dabunt, sed solius Dei populus erunt, et ipse Deus cum eis, et in eis habitans, ipse, inquam, et non alius erit eorum Deus. Sequitur.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor erit ultra, quia prima abierunt. Et absterget Deus, inquiunt illi qui cantant, *omnem lacrymam ab oculis eorum*, quatenus nulla in eis tristitiæ vestigia appareant (1629). *Et mors ultra non erit*, quia simul cum principe suo diabolo, in tenebris submersa, ad eos quidem aspirare nec poterit, nec audebit, in quibus nihil erit, quod vel corrumpi vel mori possit. *Neque luctus*, ut quid enim lugeant, qui bonis omnibus semper abundantes (1630), immortales et impassibiles effecti (1631), æterna cum angelis bea-

spiritualem sensum verbis Apostoli tribuentes, supernam Dei sedem hic paradisum pro cœlo novo, et totam justorum multitudinem in eo receptam, pro terra nova significari maluerunt. Hac quæstione, cujus hic non est locus, prætermissa, quid senserit Augustinus tantum afferemus : « Peracto, inquit lib. cit. c. 14, quidem judicio, tunc esse desinet hoc cœlum, et hæc terra, quando incipiet cœlum novum, et terra nova; mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus, unde ait Apostolus I Corinth. VII : *Præterit figura hujus mundi* : figura ergo præterit, non natura. » Idemque repetit cap. 16.

(1625) Cod. Vat. « Talem igitur beatus Joannes hanc civitatem de cœlo in spiritu descendere vidit, » etc.

(1626) Cod. Vat. « Quæ tanto viro nuptias actura occurrere debet. »

1627) Id. cod. « O nuptiæ ineffabiles! o divitiæ inæstimabiles! o deliciæ inenarrabiles! »

(1628) Quæ sub allegoricis hisce figuris expressit commentator noster intelligenda sunt de superabundanti sanctorum lætitia et exsultatione, cum ad cœlestem gloriam, id est ad Dei tabernaculum se exaltatos videbunt. Cum antea in Ecclesia strenue militassent, transitus eorum ad Ecclesiam triumphantem perpetuum Dei aspectum comparabit et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus, ideoque inenarrabili gaudio replebuntur, Deoque gratias laudesque tota in æternitate agent de sua felicitate.

(1629) Sequitur Joannes perfectam comprehensorum beatitatem describere, a qua dicit semper abfuturam mortem, luctum omnemque præteritorum malorum memoriam, quatenus in immortalitate, impassibilitate et imperturbabili tranquillitate, ut cœlestes spiritus constituentur.

(1630) Cod. Vat., *superabundantes.*

(1631) Id. cod., *facti.*

Digitized by Google

titudine perfruentur. *Neque clamor*, id est inimicorum perturbatio, incursus et invasio. *Neque dolor erit ultra.* Ubi enim dolor, ibi corruptio; non ergo dolebunt, qui incorruptibiles erunt. Unde hoc? quoniam prima abierunt, illa videlicet quæ tribulatione et angustia, languore et tristitia, clamoribus et rapina, doloribus et infirmitate, ærumna et lacrymis plena erant. Huc usque cantores.

Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi : Scribe, quia verba hæc fidelissima sunt, et vera; et dixit mihi : Factum est. Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis. Finita namque superiori locutione, jam non sedes Dei, sed Deus ipse per se loquitur, dicens : *Ecce nova facio omnia.* Magna ergo fides sanctorum verbis est adhibenda, de his quæ ipsi dicunt, nullatenus est dubitandum. Dicunt ipsi, quia prima abierunt; dicit Christus : *Ecce nova facio omnia.* Vides ergo, quoniam quæ illi dicunt, Christus confirmat. Insuper et scribere præcipit, veraque et fide plena omnia illa verba esse testatur, ut tanto hæc firmius credant, quanto ejus promissiones, non solum verbis, verum etiam scriptis chartisque firmantur. Sequitur : *Et dixit mihi : Factum est.* Quid est enim quod factum esse dicit? Hoc fortasse, quod scribere præcipit. « Spiritus enim omnia scrutatur (*I Cor.* II, 10); » unde et nostrum intellectum multo melius quam nos ipsi cognoscit. Possumus autem et in eo quod dicitur : *factum est*, omnia, quæ a prophetis prænuntiata fuerant, jam finem accepisse, et completa esse intelligere (1632). Unde et subditur : *Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, initium* **363** *et finis*, a me prodierunt, et ad me cuncta redeunt : divisi, quando volui; nunc colligo quia volo; et quæ usque modo currere permisi, nunc stare, cursumque finire præcipio. Sed audiant hoc qui me dilexerunt, qui mundum oderunt, qui ad me sitibundi venerunt, et cum Propheta dixerunt : « Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei (*Psalm.* XLI, 3). » *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis.* Hoc est enim quod eos audire volebam. Sed quis est fons iste aquæ vitæ? Ille utique de quo Psalmista ait : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV, 9). » Quoniam ipse est fons vitæ, de hoc enim qui biberit, non sitiet ultra, et quod majus est non moriatur in æternum; per quod Dei contemplationem intelligimus, quam qui haurire poterit, omni dulcedine, omnique suavitate perfruetur. Hæc autem aqua gratis datur, hæc sola Dei bonitate adipiscitur, quia nullum pretium est quo emi possit.

Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ipse erit mihi filius. Timidis autem et incredulis, et exsecratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti, igne, et sulphure, quæ est mors secunda. Qui, inquit, diaboli stimulos, carnis tentationes, tyrannorum persecutiones, mundi illecebras, falsasque hæreticorum persuasiones vicerit, possidebit hæc quæ superius dicta sunt. *Et ero illi Deus, et ipse erit mihi filius :* cujus enim, nisi filiorum, hæreditates esse debent et possessiones? Timidis autem, qui Deum præ timore negant, quique charitatem non habent; siquidem « perfecta charitas foras mittit timorem (*Joan.* IV, 18); » et incredulis qui sanctorum verbis credere nolunt; et exsecratis qui Ecclesiæ sacramenta non receperunt, et homicidis, et fornicatoribus, et omnibus mendacibus qui serio mentientes, semper ut alios decipiant, elaborant, his, inquam, omnibus, si in malo perseveraverint et pœnitentiam non egerint, pars illorum erit in stagno, ubi ignis ardet et sulphur. Quæ utique est mors secunda, quæ quoniam in anima fit, et in carne jam resuscitata, ideo nunquam finem habebit. Cogimur autem inæquales efficere libros, quoniam visiones permiscere nolumus, et continuationem interrumpere timemus.

LIBER SEPTIMUS

Et venit unus de septem angelis, habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum dicens : Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni, et sustulit me in spiritu in montem magnum, et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo, a Deo habentem claritatem Dei, et lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum. De his septem angelis multa superius locuti sumus. Hi enim sunt septem Ecclesiæ doctores, a quibus omnium Scripturarum sacramenta panduntur, et si revera angeli intelligi possint; siquidem angelorum ministerio Scripturæ ipsæ compositæ sunt, sicut de ipsa Mosaica lege dicitur quod sit « ordinata per angelos in manu mediatoris (*Galat.* III, 19). » Sciendum autem quod beatus Joannes totius Ecclesiæ personam tenet, ideoque quod Ecclesiæ revelatur, sibi dicit esse ostensum. Veni, inquit, sequere me, elevare in spiritu, et ostendam tibi quod carneis oculis videri non potest, sponsam videlicet, uxorem agni : sponsam quidem ante nuptias, uxorem vero post nuptias vocare solemus : hic utrumque ponit et uxorem et sponsam, quasi jam dies advenerit, in quo nuptiæ sunt celebrandæ. *Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum*, per quem ecstasim et mentis excessum intelligimus, in quem nullis aliis quam spiritualibus visionem, et claritatem perducta intelligi possunt. Nihil ultra fieri exspectandum est. Dei sapientia quidquid ei facere libuit, fecit.

(1632) Hic opus religionis completum, regnum Dei restitutum, gloria Patris reddita, sacramenta omnia prophetiæ, et mysteria cuncta ad veram significa-

Digitized by Google

pedibus ascendere possumus. *Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem* (1633), id est omnium sanctorum Ecclesiam, et cunctorum fidelium multitudinem. *Descendentem de cœlo a Deo*, inde enim descendere videtur, ubi semper et per mentis contemplationem ; *habentem claritatem Dei* : « Fulgebunt enim justi, sicut sol in regno Dei (*Matth.* XIII, 43). » Unde alibi beatus Joannes ait : « Scimus enim quoniam, cum apparuerit, **364** similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est (*Joan.* III, 2). » Lumen ejus (1634) simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidis, claro videlicet, sicut est crystallus. Jaspis enim serenus et viridis est; crystallus autem claritatis, ut nihil in ea latere vel abscondi possit : vivit autem quod serenum et viride est; sicut econtra vita caret, quod siccum est. Merito ergo illa beatissima civitas jaspidi similis est, quæ æternum vivit et immortalis est. Quæ bene crystallo comparatur, quia nihil hypocrisis et dissimulationis habens, talis est interius qualis exterius apparet.

Et habebat murum magnum et altum, habens portas duodecim, et in portis angelos duodecim, et nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Quid enim per murum magnum et altum, nisi fidem catholicam, et angelorum præsidia intelligimus? Quibus Dei civitas munita, omnium inimicorum machinamenta destruit. Duodecim vero portæ duodecim apostoli sunt, quibus regni cœlorum claves et ligandi atque solvendi potestatem Dominus tribuit. Per has enim omnium fidelium multitudo cœleste palatium ingreditur, quia eorum doctrina ingrediendi aditus et via monstratur. Habet autem unaquæque porta angelos duodecim, quia sibi invicem charitatis et dilectionis vinculo conjunctæ et unitæ sunt, ut hoc sint omnes quod una, hoc sit una quod omnes; si una clauditur, nulla aperitur; uniuscujusque doctrina, quasi duodecim angelis, ita duodecim apostolorum testimonio roboratur. Quod autem nomina duodecim tribuum filiorum Israel in porta scripta referuntur, hoc significare videtur, quod eadem sit utriusque Testamenti doctrina : ubi enim duodecim filiorum Jacob et duodecim discipulorum Christi simul nomina scripta leguntur, quid aliud quam utriusque Testamenti fides et doctrina una esse monstratur?

Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, ab austro portæ tres, ab occasu portæ tres, et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina apostolorum et agni. In trinitate diviuntur portæ, ut undecunque venientes in ipso numero statim recognoscant quid profiteri debeant, et qua fide salvari possint. Ad quatuor autem mundi climata portæ respiciunt, quia non Judæorum Deus tantum ; sed, sicut ipse Dominus ait, omnes ad se venientes non ejiciet foras. Ab oriente tamen illi venire intelligi possunt, qui in ipsa primæva ætate ad fidem conversi in Christi Ecclesia Domino militant; qui vero ab adolescentia convertuntur, per portas aquilonis ingrediuntur : maxime enim in hac ætate diabolus hominem decipit, quoniam plus cæteris hæc ætas vanitati subdita est, de qua ipse loquitur, dicens : « Ponam sedem meam ad aquilonem (*Isai* XIV, 14). » Unde et sapientissimus Salomon sibi difficile esse dicit viam hominis cognoscere in adolescentia sua. Nescitur enim, an ad bonum quandoque convertatur, qui sic omni vanitati studere et operam dare videtur. Illi autem per australes portas intrant, qui in juventute conversi, zelo fidei et charitatis amore succenduntur ; hæc enim ætas firmior est in qua rex noster de hoste triumphavit. At vero illis ab occasu portæ patent, qui in senectute pœnitere et Christo servire incipiunt; siquidem ab ipsis quoque philosophis occasus vitæ, senectus definitur. Venerunt autem illi ab Oriente, qui a prima mundi ætate usque ad Babyloniorum tempora crediderunt. A tempore vero Nabuchodonosor usque ad Christum omnes fideles per portas aquilonis Dei civitatem ingressi sunt. Lege historias, et quantas in hoc spatio temporis calamitates sancti viri sustinuerint, reperire poteris. A Christi vero tempore, de quo dicitur : « Deus ab austro veniet (*Habac.* III, 3), » usque ad Antichristum, australes portæ apertæ sunt. Inde autem usque ad finem, occasus portæ aperientur, per quas quidem non modica multitudo Dei civitatem ingredietur. Possumus autem ex hoc dicere, quod orientis et austri portæ in prosperis; aquilonis vero et occasus in adversis aperiantur. Quid vero duodecim fundamenta ipsius civitatis muri significent, ipse statim exponit, cum subjungit: *Et in ipsis duodecim apostolorum nomina et agni*, unde Apostolus eam dicit esse fundatam : « Super fundamentum apostolorum et prophetarum, et in ipso summo angulari lapide Christo Jesu (*Ephes.* II, 20.) »

Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundinem auream ut metiretur civitatem et portas ejus, et murum, et civitas in quadro posita est, et longitudo ejus tanta est quanta et latitudo. Quid enim per mensuram nisi doctorum verba et prædicationem intelligimus. Hac enim mensura utebatur Apostolus, quando rogabat Dominum, dicens : « Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum (*Ephes.* III, 18); » quæ quia arundo facile movetur, ideo arundinea esse dicitur, semper enim verba in motu sunt.

(1633) Ut diximus in præfatione ad hunc commentarium, apostolus suæ Apocalypsis librum absolvit, sanctam et gloriosam cœlestem Jerusalem repræsentans, et quidquid de ea dicit, mystice intelligendum est de Dei majestate, quæ eam implet, de habitatoribus angelis, et sanctis coram Deo jubilantibus, et omnem jucunditatem ab ejus visione accipientibus, de ordine et stabilitate murorum ; per quam æterna et immutabilis felicitatis illius possessio promittitur, ut eam justi exspectantes in Dei amore, et in sanctificatione animarum suarum tanto magis incendantur.

(1634) Cod. Vat., *id est, claritas illius civitatis.*

Digitized by Google

At vero quia magna sapientiæ et scientiæ luce sanctorum verba refulgent, idcirco aurea esse memoratur. Hac autem mensura Dei civitatem, et portas ejus, et murum doctores metiuntur. Sed cujus **365** mensuræ eam esse putamus, nisi ab ortu solis et occasu, ab aquilone et mari? Hanc enim ipse Dominus ejus designabat, dicens : « Ite in universum mundum, prædicate evangelium omni creaturæ (*Matth.* XVI, 15). » Sic Psalmista ait : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4). » Hæc est enim mensura civitatis. Metiamur et portas ejus, si possumus, atque in una videamus quantæ magnitudinis sint reliquæ. Magna porta beatus Paulus, qui jam ab Jerusalem usque Illyricum prædicaverat, cum se in Hispaniam adhuc proficisci velle dicebat, cujus portæ inferior pars terram tangit, cum dicit : « Viri, diligite uxores vestras (*Ephes.* II, 25). » Iterumque : « Vir uxori debitum reddat, similiter et uxor viro (*I Cor.* VII, 3). » Superius vero, quo usque extendatur, ipse demonstrat, cum ait : « Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum (*II Cor.* XII, 2); » et ideo quidem tot millia hominum per hanc portam ingressi sunt, et assidue ingrediuntur, quoniam sicut ipse ait, cunctorum infirmitatibus condescendens, omnibus omnia factus est. Sed quoniam murus fidem significat, qua quidem defendimur et munimur, quanta est fides, tantus esse et murus intelligitur. [Unusquisque enim cum Dei adjutorio fide sua defenditur, et ubi non est fides, nulla est defensio. Unde, et ipse Dominus ait : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, montes transferre poteritis (*Matth.* XIV, 31); unde beato Petro dicitur : « Modicæ fidei, quare dubitasti? (1635).] » Sequitur :

Et civitas in quadro posita est. [Quod enim quadrum est : quomodocunque volvatur, firmum et stabile est. Insuper quia quatuor sunt Evangelia, ex quibus et super quæ quasi super firmam petram fundata, nusquam Ecclesia cadere potest, non immerito in quadro posita ese dicitur. Et talis quidem est Ecclesiæ quadratura, ut unusquisque angulus tres apostolos habeat et unum evangelistam. Quocirca tam sapienter dimensa et partita est, ut quanta est longitudo, tanta sit et latitudo. Denique tantum sperat quantum diligit, et e converso tantum diligit, quantum sperat, ut per longitudinem spem, per latitudinem vero charitatem intelligamus. Est enim spes longa exspectatio futurorum; de charitate vero dicitur latum mandatum tuum nimis (1636).]

Et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia, longitudo et latitudo, et altitudo æqualia sunt, et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est angeli. Nam quia apostoli duodecim sunt, ideo et civitas duodecim millia stadiorum esse refertur, unde unamquamque partem mille stadia continere manifestum est. Est enim finitum pro infinito. Millenarius namque numerus, ut jam sæpe diximus, aliquando omnia, aliquando plura significat, plura autem in hoc loco. Et illud, quod post *mille annos solvetur Satanas.* Omnia autem, sicut de sanctis dicitur, quia *regnabunt cum Christo mille annis;* quod nihil est aliud quam omnibus annis. Per stadia ergo duodecim millia, omnia mundi stadia intelliguntur. Quod autem longitudinem et latitudinem et altitudinem ejus æqualia dicit, cœli ambitum, juxta litteram, monstrare videtur; quem quidem, sicut et cætera, in pondere et numero factum esse non dubium est. Allegorice autem de longitudine, et latitudine ejus superius diximus, in quibus spem et charitatem significavimus. Restat ergo ut de altitudine dicamus, per quam fidem intelligimus, quæ usque ad thronum Dei se extollens, eum in Trinitate videt, et credit, et veneratur. Ecclesiæ vero longitudo, et latitudo, et altitudo æqualia sunt, quia, quantum speramus, tantum amamus et credimus; et quantum amamus, tantum credimus et speramus; et quantum credimus, tantum speramus et amamus : qui enim unam harum virtutum habet, omnes habet; et qui una caret, nullam habet. Sequitur : ***Et mensus est murum civitatis centum quadraginta quatuor millia cubitorum mensura hominis, quæ est angeli.*** Centenarius enim numerus, qui perfectus et integer est, et ex operibus perfectis constans, denis decadibus constituitur; virginum enim et perfectorum ordinem signat; quadragenarius pœnitentes demonstrat; quaternarius omnium fidelium multitudinem, qui per quatuor evangelistas doctrinam receperunt. Ergo quia præter hos nullum alium numerus iste in se concludit, hujus esse mensuræ non immerito dicitur. Quod autem subditur, *Mensura hominis quæ est angeli,* sic est intelligendum, ut una eademque hominis angelique mensura sit, ut tot videlicet infra cœlestis Jerusalem muros ex hominibus colligantur, quot malis cadentibus, bonis angeli remanserunt; sed illico posuit terminos gentium, secundum numerum angelorum Dei, et est singulare pro plurali.

Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide, ipsa vero civitas de auro mundo, simile vitro mundo, fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Jaspsis enim, quia, ut jam sæpe diximus, viridis est, et quadam vi naturali memoriam **366** fugare perhibetur, fidem designat, quæ semper viridis et immarcescibilis est, et sicut in Evangelio Dominus ait, montes et dæmonia transfert et fugat. Est ergo structura, et compositio muri civitatis ex lapide jaspide, quia omnis ejus defensio et fortitudo, fides est, quæ eam semper et vivere et vincere facit, scilicet quod scriptum est, quia « justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17). » At vero ipsa civitas est de auro munda, quod simile est vitro mundo, quia ipsius

(1635) Hæc ex cod. Vat. supplevimus.

(1636) Id. cod. supplet editionem.

Digitized by Google

ivitatis domus, turres et palatia ex illo metallo omposita sunt, quod cæteris omnibus charius et lignius est, per quod sapientiam intelligimus, de ua dicitur : « Sapientia ædificavit sibi domum *Prov.* IX, 1). » Sed quam domum, nisi hanc obilissimam civitatem? Nusquam ergo in ea tenebræ, nusquam cæcitatis ignorantiæque caligo, ibique aurum fulget, ubique sapientiæ luce cuncta esplendent, et se vicissim omnes contemplantes, nihil est in alicujus conscientia, quod ab omnibus non videatur. Unde et vitro mundo hoc aurum simile dicitur, aurum enim et si fulgeat, non tamen videtur quod intra se habet; in vitro autem, si mundum est, nihil est interius quod exterius non appareat. Merito igitur illius civitatis aurum mundo vitro simile perhibetur, siquidem omnia ibi clara et manifesta erunt, et nihil ibi obscurum et tenebrosum, nihil quod insipientium oculos offendere possit. Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata, fundamenta quidem, ut jam diximus, apostoli sunt super quorum fidem totius civitatis omnis machina composita est. Sed quid lapides pretiosi, quibus fundamenta ornantur? si enim pretiosis lapidibus fundamenta ornantur, aliud fundamenta, aliud lapides ipsi pretiosi esse videntur. Dicamus ergo apostolos esse fundamenta; lapides vero, quibus ornantur, virtutes et mores honestos. Sur a utem, et ipsi lapides fundamenta vocentur, in sequentibus declarabitur.

Fundamentum primum, jaspis; secundum, sapphirus; tertium, chalcedonius; quartum, smaragdus; quintum, sardonix; sextum, sardius; septimum, chrysolitus; octavum, beryllus; nonum, topazius; decimum, chrysoptasus; undecimum, hyacinthus; duodecimum, amethystus. Quod enim ait, fundamentum primum jaspis, sic resolvitur ac si diceret: Primum fundamenti ornamentum est jaspis; et merito quidem hoc ornamentum prius ponitur, quo, ut superius dictum est, fides significatur, sine qua impossibile est placere Deo: « Sancti enim per fidem vicerunt regna (*Hebr.* XI, 33); » hæc ad Ecclesiam venientibus prima occurrit, per hanc in prædictam civitatem, de qua adhuc quidem loquimur, intratur, quam qui non attulerit, in eam intrare non poterit; et nullo quidem lapide magis, quam hoc Dei civitatis ornatur fundamenta.

Secundum vero ornamentum fundamenti est sapphirus, cujus color sereno cœlo similis est. Hoc ergo pretioso lapide apostoli ornati et decorati terram despiciunt; cœlestia concupiscunt : cupiunt dissolvi, et esse cum Christo. Et quia in cœlestibus regnis sanctorum habitatio est, non terrena lucra, sed sapphiros, quibus ornantur, considerantes, illuc ascendere, cujus in sapphiro colorem contemplantur, totis viribus anhelant.

Tertium autem fundamenti ornamentum est chalcedonius, qui ignis effigiem subpallidam quodammodo habens, in nubilo et in obscuro fulgoris flammas emittit, palam autem et sub dio parum quid ignei luminis dare videtur. Hoc autem lapide sancti apostoli et doctores, Ecclesiæ videlicet fundamenta, ornati, et si apud Deum magni sint meriti, multumque refulgeant, inter homines tamen ignobiles, viles, humiles et despectibiles sese ostendunt. Quo quidem lapide ipse Salvator noster ornatus erat, quando in secreto, tribus tantum discipulis testibus, plus sole in claritate refulgens, nolens hoc in manifesto lucere, prohibuit, dicens : « Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat (*Matth.* XVII, 9). »

Quartum vero fundamenti ornamentum est smaragdus, qui jaspide quidem viridior, herbarum quoque viriditatem sua viriditate superare videtur. Significat autem sanctorum vitam, quæ quidem post carnis resurrectionem semper viridis erit, quod nihil in eis erit quod siccari vel mori possit. Quamvis ergo jaspide ornati sancti, per fidei meritum viriditatem et immortalitatem adepti sunt, attamen secundum incrementa virtutum, etiam smaragdis decorantur, ut quanto viridiores apparuerint, tanto immarcescibilis immortalisque vitæ digniores esse credantur. Merito igitur jaspidi smaragdus et viriditas additur viriditati, quia post hanc beatam vitam animarum, sequitur resuscitatorum etiam vita corporum beatorum, ut duplici viriditate lætantes, et anima simul et corpore sancti Dei sine fine vivant.

Quintum autem in fundamentis ornamentum ponitur sardonix, cujus color igneus et rubeus est, et quasi granum malorum granatorum clarissime rutilat, per quem charitas intelligitur, quæ dilectionis igne succensa, gratum cunctis se inspicientibus fulgorem præstat. Quis enim in ea non delectetur, sine qua cæteræ virtutes, ipsumque martyrium nihil est, cujus flamma tanta est, ut ipsius inferni flammas exstinguere valeat. Unde Salomon ait : « Quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, **367** lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum (*Cant.* VIII, 6). » De quo igne Dominus ait : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat, ? » (*Luc.* XII, 49.) Hoc lapide quoque pretioso ipse ornatus erat, cum diceret : « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV, 13), » cujus quidem laudibus omnes Scripturæ plenæ sunt.

Sextum vero fundamenti ornamentum est sardius, qui quod sanguinis colorem habet, apertissime martyrium significat, quo lapide Salvatoris nostri vestimenta ornata erant, quando, eo cœlos ascendente, lapidis hujus colorem angeli admirati dixerunt : « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? » (*Isa.* LXIII, 1.) Hujus nimirum lapidis colore (1637) omnium martyrum chorus lætatur et gloriatur.

Septimum autem in fundamenti ornamentis chrysolitus possidet locum qui quia aureum habet co-

(1637) Cod. Vat. *In hujus nimirum lapidis colore.*

Digitized by Google

lorem, ab auro suscepit et nomen. Sed quoniam in divina pagina aurum, plerumque pro sapientia ponitur, secundum illud : « Desiderabilis thesaurus requiescit in ore sapientis (*Prov.* XIV, 33); » ideo per hunc lapidem sapientiam intelligimus, qua qui ornatus non fuerit, nescio qua ratione, Ecclesiæ fundamentum vel esse, vel dici possit. Hoc autem lapide discipulos suos Christus ornabat, cum diceret : « Ego enim dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 15). »

Octavus autem est beryllus, cujus color similis est aquæ coloris a sole repercussæ, per quem sinceram intelligentiam, et sanam doctrinam Scripturarum intelligimus, quæ nisi a sole justitiæ illuminata fuerit, facile erroris deformitate tenebrescit. Sole igitur in aquis relucente, berylli color efficitur, quia Christo Domino nostro Scripturarum aquas illustrante, sanus et sincerus formatur intellectus. Si igitur solis hujus fulgorem super has aquas hæretici spectarent, tam fetidam cæteris et coloris, et saporis doctrinam non propinarent. Quia ergo fundamentum hujus lapidis colorem non habet, ei superædificari summopere cavendum est.

Nonus vero topazius ad fundamentum decorandum succedit, qui tam rarus est, ut ipsi quoque reges admodum pauci difficile eum habere potuissent, unde et cæteris charior esse perhibetur. Quod et Psalmista demonstrat, dicens : « Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion (*Psal.* CXVIII, 127). » Fertur autem quod omnium lapidum in se colores habeat, duos tamen, auri et cœli principaliter possidet, per quem, eos quidem figurari putamus, qui non solum sapientia et castitate, verum etiam cæteris omnibus virtutibus rutilare videntur, quales utrumque Joannem Baptistam, et evangelistam fuisse facile crediderim; hoc autem tempore an tales topazii reperiri valeant, dubitari potest.

Decimus autem est chrysoprasus, qui auri simul et flammæ colorem imitatur, præcipueque in tenebris sui luminis jubar diffundit, quod nullos alios magis decorat et ornat, quam eos, qui et sapientia fulgent, et charitate fervent, et inter hujus mundi peccatores, doctrinæ, pariterque bonæ opinionis, quasi in tenebris lucem circumquaque diffundentes, non ad favorem vulgi, sed ad ædificationem salutis, et fidei verba depromunt.

Undecimus vero in fundamenti pulchritudine hyacinthus ponitur : hic autem serenissimi cœli habet colorem, qui etiam secundum tempora mutari perhibetur. Significat autem sanctorum virorum discretionem, qui, quamvis mente et contemplatione quadam ad cœlum et ad thronum Dei oculos habeant, mutantur tamen pro tempore et rigorem justitiæ flectentes, minora mala consentiunt ne majora et graviora inde generentur. Quo lapide ornatus apostolus Paulus, quamvis circumcisionem destruere niteretur, Timotheum tamen pro tempore circumcidi præcepit.

Duodecimus est amethystus, qui violarum colorem imitatur; ideoque virginum Christi, puerorum et puellarum choros significat, quo lapide ornati apostoli et suaviter redolent, et virginitatis amatores post se trahunt. Nam et in hoc quod parum quid clari ruboris habere videtur, earumdem virginum pudicam verecundiam demonstrat. His igitur, cæterisque lapidibus Dei civitatis fundamenta adornata, cæterisque virtutibus decorata, quam clare suaviterque resplendeant, quid attinet dicere? « Fulgebunt enim sancti sicut sol in regno Dei (*Matth.* XIII, 43). » « Unde et Apostolus : Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria (*Coloss.* III, 4). » Et beatus Joannes : « Scimus enim, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*Joan.* III, 2). » Et hæc quidem de lapidibus dicta sufficiant.

Et duodecim portæ, duodecim margaritæ unus per singulas, et singulæ portæ erant ex singulis margaritis. Si enim portæ apostoli sunt, et portæ ex margaritis factæ sunt, utique et ipsi apostoli margaritæ sunt. Sed quare apostoli margaritæ? Nisi quia candidi, et candidi, et super nivem dealbati in albis sequuntur Agnum quocunque ierit? In ipsis ergo portis facile cognoscere est, quales et illi esse debeant, qui per portas ingrediuntur; **368** ut enim in sequentibus dicitur : « Non intrabit per has aliquis coinquinatus, et immundus (*Apoc.* XXVII, 27). » Oportet ergo, ut portarum colorem præferat, qui per has portas ingredi desiderat.

Et plateæ civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum. Aurum namque, ut jam sæpe diximus, sapientis est; ubique ergo in plateis est aurum, quia nemo ibi fabulis vacat, nemo ibi otiosa et vana verba profert; sed sicut scriptum est : « Sapientia clamitat in plateis (*Prov.* I, 20). » Hæc autem sapientia non qualiscunque erit; imo perfecta et integra; unde et vitro valde lucido assimilatur; de qua sapientia Apostolus ait : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem : nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII, 12). » Cum ergo omnes omnia sciant, et Deus erit omnia in omnibus, tunc omnes civitatis illius plateæ plusquam auro et sapientia fulgebunt.

Et templum non vidi in ea; Dominus enim omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. Nullum ibi templum manufactum videtur, ubi non est necesse, ut ad verbum audiendum infra arcta templi populus colligatur; nam et rex, et doctor illius civitatis talis tantusque est, ut nullo templo includi (1638) atque comprehendi valeat; Dominus enim

(1638) Cod. Vat., *concludi*.

Digitized by Google

Deus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus templum illius est, et Agnus pro hominibus immolatus qui tollit peccata mundi. Ad hoc templum fit concursus populorum, ad hoc omnes spectant, hujus pulchritudinem admirantur, hujus odore reficiuntur. Non eget autem civitas illa, neque hoc sole quo nunc illuminamur, neque hac luna quam nunc crescere minuique videmus. Nam claritas Dei illuminat eam, et lucerna ejus est Agnus, ille utique qui ait : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII, 12). » Nullo ergo indiget, quia tanta talique luce illustratur.

Et ambulabunt gentes per lumen ejus, et reges terræ afferent gloriam suam, et honorem in illam. Et portæ ejus non claudentur per diem, nox enim non erit illic. Et afferent gloriam, et honorem gentium in illam. Nec intrabit in eam aliquis coinquinatus, faciens abominationem, et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ, et agni. Omnes enim gentes apostolorum doctrina illuminatæ sunt, et de tenebris erroris ad viam veritatis adductæ, per quam viam incedere debeant, non ignorant. Reges autem terræ, episcopi videlicet et doctores, gloriam et honorem suum afferent in illam, quoniam eos, quos doctrina et exemplis converterunt, et a mortis periculo liberaverunt, secum ducentes, gloriam et honorem pro eis suscipient. Et portæ ejus non clauduntur per diem; « quia melior est dies una in atriis tuis super millia (*Psal.* LXXXIII, 10). » Quod si per diem non claudentur, nunquam utique claudentur. Nox enim et tenebræ non erunt illic. Si ergo pro solo timore portæ clauduntur, ut quid ibi portæ claudentur, ubi nullus timor (1639), nullæque insidiæ esse possunt? Unde et Dominus ait : « Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi fures non effodiunt, neque furantur (*Matth.* VI, 20). » Illuc autem omnem gloriam et honorem gentium ferent, quia quidquid ubique gentium gloria et honore dignum reperitur, in illam civitatem ab angelis deportabitur, quod quidem in Ægypti exspoliatione significatum est. *Nec intrabit in eam aliquis coinquinatus*, quoniam quicunque in eam intrat, aut baptismate, aut martyrio, aut pœnitentia, aut igne purgatorio, prius a cunctis sordibus mundari oportet. *Faciens abominationem*, id est peccata, quæ Deus abominatur; et *mendacium*, quia os quod mentitur occidit animam (*Sap.* I, 11). » Omnis namque corruptela mendacium dici potest, quod non pertinet ad veritatem naturæ, quam corrumpit; unde et denarios, quamvis non mentiantur, quia tamen alio metallo corrupti sunt, falsos vocamus. Soli ergo illi in hanc civitatem intrabunt, qui ab origine mundi *scripti sunt in libro vitæ et Agni* : unus enim, idemque et vita vocatur, et Agnus, qui de se ipso loquitur dicens : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). »

CAPUT XXII.

Et ostendit mihi flumen aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum procedens de sede Dei et Agni. Flumen enim aquæ vitæ, utriusque Testamenti scientia intelligitur; hæc enim aqua dat vitam, et quasi optimum antidotum, antiqui serpentis venenum expellit; quæ quidem tanquam crystallum splendidum nulla hæresis nigredine (1640) vel corruptione fuscatur. Procedit autem hæc aqua de fide Dei et Agni, quoniam Christi ore, ejusque discipulorum evangelica doctrina profertur. Namque non solum apostoli et doctores, verum et ipse Christus secundum humanitatem sedes Dei est. Hanc **369** autem Salvator noster fundebat, quando, sicut scriptum est in die magnæ festivitatis clamabat, dicens : « Si quis sitit, veniat et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 38). » Hanc autem et mulieri Samaritanæ promittebat, cum diceret : « Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, et daret tibi aquam vivam (*Joan.* IV, 10); » de qua et apostolus ait : « Sapientiam loquimur inter perfectos (1641) (*I Cor.* II, 6)]. » Et Psalmista : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV, 4), » et multa alia, quæ bene non solum hic in Ecclesia, verum etiam in cœlesti Jerusalem conspiciuntur : « Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum (*Jac.* I, 17). »

In medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium. Hoc est autem illud lignum, quod secus decursus aquarum plantatum est, fructumque suum reddit in tempore suo. De quo sub specie sapientiæ Salomon loquitur dicens : « Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus (*Prov.* III, 18). » Unde et ipse Dominus : « Si in viridi, inquit, ligno hoc faciunt, quid in arido fiet? » (*Luc.* XXIII, 31.) De hoc autem ligno qui manducaverit, mortem non gustabit in æternum. Hoc autem lignum in medio plateæ, ubi concursus fit populorum, ubi sapientes philosophantur, ubi ad novum aliquid audiendum omnes conveniunt. Et ex utraque parte fluminis plantatum, fructus duodecim affert : nam quia utrumque in se continet Testamentum, ideo ex utraque parte fluminum stare videtur. Omnia namque paradisi flumina de hoc ligno exeunt, omnis hinc sapientiæ fons scientiæque procedit. « Omnis enim sapientia a Deo est, et cum eo fuit semper, et est ante ævum (*Eccli.* I). » Hoc autem lignum attulit duodecim nobilissimos fructus, quibus totus satiatus est mundus (1642) : « Cœlum enim, et terra transibit, ut ipse ait, verba autem mea non transibunt (*Luc.* I, 33). » Hæc etiam folia gentibus dant salutem; quia sicut in Evangelio scriptum est : « Si quis sermonem ejus servaverit, mortem non videbit in æternum (*Joan.* VIII, 51). »

Et omne maledictum non erit amplius, et sedes Dei, et agni in illa erit, et servi ejus servient illi, et vide-

(1639) Ita ex codice restituimus.
(1640) Cod. V., *hæreticæ pravitatis.*
(1641) Hoc ex eodem cod. supplevimus.

(1642) Imperfectus est sensus, et quod desideratur in editione deest.

Digitized by Google

bunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum, et nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quia Dominus Deus illuminabit, et regnabit in sæcula sæculorum. Non solum, inquit, persecutiones sed et maledictiones cessabunt; non solum non erit qui occidat, sed nec apparebit usquam qui maledicat : insuper et maledicti supra non erunt, quia semper in igne erunt, et melius quidem eis erat non esse quam sic infeliciter esse. Sedes autem Dei et Agni in illa erit, de quibus videlicet per Apostolum dicitur : « Nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? » (*I Cor.* III, 16.) Quamvis enim quidam angeli specialiter throni dicantur, omnis tamen glorificata creatura, sedes Dei dici potest. Et tunc quidem servi ejus servient illi, quando nihil erit, quod eos impedire valeat : illud servitium acceptabile erit, quod nullam interruptionem habebit. Et videbunt faciem ejus, de qua Psalmista desiderio plenus dicebat : « Ostende, Domine, faciem tuam, et salvi erimus (*Psal.* LXXIX, 8). » Et alibi : « Quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper (*Psal.* CII, 4). » Et nomen ejus in frontibus eorum, non enim occultatur quod in fronte portatur : merito ergo ejus nomen in fronte habere dicuntur, quem nunquam pro suppliciis et injuriis confiteri timuerunt. Unde et ipse Dominus ait : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est (*Matth.* X, 22). » Igitur ad triumphi et victoriæ gloriam, et ostensionem semper illud nomen in fronte habebunt, quod quia nominabant, multa mala sustinuerunt. Et nox et tenebræ, tribulatio et persecutio ultra non erit, et non egebit lumine lucernæ, neque lumine solis. Quare hoc? Quia Dominus Deus illuminabit illos, ipse eorum sol, ipse eorum lumen, ipse eorum splendor, ipse eorum claritas erit, cum quo et per quem regnabunt in sæcula sæculorum.

Et dixit mihi : Hæc verba fidelissima et vera sunt : et Dominus Deus spiritus prophetarum misit angelum suum ostendere servis suis, quæ oportet fieri cito. Ecce venio velociter; beatus qui custodit verba prophetiæ hujus libri. Expositis omnibus, quæ ad civitatem pertinere videbantur, ne quis fortasse incredulus ea, quæ mirati sunt, vera esse dubitaret, idem ipse angelus qui hæc ostendebat subdidit, dicens : *Hæc verba fidelissima et vera sunt;* nemo ergo de ea dubitare velit, sed quæcunque de prædicta civitate, ejusque ædificiis, et beatitudine dicta sunt, indubitanter fideliterque credantur : neque enim ille mentiri potuit, cujus inspiratione omnia hæc revelata et scripta sunt. Unde et subditur : *Et Dominus Deus spiritus prophetarum misit angelum suum, ut ostenderet servis suis, quæ oportet fieri cito.* [Dominus, **370** inquit, Deus, spiritus videlicet prophetarum : Spiritus enim sanctus, qui per prophetas et in prophetis loquitur, et Dominus est et Deus. Ipse misit angelum suum; ad quid? ostendere scilicet servis suis ea scilicet quæ oportet fieri cito (1645).] Unde manifestum est omnem hanc visionem angelico ministerio esse conscriptam. Quod autem ait : *Quæ oportet fieri cito,* ad infinitam æternitatis longitudinem respicit, ad quam comparata omnia mundana, quantumlibet temporis habeant, citissime fugere, et præterire videntur. Et ne quis hæc cito fieri dubitare possit, audiat etiam quid ipse dicat : *Ecce,* inquit, *venio velociter.* Verum est ergo quod dicitur, quæ oportet fieri cito; siquidem Dominus Deus velociter veniet : eo enim veniente, quæcunque liber iste loquitur, complebuntur. Et tunc quidem beatus erit, quicunque verba prophetiæ libri hujus fideliter custodit et credit.

Et ego Joannes qui audivi et vidi hæc, et postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli qui mihi hæc ostendebat, et dixit mihi : Vide ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum, et eorum qui servant verba libri hujus, Deum adora. Ego, inquit, sum Joannes, qui audivi et vidi hæc, qui hæc testificor, et vera esse confirmo, et ne quis hæc vana somnia esse putet, stultorumque deliramenta, sciat revera, quia ego sum Joannes, qui audivi et vidi hæc et postquam audivi, et vidi hæc tanta bona, tantaque felicitatis indicia, confestini gaudio plenus cecidi ut adorarem ante pedes angeli qui mihi hæc ostendebat. Mos enim antiquitus et usque ad id temporis fuit ut homines angelos adorarent, quod ipse quoque patriarcha Abraham fecisse legitur. Sed postquam Rex angelorum, et Dominus carnem suscepit, tremendum valde et horribile visum est angelis, ut ab eis adorari debuissent, quorum supra se naturam sedere conspexerant (1644). Unde et beato Joanni, qui angelum adorare volebat, ab angelo dicitur : *Vide ne feceris.* Quid hic humana et ventosa superbia dicat, quæ tantum sæpissime honoris, indebitæque subjectionis ab hominibus exigit, cum ipsos indebitum honorem angelos sibi fieri audiat prohibere? Conservus, inquit, angelus, tuus sum, et ego, et tu unum Dominum habemus, quem ego et tu adorare debemus : conservus sum, et cæterorum omnium fratrum tuorum prophetarum, verum etiam, et eorum omnium (1645) qui servant verba libri hujus. Deum igitur adora : quia scriptum est : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (*Matth.* IV, 10). »

Et dixit mihi : Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus; tempus enim prope est. Qui nocet, noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc; et justus

(1643) Hoc ex cod. V. supplevimus.

(1644) Humana Christi natura glorificata, et ad dexteram Patris collocata super omnes angelorum choros principatum tenet, adeoque adorationem, et cultum qui ei competit ipsi angeli recusare dicuntur.

(1645) Cod. Vat. « Qui eodem, quo et in spiritu replentur. Et non prophetarum tantum, verum, et eorum omnium, » etc.

Digitized by Google

justitiam faciat adhuc; et sanctus, sanctificetur adhuc. Putabat enim beatus Joannes, imo imperfectorum Ecclesia in persona B. Joannis, qui audierat Dominum dicentem : *Ecce venio velociter*, quod vita hæc præsens subito finiri, et Christus ad judicium venire debuisset; unde sibi jam librum claudere et signare volenti dicitur : *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus*, sint aperta, et sine sigillo, ut ab omnibus audire volentibus legantur et audiantur : tempus enim prope est, ut dixi, quod post mille annos futurum est. Nam et Psalmista ad Dominum loquitur, dicens : « Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam hesterna dies quæ præteriit (*Psal.* LXXXIX, 4). » Et quasi ipse diceret : Vides, Domine, quod si moram feceris, mali superbient et nocebunt; sancti vero affligentur et occidentur : ad quod ipse : *Qui nocet, noceat adhuc*, id est qui nocere desiderat, et de nocendi affectu pœnitere non vult, noceat adhuc ut nocendo pereat, *et qui in sordibus est*, et in peccatis delectatur sanctorumque monitis, ut pœniteat, obedire contemnit, *sordescat adhuc.* Nihil ergo pejus peccatoribus accidere potest, quam cum eis potestas datur, ut suam compleant voluntatem; quod quidem quare fiat, neminem puto ad plenum perscrutari posse : occulta enim sunt judicia Dei, secundum illud : « Judicia tua abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7). » *Et justus justitiam faciat adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.* Si enim mali non essent, in quo sanctorum, vel Dei justitia exerceri posset?

Ecce venio velociter, et merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua. Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, initium et finis. Ne, inquit, dolueris, ne grave tibi vel asperum videatur, quod librum claudere tibi et signare interdixi; quia non moram faciam, et in veritate velociter veniam; et si fortasse non tam cito ad judicium, tamen ad uniuscujusque animæ vocationem non diu morabor. Cum autem venero, gaudeant boni, timeant mali; quia *merces mea mecum est.* Sed quæ **371** merces? Vis audire quæ? *Reddere unicuique secundum opera sua.* Sed ne fortasse aliquis hunc esse angelum putaret, qui se superius adorare prohibuit; quia in principio hujus capituli quis loquatur non ponitur, ipse Dominus, cujus verba hæc sunt, respondet, dicens : *Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, initium et finis.* Hæc jam supra exposita sunt.

Beati, qui lavant stolas suas in sanguine agni : ut sit potestas eorum in ligno vitæ et per portas intrent in civitatem. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Beati, inquit, soli erunt, qui stolas suas lavant in sanguine agni, id est, Christi sanguine redempti et baptismatis unda mundati, talia custodiunt vestimenta et corpora sua, non qualia prius erant, sed qualia a Deo mundata et purificata ea recipere meruerunt. Unde scriptum est : « Omni tempore sint vestimenta tua candida (*Eccle.* VIII, 9). » Et hi quidem potestatem habent in ligno vitæ, ut de eo videlicet et sumant, et vivant; a quo quia primus homo prohibitus fuerat, usque ad Christum omne hominum genus morti succubuit, quo quidem veniente, atque dicente : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, 53); » data est hominibus licentia et potestas, ut jam nunc ad lignum vitæ secure accedant, si tamen munda et candida habeant vestimenta. Alioquin « qui indigne manducat, et bibit, judicium sibi manducat, et bibit (*I Cor.* XI, 29). » Et illi quidem, qui in ligno vitæ habent potestatem, per portas duodecim intrant in civitatem, quia non in hæreticorum, neque in sua sapientia confidentes, apostolorum doctrinam tenent et credunt, per quam etiam salvari, et supernæ civitatis januam ingredi non dubitant. Foris autem sunt canes, id est Judæi sine causa latrantes, [et venefici, id est hæretici, qui venenosa dogmata fingunt, quibus et animas interficiunt. Et impudici, id est omnes fornicatores, et adulteri, et homicidæ animæ scilicet vel corporis; et idolis servientes, inter quos et avari ponuntur, et omnis qui amat et facit mendacium (1646)]; multi enim eum imitantur qui in veritate non stetit, et a quo omne mendacium procedit.

Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum genus, et radix David, stella splendida et matutina; et sponsus, et sponsa dicunt : Veni; et qui audit, dicat : Veni; et qui sitit, veniat; qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Quod enim ait, ego Jesus misi angelum meum testificari, non tibi singulariter, sed vobis pluraliter dicta : hæc in Ecclesiis non tantum beato Joanni, sed omnibus esse dicta demonstrat. Ipsum quoque B. Joannem, angelum intelligere possumus, qui hæc in Ecclesiis testificari a Domino missus est. Quis igitur ea non credat quæ per talem, tantumque legatum Jesus ipse omnibus Ecclesiis mandat, et dicit? Sequitur : *Ego sum genus et radix David :* genus quidem, quia ab eo secundum carnem originem duco; radix autem, quia et Christus de David, et David de Christo, quasi arbor de radice pullulavit. Et Christus quidem de David secundum carnem; David vero de Christo secundum divinitatem. « Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). » *Et stella matutina et splendida.* De hac enim stella scriptum est : « Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel (*Num.* XXIV, 17); » quæ quidem tam splendida est, ut et ipsi soli lumen præbeat, quæ si ei comparetur, lumen admittit. Est autem et matutina, illius videlicet, qui finem non habebit, diei nuntia. Quod autem sequitur : *Et sponsus, et sponsa dicunt : Veni;* tale est ac si diceret : Nulla amodo est excusatio, omnes audiverunt, sponsus et sponsa :

(1646) Hoc ex cod. Vat. supplevimus.

Digitized by Google

Christus et Ecclesia quotidie dicunt : Veni; sponsi enim verba sunt hæc : « Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego vos reficiam (*Matth.* XI, 8). » De sponsa vero dicitur : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4). » *Et qui audit, dicat : Veni;* omnibus enim in locis prædicare conceditur; si enim omnes audiunt, et quicunque audiunt, dicunt : Veni; nemo est qui non prædicet. Nam et mulieres prædicare Apostolus docet, cum dicit : « Salvatur enim vir infidelis per mulierem fidelem (*I Cor.* VII, 14). » Nam etsi in Ecclesia non omnibus prædicare concessum sit, unusquisque tamen prædicat, dum et mala redarguit, et ad bene agendum aliquem invitat; quod qui non facit, in fraterna charitate se peccare non dubitet. Et qui doctrinam fidei, et verba vitæ audire desiderat, veniat (1647); non erubescat, cum tot habeat imitatores, neque de pretio timeat, si forte pauper est, sed secure, et sine hæsitatione veniens, aquam vitæ gratis accipiat. His autem ita dispositis, quoniam liber iste valde difficilis est, et diversis multisque modis intelligi et exponi potest, ne quis propter obscuritatem (ut minus capaces facere solent) vana somnia esse dicat; vel ad suum volens flectere intellectum, prave et contra fidem exponere conetur, contestatur beatus Joannes, omnesque adjurat, ne contra suæ animæ salutem aliquis hoc **372** agere præsumat; et est, quod dicitur :

Contestor ego omni audienti verba prophetiæ libri hujus : si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus plagas super illum, scriptas in libro isto : et si quis diminuerit de verbis prophetiæ hujus, auferet Deus partem de libro vitæ, et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto. Contestor ego Joannes, et testificor omni audienti verba prophetiæ hujus, quæ si quis officiose, et malo ingenio (quod hæretici facere solent) super hæc pravam et erroneam intelligentiam apposuerit, Deus quoque apponet super illum plagas scriptas in libro isto; econtra vero si quis diminuerit de verbis prophetiæ libri hujus, et ea quæ Spiritus sanctus locutus est, vana et falsa esse confirmans, diminuere et delere tentaverit, firmissime credat et nullatenus dubitet quod Deus quoque, cui tam importune adversari non timet, auferet partem ejus, quam habiturus erat in sanctorum consortio, de libro vitæ et de civitate sancta Jerusalem, cujus laudes superius expositæ sunt, et de his quæ scripta sunt in libro isto, in quo omnis sanctorum gloria, et honor, et beatitudo continetur.

Dicit, qui testimonium perhibet istorum : Etiam etiam, amen, venio cito. Hic enim qui testimonium perhibet istorum, quamvis beatus Joannes intelligi possit, qui etiam in Evangelio ait : « Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc (*Joan.* XXI, 24); » competentius tamen Christus intelligitur, quem eorum, quæ hic dicuntur, beatus Joannes testem esse confirmat. Qui etiam ut vera falsaque revelet, et abscondita tenebrarum illuminet, atque secundum opera sua unicuique tribuat, subinferens ait : *Venio cito.* Cui promissioni beatus quoque Joannes lætabundus respondet, dicens : *Veni, Domine Jesu,* tuum adventum exspectamus, suscipe nos in pace, atque angelorum junge cohorti. *Gratia Domini nostri Jesu Christi,* qua gratis ex nullis præcedentibus meritis salvati sumus, *sit cum nobis omnibus. Amen*

(1647) Cod. Vat. *Et qui sitit, veniat.*

FINIS EXPOSITIONIS IN APOCALYPSIM.

INDEX HOMILIARUM ET SERMONUM

S. BRUNONIS EPISCOPI

Secundum editionem Marchesii, cui concordat codex Signinus, iis exceptis quæ in principio et fine codicis desunt.

373 HOMILIA I. — *Dominica* I *Adventus.*
Incipit : Hoc est enim, quod Psalmista ait : *Deus manifeste veniet Deus noster*, etc.
Desinit : Sed verba veritatis a statu suo mutari non possunt.

HOMILIA II. — *Dominica eadem*
Quibusdam interrogantibus Dominum, et Salvatorem nostrum, etc.
Et id quod fieri negant, fieri contigisset.

HOMILIA III. — *Dominica* II *Adventus.*
Joannes Baptista in vinculis et in carcere positus, etc.
Hoc ad litteram intelligens, Joannem Eliam fuisse.

HOMILIA IV. — *Dominica* III *Adventus.*
Omnes enim existimabant Joannem esse Christum.
Hæc facta sunt in Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

HOMILIA V. — *Feria* IV *Quatuor Temporum.*
Missus est, inquit, Gabriel angelus, qui *Dei fortitudo* interpretatur.
Fiat mihi secundum verbum tuum, et discessit angelus ab ea.

HOMILIA VI. — *Feria* VI *Quatuor Temporum.*
Virgo Deo plena ad montana concendit etc.

Digitized by Google

Qui in ejus adventu tanto gaudio exsul- A
Inc. : tavit.
HOMILIA VII. — *Dominica* IV *Adventus.*
Des. : Quoniam quidem, ut Dominus ait : *Omne regnum in seipsum divisum*, etc.
Salutare tuum exspectabo, Domine.
HOMILIA VIII. — *In Vigilia Nativitatis Domini.*
Primum autem quærendum est cur beata Maria, etc.
Manifestum est igitur, quod Jesus *Salvator* interpretatur.
HOMILIA IX. — *In Nativitate Domini.*
Quod enim mundus universus describitur.
Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.
HOMILIA X.—*In eadem solemnitate, et in* II *missa.*
Pastores, inquit, loquebantur ad invicem, etc.
Ejus fidem prædicantes, et eum ubique laudantes, et glorificantes.
HOMILIA XI. — *In eadem solemnitate, et in* B
missa III.
Narrant alii evangeiistæ Dominum et Salvatorem nostrum
Et justitiam, deducet te mirabiliter dextera tua.
HOMILIA XII. — *In festo S. Stephani.*
Superius in hoc Evangelio Scribis et Pharisæis Dominus :
Et videbit omnis caro salutare Dei.
HOMILIA XIII. — *In festo S. Joannis apostoli et evangelistæ.*
Legitur superius in hoc Evangelio, quod discipulos suos, etc.
Quando in cœna super pectus ejusdem Jesu Christi recubuit.
HOMILIA XIV.—*In Nativitate SS. Innocentum.*
Venerant illis diebus Magi ad Dominum, etc.
Perfectam ex illis consolationem habituros per gratiam, etc. C
HOMILIA XV.—*In Circumcisione Domini.*
Nobis non sibi circumciditur Dominus, sicut nobis est natus.
Ipse totam Ægyptum a fame liberavit, et sua sapientia salvavit.
HOMILIA XVI. — *In die Epiphaniæ Domini.*
Non enim vacat a mysterio, quod beata Virgo Maria, etc.
Hæc via in patriam reducit.
HOMILIA XVII.—*Dominica* I *post Epiphaniam.*
Religiosi parentes per singulos annos ibant in Jerusalem.
Sed secundum humanitatem, qua nobis similis factus est.
HOMILIA XVIII.—*Dominica* II *post Epiphaniam.*
Has autem nuptias die tertia evangelista factas fuisse narrat.
Christi gloria manifestatur, et credentium fides augetur.
HOMILIA XIX.— *Dominica* III *post Epiphaniam.* D
Cum, inquit, descendisset Jesus de monte, etc.
In quo æternæ deliciæ cunctis fidelibus præparantur.
HOMILIA XX. — **374** *Dominica* IV *post Epiphaniam.*
Quia enim navicula nisi Ecclesia, quid mare nisi mundus? etc.
Veniant prospera, diu exspectata, et fiat tranquillitas magna.
HOMILIA XXI. — *In Purificatione S. Mariæ virginis.*
Scriptum est enim in lege Moysi, quod mulier quæ suscepto semine peperit masculum, etc.
Magna gloria illis est, quod de illorum gente tantum lumen exortum est.
HOMILIA XXII. — *Dominica in Septuagesima.*
Conditor humani generis Dominus noster Jesus Christus.
Multi enim ad vineam et fidem vocati sunt, qui ad vitam prædestinati non sunt.
HOMILIA XXIII. — *Dominica in Sexagesima.*
Multa turba sequebatur Jesum, multi undique conveniebant, etc.
Attulit fructum aliud trigesimum, aliud sexagesimum, etc.
HOMILIA XXIV.— *Dominica in Quinquagesima.*
Multa jam consummata erant, quæ de Filio hominis, etc.
Ut omnes eum laudent, qui fecit mirabilia magna solus.
HOMILIA XXV. — *Feria* IV *Cinerum.*
Tristes enim dicuntur hypocritæ, quia ut religiosi, etc
Semperque illud omnibus viribus, et desiderio tendat.
Feria V *post Cineres.*
Idem est Evangelium, eademque homilia ut in Dom. IV post Epiphaniam.
HOMILIA XXVI. — *Feria* VI *post Cineres.*
Domino nostro Jesu Christo docente, didicimus.
Cor contritum et humiliatum Deus non spernit.
HOMILIA XXVII. — *Sabbato post Cineres.*
De hoc autem Matthæus evangelista sic ait, etc.
Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.
HOMILIA XXVIII.—*Dominica* I *Quadragesimæ.*
Baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua, etc.
In dierum numero demonstraret jejunium cordis.
HOMILIA XXIX. — *Feria* II *post Dominicam* I *Quadragesimæ.*
Dominus enim, qui prius humilis venit, et in forma servi, etc.
Et ibant isti in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.
HOMILIA XXX. — *Feria* III *post Dominicam* I *Quadragesimæ.*
In proximo enim bella acturus, et de hostibus triumphaturus, etc.
Quod Dominus promiserat, ipso experimento didicerunt.
HOMILIA XXXI. — *Feria* IV *post Dominicam* I *Quadragesimæ.*
Quanta est superbia Scribarum et Pharisæorum, etc.
Ille igitur est Christo propinquior, quia melior.
HOMILIA XXXII. — *Feria* V *post Dominicam Quadragesimæ.*
Hæc est igitur causa cur clamantem mulierem Deus non exaudit.
Vita vivet, et non morietur.
HOMILIA XXXIII.— *Feria* VI *post Dominicam* I *Quadragesimæ.*
Ad dies festos Judæorum Dominus ascendit, etc.
Et nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.
HOMILIA XXXIV.— *Sabbato post Dominicam* I *Quadragesimæ.*
Dominus et Salvator noster, sicut legitur paulo superius, etc.
Quando carnis mortalitate exutus novæ resurrectionis gloria et decore indueretur.
Dominica II *Quadragesimæ.*
Idem Evangelium, et eadem homilia ut in die præcedenti.

Digitized by Google

HOMILIA XXXV. — *Feria* II *post Dominicam* II *Quadragesimæ.*

Inc. : Ego, inquit, vado. Ego ad Patrem redeo, etc.

Des. : Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.

HOMILIA XXXVI. — *Feria* III *post Dominicam* II *Quadragesimæ.*

Quid est sedere supra cathedram Moysi, etc.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

HOMILIA XXXVII. — *Feria* V *post Dominicam* II *Quadragesimæ.*

Hæc verba et divitibus et pauperibus valde necessaria sunt, etc.

Timent, et orant, ne et ipsi decipiantur.

HOMILIA XXXVIII. — *Feria* VI *post Dominicam* II *Quadragesimæ.*

In figura hujus hominis patrisfamilias Deum Patrem significat. B

Hæc igitur causa, quod eum tenere volentes eum tenere non potuerunt.

HOMILIA XXXIX. — *Sabbato post Dominicam* II *Quadragesimæ.*

Homo iste, Deus ipse hoc in loco intelligitur, etc.

Et taliter ea habemus, ut aliter ea habere nolimus.

HOMILIA XL. — *Dominica* III *Quadragesimæ.*

Beatus Matthæus evangelista hominem istum, etc.

Hoc enim nisi fecisset, neque felix, neque mater mea esse potuisset.

375 HOMILIA XLI. — *Feria* II *post Dominicam* III *Quadrag.*

Legitur superius in hoc Evangelio, quod cum Dominus venisset in patriam suam.

Canes contemnit hinc inde latrantes. C

HOMILIA XLII. — *Feria* III *post Dominicam* III *Quadrag.*

Hæc autem apostolis eorumque successoribus episcopis, etc.

Nihil minus est septies, quam septuagies septies.

HOMILIA XLIII. — *Feria* IV *post Dominicam* III *Quadrag.*

Seniorum namque traditiones, non prophetarum dicta, etc.

Manducare non lotis manibus, rusticitas est, non peccatum.

HOMILIA XLIV. — *Feria* V *post Dominicam* III *Quadrag.*

Scire enim oportet quæ sit uxor Petri ut possimus scire quæ sit socrus ejus, etc.

Talem igitur patrem sepelire, et sic sepelire Dominus prohibet. D

HOMILIA XLV. — *Feria* VI *post Dominicam* III *Quadrag.*

Hoc est illud prædium, de quo Jacob filium suum Joseph benedicens ait, etc.

Nisi eos ad audiendum, et credendum voluntarios prævidisset.

HOMILIA XLVI. — *Sabbato post Dominicam* III *Quadrag.*

Quod enim Jesus in montem Oliveti ire, et orare, etc.

Sic igitur liberata est misera, jubente misericordia.

HOMILIA XLVII. — *Dominica* IV *Quadragesimæ.*

Magna miracula Dominus facturus, et novi mirabilisque panis.

Et pisces eis addit, cum quibus facilius comedi potuissent.

HOMILIA XLVIII. — *Feria* II *post Dominicam* IV *Quadrag.*

Hæc quidem in Matthæo exposita sunt, etc.

Sciebat quid fraudis et iniquitatis esset in unoquoque homine.

HOMILIA XLIX. — *Feria* III *post Dominicam* IV *Quadrag.*

Diximus superius hanc festivitatem septem diebus celebrari.

Ipsa testimonium perhibent de me.

HOMILIA L. — *Feria* IV *post Dominicam* IV *Quadrag.*

Ipse Jesus Salvator noster apertissime ostendit, etc.

Peccatum non haberetis, quia lucem quæreretis.

HOMILIA LI. — *Feria* V *post Dominicam* IV *Quadrag.*

Hæc autem vidua, quam turba multa sequitur, etc.

Manibus, pedibusque ligatis prodiisse fertur.

HOMILIA LII. — *Feria* VI *post Dominicam* IV *Quadrag.*

In magnis laudibus Mariæ scripsit hæc evangelista.

An accusando dixerunt dubitari non potest.

HOMILIA LIII. — *Sabbato post Dominicam* IV *Quadrag.*

Ego, inquit, sum lux mundi, ego sum illa lux quæ illuminat omnem hominem, etc.

Erat igitur et hora ejus in ejus potestate, ut tunc, et non ante veniret, quam ipse juberet.

HOMILIA LIV. — *Dominica passionis.*

Præceperat Dominus per Moysen sacerdotibus Judæorum.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

HOMILIA LV. — *Feria* II *post Dominicam Passionis.*

In vanum, inquit, laboratis vos, et principes vestri.

Et reversi sunt, quia facere non potuerunt voluntatem suam.

HOMILIA LVI. — *Feria* III *post Dominicam Passionis.*

Hoc enim faciebat Jesus, non quod mortem, vel Judæos timeret.

Non audebant, quia magis homines, quam Deum timebant.

HOMILIA LVII. — *Feria* IV *post Dominicam Passionis.*

Encænia dicebant Judæi illam festivitatem.

Ut isti ad eum venirent, eum viderent, et in eum crederent.

HOMILIA LVIII. — *Feria* V *post Dominicam Passionis.*

In hoc Evangelio Pharisæi superbia reprimitur, etc.

Qui ex corde conversis tam facile misereturus.

HOMILIA LIX. — *Feria* VI *post Dominicam Passionis.*

Audierant pontifices et Pharisæi Salvatorem nostrum.

Non ut eum occidatis, sed ut nobiscum eum credatis.

HOMILIA LX. — *Sabbato post Dominicam Passionis.*

Stulti Judæi eum occidere volebant, quem nuper Dominus suscitaverat.

Hoc erat, quod significabat, quando se abscondit ab eis.

HOMILIA LXI. — *Dominica in Palmis.*

Duos discipulos suos ante se Dominus mi-

Digitized by Google

tit, etc. A
Inc. : Quæ in ore totius populi, ad Christi laudem et gloriam personabat.
Des. : Homilia LXII. — *Dominica in Palmis.* Passio Domini nostri Jesu Christi.
Nuntiat Dominus Pascha post biduum, nuntiat et passionem suam, etc.
Dominum resurrexisse, et nullo modo sic positum furari potuisse.
376 Homilia LXIII. — *Feria* II *majoris hebdomadæ.*
Mirum si evangelista omnia hæc sine aliqua significatione.
Sicut se habet cupiditas hominum, nova videre, et audire cupiebant.
Homilia LXIV. — *Feria* III *majoris hebdomadæ.*
Si, inquit, scitis, et intelligitis quæ fecerim vobis, etc.
Non prius cœnam complevit, etsi prius cœ- B
nare cœpit.
Homilia LXV. — *Feria* IV *majoris hebdomadæ.*
Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha, etc.
Cætera, quæ sequuntur, in Matthæo exposita sunt.
Homilia LXVI. — *Feria* V *in Cœna Domini.*
Narrat superius evangelista quod ante diem festum Paschæ Salvator noster in Bethaniam venit, etc.
Deum per se invicem sancti orant, alter alterius pedes lavant.
Homilia LXVII. — *Sabbato sancto.*
Vesper enim, qui et hesper dicitur, stella est, quæ alio nomine lucifer vocatur.
Ecce iterum occiditis; dum eum resurrexisse, et vivere negatis.
Homilia LXVIII. — *In Dominica S. Resurrectionis D. N. J. C.* C
Sabbato enim neque vendere, neque emere licebat aliqua.
Ibi tecum sedeo, et vivo, et regno in sæcula sæculorum.
Homilia LXIX. — *Feria* II *post Dominicam Paschæ.*
Unus autem istorum, qui hæc scribit, beatus Lucas fuisse putatur.
Nobis Scripturas exposuit, et sensum aperuit Jesus Christus D. N.
Homilia LXX. — *Feria* III *post Dominicam Paschæ.*
Loquebantur discipuli de Jesu, et ea quæ viderant, etc.
Ideoque a Catholicis consignari præcipiunt, qui ab eis baptizati sunt.
Homilia LXXI. — *Feria* IV *post Dominicam Paschæ.*
Quid est enim, quod apostolus Petrus de pi- D
scatione a Domino vocatur, etc.
De illis manifestationibus loquitur, quæ vel omnibus, vel pluribus in unum collectis factæ sunt.
Homilia LXXII. — *Feria* V *post Dominicam Paschæ.*
Recedunt discipuli, stat Maria, et plorat, etc.
Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi.
Homilia LXXIII. — *Feria* VI *post Dominicam Paschæ.*
Hæc autem visio quando facta est incertum habeo.
In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.
Homilia LXXIV. — *Sabbato in Albis.*
Quantum ad litteram magnus amor compellebat hanc mulierem, etc.
Diximus Scripturam per linteamina significari.
Homilia LXXV. — *Dominica in Albis, octava Paschæ.*
Quicunque intelligit illud, quod scriptum est, etc.
Etiamsi alii evangelistæ cætera ejus facta non scripsissent.
Homilia LXXVI. — *Dominica* I *post Pascham.*
Ego, inquit, sum pastor bonus. Audite hoc pastores.
Hæc autem quid significent, in Exodo exposuimus.
Homilia LXXVII. — *Dominica* II *post Pascham.*
Modico enim tempore in sepulcro Dominus jacuit.
Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.
Homilia LXXVIII. — *Dominica* III *post Pascham.*
Dixerat superius beatus Petrus : *Domine, quo vadis?*
Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur.
Homilia LXXIX. — *Dominica* IV *post Pascham.*
Si consideremus, quibus hæc verba specialiter, etc.
Qui jam cum suo principe superatus est.
Homilia LXXX. — *In Litania majori.*
His enim verbis admonemur, ut spiritum sapientiæ.
Mali vero mala data petentes a malo patre mala data suscipiunt.
Homilia LXXXI. — *In nativitate apostolorum Philippi et Jacobi.*
Ego, inquit, vado, et quo ego vado, vos non potestis venire.
Multum enim glorificatur Pater in Filio, dum talia fiunt in nomine Filii.
Homilia LXXXII. — *In inventione S. crucis.*
Bonus homo iste Nicodemus jam credulus, etc.
Omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.
Homilia LXXXIII. — *In apparitione S. Michaelis archangeli.*
Accesserunt utique discipuli ad Jesum non loquendo, sed cogitando, etc.
Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.
Homilia LXXXIV. — *In Ascensione Domini.*
Venit ad discipulos suos Dominus Jesus, invenit eos recumbentes, etc.
In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.
377 Homilia LXXXV. — *Dominica post Ascensionem.*
Semper Salvator noster tristibus miscet læta,
Hac tali consolatione eos præmunire necessarium non esset.
Homilia LXXXVI. — *In die Pentecostes.*
Dominus Salvator noster paulo superius discipulis suis loquitur, etc.
Cœlum attendite, quia inde originem habetis.
Homilia LXXXVII. — *Dominica octava Pentecostes.*
Estote, inquit, misericordes; sed quomodo? Sicut et Pater vester misericors est.
Et manifestabit consilia cordium. Et tunc laus erit unicuique a Deo.

Digitized by Google

HOMILIA LXXXVIII. — *Dominica* II *post Pentecosten.* A

Inc. : Stagnum Genesareth ipsum est quod mare Galilææ.

Des. : Et de his quidem in Levitico satis diximus.

HOMILIA LXXXIX. — *Dominica* III *vost Pentecosten.*

Apostolus enim Corinthiis scribens ait : *Si quis frater nominatur*, etc.

Non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

HOMILIA XC. — *Dominica* IV *post Pentecosten.*

Hic enim homo ipse est, qui hæc loquitur, J. C. D. N., etc.

Nemo simul cum sanctis addetur, nec in convivii epulas introibit.

HOMILIA XCI. — *In nativitate S. Joannis Baptistæ.*

Nascitur hodie Joannes Baptista major prophetis, minor angelis. B

Et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.

HOMILIA XCII. — *In vigilia S. Petri.*

Interrogat Dominus Petrum, an se diligat, quem semper, et ubique, etc.

In qua quantum eum dilexerit, apertissime demonstravit.

HOMILIA XCIII. — *In festo S. Petri.*

Interrogat Dominus discipulos suos, quam opinionem de eo homines habent.

Quam si prælatus recipere noluerit, tunc sciant se esse solutos.

HOMILIA XCIV. — *Dominica* V *post Pentecosten.*

Scribarum et Pharisæorum justitia fuit, ut bene prædicarent.

Ad ultimum quadrantem, quæ semper solvitur, et nunquam finitur.

HOMILIA XCV. — *Dominica* VII *post Pentecosten.* C

Attendite, inquit, et cavete vobis a falsis prophetis, etc.

De quo naufragio nos liberare dignetur J. C. D. N.

HOMILIA XCVI. — *Dominica* VIII *post Pentecosten.*

Et vocavit illum Dominus suus, et ait illi : *Quid hoc audio de te ?*

Et prædestinata sunt nobis, si hujus fidelitatis virtus inveniatur in nobis.

HOMILIA XCVII. — *Dominica* IX *post Pentecosten.*

Surrexit, inquit, legisperitus, legis conditorem reprehendere volens, etc.

Magna est misericordia per quam vita possidetur æterna.

HOMILIA XCVIII. — *Dominica* X *post Pentecosten.*

Nunquam arrogantia placuit Deo, nunquam superbia justificata est, etc. D

Radix omnium malorum superbia, custos virtutum humilitas.

HOMILIA XCIX. — *Dominica* XI *post Pentecosten.*

Describit evangelista per quam viam in Galilæam Dominus redierit, etc.

Quia obstructum est os loquentium iniqua.

HOMILIA C. — *Dominica* XII *post Pentecosten.*

Omnes in via sumus, omnes ad patriam festinamus.

Fides justificat, fides et interius hominem sanat.

HOMILIA CI. — *Dominica* XIII *post Pentecosten.*

Modo enim superius Salvator noster de thesauro locutus est, etc.

Si omnes homines tales esse vellent, non deesset unde eos pasceret.

Dominica XIV *post Pentecosten.*

Est idem Evangelium, et eadem homilia, ut in feria V hebdomadæ post Dominicam IV Quadragesimæ.

HOMILIA CII. — *Dominica* XV *post Pentecosten.*

In eo, quod ad panem manducandum in domum principis Pharisæorum, etc.

Qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.

HOMILIA CIII. — *Dominica* XVI *post Pentecosten.*

In hac ergo similitudine, quanta sit Dei patientia.

Quia in verbis, et miraculis Christi virtutem et gloriam cognoscebant.

HOMILIA CIV. — *Dominica* XVII *post Pentecosten.*

Pharisæi audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis.

Neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

378 HOMILIA CV. — *Dominica* XVIII *post Pentecosten.*

In illa, inquit, die, qua Pharisæi victi recesserunt, etc.

Sic igitur nunc in Ecclesia spiritualiter custoditur, quod prius secundum litteram in Synagoga custodiebatur.

HOMILIA CVI. — *Dominica* XIX *post Pentecosten.*

Hoc enim in loco civitatem suam non Nazareth, etc.

Et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

HOMILIA CVII. — *Dominica* XX *post Pentecosten.*

Iste enim rex ipse est, qui loquitur Deus, et homo J. C. D. N.

Non enim sufficit labiis dimittere, nisi ora et corda conveniant.

HOMILIA CVIII. — *Dominica* XXI *post Pentecosten.*

Stulti Pharisæi, qui Verbum Dei in sermone capere putant.

Ut Christum caperent in sermone, sed ipsos in suis sermonibus captos esse cognoscunt.

HOMILIA CIX. — *Dominica* XXII *post Pentecosten.*

Quid enim per hunc principem, nisi Abraham, Isaac et Jacob, etc.

Et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me.

HOMILIA CX. — *Dominica* XXIII *post Pentecosten.*

Tunc dimissis turbis, venit in domum, et accesserunt ad eum discipuli ejus

Est autem parabola similitudo, in qua aliud dicitur, et aliud rationabiliter intelligetur.

HOMILIA CXI. — *Dominica* XXIV *post Pentecosten.*

Suscitato namque Lazaro veniens Jesus Hierosolymam, etc.

Quibus hoc sine Ecclesiæ detrimento facere valeamus.

HOMILIA CXII. — *Dominica* XXV *post Pentecosten.*

Videamus modo quid Daniel propheta de hac abominatione, etc.

Sed verba veritatis a statu suo mutari non poterunt.

Digitized by Google

Homilia CXIII. — *Dominica* XXVI *post Pentecosten.* A
Inc. : Alius autem evangelista addidit, *neque Filius*, etc.
Des. : Modo interim crucians animam, postmodum vero et corpus, et animam.
Homilia CXIV. — *Dominica* XXVII *post Pentecosten.*
Tunc enim Dominus Pater, qui omnium rex et Dominus est, filio suo Jesu Christo nuptias fecit, etc.
Pauci vero introducuntur in regis thalamum et gloriam.
Homilia CXV. — *Dominica* XXVIII *post Pentecosten.*
Digni sunt reges, qui exaudiantur. Nulli ita Deo familiares sunt, sicut boni reges.
Ut vivamus, et ulterius non moriamur, sed sani et immortales ad cœlestia regna perducamur. B
Homilia CXVI. — *In festivitate S. Laurentii martyris.*
Hoc est enim illud granum frumenti, quod virgo, et inarata terra produxit, etc.
Et Apostolus : *Cupio*, inquit, *dissolvi, et esse cum Christo.*
Homilia CXVII. — *In Assumptione B. M. V.*
Omnia opera Salvatoris nostri plena sunt sacramentis.
Ipsa *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*
Homilia CXVIII. — *In decollatione S. Joannis Baptistæ.*
Cujus opinionis beatus Joannes Baptista fuerit.
Tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud, et venientes nuntiaverunt Jesu.
Homilia CXIX. — *In nativitate Dei genitricis Mariæ.*
Quare beatus Matthæus evangelista a Christi C
generatione initium sumat, etc.
Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima eris in principibus Juda.
Homilia CXX. — *In festo S. Matthæi apostoli.*
Sic enim de se beatus Matthæus quasi de alio loquitur.
Quia Christi sacrificium misericordia fuit.
Homilia CXXI. — *In vigilia S. Andreæ apostoli.*
In exordio hujus Evangelii magna nobis quæstio oritur.
Quando in sua majestate Christus Dominus apparebit.
Homilia CXXII. — *In festo S. Andreæ apostoli.*
Narrat superius evangelista, quia Dominus et Salvator, etc.
Videt et ipsos pisces, eos videlicet, qui bapti- D
zantur et credunt.
Homilia CXXIII. — *In natali apostolorum* I.
Decem quidem sunt mandata legis, quorum primum illud est, quo dicitur : *Non habebis Deum alienum absque me.*
Bene igitur exauditus est, qui inde lætatur, quod exauditus non est.
Homilia CXXIV. — *In natali apostolorum* II.
Magna est virtus charitatis, quæ toties discipulis a Domino commendatur.
Sed quid dicam ? Isti sunt illi cœli, qui enarrant gloriam Dei.
379 Homilia CXXV. — *In natali apostolorum* III.
Dixerat superius in hoc evangelio Dominus et Salvator noster discipulis suis : *Euntes, prædicate*, etc.
Nunquam enim nisi in bono judicantur, qui semper in bono inveniuntur.
Homilia CXXVI. — *In natali apostolorum* IV.
Narrat superius evangelista juvenem quem dam accessisse ad Jesum, etc.
Quos enim multum diligimus, his nominibus vocare solemus.
Homilia CXXVII. — *In natali apostolorum* V.
Beatus Lucas evangelista sic ait : *Quia designavit Dominus*, etc.
Graviori pœnæ subjiciantur, quam illi quibus veritas nuntiata non fuit.
Homilia CXXVIII. — *In natali apostolorum* VI.
Hoc autem ideo Dominus et Salvator noster dicere videtur, etc.
Et illud quidem simul habere possunt et mali et boni ; hoc autem non habebunt nisi boni.
Homilia CXXIX. — *In natali plurimorum martyrum* I.
Talia sunt prælia Christi, talia sunt bella Novi Testamenti.
Qui pro Christi nomine persecutionem patiuntur.
Homilia CXXX. — *In natali plurimorum martyrum* II.
Quid est igitur quod Psalmista ait : *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis.*
Si igitur hic mercede caruerint, ibi propter hoc mercedem non habebunt.
Homilia CXXXI. — *In natali plurimorum martyrum* III.
Multa turba sequebatur Jesum, et non solum sequebatur, verum etiam opprimebatur, etc.
Illorum exemplum vos doceat, si illorum vos beatitudo delectat.
Homilia CXXXII. — *In natali unius martyris* I.
Paulo ante dixerat discipulis suis Dominus Jesus, etc.
Qualis post hanc vitam in regno suo cunctis fidelibus suis apparebit.
Homilia CXXXIII. — *In natali unius martyris* II.
Cum enim alibi Dominus dicat : *Diliges proximum tuum.*
Quoniam si necesse esset, ea simul cum ipsa vita perdere non timebant.
Homilia CXXXIV. — *In natali unius martyris* III.
Ecce vitis vocatur Christus, et vitis vera, etc.
Magna est virtus patientiæ, sine qua perditur, et per quam anima possidetur.
Homilia CXXXV. — *In natali confessorum* I.
Homo iste Dominus et Salvator noster est, etc.
Illic erit fletus et stridor dentium.
Homilia CXXXVI. — *In natali confessorum* II.
Homo iste nobilis ipse est, qui loquitur Salvator noster, etc.
Quod vobis paratum est ab origine mundi.
Homilia CXXXVII. — *In natali confessorum* III.
Quod enim lumbos præcingére nos Dominus præcipit.
Non est igitur conveniens ut unusquisque ibi super omnia constituatur.
Homilia CXXXVIII. — *In natali confessorum* IV.
Hæc autem verba et alia multa tunc discipulis suis, etc.
Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.
Homilia CXXXIX. — *In natali confessorum* V.
Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, etc.
Totum corpus virtutum, totaque massa operationum lucida erit.

Digitized by Google

HOMILIA CXL. — *In natali confessorum* VI. A
Inc. : Ubi oculi non sunt, ibi lux necessaria non est.
Des. : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

HOMILIA CXLI. — *In natali virginum* I.
Regnum cœlorum hoc loco cœlestem patriam, etc.
Qui profert de thesauro suo nova et vetera.

HOMILIA CXLII. — *In natali virginum* II.
Dixerat modo superius Dominus et Salvator noster : *De die autem illa*, etc.
Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

380 HOMILIA CXLIII. — *In dedicatione ecclesiæ.*
Ex quo tempore primus homo descendit ab Jerusalem.
Quia non indigent, qui sani sunt, medico, sed male habentes.

Sermones inediti S. Brunonis episcopi.

SERMO I. — *In Epiphania Domini.*
Inc. : Ad ædificationem fidelium spectat, fratres charissimi, extremus evangelicæ lectionis versiculus, etc.
Des. : Ad patriam perpetuæ vitæ gaudiis in cœlis fruemur cum angelis, etc. B

SERMO II. — *In Purificatione beatæ Mariæ Virginis.*
Humani generis conditor et redemptor Dominus, etc.
Circumcidite corda vestra, et non corpora vestra.

SERMO III. — *In natali unius martyris.*
Insuper et ipse Dominus erat in eis qui eorum semini incrementa dabat.
Siquidem in tali gaudio mœror et tristitia esse non potest.

S. BRUNONIS ASTENSIS
EPISCOPI SIGNIENSIS
HOMILIÆ.

381 HOMILIA PRIMA.
DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

ADMONITIO. — Diximus in prolegomenis homilias S. Brunonis eodem ordine editas fuisse a Marchesio, quo in codice Med. Laurentiano mss. exscriptas invenimus ; incipiunt enim a prima Dominica Adventus, quæ est exordium ecclesiastici anni. His non concordant codex Vallicellanus, nec editio homiliarum sub nomine Eusebii Emiseni Parisiis acta an. 1575. Non piguit nos editiones cum codicibus mss. conferre, et ejusdem sancti Brunonis commentarium in Evangelia consulere; quare explorata compertaque habemus quæ ab eodem commentario excerpta sunt, quæque addita, ut patet ex hac prima homilia, in qua additionem uncis inclusimus, quodque in sequentibus fiet. Etiam sanctus Maximus Taurinensis de eodem argumento homiliam habet, quæ secunda est in editione nostra, p. 6.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXIV, C 27). *Dixit Jesus discipulis suis : Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque ad occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.* Et reliqua. Homilia lectionis ejusdem. (Vid. edit., pag. 115, c. 1).

Hoc est enim quod Psalmista ait : « Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit (*Psal.* XLIX, 3). » Non, ut prius, veniet occultus, sed quasi sol in sua majestate præfulgens, ubique apparebit, ubique lucebit cunctis, etiam nolentibus revelabitur : « Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ (*Matth.* XXIV, 28). » Aquilæ enim sanctorum animæ sunt, quæ et altius volant et clarius vident. Hæ autem tunc ad corpora propria venientes, ubicunque et quomodocunque dispersa sint, ea itequm induentur, ut totus integer et immortalis homo resurgat. Potest autem et sic intelligi, ut ubicunque Christi corpus fuerit, illuc et animæ conveniant paratæ ejus obedire præceptis. *Statim autem post tribulationem eorum dierum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum ; et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur, et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate.* Quia enim Sol justitiæ Christus Deus noster omni hac splendidior de cœlis descendet, sol iste, quem videmus, obscurabitur, et hæc luna non dabit lumen suum, obscurati immenso splendore majoris lucis. Sicut enim luna et stellæ solis hujus splendore pallescunt, ita illius inenarrabili fulgore ipse sol in tenebris convertetur. Quod autem stellas cadere dicit, vel sanctorum animas ad corpora descendere, vel ipsas juxta litteram quasi decidentes et obscuriores lumen solitum amittere significat. [Cadent præterea stellæ, quia sancti, qui per stellas significantur, ab iniquis occidentur. Luna vero non dabit lumen suum, quia sancta Ecclesia solitum splendorem in signis et virtutibus non ostenderet; sol autem obscurabitur, quia hæretici, qui tunc erunt, solem justitiæ Christum Dominum, ejusque fidem damnare et reprehendere non timebunt.] *Virtutes autem cœlorum commovebuntur*, quia omnis ille exercitus angelorum Christum Dominum nostrum ad judicium sequetur. *Et tunc apparebit signum Filii hominis in*

Digitized by Google

cælo; per quod, vel ejus crucem vel aliquid aliud victoriæ signum intelligere possumus. *Et tunc plangent eum omnes tribus terræ.* Unde in Zacharia propheta scriptum est : « Et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut dolere solent in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus ad Remon in campo Magedon, et plangent terræ familiæ, et familiæ seorsum (*Zach.* XII, 10). » Quomodo enim super eum non plangant, cum eum in tanta gloria videbunt, quem cum tanto opprobrio crucifixerunt? Sequitur : *Et mittet angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus a summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Angelorum enim ministerio ex omnibus mundi partibus sancti Dei colligentur et resurgent, a summis cœlorum animabus descendentibus, et usque ad eorum terminos venientibus. Sed quoniam cœli sancti vocantur, possumus per summos cœlorum patriarchas et apostolos; per eorum vero terminos quoscunque alios fideles intelligere. Colligentur igitur cardinales electi Dei a summis cœlorum usque ad terminos eorum; quoniam et majores, et minores, et primi, et novissimi, omnes simul in unum convenient. Quod enim ait *cum tuba*, ipse exposuit **382** dicens, *et voce magna.* Magna enim vox erit, quæ mortuos suscitabit, et mundum universum replebit. *Ab arbore autem fici discite parabolam : Cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas; ita et vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.* Sicut enim ficus novis ramis et foliis orientibus æstatem proximam adesse annuntiat, ita et hæc omnia tam magna tamque inusitata Christi adventum manifestissime annuntiabunt. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Hoc enim de Scribarum et Pharisæorum generatione intelligitur, super quam omnem sanguinem justum venire superius dixerat. Non prius igitur illa generatio præteribit, non prius deficiet, nec tota a sua iniquitate cessabit, quam ista omnia compleantur. *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quod enim Veritas dicit, immutabile est et præterire non potest, alioquin veritas non esset. *Cœlum* igitur *et terra transibunt*, quia secundum hoc, quod sunt, in melius commutabuntur, sed verba veritatis a statu suo mutari non possunt.

(*In Marchesio adduntur aliqua ab hac homilia aliena, et in fine sensum imperfectum relinquit.*)

HOMILIA II.

EADEM DOMINICA.

ADMONITIO. — Cum iisdem verbis incipiat hujusce loci evangelici in comm. expositio, n. 47, iisdemque prosequatur usque ad illa verba : *Et quæ erit tristitia malis*, ne eadem repetamus quæ in editione nostra legi possunt, additamentum hic afferemus. Perperam attributa fuit hæc homilia Emiseno Eusebio in edit. Paris., et deinde in Lugdunensi Bibl. PP., tom. VI, apud Anissonios p. 1677, sub nomine Eusebii Gallicani iterum excusa.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XXI, 25). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium.* Et reliqua.

Quibusdam interrogantibus Dominum et Salvatorem nostrum, etc. Hinc est quod Daniel ait (*Dan.* VII) : « Aspiciebam in visione noctis, et ecce Filius hominis in nubibus cœli veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit. » Dixerat enim se vidisse quatuor bestias grandes, et inter se dissimiles, quarum « prima erat quasi leæna, et habebat alas ut aquila; quam cum aspiceret avulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra, et super pedes ejus quasi homo stetit, et cor hominis datum est ei. Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit, et tres ordines erant in ore ejus et in dentibus ejus : et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas. Post hæc aspiciebam, et ecce alia quasi pardus, et alas habebat quasi avis, quatuor super se, et quatuor capita erant in bestia, et potestas data est ei. Post hæc aspiciebam in visione noctis; et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos comedens, et comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans. » Habebat autem cornua decem, quæ cum Daniel aspiceret, « aliud cornu ortum est inter illa, a cujus facie tria de superioribus cornibus evulsa sunt. Erant autem in cornu oculi quasi hominis, et os loquens ingentia. Faciebat vero prælium contra sanctos, et prævalebat, et putabat quod posset mutare tempora et leges, et regnum sanctorum traditum est in manus ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis, donec Antiquus dierum sedit, et throni positi sunt. » Hæc autem viderat Daniel, quæ cum intelligere non posset, unum de astantibus rogavit ut ei exponeret quid ista significarent, dictumque est ei : « Quatuor bestiæ, quatuor regna consurgent de terra. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt illud usque in sæculum, et sæculum sæculorum. » Et de quarta quidem bestia plenius in sequentibus dicetur. De tribus vero, quoniam angelus nihil amplius exposuit, quod Dominus dederit, modo dicemus. Prima igitur bestia regnum Græcorum est, cujus initium Alexander Magnus fuit, quasi leo rugiens tam parvo tempore circumquaque terras occupavit, ut magis volasse quam pugnasse videatur. Unde non immerito leonis speciem et aquilæ alas habuisse describitur. Sed quoniam parvo tempore regnavit, ideo alas ei avulsas dicit. Stetit autem super pedes quasi homo, quia tandem se mortalem intellexit; et cor proprium recepit, ut magis de morte quam de honoribus cogitaret. Hoc autem regnum quantum Dei populum afflixerit, Machabæorum liber ostendit. Secunda vero bestia regnum Romanorum intelligitur, quod quidem non cum tanta fortitudine, ut Græcorum, cœpit; sed ad majorem potentiam pervenit, quoniam et leo urso fortior est. Tres autem ordines in ore et dentibus, senatum populumque, et ipsos imperatores vel consules significant. His enim tribus ordinibus regnum Romanorum omnes gentes devoravit et suo imperio subjugavit. Unde et hic ei

Digitized by Google

383 dicitur : « Surge, comede carnes plurimas. » Et hoc quidem usque ad tempora Constantini Dei populum affligere non cessavit. Per tertiam vero bestiam regnum hæreticorum intelligimus, a tempore videlicet Arii et Constantii hæretici et crudelissimi imperatoris. Majorem enim persecutionem tunc Dei populus passus est, quam illa jam superius dicta regna ei movissent. Major est enim in corpore et anima, quam in solo corpore persecutionem pati. Hæc autem bestia pardo similis, et quatuor alas habuisse describitur, quoniam hæreticorum prædicatio velociter, et parvo tempore totum mundum volando replevit. Quatuor enim sunt mundi partes, quæ per quatuor alas et quatuor capita figurantur. Quatuor enim capita habuit hæc bestia, quia in quatuor mundi partibus suos prædicatores hæretici habuerunt. Quanta autem potestas Arianis data fuerit Ariminense concilium manifestat. Nunc autem quid de quarta bestia angelus Danieli responderit, audiamus. « Bestia, inquit, regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, et devorabit universam terram, et conculcabit, et devorabit universam terram, et conculcabit, et comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt, et alius consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit, et sermones contra excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret, et putabit, quod possit mutare tempora, et leges, et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis. » Hoc autem quartum regnum, de quo nunc angelo exponente audivimus, circa finem sæculi exspectamus. Erit enim tunc, ut jam diximus, tribulatio talis, qualis non fuit ab initio sæculi, neque fiet. Unde et quarta bestia dissimilis cæteris, magisque terribilis, fortisque describitur. Per decem vero cornua, omnes hujus mundi reges intelligere possumus. Siquidem frequenter in divina pagina omnes per decem significantur. Illud vero cornu, in cujus ortu tria cornua avulsa sunt, quod habebat oculos, et os loquens ingentia, Antichristus est, aliis regibus fortior atque potentior. Qui postquam tres illos reges superabit, et illorum regna subjugabit, in tantam superbiam elevabitur, ut contra Altissimum loqui, et ore nefario Deum se dicere non timeat. Plenus namque spiritu Satanæ, virtutes multas atque miracula arte diabolica operabitur, et alios quidem signis, alios vero gladiis ad suam voluntatem convertet. Prælіabitur autem contra sanctos, quia venient tunc Henoch et Elias, quos, quia ratione superare non poterit, gladiis interimi faciet. Putabit enim quod possit mutare tempora et leges, quia Novum Testamentum ad veteris legis consuetudinem transferre conabitur. Regnabit autem per tempus, et tempora, et dimidium temporis, per quod tres annos et dimidium intelligimus : « Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et auferet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 8). » Et tunc quidem sicut modo in Evangelio audivimus, videbunt Filium hominis venientem in nubibus, cum potestate multa et majestate. Perveniet autem usque ad Antiquum dierum, quia Patri se æqualem, ejusdemque antiquitatis se ostendet. *His autem fere incipientibus*, etc.

(*Huc usque producta est homiliæ hujus additio. Pauca quæ remanent, in commentario videri poterunt*).

HOMILIA III.

DOMINICA II ADVENTUS.

ADMONITIO. — Commentarium in Matth. num. II, c. 2 consulant lectores, et quæ sub homiliæ titulo a Marchesio tom. II, pag. 3 recensentur, eadem ab illo sublata videbunt. Nec quidquam novi affert Emisenus, cui hæc homilia supposita est; sed in omnibus consentiens videtur. Exstat in cod. Laurentiano, sed in Dominica III Adventus collocata ; cum pro Dominica II præcedens homilia assignetur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM. (XI, 2). *In illo tempore, Joannes, cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Et reliqua.

Inc. : Joannes Baptista in vinculis et in carcere positus, cum audisset miracula, etc.

Des. : Hoc ad litteram intelligens, Joannem Eliam esse arbitratur.

384 HOMILIA IV.

DOMINICA III ADVENTUS.

ADMONITIO.—Eadem est expositio Evangelii in Joannem num. 3, c. 2, et homilia, quam Marchesius edidit tom. II, pag. 3, et Emisenæ collectionis auctor usurpavit, et in Dom. IV Adventus collocavit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (I, 19). *In illo tempore, miserunt Judæi sacerdotes et Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu quis es? Et confessus est, et non negavit, et confessus est, quia non sum ego Christus.* Et reliqua.

Inc. : Omnes enim existimabant Joannem esse Christum, etc.

Des. : Hæc facta sunt in Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

HOMILIA V.

FERIA IV QUATUOR TEMPORUM ADVENTUS.

ADMONITIO. — Nemo multum laboris impendere debebit ut hanc homiliam, quam edidit Marchesius t. II, pag. 4, assequatur. Legat commentarium in Lucam, num. 3, et eamdem nullo quidem immutato verbo obtinebit. Supposita fuit Eusebio, ut reliquæ. In cod. Laurentiano eodem sub die collocatam invenimus, et cum editione Marchesii comparavimus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (I, 36). *In illo tempore, missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph de domo David, et nomen virginis Maria.* Et reliqua.

Inc. : Missus est, inquit, Gabriel angelus, qui *Dei fortitudo* interpretatur.

Digitized by Google

Des. : Fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit angelus ab ea.

HOMILIA VI.

FERIA VI QUATUOR TEMPORUM ADVENTUS.

ADMONITIO. — Antequam in lucem emitteretur commentarius S. Brunonis in Evangelia, dubitatum fuit cui auctori homilia hæc esset ascribenda, utrum Emiseno, an Petro Damiani, vel Brunoni episcopo. Sed hujusmodi editio certum argumentum præbuit Brunonem ejus auctorem exstitisse. Conferantur Marchesius tom. II, pag. 6, et Emisenus cum editione nostra ejusdem comment. in Lucam num. 4, et ex eo fonte desumptam quilibet videbit. Clarissimus præsul Stephanus Borgia eam a quodam codice Casinensi sub titulo *in octava Visitationis* exscripsit, nobisque pro sua summa humanitate cum aliis ejusdem S. Brunonis scriptis communicavit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (I, 39). *In illo tempore, exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.* Et reliqua. Homilia lectionis ejusdem.

Inc. : Virgo Deo plena ad montana conscendit, superiora petit, etc.

Des. : In ejus discessu non parum doluit, qui in illius adventu tanto gaudio exsultavit.

HOMILIA VII.

DOMINICA IV ADVENTUS.

ADMONITIO. — Cum de prædicatione Joannis Baptistæ in deserto satis locutus videretur A. N. in expositione cap. III Evang. S. Matth., ut ipse testatur n. 13 comment. in Lucam, silentio præterit quidquid de ea idem evangelista initio cap. III tradidit. Ejus tamen exstat homilia a Marchesio pro Dominica IV Adventus edita, eademque sub nomine Eusebii Gallicani vulgata in tom. VI Bibl. Patrum edit. Lugd. an. 1677, pag. 1718, quam exscribere curavimus Lugdunensem editionem sub oculis habentes.

385 LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUC. (III, 1). *Anno XV imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam; tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto.* Et reliqua.

Quoniam quidem, ut Dominus ait, « omne regnum in se divisum desolabitur (*Luc.* XI, 17), » Judæorum regni desolationem et destructionem proximam jam tunc evangelista monstrabat, quando illud in tot partes divisum esse dicebat. Quo autem tempore Joannes prædicare cœperit, descriptis terræ principibus diligentissime ostendit. Prædicabat autem Joannes baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Hoc videlicet docens et prædicans, quia nisi per baptismum et pœnitentiam non possit fieri remissio peccatorum. Prædicabat quidem, sed non dabat : docebat medicinam, sed non sanabat. Non enim baptismi data fuerat forma ; nondum Dominus dixerat : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Marc.* XVI, 15). » Hæc est forma baptismi. Aliter baptismus non valet. Hanc autem formam sibi Dominus reservaverat; hanc per seipsum dare venerat; quia valde conveniens erat ut universalis medicina per universalem medicum daretur. *Venit* igitur *Joannes in omnem regionem Jordanis prædicans*, sed non tribuens *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Sic igitur faciebat Joannes, sicut Isaias de eo prædixerat. Clamabat, prædicabat viam Domini, baptismum et pœnitentiam docebat. Istæ enim sunt illæ viæ, per quas venitur ad Dominum, et per quas ad nos venit Dominus. Interrogatus autem Joannes quis esset, respondit : *Ego vox clamantis in deserto.* Vox enim erat Joannes, quia Verbum Christus. Sicut enim vox præcedit verbum, ita et Joannes Christum præcessit. Statim enim, ut ex ore loquentis sonus qualiscunque procedit, vox est, Verbum tamen nondum est, quia omne verbum significat aliquid ; merito vox dicitur Joannes, merito Christus Verbum vocatur. Hæc autem vox in deserto clamabat, quia impios et crudeles ad fidem vocabat, qui non homines pietate, sed feras et belluas crudelitate imitabantur. Desertum enim non est habitatio hominum, sed ferarum. Talis erat mundus iste, tales habitatores habebat. Unde Psalmista ait : « In terra deserta, et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam (*Psal.* LXII, 2). » In deserto itaque Joannes prædicabat. Sed quid dicebat? *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Tunc enim viam Domini paramus, ejusque semitas rectas facimus, si ea, quæ agimus non pro vana gloria, sed sincero affectu et casto amore faciamus. De illis enim, qui omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, dicebat Dominus : « Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 2). » Hoc autem ideo, quia ibant per viam pravam, et semitas tortuosas. Omnis enim vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. Sed quid per valles, nisi humiles, quid vero per colles nisi superbos intelligimus? Vallis igitur implebitur et exaltabitur, quia humilis S. Spiritus gratia plenus ad cœlestia sublimabitur. Mons vero et collis humiliabitur, quia superbus deprimetur, et in tenebras præcipitabitur. Unde et subditur : *Et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.* Tunc enim et prava dirigentur, et aspera planabuntur, quia nulla erit superbia, nulla potestas, nulla virtus, nulla altitudo, quæ sanctis resistere valeat. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Non enim in primo adventu Christum Dominum videbit omnis caro; in secundo autem omnis oculus eum videbit, sicut ipse ait : « Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua (*Isa.* XLV, 23). » De hoc autem salutari patriarcha Jacob spiritu Dei plenus, cum filios benediceret, ait : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro; salutare tuum exspectabo,

Digitized by Google

Domine (*Gen.* XLIX, 17). » Hoc autem tale fuit ac si diceret : Scio, Domine, quia filii mei, progenies mea sua pravitate decepta Antichristum exspectabit. Ego autem salutare tuum Jesum Christum Filium tuum exspectabo, Domine. De tribu namque Dan orietur Antichristus, quem Judæi exspectant, et Messiam vocant. Ipse autem erit coluber in via, et cerastes in semita, quia omnibus in via mandatorum Dei currentibus et ad patriam festinantibus insidiabitur, ut eorum itinera impedire valeat. Omnes enim in via sumus, omnes ad patriam redimus, quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Tanta est via, quanta est et vita. In hac ergo via multum nobis cavendum est, ne ille serpens nobis occurrat, suoque veneno nos inficiat. De quo scriptum est : « Trahet draco caudam, et separabit tertiam partem stellarum cœli (*Apoc.* XII, 4). » Cerastes autem *cornutus* interpretatur. Hæc enim bestia, et hic draco decem cornua habere describitur, per quæ omnes mundi hujus iniquos reges et principes intelligimus. Omnes enim in ejus exercitu connumerabuntur; quicunque ejus facta imitantur vel imitabuntur. Unde et per beatum **386** Job dicitur : « Quia post se omnem hominem trahet, et ante se innumerabiles (*Job* XXI, 33). » Quibus verbis manifeste ostenditur, quia multi in ejus exercitu computabuntur, qui eum corporaliter non viderunt; siquidem et eos trahet, qui fuerunt ante se, et eos, qui erunt post se. Sequitur : « Mordens ungulam equi, ut cadat ascensor ejus retro (*Gen.* XLIX, 17). » Sed quid per equum, nisi hunc mundum intelligimus? Quid vero per ascensorem, nisi reges omnesque potentes qui ei præsident suisque moderaminis frenis eum regunt, et ad suam voluntatem convertunt? Ungula vero equi, ultima pars mundi intelligitur, quoniam ultima pars corporis ungula est. Hunc igitur equum jam fugientem et pene cursum finientem, ut ita dixerim, pedem trahentem et solam ungulam, id est extremam sui partem ostendentem, mordebit cerastes, id est Antichristus, et sic sui veneni corruptione inficiet, ut et ipse pereat, et ejus ascensores retrorsum cadentes intereant. Tanta erit ejus deceptio, tam fraudulenta et venenosa persuasio, ut in errores inducantur, si fieri possit, etiam electi. Hanc autem bestiam exspectant Judæi, hanc pestem exspectant Scribæ et Pharisæi; neque attendunt Jacob patrem prophetantem, neque intelligunt eum benedicentem atque dicentem : « Salutare tuum exspectabo, Domine (*ibid.*). »

HOMILIA VIII.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

ADMONITIO. — Omni procul dubio censendus est homiliæ hujus auctor S. Bruno ex quo ejus commentarius in Matthæum num. 2, c. 1, ipsis verbis a principio ad finem eam exhibet. Non egemus alio argumento, ut editores Eusebii Emiseni et Gallicani de usurpatione revincamus. Marchesius tom. II, pag. 8, publicavit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (I, 18). *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Et reliq.

Inc. : Primum autem quærendum est cur beata Maria desponsata fuerit?

Des. : Manifestum est igitur, quia Jesus *Salvator noster* interpretatur.

HOMILIA IX.

IN NATIVITATE DOMINI.

ADMONITIO. — Qui persæpe laudati commentarii lectionem præmiserint, e vestigio homiliæ agnoscent auctorem. Legitur revera tota num. 6, in Lucam. Neque de suppositione damnare hæsitabunt, qui Emisenum aut alium ab ipsis excogitatum auctorem dixerunt. Exstat in Marchesio tom. II, pag. 9, quemadmodum sequens homilia quæ in secunda ejusdem celebritatis missa legitur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (II, 1). *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino.* Et reliqua.

Inc. : Quod enim universus mundus describitur, et sub unius potestatis tributum redigitur, etc.

Des. : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

HOMILIA X.

IN EADEM SOLEMNITATE ET IN MISSA II.

ADMONITIO. — Diximus supra in Marchesio hanc homiliam immediate sequi præcedentem. Idem est in commentario ubi loci evangelici expositio alteri succedit, eamque auctor num. 7, adornavit pag. 158. Æque hic aliorum scriptorum suppositio proscinditur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (II, 15). *Pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Et reliqua.

Inc. : Pastores, inquit, loquebantur ad invicem, et de iis quæ audierant et viderant, etc.

Des. : Ejus fidem prædicantes, et eum ubique laudantes, et glorificantes.

387 HOMILIA XI.

IN EADEM SOLEMNITATE ET IN MISSA III.

ADMONITIO. — Si Eusebii Emiseni editores animadvertissent ad doctrinam de divinitate Verbi, cujus omnimoda æqualitas, et consubstantialitas cum Patre plenissime ab auctore homiliæ asseritur, Arianorum impugnatorem, non fautorem Emisenum, ut plurimi censuerunt, suspexissent. Ariani enim, qui Verbum Filium Dei minorem Patre affirmabant, æternam ejus generationem, ejusdemque naturæ substantiam, cæteraque divinitatis attributa inficiabantur. Dogma autem catholicum est Dei Filium Jesum Christum verum Deum verumque hominem esse, minorem quidem Patre secundum carnem, sed æqualem, similemque Patri per omnia quoad divinitatem. In humanitate formam servi sustinuit; in persona divina in qua utramque naturam Christus copulavit, omnia potuit et egit ut Deus. Præmittit aliqua S. Bruno in commentationem evangelistæ Joannis, quæ hic subjiciuntur, deinde adnectit interpretationem evangelici textus a primo numero comment. usque ad secundum.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (I, 1). *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Et reliqua.

Digitized by Google

Narrant alii evangelistæ Dominum et Salvatorem nostrum ab angelo nuntiatum, de virgine natum, pastoribus revelatum, per stellam declaratum, a Magis adoratum, ad templum delatum, et Simeoni præsentatum. Narrant præterea, qualiter de Judæa cum parentibus fugerit, qualiter de Ægypto in Judæam redierit, qualiter creverit, et virtute et sapientia profecerit. Hæc tamen, et his similia dum evangelistæ scribebant verum hominem esse, et veram carnem eum suscepisse affirmabant. Joannes autem evangelista altius ascendens, et usque ad divinitatem se extendens, ascendit super cherubim, et volavit, volavit super pennas ventorum; penetravit cœlos, transcendit archangelos, et pervenit usque ad thronum Dei; ibique vidit Verbum Dei, ibi vidit Dominum Jesum Christum in sinu Patris, et tunc intellexit, quod scriptum erat : « Eructavit cor meum verbum bonum (*Psal.* XLIV, 1). » Intellexit utique, et dixit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Jesus Christus Dominus noster, etc. (*Reliqua, ut diximus, habentur in commentario.*)

Des. : Deducet te mirabiliter dextera tua.

HOMILIA XII.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

ADMONITIO. — Cum sequens homilia, exceptis paucis hinc inde ex commentario in hunc locum Matthæi desumptis num. 98 diversam exhibeat expositionem, ideo qualis edita fuit a Marchesio tom. II, pag. 11, iterum eam in lucem proferimus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXIII, 34). *In illo tempore, dixit Jesus turbis Judæorum, et principibus sacerdotum : Ecce mitto ad vos prophetas, et sapientes, et Scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris.* Et reliqua.

Superius in hoc evangelio Scribis et Pharisæis Dominus et Salvator noster loquitur, dicens : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Ita testimonium estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt.* Væ, inquit, vobis, non quia ædificatis, et ornatis monumenta prophetarum; hoc enim opus pietatis est, sed quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt. Filii quidem non tantum natura, quantum imitatione et iniquitate. Sicut enim boni dicuntur filii Abrahæ, quia imitantur Abraham, ita omnes iniqui iniquorum filii dicuntur, quia imitantur iniquos. Unde et Dominus his talibus ait : « Si filii Abrahæ essetis, opera utique Abrahæ faceretis (*Joan.* VIII, 39). » Væ igitur illis, qui non Abrahæ, non prophetarum, non justorum filii sunt, quia non eos imitantur; imo vero filii eorum sunt, qui prophetas occiderunt, in omni malitia et iniquitate eos imitantes. Dicunt præterea, *si fuissent* in diebus patrum suorum, non fuissent socii eorum in sanguine prophetarum; cum valde illis nequiores, non solum prophetas occiderunt, verum **388** etiam ipsum Dominum prophetarum. Unde et subditur : *Et vos igitur implete mensuram patrum vestrorum*, currite, festinate, ut usque ad eorum iniquitatis integram, perfectamque mensuram perveniatis. Turpe est enim ut alii a patribus vestris, et minores ab illis in nequitia inveniamini. Hoc autem ideo dicit, quia in suam suorumque discipulorum necem, jam nimium eos per invidiam accensos esse videbat. Hic autem locutionis modus a grammaticis ironia vocatur. *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Serpentes enim sunt, quia callidi et venenosi; genimina vero viperarum, quia cunctis iniquis iniquiores, cum nec uxor viro, nec filii parentibus parcant. Qui utique gehennæ judicium aliter fugere non poterunt, nisi matrem suam occiderint, sicut ipsa quoque eorum patrem interficit. Viperarum enim hæc natura dicitur esse, ut quando femina concipit masculum interficiat; quando vero parit, ipsa nihilominus a filiis occidatur. Neque enim exspectant, ut assueto naturæ ordine oriantur, sed, rupto matris utero, violenter foras erumpunt. Viperæ igitur Synagoga, vir ejus Christus : venit Christus ad Synagogam, totamque evangelicæ prædicationis sementem in eam infudit. Illa sicut vipera, sicut venenosa et impia, contra eum assurgens, eum interfecit; de cujus impio utero filii ejus erumpentes eam occidunt, quoniam Judæi ad fidem venientes eam excommunicant et damnant. Unde Apostolus ait : « Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit me per gratiam suam (*Galat.* I, 15), » etc. Omnes enim hæreses damnant, quicunque ab hæresibus ad Ecclesiam redeunt; ideo : *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et Scribas;* ideo inquit, *ut et vos impleatis mensuram patrum vestrorum : ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et Scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris.* Talis erat beatus Stephanus, de quo modo, cum legeretur audivimus; *quia plenus gratia, et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga disputantes cum eo, et non poterant resistere sapientiæ, et spiritui, qui loquebatur.* Unde Dominus ait : « Ego dabo vobis os, et sapientiam cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 15). » Sic igitur pugnabant sancti; sic eos Dominus pugnare docuit, non armis pugnabant, sed voce. Sic ante pugnaverat Gedeon, cujus prælium omnia hæc sanctorum prælia significavit. Gedeon namque contra Madianitas pugnaturus, his qui secum erant, tubas et lampadas parare jussit (*Judic.* VII, 16). Præcepit autem, ut intra lagunculas lampadas occultarent, et sic ad prælium profectus est. Nocte vero inimicorum castra ingressi, lagunculis fractis tenentes tubas dextris, lampadas vero sinistris tubarum clangore et lampadarum splendore omnia circumquaque repleverunt : quibus hostes perterriti fugere incipiunt, et quasi insani propriis gladiis ma-

Digitized by Google

gna ex parte se vicissim interficiunt. Talibus igitur armis vicit Gedeon, talibus et sancti martyres vincebant. Quid enim per tubas, nisi prædicatorum voces intelligimus? Quid vero per lampadas, nisi miraculorum splendor figuratur? Lagunculæ vero vasa fictilia sunt de terra formatæ, de quibus Apostolus ait : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor* IV, 7); » quoniam ante Dominus dixerat : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X, 28). » Neque laguncularum fractionem, neque corporis passionem SS. martyres metuentes, ad omnia tormentorum genera parati erant. Vide igitur quam bene sibi conveniant prælium protomartyris Stephani, et prælium Gedeonis. Si enim per tubas prædicatorum voces significantur, tunc nimirum beatus Stephanus tuba sonabat, quando incredulos Judæos arguebat. Quando vero prodigia et signa magna faciebat, tunc utique lampadas manu tenebat. Major est enim splendor miraculorum quam splendor ignis, et multo longius refulget miraculorum fama quam lampadarum flamma. Tunc autem Judæi sævientes, et ad lapides currentes, protomartyris lagunculam fregerunt, quia eum lapidaverunt et lapidibus occiderunt. Vicit tamen beatus Stephanus, quoniam coronatus cœlos ascendit. Judæi autem victi sunt, quoniam post paucos annos, destructa civitate, in captivitatem deducti sunt. Sequitur : *Et persequimini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram.* Apostoli enim, martyres, doctores, prophetæ, sapientes et Scribæ fuerunt, quos ad Judæos omnesque mundi nationes prædicandas Dominus misit. Hos autem Judæi occiderunt, crucifixerunt, flagellaverunt et de civitate in civitatem persecuti sunt. Nemo enim Christianorum usquam occisus est, qui eorum vel manibus, vel affectu non sit occisus; unde et omnium rei esse dicuntur, omniumque justorum sanguis super eos venire Dominus ipse testatur. Hoc autem a quo, et usquequo exponit, dicens : *A sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.* Cum enim alibi scriptum sit : « Quod filius non portabit iniquitatem patris, sed unusquisque in peccato suo morietur (*Ezech.* XVIII, 20); » quid est, quod modo hic dicitur, quod omnis sanguis justus veniet super generationem istam? **389** His enim verbis Salvator noster dicere videtur, quod hæc impia generatio tantam pœnam pro suo scelere patiatur, quantam pateretur, si omnium nostrorum sanguinem fudisset, qui ab Abel fusus est usque ad Zachariam. Et hoc merito. Majus enim fuit Christum occidere ejusque corpus, quod est Ecclesia, iniquo odio persequi, quam si omnium justorum præcedentium sanguinem fudissent. Zacharia autem Barachiæ filius nusquam legitur fuisse occisus. At vero Zacharias filius Joiadæ in atrio templi legitur interfectus. Inter templum scilicet et altare, quod sub die erat, ubi hostiarum sanguis fundebatur. Sed quare dixit usque ad Zachariam, A et non potius usque ad seipsum, vel usque ad sæculi consummationem? Multum enim justorum sanguinem fuderunt Judæi, non solum usque ad Zachariam, verum etiam post Zachariam. Hæc igitur, quia historiæ non conveniunt, spiritualis intelligentia quærenda est. Puto enim quod Dominus noster seipsum Zachariam vocat, et præterito pro futuro utitur. Interpretatur enim Zacharias *memoria Domini*. Sicut enim Christus Jesus dicitur verbum Domini, sermo Domini, virtus et sapientia Domini, sic etiam dicitur memoria Domini. Et iste quidem est Barachiæ filius, qui *benedictus Domini* interpretatur. Unde et principi se interroganti, an esset Christus filius benedicti? Respondit : *Ego sum*. Hunc autem occiderunt Judæi inter templum et altare, quoniam B ibi Christi mortem inter se consiliati sunt. Neque enim aliter Christum Dominum Judæi occiderunt, nisi consiliando, accusando et damnando. Unde ipsi quoque dicebant : « Nobis non licet occidere quemquam (*Joan.* XVIII, 31). » Quod vero in atrio templi de ejus morte consilium habitum sit, ipse per Psalmistam ostendit, dicens : « Adversum me exercebantur, qui sedebant in porta, et in me psallebant, qui bibebant vinum (*Psal.* LXXVIII, 13). » Sic igitur Zacharias filius Barachiæ inter templum et altare occisus est : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.* Ego, inquit, volui C filios tuos multoties congregare et a malitia revocare, sicut gallina pullos suos congregat et sub alas suas eos abscondit, ne ab importunis avibus et rapacibus rapiantur; sed noluisti. Ego igitur volui, sed ea conditione si tu quoque voluisses. Quia ergo tu congregari et salvari noluisti, ego quoque jam nunc congregare et salvare nolo. Unde et dico : « Dispergo illos in virtute tua, et destrue eos, protector meus, Domine (*Psal.* LVIII, 12). » Dominus enim, qui potest quæcunque vult, nullum alium salvare vult, nisi eum qui vult ab eo salvari. Unde etiam per prophetam ait : « Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis; quod si nolueritis, gladius devorabit vos (*Isa.* I, 20). » Sic enim manifestum est quod Dominus non vult mortem peccatoris, sed ut con- D vertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII, 11), sicuti etiam manifestum est, quia « neminem vult perire, sed omnes vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II, 4); » sic tamen si crediderint et baptizati fuerint, si de peccatis pœnitentiam egerint et ejus fecerint voluntatem. Ita etiam manifestum est quod eos, qui neque credere, neque baptizari, neque pœnitentiam agere volunt, qui de bonitate Dei desperant, et gloriam, quæ sanctis promittitur, non curant, si in hac prava voluntate usque in finem perseverant, manifestum, inquam, est, quia hos tales Deus salvare non vult. Quis enim dicere audeat quod eos salvare velit, qui salvari non possunt? Quia enim credere nolunt; ideo ad illam beatitudinem pervenire nequeunt. Impossibile est enim sine fide, vel

Digitized by Google

alvari vel placere Deo ; quare dixit Judæis Domi- A
ius : « Quo ego vado, vos non potestis venire (*Joan.* III, 21) ; » quia ipsi nullam fidem in eum habebant. Præterea Judæi credere non poterant, quia sic de eis Isaias prædixerat : « Excæca cor populi hujus, ne forte convertantur, et sanentur (*Isa.* VI, 10). » Sed quare credere non poterant, nisi quia credere noleant ? Fides igitur in voluntate est. Si enim voluissent et non potuissent, peccatum non habuissent. De his autem breviter in commentario diximus, de quo ipsa sumpta sunt ; quæ si quis non intelligit, hæc legat ut intelligat. Sequitur : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Sic et in psalmis : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV, 8). » Relictis enim Judæis, in gentibus Dominus habitat : « Dico enim vobis, non me videbitis amodo B
donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini (*Luc.* XIII, 35). » Postquam, inquit, hic corporali præsentia, qua vobiscum ad tempus conversatus sum, vos relinquam, non me videbitis amodo, donec me iterum ad judicium venientem melius cognoscatis, simulque una et consona voce omnes dicatis : « Benedictus qui venit in nomine Domini. » Hoc est enim, quod alibi ait : « Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua (*Isa.* XLV, 23). » *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Qui cum Deo Patre, etc.

390 HOMILIA XIII.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

ADMONITIO. — Concordes sunt codices Casinensis, C
Mediceo Laurentianus, et Vallicellanus in asserenda S. Brunoni episcopo hac homilia, quam Marchesius edidit tom. II, pag. 13. Eam etiam continet comment. in h. l. Joannis sub num. 55 et 56, sed cum aliqua in priori parte lectionis Marchesii addita videantur, hic referre statuimus, usque ad illa quæ ex comment. comparati possunt.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XXI, 19). *In illo tempore, dixit Jesus Petro : Sequere me.* Et reliqua.

Legitur superius in hoc evangelio, quod discipulos suos ad prandium Dominus invitaverat. Et bene quidem ad prandium, quia dies paschales erant, dies de quibus ipse dixerat : « Non possunt jejunare filii sponsi, quandiu cum illis est sponsus (*Matth.* IX, 15). » Talibus enim diebus non semel, sed tota die, D
si fieri posset Christi conviviis interesse, et spiritualibus cibis refici debuissent Christi fideles. Cum autem prandissent, interrogavit Dominus Petrum, et ter interrogavit an eum diligeret. Quo interrogante, et ter similiter respondente : *Domine, tu scis, quia amo te.* Ait : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Prius agnos, deinde oves ei commisit, quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres, regit et subditos et prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est, nihil inquam, quod suis pastoribus Christus commiserit. Ecce Petrus, qui ter negaverat, ter Dominum se amare respondit ; quatenus amor deleat culpam et dilectio tollat offensam. *Et dicit ei Jesus : Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas ; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.* Quod quid significet evangelista exponens, ait : *Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* In crucis namque patibulo positus beatus Petrus, ibique manus extendens, cum jam quidem senuisset et ad vitæ finem pervenisset, ab aliis cinctus et ligatus est, et merito postquam ter Dominum se amasse respondit, mortem suam ei Dominus nuntiavit ; in qua quantum eum dilexerit, apertissime demonstravit. Et cum hoc dixisset : *Dicit ei : Sequere me.* Quod Petro dicitur, omnibus dicitur. Quia enim Petrus præ cæteris major erat, merito tota Ecclesia in Petro significabatur. Omnes igitur fideles sibi dictum esse intelligant, id quod soli Petro dictum est : *Sequere me,* Si me, inquit, diligis, sequere me, veni post me, etc.

(*Cætera quæ de hac homilia sequuntur, in commentario super hunc Joannis locum legi possunt.*)

HOMILIA XIV.

IN NATIVITATE INNOCENTUM.

ADMONITIO. — Pluriam additionum interjectio, quibus, ut habemus in Marchesio tom. II, pag. 14, aucta est loci evangelici expositio sub num. 4, pag. 11, nos compulit eam integram lectoribus tradere. An ita sit, quilibet homiliam et commentarium comparans certior fieri poterit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (II, 13). *In illo tempore angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi.* Et reliqua.

Venerant illis diebus magi ad Dominum, et sicut evangelista refert, munera ei obtulerunt, et admoniti ab angelo in somnis ne redirent ad Herodem per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Qui cum recessissent : *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.* Dubitari quidem potest, quomodo completis diebus purificationis in Jerusalem Christus in templo offerri potuit, si statim, ut magi recesserunt in Ægyptum fugiens abiit, aut fortasse tandiu magi in Ægypto morati sunt, donec simul cum puero et matre ejus Joseph de Jerusalem post purificationem reverteretur? Sed melius mihi videtur esse, ut sic dicatur : Qui cum recessissent, aliquo post tempore evoluto, et omnibus, quæ secundum **391** legem debebantur expletis. *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.* Adhuc enim omnia quieta erant : adhuc Herodes magos exspectans nondum sui cordis malitiam revelabat. Unde et secure vadunt in Jerusalem, ut legis mandata perficiant. Inde vero in Ægyptum fugere jubentur, ubi Abraham, et Jacob, et filii Israel peregrinati sunt. Hoc enim propheta prædixerat, dicens : « Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et corruent omnia

Digitized by Google

simulacra ejus (*Isa.* XXIX, 1). » Nubes enim levis, et nullius corruptionis pondere gravis est virgo Maria, quæ in Ægyptum Christum portavit; ut lux in tenebris luceret, et populus qui in tenebris sedebat lucem videret. Sunt etiam qui ad litteram intelligere velint, ut Christo Domino Ægyptum ingresso, mox omnia simulacra corruissent. Hanc autem Christi persecutionem Moyses in seipso significaverat. Multa enim sunt, in quibus Moyses Christum significat; sicut enim Moyses a Pharaone, ita et Christus ab Herode persecutionem passus est; et sicut infantes propter Christum in Judæa occisi sunt, ita et in Ægypto propter Moysem in flumine necati sunt. Narrat enim Josephus quemdam sacerdotem et magum Ægyptiorum prophetasse, quia de Hebræorum gente talis homo nasciturus esset, qui totam illam terram perdere debuisset; unde et Pharaoni consilium dedit ut omnes Hebræorum infantes interficerentur. Præcipit igitur Pharao ut Hebræorum masculos interficerent et feminas reservarent. Hoc autem ideo faciebat ut ille unus, qui quærebatur vel sic inter alios occidi potuisset. Eadem autem intentio fuit et Herodis, qui quoniam Christum invenire non poterat, tot millia puerorum interfici jussit. Illis autem diebus natus est Moyses, de quo longa historia scribitur, quomodo a parentibus occultatus, quomodo in fluvium missus, quomodo a filia Pharaonis de aqua susceptus, et in filium adoptatus fuerit, quomodo etiam ipsa puella de manibus illius impii sacerdotis, qui eum occidere conatus fuerat, eum liberaverit; quando, ut prædictus historiographus narrat, de capite Pharaonis ludens in infantia coronam ejecit. Hæc autem Moyses ideo fortasse prætermisit, ne suum præconium scribere videretur. Verumtamen postea in Pharaone et in exercitu ejus completum vidit; quod tunc infans, et inscius agebat, significabatur. Sequitur : *Qui consurgens accepit puerum, et matrem ejus nocte, et recessit in Ægyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis.* Ecce fugit Christus, et in nocte fugit, ut fuga, quæ per se difficilis est, noctis obscuritate difficilior fiat. Si ergo Christus fugit Herodem, quanto magis nos diabolum et membra ejus fugere oportet? Nulla itineris difficultate terreamur, quia melius est duro labore fatigari, quam ab hostibus necari : « Arcta enim et angusta via est, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII, 14). » Verumtamen nec semper est fugiendum, nec semper est resistendum; sed pro temporis qualitate, et hoc, et illud fieri oportet. Nam et sancti aliquando fugiebant, aliquando hostibus sponte occurrebant. Ipse quoque Salvator noster, qui nos de civitate in civitatem fugere præcepit, cum et ipse si vellet, fugere potuisset, sponte sua tempore passionis hostibus occurrit. Non igitur timore mortis, si justam et utilem fore putamus, sed timore peccandi et visibiles, et invisibiles hostes fugere debemus. Quare autem Christus in Ægyptum fugerit, evangelista subinferens ait : *Ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum.* Si enim in Ægyptum non isset, ex Ægypto vocari non potuisset. Sic igitur impleta est prophetia, et utilitas prophetiæ. *Tunc Herodes videns quod illusus esset a magis, iratus est valde, et mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis.* Quoniam enim Herodes prophetarum oraculo in Bethlehem nasciturum Christum audierat, ideo omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus occidit, ut quia suum invenire non poterat, unum simul cum cæteris interficeret. Sed quare a bimatu et infra? Quia secundum magorum responsionem, Christum hujus ætatis esse sciebat. Præoccupatus enim aliis negotiis, cum jam pene duo anni transiissent, et magi ad eum non reverterentur, se illusum esse intelligens, valde iratus omnes hos pueros occidere jussit (1648). *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.* Rama enim interpretatur *excelsa.* Illa igitur vox auditur in Rama, quæ multum exaltata præ sua magnitudine longe lateque diffunditur. **392** Multus enim ploratus, multusque ululatus ibi erat, ubi tot matres, tot parentes, tot homines utriusque sexus, visa tanta crudelitate, etiamsi vellent, voces cohibere non poterant. Quare autem Rachel filios suos plorare dicitur, cum utique non filii Rachel, quantum ad litteram, sed filii Liæ sororis ejus omnes isti fuerunt? Judas enim non Rachel, sed Liæ filius fuit, in cujus tribu hæc cædes tam immensa facta est. Sed quia Rachel interpretatur *ovis*, et significat sanctam Ecclesiam, quæ ovinam simplicitatem imitatur, non immerito filii Rachel esse dicuntur, qui quasi agni innocentes, et sine voce jugulantur. Denique cujus filii sunt agni? Nonne ovis? Sunt igitur filii Rachel; siquidem illa est ovis, et isti sunt agni. Plorat autem Rachel, id est S. Ecclesia usque hodie filios suos, quia quamvis ad requiem eos ire intelligat, dolet tamen, quia corporaliter ab ea separantur. Sic autem dolebant et illi, quibus Dominus ait : « Et vos nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum (*Joan.* XVI, 22). » Et quamvis multo melius, quam fuerint, sint (siquidem jam nunc cum Deo sunt), ad tempus tamen consolationem non recipit, quoniam in hac vita non sunt. Supplendæ sunt enim Scripturæ, ubi ad intelligentiam aliquid deest. Quis enim intelligat : *Noluit consolari, quia*

(1648) Videtur S. Bruno veterum quorumdam Patrum, Origenis nempe, Eusebii Cæsariensis et Epiphanii secutus opinionem de cæde puerorum ab Herode nonnisi post biennium a Christi ortu imperata; sed longe plures sunt scriptores docentes, juxta verisimiliorem Evangelii Matthæi sensum, edictum illud paulo post Natalem Domini ab immanissimo rege promulgatum fuisse. Vid. Natal. Alex. tom. III Hist. eccl., dissert. 2.

Digitized by Google

non sunt, nisi aliquid addatur? Tale quid et ibi invenies, ubi de Domino dicitur, quod « videns civitatem flevit super illam, dicens, quia si cognovisses et tu (*Luc.* XIX, 41). » Quis enim intelligere valeat, quid significet « et tu, » nisi aliquid additum fuerit? Potest autem et sic intelligi quod dicitur : *Rachel plorans filios suos noluit consolari, quia non sunt.* Sancta namque mater Ecclesia quamvis multum de filiorum suorum nece, durisque cruciatibus lugeat, tamen consolationem non recipit, quia non sunt in tali eventu dandæ, vel suscipiendæ consolationes : ubi enim lætitia vincit lacrymas, et gloria passionem ibi consolatio necessaria non est : magis enim lætandum est de illa vita quam sancti meruerunt, quam de ista sit dolendum quam amiserunt. Quid est enim hæc vita ad comparationem illius vitæ? Et Dominus ait : « Qui amat animam suam, perdet eam, et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam (*Matth.* X, 38). » Denique cur aliunde quærat consolationes ille, qui plenus est consolationibus? Illis enim consolatio est necessaria, qui illos ingent, de quibus bonam spem habere non possunt. De martyribus Christi nos bonam spem habentes confidimus perfectam ex illis consolationem habituros, per gratiam ejusdem Jesu Christi, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

ADMONITIO.—Nulla est discrepantia inter Marchesium, hujus homiliæ editorem, et codices Laurentianum et Signinum; eodem enim modo incipit eodemque desinit. Nos hic non totam homiliam transcribimus, ex Marchesio tom. II, pag. 15, cum pars major in comment. Evangelii Luc. sub num. 8 legi possit, sed additamentum lectoribus tradimus, quod incipit post illa verba *ulterius inutiliter vulnerarent.*

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XI, 21). *In illo tempore, postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.* Et reliqua.

Hæc est igitur sancta circumcisio, de qua ad Josue Dominus ait : « Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel (*Josue* V, 2). » Et paulo post : Hæc est igitur causa secundæ circumcisionis, quia populus qui per quadraginta annos in deserto natus fuerat, circumcisus non erat. Quare ergo secunda circumcisio dicitur, vel quare secundo circumciduntur qui prius circumcisi non erant? Secundus enim ad primum refertur, neque sine primo secundus dici potest. Sit igitur prima circumcisio carnalis, secunda spiritualis. Prima Judæorum, secunda Christianorum. Prima eorum, qui Jordanem transierunt; secunda eorum, qui Jordanem non transierunt. Populus enim iste, qui in deserto natus fuerat, de quo modo dicitur, ut secundo circumcidatur, tunc prius circumcisus est, postquam Jordanem transivit; quoniam non illam circumcisionem significabat, quæ fit ante baptismum, sed illam quæ fit post baptismum. Jordanis enim baptismum significat, in quo Dominus baptizatus est, qui veri baptismi principium et formam dedit. Et illa igitur circumcisio quæ fit ante baptismum, et illa quæ fit post baptismum, pœnitentiam significat. Solebant enim sancti his qui baptizandi erant pœnitentiam imponere; et illa quidem erat prima circumcisio. **393** Quid est enim circumcisio, nisi vitiorum et peccatorum abscissio? Postquam vero baptizati sunt, id est priusquam Jordanem transierunt (baptizari enim hoc est transire), tunc secunda circumcisio sequitur. Sed quare secunda? Toties enim circumciditur homo, quoties post peccatum ad pœnitentiam redit. Qui si nunquam peccaret, nunquam post baptismum, vel circumcisione, vel pœnitentia indigeret. Quoniam autem nisi per Christum peccata tolluntur, ipse enim est *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi;* ideo cultris lapideis circumcisio fieri jubetur; quoniam sicut Apostolus ait : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* XV, 4) : » — « Beatus enim, qui tenebit, et allidet parvulos suos usque ad petram (*Psal.* CXXXVI, 9). » Sed quare completis octo diebus circumcisus est Dominus? Quare etiam octava die fiebat circumcisio? Octava namque dies ipsa est quæ prima. Ipsa est autem quæ Dominica vocatur. Ipsa die mundus cœpit, ipsa Christus a mortuis resurrexit, ipsa Spiritum sanctum apostolis dedit, et ipsa ultima et universalis resurrectio fiet. Et tunc quidem perfecte circumcidetur omnis homo, quia tunc omnibus vitiis abscissis mundus et purus a peccato, qualis initio creatus est, talis ad vitam ducetur æternam. Sequitur, *et vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.* Jesus enim *Salvator* interpretatur. De hoc enim salutari Jacob patriarcha dicebat : « Salutare tuum exspectabo, Domine (*Gen.* XLIX, 18); » ideo et Joseph, qui Christum significabat Salvator Ægypti a Pharaone vocatus est. Multa sunt enim, in quibus Joseph Christum significabat. Fuit enim et ipse ovium pastor; inde consilio venditus a fratribus adoratur; ipse inter principes loquebatur sapientiam, ipse totam Ægyptum a fame liberavit et sua sapientia salvavit, etc.

HOMILIA XVI.

IN DIE EPIPHANIÆ DOMINI.

ADMONITIO. — Tam in editionibus quam in codicibus mss., hæc, quæ homilia nuncupatur, expositio est ejusdem S. Brunonis in hoc evangelium, factaque cum ea collatione, ne unum quidem verbum omissum est, aut immutatum; quare hic rursum exhibere supervacaneum ducimus, cum lectores in comment. Matth. num. 3, comparare possunt. Ex adventu magorum ad præsepe Domini probaverat ante S. Maximus Taurinen. vocationem gentium ad fidem Christi. Vid. hom. 3, de Epiph., pag. 54, etc.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (II, 1). *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt,* etc. Et reliqua.

Digitized by Google

Inc. : Non enim vacat a mysterio, quod B. Virgo Maria.

Des. : Hæc via in patriam reducit.

HOMILIA XVII.

DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

ADMONITIO. — Quod supra diximus de præcedenti homilia, quæ tota legitur in commentario Evangelii, idem de hac repeti potest; cum paucis additis in principio eadem lectio habeatur. Vid. comment. in Lucam c. II; codices Signinus et Laurent. plenissime concordant.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (III, 41). *Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi*, etc.

Inc. : Religiosi parentes per singulos annos ibant in Jerusalem, etc.

Des. : Sed secundum humanitatem, qua nobis similis factus est.

394 HOMILIA XVIII.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

ADMONITIO. — Quid hac de homilia observandum sit, infra adnotabimus. Interim compertum habeatur, quod de ea testimonium præbent codices Casinensis, Laurentianus et Signinus; quare non videtur, quo titulo editor Eusebii Emiseni usurpaverit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XI, 1). *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater Jesu ibi*, etc.

Inc. : Has nuptias die tertia evangelista factas fuisse narrat. Quod qualiter ad litteram intelligendum sit, in illo commentario exposuimus, de quo ista sumpta sunt. Qualiter autem spiritualiter intelligi debeat, audiamus. Prima namque dies secundum legem, secunda sub lege, tertia sub gratia. Hac autem die tertia, hoc tertio incarnationis tempore, etc.

(*His pro homiliæ exordio præmissis, totam adnectit S. Bruno Evangelii expositionem, quæ sub num.* 5, *pag.* 216, *continetur, et pauca tantum addit pro explanatione quartæ hydriæ.*)

Des. : Christi gloria manifestatur, et credentium fides augetur.

HOMILIA XIX.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

ADMONITIO. — Ne jam vulgatis rebus editio augeatur hæc nostra, dicimus in commentario super Evang. secundum Matthæum, pag. 41, totam hanc homiliam habere posse lectores. Supposita jam fuerat Emiseno contra fidem codicum supra memoratorum. Eam edidit Marchesius tom. II, pag. 19; sed penitus rejicimus quoddam fragmentum ab homilia alienum ab aliquo imperito librario additum.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (VIII, 1). *Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ*. Et reliqua.

Inc. : Cum, inquit, descendisset Jesus de monte, ubi octo beatitudines, etc.

Des. : Duos passeres offerat, et corpus, et animam Deo reddat.

HOMILIA XX.

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

ADMONITIO. — Nonnisi additionem hic exscribimus quam præbet Marchesius tom. II, pag. 21 in fine homiliæ, cum superior pars tota sit in comment. in Matth. num. 27, c. 2. Incipit ergo additio post illa verba : *Cujus vocem audivit, et timuit.*

Inc. : Quid enim navicula, nisi Ecclesia? Quid mare, nisi mundus?

Add. : Sed quare dicitis, homines : *Qualis est hic?* Similem ei quæritis, qui similem non habet. Veruntamen vultis scire qualis est? Scio quia vultis; audite ergo : *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.* Ecce talis est, nullus alius talis. Sed quid mirum si venti ei obediunt, qui eos fecit, qui eos creavit; « qui producit ventos de thesauris suis (*Psal.* CXXXIV, 7). » Quod quidem qualiter fiat, nulli hominum ad plenum revelatum puto. Quatuor sunt mundi partes, et venti, qui inde veniunt, quibus in mari, et in terra, et in aere non parvam Deus exercet potestatem; ipsi enim dant pluvias et tempestates, ipsi fugant nubes et dant serenitates; ideoque non immerito omnes hujus sæculi potentes significant. Unde Daniel se quatuor cœli ventos vidisse dicit, qui pugnabant in mari magno. Unde et per Salomonem Dominus ait : « Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius (*Cant.* IV, 16). » Hic hortus, et hæc navicula idem sunt, venti autem et hic, et ibi idem significant. Et quidem hoc in horto multa sunt arborum genera, multæ florum et aromatum species. In hoc inter rosas martyres, inter lilia confessores et virgines requiescunt. Hic est hortus conclusus et fons signatus; hic hortus tutissimus, sanctorum sanctissimus, qui non caret liliis, neque rosis, nec privantur arbores suis pomis, ibi fons dulcissimi est saporis. Nunc ventorum flamina tyrannorum agmina perturbant et ventilant **395** cum furore, cœlum petunt martyres cum honore, delectatur Dominus in odore. Et de aquilone quidem scriptum est : « Ab aquilone pandentur mala super omnes habitatores terræ (*Jer.* I, 14). » De austro vero : « Deus ab austro veniet (*Habac.* III, 6). » Per illum igitur adversa, per hunc autem prospera figuratur. Dicit igitur Dominus : Surge aquilo, recede, da locum, quiesce, noli pertubare hortum meum, veniat auster, veniat pax et securitas, veniant prospera, diu exspectata, et fiat tranquillitas magna.

HOMILIA XXI.

IN PURIFICATIONE S. MARIÆ VIRGINIS.

ADMONITIO. — Cum in commentario in Lucam num. 9, major homiliæ hujus pars contineatur, reliquam ejusdem hic referre curavimus. De ea testimonium præbent codices Signinus, Laurentianus et Casinensis ubi est homilia 23; quare nihil faciendum est editio Emiseni, in qua ei supponitur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (II, 22). *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut*

Digitized by Google

isterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Do- A *mini.* Et reliqua.

Scriptum est enim in lege Moysi; quod *mulier, uæ suscepto semine pepererit masculum, immunda rit septem diebus, et die octava circumcidetur infan-ulus: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in anguine purgationis suæ. Omne sanctum non tanget, ec ingredietur sanctuarium, donec impleantur dies urgationis ejus.* Hac enim lege beata virgo Maria on tenetur, quæ nullo suscepto semine virgo con-epit, virgo peperit, clausa ante partum, clausa in artu, et post partum clausa permansit. Ad cujus istinctionem Moyses non simpliciter dixit : mulier uæ pepererit masculum; sed cum additamento, *uæ suscepto semine masculum pepererit, immunda rit septem diebus.*

(*Hic continuationem commentarii in Evangelium ac alia additione intercipit homiliæ exarator, quæ ta est.*)

Spiritualiter autem mulier ista Synagoga esse ideiur, quæ divinæ legis semine suscepto, toties nasculum pariebat, quoties bonum aliquod agebat : nasculus enim filius bonum opus est, et quamvis nasculum peperisset et multos boni operis filios enuisset; tamen septem diebus immunda erat. eptem enim illi dies omne illud temporis spatium ignificant, quod fuit a Moyse usque ad Christi in-arnationem, illa enim hebdomada natus est agnus, ui tollit peccata mundi, de quo scriptum est : « Qui ilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in san-uine suo (*Apoc.* I, 5). » Verumtamen quamvis septi- C nana finita esset et quamvis Christus natus esset, ondum tamen Synagoga penitus mundata erat, uia Christi sanguis nondum fusus erat. Mansit gitur adhuc triginta diebus in sanguine purifica-ionis suæ. Exspectavit diem, imo annum trigesi-um tertium. Ipso enim anno immolatus est Chri-tus, sine cujus sanguine mundus mundari et lavari on potuit. Quod autem dies pro anno ponatur, in zechiele invenies; ubi dicit : « Diem pro anno, diem ro anno, fili hominis, dedi tibi (*Ezech.* IV, 6). » uare autem infans circumcidatur, valde notum st, sed quare die octavo dicendum est. Octava enim ies ipsa est quæ et prima; in hac enim mundus œpit, Christus surrexit, in hac et universalis resur-ectio fiet. Tunc autem non solum circumcisi, sed D mnibus ab eis peccatis abscissis, mundi et imma-ulati æternum nomen sancti suscipient et hæredi-atem. Et hæc quidem de filio masculo dicta sunt. in autem feminam peperisset, immunda erat duo-us hebdomadibus, et sexaginta et sex diebus ma-ebat in sanguine purificationis suæ. Toties enim ynagoga feminam parit, quoties iniquitatem ope-atur; pro hac autem filia duabus hebdomadibus est mmunda; una videlicet ante Christi incarnationem, ltera vero post Christi incarnationem. Per has uas hebdomadas totum hoc, et illud tempus signi-

ficatur. Nisi igitur hanc filiam parere desistat et ad Christi fidem se totam convertat, nunquam mundabitur Synagoga. Dantur autem ei sexaginta et sex dies ad purgationem, per quos omnes dies usque ad sæculi consummationem intelligere possumus; hic enim numerus totus ex senariis constat, in sex diebus etiam ipsis Judæis operari licet; neque enim in sex dies Sabbatum continetur. Nulla igitur erit excusatio, si in his sexaginta et sex diebus purificati non fuerint. Quamvis autem purgationis dies ad beatam Mariam Virginem non pertinerent, exspectavit et ipsa, etc.

(*Hic finis additionis; reliqua usque ad homiliæ conclusionem ex commentario mutuata reperiuntur.*)

B

396 HOMILIA XXII.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

ADMONITIO. — Studium quo S. episcopus Signiensis pascendi gregem suum cœlestibus documentis incendebatur, eum ad ampliorem, qua in comment. in Matth. num. 82, fecerat, explanationem exornandam adduxit. Nos ut commode lectoribus pateat, quod Marchesius addidit pag. 23 exscripsimus, omissa extrema parte, eodem in comment. legenda. Consensum habemus codicum Casinensis, Laurentiani et Signini quibus suppositionem Emiseno factam penitus diluimus, etc.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XX, 1). *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Et reliqua.

Conditor humani generis Dominus noster Jesus Christus modo superius proposuit, dicens : *Multi erunt novissimi primi, et primi novissimi.* (1649) Hanc autem propositionem quid importet, sequentia monstrabunt. Ad hanc enim spectat tota subsequens similitudo; unde et in conclusione dicitur : *sic erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Quod quidem si de mundi ætatibus intelligatur, non video qualiter primi sint novissimi, vel novissimi primi. Primi enim fuerunt patriarchæ, et prophetæ, et cæteri prioris testamenti ad vitam prædestinati : novissimi autem nos sumus, de quibus Joannes ait : « Filioli, novissima hora est (*Joan.* II, 18). » Et Apostolus ait : « Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X, 11). » Et isti quidem sicut tempore primi fuerunt; ita et primi denarium susceperunt. Hos enim statim post passionem suam Christus Dominus a pœnis eripiens, in gloriam introduxit. Apostolus quoque ait : « Quia nos qui vivimus, qui residui sumus, non præveniemus eos, qui dormierunt, quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino (*I Thess.* IV, 15). » Quomodo ergo sunt novissimi primi? Nunc autem ipsam parabolam audiamus : *Simile est re-*

(1649) *Hic incipit* expositio S. Brunonis in hunc Evangelii S. Matthæi, locum pag. 95, c. 1.

Digitized by Google

gnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Hoc tale est, ac si diceret : Sic fit in regno cœlorum, sicut fecit in vinea paterfamilias, in quam ipse primo mane exiens operarios conduxit. Regnum cœlorum Ecclesia est. Paterfamilias Christus Dominus noster; ejus autem et angeli, et homines sunt. Magna quidem est familia, quia magnus est paterfamiliæ. Venit autem iste paterfamilias, ut conduceret operarios in vineam suam; vinea enim Domini Sabaoth domus Israel est. Vinea Dei Ecclesia est, extra quam qui laborat mercedem non recipit, in qua qui laborat denarium suscipit; iste enim denarius remuneratio est æternæ beatitudinis; ideo unus denarius omnibus datur; unus primis, et unus novissimis. Et alii quidem primo mane laborare incipiunt, alii vero circa horam tertiam, alii autem circa sextam et nonam horam, alii quoque circa horam undecimam. Hoc est enim, quod ait : *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis : ite et vos in vineam meam, et quod justum est dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum exiit circa sextam et nonam horam, et fecit similiter. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt illi, quia nemo nos conduxit; dicit illis, ite et vos in vineam meam.* Primo namque mane in vinea Dei laborare veniunt, qui in adolescentia servire incipiunt. Veniunt etiam et illi circa sextam et nonam horam, qui vel in juventute, vel in senectute ad pœnitentiam convertuntur. Undecima vero hora illa est, quæ in qualibet ætate fini appropinquat et morti proxima est. Hanc enim horam non solum juvenes et senes, verum etiam pueri habent. In hac igitur hora laborare incipit et ille, qui in decrepita ætate, et ille, qui in gravi infirmitate ex toto corde ad Deum convertitur. « Peccator enim quacunque hora conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 16). » Convertatur igitur, vel undecima hora convertatur, vel in ultimo vitæ termino, qui prius otiosus in bono et in malo sollicitus fuit. Nam et ipse si voluerit et si conversus fuerit, vel si ad librum laborare cœperit, simul cum aliis mercedem accipiet et denarium (1650). Has autem horarum, sive ætatum distinctiones illæ quoque illius templi portæ significare videntur, de quibus in Apocalypsi Joannes apostolus ait : « Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, a meridie **397** portæ tres, ab occasu portæ tres (*Apoc.* XXI, 13). » Templum igitur et vinea idem significant : sancta namque Ecclesia et vinea nobis est, in qua laboramus, et templum in quo oramus. In hanc enim vineam et in hoc templum pueri et infantes et primo mane, et per portas orientis ingrediuntur. Adolescentes autem intrant hora tertia, et per angustas portas magisque difficiles aquilonis. Intrant autem per portas australes juvenes et senes, qui sexta et nona hora in vinea Domini laborare cœperunt. Portas autem aquilonis ideo angustas et difficiles esse diximus, quia multa impedimenta illis sunt, qui per eas intrare debent. Sed quid mirum cum ab aquilonem sedem suam diabolus posuerit et ab aquilone pandantur mala super omnes habitatores terræ? Miseri adolescentes, qui aquilonis flatibus rigescunt; miseri, quos diabolus perflat et ventilat: beati, qui hanc ætatem sine naufragio transire potuerunt. Inde est enim, quod Salomon ait : « Lætare, juvenis, in adolescentia tua (*Eccli.* XI, 9). » Hoc autem illis juvenibus dicitur, qui sic in adolescentia vixerunt, ut de juventute non erubescant. Idem quoque Salomon difficile sibi dicit cognoscere viam hominis in adolescentia sua. Hinc est enim quod per Isaiam prophetam (XXI, 15) his, qui habitant in terra austri, Dominus præcepit, ut cum pane et aqua occurrerent illis, qui veniebant de terra aquilonis et fugiebant de captivitate Babylonis; fugiebant enim a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti et a facie gravis periculi. Talibus igitur cum cibo, et potu spirituali occurrere debemus, quos diabolum persequentem fugere et per pœnitentiam ad Ecclesiam redire videmus. Sed quid dicemus de illis impedimentis, quæ in ipso portarum introitu, et cum jam se evasisse putant, adolescentes patiuntur? Dicit enim Ezechiel propheta : « Converti me ad portam, quæ respicit ad aquilonem, et ecce mulieres sedebant ibi plangentes Adonidem (*Ezech.* VIII, 14). » Vide igitur, quia in porta aquilonis sedent meretrices Veneris, luxuriæque amores plangentes, et amatoria carmina componentes. Hæc sane equidem, et similia, quibus adolescentes impediuntur, ne in vinea Dei laborare, et templum intrare, et orare valeant. Quare merito sacri canones, nisi transacta hac ætate, episcopos et sacerdotes fieri interdicunt.

(*Reliquum homiliæ iisdem verbis legere quisque poterit in commentario super hunc Matthæi locum.*)

HOMILIA XXIII.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

ADMONITIO. — Quamvis S. Bruno parabolam hanc in comment. super caput XIII. Matthæi, cum ad copiose illustrasset, eadem. in Lucæ cap. VIII recurrente, aliam protulit interpretationem, qua ne careant lectores, eam a Marchesio tom. II, p. 21, eruimus et hic relatam exhibemus. Exstat enim in codd. Laurentiano, Casinensi et Signino, cum quibus facta collatione perfecte concordat.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (VIII, 5). *In illo tempore cum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem : Exiit qui seminat seminare semen suum.* Et reliqua.

Multa turba sequebatur Jesum, multi undique conveniebant, multi de civitatibus ad eum propera-

(1650) Hucusque usus est S. Bruno comment. in Matth., post quem addit quæ sequuntur.

Digitized by Google

bant, qui ejus verba audire, ipsum et miracula quæ faciebat, videre desiderabant. Cum autem ad eum omnes confluerent, dixit per similitudinem. In parabolis enim loquebatur Dominus, *et sine parabolis non loquebatur eis.* Unde et per Prophetam dixit: « Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio (*Psal.* LXXVII, 2). » Nunc autem ipsam parabolam, vel similitudinem audiamus. *Exiit*, inquit, *qui seminat seminare semen suum, et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud; et aliud cecidit super petram, et natum aruit, quia non habebat humorem, et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud, et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat, qui habet aures audiendi, audiat.* Non sine causa clamabat Jesus; qui enim clamat audiri desiderat. Merito igitur clamat Dominus, quia pauci ibi erant qui eum audirent. Audiebant quidem vocem, audiebant et similitudinem; illud tamen non audiebant quod per illam vocem et per illam similitudinem significabatur; unde et aures audiendi requirebat, quia non aures corporis, sed potius aures cordis hunc clamorem audiunt et intelligunt. *Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola?* Et isti quidem nondum aures audiendi ejus verbum adhibuerant, quibus ipse dixit: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Sed cæteris in parabolis, *ut videntes non videant, et audientes non intelligant.* Hoc autem tale est ac si diceret: ut videntes umbram non videant veritatem, et audientes auribus corporis non **398** intelligant auribus cordis. Hoc autem eorum duritia et infidelitas facit, ut verba Dei intelligere non mereantur. *Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Quod autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinis cecidit, hi sunt, qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. Quod autem in terram bonam, hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.* Ecce, ipso Domino exponente, didicimus quid sit semen, quid ager, quid terra secus viam posita, quid terra petrosa, quid spinosa et quid bona terra significet. Semen enim est verbum Dei, multum est semen, quia magnus est ager. Hoc enim semine duo magna horrea plena habemus, Novum videlicet et Vetus Testamentum. Inde enim sumimus quidquid ubicunque seminatur. Videte ergo qualem terram huic semini exhibeatis; videte ne sitis illa terra, quæ secus viam posita sit, cujus semen illi mali viatores conculcant, qui animæ male obedienti dicunt, incurvare, ut transeamus. Hoc autem semen diabolus tollit, quia ejus persuasione et deceptione fit, ut citissime a memoria dilabatur. Videte ne sitis terra petrosa, in qua verbi Dei semen radices figere non valet, quia vitiis et divitiis, carnisque voluptatibus, quæ per spinas significantur, comprimitur et suffocatur. Bene autem per spinas hæc significantur, quoniam si carni mollia et suavia sunt, animam tamen vulnerant et affligunt. Illi autem sunt bona terra, *qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent*, et non solum audiunt et retinent, verum etiam operantur et patientiæ fructus afferunt. « Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (*Rom.* II, 13). » Unde scriptum est: « Intellectus bonus omnibus facientibus eum (*Psal.* CX, 10). » Et beatus Joannes in Apocalypsi: « Beatus qui legit et qui audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt (*Apoc.* I, 3). » Sed notandum est quod ait *in corde bono et optimo;* terra enim alia bona, alia melior, et alia optima est. Unde et Matthæus evangelista: *Semen*, inquit, *cecidit in terram bonam, et attulit fructum, aliud trigesimum, et aliud sexagesimum, aliud centesimum.* Bona est quæ trigesimum, melior quæ sexagesimum, optima quæ centesimum fructum affert. Si enim libenter audias verbum Dei, et quod audis, bene et catholice intelligas, et id quod intelligis operaris, bona terra es. Quid est bene et catholice intelligere? nisi dupliciter intelligere; prius videlicet secundum litteram, postea vero secundum spiritualem intelligentiam. Decem quidem sunt verba legis, in quibus tota lex pendet et prophetæ. Quæ si dupliciter intelligamus, ad Christum usque conscendimus. Si autem ea, quæ dupliciter idem ad litteram, et spiritualiter intellexerimus, per singula operemur, fiunt triginta. Bona igitur terra, quæ decem legis mandata prius ad litteram, deinde vero spiritualiter intelligit, et ea, quæ intelligit, operatur. Trigesimum ergo dant boni conjugati, si non simpliciter, ut Judæi, sed dupliciter, ut Christiani, legem credunt et intelligunt, et ea, quæ intelligunt, operantur et custodiunt. Nunc autem ad sexagesimum veniamus, quem continentes reddunt, qui tanto conjugatis meliores sunt, quanto hic numerus illum excedit, cum totus ille in isto duplex inveniatur. Valde castitatem custodiunt, quam qui solius animæ continentiam observant. Constat autem sexagesimus numerus ex sex et decem, quoniam sexies decem, vel decies sex sexaginta fiunt, et in decem totam legis scientiam intelligimus, quoniam, ut jam diximus, in decem legis mandatis universa lex pendet et prophetæ. In sex autem integra operatio designatur, quia in sex solummodo diebus omnem nostrum laborem et operationem constituit Deus; dies namque Sabbati non ad laborem, sed ad quietem constitutus est. Restat nunc, ut de his dicamus, qui fructum centesimum Domino reddunt; centenarius namque numerus et secundum se, et secundum partes suas perfectus est, quoniam replicari quidem potest, crescere autem non potest; decies namque decem centum faciunt. Et decem

Digitized by Google

quidem, et centum, et mille, quia non est ubi crescant, perfecti numeri dicuntur. Illi igitur, qui perfecti in Ecclesia sunt, centenarium fructum congrue satis referre intelliguntur, et de talibus quidem Dominus ait : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me (*Matth.* XIX, 21). » Itemque : « Nolite cogitare de crastino, et nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini (*Matth.* VI, 25). » Tales etiam illi erant, qui dicebant : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te (*Matth.* XIX, 25). » Soli igitur perfecti centesimum fructum reddunt, inter quos nec ipsæ virgines poni debent, nisi et ipsæ propter virginitatem hanc habeant perfectionem. Sic igitur semen, quod cecidit in terram bonam, attulit fructum aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud vero centesimum.

399 HOMILIA XXIV.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

ADMONITIO. — Eadem ratione qua superioris homiliæ copiam ex Marchesio tom. II, pag. 25, fecimus, hanc pariter ab ipso accepimus, cum in commentario desit. Sub S. Brunonis episcopi nomine iidem allati codices referunt.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XVIII, 31). *In illo tempore assumpsit Jesus duodecim discipulos suos, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis*, etc. Et reliqua.

Multa jam consummata erant quæ de Filio hominis prophetæ prædixerant, multa jam completa erant quæ de ejus humanitate prophetaverant, pauca restabant adhuc, quæ illis diebus adimplenda erant. Quæ ideo quidem suis discipulis Dominus prædicere voluit, ut cum sua sponte passum intelligamus et ea, quæ sibi ventura erant, eum præscisse et prævidisse nemo unquam dubitare audeat. Sequitur : *Tradetur enim gentibus et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum, et die tertia resurget, et ipsi nihil horum intellexerunt.* Erat enim verbum istud absconditum ab eis et non intelligebant quæ dicebantur. Omnia hæc prophetæ prædixerant, omnia hæc fieri oportebat, quoniam, ut fierent, ipse volebat. Unde et quibusdam alibi ait : « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ. Nonne sic oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* XXIV, 25, 26). » Itemque : *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Oportet enim, ut fiat quidquid Dominus fieri disposuit. Tunc autem, ut Matthæus ait : *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo.* Tunc, inquit, quando Dominus ascendebat Jerosolymam, ut pro omnibus pateretur, tunc mater filiorum Zebedæi, id est Jacobi et Joannis, a filiis admonita accessit ad Jesum, ut primas sedes filiis postularet. In quo manifeste apparet, quia ut Evangelista dicit, verba Domini discipuli non intellexerant, quæ modo de sua passione eis Dominus nuntiaverat; si enim intellexissent, potius ad fletus et lacrymas converterentur, quam de dignitatibus aliquid loquerentur : « Accessit igitur ad eum mater filiorum Zebedæi adorans, et petens aliquid ab eo (*Matth.* XX, 20). » Mulier ista religiosa Christo familiaris erat, etc.

(*Quæ sequuntur videri possunt in comment.* in cap. XX, 17, *Matth.*, *usque ad verba :* Suorum discipulorum pedes lavare non est dedignatus. *Addimus autem reliquam homiliæ partem, ut est in edit. Marchesii pag.* 25, *quæ deest in commentario.*

Hæc autem in via loquebatur Dominus, his et similibus ad sui exemplum discipulos suos informabat, nec in ipso itinere otiosus esse volebat. *Factum est autem, cum appropinquaret Jericho*, quæ *nova luna* interpretatur, cujus mutabilitas tanta est, ut nunquam in eodem statu permaneat. Significat autem mundum istum, cujus mutabilitates infinitæ sunt, ut enim de aliis taceamus, quis solius hominis mutabilitates dicere valeat? Hanc autem civitatem qualiter, et quibus armis, et in quot diebus ceperit Josue historia narrat. Quod si bene intelligatur eodem modo, eisdem armis, totidemque diebus a Jesu Christo Domino nostro mundus iste subjugatur. Et tunc quidem appropinquavit Dominus Jericho, quando factus est homo, et carnis nostræ mutabilitatem suscepit. Tunc igitur cæcus iste illuminatus est, in quo multi cæci intelliguntur. Unde et Matthæus non unum, sed duos cæcos esse dicit, per quos duos populos, Judæos videlicet et gentiles, intelligimus. Orto namque justitiæ sole, « populus, qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam (Isa. IX, 2). » Ipse est enim, « qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). » Omnes enim cæci erant; et quando hæc lux apparuit, vel pauci, vel nulli illuminati erant. Sed numquid et modo cæci non sunt? Multi quidem cæci sunt et modo. Quomodo enim cæci non sunt, qui diabolum sequuntur, et semper de via vitiorum præcipitantur. Vere utique cæci sunt, quos diabolus trahit. Vidisti cæcos aliquando a pueris, aliquando etiam a canibus trahi : et melius isti quidem trahuntur, quam illi, qui a diabolo dicuntur. Isti enim cadunt, et surgunt : illi vero, quos diabolus trahit postquam semel in foveam præcipitantur numquam ulterius levantur. Cæcus autem est omnis superbus, omnis avarus, omnis adulter et fornicator : denique omnes cæci sunt quicunque illam lucem non sequuntur, quæ ait : « Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII, 12). » Quisquis igitur es, qui te cæcum esse intelligis, 400 redi ad vitam; quanto enim quisque iniquior est, tanto a via longior est. Sed ad quam viam? Ad illam per quam transit et ambulat Jesus : « Universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 11). » Ad has igitur redi; per has ambulare disce, clama et mendica; clama non ore, sed corde: clamor cordis altius auditur, cœlos penetrat et in

Digitized by Google

Dei auribus resonat. Clama ergo, dic : *Miserere mei, Domine fili David.* Mendica cum Propheta : « Inclina, Domine, aurem tuam ad me, et exaudi me, quoniam egenus et pauper sum ego (*Psal.* CVIII, 22). » Quam dives iste erat, qui sic mendicabat et se egenum et pauperem dicebat. Noli audere turbam increpantem et clamare prohibentem : mala turba, quæ a tali clamore hominem exturbat. Hæc turba, virorum et malignorum spirituum exercitus intelligitur, qui nos ad Deum clamantes et misericordiam postulantes semper impedire conantur. Si enim cæcus tacuisset et turbæ increpanti credidisset, adhuc illuminatus non fuisset. *Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se, et cum appropinquaret, interrogavit eum, dicens : Quid tibi vis ut faciam? At ille dixit : Domine, ut videam.* Ecce quantum oratio potest, ecce quantum valet clamor mentis : turbam vincit, Christum sistit; clamore tenetur, qui fortitudine teneri non posset. Stat Jesus, vocat et exspectat eum; interrogat quid velit, nihil nisi lumen requirit, cum lumine loquitur, et a lumine lumen quærit, nihil melius quærere potest : « Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). » *Et Jesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum.* Inter dicere et facere Dei nulla distantia est. Dixit illi : Respice, et confestim vidit. Hoc autem fides facit, sine qua impossibile est placere Deo, et sequebatur illum magnificans Deum. Cæci non sequuntur Jesum; illi enim sequuntur, qui illuminati sunt. Illi vero illuminati sunt, qui in eum credunt, qui veritatem intelligunt et erroris tenebras a se repellunt. Et tales quidem eum magnificant et laudant, quia non est pretiosa laus in ore peccatoris. *Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.* Dignum est enim ut omnes eum laudent qui facit mirabilia magna solus.

HOMILIA XXV.

FERIA QUARTA CINERUM.

ADMONITIO. — In codice Laurentiano hæc homilia, sub num. 28 posita, his verbis incipit : *Ideo enim hypocritæ tristes dicuntur, quia ut religiosi appareant, tristitiam quamdam et severitatem in vultu ostendunt*, et deinde omnino conformis est tum editionibus Eusebii Emiseni et Marchesii, apud quos homiliæ initium ita est : *Tristes enim dicuntur hypocritæ, quia ut religiosi appareant*, quibus codd. Vallicel. et Signin. conveniunt. Eodem modo incipit expositio hujusce evangelii num. 16, c. 1, eumdemque finem habet. Cum aliqua intermedia desint in commentario, ne fraudentur lectores, ea ut Marchesius edidit, exscribimus. Qui copiosiorem ad redarguendam hypocrisin doctrinam exoptarent, adeant homiliam S. Maximi *in die Cinerum*, pag. 105.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (VI, 16). *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Et reliqua.

Tristes enim dicuntur hypocritæ, quia ut religiosi A appareant, tristitiam quamdam et severitatem in vultu ostendunt, quasi qui multo jejunio sint confecti. Unde et subditur : *Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Facies enim suas exterminant, quia ultra suæ pulchritudinis terminos, atque naturam inculitas et informes horrescere sinunt. Si enim deformitas Deo placuisset, tam pulchra facie hominem non formasset. Sed quare hoc faciunt? *ut appareant hominibus jejunantes.* Scriptum est enim : « Homo videt in facie, Deus autem corda intuetur (*I Reg.* XVI, 7). » Quis igitur non Deo, sed hominibus placere volunt, illud exterminant quod ab hominibus videtur; ideoque quia laudem ab hominibus quærunt, mercedem a Deo non recipiunt; et hoc est, quod Dominus ait : B « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 2). »

(*Hactenus commentarius : sequentia sunt addita.*)

Sola igitur intentio facit ut nostra jejunia et cuncta nostra opera Deo placeant. Unde et in sequentibus ait : *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Animæ namque oculus intentio est, quæ si bona fuerit, omnis ejus operatio lucida erit. Unde quidam sapiens ait : Non magis considerandum est quid aliquis agat, sed qua intentione hoc faciat. Qui enim ideo jejunant, et facies suas C exterminant, ut appareant hominibus jejunantes, quia stulta et vana intentione hoc faciunt : isti quidem, sicut **401** Dominus ait, *receperunt mercedem suam.* Similiter autem et alii, quia omnia opera sua faciunt, *ut videantur ab hominibus*, nullam aliam mercedem recipient. At vero illis, qui bona intentione hoc faciunt, præcepit Dominus ut coram hominibus opera sua faciant. *Sic*, inquit, *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Sola igitur intentio facit ut opera nostra vel bona, vel mala Domino appareant : *Homo enim videt in facie, Deus autem corda intuetur.* Unde et ipse ait : « Nolite judicare, et non judicabimini (*Matth.* VII, 1). » Judicatis quæ nescitis, condemnatis multoties quæ ignoratis : aliter vobis, et aliter mihi videtur : cognoscite prius intentionem, et sic judicate. Potest enim fieri ut unum et simile opus non una intentione fiat; palam enim eleemosynam dare, et bona, et non bona intentione fieri potest. Si ideo das, ut bonum exemplum alteri tribuas, et Deus inde glorificetur, bona intentio est. Sic igitur in omnibus sola intentio quærenda est, quæ si bona fuerit, totum corpus virtutum, totaque massa operationum lucida erit. Sed dicis : Quomodo ergo jejunabo?

(*Reliquam homiliæ partem lectores ex commentario haurient.*)

Digitized by Google

HOMILIA XXV

FERIA V POST CINERES

ADMONITIO. — Novum argumentum præstat hæc homilia, ut subreptæ a Brunonis commentario conciones, sub Eusebii Emiseni nomine vulgatæ agnoscantur. Præter uniformem dictionem, quæ sub num. Matth. 25 comperimus, trium codicum, scilicet Signini, Laurentiani et Casinensis testimonia accedunt, a quibus Bruno episcopus auctor inscribitur. Non adnotatur in serie homiliarum, quia iam habetur in Dom. IV post Epiphaniam.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (V, 5). *In illo tempore, cum intrasset Jesus Capharnaum accessit ad eum centurio rogans eum, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo varalyticus, et male torquetur.* Et reliqua.

Inc. : Qualiter autem centurio ad Jesum accesserit, Lucas evangelista demonstrat, etc.

Des. : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

HOMILIA XXVI.

FERIA VI POST CINERES.

ADMONITIO. — Apud suppositum Eusebium Emisenum edit. Paris. an. 1575 est homilia 30 cum titulo *Feria* VI *post cineres.* Caret autem proœmio, quod legitur in Marchesio, et statim incipit ab aliis verbis : *Cætera enim quæ superius dicta sunt non contraria legi.* Codices autem Laurentianus et Signinus perfecte Marchesio respondent. Lectio tamen codicis Laurent. multo perfectior est.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (V, 44). *Dixit Jesus discipulis suis : Audistis quod dictum est antiquis : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Et reliqua.

Inc. : Domino nostro Jesu Christo docente discimus, quia maximum et primum mandatum est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo : secundum autem simile huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum,* etc. Quod autem hic dicitur, *et odio habebis inimicum tuum,* illud esse puto quod Dominus filiis Israel præcepit, ut Ammonitas et Moabitas interficerent, et nunquam cum eis pacem haberent. Similiter autem præcepit de Jebusæis, et Etheis, et Cananæis, aliisque terræ illius habitatoribus, ut non illis parcerent, sed in ore gladii omnes consumerent : *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos,* etc.

(*Hoc præmisso proœmio, homilia iisdem verbis incedit, quibus constat Evangelii expositio posita num.* 14, *nec aliud superest lectoribus desiderandum, cum verba evangelica docte et copiose sint explanata. Incipit expositio pag.* 26, *c.* 1, *et desinit pag.* 28, *col.* 2 : Cor contritum et humiliatum Deus non spernit.)

402 HOMILIA XXVII.

SABBATO ANTE DOMINICAM I QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Cum in expositione loci hujus Evang. S. Marci nihil habeatur, ex comment. in Matth. XIV, 22, num. 62, ubi idem factum enarratur, pene tota homilia desumpta est. Sed quia aliqua veluti præliminaria præmittuntur aliaque immutantur, qualem Marchesius edidit tom. II, pag. 28, et sub Emiseni nomine typographi Parisienses publicarunt n. 31, ex illis erutam, eam in collectionem nostram transtulimus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MARCUM (VI, 47). *In illo tempore, cum sero esset factum, erat navis in medio maris, et ipse solus in terra.* Et reliqua.

De hoc autem Matthæus evangelista sic ait, quia postquam Dominus de quinque panibus quinque millia hominum satiavit : « Jussit discipulos suos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Vespere autem facto solus erat ibi, navicula vero in medio maris jactabatur magnis fluctibus; erat enim contrarius ventus (*Matth.* VIII, 24). » Ex eo autem tempore Judæorum populo vesperum fuit, ex quo Christus sol justitiæ de hoc mundo recessit. Eo enim nascente lux orta est eis; eo vero moriente, tenebræ factæ sunt eis. Quod autem navicula in medio maris fluctibus jactabatur, hoc significabat, quod post Christi passionem et ascensionem S. Ecclesia in hoc mundo multa adversa esset passura. Unde et bene dicitur, quia ventus erat ei contrarius. Quid enim ventus contrarius nisi tyrannorum sæviens persecutio? *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.* Quarta enim vigilia est eo tempore agitur, quo Salvator noster in mundum venit. Prima enim vigilia fuit ab Adam usque ad Moysen; secunda a Moyse usque ad David; tertia a David usque ad Christum. Prima enim vigilia in mio somno gravata sine lege fuit, secunda legem habuit, tertia prophetas, quarta Evangelium. Quarta enim vigilia venit ad eos, quia magis in hac, quam in aliis omnibus servos suos Dominus visitare dignatur. Ambulat autem super mare, quia totus ei subjectus est mundus. *Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes, quia phantasma est; et præ timore clamaverunt.* Clamor enim confusus et inordinatus eos timore nimio indicat esse turbatos. Statimque Jesus locutus est eis, dicens : *Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Sic enim et Moysi Dominus ait : « Ego sum, qui sum, sic dices filiis Israel : qui est misit me ad vos (*Exod.* IV, 14). » Vel ideo fortasse dixit : *Ego sum,* ut eum quis esse agnoscerent, audita voce, quam cognitam habebant : sæpe enim alicujus vocem a longe audientes quis sit, confestim agnoscimus, etsi eum non videamus. *Respondens autem Petrus, dixit : Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse ait : Veni.* Ubique enim beatus Petrus ferventissimæ fidei fuisse monstratur, neque enim profundissimo pelago sese crederet, nisi fidem certissimam de Domino haberet; sciebat enim Salvatorem nostrum omnia posse, et nihil minus in mari quam in terra potestatem eum habere credebat. Verumtamen quia Petrus super mare graditur, non solum magistro, verum etiam discipulis mundus iste subjectus esse monstratur. Quamvis enim propter hæreticos ita fieri oportebat, qui Christum Dominum, eo quod super mare ambulaverat, non verum, sed phantas-

Digitized by Google

ticum corpus navisse postea dicebant. Vincuntur enim isti, dum beatum quoque Petrum super mare ambulasse audiunt, quem utique verum corpus habuisse non dubitant. *Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum; videns vero ventum validum timuit, et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens : Domine, salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum apprehendit eum, et ait : Modicæ fidei, quare dubitasti?* Hoc enim facto beatus Petrus ea quæ sibi ipsi ventura erant jam extunc significavit. In Christi namque nomine quasi super aquas confidenter ambulabat, cum diceret : « Etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor (*Matth.* xxvi, 33). » Videns vero ventum validum timuit; quia cum Dominus a gentibus teneretur, ipse quoque cum aliis discipulis fugit. Mersus est autem quando negavit; deinde vero clamavit dicens : *Domine, salvum me fac;* quando egressus foras flevit amare. Ipsum flere surgere fuit. Sed *continuo Jesus extendens manum apprehendit eum*, quando voce angelica eum consolando, et quodammodo ad se trahendo dictum est mulieribus : « Ite, dicite discipulis meis, et Petro, quia præcedit vos in Galilæam (*Marc.* xvi, 7). » In eo enim, quod eum proprio nomine vocavit, quasi manu apprehensum tremebundum, et jam mergere timentem ad spem gratiæ eum elevavit. In his autem Ecclesiæ quoque prospera et adversa significari possunt, quæ quidem aliquando mergi, aliquando vero exsurgere videtur. *Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus.* Non est autem intelligendum, ut tunc Jesum naviculam **403** ascendisset. Prius enim venit Capharnaum, ibique multa in Synagoga locutus est, quæ omnes quidem scribit; Matthæus autem et Marcus prætermittunt. Dicit enim Joannes quia voluerunt eum discipuli in naviculam suscipere, sed statim fuit navis ad terram, ad quam ibant, id est Capharnaum. Unde manifestum est eum tunc in naviculam non ascendisse. Jusserat enim Dominus, ut superius dictum est, ut discipuli sui eum præcederent, qui, cum venissent Capharnaum, ibique eum non invenissent, flectentes iter, ad eum revertebantur, et tunc quidem apparuit eis Dominus ambulans super mare, et expletis omnibus, quæ modo in hoc Evangelio dicta sunt, postquam ea locutus est, quæ Joannes narrat, usque ad illum locum, in quo dicitur : « Hæc autem locutus est Jesus in Synagoga docens in Capharnaum (*Joan.* vi, 59); » redierunt ad navem, et cum ascendisset in naviculam cessavit ventus; nondum enim ventus cessaverat, nec mare a suo fervore quieverat; sed sicut in nocte, ita et in die eisdem adhuc fluctibus agitabatur; ut autem Jesus ascendit in naviculam, mox ventus cessavit. Qui autem in navicula erant, viso tanto miraculo, stupentes venerunt, et adoraverunt eum, dicentes : *Vere Filius Dei es.* Marcus vero eos redarguit, et oblitos et obcæcatos dicit, quod ex hoc stupentes admirarentur, qui præterita die tam magnum miraculum in quinque panibus Dominum fecisse cognoverant; unde et ait : *Non enim intellexerant de panibus;* si enim de panum miraculo recordarentur, jam non erat, ut de maris sedati miraculo mirarentur. *Et cum transfretassent, venerunt in terram Genezareth, et applicuerunt. Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum.* Hoc autem Matthæus manifestius dicit. Videtur enim Marcus dicere quod discipuli eum non cognoverint, donec de navi egrederentur; sed non est ita : non enim hoc de discipulis dicitur, sed de hominibus regionis illius; qui statim ut eum cognoverunt, undique infirmos suos ei ad sanandum obtulerunt. Et hoc est, quod Matthæus ait : *Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes, et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti tangerent, et quicunque tetigerunt, salvi facti sunt.* Oremus autem et nos Dominum, ut in naviculam pectoris nostri ascendere dignetur, et superbiæ ventositatem et vitiorum insurgentium procellas quiescere faciat. Ascendat etiam in naviculam suam, scilicet in S. Ecclesiam, et se ibi manifestet, qui ibi quodammodo esse non videtur, dum tanto eam persecutionum turbine patitur agitari; et imperet ventis et mari, et fiet tranquillitas magna. Quod autem ait : *Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes, ut eos sanaret*, quid aliud significat, nisi quia viri sancti, qui Deum agnoscere meruerunt, pro aliorum peccatis orare, et alios Deo commendare et offerre debent? Sed quid est Christi vestimenti fimbriam tangere? Aliud est enim tangere Christum, aliud vestimenta Christi. Thomas enim Christum tangens dicebat : « Dominus meus, et Deus meus (*Joan.* xx, 28). » Philippus vestimenta tangebat, et non Christum, cum diceret : « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis (*Joan.* xiv, 9). » Propinquius igitur Thomas Christum tangebat, quam Philippus; unde et illi dicitur : « Quia vidisti me, Thoma, credidisti (*Joan.* xx, 29); » huic autem : *Non credis, quia in Patre, et Pater in me est? Qui videt me, videt et Patrem.* Ille igitur jam vidisse et credidisse; iste vero nondum bene vidisse, vel credidisse dicitur. Illi igitur tangunt Christum, qui in eum perfecte credentes catholicæ fidei veritatem cognoscunt. Illi vero tangunt vestimenta Christi, qui, quamvis intelligere non valeant, credunt tamen quod eis a veris catholicis prædicatur. Tanto igitur unusquisque longius tangit Christum, quanto minus intelligit et cognoscit Christum. Omnes tamen sanantur, qui vel fimbriam vestimenti ejus tangunt : « Quoniam omnis, qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit (*Matth.* xvi, 16). »

HOMILIA XXVIII.

DOMINICA I QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Hanc homiliam, quam codicibus Vallicellano et Laurentiano comparavimus, ex suo comment. in Matthæum condidit S. Bruno paucis additis, quæ referre non oportet. Sumit autem exordium a præcedenti textu qui est in fine cap

Digitized by Google

in Matth., num. 6, col. 2, totumque adnectit num. 6. Eximia est ejus interpretatio.

404 Lectio S. Evangelii secundum Matthæum (IV, 1). *In illo tempore : Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Et reliqua.

Baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se; et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quid est enim, quod baptizato Domino cœli aperiuntur? Magnum est hoc mysterium, magnamque his, qui baptizantur, lætitiam præfigurat. Clausum erat prius cœlum, nemo illuc ante baptismum ingrediebatur; nunc autem apertum est, sed baptizatis est apertum. Sic enim Dominus ait : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum (*Joan.* III, 5). » Et tunc quidem *ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo; et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.* Præcipui Ecclesiæ sancti doctores Dominum Jesum in desertum a suo Spiritu ductum esse exponunt.

Hic incipit Evangelii explanatio, et prosequitur usque in finem, qui sic est : Quatenus in ciborum jejunio significaret nobis jejunium corporis, et in dierum numero demonstraret jejunium cordis.

HOMILIA XXIX.

FERIA II POST DOMINICAM I QUADRAGESIMÆ.

Admonitio. — Tam editiones quam codices supra allati concordant in homiliæ hujus contextu, qui totus fere in comment. in Matth. sub num. 103, continetur. Ut autem locus ad quem spectat adjectio statim videatur eum fideliter exscribimus.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum (XXV, 31). *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis. Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo.* Et reliqua.

Dominus enim, qui prius humilis venit, et in forma servi, iterum excelsus et sublimis venturus est in majestate sua et gloria Patris. Venient autem et omnes angeli cum eo, ut ex ipsa sui exercitus multitudine ejus virtus, et omnis potentia manifestetur. Et tunc quidem *sedebit in sede majestatis suæ*, quoniam tunc Patri coæterno æqualis et similis revelabitur. Nusquam enim melius regia dignitas quam sede regia manifestatur. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes*, secundum illud : « Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua (*Isa.* XLV, 23). » Non erit ei difficile omnes gentes congregare, cui non fuit difficile creare et resuscitare. Et ipse quidem Pastor bonus, qui oves suas bene cognoscit, bonos a malis separabit, ovesque statuet a dextris. hædos autem a sinistris. Oves enim dicuntur boni propter simplicitatem et innocentiam, hædi vero dicuntur mali propter vanitatem et petulantiam. In ipsa autem positione dexteræ, jam extunc utraque pars cognoscere poterit, cui præmia, et cui pœna imminet. *Tunc dicet his Rex qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Quare hoc? Vultis audire quare? *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et operuistis me; in carcere eram, et venistis ad me.* Si enim ante mundi constitutionem regnum eis erat paratum, constat quia, antequam fierent, ad vitam erant prædestinati. Qui vero ad vitam prædestinati sunt, illi nullatenus perire possunt. Fit autem conditionaliter prædestinatio Dei, nihilque sine aliqua conditione prædestinatum est. Prædestinatum est enim, ut salvaretur mundus, sed per aquam baptismatis et mortem Filii Dei. Prædestinati sunt omnes boni ad gloriam, ea tamen conditione, si fidem tenuerint, si charitatem, si humilitatem, si patientiam, si misericordiam et pietatem, et his similia habuerint. Tales enim eos futuros prævidit, quos Deus ad vitam prædestinavit, et quasi prædestinando eis diceret : Ego quidem ad vitam vos prædestino, si tales et tales fueritis; si mea mandata custodieritis, si fidem et misericordiam habueritis, et si in bono tandem inventi fueritis. Qui igitur talis esse non vult, qui Dei mandata custodire non nititur, ideo non venit ad prædestinationem, quia non servat conditionem (1651). Noli ergo attendere ad prædestinationem Dei, quam ignoras, attende ad ea quæ audis et intelligis. Sicut enim in prædestinatione sua vera est Deus, et mutari non potest, ita et verba ejus vera sunt, et mutari **405** non possunt. Unde et in Evangelio Dominus ait : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Luc.* XXI, 33). » Sed audiamus quæ sint hæc verba : « Peccator, inquit, quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 12). » Itemque : « Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis; quod si nolueritis, gladius devorabit vos (*Isa.* I, 20). » Et in Evangelio : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur (*Marc.* XVI, 16). » Et iterum : « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cœlestis peccata vestra; si vero non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* VI, 14). » Ne quæras aliam prædestinationem; in his enim verbis omnis et vitæ, et mortis prædestinatio consistit. Si hæc feceris esto securus, et crede indubitanter quia ad vitam æternam destinatus es. Quod si indurato corde hæc facere neglexeris et in hac malitia perseveraveris, pro certo scito ad mortem esse prædestinatum. Quamvis enim nullus homo ad peccatum sit prædestinatus, omnis quidem, merces enim est et observantia mandatorum Dei promeretur.

(1651) Hic nemo non videt sanctum episcopum de prædestinatione consequenti loqui, quæ adnectit bona opera sine quibus salus æterna comparari ne-

Digitized by Google

nmen homo aut ad gloriam aut ad supplicium præ- A igitur de domo orationis, quæ, quoniam vos in ea
estinatus est. Sequitur : *Tunc respondebunt ei justi* inhabitatis, facta est spelunca latronum. *Et accesse-*
icentes, etc. *runt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos.*
(*Homiliæ reliqua commentar. suppeditabit.*) Qui igitur cæcus est et veritatem non intelligit, qui
claudus est, et recto itinere non incedit, festinet ad
templum, ibi inveniet Jesum, ibi illuminabitur
et sanabitur. *Videntes autem principes sacerdotum*
et Scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in
templo, et dicentes : Hosanna Filio David, indignati
sunt, et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt ? **406**
Jesus autem dixit eis : Utique ; nunquam legistis, quia
ex ore infantium et lactentium perfeciti laudem ?
Quod enim principes sacerdotum et Scribæ indi-
gnantur, invidia est ; quod vero pueri Deum laudant,
prophetiæ adimpletio est. Sic enim prophetaverat
B ipse David, quod ex ore infantium et lactentium
prædicandus et laudandus Dominus esset. *Et relictis*
illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique
mansit. Manet enim Dominus usque nunc in Betha-
nia, quæ domus obedientiæ interpretatur, quia, re-
licta Synagoga, in Ecclesia habitat, quæ ejus obe-
diens est voluntati. *Mane autem revertens in civita-*
tem esuriit, et videns fici arborem unam secus viam,
venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum ;
et ait illi : Nunquam ex te nascatur fructus in sempi-
ternum. Dominus enim, qui nunquam sine ratione
aliquid agit, quando sine ratione aliquid agere vi-
detur, alicujus magnæ rei significatio est. Cui enim
rationabile videatur, ut eo tempore in arbore fru-
C ctum quærat, quo sine fructu arbores sunt? Nun-
quid enim fructuum tempus ignorat, fructuum, et
arborum temporumque Creator? Esurit igitur Do-
minus non ficus, sed fidem : neque fructus arboris
quærit, sed fructum operis. Hæc enim ficus Syna-
goga est, quæ secus viam plantata, nullum trans-
euntibus solatium parat. Venit Dominus ad eam, et
nihil nisi folia invenit in ea. Folia enim verba sunt,
folia litteræ sunt ; hæc habet Synagoga ; bene loqui-
tur, sed non agit quod loquitur. Omnia autem hæc
de illa parte Synagogæ intelligi debent, quæ in sua
infidelitate perdurat, et loquacitatis foliis obumbrata spiritualis intelligentiæ fructum non reddit ;
huic enim maledixit Dominus. Pro alia vero Syna-
gogæ parte oravit dicens : « Pater, ignosce illis, non
D enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Isti
igitur, qui maledicuntur, et qui in æternum fructum
non reddunt, Scribæ et Pharisæi sunt, qui in Sal-
vatoris nostri morte nimia invidia exarserunt. Et
arefacta est continuo ficulnea : et videntes discipuli
mirati sunt dicentes : Quomodo continuo aruit ?
« Altera vero die, ut Marcus ait, cum mane inde
transirent, dixit Petrus ad Jesum : Rabbi, ecce ficus
cui maledixisti, aruit (*Marc.* XI, 12). » Quotidie
Dominus infructuosis arboribus et iniquis hominibus maledicit, et quotidie arefiunt, et igni traduntur,
quibus maledicit. Maledicit autem et per se, et per

HOMILIA XXX.

FERIA III POST DOMINICAM I QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Si nulla haberentur codicum mss. testimonia (quæ quidem plura sunt, Vallicellani nempe, Laurentiani et Casinensis) homilia tamen hæc nonnisi Brunoni nostro esset ascribenda. Argumentum enim quod agit, nempe detestationem Simoniæ, quæ ejus tempore valde grassabatur in Ecclesia, satis comprobat ejus genuinum auctorem, et detegit suppositionem editoris Eusebii Emiseni, qui eam inter ejus homilias publicavit. Tota etiam legitur in comment. in Matth. sub num. 86, c. 2. Edita ante fuit a Marchesio tom. II, pag. 31, sed longe perfectior est commentarii lectio. Pro gravitate rei de qua persæpe occurret sermo hic rursum exhibemus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXI, 10). *n illo tempore cum intrasset Jesus Hierosolymam ommota est universa civitas dicens : Quis est hic ? ᵖopulus autem dicebat : Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ.* Et reliqua.

In proximo enim bella acturus, et de hostibus riumphaturus cum triumpho, et gloria ad impiam ivitatem et ad locum certaminis Dominus venit. ertus enim de victoria ante bellum, quod fieri non olet, triumphum suscepit. Ingressus igitur civita-m cum hac tanta gloria, *commota est universa ivitas dicens : Quis est hic ?* Omnes ei obviam unt, omnes eum videre desiderant, et ipsa facie gnoscere cupiunt, quem jam in miraculorum gloria gnoverant. Suscitaverat enim Dominus Lazarum is diebus, ad cujus miraculi magnitudinem omnes pebant. *Et intravit Jesus in templum Dei, et ejecit nes vendentes et ementes in templo, et mensas ummulariorum, et cathedras vendentium columbas ertit.* Audite hæc, Simoniaci, audite nefandi negotiatores ; aut cessate a negotiis, aut exite de templo. Non enim unum, vel duos, sed indifferenter mnes et vendentes, et ementes Dominus templi ecit de templo. Ipse et mensas nummulariorum, t cathedras vendentium columbas evertit. Vos ummularii estis, vos columbas venditis, vos sine ummo et pretio nihil agitis. Columbas enim ven-unt, qui vel Ecclesias, vel sancti Spiritus gratias retio largiuntur : horum autem cathedras Dominus vertit, ut per hoc eos non esse episcopos intelliga-us. (1652) *Et dicit eis ; Scriptum est : Domus mea omus orationis vocabitur ; vos autem fecistis eam eliuncam latronum.* Latrones enim vos estis : « Qui nim non intrat per ostium in ovile ovium, fur est t latro. (*Joan.* X, 1). » Ostium enim Christus est, ui, quoniam per eum non intrastis, vestras cathe-ras evertit; per hoc enim ostium illi intrant, qui ecundum canonum instituta constituuntur. Exite

(1652) Sunt enim valide ordinati, sed illicite, t juxta canones ob Simoniæ crimen ab exercitio rdinis suspensi. Consule præfationem Lazarii in comment. ad Evang., et quæ in tractatu de mysteriis et sacramentis Ecclesiæ dicturi sumus.

Digitized by Google

servos suos. Unde et subjicitur : *Respondens autem Jesus ait eis : Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed si monti huic dixeritis : Tollere, et jacta te in mare, fiet.* Hanc enim fidem Christi discipuli postea habuerunt ; quia cæcos illuminantes, leprosos mundantes, mortuos suscitantes, et alia miracula facientes, verum esse quod Dominus promiserat ipso experimento didicerunt.

HOMILIA XXXI.

FERIA IV POST DOMINICAM I QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Ex quatuor commentarii in Matthæum locis positis sub numm. 48, 49, 50, 51, cum homilia sequens a Marchesio edita pro feria IV post I Dominicam Quadragesimæ concinnata sit, et res omnino diversæ in illis agantur, ægre his scriptoribus consentio, qui S. Brunonem ejus auctorem asserunt. Probabilius consuta ab aliquo librario videtur, cujus studium fuit homiliam quamcunque condere et locum in serie homiliarum adimplere. Cum vero priori parti, quæ est sub num. 48, c. 1, aliqua a Marchesio addita referantur, de his copiam lectoribus faciam.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XII, 38). *In illo tempore : Accesserunt ad Jesum Scribæ et Pharisæi, dicentes : Magister, volumus a te signum videre.* Et reliqua.

Quanta est superbia Scribarum et Pharisæorum ! quanta est stultitia et infidelitas eorum ! Non rogant, non humiliter postulant, sed, inflato stomacho et erecta cervice dicunt : *Volumus a te signum videre.* Signa videre volunt, credere autem nolunt. Sed quare signa quærunt, qui jam tot signa viderunt ? Nunquid enim signa non sunt, quod mortui resurgunt, quod cæci illuminantur, leprosi mundantur, paralytici curantur, et dæmones ejiciuntur ? Omnia hæc enim signa sunt. Unde et puerum centurionis sanaturus Dominus ait : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Qui respondens ait illis : Generatio mala, et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.* Dum enim signa Pharisæi videre volunt, audiunt non immerito, quod audire nolunt. *Generatio mala et adultera*, quæ toties cum idolis fornicata et deos gentium est secuta, signum quærit. Judæi enim signa petunt, et Græci sapientiam quærunt : *Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.* Magnum est enim signum Jonæ prophetæ, in quo Christi mors, sepultura et resurrectio, in quo Judæorum perditio, **407** et salus gentium significatur. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* — Quid est autem in corde terræ, nisi in affectu et desiderio Judæorum ? Et tale est ac diceret : Magnum sit vobis hoc et mirabile signum, quod tribus diebus et tribus noctibus ita me vestræ potestati subjiciam, ut in me faciatis quidquid desideratis. Terra autem dicuntur Judæi, quia cœlestium obliti, sola terrena et transitoria quærunt. Hæc est autem illa terra petrosa et spinosa, in qua verbi Dei semen crescere et fructificare non potest. Multoties enim Judæi voluerunt capere et tenere Jesum, et non potuerunt. Sed quid mirum ? Nunquam enim in eum, si voluisset, potestatem habuissent. Unde et Pilato ait : *Non haberes in me potestatem, nisi datum fuisset tibi desuper.* Itemque : *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum.* Tribus igitur diebus et noctibus fuit Dominus in corde terræ, id est in voluntate et potestate Judæorum, quia et illa nocte, in qua captus est, et tota nocte diei Sabbati in eorum potestate fuit ; similiter et tota die, in qua passus est, et tota die Sabbati, et principio diei Domini in illorum fuit potestate, quia et vivum crucifixerunt, et mortuum sepelierunt, et sepultum in custodia habuerunt. Usitatissimum etenim est, non solum in scripturis, verum etiam in vulgata locutione partem pro toto ponere. Sic enim a longe prospicientes dicere solemus : Video hominem, cum non totum hominem, sed aliquam ejus partem videamus. Similiter autem dicimus ille homo bene videt, bene audit, bene loquitur, cum soli oculi videant, solæ aures audiant, et sola lingua loquatur. Similiter etiam dicimus : Ille homo vulneratus est, cum solus pes et sola manus vulnerata sit. Fuit igitur Dominus tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ, quamvis non integris tribus diebus et noctibus. Hæc autem sententia omnibus aliis planior mihi et clarior esse videtur. Sequitur : *Viri Ninivitæ surgent*, etc.

(*Sequentia ad num. 48 et ad 49 spectant, et in editione legi possunt a pag.* 66 *ad pag.* 68.)

HOMILIA XXXII.

FERIA V POST DOMINICAM I QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Adeant lectores commentarium in Matthæum sub num. 64, c. 2, et totam homiliam pro hac die assignatam, ne verbo quidem immutato invenient. De usurpatione S. Brunoni ab editoribus Eusebii Emiseni facta tanto magis certiores reddentur, cum evulsam ex integro ab eodem comment. videbunt ; idem est principium, idem et finis. In edit. Paris. est pag. 59. In edit. Marchesii habetur pag. 33. De muliere Chananæa elegantem pariter homiliam egit S. Maximus Taurin. pag. 674.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XV, 1). *In illo tempore : Egressus Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis, et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens : Miserere mei, Domine fili David. Filia mea a dæmonio male vexatur.* (Qui *non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes : Dimitte eam quæ clamat post nos.* Et reliqua.

Inc. : Hæc est igitur causa, cur clamantem mulierem Deus non exaudit, etc.

Des. : Vita vivet, et non morietur.

HOMILIA XXXIII.

FERIA VI POST DOMINICAM I QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Satis adnotasse erit hanc homiliam sicut præcedentem in comment. Joannis sub num. 14 contineri ; quare supervacaneum ducimus eam alio argumento ab Eusebio Emiseno, cui in edit. tribuitur, vindicare. Facta enim a nobis collatione cum Marchesio tom. II, pag. 33, nihil novi invenimus.

Digitized by Google

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (IV, 47). *In illo tempore: Erat dies festus Judæorum, et ascendit Dominus Hierosolymam.* Et reliqua.

Inc.: Ad dies festos Judæorum Dominus ascendit, ut populis, etc.

Des.: *Et nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.*

408 HOMILIA XXXIV.

SABBATO POST DOMINICAM I QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Cum hac de homilia aliqua in commentario desint, ut lectoribus connexio partium sit manifesta; eam qualem dedit Marchesius tom. II, p. 34 et seq., producimus, admonentes inter Eusebianas vulgatam pag. 62 nihil omnino ab ea differre, tam in principio quam in fine. Editores Bibl. Patrum Lugdunenses sub nomine Eusebii Gallicani cum reliquis, ut diximus, in lucem emiserunt. In comment. Matth. est num. 70, p. 84, col. 2, in fine.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XVII, 1). *In illo tempore, assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.* Et reliqua.

Dominus et Salvator noster, sicut legitur paulo superius, promiserat discipulis suis, dicens: *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Si enim de illo regno et de illa gloria intelligamus, in qua modo cum angelis suis se judicaturum venire promisit, stare non potest. Nemo enim ibi erat, ubi Dominus ista dicebat, qui mortem jam non gustaverit; ipse tamen ad judicium nondum venit. Qualiter autem hæc intelligi debeant, sequentia manifestant. Ait enim Evangelista: *Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.* Isti igitur sunt, de quibus modo dixerat: *qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo;* scilicet apparentem in virtute et gloria regni sui. (1653) Transfiguratus enim Dominus, talis in monte, tribus istis suis discipulis apparuit, qualis post hanc vitam in regno suo cunctis suis fidelibus apparebit. Sed quare Salvator noster in illam suæ claritatis speciem transfigurare se voluit, nisi ut illius gloriæ, quam prædicabat, nos eo ederet certiores? Unde et tres suos discipulos, qui Ecclesiæ columnæ alibi vocantur, adesse voluit, qui hujus tantæ visionis testes existerent. Sufficiunt isti tres ad hoc testificandum, quia, sicut scriptum est: « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum (*Matth.* XVIII, 16). » Quis enim non credat quod Petrus, Jacobus, et Joannes testantur? Recte autem in excelso monte ista fiebant, quæ postmodum in cœlis fieri debeant. Fiunt vero post dies sex, quia, ut Apostolus ait, hujus vitæ labore finito, qui in sex diebus agitur, « relinquitur Sabbatismus, et reguies populo Dei (*Hebr.* VI, 9). » Multum igitur desiderare debemus, ut hi sex dies transeant, quatenus Regem nostrum in suo decore suæque majestatis gloria videamus. « Scimus enim, ait Joannes, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix (*I Joan.* I, 3). » Nihil Evangelista sole splendidius invenire poterat, cui Christi faciem et vestimenta assimilaret. Nos autem sole splendidiorem eum esse non dubitamus; non enim creatura Creatori ad plenum similis esse potest. *Et ecce apparuit illis Moyses et Elias cum eo loquentes.* Sed quare Moyses et Elias? In Moyse namque legem, in Elia prophetas videmus. Vident igitur apostoli Moysen et Eliam cum Christo loquentes; vident legem et prophetas ei testimonium dantes. Unde et Habacuc propheta ait: « In medio duorum animalium cognosceris (*Habac.* III, 3). » Usque hodie namque in medio duorum animalium, in medio Moyse et Elia, scilicet in lege et prophetis Christus cognoscitur et videtur. Lege libros Moysi, lege prophetarum libros, ibi Christum invenies, ibi eum cognosces et videbis; ibi enim transfiguratur, ibi suis fidelibus ejus majestatis gloria revelatur. Loquebantur isti duo viri, ut Lucas ait, simul cum Jesu de morte ejus, quam in proximo passurus erat in Jerusalem. Et fortasse læti, quia videbant suæ redemptionis totiusque humani generis diem appropinquare. *Respondens autem Petrus dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse; si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Cognovit igitur Petrus Moysen et Eliam, quos nunquam amplius viderat; quamvis, ut alii evangelistæ dicunt, quid diceret, ignoraret. (1654) Ignorabat quidem quia non a seipso loquebatur; alius enim erat, qui loquebatur in eo. Tria tabernacula facere, non est necesse: tria sufficiunt. De tribus tabernaculis Apostolus scribens, ait: « Tabernaculum factum 409 est primum, in quo erat candelabrum, et mensa, et propositio panum, quod dicitur Sancta (*Hebr.* IX, 2). » De secundo sic ait: « Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virgam Aaron, quæ fronduerat, et tabulas testamenti (*ibid.*, 3). » De tertio vero sic: « Christus, inquit, assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, scilicet non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa (*ibid.*, 11). » Primum igitur tabernaculum est Synagoga, secundum Ecclesia, tertium cœlum. Et primum quidem fuit Moysi, qui illius populi princeps fuit. « Elias quidem venturus est, et restituet omnia (*Matth.* XVII, 11). » Tertium vero Christi, de quo Apostolus ait:

(1653) Prosequitur S. Bruno ex commentario in Evang. num. 70, c. 1.

(1654) Huc usque commentarius.

Digitized by Google

« Non enim in manufactis sanctis introivit Jesus, sed in ipsum cœlum, ut appareat vultui Dei pro nobis (1655). » Primum in umbra fuit et figura; secundum in figura est, et veritate; tertium in veritatis aula. In primo ostenditur vita; in secundo datur; in tertio possidetur. Non enim sacramenta Ecclesiæ, ut sacramenta Synagogæ medicinam docent et ostendunt; sed ipsa potius sunt medicina et remissio peccatorum. Et primum quidem tabernaculum habuit candelabrum, patriarchas videlicet et prophetas habuit, et mensam, legem scilicet juxta litteram, in qua mensa erant panes, id est cibi spirituales, qui in ea littera continebantur. Sed quid illis candelabrum, mensam et panes habuisse profuit? Apostolus enim dicit : « Cæcitas ex parte contigit in Israel (*Rom.* xi, 5). » Et propheta : « Quis cæcus nisi populus meus? (*Isai.* xlii, 19.) » Itemque : « Excæca cor populi hujus (*Isai.* vi, 10). » Et Psalmista : « Fiat, inquit, mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum (*Psal.* lxviii, 22). » Et alibi : « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (*Thren.* iv, 4). » Sic igitur Judæi habentes non habuerunt, et legem tenentes nescierunt. Secundum autem tabernaculum thuribulum aureum habuit, ipsos videlicet apostolos, qui odorem notitiæ Dei manifestantes in omni loco, aliis erant odor vitæ ad vitam, et aliis odor mortis ad mortem. Arca vero et Ecclesia idem significant; quæ bene auro circumtecta dicitur, quia et interius per scientiam et sanctitatem, et exterius per prædicationem et operationem refulget. In hac autem est urna aurea habens manna, Christus videlicet Dominus noster, ut per urnam humanitatem, et per manna divinitatem intelligamus. In hac est et virga Aaron, quæ fronduerat, per quam B. Mariam virginem intelligimus, quæ contra naturam foruit, contra naturam concepit et peperit. Sicut et illa virga cum esset sicca contra naturam, et flores, et frondes, et nuces germinavit. Tabulæ vero Testamenti, quæ ibi erant, utriusque Testamenti scientiam sanctam Ecclesiam et habere et possidere significabant. De tertio vero tabernaculo nihil tale dicitur. Non candelabrum, non mensa, non arca, vel urna ibi ponitur, nihil est ibi in figura, omnia sunt ibi in veritate. Unde Apostolus ait : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum (*I Cor.* xiii, 12). » Hæc sunt autem tria tabernacula, quæ beatus Petrus in extasi positus facere voluisse narratur (1656). Sequitur : *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* In nube enim Deus apparuit, quia in sua majestate ab hominibus videri non potest; sicut ipse ait : « Non videbit me homo, et vivet (*Exod.* xxxiii, 20). » Possumus autem per hanc nubem divinam Scripturam significare, quæ aquâ sapientiæ plena intelligentibus lucida, non intelligentibus obscura apparet. In hac quidem nube omnipotens Deus audiri quidem potest, videri autem et intelligi sicuti est, non potest. Ubique enim eum loquentem audivimus, nusquam autem, nisi per speculum et in ænigmate eum videmus; ipse enim in prophetis, ipse in apostolis loquitur. Unde ipse Dominus ait : « Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis (*Matth.* x, 20). » Nubem igitur videre possumus, ipsum autem, qui in nube loquitur, videre non possumus. Nam et modo in hac nube sacri Evangelii eum loquentem audivimus; eum tamen non videmus. Cujus enim nisi illius vox est, quæ istæ litteræ sonant : *Hic est Filius meus in quo mihi bene complacui.* Bene enim in Filio suo sibi complacuit, qui in hominis creatione sibi displicuit. Unde ipse ait : « Pœnitet me fecisse hominem (Gen. vi, 7). » Hunc autem audire, huic et credere, et obedire nos admonet. Cui enim, nisi sapientiæ, veritati et justitiæ credere debemus? ipse enim est Dei virtus, et Dei sapientia, ipse est via, veritas et vita. *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.* Quid enim si speciem ejus viderent, qui ejus vocem ferre non potuerunt? *Et accessit* **410** *Jesus et tetigit eos, dixitque eis : Surgite, et nolite timere.* Beati illi, quos tangit Jesus; beati illi, quos salus tangit, et vita; illi enim surgunt sine timore, et securi sunt. Rogemus igitur eum ut et nos tangat, et a somno stuporis et insipientiæ excitet, atque ad se videndum oculos nobis aperiat. Levantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Jesum. Sufficit videre Jesum, sufficit videre illam lucem, quam « qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* viii, 12). » — *Et descendentibus illis de monte præcepit Jesus, dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis resurgat a mortuis.* Conveniens enim erat, ut hæc tanta gloria ejus tunc primum prædicaretur, quando carnis mortalitate exutus novæ resurrectionis gloria et decore indueretur.

DOMINICA II QUADRAGESIMÆ.

(*Idem evangelium et eadem homilia ut in die precedenti.*)

HOMILIA XXXV.

FERIA II POST DOMINICAM II QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Non opus est ut sequentem homiliam in Marchesio, vel in edit. Eusebii quæramus; eam fideliter præstat commentarius in Joannem sub num. 25.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (viii, 21). *In illo tempore : Dixit Jesus turbis Judæorum : Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini.* Et reliqua.

Inc. : Ego, inquit, vado. Ego ad Patrem redeo, etc.

(1655) Lectio Vulgatæ ita est ad Hebr. cap. ix, 24 : « Non enim in manufacta sancta Jesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. »

(1656) Hic finem habet additio; sequentia ex commentario mutuata sunt.

Digitized by Google

Des. : Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.

HOMILIA XXXVI.

FERIA III POST DOMINICAM II QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Expositio quam sanctus Bruno egit loci hujus Evangelii translata est in usum homiliæ, nulla facta additione. Quare eam legentes sub num. 94, c. 1, comment. in Matth., absque eo quod Marchesium, aut Eusebium Emisenum consulant, totam expositoris doctrinam habebunt.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXIII, 1). *In illo tempore, locutus est Jesus ad turbas et ad discipulos suos, dicens : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.* Et reliqua.

Inc. : Quid est sedere super cathedram Moysi, etc.

Des. : Deposuit volentes ne sole, et exaltavit humiles.

HOMILIA XXXVII.

FERIA V POST DOMINICAM II QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Facili quidem negotio homiliam hanc obtinebimus, si ad commentarium in Lucam oculos convertamus. Collector homiliarum, vel idem auctor S. Bruno ex illo a capite usque ad finem eam deprompsit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XVI, 19). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.* Et reliqua.

Inc. : Hæc verba et divitibus et pauperibus valde necessaria sunt, etc.

Des. : Timent et orant, ne et ipsi decipiantur.

411 HOMILIA XXXVIII.

FERIA VI POST DOMINICAM II QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Non est dissimilis hæc homilia a præcedentibus cujus textus a commentario in Matthæum sub num. 88, c. 2 exscriptus est. Idem enim est principium, et pauca solum in fine addita sunt, quorum omissio nihil refert. Eusebio Emiseno, ut superiores, est attributa, et sub num. 40 posita. Lugdunenses editores in Bibl. Patrum, ut diximus, pro Eusebio Emiseno Eusebium Gallicanum usurpant, et exstat tom. VI, pag. 726.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXI, 33). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis et turbis Judæorum parabolam hanc : Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et seve circumdedit ei.* Et reliqua.

Inc. : In figura hujus hominis patrisfamilias Deum patrem significat, etc.

Des. : Hæc igitur causa quod eum tenere volentes eum tenere non potuerunt.

HOMILIA XXXIX.

SABBATO POST DOMINICAM II QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Opportune facta est editio commentarii S. Brunonis in Evangelia, ut lectione ejus plura errata, quæ in editione Homiliarum Marchesii irrepserunt, corrigantur. Si idem commentarius paulo post medium sæculi XVI cognitus fuisset, nullus ausus esset Eusebium vel Emisenum, vel Gallicanum effingere, eisque ascribere, quæ certissime S. Brunonis Astensis opera demonstratur. Hæc homilia ex integro ab eodem comment. in Lucam n. 36 decerpta, attamen eidem Emiseno attributa.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XV, 11.) *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Homo quidam habuit duos filios.* Et reliqua.

Inc. : Homo iste, Deus ipse hoc in loco intelligitur.

Des. : Et taliter ea habemus, ut aliter ea habere nolimus.

HOMILIA XL.

DOMINICA III QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Caret commentarius Evangelii secundum Lucam cap. II loci hujus, qui hac in Dominica legitur, expositione. Pro ea supplere potest homilia tum a Marchesio, tum sub noto auctore Eusebio Emiseno edita, quam et nos iterum in Lucam emittimus. Monitos attamen facimus lectores primæ parti assutam esse illustrationem cap. XII. Matth. V, 25, ubi de dæmone Beelzebub agitur sub num. 47, c. 1, usque ad illa verba : *Quoniam ligatos eos teneo, et vinctos habeo.* Quæ sequuntur post illa Luc. XI, 13 : *Qui non colligit mecum, dispergit.* Legantur in eod. comm. in Matth. sub num. 49 et 50.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XI, 14). *In illo tempore, erat Jesus ejiciens dæmonium.* Et reliqua

Beatus Matthæus evangelista hominem istum non solum mutum, sed etiam cæcum (*Matth.* XII, 22) fuisse narrat. Cæcus est enim omnis homo, qui eam lucem non sequitur, quæ ait : « Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VI, 8). » Mutus vero, qui peccatum suum confiteri, et in Dei laudibus labia sua aperire nescit. Dæmonium autem ille habet, qui in aliquo magno peccato perseverat ; ideoque Apostolus nos admonet, dicens : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore (*Rom.* VI, 12). » Quandiu enim peccatum in homine regnat, tandiu victus et captus a diabolo possidetur. Hic igitur cæcus et mutus si Domino offeratur, si ad pœnitentiam convertatur, mox Jesus curabit eum ; ita ut ejecto dæmonio loquatur et videat. Loquatur autem non vana et inutilia, ut prius, sed sancta et religiosa, qualia loqui convenit Christianum. Videat vero non vanitates oculis cordis, sed lumen vitæ et veritatis oculis mentis. *Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* De his autem Matthæus evangelista sic ait : *Pharisæi autem hæc audientes dixerunt : Hic non ejicit dæmones* 412 *nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Quanto enim Pharisæi cæteris meliores et sapientiores esse videbantur, tanto multoties majori invidia contra Dominum movebantur. Sed quis Pharisæi vos ista docuit? Nisi enim Beelzebub discipuli essetis, hæc talia in ejus præconio non diceretis. Videtis Jesum mortuos suscitare, cæcos illuminare, leprosos mundare, omnes languores omnesque infirmitates curare, et dicitis quia in Beelzebub ejicit dæmonia? Nunquid enim Beelzebub, deus muscarum, hæc aliquando facere potuit? « Alii autem tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo (*Luc.* XI, 16). » Quibus, quid Dominus responderit, alius evangelista exponit, dicens : *Generatio hæc prava et perversa signum quæ-*

Digitized by Google

rit (1657), *et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* Sufficiat vobis hoc signum, neque de terra, neque de cœlo dabitur vobis aliud signum. Magnum enim et admirablle signum est, quod ille, qui omnia in potestate habet, tribus diebus et tribus noctibus seipsum in hominum potestate esse permisit. Quid est enim in corde terræ, nisi in affectu, in potestate et in desiderio peccatorum? Unde ipse quoque Dominus Pilato dicebat : « Non haberes in me potestatem, nisi datum fuisset tibi desuper (*Joan.* XIX, 11). » Sicut autem cœlum significat justos, ita et terra significat peccatores. Hæc autem jam superius exposita sunt. Sequitur : *Ipse autem ut vidit cogitationes ipsorum, dixit : Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet; si autem Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius, qui dicitis in Beelzebub ejicere me dæmonia?* Evidenti syllogismo eos concludit, qui eum in Beelzebub dæmonia ejicere dicunt (1658). Si enim ita esset, ut illi dicunt, jam quidem Beelzebub vires principatus et regnum penitus amisisset. Si enim contra se dæmonia bellum gererent, aut parvas aut nullas contra homines vires haberent. Sed quod pejus est, vix inveniuntur aliqui homines, qui tantam concordiam habeant in bono, quantam maligni spiritus habent in malo. Cum enim sint infiniti et innumerabiles, omnes tamen in eo concordant quod nihil nisi malum facere desiderant. Si igitur hanc iniquitatis concordiam non habuissent, et ad pœnitentiam converti voluissent et potuissent, jam quidem regnum Beelzebub desolatum fuisset; hoc autem in aliis regnis fieri videmus. Non est igitur, ut illi dicunt, neque Satanas Satanam ejicit, quin potius omnes in omnibus sibi invicem auxiliantur. Unde etiam per beatum Job a Domino diabolo dicitur : « Corpus illius quasi scuta fusilia, et compactum squamis se prementibus, una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhærebat, et tenentes nequaquam separabantur (*Job* XLI, 6). » His enim verbis malignos spiritus tantam in se concordiam habere designat, ut nullatenus ab invicem separari queant. Corpus enim diaboli totus ille malignorum spirituum exercitus intelligitur. Dicuntur autem scuta fusilia maligni spiritus per fortitudinem, dicuntur et squamæ se prementes, seque mutuo tenentes, sibique invicem adhærentes propter nimiam concordiam et unitatem, quam habent in omni malitia et nocendi cupiditate. Utinam si fieri posset, hæc tanta illorum pax et concordia rumperetur, et regnum illud iniquitatis solveretur. Sequitur : *Et si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Si, inquit, de me talia cogitatis, quid dicitis etiam de discipulis meis? Scio enim quod non bene intelligitis de discipulis, qui tam nefanda de magistro cogitatis. Hoc est enim quod superius dixerat : *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Dicuntur autem apostoli filii Pharisæorum, quoniam et ipsi, et cæteri omnes qui credebant resurrectionem, quam Pharisæi prædicabant, quasi patres et magistros Pharisæos habebant. Unde etiam illius sectæ eos fuisse intelligi potest : hæc enim secta cæteris melior erat, quamvis et ipsa in pluribus bona non erat. Ideoque in Actibus apostolorum Paulus quoque apostolus clamasse legitur : « Pharisæus sum : de spe et resurrectione mortuorum ego judicor (*Act.* XXIII, 6). » Hæc est igitur causa, quare Christi discipuli Pharisæorum filii dicantur. Sequitur : *Ideo ipsi judices vestri erunt.* Ipsi enim sedebunt super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. *Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto in vos pervenit regnum Dei.* Hoc autem quid significet alius evangelista ostendit, dicens : « Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones (*Luc.* XI, 20). » Quod utique verum est, et dubitari non debet; igitur *pervenit in vos regnum Dei.* Ubi enim est Spiritus Dei, ibi est regnum Dei. Vocatur autem *digitus Dei* Spiritus sanctus, propter multiplicem gratiarum divisionem. In nulla enim corporis parte tanta divisio, quanta in digitis invenitur. Et tale est ac si diceret : Ego quidem in Spiritu Dei et virtute divinitatis dæmones ejicio, quoniam subditi mihi sunt, quoniam in **413** mea potestate sunt, quoniam mihi resistere non possunt, quoniam ligatos eos teneo et vinctos habeo.

Huc usq. ex cit. comment. in S. Matth. Et hoc est, quod ait : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.* Fortis enim erat diabolus; sed fortior ego sum. Intravi in domum ejus, veni in hunc mundum, quem ipse, ut domum propriam possidebat; sed prope est ut princeps mundi hujus ejiciatur foras. Ligavi eum, vasa ejus diripui, et miseros homines, quos invaserat, de ejus servitute liberavi. Non est igitur ipse mecum, neque congregat mecum, neque dæmones ejicit mecum, non sanat homines, ut ego, non congregat oves, neque ad vitæ pascua ducit, sicut ego. Quid igitur facit? Vis audire quid? Spargit, dissipat, occidit, et quoscunque potest ad mortem et æternam damnationem secum trahit. Hoc est enim quod dicit : *Qui non est mecum contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit.*

HOMILIA XLI.

FERIA II POST DOMINICAM III QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Breviter huic homiliæ monito satisfaciam dicens, eam præter pauca in exordio ejusdem integram assequi posse in Lucæ comment. Inter Eusebianas pariter locum habet num. 43, et in editione Marchesii pag. 41.

(1657) In Vulg., Matth. XVI, 4 legitur : « Generatio mala et adultera signum quærit, » etc.

(1658) Ex hoc loco incipit expositio S. Brunonis in cap. XII S. Matthæi num. 47.

Digitized by Google

Lectio S. Evangelii secundum Lucam (IV, 11). *In illo tempore dixerunt Pharisæi ad Jesum : Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.* Et reliqua.

Inc. : Legitur superius in hoc Evangelio, quod, cum Dominus venisset in patriam suam, et secundum consuetudinem, Synagogam introiisset, traditus est ei liber Isaiæ prophetæ, in quo cum legisset, et sicut voluit exposuisset, omnes ei testimonium dabant, et admirantes dicebant : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Et paulo post mente mutata, invidia quadam et indignatione dicere cœperunt : *Nonne hic est filius Joseph ?*

(*Nihil aliud præstat homilia, cætera haurienda in comment. ut dictum est.*)

Des. : Canes contemnit hinc inde latrantes.

HOMILIA XLII.

Feria III post dominicam III quadragesimæ.

Admonitio. — Nihil mihi hac pro homilia admonere occurrit; nisi, ut indicem fontem a quo purior et emendatior, quam in Marchesio pag. 42, hauriri potest, qui est comment. in Matth. n. 76, c. 2. Iisdem verbis in utroque incipit et desinit.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum (XVIII, 15). *In illo tempore, respiciens Jesus discipulos suos dixit Simoni Petro : Si peccaverit in te frater tuus.* Et reliqua.

Inc. : Hæc autem apostolis, eorumque successoribus, episcopis videlicet et sacerdotibus Dominum specialiter dixisse, etc.

Des. : Nihil minus est septies, quam septuagies septies.

HOMILIA XLIII.

Feria IV post dominicam III quadragesimæ.

Admonitio. — Nunquam satis laudaverim editionem commentariorum S. Brunonis in Evangelia cura et studio clar. Lazzarii publici juris factam, cum in ea S. episcopi sapientia, et dicendi elegantia eniteat quam maxime. Econtra Marchesii editoris errata plurima obscurant passim sensum, et rectæ interpretationis lucem obnubilant. Sit exemplo hæc homilia, quæ longe emendatior in commentario in Matthæum legitur num. 63, c. 2. Habet etiam Eusebius Emisenus num. 45.

414 Lectio S. Evangelii secundum Matthæum (XV, 1). *In illo tempore accesserunt ad Jesum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisæi dicentes : Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?* Et reliqua.

Inc. : Seniorum namque traditiones, non prophetarum dicta, etc.

Des. : Manducare non lotis manibus rusticitas est non peccatum.

HOMILIA XLIV.

Feria V post dominicam III quadragesimæ.

Admonitio. — Concordes sunt mss. codd. cum editionibus Marchesii, et suppositi Eusebii in assignanda die hac pro homilia, similiterque in principio et in fine ejusdem conveniunt. Sed deest in commentario, eamque ex Marchesio exscripsimus, et cum editione Eusebii Parisiensi contulimus.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam (IV, 38). *In illo tempore, surgens Jesus de Synagoga intravit in domum Simonis, socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Et reliqua.

Scire enim oportet quæ sit uxor Petri, ut possimus scire quæ sit socrus ejus. Petri namque uxor Ecclesia est, quoniam ei a Domino specialiter tradita est, dicente Domino : « Si diligis me, pasce oves meas (*Joan.* XXI, 17). » Ejus igitur socrus est Synagoga, quia ipsa est mater Ecclesiæ. Unde eidem in Canticis canticorum ait Dominus : « Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genetrix tua (*Cant.* VIII, 5). » Hæc autem jacet in domo Petri, et febricitat, quoniam usque hodie inter Christianos Synagoga infirma moratur et habitat. Ubicunque enim est Ecclesia, ibi est et domus Petri. Hujus autem manum circa mundi finem Dominus tanget, et tunc febre fugata surget et ministrabit Domino. Tunc enim ejus manum tangit, quando ejus opera approbabit. Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem : « Ipse iniquitates nostras accepit, et ægrotantes portavit (*Isa.* LIII, 4). » Verbo enim spiritus ejecit ille, de quo scriptum est : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Verbo quidem, quia propria virtute. Sed quare facto vespere, nisi quia hac ultima ætate, hac extrema hora ad sanandum, ad curandum et ad pellandum dæmonia venerat? Neque enim debuerat populus ille curari, nisi facto vespere, qui ad medicum non redit usque ad vesperam. Unde Psalmista ait : « Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem (*Psal.* LVIII, 15). » Tunc enim venient, tunc convertentur, tunc ægros suos, tunc animas suas multo languore confectas Judæi ad Dominum afferent, et sanabit eos, et ejiciet dæmonia ab eis : « Cum enim plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). » — « Et si fuerit numerus filiorum Israel, sicut arena maris, reliquiæ convertentur ad Dominum (*Ose.* I, 10). » Videns autem Jesus turbas multas circum se jussit ire trans fretum. Puto enim quod Jesus ideo propter turbas trans fretum ire jussit, quia, nisi per aquas baptismatis transeuntes vitiorum turbas, et malignorum spirituum exercitus evadere non poteramus. Et accedens unus Scriba ait illi : « Magister, sequar te, quocunque ieris. Dicit ei Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (*Matth.* VIII, 19). » Nihil Deum latet, nulla simulatio oculis ejus absconditur, omnia videt, et cogitationi respondet. Dicit Scriba : « Magister, sequar te quocunque ieris. » Dicit Jesus, non est ita; non vis me sequi, non vis mea præcepta servare, non video in te, ubi caput meum reclinem. Caput Christi Deus est. Deus autem in humili habitat, et quieto, et timente sermones ejus. In te autem quasi dicat : Vulpes foveas habent, eaque cum calliditate et simulatione loque-

Digitized by Google

dies : vulpes enim propter astutiam maligni spiritus dicuntur. Volucres etiam cœli dicuntur, quoniam in hoc aere obtinent principatum; et isti quidem in peccatoribus et iniquis hominibus nidos et foveas faciunt, in eorum cordibus malas cogitationes et iniquitatum germina pariunt. Alius autem de discipulis ejus ait illi : « Magister, sequar te. » Ait illi : « Sequere. » At ille ait : « Domine, permitte me primum ire, et sepelire mortuos meos » Jesus ait illi : « Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. » Alio enim spiritu loquebatur iste. Unde et merito non scribæ, sed discipulus dicitur. Neque sequi Dominum prohibetur; imo vero sequi et imitari jubetur. Volebat tamen primum ire et sepelire patrem suum. Opus quidem pietatis facere volebat; pietas tamen illa Domino non placebat. Quare hoc? Quia aliud significabat, nobisque in hoc facto exempla dabat, et tale erat ac si diceret : Venisti ad vitam, 415 vis redire ad mortem? Ego sum vita, ego sum creator et pater tuus, me sequere et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Mortui enim sepeliunt mortuos, quando peccatores quidem mortui (sunt mortui quidem, quia vita de qua diximus, in eis non est) mortalia opera et criminalia peccata in se abscondunt et celant. Et non solum hæc, verum etiam et patrem suum diabolum (de quo Judæis Dominus ait : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44). » In sepulcro pectoris sui sepeliunt, et quasi bonum aliquod servant et occultant. Talem igitur patrem sepelire, et sic sepelire Dominus prohibet.

HOMILIA XLV.

FERIA VI POST DOMINICAM III QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Explanationem hodierni Evangelii hic non afferimus, cum tota in commentario legi possit sub num. 11. Facta enim collatione cum vulgata homilia, nihil ei addere, vel demere habemus eadem omnino est.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (IV, 5). *In illo tempore venit Jesus in civitatem, quæ dicitur Sichar juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo*, etc.

Inc. : Hoc est illud prædium, de quo Jacob filium suum Joseph benedicens, ait, etc

Des. : Nisi eos ad audiendum, et credendum voluntarios prævidisset.

HOMILIA XLVI.

SABBATO POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Ex eodem commentario in Joannem num. 23 sumpta est hæc homilia, quæ et Eusebio Emiseno fuit attributa, in quo pauca verba in principio mutata leguntur, sed finis est idem. Extat Eusebii pag. 80, num. 48 Marchesius autem habet tom. II, pag. 46.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (VIII, 1). *In illo tempore perrexit Jesus in montem Oliveti, et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos.* Et reliqua.

Inc. : Quod enim Jesus in montem Oliveti ire, et orare, etc.

Des. : Sic igitur liberata est misera jubente misericordia.

HOMILIA XLVII.

DOMINICA IV QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Ex duobus commentariis in Joannem, et Matthæum conditam hanc homiliam comperimus; prima pars in comment. Joan. est num. 16, altera in Matth. num. 16. Inter reliquas Eusebii Emiseni nomine vulgatas, et sub hoc eodem dispositi convenit cum Marchesio in primis verbis, sed diversus finis in illo. Ut autem facile lectores priorem partem obtineant, eam hic subjicimus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (VI, 1). *In illo tempore, abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* Et reliqua.

Inc. : Magna miracula Dominus facturus, et novi mirabilisque panis delicias populis daturus monte ascendit, quatenus et nos quotiescunque spiritualibus, novisque epulis satiari cupimus, non montis, sed mentis altitudinem, et ingenii sublimitatem ascendamus. Quoniam autem talibus deliciis refecti festivitatem agere, et Christi carnem, et sanguinem sumere digni sunt, merito hic dicitur, quia proximus erat pascha dies festus Judæorum. Securi enim ad hanc festivitatem veniunt, quia talibus epulis sunt repleti. *Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum. Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Sciebat enim Dominus quid facturus erat; sed tentando 416 Philippum audire volebat quid de ejus omnipotentia sentiebat, simulque novum illud miraculum discipuli responsione extollebat. Cum ex quinque panibus tot homines reficere, quibus secundum illius testimonium ducentorum denariorum panes non sufficerent, ut unusquisque modicum quid accipiat. Sic enim Philippus respondit, dicens : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ejus Andreas frater Simonis Petri : Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces. Sed quid hæc inter tantos!* Puer iste populus Judæus est, sensus adhuc et intelligentiæ puerilis. Quinque vero panes, quinque libri Moysis intelliguntur. Quos panes populus ille ubique secum portat, et non comedit, quia legit tantum Scripturas et non intelligit. De his autem B. Matthæus evangelista sic ait.

(*Sequentia usque ad finem in comment. num. 61 continentur.*)

HOMILIA XLVIII.

FERIA II POST DOMINICAM IV QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Qualis expositio in comment. hujus loci Evang. Joannis num. 6, talis est homilia tam in Marchesio, quam in Eusebio : ipsis enim verbis apud utrumque incipit, iisdemque desinit. Quis auctor censeri debeat alio argumento non indigemus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (II, 13).

Digitized by Google

In illo tempore : Prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Hierosolymam Jesus, et invenit in templo vendentes boves et oves. Et reliqua.

Inc. : Hæc quidem in Matthæo exposita sunt.

Des. : Et iniquitatis esset in unoquoque homine.

HOMILIA XLIX

FERIA III post DOMINICAM IV QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Cum hujusce Evangelii arcana sensa S. Bruno perspicue docteque illustrasset, eamdem interpretationem ad usum homiliæ usurpavit; quare legentes apud Joannem num. 21 commentarium quidquid supposititus Eusebius, et Marchesius ediderunt, nihil aliud esse, quam eamdem expositionem, videbunt.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (VII, 14). *In illo tempore : Jam die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat.* Et reliqua.

Inc. : Diximus superius hanc festivitatem septem diebus celebrari, etc.

Des. : Ipsa testimonium perhibent de me.

HOMILIA L.

FERIA IV POST DOMINICAM IV QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Prolixum feriæ hujus Evangelium S. Joannis nonnisi prolixa oratione adornandum erat. Eam ergo provinciam obivit S. Bruno suo in commentario toto num. 27, et nihil profecto omisit, quod ad majorem lucem conduceret. Editiones tam Eusebii, quam Marchesii commentario plenissime conformantur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (IX, 1). *In illo tempore, præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate sua, et interrogaverunt discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur ?* Et reliqua.

Inc. : Ipse Salvator noster apertissime ostendit, etc.

Des. : Peccatum non haberetis, quia lucem ubæreretis.

417 HOMILIA LI.

FERIA V POST DOMINICAM IV QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Ab eodem promptuario commentationum S. Brunonis in Evang. Lucæ editores hanc homiliam hauserunt; nullus ergo alius auctor, quam idem commentator inscribatur. Apud Eusebium Emisenum est homil. 52, et in Marchesio pag. 50, tom. II. Exstat in comment. in Lucam.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (VII, 12). *In illo tempore ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa.* Et reliqua.

Inc. : Hæc autem vidua, quam turba multa sequitur, etc.

Des. : Manibus pedibusque ligatis prodiisse fertur.

HOMILIA LII.

FERIA VI POST DOMINICAM IV QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Ejusdem generis est sequens homilia ut sunt plures præcedentes, eruta nempe ex commentariis in Evangelia. Hujusce loci expositio totum occupat num. 32, in Joannem, nullaque facta est additio. Eamdem tribuerunt editores ejus Emiseno hom. 32 et Marchesius publicavit tom. II, pag. 51.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XI, 1). *In illo tempore : Erat quidam languidus a Bethania de castello, Mariæ et Marthæ sororis ejus.* Et reliqua.

Inc. : In magnis laudibus Mariæ scripsit hanc evangelista, etc.

Des. : Ab accusando dixerunt dubitari non potest.

HOMILIA LIII.

SABBATO POST DOMINICAM IV QUADRAGESIMÆ.

ADMONITIO. — Omnem attentionem sibi vindicat doctrina, visque argumentationis, qua hac in expositione perfidos et incredulos Judæos insectatus est S. Bruno sub num. 24, in Joannem. Eximie enim Christi divinitatem asseruit, et Judæorum incredulitatem Christum purum hominem blasphemantium vehementer objurgavit. Eodem modo homilia ab Emiseno num. 53, et a Marchesio tom. II, pag. 52 describitur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (VIII, 12). *In illo tempore : Dicebat Jesus turbis Judæorum : Ego sum lux mundi,* etc.

Inc. : Ego, inquit, sum lux mundi, ego sum illa lux, quæ illuminat omnem hominem, etc.

Des. : Erat igitur et hora ejus in ejus potestate, ut tunc, et non antea veniret, quam ipse juberet.

HOMILIA LIV.

DOMINICA PASSIONIS.

ADMONITIO. — Proœmium homiliæ quod incipit : *Præceperat Deus per Moysen*, usque ad illa verba : *Quare non creditis mihi*, additum est; prosequitur tamen perfecte concordans cum comment. per totum numerum 26. Hac de concione, ut de reliquis optime meritum fecere Eusebium Emisenum typographi Parisienses, et inter ejus supposititas homilias num. 54 collocarunt. Edidit quoque Marchesius pro eadem Dominica passionis tom. II, pag. 53.

418 LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (VIII, 46). *In illo tempore, dicebat Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum : Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ?* Et reliqua.

Præceperat Dominus per Moysen sacerdotibus Judæorum, ut ad nullum omnino mortuum accederent, nisi ad patrem et matrem, ad fratres et sororem, quæ virum non haberet. Præceperat præterea de summo sacerdote, ut neque ad patrem, neque ad matrem, neque ad aliquem omnino mortuum accederet. Sed quid per mortuum, nisi peccatum ? Peccatum enim mortis causa fuit, quoniam nisi primus homo peccasset, nemo unquam hominum moreretur. Accedere igitur ad mortuum, hoc est accedere ad peccatum; et est effectus pro causa. Præcipit igitur Dominus, ut sacerdotes ad mortuum non accedant, id est ut peccata mortalia non committant. Quamvis sine peccato nemo esse possit, sine crimine tamen sacerdotem esse oportet. Sed quia sine originali peccato nullus esse valet, ad parentum et proximorum mortem sacerdotes accedere non prohibentur. Omnium enim commune est originale peccatum : omnes igitur ad illud accedere non dubium est. Sed quid per sororem, quæ virum non habet intelligere debemus, nisi illas animas, quæ a patris domo et ab Ecclesia separantur ? Judæi nobis et hæretici sine

Digitized by Google

in exemplum, qui suas sequentes voluptates extra Ecclesiam pereunt : isti quidem sunt illæ sorores mortuæ, ad quas accedere non licet. Hoc audiant sacerdotes nostri, et ab omni opere mortuo, ab omni peccati contagione se immunes custodiant. Omnia enim in figura contingebant illis ; scripta sunt autem ad correctionem nostram. Nunc autem de summo sacerdote videamus, per quem Dominum et Salvatorem nostrum intelligimus, sacerdotum omnium maximum. Ipse enim ad nullum mortuum accessit, quia neque originale peccatum a parentibus traxit, neque a se peccatum aliquod commisit. Ipse enim est, de quo scriptum est : *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.* Ipse igitur solus est, qui ad patris et matris mortem, et peccatum non accessit. Dicat igitur, et confidenter dicat : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hoc enim significat illa vacca rufa, quæ sine macula describitur fuisse, de qua modo in Apostolo cum legeretur, audivimus. Sic enim dixerat Dominus Moysi : « Præcipe, inquit, populo, ut adducat ad te vaccam rufam non habentem maculam, ætatis integræ, et quæ nunquam portaverit jugum (*Num.* XIX, 2), » et quæ sequuntur. Sed quid vacca rufa, nisi caro Salvatoris nostri de armento patriarcharum et prophetarum assumpta intelligitur? Sed quare rufa, nisi quia proprio sanguine cruentata ? Cur autem ætatis integræ, nisi quia in juventute passus est Dominus ? Jugum autem non traxit, quia peccatum non fecit. « Nolite, inquit Apostolus, jugum ducere cum infidelibus (*II Cor.* VI, 14) ; » unde et immaculata dicitur ; unde et modo Dominus ait : *Quis ex vobis arguet me de peccato ?*

(*Quæ sequuntur videnda sunt in commentario sub num.* 26.)

HOMILIA LV.

FERIA II POST DOMINICAM PASSIONIS.

ADMONITIO. — Qui commentarium in hunc Evangelii Joannis locum conferent non tam certiores fient ab eodem desumptam homiliam a Marchesio tom. II, pag. 54 editam, sed multo emendatiorem comparare poterunt. Nulla fides typographis Parisiensibus remanet, qui eam Eusebio Emiseno supposuerunt.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (V, 36). *In illo tempore : Miserunt principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui misit me.* Et reliqua.

Inc. : In vanum, inquit, laboratis vos et principes vestri, etc.

Des. : Et reversi sunt, quia facere non potuerunt voluntatem suam.

419 HOMILIA LVI.

FERIA III POST DOMINICAM PASSIONIS.

ADMONITIO. — Ne ludamus verbis, satis erit dicere eumdem commentarium hanc pariter homiliam ex integro suppeditare a num. 20 in Joannem usque ad 21, et suppositionem Eusebii aperte manifestare, cum similis omnino in ea reperiatur mim. 56. Iisdem enim verbis incipit, iisdem desinit. A Marchesio habemus pag. 54, etc.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (VII, 1). *In illo tempore, ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat ambulare in Judæam, quia quærebant eum Judæi interficere.* Et reliqua.

Inc. : Hoc enim faciebat Jesus, non quod mortem, etc.

Des. : Non audebant, quia magis homines, quam Deum timebant.

HOMILIA LVII.

FERIA IV POST DOMINICAM PASSIONIS.

ADMONITIO. — Copiose non minus quam docte illustratum habemus diei hujus Evangelium in comment. super Joannem num. 31, nec homilia Eusebio Emiseno perperam ascripta num. 57 alia præstat, quam quæ S. Bruno eo in loco disseruit. Apud Marchesium est t. II, p. 56.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (X, 22). *In illo tempore, facta sunt encænia in Hierosolyma et hiems erat. Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis.* Et reliqua.

Inc. : Encænia dicebant Judæi illam festivitatem, etc.

Des. : Ut isti ad eum venirent, cum viderent et in eum crederent.

HOMILIA LVIII.

FERIA V POST DOMINICAM PASSIONIS.

ADMONITIO. — Evangelicam narrationem mysteriis plenam sapientissime a Brunone illustratam refert Evangelii commentarium, cui similis omnino est homilia hac die tam ab editore Emiseni num. 58, quam a Marchesio pag. 97 assignata. In utroque eadem lectio est, ne verbo quidem immutato; ex quo palam fit non Eusebium Emisenum, sed Brunonem Astensem auctorem habendum esse.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (VII, 36). *In illo tempore, rogavit Jesum quidam Pharisæus, ut manducaret cum illo. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat.* Et reliqua.

Inc. : In hoc Evangelio Pharisæi superbia reprimitur.

Des. : Ex corde conversis tam facile misereatur.

HOMILIA LIX.

FERIA VI POST DOMINICAM PASSIONIS.

ADMONITIO. — Satis prænoniti erunt lectores ut intelligant homiliam diei hujus non aliunde petendam quam ab eodem Evangelii commentario. Exstat num. 33 apud Emisenum hom. 59, in Marchesio pag. 57.

420 LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XI, 47). *In illo tempore, collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.* Et reliqua.

Inc. : Audierant pontifices et Pharisæi.

Des. : Non ut eum occidatis, sed ut noliscum in eum credatis.

Digitized by Google

HOMILIA LX.

SABBATO POST DOMINICAM PASSIONIS.

ADMONITIO. — Ex tribus sæpe laudati in Joannem commentarii locis composita est homilia a Marchesio et ab editore sub nomine Eusebii Emiseni, publicata; nempe ex fine num. 34, ex num. 35, et fere ex toto numero 41. Cum enim plura mysteria Evangelium complectatur, opportuna illustratione prosecutus est S. Bruno, eamque moralibus documentis, ut assolet, exornavit. An S. episcopus Signiensis sit homiliæ auctor, quis in dubium revocabit?

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XII, 12). *In illo tempore cogitaverunt principes sacerdotum, ut Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum.* Et reliqua.

Inc. : Stulti Judæi eum occidere volebant, quem nuper Dominus suscitaverat.

Des. : Hoc erat quod significabat, quando se abscondit ab eis.

HOMILIA LXI.

DOMINICA IN PALMIS.

ADMONITIO. — Consulant lectores commentarium in hoc Evangelium, et quidquid auctor ad ejus explanationem elucubravit pro homilia decerptum invenient. Exstat apud Matthæi comment. num. 85. Inter Eusebianas homil. est 60, et in Marchesio pag. 59.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXI, 1) *In illo tempore cum appropinquasset Jesus Hierosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos suos, dicens eis : Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea, solvite, et adducite mihi.* Et reliqua.

Inc. : Duos discipulos suos ante se Dominus mittit, etc.

Des. : Christi laudem et gloriam personabat.

HOMILIA LXII.

DOMINICA IN PALMIS. PASSIO D. N. J. C. SECUNDUM MATTHÆUM.

ADMONITIO. — Cum nemo ignoret S. Matthæum inter evangelistas longiorem de passione Domini historiam scripsisse, haud mirabitur, si A. N. breves inter fines suam expositionem non continuit. Omnia enim verba cum mysteria enuntient, ea aperta reddere oportuit, ac nostræ reparationis sacramentum maiorem in lucem oroducere. Vide num. 104.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXVI, 2). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Et reliqua.

Inc. : Nuntiat Dominus Pascha post biduum, nuntiat et passionem suam, etc.

Des. : Dominum resurrexisse, et nullo modo sic positum furari potuisse.

421 HOMILIA LXIII.

FERIA II MAJORIS HEBDOMADÆ.

ADMONITIO. — Tota moralis est hujusce evangelii interpretatio; nomina enim, et dicta ad spiritualem sensum traducit S. commentator, quo dicendi genere populum suum pascere satagit, et ad virtutes incendere. Sub homiliæ titulo est in Emiseno num. 62, et in Marchesio p. 65.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XII, 1). *In illo tempore, ante sex dies Paschæ venit Jesus Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem cœnam ibi, et Martha ministrabat.* Et reliqua.

Inc. : Mirum si evangelista omnia hæc sine aliqua significatione, tam otiosa dicere voluit.

Des. : Sicut se habet cupiditas hominum, nova videre et audire cupiebat.

HOMILIA LXIV.

FERIA III MAJORIS HEBDOMADÆ.

ADMONITIO. — In præmissa commentarii editione tota hæc homilia reperitur num. 38. Nihil ultra addam ut suppositio Eusebio Emiseno, apud quem sub num. 63, facta rejiciatur. Marchesius ex codice Casinensi edidit pag. 65, tom. II, nondum tamen e tenebris eruto commentario in Evangelia.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XIII, 16). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis, non est servus major domino suo, neque apostolus major eo, qui misit eum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Et reliqua.

Inc. : Si, inquit, scitis et intelligitis quæ fecerim vobis, etc.

Des. : Non prius cœnam complevit, etsi prius cœnare cœpit.

HOMILIA LXV.

FERIA IV MAJORIS HEBDOMADÆ.

ADMONITIO. — Ordinem sequentes homiliarum, ut in Marchesio, et in supposito Eusebio descriptæ sunt, hanc ad commentarium in Lucam sub num. 47 spectare asserimus, neque aliquid addere occurrit; ex integro enim ab eo excerpta est.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XXII, 1). *In illo tempore : Appropinquabat autem dies azymorum, qui dicitur Pascha, et quærebant principes sacerdotum et Scribæ quomodo eum interficerent. Timebant vero plebem.* Et reliqua.

Inc. : Venit autem dies azymorum, etc. Mittit Dominus Petrum et Joannem parare Pascha, etc.

Des. : Cætera quæ sequuntur in Matthæo exposita sunt.

HOMILIA LXVI.

FERIA V IN CŒNA DOMINI.

ADMONITIO. — Quamvis aliis verbis incipiat hæc homilia in Marchesio, et in Eusebio Emiseno, ubi est 65; attamen cum non ferant nisi perbreve compendium eorum, quæ auctor in præcedenti sermone attulerat, dicimus proprie hodiernam concionem ab illis incipere : *Sciens, inquit, Jesus, quia venit hora ejus*, etc., quam hic exscribere opus non est, cum ex fonte ejusdem, nempe ex comment. in Joannem sub num. 38 quilibet assequi valeat. Procœmium illud omittitur.

422 LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XIII, 1). *In illo tempore, ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Et reliqua.

Digitized by Google

Inc. : Narrat superius evangelista, quod ante diem festum Paschæ Salvator noster in Bethaniam venit, etc.

Des. : Dum enim per se invicem sancti orant, alter alterius pedes lavat.

HOMILIA LXVII.

SABBATO SANCTO.

ADMONITIO. — Facta a nobis collatione inter commentarium hujus Evangelii num. 405 in Matth. et homiliam a Marchesio editam tom. II, pag. 68, ab oculos etiam, habentes Eusebium Emisenum, utrumque perfecte convenire cum commentario testamur; idem exordium, idem et finis. Consulant lectores pag. 122, etc., et integram homiliam assequentur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM XXVII, 1). *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati venit Maria Magdalena, et altera Maria vidère sepulcrum.* Et reliqua.

Inc. : Vesper enim, qui et hesper dicitur, stella est, quæ alio nomine lucifer vocatur.

Des. : Ecce iterum occiditis; dum eum resurrexisse, et vivere negatis.

HOMILIA LXVIII.

IN DOMINICA RESURRECTIONIS D. N. J. C.

ADMONITIO. — *In Dominica Resurrectionis* titulus est homiliæ hujus pariter Emiseno nuncupatæ, et positæ num. 87; cæterum plene in omnibus concordat cum Marchesio pag. 69. Et cum comment. in Marcum num. 7.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MARCUM (XVI, 1). *In illo tempore : Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Et reliqua.

Inc. : Sabbato enim neque vendere, neque emere licebat aliquid, etc.

Des. : Ubi tecum sedeo et vivo, et regno in sæcula sæculorum

HOMILIA LXIX.

FERIA II POST DOMINICAM PASCHÆ.

ADMONITIO. — Ex duobus commentariorum locis condita est homilia huic diei festo assignata; nempe ex comment. in Lucam num. 49, et ex comment. in cap. 12. Exodi tom. I, pag. 58. Apud utrumque satis sibi facere possunt lectores; cum jam edita rursus producere inutile ducimus. Eadem est homilia in Emiseno num. 88, et in Marchesio pag. 70, qui aliqua addit in fine.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XXIV, 13). *In illo tempore, duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum.* Et reliqua.

Inc. : Unus autem istorum, qui hæc scribit beatus Lucas fuisse putatur.

Des. : Et illi vicissim sibi sua gaudia nuntiarent. (*Hæc in homilia sequuntur.*) Nunquam autem tam bene cognoscitur Jesus, sicut in fractione panis. Panis iste spiritualis est, non carnalis; panis iste cibus animæ est : hoc pane nutritur anima, et pinguescit intelligentia. De hoc pane scriptum est : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei (*Matth.* XV, 11). » De hoc pane per prophetam dicitur : « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (*Thren.* IV, 4). » Miseri Judæi, qui panem quidem habent, sed qui panem eis frangeret, non habent. Nobis autem fregit panem. Nobis Scripturas exposuit, et sensum aperuit Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

423 HOMILIA LXX.

FERIA III POST DOMINICAM PASCHÆ.

ADMONITIO. — Post expositionem superioris lect. evangelici immediate hæc alia succedit interpretatio in eumdem Lucam, cujus lectio sub num. 50 eadem est ac homiliæ apud Marchesium, p. 71, atque plane consimilis homilia 89 inter Eusebianas relata.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XXIV, 36). *In illo tempore, stetit Jesus in medio discipulorum suorum, et dixit eis : Pax vobis.* Et reliqua.

Inc. : Loquebantur discipuli de Jesu, et ea quæ viderant in commune referebant, etc.

Des. : Ideoque a Catholicis consignari præcipiunt, qui ab eis baptizati sunt.

HOMILIA LXXI.

FERIA IV POST DOMINICAM PASCHÆ.

ADMONITIO. — Qui illustrationem l. h. evangelici legerint, jam et homiliam hac pro die assignatam assecuti sunt; nihil enim neque in supposito Eusebio, ubi est hom. 90, neque in Marchesio pag. 72, tom. II additum reperitur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XII, 1). *In illo tempore : Manifestavit se iterum Jesus discipulis suis.* Et reliqua.

Inc. : Quid est enim, quod apostolus Petrus a piscatione a Domino vocatus, etc.

Des. : De illis manifestationibus loquitur, quæ vel omnibus vel pluribus in unum collectis facta sunt.

HOMILIA LXXII.

FERIA V POST DOMINICAM PASCHÆ.

ADMONITIO. — Superiori omnino similem dicimus hanc homiliam, cum tota eodem ex commentario cruta sit, nec occurrit, quod aliud de ea admoneamus. Sed num. 91 exstat in Eusebio, et in Marchesio pag. 73, tom. II.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XX, 11). *In illo tempore, Maria stabat ad monumentum.* Et reliqua.

Inc. : Recedunt discipuli, stat Maria, et plorat, etc.

Des. : Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi.

HOMILIA LXXIII.

FERIA VI POST DOMINICAM PASCHÆ.

ADMONITIO. — Homilia auctor S. Bruno, cum pauca visa fuerint quæ ad illustrationem hujusce Evangelii attulerat in commentario, assumptis tantum primis ejus verbis, hæc ut hic exscribimus addidit; reliqua in comment. Matth. sub 406, habentur. Apud Eusebium est hom. 92, et in Marchesio pag. 75.

424 LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXVIII, 16). *In illo tempore, undecim discipuli abierunt in Galilæam*, etc.

Hæc autem visio quando facta sit incertum habeo; quoniam Thomas, qui unus erat ex istis ante diei

Digitized by Google

octo Dominum vidisse narratur. Sed non vacat a mysterio, quod de Judæa in Galilæam discipulos suos Dominus ire præcepit, ibique se illis manifestare voluit. Narrant enim evangelistæ, mulieres ad sepulcrum Domini venisse, et angelum eis dicentem audisse : « Nolite timere, scio enim, quod Jesum quæritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hic. Sed, cito euntes, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis (*Matth.* XXVIII, 5). » Quid autem mulieres significent, et quare se illis post resurrectionem prius Dominus manifestare voluerit, cur etiam Petrus nomine vocetur, jam superius exposuimus. Dicendum est igitur quid per Galilæam, et quid per montem, ad quem eos venire constituit, significetur. Galilæa namque, quæ *transmigratio* interpretatur, Ecclesiam significat. Magna quidem de peccatoribus transmigrantibus ad ipsam; magna vero et de justis transmigrantibus ab ipsa. Sed quid ad Ecclesiam venisse profuit, nisi et montem ascendamus, in quo se Dominus videndum esse constituit ? Mons iste, hoc Evangelium mihi esse videtur, in quo Christi passio et resurrectio nuntiatur, in quo et ipse suis discipulis manifestatur. Sed vis audire Jesum suis discipulis in hoc monte loquentem ? Audi, et intellige : « O stulti, inquit, et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ ! Nonne sic oportuit pati Christum, et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam? » (*Luc.* XXIV, 25.) « Itaque palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (*ibid.*, 39). » Sunt autem et multa alia, quibus se Dominus in hoc monte suis discipulis manifestat. Vis etiam videre Jesum in monte David, id est in Psalterio se manifestantem, et discipulos alloquentem ? « Ego, inquit, dormivi, et somnum cœpi, et resurrexi, quoniam Dominus suscepit me (*Psal.* III, 6). » Et iterum : « Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (*Psal.* XXI, 17). » Sed quid dicimus ? Tot sunt montes, quot et prophetæ; tot sunt montes, quot et librorum volumina. De his enim montibus scriptum est : « Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXXI, 1). » Et alibi : « Ut quid suspicamini montes coagulatos, mons in quo beneplacitum est Deo habitare ? » (*Psal.* LXVII, 17.) « Venite, igitur ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus (*Psal.* II, 3). » Ideo enim et *apostoli in Galilæam abierunt, et in montem, ubi constituerat illis Jesus, et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt.* Ego quidem puto, quod illi, qui dubitaverunt, hæreticos significabant, qui ex nobis quidem exierunt; sed non erant ex nobis. Sequitur : *Et accedens Jesus locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra*, etc.

(*Hujus homil. reliquum in comm. habetur.*)

HOMILIA LXXIV.

SABBATO IN ALBIS.

ADMONITIO. — Brevissime me expediam alens, non aliunde quærendam homiliam hujus diei, quam in comment. in Joan. num. 51. Iisdem verbis in supposito Eusebio num. 93, et in Marchesio pag. 74 legitur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XXII, 1). *In illo tempore, una Sabbati Maria Magdalene venit mane cum tenebræ essent ad monumentum.* Et reliqua.

Inc. : Quantum ad litteram magnus amor compellebat hanc mulierem, etc.

Des. : Diximus enim per Scripturam linteamina significari.

HOMILIA LXXV.

DOMINICA IN ALBIS.

ADMONITIO. — Hanc homiliam similiter præstat idem commentarius toto num. 51. Quanta in eo effulgeat doctrina, disserendique copia jam lectores admiratos opinor. Quod majus argumentum afferri potest, ut evincantur de plagio, qui harum homiliarum auctorem fecerunt Eusebium Emisenum inter quas est 94. Si fons ostendatur a qua omnes emanarunt, Marchesius affert pag. 74.

425 LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XX, 19). *In illo tempore, cum sero esset die illa una Sabbatorum, et fores essent clausæ*, etc. Et reliqua.

Inc. : Quicunque intelligit illud, quod scriptum est, etc.

Des. : Alii evangelistæ cætera ejus facta non scripsissent.

HOMILIA LXXVI.

DOMINICA I POST PASCHAM.

ADMONITIO. — Cum præsentis diei homilia constet partim ex expositione in Joannis evangelium num. 30, pag. 465, partim ex additis tum in principio, tum versus finem, eam ut Marchesius publicavit tom. II, pag. 75, et Eusebii Emiseni editores num. 94, sed multis in locis emendatam, lectoribus exhibemus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (X, 11). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Ego sum pastor bonus.* Et reliqua.

Ego, inquit, *sum pastor bonus.* Audite hoc, pastores, et a me uno pastore boni pastores esse discite. Bonus enim pastor est, qui animam suam dat pro ovibus suis. Hæc est definitio boni pastoris, hoc ego feci, hoc et vos facite, si necesse fuerit. « Majorem enim dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. (*Joan.* XV, 13). » Bonus pastor fuit Jacob, bonus pastor et Moyses, bonus pastor erat et David, qui pro tuendis ovibus, ursis et leonibus, quamvis puer esset, adhuc se objicere non timebat. Nam et leonem, et ursum ipse interfecit, sicut ad Saul loquens ipse testatur. Illi enim ursi, et leones vitia, et malignos spiritus, hæreticos et schismaticos significabant, contra quos nunc Ecclesiæ pastores pugnant et dimicant. Non erat ille mercenarius, qui dimissis ovibus fugeret, et luporum impetus formidaret. Ille igitur bonus pastor hunc pastorem optimum signi-

Digitized by Google

ficabat, qui modo in hoc Evangelio loquitur dicens : *Ego sum pastor bonus*, etc. Sed vis videre etiam ipsum David boni pastoris definitionem, quæ hic describitur adimplesse, et pro suis ovibus animam ponere voluisse? Cum enim angelus ad populum descendisset, et evaginato gladio multos interfecisset, morti se ipse objiciens clamavit dicens : « Ego sum, Domine, qui peccavi ; ego inique egi ; isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei (*II Reg.* XXIV, 17). » Dicat itaque noster David, filius autem illi David, sed fortior quam ille David, *ego sum pastor bonus*. Quod autem pastorem se Dominus dicit, dignatio est, non præsumptio ; inclinatio est, non dignitatis alicujus aliqua sublimatio. Sed non dedignatur se pastorem dicere, qui pastoris officium, injurias et labores non est dedignatus obire. Ipse est, de quo propheta ait : « Sicut pastor gregem suum pascit, et in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fetas ipse portabit (*Isa.* XL, 11). » Cui autem non videatur injuriosum esse, ut agnos, et oves fetidas, et sordidas in sinu congreget, et super humeros portet? Tales tamen erant oves Christi, tales prius erant omnes homines, quod ipse suo sanguine lavit, et aquis baptismatis mundavit, et propriis humeris ad pascua reportavit. Sed dicat idem propheta qualis secundum divinitatem sit, qui secundum humanitatem tantum se humiliare voluit. « Quis, inquit, mensus est pugillo aquas, aut cœlos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera? » (*ibid.*, 12.) Ipse, inquam, qui injurias pastoris sustinuit, ipse est, qui fabricavit cœlum et terram. Ipse est, qui pugillo metitur terram, qui pluviæ guttas, et stellarum numerum novit. Ipse est, qui virtute omnipotentis Trinitatis quasi trium digitorum operatione libravit in pondere montes, et colles in statera, ipse in medio firmamento terram stabilivit, quæ suis librata ponderibus, cum nullum habeat fundamentum, nusquam tamen cadere potest. Denique ipse est, qui in pondere, numero et mensura omnia fecisse legitur. Certum enim pondus, et certum numerum, certamque mensuram omnibus posuit, ultra quæ se extendere nulla valet creatura. Tot igitur erunt homines quos ipse disposuit, ejus ponderis gravitatem et fortitudinem, ejus virtutis, sapientiæ, honoris, dignitatis quantitatem; et mensuram unusquisque habebit, quam ipse ante tempora habere disposuit. Ideo enim et ventis pondus dedisse legitur, quia angelicis potestatibus, et justorum animabus eam gravitatem et fortitudinem tribuit, ut superbiæ gravitate a proprio statu moveri non possint. Hanc autem gravitatem, et hoc pondus ille non habuit, qui superbiæ levitate elevatus dixit: **426** « In cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum (*Psal.* XIV, 13). »—« In voluntate igitur tua, Domine, universa sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati (*Esther* XIII, 9). » Sequitur : *Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, vidit lupum venientem et dimittit oves et fugit.* Mercenarius enim est ille episcopus, qui in pascendis et regendis ovibus sola temporalia et transitoria quærit, qui non amore cœlestis patriæ, sed pro lucro et mercede rerum temporalium oves Dominicas pascit. Et iste quidem apud Deum pastor non est, etsi ab hominibus pastor dicatur; hic autem non oves proprias habet, sed mercede conductas. Si enim propriæ essent, diligeret ut proprias, et se pro eis periculis objicere non dubitaret. Sed videt lupum venientem, videt diabolum ejusque satellites imminentes (satellites namque diaboli hæretici et schismatici sunt, omnesque decepores), et dimittit oves, et fugit. Dimittit utique non auxiliando, veritatem non prædicando, constantiam et patientiam non admonendo, et hæresi resistendo. Unde per Ezechielem a Domino dicitur : « Non ascendisti ex adverso, neque posuisti murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini (*Ezech.* XIII, 5). » Omnia enim hæc verba muri quidam sunt, quibus ab hæreticis oves Ecclesiæ defenduntur; his lupus pellitur, his vincitur, et his fugatur. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Non enim fugeret, si mercenarius non esset, non fugeret, si pro amore et charitate, et non pro mercede serviret. « Perfecta enim charitas foras mittit timorem (*I Joan.* IV, 18). » Et ideo quidem fugit, quia non pertinet ad eum de ovibus. *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Novit enim Dominus qui sunt ejus. Cognoscere autem Deum, diligere est. Unde et quibusdam in judicio dicturus est : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* XXV, 12) ; » id est non diligo vos. Alioquin qui omnia scit, quomodo ignorare aliquid potest? Quod igitur ait, et *cognosco meas, et cognoscunt me meæ*, tale est ac si diceret : Et diligo meas et diligor a meis. Sed quomodo cognosco? Vis audire quomodo? *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem.* Sic, inquit, cognosco, id est diligo meas et diligor a meis, sicut diligor a Patre et diligo Patrem. Unde et in sequentibus ait : « Sicut dilexit me Pater, ego dilexi vos (*Joan.* XV, 9). » Itemque : « Non pro his rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut et tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. Et animam meam pono pro ovibus meis (*Joan.* XVII, 20). » Inde, inquit, probatur, quod diligam eos, quia animam meam pono pro ovibus meis. Nisi eas dilexisset, animam pro eis non posuisset. *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet ad me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Hoc est enim, quod Apostolus ait : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » Junxit enim duos parietes, unum ex circumcisione, et alterum ex præputio venientem. Judæis enim loquebatur Dominus, quibus se gentiles jungere promittebat, ut ex duobus populis una domus ædificaretur, et una Ecclesia construeretur. Facta est igitur pax

Digitized by Google

inter Judæos et gentiles : unum est ovile, unus est pastor : unam legem tenent, unum Deum adorant, et unius pastoris vocem sequuntur. [Hos autem duos ovium greges, hos duos Ecclesiæ parietes, Moyses quoque significavit, quando ex decem cortinis, jubente Domino, tabernaculum fieri præcepit. Erant autem quinque cortinæ in pariete uno angulis hyacinthinis sibi mutuo conjunctæ. Erant autem et aliæ quinque in pariete altero simili modo sibi contextæ. Quinque vero, et quinque idem duo parietes aureis vinculis sibi invicem jungebantur, ex quibus videlicet duobus parietibus unum tabernaculum construebatur. Omnes autem cortinæ opere plumario contextæ erant, pulchraque varietate distinctæ. Hæc autem quid significent in Exodo exposuimus].

HOMILIA LXXVII.

DOMINICA II POST PASCHAM.

ADMONITIO. — Ex duobus partibus instructam indicamus hanc homiliam, quarum primam, ab initio scilicet, usque ad verba : *Tanta soboles tam nobilium filiorum ubique gentium germinavit* videant lectores sub num. 47 comment. in Joannem, et alteram in expositione Apocalypsis cap. 12. Multo emendatiorem in editione nostra quam in Marchesio pag. 76 et 77 lectionem habebunt. Eadem est in supposito Emisceno num. 97.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XVI, 16).

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Modicum, et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me. Et reliqua.

Inc. : Modico enim tempore in sepulcro Dominus jacuit.

Des. : Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

427 HOMILIA LXXVIII.

DOMINICA III POST PASCHAM.

ADMONITIO. — Pro hac instituenda homilia usus est auctor, ut in aliis frequentissime fecit, suis commentariis Evangelia. Cum igitur Evangelium decurrentis Dominicæ sit ex Joan. cap. XVI prior pars homiliæ eadem est in expositione textus, quemadmodum extrema. Sed in medio plura addidit S. episcopus, quibus ne priventur lectores una cum priori parte a Marchesio pag. 77 exscribere curavimus, facto primum cum aliis editionibus collatione, et expunctis erratis multis; reliqua vero ex comment. in Joan. num. 46, comparare poterunt. In Eusebio est hom. 98.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XVI, 5).

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Vado ad eum qui me misit. Et reliqua.

Dixerat superius beatus Petrus : « Domine, quo vadis (*Joan.* XIII, 36); » sed jam nunc ejus sermonibus omnes edocti et instructi, nemo eum interrogat quo vadit, quoniam certissime scivit quia ad Patrem vadit. Ut quid interrogarent, quod sciebant, et unde non dubitabant : *Sed quia locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Videbat enim eos conturbatos de recessu suo, quem modo audierunt et cognoverunt in sermone suo. Quis enim non doleret a tali, ac tam bono, tam dulci, tamque suavi Domino separari? *Sed ego veritatem dico vobis : Expedit vobis ut ego vadam.* Quid enim Veritas nisi veritatem dicere potest? Dicit igitur hoc non tantum sermone suum confirmando, quantum illorum corda consolando. *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quantumvis enim et ibi, et ubique semper Paracletus erat : si quidem Spiritus Domini replevit orbem terrarum, aliter tamen venturus erat. Sic enim antè tempora prædestinatum fuerat, ut prius Dei Filius de virgine nasceretur, moreretur, resurgeret, cœlos ascenderet, et sic tandem Spiritus sanctus consolandis discipulis mitteretur. Sic erat dispositum, sic præfinitum, et aliter venire non poterat. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* Hoc autem exponit, *de peccato quidem quia non credunt in me. De justitia vero quia vado ad Patrem, et jam non videbitis me. De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.* Ecce tria posuit in quibus Spiritus sanctus mundum redarguit : de quibus ipse quoque Filius Dei eum prius redarguerat. Tale est ac si diceret : Ego quidem ad Patrem vado; sed vobis Spiritum Paracletum mitto, qui mea vice vos doceat, confirmet et corroboret, qui in vobis et pro vobis loquatur, et per vos arguet mundun de peccato, et de justitia, et de judicio. De peccato quidem infidelitatis, quia non credunt in me; et quia non credunt in me, justitiam non operantur; et ideo arguet eos Spiritus sanctus etiam de justitia. Sed quare ipse vice mea, et non ego per meipsam? Quia *ego ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Ipse enim hanc redargutionem facere non poterat, nisi quia secundum carnem cœlos ascendebat, et quia corporaliter in hoc mundo ulterius non manebat, et non solum de peccato, et de justitia, verum etiam de judicio arguet mundum Spiritus sanctus. De quo judicio? De illo quidem, de quo superius ait : *Nunc judicium est mundi. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Unde et bene hic dicitur : *De judicio quidem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est*, id est foras ejectus est. De tali namque judicio ait Psalmista : « Judica, Domine, judicium meum, et causam meam (*Psal.* LXXIII, 22). » Itemque : « Judica judicium meum, et redime me (*Psal.* CXVIII, 154). » Quid igitur judicium mundi, nisi redemptio mundi? Quid est judicium mundi, nisi judicium, in quo judicatur, damnatur, et de cordibus fidelium ejicitur princeps mundi? De hoc igitur judicio arguitur mundus; quia tanti beneficii ingratus adhuc sequitur principem mundi. Arguitur ergo mundus de peccato, quia in Christum credere noluit. Arguitur et de justitia, quam eo docente audivit, et servare noluit. Arguitur et de judicio, quia princeps mundi est damnatus, et mundus ipse liberatus; sed tanti beneficii ingratus nondum Christum sequitur suæ salutis auctorem, sed potius diabolum deceptorem.

Potest autem et sic intelligi, quod ait : *Ipse arguet mundum de peccato, de justitia, et de judicio*, ac si diceret : Ipse arguet mundum de peccato suo, et de justitia mea, et de judicio suæ pravæ electionis. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. Si

Digitized by Google

enim non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Arguet autem mundum de justitia mea, quam ego quidem habebam, tunc cum Dei Filium me esse **428** dicebam. Ipsi vero econtra injuste clamabant, secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Hæc autem mea justitia nunc manifestabitur, quia ecce *ego* nunc *ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Neque enim ad eum quasi ad Patrem ire potuissem, si ejus filius non fuissem. Et alii quidem omnes ibant ad eum, quasi ad Dominum, solus autem filius ivit ad eum quasi ad Patrem. Arguet præterea mundum Spiritus sanctus de judicio pravæ suæ electionis, quo videlicet judicio mundi principi, qui jam damnatus et judicatus est, servire elegit, et me suæ salutis auctorem damnavit et reprobavit. Sequitur: *Adhuc habeo vobis multa dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Multa, inquit, jam dixi vobis, multa adhuc habeo dicere vobis, quæ ideo non potestis portare modo, quia illam tantam mei Spiritus plenitudinem nondum vobis infundere volo. Quare? Ut omnia suo tempore fiant, ut prius cœlos ascendam, et tunc effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, qui nihil docet, nisi veritatem de quibuscunque rebus vos docuerit, sine alicujus falsitatis admistione integram et perfectam omnem vos docebit veritatem. Et propter hoc quidem quia Spiritus sanctus docet omnem veritatem, Dominus et Salvator noster de Spiritu sancto dicere videtur, quod omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quidem quicunque peccaverit in Patrem, remittetur ei, et qui peccaverit in Filium dimittetur ei, qui autem peccaverit in Spiritum sanctum non dimittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. Unum igitur peccatum est, præter ipsum nullum aliud est, quod hominibus non remittatur. Hoc autem est veritati credere nolle. Ideo enim pereunt Judæi et pagani, quia veritati credere nolunt. Quicunque igitur est, qui vult ut dimittantur peccata sua, credat veritati, et si Christianus non est, convertatur ad fidem, et baptizetur. Hoc enim Veritas dicit, quia non crediderit, condemnabitur. Si vero Christianus est, credat veritati, recedat a peccato, pœniteat et dimittetur ei peccatum. Dicit Propheta de Spiritu sancto: « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Psal.* XCIV, 8). » Dicit et Apostolus per Spiritum sanctum: « Secundum duritiam autem tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II, 5). » Hoc autem verum est, ut quicunque veritati indurato corde credere noluerit, non dimittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. Sicut autem proprium est Filio carnem suscepisse et mundum a morte perpetua suo sanguine liberasse, ita et Spiritui sancto proprie pertinere videtur, ut a Patre Filioque A procedens per apostolos, Ecclesiæque doctores omnem veritatem doceat et prædicet. Unde et Dominus ait: « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* X, 20). » Quamvis igitur in totam Trinitatem peccet quicunque in unam de tribus personis peccat, tamen in Spiritum sanctum peccare videtur quicunque veritati non credens ejus doctrinæ, et magisterio contradicit. Sequitur: *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur*, etc.

HOMILIA LXXIX.

DOMINICA IV POST PASCHAM.

ADMONITIO. — Nihil proferunt Emisenus et Marchesius hac in homilia, quam primus sub nom. 90 tradit, alter pag. 76, quod desit in commentario; cujus etiam lectio multo etiam perfectior est quam in illis. Lectores igitur adeant in Joannem num. 48. B

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XVI, 23). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo.* Et reliqua.

Inc.: Si consideremus, quibus hæc verba specialiter, etc.

Des.: Qui jam cum suo principe superatus est.

429 HOMILIA LXXX.

IN LITANIA MAJORI.

ADMONITIO. — Rursus occurrit hic alia homelia ex duobus commentariis in Lucam et in Matthæum constans; pars prima, quæ immediate sequitur Evangelii locum, est ex comment. in Lucam a num. 24 usque in finem; partem alterum accepit auctor ex Matth. comment. num. 21. Legitur a Marchesio pag. 80. C

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XI, 5). *In illo tempore, Jesus dixit discipulis suis: Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte.* Et reliqua.

Inc.: His enim verbis admonemur ut Spiritum sapientiæ.

Des.: Mali vero mala data petentes a malo patre mala data suscipiunt.

HOMILIA LXXXI.

IN NATIVITATE APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

ADMONITIO. — Eximia loci hujus evangelici expositio tanta perspicuitate atque verborum consolatium affluentia est scripta, ut legi nequeat, quin animus ad maximam promissorum bonorum spem accendatur. Infinita divini reparatoris charitas, quæ in consolandis discipulis triumphat, nos etiam recreat et confortat, cum ejusdem electionis fieri participes possumus, si ei æque obsequentes, et fideles erimus. Homilia ex integro præbet comment. in Joan. num. 59. D

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XIV, 1). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Non turbetur cor vestrum.* Et reliqua.

Inc.: Ego, inquit, *vado, et quo ego vado, vos non potestis venire*, etc.

Des.: Multum enim glorificatur Pater in Filio. Sed dum talia fiunt in nomine Filii.

HOMILIA LXXXII.

IN INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS.

ADMONITIO. — Ne quod persæpe dictum est, de hac homiliis repetamus, quæ fere omnes suas easque evangelicæ expositiones, satis erit admonuisse

Digitized by Google

sequentem omnino haberi in comment. in Joannem num. 7 a capite usque ad finem, et collatam cum Eusebio nihil ab illo differre.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem (III, 1). *In illo tempore, erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine.* Et reliqua.

Inc.: Bonus homo iste Nicodemus jam credulus quidem, sed nondum in charitate perfectus.

Des.: Omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

HOMILIA LXXXIII.

IN APPARITIONE S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Admonitio. — Facta collatione homiliæ hujus cum comment. in Matth. num. 74, c. 1, in quo Evangelii locus desumptus est, præter pauca verba in principio addita in Marchesio pag. 82, reliqua eamdem referunt expositionem.

430 Lectio S. Evangelii secundum Matthæum (XVIII, 1). *In illo tempore, accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum.* Et reliqua.

Inc.: Accesserunt utique discipuli ad Jesum non loquendo, sed cogitando, etc.

Des.: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.

HOMILIA LXXXIV.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Admonitio. — Quamvis panca admodum sint hujc homiliæ in principio addita Evangelii expositioni, ut habetur in editione, quæ pariter in Emiseno hom. 82 leguntur; attamen cum ex illis auctor S. Bruno magis magisque dignoscatur, ea omittere non judicavimus; aggreditur enim Simoniacos, quod perpetuo agit, quoties ei opportunitas venit. Est in Marchesio pag. 83.

Lectio S. Evangelii secundum Marcum (XVI, 14). *In illo tempore, recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum,* etc. Et reliqua.

Inc.: Venit ad discipulos suos Dominus Jesus, invenit eos recumbentes, invenit eos manducantes et bibentes, discubuit cum illis, manducavit et bibit cum illis, ut se non phantasticum, sed verum corpus assumpsisse ostenderet, et sua præsentia eos roboraret. Redarguit eos de infidelitate sua, confirmavit eos colloquio suo. Et sicut scriptum est: « Convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris (*Act.* I, 4). » Quicunque igitur es, qui Spiritus sancti promissionem exspectas, noli ab Hierosolymis discedere, noli Ecclesiam relinquere, noli sanctorum consortium deserere, ibi exspecta, ibi mane, quia nulli extra Ecclesiam datur Spiritus sanctus, et eos etiam qui habent, si ab ea se separaverint, derelinquit. Redarguit autem eos propter duritiam suam, reprehendit eos de infidelitate cordis sui. Quamvis enim Simon Petrus, ut *Maria Magdalena*, etc., his incipit expositio in Evangelium, iisdemque prosequitur homilia usque in finem: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

HOMILIA LXXXV.

DOMINICA POST ASCENSIONEM.

Admonitio. — Eximiores inter homilias hæc referri potest ob præclaram, quam tradit de processione Spiritus sancti a Patre, et Filio doctrinam contra Græcos, qui Spiritum sanctum a Patre tantum procedere contendebant. Eadem est in supposito Emiseno sub num. 102, in Marchesio pag. 44, et in comment. in Joannem num. 45.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem (XV, 26). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre,* etc.

Inc.: Semper Salvator noster tristibus miscet læta.

Des.: Hac tali consolatione præmunire necessarium non esse.

HOMILIA LXXXVI.

IN DIE PENTECOSTES.

Admonitio. — Non inferior superiore videbitur homilia huic solemnitati assignata, si copia et soliditas dogmatum inspiciatur, atque excellentia moralium præceptorum observetur, quibus diei hujus mysterium illustrat auctor atque exposuit. Constat autem ex fine num. 40 comment. in Joannem ab illis verbis: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ipse est qui diligit me*, et toto sequenti numero 41. In Emiseno, et in codice Laurentiano proœmium illud omissum est, et incipit homilia ab expositione textus Joannis, et desinit inde ut Marchesius habet pag. 85 et seq.

431 Lectio S. Evangelii secundum Joannem (XIV, 23). *Respondit Jesus.* Et reliqua.

Inc.: Dominus Salvator noster paulo superius discipulis loquitur dicens: *Qui habet mandata mea,* etc.

Des.: Cœlum attendite, quia inde originem habetis.

HOMILIA LXXXVII.

DOMINICA OCTAVA PENTECOSTES.

Admonitio. — Exscripsimus ex Marchesio pag. 86 homiliam hanc, cujus nullum est vestigium in comment. in Evang. Lucæ. Fatemur tamen aliqua excerpta esse a capite 6 lib. I sententiarum, cui titulus est *De Misericordia*. In collectione homiliarum Eusebii Emiseni hæc non reperitur.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam (VI, 36). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Estote misericordes.* Et reliqua.

Estote, inquit, *misericordes*, sed quomodo? *Sicut et Pater vester cœlestis misericors est.* Ipse est enim, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Ipse non solum misericors, sed ipsa quoque misericordia est; qui neminem vult perire, sed omnes vult salvos fieri et ad agnitionem Veritatis venire. Sic igitur et vos estote misericordes, hanc misericordiæ regulam tenete Magna est virtus misericordiæ, omnibus aliis virtutibus superior est. Unde et ad populum dicitur: « Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus (*Psal.* CXLIV, 9). » Unde bene apud Græcos *oleos* vocatur. Sicut enim in liquoribus oleum, ita et in bonis operibus misericordia est superior. Quemcunque enim liquorem in oleum fundas, oleum semper desuper natat. Oleo baptismus sanctificatur, oleo Ecclesia consecratur. Nos quoque ideo oleo toties uncti sumus, ut semper misericor-

Digitized by Google

diæ memores simus, et nunquam pietatis et misericordiæ obliviscamur. Hinc est etiam, quod Dominus ait : « Misericordiam volo, et non sacrificium (*Matth.* IX, 13). » Sunt autem et alia multa, quæ de misericordia dici possunt; siquidem « misericordia Domini plena est terra (*Psal.* XXXII, 5). » Sed quis sapiens custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini? » (*Psal.* CVI, 43.) Estote ergo misericordes, et ita misericordes sicut et Pater vester misericors est. Omnes diligite, neminem odio habeatis; orate pro persequentibus et calumniantibus vos, « ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est (*Matth.* V, 45). » — *Nolite condemnare, et non condemnabimini.* Quare ergo judices constituti sunt? Quare et leges positæ sunt? Gaudeant igitur homicidæ, lætantur adulteri, exsultent sacrilegi; nihil eis ulterius timendum est, si jam neque judicandi, neque damnandi sunt. Quare ergo scriptum est : « Maledictus omnis, qui prohibet gladium suum a sanguine (*Jerem.* XLVIII, 10). » Quare laudantur filii Levi, qui zelo justitiæ ne ipsis suis parentibus pepercerunt? Quare Dei sapientia dicit : « Diligite justitiam qui judicatis terram (*Psal.* II, 10). » Quare et Psalmista ait : « Judicate egeno et pupillo; humilem et pauperem justificate? » (*Psal.* LXXXI, 3.) Quare toties in lege præcipitur. Si quis fecerit hoc et illud, morte moriatur? Aliter intelligendum est. Non judicandi licentia aufertur, non justitia prohibetur; temeritas tollitur, ambitio vetatur, et crudelitas interdicitur. Tale est igitur ac si diceret : Nolite judicare sine misericordia, ubi misericordia haberi et custodiri potest. Nolite condemnare, nolite in danda sententia esse præcipites. Exspectate dum ire transeat; sustinete dum mensa furore conquiescat. Non in voluntate, sed in justitia sit judicium nostrum. Non secundum voluntatem judicetis; sed diu deliberata sententia tandem nocentes et impios condemnetis. Sic enim facit Pater vester qui in cœlis est; sic facit ille, qui plenus misericordia, qui etiam damnando impios, nunquam recedit a misericordia. Illa, inquam, hoc facit, qui « non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat (*Ezech.* XVIII, 33). » Quare igitur eos occidit? Quare eos damnat, et judicat? Non vult quidem ut moriantur, sic tamen si convertantur, si perverse agere conquiescant, et ad pœnitentiam redeant. Hoc autem si feceritis, et si ita judicaveritis, neque judicabimini, neque condemnabimini. Judicate iniquos, damnate superbos et impios. Eos videlicet et impios et superbos, qui neque ad pœnitentiam redeunt, neque a sua impietate quiescunt. Impropriis autem causis, et in quibus judices constituti non estis, omnibus dimittite, omnibus veniam date, ut non plus contra vos fratres vestri valeant peccare, quam vos eis peccata dimittere. « Si enim dimiseritis omnia peccata eorum, Pater vester dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* VI, 12); » contra vero : « Nisi dimiseritis omnibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra (*ibid.*). » — *Mensuram bonam, et confertam, et cogitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Iis autem **432** verbis quid aliud significatur, nisi quia omnibus bonis, omni lætitia, omni dignitate, omni beatitudine abundabitis, si et vos peccatibus dimiseritis, et a pietate et misericordia non recesseritis. Unde et subditur : *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Dicebat autem et illis hanc similitudinem. Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? Ac si dicat : Non omnium est judicare, non omnium est condemnare, non ad omnes pertinet sententiam de peccatis dare. Hoc solummodo judicum est, hoc solummodo prælatorum est. Cæci igitur sunt, et mentis oculos amiserunt, quicunque id quidem, quod suum officium non est, et quod eis interdictum est, agere præsumunt. Tales autem dum temerarie quidem alios, quamvis iniquos damnant et judicant, simul cum eis in foveam cadunt. In foveam utique damnationis æternæ. Et illi quidem propter peccata sua; isti vero propter temeraria, et iniqua judicia sua. « Non est discipulus super magistrum; perfectus autem erit omnis, si sit sicut magister ejus (*Matth.* X, 24). » Hoc autem ad superiora respicit; et tale est ac si dicat : Dixi vobis : Estote misericordes, et ita misericordes, sicut Dominus et magister vester misericors est. Illum sequimini, illum imitamini, illius formam et exemplum tenete. Ad illius formam et exemplum vivite. « Quid enim vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non vides? Et quomodo potes dicere fratri tuo : Sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse trabem in oculo tuo non videns (*Matth.* VII, 3). » Nolite, inquit, judicare, et non judicabimini. Judica prius teipsum, quicunque es, damna prius, et corrige peccata tua. « Ejice prius trabem de oculo tuo, et tunc prospicies, ut educas festucam de oculo fratris tui (*Luc.* VI, 42; *Matth.* VII, 5). » Hoc enim interest inter festucam et trabem, quod interest inter peccatum et crimen. Apostolus autem loquitur dicens : « Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit (*Rom.* XIV, 4). » Stabit autem : potens est Dominus statuere illum. « Nolite itaque ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Et tunc laus erit unicuique a Deo (*I Cor.* IV, 5). » Qui vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXVIII.

DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Breviter monitos lectores faciamus, quidquid homiliæ diei præsentis nomine Marchesius pag. 87 produxit, id totum haberi in expositione Evangelii Lucæ num. 16. Hæc etiam homilia est in Emiseno pro Dom. V post Pentecosten.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (V, 1). *In illo tempore, cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei.* Et reliqua.

Inc. : Stagnum Genesareth ipsum est quod nunc Galilææ.

Des. : Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

Digitized by Google

HOMILIA LXXXIX.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Homilia in Marchesio pag. 87 ab initio ad finem eadem continet, quæ in comment. in Lucam num. 35 traduntur. Sed lectio nostra menda plura in veterem impressionem irrepta corrigit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XV, 1). *Erant autem appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores, ut audirent illum.* Et reliqua.

Inc.: Apostolus enim Corinthiis scribens ait: *Si quis fratres non amat*, etc.

Des.: Non venit vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam.

433 HOMILIA XC.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Immutato titulo eadem est commentario in Evangelium Luc. num. 33. In Emiseno legitur in Dominica II post Pentecosten; in Marchesio autem pag. 88, ut ejus ordinem sequamur, in quarta. Nullam comperi inter eos discrepantiam.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XIV, 16). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis similitudinem: Homo quidam fecit cœnam magnam.* Et reliqua.

Inc.: Hic enim homo ipse est, qui hæc loquitur Jesus Christus.

Des.: Nemo simul cum sanctis addetur, nec in convivii epulas introibit.

HOMILIA XCI.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

ADMONITIO. — Patiantur lectores hanc homiliam duobus ex locis commentarii in Lucam componere quorum primus est num. 5 et incipit: *Nascitur hodie Joannes Baptista major prophetis*, et sequitur usque ad hæc. *Et non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant.* Alter paucis intermediis additis exstat num. 2 et incipit: *Unde hoc sciam? Ego sum senex*, et procedit ad hæc usque: *Loquitur enim Vetus Testamentum, sed jam non suo, et proprio sensu;* et iterum a num. 5 adnectit auctor reliqua ab illis verbis: *Loquente autem Zacharia, factus est timor* usque in finem. Editam habemus homiliam ex his diversis locis confectam in Marchesio pag. 89, et in Eusebio Emiseno num. 114.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (I, 57). *In illo tempore, Elisabeth impletum est tempus pariendi et peperit filium.* Et reliqua.

Nascitur hodie Joannes Baptista major prophetis, minor angelis, imo minor eo, qui minoratus est paulo minus ab angelis, etc.

(*Cætera quæ sequuntur legi possunt in commentario usque ad hæc:* Eris tacens et non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant. *Quæ adduntur subjicimus.*)

Ingressus est enim, ut superius legitur in templum Domini, et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. *Apparuit autem illi angelus Domini stans a dextris altaris incensi*, cui, quia credere noluit, linguam amisit. Hæc autem solemnitas decima die mensis septimi agebatur, quando solus pontifex semel in anno non sine sanguine ingrediebatur Sancta sanctorum, nullum alium in templo esse licebat. Quod quid significet, et Apostolus exponit in Epistola ad Hebræos, et nos quoque in Levitico (1659) de hac solemnitate sufficienter diximus. *Apparuit autem illi angelus Domini stans a dextris altaris incensi.* Stabat angelus, et a dextris stabat, quoniam fortia nuntiabat. *Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum.* Ait autem ad illum angelus: *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.* Hæc enim angelorum consuetudo est, in qua etiam ab illis discernuntur, qui se transfigurant in angelum lucis, quod in suæ locutionis principio eos quibus loquuntur, consolantur et ne timeant adhortantur. Quod autem ait, *quoniam exaudita est deprecatio tua*, nemo putet Zachariam Deum pro filio exorare, præsertim cum de filio, suæque uxoris ætate diffideret, et angelo id promittenti non crederet. Quid igitur orabat, nisi id quod lex orare præcipiebat? Ait enim: « Erit hoc vobis legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, et pro cunctis peccatis eorum semel in anno (*Levit.* XVI, 34). » Hoc igitur est, ut oraba' hanc deprecationem angelus exauditam esse dicebat. Quod dixit Zacharias ad angelum: *Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.* Et fortasse non recordabatur Zacharias, quod Abraham, et Sara in senectute filium genuerunt. Nihil enim Deo impossibile est. Credenti quoque omnia possibilia sunt. Angelus promittit, et sacerdos signum quærit, quasi plus signo quam angelo credere debuisset. *Et respondens angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare.* Cur ergo dubitas? Quare non credis? Neque ille, qui me misit, neque ego tibi mentiri possum. Signum **434** quæris, Judæi signa petunt. Dicis ergo unde sciam? Dabitur tibi signum quod, postquam acceperis, fortasse te accepisse pœnitebit. Hoc igitur erit signum: *Ecce eris tacens et non poteris loqui, usque in diem, quo hæc fient. Pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ complebuntur in tempore suo.*

(*Hic desinit additio S. Brunonis: et sequitur homilia ex commentario Evangelii.*)

Quia, inquit, verbis credere noluisti, vel signo crede. Ecce eris tacens, donec ex te genita vox oriatur. Et quia vocem generaturus es, non te pœniteat aliquanto tempore tacuisse. Ex te enim orietur ille, qui dicat: *Ego vox clamantis in deserto. Et erat plebs exspectans Zachariam, et mirabatur, quod esset in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illum, et cognoverunt quod visionem vidisset in templo: et ipse erat innuens illis; et permansit mutus.* Possumus autem per senem Zachariam Vetus Testamentum, et per Joannem puerum Novum intelligere. Eo enim tempore Vetus Testamentum vocem amisit, quo Novum ex Veteri fieri cœpit; quia postquam novam legem apostoli et doctores

(1659) Cap. 16, edit. Rom. S. Brunonis tom. I, pag. 157, c. 2.

Digitized by Google

prædicare et exponere cœperunt, vetus legis intelligentia cessavit. Sed vocem, quam amiserat, tunc tandem accepit, quando Novo Testamento jam nato, et ubique divulgato ab eo didicit, quid loqueretur. Legitur enim Vetus Testamentum, sed jam non suo, sed proprio sensu. Loquente autem Zacharia, etc.

(*Quæ sequuntur usque ad finem exstant in commentario usque ad illa verba :* Super quem videris Spiritum descendentem, etc.)

HOMILIA XCII.

IN VIGILIA S. PETRI.

ADMONITIO. — Quæ S. Bruno in expositione hujus Evangelii dixit num. 55, eadem nulla facta immutatione repetita sunt in homilia; atque in ea prælarum habetur testimonium de primatu Petri, suorumque successorum in universa Ecclesia jurisdictione. Edidit Marchesius pag. 90 itidemque Emisenus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XXI, 15). *In illo tempore, dixit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis, quia amo te.* Et reliqua.

Inc. : Interrogat Dominus Petrum, ad se diligat, quem semper, etc.

Des. : Quantum enim dilexerit apertissime demonstravit.

HOMILIA XCIII.

IN FESTO S. PETRI APOSTOLI.

ADMONITIO. — Non minus elegantia, quam copia [illegible] commentarius S. episcopi super hunc Evangelii locum cap. 16, in quo agit de [illegible] Petri in principem apostolorum, quem ac eum Christus Dominus præcipuum Ecclesiæ Testamentum posuerit, eique omnem liga[illegible] et absolvendi in terris potestatem tradiderit. Sed in homilia legitur, quin totum exhibeatur hunc evangelicæ expositio sub. num. 68. In eam ref rt pag. 90.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XVI, 18). *In illo tempore, venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Et reliqua.

Inc. : Interrogat Dominus discipulos suos, quam [illegible] de eo habent.

Des. : Quem si prælatus recipere noluerit, tunc [illegible] solutos.

435 HOMILIA XCIV.

[illegible] V POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — His tribus homiliis de sanctis succedit in Marchesio pag. 91 homilia suprasignata, quæ hoc loco exhibetur videtur in commentario, cujus [illegible] num. 12 in Matth., usque ad finem num. 13. Cum Marchesio consentiunt [illegible] Siguinus, Laurentianus et Casinenses.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXIII, 1). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et reliqua.

Non habuit [illegible] Pharisæorum injustitia fuit, [illegible]

Des. : Ad cujus novissimum quadrantem nunquam venitur, quæ semper solvitur, et nunquam finitur.

HOMILIA XCV.

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Homilia infra describenda tota est et Marchesio pag. 92, quod nulla sit in commentario in Marcum loci hujus evangelici expositio. Eadem tamen reperitur in Emiseno pro Dom. 7, post Pentecosten, et in cod. Laurentiano sub nomine B. Brunonis episcopi.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MARCUM (VIII, 1). *In illo tempore, cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent.* Et reliqua.

Legitur superius, cum venisset Jesus secus mare Galilææ, ascendens in montem sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles et alios multos, et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos; ita ut turba mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, et cæcos videntes, et magnificabant Deum Israel. Merito enim Jesus in montem ascendit, tanta ac talia miracula facturus, ut in monte, in quem ascendit ejus potestatis altitudo, et in miraculis quæ fecit ejus divinitatis magnificentia appareret. Sequantur igitur eum super montem aromatum, quicunque illuminari et sanari desiderant. De quibus montibus Ecclesia dicit : « Surge, dilecte mi; assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum (*Cant.* VIII, 14). » Jesus autem, vocatis discipulis suis, dixit : *Misereor turbæ, quia jam triduo perseverant mecum, et non habent quod manducent.* Tres enim dies tria sæculi tempora sunt, ante legem scilicet, sub lege et sub gratia. Tribus igitur diebus turbæ cum Domino perseverant; quia totis his tribus temporibus viri sancti Spiritu Dei pleni in Deum credunt, Christum exspectant, ejusque panibus et doctrina magno desiderio refici cupiunt. Et non habebant quod manducarent, quia panis vivus, qui de cœlo descendit, nondum eis appositus fuerat, nondum leo de tribu Juda librum aperuerat, neque septem ejus signacula solverat. Tertio igitur die, id est hoc tertio suæ incarnationis tempore turbas reficit, neque ulterius eas fame perire patitur. Unde et dicit : *Et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Omnes enim in via sumus, omnes ad patriam tendimus. De hac enim via Psalmista ait : « Viam mandatorum tuorum cucurri (*Psal.* CXVIII, 32); » itemque : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*ibid.*, 1). » In hac autem via deficiunt jejuni; per hanc viam currere non possunt, qui Christi pane non sunt refecti. Præsertim si de longe venerunt : « Longe est a peccatoribus salus (*ibid.*, 55). » Sicut enim hæc via brevis et facilis est bonis, ita longa et difficilis est malis. Et dicunt ei discipuli : *Unde illos poterit quis hic saturare panibus in solitudine?* Fortasse immemores erant Christi discipuli, quod ex quinque panibus quinque millia hominum jam superius satiaverat. Et ait illis Jesus : *Quot panes habetis? At illi dixerunt : Septem, et paucos piscículos.* Septem enim panes

Digitized by Google

septem libri sunt Veteris Testamenti, quod heptaticum vocamus; sive etiam septem gratiæ Spiritus sancti. Pauci vero pisciculi, pauci libri Novi Testamenti, ad Veteris Testamenti comparationem. Isti tamen pauci, si illis septem panibus conjungantur, cunctis hominibus ad animarum refectionem sufficiunt. Sine illis neque comedi possunt, neque saturitatem, vel fortitudinem comedentibus tribuunt. Sunt enim septem illi panes, sapientia et intellectus, consilium et fortitudo, scientia et pietas, et timor **436** Domini. Sed quis sine sapientia sapiens? Quis sine intelligentia intelligens? Quis sine consilio providus? Quis sine fortitudine fortis? Quis denique sine scientia sciens? sine pietate pius, et sine Dei timore timens? Non igitur hi pisces sine illis panibus comedi possunt. Et merito pisces isti libri dicuntur, quoniam in uno fonte natant. De quo scriptum est: « Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXIII, 10). » *Et præcepit turbæ ut discumberent super terram.* Super terram enim discumbunt, quicunque pulverem et terram se esse cognoscunt. Unde et dicitur: « Quid superbis, pulvis, et cinis? » (*Eccli.* X, 9.) *Et accipiens Jesus septem panes, gratias agens fregit et dedit discipulis suis.* Frangit autem Dominus et panes et pisces, quoniam prout vult, et sanctus Spiritus gratiam unicuique tribuit, et profunda sanctarum Scripturarum mysteria pandit. Sed quibus dat, nisi discipulis suis? Quibus hæc prædicanda largitur, nisi episcopis et sacerdotibus? Isti enim sunt, quos constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore. Isti centum pascunt; isti pane divini eloquii totam Ecclesiæ turbam reficiunt. *Et comederunt omnes, et saturati sunt.* Comedamus igitur et nos, et saturemus; legamus ut intelligamus. Hunc enim cibum, qui plus comedit, plus comedere appetit. Hic cibus mentem exhilarat et stomachum non gravat; quanto plus comeditur, tanto amplius crescit. Unde et subditur: *Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.* Plura sunt fragmenta, quasi panes, quia plures sunt, qui non fragmenta suscipiunt, quam illi qui tunc illos panes et pisces comederunt. Nonne vides quanta librorum volumina ex his quatuor Evangeliis multiplicata sunt? Sed quid per septem sportas, nisi septem Ecclesiæ significantur, per quas omnes Ecclesiæ intelliguntur? Unde et Joannes evangelista ad septem Ecclesias scribit; unde et Isaias ait: « Apprehendent septem mulieres virum unum in illa die, dicentes: Panem nostrum comedemus (*Isa.* IV, 1). » Panem modo datum nobis, panem quo repletæ et refectæ sumus. Et quasi dicerent: Nos enim sumus illæ septem sportæ, quas plenas fragmentis olim in deserto apostoli sustulerunt. Quia igitur panem habemus, panem nostrum comedamus. *Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres.* Quare autem parvuli et mulieres non numerantur? Nisi quia in Dei populo computari digni non sunt, qui vel parvulos in stultitia et fatuitate, vel mulieres in mollitie et debilitate imitantur. Unde Apostolus: « Nolite, inquit, pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* XIV, 20). »

HOMILIA XCV.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Commentarium rursus adire oportet ad cognoscendam homiliam Dominicæ huic a Marchesio pag. 92 assignatam. Ab eo enim paucis additis intermediis educta est. Vide expositionem in Matth. num. 22, c. 2. Eusebius Emisenus quoque habet in Dom. VIII post Pentecosten, itemque codex Laurentianus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (VII, 5). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis. Attendite a falsis prophetis.* Et reliqua.

Inc.: Attendite, inquit, et cavete a falsis prophetis, etc.

Des.: De quo naufragio nos liberare dignetur Jesus Christus Dominus noster.

HOMILIA XCVI.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — A labore exscribendi hanc homiliam, quam Marchesius inter cæteras S. Brunonis retulit p. 94, nos liberat ejus commentarii in Lucam editio num. 37, eamque quilibet consulere poterit. Deest in Emiseno, sicut in cod. Laurentiano, non autem in Signino huic Dominicæ assignata.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XVI, 1). *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum.* Et reliqua.

Inc.: Et vocavit eum Dominus suus, et ait illi: *Quid hoc audio de te?*

Des.: Si hujus fidelitatis virtus inveniatur in nobis.

437 HOMILIA XCVII.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — De tota homilia modo adnotanda, præter pauca exordii causa addita, nihil tradit Marchesius pag. 95, quod non plenissime in commentario in Lucam num. 21 contineatur. In editione Emiseni sub Dominica XIII posita, simillima est.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (X, 25). *In illo tempore, quidam legisperitus surrexit tentans Jesum dicens.* Et reliqua.

Inc.: Surrexit, inquit, legisperitus legis conditorem reprehendere volens, etc.

Des.: Magna est misericordia, per quam vita possidetur æterna.

HOMILIA XCVIII.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Emisenus in Dom. XI post Pentec., et Marchesius pag. 96, qui eamdem homiliam referunt, tam in principio quam in fine perfecte cum expositione in Evangelium concordant, nec verbum ullum plus aut minus habent.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XVIII, 9). *In illo tempore, dicebat Jesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros parabolam.* Et reliqua

Inc.: Nunquam arrogantia placuit Deo, nunquam superbia justificata est.

Des.: Radix omnium malorum superbia, custos virtutum humilitas est.

Digitized by Google

prædicare et exponere cœperunt, vetus legis intelligentia cessavit. Sed vocem, quam amiserat, tunc tandem accepit, quando Novo Testamento jam nato, et ubique divulgato ab eo didicit, quid loqueretur. Loquitur enim Vetus Testamentum, sed jam non suo, sed proprio sensu. Loquente autem Zacharia, etc.

(*Quæ sequuntur usque ad finem exstant in commentario usque ad illa verba :* Super quem videris Spiritum descendentem, etc.)

HOMILIA XCII.

IN VIGILIA S. PETRI.

ADMONITIO. — Quæ S. Bruno in expositione hujus Evangelii dixit num. 53, eadem nulla facta immutatione repetita sunt in homilia ; atque in ea præclarum habetur testimonium de primatu Petri, suorumque successorum in universa Ecclesia jurisdictione. Edidit Marchesius pag. 90 itidemque Emisenus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XXI, 15). *In illo tempore, dixit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis, quia amo te.* Et reliqua.

Inc. : Interrogat Dominus Petrum, ad se diligat, quem semper, etc.

Des. : Quantum enim dilexerit apertissime demonstravit.

HOMILIA XCIII.

IN FESTO S. PETRI APOSTOLI.

ADMONITIO. — Non minus elegantia, quam copia dicendi elucet commentarius S. episcopi super hunc Evangelii locum cap. 16, in quo agit de assumptione Petri in principem apostolorum, quodque eum Christus Dominus præcipuum Ecclesiæ fundamentum posuerit, eique omnem ligandi et absolvendi in terris potestatem tradiderit. Nihil in homilia legitur, quin totum exhibeat lectionis evangelicæ expositio sub. num. 68. Marchesius eam refert pag. 90.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XVI, 18). *In illo tempore, venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis ?* Et reliqua.

Inc. : Interrogat Dominus discipulos suos, quam opinionem de eo habent.

Des. : Quam si prælatus recipere noluerit, tunc sciant se esse solutos.

435 HOMILIA XCIV.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — His tribus homiliis de sanctis succedit in Marchesio pag. 91 homilia suprasignata, quæ tota descripta videtur in commentario, cujus exordium sumit a fine num. 12 in Matth., usque ad finem sequentis num. 13. Cum Marchesio consentiunt codices Siguinus, Laurentianus et Casinensis.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXIII, 2). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et reliqua.

Inc. : Scribarum et Pharisæorum injustitia fuit, ut bene prædicarent, etc.

Des. : Ad cujus novissimum quadrantem nunquam venitur, quæ semper solvitur, et nunquam finitur.

HOMILIA XCV.

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Homilia infra describenda tota est in Marchesio pag. 92, quod nulla sit in commentario in Marcum loci hujus evangelici expositio. Eadem tamen reperitur in Emiseno pro Dom. 7, post Pentecosten, et in cod. Laurentiano sub nomine B. Brunonis episcopi.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MARCUM (VIII, 1) *In illo tempore, cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent.* Et reliqua.

Legitur superius, cum venisset Jesus secus mare Galilææ, ascendens in montem sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles et alios multos, et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos ; ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, et cæcos videntes, et magnificabant Deum Israel. Merito enim Jesus in montem ascendit, tanta ac talia miracula facturus, ut in monte, in quem ascendit ejus potestatis altitudo, et in miraculis quæ fecit ejus divinitatis magnificentia appareret. Sequantur igitur eum super montem aromatum, quicunque illuminari et sanari desiderant. De quibus montibus Ecclesia dicit : « Surge, dilecte mi ; assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum (*Cant.* VIII, 14). » Jesus autem, vocatis discipulis suis, dixit : *Misereor turbæ, quia jam triduo perseverant mecum, et non habent quod manducent.* Tres enim dies tria sæculi tempora sunt, ante legem scilicet, sub lege et sub gratia. Tribus igitur diebus turbæ cum Domino perseverant ; quia totis his tribus temporibus viri sancti Spiritu Dei pleni in Deum credunt, Christum exspectant, ejusque panibus et doctrina magno desiderio refici cupiunt. Et non habebant quod manducarent, quia panis vivus, qui de cœlo descendit, nondum eis appositus fuerat, nondum leo de tribu Juda librum aperuerat, neque septem ejus signacula solverat. Tertio igitur die, id est hoc tertio suæ incarnationis tempore turbas reficit, neque ulterius eas fame perire patitur. Unde et dicit : *Et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Omnes enim in via sumus, omnes ad patriam tendimus. De hac enim via Psalmista ait : « Viam mandatorum tuorum cucurri (*Psal.* CXVIII, 32) ; » itemque : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*ibid.*, 1). » In hac autem via deficiunt jejuni ; per hanc viam currere non possunt, qui Christi pane non sunt refecti. Præsertim si de longe venerunt : « Longe est a peccatoribus salus (*ibid.*, 55). » Sicut enim hæc via brevis et facilis est bonis, ita longa et difficilis est malis. Et dicunt ei discipuli : *Unde illos poterit quis hic saturare panibus in solitudine ?* Fortasse immemores erant Christi discipuli, quod ex quinque panibus quinque millia hominum jam superius satiaverat. Dixit illis Jesus : *Quot panes habetis ? At illi dixerunt : Septem, et paucos piscículos.* Septem enim panes

Digitized by Google

septem libri sunt Veteris Testamenti, quod heptateucum vocamus; sive etiam septem gratiæ Spiritus sancti. Pauci vero pisciculi, pauci libri Novi Testamenti, ad Veteris Testamenti comparationem. Isti tamen pauci, si illis septem panibus conjungantur, cunctis hominibus ad animarum refectionem sufficiunt. Sine illis neque comedi possunt, neque saturitatem, vel fortitudinem comedentibus tribuunt. Sunt enim septem illi panes, sapientia et intellectus, consilium et fortitudo, scientia et pietas, et timor **436** Domini. Sed quis sine sapientia sapiens? Quis sine intelligentia intelligens? Quis sine consilio providus? Quis sine fortitudine fortis? Quis denique sine scientia sciens? sine pietate pius, et sine Dei timore timens? Non igitur hi pisces sine illis panibus comedi possunt. Et merito pisces isti libri dicuntur, quoniam in uno fonte natant. De quo scriptum est: « Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXIII, 10). » *Et præcepit turbæ ut discumberent super terram.* Super terram enim discumbunt, quicunque pulverem et terram se esse cognoscunt. Unde et dicitur: « Quid superbis, pulvis, et cinis? » (*Eccli.* X, 9.) *Et accipiens Jesus septem panes, gratias agens fregit et dedit discipulis suis.* Frangit autem Dominus et panes et pisces, quoniam prout vult, et sanctus Spiritus gratiam unicuique tribuit, et profunda sanctarum Scripturarum mysteria pandit. Sed quibus dat, nisi discipulis suis? Quibus hæc prædicanda largitur, nisi episcopis et sacerdotibus? Isti enim sunt, quos constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore. Isti centum pascunt; isti pane divini eloquii totam Ecclesiæ turbam reficiunt. *Et comederunt omnes, et saturati sunt.* Comedamus igitur et nos, et saturemus; legamus ut intelligamus. Hunc enim cibum, qui plus comedit, plus comedere appetit. Hic cibus mentem exhilarat et stomachum non gravat; quanto plus comeditur, tanto amplius crescit. Unde et subditur: *Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.* Plura sunt fragmenta, quasi panes, quia plures sunt, qui non fragmenta suscipiunt, quam illi qui tunc illos panes et pisces comederunt. Nonne vides quanta librorum volumina ex his quatuor Evangeliis multiplicata sunt? Sed quid per septem sportas, nisi septem Ecclesiæ significantur, per quas omnes Ecclesiæ intelliguntur? Unde et Joannes evangelista ad septem Ecclesias scribit; unde et Isaias ait: « Apprehendent septem mulieres virum unum in illa die, dicentes: Panem nostrum comedemus (*Isa.* IV, 1). » Panem modo datum nobis, panem quo repletæ et refectæ sumus. Et quasi dicerent: Nos enim sumus illæ septem sportæ, quas plenas fragmentis olim in deserto apostoli sustulerunt. Quia igitur panem habemus, panem nostrum comedamus. *Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres.* Quare autem parvuli et mulieres non numerantur? Nisi quia in Dei populo computari digni non sunt, qui vel parvulos in stultitia et fatuitate, vel mulieres in mollitie et debilitate imitantur. Unde Apostolus: « Nolite, inquit, pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* XIV, 20). »

HOMILIA XCV[a].

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Commentarium rursus adire oportet ad cognoscendam homiliam Dominicæ huic a Marchesio pag. 92 assignatam. Ab eo enim paucis additis intermediis educta est. Vide expositionem in Matth. num. 22, c. 2. Eusebius Emisenus quoque habet in Dom. VIII post Pentecosten, itemque codex Laurentianus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (VII, 5). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis. Attendite a falsis prophetis.* Et reliqua.

Inc.: Attendite, inquit, et cavete a falsis prophetis, etc.

Des.: De quo naufragio nos liberare dignetur Jesus Christus Dominus noster.

HOMILIA XCVI.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — A labore exscribendi hanc homiliam, quam Marchesius inter cæteras S. Brunonis retulit p. 94, nos liberat ejus commentarii in Lucam editio num. 37, eamque quilibet consulere poterit. Deest in Emiseno, sicut in cod. Laurentiano, non autem in Signino huic Dominicæ assignata.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XVI, 1). *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum.* Et reliqua.

Inc.: Et vocavit eum Dominus suus, et ait illi: *Quid hoc audio de te?*

Des.: Si hujus fidelitatis virtus inveniatur in nobis.

437 HOMILIA XCVII.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — De tota homilia modo adnotanda, præter pauca exordii causa addita, nihil tradit Marchesius pag. 95, quod non plenissime in commentario in Lucam num. 21 contineatur. In editione Emiseni sub Dominica XIII posita, simillima est.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (X, 25). *In illo tempore, quidam legisperitus surrexit tentans Jesum dicens.* Et reliqua.

Inc.: Surrexit, inquit, legisperitus legis conditorem reprehendere volens, etc.

Des.: Magna est misericordia, per quam vita possidetur æterna.

HOMILIA XCVIII.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Emisenus in Dom. XI post Pentec., et Marchesius pag. 96, qui eamdem homiliam referunt, tam in principio quam in fine perfecte cum expositione in Evangelium concordant, nec verbum ullum plus aut minus habent.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XVIII, 9). *In illo tempore, dicebat Jesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros parabolam.* Et reliqua

Inc.: Nunquam arrogantia placuit Deo, nunquam superbia justificata est.

Des.: Radix omnium malorum superbia, custos virtutum humilitas est.

Digitized by Google

HOMILIA XCIX.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Eadem est homilia in commentario ac in sæpe citatis editionibus ; in Emiseno legitur pro Dom. XII post Pentec. et in Marchesio pag. 96. Contra heterodoxos, qui cæremonias, seu ritum conferendi baptismum in Ecclesia catholica vilipendunt, sancta omnia quæ aguntur, demonstrantur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MARCUM (VII, 31). *In illo tempore : Exiens Jesus de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ.* Et reliqua.

Inc. : Describit evangelista, per quam viam in Galilæam Dominus redierit.

Des. : Quia obstructum est os loquentium iniqua.

HOMILIA C.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — S. Bruno qui suos commentarios in Evangelia scripsit, non solum ut cœlestia verbo divino tradita explanaret, sed etiam ut gregem suum salutaribus monitis instrueret, præclare id agit in hujusce homiliæ exordio. Ne eo carent lectores, qui integram Evangelii expositionem num. 51 habent, illud ipsis communicamus ex Marchesio pag. 97, et Emiseno in Domin. XIV post Pentec.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XVII, 11). *In illo tempore, dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam, et Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi.* Et reliqua.

438 *Inc. :* Omnes in via sumus, omnes ad patriam festinamus, alii quidem ad cœlestem Jerusalem, alii vero ad terram miseriæ et tenebrarum. Nulla mora est in itinere, quotidie illuc quo tendimus appropinquamus. Hac autem via Dominus et Salvator noster currere non est dedignatus. Unde ipse quoque alibi ait : « Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem (*Joan.* XVI, 28). » Hanc autem viam cum Dominus teneret, cum relinqueret, et ad Patrem iret, transibat per mediam Samariam et Galilæam. Sed quid per Galilæam, nisi Judæos ? Et quid per Samariam, nisi gentiles intelligamus ? Inde enim est, quod dicitur : « Non coutuntur Judæi Samaritanis (*Joan.* IV, 9). » Per medium autem illorum transibat Jesus, quia hos et illos vocabat, his et illis prædicabat, hos et illos sanabat, et ad fidem convertebat. Cum autem hoc faceret accidit ut ingrederetur quoddam castellum, per quod S. Ecclesiam intelligimus. Tunc enim prius in eam ingressus est, quando eam prædicando, et prædicando, construere cœpit. Unde ipse ait : « Ego sto ad ostium, et pulso : si quis aperuerit mihi, introibo ad illum, et cœnabo cum ipso, et ipse mecum (*Apoc.* III, 20). » Cur autem Ecclesia castellum dicatur multæ rationes reddi possunt. Sed quid sunt decem viri leprosi, etc. (*Hic incipit Evangelii expositio*).

HOMILIA CI.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Diximus alias A. Nost. homiliis aliqua in principio, aut in medio, vel in fine expositioni suæ in Evangelia, qua plerumque utitur, addere consuevisse. Hac in homilia additio facta est post verba : *Non habet hæreditatem in regno Christi et Dei*, et continet Zachariæ prophetiam cap. V, 6, seu allegoriam de muliere in amphora inclusa, quæ avaritiam figurat, et prosequitur usque ad illa : *Ideo dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ.* Sequentia omnia exstant in commentario num. 18, c. 1. Apud Marchesium homilia est pag. 98, et apud Emisenum homil. IV post Pentecosten.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (VI, 24). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Nemo potest duobus dominis servire ; aut enim unum odiet habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ.* Et reliqua.

Inc. : Modo enim superius Salvator noster de thesauro locutus est.

Des. : Si omnes homines tales esse vellent, non deesset Deo unde eos pasceret.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN.

Est idem evangelium et eadem homilia ut in feria V hebdomadæ post Dominicam IV Quadragesimæ.

HOMILIA CII.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Hujusce Evangelii explanatio pro homilia, quæ moralis est institutio, merito assumpta est, cum plurima commentator doceat, tum ad corrigenda vitia, tum ad Christianas virtutes promovendas. Nihil additum est ipsi neque in Emiseno in quo tenet locum Dom. XVII post Pentec., neque in Marchesio pag. 99. Eadem exstat in cod. Signino.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XIV, 1). *In illo tempore, cum introisset Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum.* Et reliqua.

Inc. : In eo enim, quod ad panem manducandum in domum principis Pharisæorum introisse evangelista scribit, etc.

Des. : Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.

439 HOMILIA CIII.

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Ejusdem dicendi generis se præbet hæc homilia, cujus nuper diximus superiorem esse commentarium in Lucam num. 30 consulat lector, et eximiam ex eo hauriet moralem doctrinam. In Marchesio habemus pag. 100 ; sed deest in Emiseno.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XIII, 6). *In illo tempore, dicebat Jesus turbis similitudinem hanc : Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens in ea fructum, et non invenit*, etc. Et reliqua.

Inc. : In hac ergo similitudine quanta sit Dei patientia.

Des. : In verbis et miraculis Christi virtutem, et gloriam cognoscebant.

HOMILIA CIV.

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — De præcepto charitatis erga Deum, et proximum tota disserit hæc homilia, a commentario in Matth. num. 92, pro diei hujus occasione usurpata. Singularem auctoris sapientiam undique spirat, et ad perfectionem duplicis amo-

Digitized by Google

ris comparandam incendit. In Marchesio legitur pag. 101, et in Emiseno sub. Dom. XVIII post Pentec. idem principium uterque habet, eumdemque finem.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXII, 34). *In illo tempore, accesserunt ad Jesum Pharisæi, et interrogavit eum unus legisdoctor, tentans eum : Magister, quod est mandatum magnum in lege.* Et reliqua.

Inc. : Pharisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum. Recedentibus Pharisæis, etc.

Des. : Neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

HOMILIA CV.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Non indiget hæc homilia probatione, ut S. Brunoni nostro adjudicetur, cum præter commentarium apud quem integra jacet num. 91, pars etiam ejus major habetur in exposit. cap. 25 Deuteron. edit. nostræ, tom. I, pag. 220. In Emiseno deest, sed Marchesius edidit pag. 101, cui conformis est codex Signinus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXII, 22). *In illo tempore, accesserunt ad Jesum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.* Et reliqua.

Inc. : In illa, inquit, die, qua Pharisæi victi recesserunt, in illo Sadducæi vincendi accesserunt, etc.

Des. : Quod prius secundum litteram in Synagoga custodiebatur.

HOMILIA CVI.

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Breviter dicam Eusebium Emisenum, et Marchesium pag. 102 hanc homiliam sub eodem initio et fine edidisse, quemadmodum exstat in comment. num. 29. Omnia pariter intermedia perfecte concordant.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (IX, 1). *In illo tempore : Ascendens Jesus in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam.* Et reliqua.

Inc. : Hoc enim in loco civitatem suam non Nazareth, sed Capharnaum intelligere debemus.

Des. : Et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

440 HOMILIA CVII.

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Similis omnino est præcedenti homilia huic Dominicæ assignata, scilicet quod eadem sit loci evangelici expositio. Talis equidem patet apud Emisenum in quo est pro Dominica XXII post Pentec., et apud Marchesium pag. 103, in quorum editionibus nulla a commentario diversitas occurrit. Vide num. 77.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XVIII, 23). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.* Et reliqua.

Inc. : Iste enim rex ipse est, qui loquitur Deus, et homo Jesus Christus Dominus noster.

Des. : Non enim sufficit labiis dimittere, nisi ora et corda conveniant.

HOMILIA CVIII.

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Celeberrimam ac sapientissimam responsionem datam a Christo Domino Pharisæis cum de tributo solvendo Cæsari interrogantibus eximie illustrat, atque magnificat S. Bruno suo in h. l. evangelii commentario num. 90, accepta est homilia hujusce Dominicæ. Eadem legitur in Emiseno Domin. XXIII post Pentec. et in Marchesio p. 104, apud quem sequentia adduntur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXII, 15). *In illo tempore, abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone.* Et reliqua.

Inc. : Stulti Pharisæi, qui in sermone Verbum Dei capere putant.

ADDITIO. — *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Magnus honor, magna nobilitas ad Dei imaginem et similitudinem hominem esse factum. Hanc autem imaginem in primo homine amisimus, in secundo recuperavimus. « Primus enim homo, ait Apostolus, de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis (*I Cor.* XV, 49). » Reddamus Domino imaginem suam ; reddamus Deo animas nostras. Nihil charius habemus; hoc igitur tributum solvere debemus. Audiamus Salomonem, audiamus Sapientiam ipsam dicentem : « Memento Creatoris tui in diebus juventutis suæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ et dies, de quibus dicas non mihi placent (*Eccle.* XII, 1). » Et paulo post : « Antequam funis argenteus rumpatur, et recurrat vitta aurea, antequam confringatur hydria super fontem, et conteratur rota super cisternam, et pulvis revertatur in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum (1660). » Memento, inquit, Creatoris tui, ad cujus imaginem et similitudinem factus es, ipsum imitare, ne ejus similitudinem amittas. Quem enim imitatur homo, ejus imaginem et similitudinem habet, antequam veniat tempus afflictionis suæ, per quod mortis horam intelligimus et dies, de quibus dicas : Non mihi placent. Hos autem dies habent impii, et æternæ morti condemnati, quia, postquam de hac vita exeunt, nihil vident, nihil audiunt, nihilque sentiunt quod eis placeat. Hoc autem faciat homo in diebus juventutis suæ, et in diebus lætitiæ et prosperitatis de quibus Apostolus ait : « Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes (*Galat.* VI, 10). » Sequitur : « Antequam funis argenteus rumpatur, et recurrat vitta aurea. » Hoc enim interest inter corpus et animam, quod interest inter argentum et aurum, ut per argentum corpus, per aurum vero animam ipsam claram et sapientem intelligamus. Hæc autem vitta aurea tunc recurrit, quando anima

(1660) Ibid., v. 6. Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam et revertatur pulvis in terram suam, etc.

Digitized by Google

vinculis corporeis absoluta cœlestia petit. Inde enim et funis vocatur corpus, quia quibusdam naturæ legibus animam sibi ligat et stringit. Hic autem funis tunc rumpitur, quando **441** anima a corpore separatur, antequam confringatur hydria super fontem, et conteratur rota super cisternam. Hydria vocatur homo, quia de terra factus est. Frangitur autem hydria super fontem, quando homo nimia infirmitate gravatus, jamque morti proximus, nec ipsam mortem suscipere valet, quoniam alienis manibus vix de lecto erigitur, ut diu concupitam aquam suscipiat, quam ori appositam spiritu attenuato, et gutture jam incluso glutire non valet. Et tunc quidem conteritur rota super cisternam, quia scriptum est : « In illa die peribunt omnes cogitationes eorum (*Psal.* CXLV, 4). » Rota enim cogitationum nostrarum, quæ est super cisternam cordis nostri : « De corde enim exeunt cogitationes (*Matth.* XV, 19), » semper volvitur et revolvitur, tunc primum quiescet, quia jam ulterius neque facultas est, neque voluntas, ut vana et inutilia cogitare debeat. « Novit enim cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt (*Psal.* XCIII, 11). » Pulvis autem tunc revertitur in terram suam, unde erat. Quia sicut primo homini Dominus ait : « Pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III, 19); » spiritus autem ad Deum redit, qui dedit ipsum, et ejus judicio atque sententia, vel ad pœnam trahetur, si Dei imaginem et similitudinem non habet, vel ducetur ad gloriam, si Dei imaginem et similitudinem custodivit. (*Hic concluditur homilia iisdem verbis quibus expositio hujus Evangelii absolvitur in commentario.*)

HOMILIA CIX.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Perfectiorem hujus homiliæ lectionem habebunt lectores in comment. super h. l Evangelii, quam in Marchesii editione. Non refert hic errata adnotare, sed hoc dictum sit pro illis, qui S. Brunonem editum a Marchesio possidentes, novam hanc operum ejus impressionem parum sibi utilem duxerunt. Exstat in dicto comment. num. 52, c. 2, idem principium, idemque finis, ut in Marchesio pag. 104, et in Emiseno cujus editores in Dominica XXIV post Pentec. collocarunt.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (IX, 18). *In illo tempore, loquente Jesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum dicens : Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum super eam et vivet.* Et reliqua.

Inc. : Quid enim per hunc principem, nisi Abraham, Isaac et Jacob, Moysen et Aaron, etc.

Des. : Et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.

HOMILIA CX.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Quidquid exhibetur in editione Marchesii pag. 103, pro homilia, traditum est iisdem verbis in comment. sub numm. 53, 54 et 55, qui tres parabolas expositas eodem ordine complectuntur. Uniformis videtur Emisenus qui hanc homiliam in Dom. XXV post Pentec. ponit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XIII, 24). *In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania,* etc. Et reliqua.

Inc. : Tunc dimissis turbis venit in domum, etc.

Des. : In qua aliud dicitur, et aliud rationabiliter intelligitur.

HOMILIA CXI.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Qui Marchesii editionem cum commentario comparabunt, non solum plura hujusce homiliæ loca emendata comperient; sed multa fruentur eruditione, qua eam doctissimus commentator illustravit in Lucam num. 46. Eamdem produxere Emiseni editores Dominica X post Pentec.

442 LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XIX, 41). *In illo tempore, cum appropinquaret Jesus Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu.* Et reliqua.

Inc. : Suscitato namque Lazaro veniens Dominus Hierosolymam, etc.

Des. : Quibus hoc sine detrimento facere valeamus.

HOMILIA CXII.

DOMINICA XXV POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Præmittit A. N. expositionem Danielis propheticæ, cujus meminit evangelista, et deinde Evangelii interpretationem prosequitur. Cum hæc prior homiliæ pars desit in commentario, eam ut Marchesius pag. 107 publicavit, exhibemus. Omnes codices conformes in hujus homiliæ descriptione videntur; cum ille a quo facta est editio homiliarum sub nomine Eusebii Emiseni, eamdem Danielis interpretationem initio tradat, et statuit in Dom. XXVII post Pentec. Nos illam præterire non arbitramur; reliquam homiliæ partem in commentario num. 100 lectores habent.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXIV, 15). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco isto : qui legit, intelligat.* Et reliqua.

Videamus modo, quid Daniel propheta de hac abominatione desolationis viderit, audierit et dixerit : « Scito, » inquit angelus, qui ei loquebatur, « et animadverte : Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt, et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirma

Digitized by Google

bit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium. Et in templo erit abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio (*Dan.* IX, 25-27). » Videamus igitur ista quid significent, et rogemus Dominum omnipotentem, ut hæc sua mysteria tam occulta nobis revelare dignetur. Temporibus Artaxerxis (1661) regis erat Nehemias pincerna ejus, sicut ipse testatur, qui cum ei ad mensam ministraret, dixit ei rex : « Cur facies tua tristior solito esse videtur? » (1662) At ille : « Rex, inquit, in æternum vive, quia civitas patrum nostrorum destructa est. » Cui ille : « Vade, inquit, et ædifica eam (*Esdr.* II, 2). » Et hoc est, quod dicitur : Scito, inquit, Daniel, et animadverte : Ab exitu illius sermonis, quid Nehemiæ a rege dicetur, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomadæ sexaginta duæ erunt. Si quis enim diligenter computare voluerit annos, menses et dies regum, qui ab eo tempore fuere, inveniet sexaginta et duas hebdomadas esse completas ab eo die, quo hic sermo ad Nehemiam factus est usque ad Christi passionem. Quinque autem anni plus hoc numero in chronica esse videntur, quod quidem scriptorum ignorantia factum esse puto. Illi enim in numero falli potuerunt, Daniel vero falli non potuit. Quod autem ait hebdomades septem sic esse intelligendum ac si diceret : Ab exitu sermonis, quo præcipitur, ut iterum ædificetur Jerusalem, erunt hebdomades septem usque ad integram murorum restaurationem. Quæ videlicet hebdomades septem usque ad diem quinquagesimum perveniunt. Unde et Nehemias ipse ait : « Quia completus est murus vigesima quinta die mensis Elul quinquaginta, et duobus diebus (*II Esdr.* VI, 25). » Eæ namque hebdomadæ dierum sunt; illæ autem sexaginta duæ, quæ a Nehemia usque ad Christi passionem pervenerunt, annorum hebdomadæ vocantur. Sicut enim septem dies, sic et septem anni unam hebdomadam faciunt. Complentur igitur sexaginta duæ hebdomadæ in annis quadringentis octoginta tribus, et tot quidem computantur a Nehemia usque ad Christum. Sic igitur se habet ordo. Scito, inquit, Daniel, et animadverte quia ab initio sermonis, qui factus est Nehemiæ, ut iterum ædificetur Jerusalem, erunt hebdomadæ dierum septem usque ad murorum completionem. Similiter autem ab initio ejusdem sermonis, usque ad Christum ducem erunt hebdomadæ annorum sexaginta duæ. Et quia in paucis diebus muri civitatis **443** ædificati sunt, ideo subinferens ait : « Et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. » Sequitur : « Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. » Miseri Judæi, qui ista non intelligunt, qui quoniam Christum negaverunt, et « nor habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15) » dixerunt, non Domini, sed diaboli populus facti sunt. Videamus quod sequitur : « Et civitas et Sanctuarium dissipabitur cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli desolatio. » Post quadraginta namque et duos annos civitas et templum dissipatum est. Dux autem eorum qui venturus est, Antichristus intelligitur, qui, quamvis multo post tempore veniat, tamen quasi de præsenti loquitur, quia semper eum colunt et venerantur. Finis autem civitatis vastitas erit, et post finem desolatio sempiterna. Confirmabit autem dux ille malignus pactum hebdomada una, qui se omni tempore vivere et regnare promittet. Quid est enim hebdomada una, nisi diebus septem. Quid est autem diebus septem, nisi diebus omnibus? Non enim sunt dies nisi septem. Si igitur esset cum eis hebdomada una, esset utique cum eis diebus omnibus. Sed non est ita. Unde hoc? « In medio enim hebdomadis deficiet hostia et sacrificium. » Dimidium enim hebdomadis, si de annorum hebdomada intelligatur, tres annos facit et dimidium. Et tunc quidem, eo pereunte, deficiet hostia et sacrificium; sacrificium utique Judæorum, quod ipse judicabit, quia ad veteris legis cæremonias, et consuetudines universa transferre conabitur. Unde et subditur : « Et in templo erit abominatio desolationis. » In templo quidem erit, quia quasi rex et sacerdos in templo sedebit. De quo Apostolus ait : « Quia exaltabitur supra omne, quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Dominus (*II Thess.* II, 4). » Merito autem abominatio vocatur, quia ab omnibus abominandus est; per quem tanta ubique gentium abominatio fiet, quæ videlicet desolatio, usque ad ejus consummationem, et usque ad finem illius turpissimum et dignissimum perseverabit. *Cum autem videritis hanc abominationem desolationis*, etc. (Sequentia legantur in commentario.)

(1661) Hic fuit Artaxerxes Longimanus anno regni ejus 20, ut sentiunt meliores chronologi Petavius, Calmet, Berti et alii.

(1662) In Vulgata legitur II Esdræ cap. II, 2 : « Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? »

HOMILIA CXIII.

DOMINICA XXVI POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Hujusce homiliæ exordium superioris finem excipit eodem in commentario, a quo utraque desumpta est. In Marchesio pag. 108, immediate succedit præcedenti; in Emiseno, ubi omnino concordat cum dictis editionibus, locum tenet in hac suprasignata Dominica XXVI, sed altera homilia ei præcedit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXIV, 36). *In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : De die autem illa nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi Pater solus.* Et reliqua.

Inc. : Alius autem evangelista addidit, neque *Filius*. Magnum est igitur hoc secretum

Des. : Modo interim crucians animam, postmodum vero et corpus et animam.

Digitized by Google

HOMILIA CXIV.

DOMINICA XXVII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Non aliunde inquirenda est hæc homilia, quam eodem in commentario num. 79, a quo superiores iisdem verbis traduntur. Marchesius habet pag. 109. In editione Emiseni deest.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXII, 1). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Et reliqua.

Inc. : Tunc enim Dominus pater, qui et omnium rex, et Dominus est, etc.

Des. : Multi enim vocantur ad nuptias; pauci vero introducantur in regis thalamum, et gloriam.

444 HOMILIA CXV.

DOMINICA XXVIII POST PENTECOSTEN.

ADMONITIO. — Una hæc est ex paucis homiliis, quæ in Evangeliorum expositionibus non reperiuntur. A Marchesio pag. 110, eam exscripsimus, eamdemque editores Emiseni sub Dom. XXI post Pentecosten publicarunt. Eisdem verbis incipit, sed aliis homilia concluditur. His accedit codicis Laurentiani testimonium, qui præsignato ejus nomine scilicet V. Brunonis episcopi illam, ut Marchesius tradidit, habet num. 145.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (IV, 46). *In illo tempore, erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Et reliqua.

Digni sunt reges, qui exaudiantur. Nulli ita Deo familiares sunt, sicut boni reges. Valde bonam significationem tenent reges in divina Scriptura. Omnis enim homo, qui seipsum et virtutum exercitum, qui in eo est, honeste sapienterque disponit et regit, vera definitione rex dici potest. Si ergo teipsum et familiam tuam bene regere et disponere vis, custodi sensus corporis tui, neque eos per illicita vagari permittas. Ipsi enim duces sunt, et in tota domo obtinent principatum. « Averte igitur oculos tuos, ne videant vanitatem (*Psal.* CXVIII, 37). » Dic simul cum viro justo : « Pepigi fœdus cum oculis meis ne cogitarem de virgine (*Job* XXXI, 1). » Audi etiam quid Psalmista dicat : « Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse evellet de laqueo pedes meos (*Psal.* XXIV, 15). » Qui enim semper oculos ad Dominum habet, vana videre non desiderat; sic ergo regitur visus. Sed quid dicam de auditu ? Nam et ipse regendus est. Claude igitur aures tuas, ne detractionibus pateant, ne verba vana et inutilia libenter audiant. Aperi eas ad Evangelium, aperi eas ad Verbum Dei. Ideo enim Psalmista dicit : « Audi, filia, et vide, inclina aurem tuam (*Psal.* XLIV, 11), » ideo et Dominus ait : « Qui habet aures audiendi, audiat (*Marc.* IV, 9); » et Isaias : « Audi, cœlum, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est (*Isa.* I, 1). » Lingua quoque regimine indiget, quam qui non regit, rex dici non debet. Qui enim custodit linguam suam, custodit et animam suam « Mors et vita in manu linguæ (*Prov.* XVIII, 21). » — « Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Si quis putat religiosum se esse, non refrenans linguam suam, sed seducit cor suum, hujus A vana est religio (*Jac.* III, 2). » Unde Psalmista ait : « Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea (*Psal.* XXXVIII, 2). » Os quoque nisi custodiatur, in multis peccat. Peccat in crapula, et ebrietate. Quod quidem si primi parentes bene custodissent, de ligno vetito non comedissent. Hoc autem Dominus nos regere docuit, qui diabolo male suadenti respondit : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (*Matth.* IV, 4). » Hoc et Apostolus bene regebat, qui ait : « Nunquam commune et immundum intravit in os meum (*Act.* X, 11). » Regamus et manus, ut pauperibus aperiantur, et ad furtum et rapinam non extendantur. Tales manus notabat propheta cum diceret : « Manus vestræ sanguine plenæ sunt (*Isa.* B II, 15). » Regamus et pedes, ne currant ad effundendum sanguinem, sed potius semper sint parati ad evangelizandum bona, et calcare valeant super serpentes et scorpiones. De pedibus et Ecclesia dicit : « Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ? » (*Cant.* V, 3.) Sic igitur reguntur corporis sensus. Sed quid de interiori familia dicam ? Et ipsa quidem regimine indiget. Unde Psalmista ait : « Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos, et cor meum (*Psal.* XXV, 2). » Itemque : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (*Psal.* L, 12). » — « Ex corde enim, dicit Dominus, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, fornicationes, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem (*Matth.* XV, 19). » Ideo ra- C tionale super cor, et super pectus episcopi ponitur, ut bene regatur et custodiatur. Nemo igitur se regem non esse dicat, qui tantam habet ad regendum familiam. Tales igitur reges iste regulus significabat, qui ad Christum accessit pro filio rogaturus. Et fortasse ideo non rex, sed regulus dicitur, quia nondum perfecte credebat. Unde et Dominus ait : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Si enim perfecte credidisset, filius ejus infirmus non fuisset. Quid enim per filium ejus, nisi spiritum ejus, et nisi animam ejus intelligamus ? Hic autem illius reguli, id est anima reguli, infirmabatur Capharnaum, quæ *villa consolationis* interpretatur. Mala villa, mala consolatio. Hæc villa caro est, in qua anima infirma D jacet, et inde magis infirmatur, quia non bene consolatur. « Spiritus, ait enim Apostolus, concupiscit adversus carnem, caro autem adversus spiritum (*Galat.* V, 17). » Vult anima converti, et ad pœnitentiam redire : dicit caro, et quasi consolando dicit : Noli adhuc, exspectemus usque cras, consilio faciamus; juvenes sumus, multum 445 nobis temporis restat. Melius est non vovere, quam vota non reddere. Sic loquitur Capharnaum, sic loquitur caro, sic loquitur villa consolationis. Bene quidem loqui videtur, sed non bene loquitur. Unde et Salomon : « Ne tardes, inquit, converti ad Dominum, et ne differas de die in diem (*Eccli.* V, 8). » Qui *enim dedit hodiernum diem, non promisit crastinum cras.* Imitare igitur istum regulum, o homo qui es-

Digitized by Google

que es, cujus anima infirmatur, festina ad Jesum, A vade ad medicum. Roga eum ut descendat, roga ut sanet animam tuam, et liberet eam a morte sua. Cave ne jaceat Capharnaum, noli eam male consolari, et morti eam perpetuæ subjugare. Noli signa et prodigia quærere; crede tantum, et salvus eris. Insta simul cum regulo, insta, et dic . *Domine, descende. priusquam moriatur filius meus.* Hoc enim si feceris, audies et tu a piissimo Domino, quod ille regulus tunc audire meruit. *Vade,* inquit, *filius tuus vivit.* Verum est igitur, et sine dubio verum est, quia « peccator quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 12). » Non enim dixit, vivet, sed vivit, quia una eademque hora et pœnitentia nascitur, et vita datur. *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus,* B *et ibat.* Jam non regulus, sed rex iste dicendus est; regulus erat quando venit, sed rex, et plenus fide recedit. « Credidit enim Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Rom.* IV, 3). » — « Omnia possibilia sunt credenti (*Matth.* IX, 23). » Jam eo descendente, servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt ei dicentes quia filius ejus viveret. *Interrogabat autem horam ab eis, in qua melius habuerat, et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris.* Isti servi episcopi et sacerdotes mundi esse videntur, qui peccatori ad pœnitentiam converso vitam nuntiant, et sanitatem promittunt. Omnium enim servi sunt, qui omnibus ex debito serviunt. Unde et Romanus episcopus (1663), episcoporum omnium maximus, « servus servorum Dei » C in suis epistolis se esse scribit. Neque enim vacat a mysterio, quod septima hora puerum febris reliquisse dicitur. Septima namque hora, et septima dies hominis ultima ætas est, de qua Apostolus ait : « Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X, 11). » Hæc autem septima hora ad sanandum et vivificandum Dominus venit. Ante hanc horam nemo sanabatur. Quicunque itaque sanatur, hac et non alia sanatur. *Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit Jesus : Filius tuus vivit, et credidit ipse, et domus ejus tota.* Cognoscamus igitur et nos, firmiterque credamus, quia in hac hora, in hoc tempore præfinito, in hoc tempore ante præstinato venit Jesus, et pro nobis passus, præcepit ut vivamus, et ulterius non moriamur; sed sani et D accolumes ad regna cœlestia perducamur. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen

HOMILIA CXVI.

IN FESTO S. LAURENTII MARTYRIS.

ADMONITIO. — Quia nobis proposuimus homiliarum ordinem juxta Marchesium sequi, ut facilius lectores, quæ voluerint, conferant; ideo post homilias festis mobilibus, et Dominicis assignatas, collectionem nostram editori illi conformamus, producentes, quæ supersunt, homilias de sanctis. Homiliarium Emiseni hanc pariter homiliam sub eodem titulo refert. Cum autem non exigua pars ejusdem sit in commentario in h. l. Evangelii, tantum quæ desunt, hic subjiciemus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XII, 24). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et reliqua.

Hoc est illud granum frumenti, quod virgo et inarata terra produxit, de quo Psalmista ait : « Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (*Psal.* XIII, 3). » — « Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 13). » Hujus autem grani immensa multiplicatione omnia Ecclesiæ horrea repleta sunt. De hoc frumenti grano ille panis conficitur, de quo et ipse Dominus ait : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI, 51). » Constat autem hoc, et ad litteram verum esse, quod frumenti granum si in arca servetur, non crescit; si autem seminetur, si in terram solvatur et moriatur, multum fructum affert.

(*Huc usque comm. in Joan. num.* 36). Nihil infructuosum diligit Deus, nihil in horto suo, nihil in vinea sua, nihil in agro suo vult esse infructuosum. Unde et ipse alibi ait : « Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* VII, 19). » Et in alio loco : « Ego **446** sum, inquit, vitis vera, et Pater meus agricola est : omnem palmitem non ferentem fructum tollet eum, et omnem qui fert, purgabit eum, ut plurimum fructum afferat (*Joan.* XV, 1). » Hæc est enim illa vera vitis, de qua totum hoc vinum profluxit, quod nobis in hoc Evangelio propinatur. Hæc est illa vitis semper fructuosa, cujus omnes palmites fructiferi sunt, quicunque ei fideliter inhærent. Ideo enim infructuosi de ea tolluntur, quamvis per baptismi sacramentum in ea sint, per vitæ tamen meritum in ea non sunt. Talis enim arbor infructuosa erat illa, de qua ad cultorem vineæ Dominus ait : « Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio, succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? » (*Luc.* XIII, 7.) Quæ quidem illico succisa fuisset, nisi quia bonus illæ vineæ cultor pro illa intercessit, dicens : « Domine, dimitte illam, et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora, et siquidem fecerit fructum, sin autem, in futurum succides illam (*ibid.*). » Talis erat et illa ficulnea, in qua quia fructum non invenit, Dominus eam maledixit, et aruit. Tales sunt et multæ aliæ arbores infructuosæ, quæ tandem excidentur et in ignem mittentur. Et ego quidem non crediderim aliquam arborem infructuosam, in paradiso plantatam; præsertim, cum primo homini Dominus dicat : « De omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II, 17). » In eo enim, quod de omnibus comedere dicit, omnes illas arbores fructuosas fuisse ostendit.

(1663) Quam vetus sit Romanorum pontificum suis in epistolis inscriptio.

Digitized by Google

Cum igitur paradisus Ecclesiam significet, Ecclesiæ quoque arbores fructuosas esse oportet. Multæ namque arbores sunt in Ecclesia : ibi enim est lignum vitæ de quo qui comederit, si tamen digne comederit, non morietur. De hoc enim ligno scriptum est : « Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo (*Psal.* I, 3). » Et alibi : « Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei (*Apoc.* II, 7). » Ibi est et illa arbor, quæ ait : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini, speravi in misericordia Dei mei in æternum, et in sæculum sæculi (*Psal.* LI, 10). » Sed quid de illis nobilissimis arboribus dicam, quibus Dominus ait : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat? » (*Joan.* XV, 16.) Tales igitur arbores habet Ecclesia, quam illæ paradisi arbores significabant. Illam autem arborem, de qua Deus primum hominem comedere interdixit, hæreticos significare puto, quorum quidem fructum mortiferi sunt, quorum poma venenosa sunt, quorum doctrinam qui susceperit, mortem incurret sempiternam. Sequitur : « Qui amat animam suam, perdet eam (*Joan.* XII, 25), » etc.

(*Pars reliqua homiliæ a commentario accipienda est.*)

HOMILIA CXVII.

IN ASSUMPTIONE S. MARIÆ VIRGINIS.

ADMONITIO. — Ex comment. in Luc. num. 22 pene totam sibi curabunt lectores hanc homiliam, reliquam partem, quam a Marchesio pag. 111, cepimus, hic exscribimus. Attributa etiam fuit Emiseno, ut jam dictum est. Reperitur in cod. Laurentiano ubi est num. 118 S. Brunoni asserta, sicuti in cod. Siguino.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (X, 38). *In illo tempore : Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Et reliqua.

Inc. : Omnia opera Salvatoris nostri plena sunt sacramentis. Quidquid ubique agit significatio est.

Des. in comment. : Et filios parere cœpit. (*Post hæc sequitur homilia.*)

Hæ autem duæ mulieres prudentissimæ totius ecclesiastici exercitus duces, et præviæ sunt. Has cætera turba sequitur. Alii post Martham, alii post Mariam vadunt. Nulli enim cœlestem illam patriam ingrediuntur, nisi qui hanc vel illam sequuntur. Merito igitur SS. Patres constituerunt, ut in hac solemnitate B. M. V. hoc Evangelium legeretur, quæ quidem per has duas mulieres significatur. Ipsa enim inter omnes creaturas beatissima Virgo utriusque vitæ, activæ videlicet et contemplativæ plus cæteris omnibus privilegia custodivit. Ipsa quoque sicut Martha, imo melius, quam Martha suscepit Christum, non solum in domum suam, verum etiam infra claustra uteri sui. Ipsa eum concepit, ipsa eum genuit, ipsa eum peperit, et portavit, et plusquam Martha, et frequentius ei ministravit. Ipsa denique, sicut Maria, ejus verbum non solum audiebat, verum etiam in corde suo conferebat, nobisque ad legendum, et audiendum custodiebat. Sic enim scriptum est : « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (*Luc.* II, 19). » Ipsa eum non solum secundum humanitatem, **447** verum etiam secundum divinitatem et contemplari, et plus cognoscere meruit. *Ipsa igitur optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

HOMILIA CXVIII.

IN DECOLLATIONE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

ADMONITIO. — Cum commentario incipit, et cum eo desinit homilia tam in Marchesio pag. 112, quam in Emiseno, quem imperiti librarii fecerunt auctorem. Exstat in cod. Laurent. hom. 119 sub nomine Brunonis, sed aliis verbis finem habet. Vid. comm. num. 60.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XIV, 1). *In illo tempore, audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista ; ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo.* Et reliqua.

Inc. : Cujus opinionis beatus Joannes Baptista fuerit, etc.

Des. : *Et accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud ; et venientes nuntiaverunt Jesu.*

HOMILIA CXIX.

IN NATIVITATE DEI GENITRICIS MARIÆ.

ADMONITIO. — Usus videtur Marchesius in harum homiliarum collectione imperfecto codice ms. cum nonnisi exiguam partem publicaverit; quam tamen integram præstat comment. in cap. I Matth. Hujus defectus argui nequit codex Laurentianus, in quo tota legitur homilia num. 120, sicut in Evang. expositione.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (I, 1). *Liber generationis Jesu Christi filii David.* Et reliqua.

Inc. : Quare beatus Matthæus evangelista a Christi generatione.

Des. : Hoc autem verum est, si una, eademque persona bis numeretur.

HOMILIA CXX.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

ADMONITIO. — Perbrevis est loci hujus evangelici expositio, et talis est in Marchesio pag. 115, quam dixit homiliam diei huic assignatam. Nihil prius ea exhibent Emisenus et codex Laurentianus num. 122, ex quo patet ab hoc fonte, nempe ex comment. in Evang., omnes homilias sub nomine S. Brunonis vulgatas hausisse. Exstat num. 50.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (IX, 9). *In illo tempore, cum transiret Jesus per civitatem suam, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi : Sequere me; et surgens secutus est eum.* Et reliqua.

Inc. : Sic enim de se beatus Matthæus quasi de alio loquitur, etc.

Des. : Quia Christi sacrificium misericordia fe-

Digitized by Google

HOMILIA CXXI.

IN VIGILIA S. ANDREÆ APOSTOLI.

ADMONITIO. — Copiam facimus lectoribus prioris hujus homiliæ partis, quæ deest in commentario, eamque a Marchesio, pag. 114, exscripsimus; reliqua cum eodem comment. collata perfecte concordant. De eadem elucubratione, sicut de superioribus, Emisenum optime meritum dixerunt ejus editores. Est inter homilias de sanctis 8, edit. Paris. 1575.

448 LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (I, 35). *In illo tempore, stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo, et respiciens Jesum ambulantem, dixit : Ecce Agnus Dei.* Et reliqua.

In exordio hujus Evangelii magna nobis quæstio oritur : dicit enim evangelista quia altera iterum die stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo, et respiciens Jesum ambulantem dixit : *Ecce Agnus Dei.* In crastinum autem ab hac die voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum, et dicit ei : *Sequere me.* Tertia autem die nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Hæc igitur dies nuptiarum, quæ tertia dicitur ab ea de qua modo diximus, quarta videtur esse ab illa die in qua Dominus baptizatus est. Lege paulo superius, et diligenter attende quæ dicuntur. Dicit enim evangelista quia miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum, si esset Christus, si esset Elias, si esset propheta, quibus beatus Joannes se non esse respondit. Altera autem die post hanc responsionem, vidit Joannes Jesum venientem, et ait : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et tunc quidem baptizavit eum. Altera autem iterum die, de qua modo in principio hujus Evangelii dicitur : *Stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo, et vidit Jesum venientem, et similiter ait : Ecce Agnus Dei.* In crastinum autem invenit Philippum, et dicit ei : *Sequere me.* Tertia vero die nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Sed quomodo esse potest ut dies nuptiarum quarta sit a die baptismi, cum alii evangelistæ dicant : Quia statim ut baptizatus est, ductus est in desertum a spiritu? Si enim a die baptismi quadraginta diebus et quadraginta noctibus in deserto Dominus jejunavit, nequaquam fieri potest ut quarta die ad nuptias invitatus cum discipulis manducasset. Illud quoque quomodo verum esse potest, quod dicitur, quia viso vini miraculo crediderunt in eum discipuli ejus, cum apostoli ibi non essent? Nullum enim nisi Philippum solum adhuc Dominus vocaverat, cui modo dicit : *Sequere me.* Denique illud quomodo verum est, quod tota Ecclesia verum esse credit, et una eademque die hæc tria miracula facta, cum ad nuptias Dominus venit? Hæc est igitur quæstio, ad cujus solutionem intentos vos esse volo. Eadem namque, qua magi ad Dominum venerunt, id est tertia decima die postquam natus est, eadem, in qua jam trigesimo anno incipiente veniens ad Jordanem, baptizatus est; unde et evangelista ait : « Erat autem Jesus incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph (*Luc.* III, 23). » Ab hac autem die qua baptizatus est, jam pene toto anno evoluto, cum tres solummodo adhuc dies restarent, venit iterum Joannes, ubi erat Jesus. Hæc est autem altera illa dies, de qua modo in principio hujus Evangelii audivimus, quia *altera iterum die stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo, et vidit Jesum ambulantem, et ait : Ecce Agnus Dei.* Altera autem hoc in loco non ad hesternam refertur, sed pro alia ponitur. Proprie de duobus dicitur altera. Ab hac autem altera die tertia veniente nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, quæ videlicet dies nuptiarum anniversaria ei fuit in qua in præterito anno Dominus baptizatus fuerat, et ei in qua magi cum muneribus ad eum venerunt. Sic igitur tria ista miracula una eademque die facta sunt, quoniam eadem die, qua magi venerunt ad Jesum, ipsa eadem, jam trigesimo anno incipiente baptizatus est, quo videlicet trigesimo anno evoluto, eadem ipsa die ad nuptias venit. Dies igitur nuptiarum non quarta, sed potius anniversaria est a die baptismi. Constat itaque Dominum et Salvatorem nostrum ex anno quo baptizatus est, neque publice prædicasse, neque miracula fecisse, quo completo, venit ad nuptias, ibique primum miraculum fecit. Deinde ejus nominis fama totam subito terram replevit. Quod autem ait : « Et crediderunt in eum discipuli ejus (*Joan.* II, 11), » non de apostolis, quos nondum habebat, sed de illis discipulis intelligendum est, qui eo tempore cum illo erant. Habebat autem aliquantos discipulos, sicut et Joannes, qui eum sequebantur et audiebant. Nunc autem ad Evangelii verba redeamus. *Altera,* inquit, *die iterum stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulantem dixit : Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum.*

(*Huc usque additio, seu pars prima hujusce homiliæ, cujus reliquam partem lectori dabit commentarius in cap.* I *Joannis, num.* 4.)

449 HOMILIA CXXII.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

ADMONITIO. — Hac in homilia enuntianda paucis me expediam. Satis enim erit lectoris admonere eam ex duobus expositionibus in Evangel. Matthæi sub num. 8 et 9 astructam in Marchesio, pag. 115, et in Emiseno, hom. de sanctis 9, cui præcedit compendiosa narratio Evangelii, et prima sequitur illustratio. Cætera, ut jacent in commentario, ab homilia traduntur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (IV, 1). *In illo tempore : Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare.* Et reliqua.

Inc. : Narrat superius evangelista quia Dominus et Salvator noster cum audisset, etc.

Des. : Vides et ipsos pisces, eos scilicet qui baptizantur et credunt

HOMILIA CXXIII.

IN NATALI APOSTOLORUM I.

ADMONITIO. — Non longo sermone opus est, ut hanc homiliam Emiseno attributam S. Brunoni vindice-

Digitized by Google

mus, cum præter Marchesium, qui eam edidit pag. 110, codices Vallicellanus, Laurentianus, et Signinus perspicuis verbis illi ascribant. Pauca addita sunt in principio homiliæ, quibus decem præcepta Christi Domini distincte memorat; reliqua ipsam commentarii Evangelii S. Joannis interpretationem sub num. 43 complectuntur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XV, 12). *Dixit Jesus discipulis suis : Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Et reliqua.

Inc. : Decem quidem sunt mandata legis, quorum primum illud est, quo dicitur : *Non habebis Deum alienum absque me*, etc.

Des. : Bene igitur exauditus est, qui inde lætatur, quod exauditus non est.

HOMILIA CXXIV.

IN NATALI APOSTOLORUM II.

ADMONITIO. — Adnotasse sufficiet pene totam hujusce Evangelii expositionem num. 43 pro homilia usurpatam. Ea quæ desunt, lectoribus a Marchesio, apud quem est homilia pag. 117, exscripta exhibentur. Facta collatione cum Emiseno ubi est 11 de sanctis, consonans perfecte reperitur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM (XV, 17). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Et reliqua.

Inc. : Magna est virtus charitatis, quæ toties discipulis a Domino commendatur.

ADDITIO. — Considerate modo, fratres mei, quanta devotione sanctos apostolos honorare debeamus, quos ipse Dominus jam non servos, sed amicos vocat, de quibus ipse ait, quia non sunt de hoc mundo electi, mundum vicerunt cum principe mundi, quibus ipse testimonium perhibet dicens : « Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi (*Matth.* v, 13). » — « Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis (*Luc.* VIII, 10). » Isti sunt illi fontes duodecim, quorum affluentia omnis terra satiatur. « Venit, inquit Moyses, populus in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum (*Exod.* XV, 27). » O quantus fons iste est, qui hæc scripsit, beatus Joannes evangelista! Isti sunt duodecim horæ diei, et duodecim portæ cœlestis Jerusalem. De quibus dicitur : « Ab oriente portæ tres, ab occidente portæ tres, a meridie portæ tres, et ab aquilone portæ tres (*Apoc.* XXII, 13). » De quibus Propheta ait : « Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob (*Psal.* LXXXVI, 2). » Et revera magis diligit Dominus solas Ecclesiæ portas, quam omnia ædificia Synagogæ. Isti sunt lapides vivi, qui volvuntur super terram; qui positi in rationali summi pontificis etiam sine voce docent, et prædicant. Prædicant enim non clamando, sed significando. Nos semper in **450** pectore habere debemus, quibus corda nostra instruantur et muniantur. Ad hos totus populus respiciat, et quid significant, diligenter inquirat. Isti sunt fundamentum, turres, et columnæ Ecclesiæ; isti sunt montes, qui exsultaverunt, ut arietes; isti cedri libani, isti cervi, qui venenum non timent, et serpentes interficiunt. Isti galli in nocte cantantes, et leones sævientes, qui succincti renibus, et fortissimi bestiarum ad nullius timebunt occursum. Sed quid dicam? Isti sunt illi cœli, qui enarrant gloriam Dei.

HOMILIA CXXV.

IN NATALI APOSTOLORUM III.

ADMONITIO. — Præter pauca in principio, et quædam intermedia, quæ omittuntur, tota homilia ex commentario in Matthæum, num. 38, haberi potest. In Marchesio legitur pag. 118, et in Emiseno homil. de sanctis 12.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (X, 16). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Et reliqua.

Inc. : Dixerat superius in hoc Evangelio Dominus, et Salvator noster discipulis suis : *Euntes prædicate*, etc.

Des. : Nunquam enim nisi in bono judicantur, qui semper in bono inveniuntur.

HOMILIA CXXVI.

ITEM DE APOSTOLIS IV.

ADMONITIO. — Sequuntur excerpta ex commentario in Matthæum num. 80 et 81. Quæ simul juncta totam componunt homiliam a Marchesio editam pag. 118, sicut etiam ab Emiseno supposito, apud quem est homilia 13 in natali apostolorum; iisdem verbis introducitur, iisdemque concluditur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XIX, 27). *In illo tempore, respondens Petrus dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Et reliqua.

Inc. : Narrat superius evangelista juvenem quemdam accessisse ad Jesum, etc.

Des. : Quos enim multum diligimus, his nominibus vocare solemus.

HOMILIA CXXVII.

ITEM DE APOSTOLIS V.

ADMONITIO. — Ut usi sumus in præcedentibus, a Marchesio, pag. 119, desumimus priorem hujus homiliæ partem, quæ in Evangelii expositione secundum Matthæum non reperitur, eamque lectoribus communicamus. Reliqua his addita exscripta sunt a prædicto comment. num. 36 et 37, neque ulla occurrit differentia inter utramque editionem. In Emiseno pariter vulgatam habemus hoc titulo : *In natali Apostolorum* homilia 4, eadem verba initialia referens, eademque postrema conclusionis.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (IX, 37). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Et reliqua.

Beatus Lucas evangelista sic ait : « Quia designavit Dominus et alios discipulos septuaginta duos, et misit eos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo ipse erat venturus, et ait illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci (*Luc.* X, 1). » Duodecim filios habuit Jacob, septuaginta vero et duos viros de senioribus Israel, jubente Domino, elegit Moyses, quorum consilio et auxilio tanti populi onus facilius ferre potuisset. Sic igitur Dominus et Salvator noster, qui per hos duos patriarchas significabatur, et duodecim apostolos elegit, et septuaginta duos discipulos designavit. Et apostolorum quidem vicem modo tenent episcopi. Aliorum vero discipulorum officium gerunt presbyteri. Binos autem

Digitized by Google

misit eos Dominus ad prædicandum, quia duo sunt præcepta charitatis. Insuper etiam scriptum est : « Væ soli, quia, cum ceciderit, non est qui sublevet 451 eum (*Eccle.* IV, 10). » Duo sunt præterea testamenta, quæ semper simul pergunt, simul et docent et prædicant ; quæ si nostri pectoris civitatem intraverint, Domino venienti mansionem et hospitium parant, sicut et illi discipuli tunc faciebant. Miseri Judæi, ad quorum civitates non duo discipuli, id est non duo testamenta, sed unum solummodo venit, et ideo quid dicat non intelligunt. Hoc enim significabant illi duo cherubim, qui positi super arcam testamenti se mutuo respiciebant, versis vultibus in propitiatorium. Cherubim namque *scientiæ plenitudo* interpretatur. Sed ubi, quæso, tanta scientia, quanta in utroque Testamento? Quod autem duo cherubim mutuo se respiciunt, amborum Testamentorum amicitiam et concordiam significat. Idem enim testantur ambo, idem dicunt et prædicant ambo. Habebant autem vultus versos in propitiatorium, quo tegitur arca, quatenus ab omnibus videantur et cognoscantur, nullusque in area, id est in Ecclesia et sanctorum congregatione sit, qui eorum faciem externam et incognitam habeat. Hoc autem illi audiant, qui sacras Scripturas meditari negligunt. Ut enim de aliis taceamus, ipsi quoque episcopi cherubim istos aliquando non cognoscunt. Et quamvis ad eos, ut cognoscantur, vultus convertantur, ipsi tamen eos videre despiciunt. Non pergant igitur sine se, qui tantum diligunt se, simul eant, simul prædicent, simul castellis et civitatibus Christum veniendum annuntient. Sequitur : *Messis quidem multa, operarii autem pauci*, etc.

(*Homiliæ hujus continuatio exstat in commentario sub præsignatis numeris, ut diximus.*)

HOMILIA CXXVIII.

IN NATALI APOSTOLORUM VI.

ADMONITIO. — Ne lectores tædeat componere hujus homiliæ partes, quarum aliquæ sunt in commentario, num. 20, super hunc Evangelii locum, aliæ plurimæ leguntur in Marchesio, pag. 121, eam integram exscripsimus. Eadem supposita fuit Emiseno, inter homilias de sanctis 15, sub titulo : *In natali plurimorum martyrum*. Gaudet homilia testimonio codicis Signini, cum quo plane concordat.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (X, 16). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Et reliqua.

Hoc autem ideo Dominus et Salvator noster dicere videtur, quia neque ipsum, neque discipulos ejus Samaritani recipere voluerunt. Sic enim superius ait evangelista : « Quia factum est, dum complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem, et misit nuntios ante conspectum suum, et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem (*Luc.* IX, 51). » Factum est autem, inquit, cum jam dies assumptionis ejus complerentur, et tempus ejus passionis, resurrectionis et ascensionis sive assumptionis propinquaret, firmavit Dominus ut iret in Jerusalem, sicut in ejus vultu et facie manifeste apparebat. Facile enim in vultu voluntas dignoscitur, unde a vultu voluntas dicitur. « Et miserunt nuntios ante conspectum suum, et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, et non receperunt eum. » Quare ? « quia facies ejus erat ut iret in Jerusalem. » Non enim, ut alibi dicitur, contuntur Judæi Samaritanis (*Joan.* IV, 9). Ideoque Samaritani Jesum recipere noluerunt, quia se in Jerusalem velle ire ostendebat. Jam quasi inimicum eum deputantes, sicut qui eorum diligeret inimicos. Usque hodie namque omnes iniqui ideo Jesum et ejus nuntios, ejusque Evangelium non accipiunt, quia eos in Jerusalem ad pacem, ad misericordiam et pietatem tendere et festinare cognoscunt. Jerusalem *visio pacis* interpretatur. Cum vidissent autem hoc discipuli, Jacobus et Joannes dixerunt : « Domine, vis, dicimus ut descendat ignis de cœlo, et consumat illos, sicut Elias fecit? » (*Luc.* IX, 54.) Et conversus increpavit illos, dicens : « Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare (*Ibid.*). » Et abierunt in aliud castellum : nesciebant enim apostoli cujus spiritus essent, qui se tantopere vindicare cupiebant. Si enim se spiritus pietatis, patientiæ et mansuetudinis servos et discipulos esse novissent, nequaquam aliqua sui spiritus commotione tot homines irati occidere voluissent. Hoc enim postea probatum est, cum pro inimicis et persecutoribus orarent. Et ait illis Jesus : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit ; qui autem spernit me, spernit eum qui me misit.* Quod tale est ac si diceret : Non vos tantum, sed me sprevere Samaritani. [Hæc itaque verba discipulis suis eorumque successoribus, episcopis scilicet et sacerdotibus, locutus est Dominus. Quicunque igitur es, qui episcopos et sacerdotes audire contemnis, et eorum verbis et exhortationibus acquiescere despicis, 452 saltem Deum ipsum non parvipendas, et eum audire non fastidias. Despicis audire sacerdotem ; sed non mirum, quia pauper est, quia imbellis et humilis, quia vilis et despicabilis est, quia de pauperibus parentibus natus est. Audi vel Dominum in eo loquentem, per eum te admonentem, et ad vitam æternam reducentem. Apostolus enim dicit : « An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? » (*I Cor.* XIII, 3.) Sic igitur in episcopis et sacerdotibus Christus loquitur, atque in eis ab aliis honoratur et ab aliis reprobatur. Sustinet modo, nec facile vindicat injurias suas. Sed audi eum dicentem : « Tacui, numquid semper tacebo? » (*Isa.* XLII, 14.) Dicat Psalmista : « Deus, inquit, quis similis tibi? Ne taceas, neque compescaris, Deus, quoniam inimici tui sonuerunt, et qui te oderunt, extulerunt caput (*Psal.* LXXXII, 3). » Noli itaque spernere discipulos et nuntios Christi ; imo noli Deum ipsum spernere in discipulis suis. Nisi enim ipse in discipulis suis sper-

Digitized by Google

neretur, nequaquam dixisset: *Qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* Hoc Judæi audiant, et audientes timeant, et timentes pœniteant, vel si placare valeant quem offendere non timuerunt. Ipsi enim non solum spreverunt, verum etiam crucifixerunt Christum Dominum. *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Hos enim, ut superius dicitur, miserat Dominus binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo ipse erat venturus.] Quid autem isti significent, et quare ante se Dominus miserit, cur etiam binos eos ire jusserit jam alibi exposuimus. Nunc autem reversi Domino omnia scienti cum gaudio referebant ea quæ non ipsi, sed ipse in illis fuerat operatus. Gaudebant enim de nomine Christi, cujus virtutem experti erant; gaudebant de gratia immensa sibi a Domino attributa, quoniam non solum infirmitates curabant, verum etiam dæmonibus imperabant, et sibi subjectos esse videbant, qui mundi hujus reges et principes, omnesque homines iniquos esse sciebant. Dicebant ergo: Domine, non solum languores et infirmitates, non solum homines iniqui, sed etiam ipsi dæmones subjiciuntur nobis in nomine tuo, quibus subjecta sunt omnia quæ longe sunt a consortio tuo. Et ait illis: *Videbam Satan quasi fulgur de cœlo cadentem: ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones.* Cœlum enim, vel Ecclesia, vel sanctorum animæ intelliguntur. Videbat igitur Dominus Satan de cœlo cadentem. Videbat diabolum Ecclesiam et sanctorum habitacula fugientem, et hoc, quod ei discipuli narrabant, jam se prævidisse et cognovisse firmabat. Unde et alibi ait: « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 31). » Nisi hoc prævidisset, quare in mundum venisset? Et quare carnem suscepisset? Ad hoc enim Dominus in mundum venit, ut diabolum fugaret, et de illius impia potestate animas hominum liberaret. Quod igitur nunc fieri incipiebat, antequam fieret prævidebat, suoque in tempore fieri disponebat. Videmus itaque et nos usque hodie Satan sicut fulgur de cœlo cadentem, et cum magno furore et indignatione sanctam Ecclesiam relinquentem. Quoties enim flagitiosus aliquis ad pœnitentiam redit, toties Satan de cœlo cadit. Multi enim adulteri, perjuri et homicidæ sunt in Ecclesia, quæ regnum cœlorum vocatur, qui statim ut convertuntur, a diabolo relinquuntur. Et non velocius de cœlo cadit fulgur, quam de illorum mentibus cadit diabolus. [Cadit autem et tunc de cœlo Satanas, quando aliquis hæreticus ab Ecclesia separatur, qui prius in ea per doctrinam magno fulgere splendore videbatur. Talis enim erat Simon Magus, quem B. Petrus apostolus pro suis iniquitatibus prius de Ecclesia ejecit, postea vero volare nitentem de aere præcipitavit. Hinc est autem quod in Apocalypsi Joannes ait: quia « angelus tuba cecinit, et cecidit de cœlo stella magna ardens, tanquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum et in fontes aquarum, et nomen stellæ dicitur absinthium (*Apoc.* VIII, 10). » Toties enim, ut modo diximus, de cœlo stella cadit, quoties aliquis ab Ecclesia per hæresim separatur. Sed quanto sapientior et astutior est, tanto majorem flammam ferre videtur. Et quamvis totus de cœlo cadat, tamen non ubique cadit. Ubi enim errat, ibi cadit. Cadit autem in tertiam partem fluminum. Duo namque flumina duo sunt testamenta. Fontes autem tot sunt quot et doctorum libri. In his autem nemo cadit, quoniam nulla hæresis in eis est. Tertium autem flumen, in quod hæretici cadunt, ipsum est quod ipsi faciunt. Faciunt enim, quoniam eorum erronea doctrina in prædictis fluminibus non invenitur. Multa enim flumina et multa librorum volumina fecerunt hæretici. Et merito hæc stella absinthius vocatur, quia ad illius herbæ similitudinem, quæ hoc nomine censetur, felle omnique amaritudine plena est, de qua qui gustaverit, non morietur. Fuge igitur has aquas, Christiane; noli ea bibere. Nota sunt flumina, nota sunt fontes aquarum salientium in vitam æternam, de quibus si biberis non sities ultra.] Sequitur: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit.* Serpentes et scorpiones non solum maligni spiritus, verum etiam tyranni, 453 omnesque Ecclesiæ persecutores intelligi possunt, quoniam et venenosi sunt, et nunquam recta incedunt via. Virtus autem inimici quid melius intelligi potest quam Nero et Simon Magus, Diocletianus et Maximianus, et ipse Antichristus perditionis filius? Est præterea virtus inimici superbia, avaritia omnisque luxuria, a quibus multi vincuntur et diabolo subjiciuntur. Unde et Job, cum de eo loqueretur, ait: « Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo ejus in umbilico ventris ejus (*Job* XL, 11). » Hæc autem Christi discipulis non nocebunt, Domino eos protegente et ubique defendente. Non nocebunt utique, si contra repugnaverint eisque non assenserint. Sequitur: *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur. Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Multi enim sunt quibus dæmonia subjiciuntur, quos non gaudium quidem, sed luctus et mœror exspectat. Quibusdam enim in judicio dicentibus: « Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? » dicturus est Dominus: Ite, operarii iniquitatis, amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* VII, 22). » Non ergo gaudeant Christi discipuli quia dæmonia eis subjiciuntur. Gaudeant autem quia eorum nomina scripta sunt in cœlis. Illud enim gaudium vanum et temporale est, hoc autem utile et æternum. Illud ad vanam gloriam respicit, hoc spectat ad gloriam sempiternam. Et illud quidem habere possunt et boni et mali, hoc autem non habebunt nisi boni.

Digitized by Google

HOMILIA CXXIX.

IN NATALI PLURIMORUM MARTYRUM I.

ADMONITIO. — Præmittit quædam auctor de Christiana fuga suæ expositioni in Evangelium. Ne lectores his careant, ex Marchesio, pag. 122, educta hic exscribimus. Hæc homilia inter Eusebianas non reperitur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (x, 23). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Cum vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam.* Et reliqua.

Talia sunt prælia Christi, talia sunt bella Novi Testamenti, sic Christi fideles pugnare noverunt. Dixerat eis Dominus superius : « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum (*Matth.* x, 16). » Præceperat eis ut essent prudentes sicut serpentes; nunc autem dicit eis ut fugiant, et persecutoribus se sequentibus non resistant. Fugerunt Israelitæ Ægyptios, et vicerunt. Fugit et David, et rex a Domino constitutus est. Hanc autem fugam Jacob patriarcha significavit, qui post magnam et multam servitutem simul cum uxoribus et liberis, omnique possessione sua Laban socerum suum fugisse legitur; quem Laban ipse septem diebus persecutus, tandem invenit in monte Galaad. Laban enim, qui *candidus* interpretatur, hunc mundum significat. Valde enim sibi proxima sunt, et idem quodammodo hæc duo nomina significare videntur candidus et mundus. Qui enim candidus est, mundus quoque esse videtur. Puto autem quod fabricam suam ideo tali nomine omnipotens Deus vocare voluit, quia « vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona (*Gen.* i, 31). » Si enim omnia bona erant, nihil nisi mundum in eis erat. Ex eo autem tempore mundus est immundus, ex quo terra in sanguinibus corrupta narratur. Quod igitur Jacob simul cum uxoribus et filiis, omnique sua possessione fugisse dicitur, hoc significare videtur, ut nos quoque mundum istum fugiamus, et amicos, et propinquos, et quoscunque possumus de ejus servitute eripiamus. Septem diebus Laban sequitur Jacob, quia, quandiu vivimus, mundus iste nos persequi non cessat. Non enim sunt dies nisi septem. Igitur qui septem diebus nos persequitur, nullo tempore a persecutione quiescit. Quo igitur fugiemus? Fugiamus ad montes Galaad, ibique tentoria figamus. Galaad namque *acervum testimonii* interpretatur, per quem utriusque Testamenti librum intelligimus, in quo omnia legis et prophetarum, apostolorum et doctorum exempla et testimonia sunt collocata. In quo Joannes apostolus clamat : « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt (*I Joan.* II, 15). » Ubi hæc Dominus discipulis ait : « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus (*Joan.* XV, 19). » Talia et his similia audiuntur in monte Galaad. Illuc igitur fugiamus, et Dominum dicentem audiamus : *Cum vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.* Ubique patientiam et innocentiam Dominus, etc.

(*Huc usque additio; cætera ex commentario, num,* 39, *habentur.*)

454 HOMILIA CXXX.

IN NATALI PLURIMORUM MARTYRUM II.

ADMONITIO.—Ex commentario in Evangelium Matth., num. 40, præter pauca addita illis verbis : *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus,* tota hæc hom. educta est. Marchesius edidit tom. II, pag. 123. In Emiseno item legitur cum eo titulo, et conformis habetur. Codices supra allati Brunoni nostro suffragantur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (x, 34). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Nolite arbitrari quia veni mittere pacem in terram, non veni mittere pacem, sed gladium.* Et reliqua.

Inc. : Quid est igitur quod Psalmista ait : *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis?* etc.

Des. : Si hic mercede caruerint, ibi propter hoc mercedem non habebunt.

HOMILIA CXXXI.

IN NATALI PLURIMORUM MARTYRUM III.

ADMONITIO. — Perbrevem introductionem ad hanc homiliam, quæ in Marchesio legitur, tom. II, pag. 125, omittimus ; cum reliqua omnia præstet commentarius in Evang., pag. 70, etc. Celebres in eo a Christo Domino commendatæ beatitudines docte explanantur. Apud Emisenum pariter invenies inter homilias de sanctis 19, pag. 217 edit. Paris.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (v, 1). *In illo tempore : Videns Jesus turbas ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.* Et reliqua.

Inc.: Multa turba sequebatur Jesum, et non solum sequebatur, etc.

Des. : Si illorum vos beatitudo delectat.

HOMILIA CXXXII.

IN NATALI UNIUS MARTYRIS I.

ADMONITIO. — Succedit hic homilia altera a præcedente haud dissimilis, cum constet duobus locis comment. in Matthæum numeris scilicet 64 et initio 70. Introductio in homiliam, qua caret commentarius, ita a Marchesio, pag. 124, tom. II, traditur; eamdem refert Emisenus in reliquis perfecte concordans.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XVI, 24). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Et reliqua.

Paulo ante dixerat discipulis suis Dominus Jesus : Quia oportet eum ire Hierosolymam, et multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus dixit ei : *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.* Et conversus Petro dixit : *Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Inde volens ostendere qualiter primum eum ire, et qualiter eum sequi debeamus, subdidit dicens : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* In eo enim quod Dominus futura prædicit, et se sponte pati ostendit, et eorum fidem confirmat, secundum quod ipse alibi ait : « Et nunc dico vobis,

Digitized by Google

priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis (*Joan.* XIV, 29). » Quod vero beato Petro ait: *Vade post me, Satana, scandalum es mihi*, tale est ac si diceret: Vade post me, ut, sicut ego morior pro te, ita et tu moriaris propter me. Noli mihi contrarius esse, noli meæ voluntati resistere. Noli divinis consiliis obviare. Sic enim oportet fieri, quia sic est ante tempora prædestinatum, et a prophetis pronuntiatum. Hoc est enim quod alibi ait: « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ! nonne sic oportuit pati Christum, et resurgere a mortuis, et intrare in gloriam suam?» (*Luc.* XXIX, 25.) Sapiebat igitur Petrus quæ hominum sunt, quia humanum consilium dabat; non sapiebat quæ Dei sunt, quia hæc secreta divini **455** consilii, quibus homo redimeretur, ignorabat. Tunc dixit Jesus discipulis suis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Debet enim unusquisque homo negare seipsum.

(*Cætera videnda in commentario*).

Des.: Qualis post hanc vitam in regno suo cunctis suis fidelibus apparebit.

HOMILIA CXXXIII.

IN NATALI UNIUS MARTYRIS II.

ADMONITIO. — Cum pauca sint addita huic homiliæ, quæ absunt a commentario, ea præterimus. Exstat apud Marchesium pag. 124, et num. 34 in comment. in Lucam. Inter Emiseni homilias inserta non videtur.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XIV, 26). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem.* Et reliqua.

Inc.: Cum enim alibi Dominus dicat: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, etc.

Des.: Simul cum ipsa vita perdere non timebant.

HOMILIA CXXXIV.

IN NATALI UNIUS MARTYRIS III.

ADMONITIO. — Cum tota homilia a Marchesio edita pag. 127 constet partibus, quæ inter se non colligantur, non a S. Brunone ad populum dictam, sed ab imperito auctore conditam quisquam suspicari potest. Pars prima incipit a comment. in Joannem, num. 42: *Ecce vitis vocatur Christus, et vitis vera.* Altera est ex comment. in Matth., num. 99: *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem*, usque ad illa: *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis.* Tertia pars denique rapsodiam appellabo. Eadem est in Emiseno 29 inter hom. de sanctis, pag. 218.

Inc.: Ecce vitis vocatur Christus, et vitis vera, etc.

Des.: Magna est virtus patientiæ, sine qua perditur, et per quam anima possidetur.

HOMILIA CXXXV.

IN NATALI CONFESSORUM I.

ADMONITIO. — Immutata tantum videntur verba aliqua in principio; quidquid enim sequitur ex comment. in Matth., num. 102, desumptum est. Eamdem lectionem præbet Emisenus hom. inter sanctos 22.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXV, 14). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.* Et reliqua.

Inc.: Homo iste Dominus et Salvator noster intelligitur, qui de hoc mundo ad Patrem rediens, etc.

Des.: Et tunc inutilis servus ejicietur in tenebras exteriores: *Illic erit fletus, et stridor dentium.*

HOMILIA CXXXVI.

IN NATALI CONFESSORUM II.

ADMONITIO. — Qui homiliam a Marchesio editam pag. 129 cum commentario in Lucam num. 45 conferre voluerint, plenam omnibus in verbis consonantiam observabunt.

456 LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XIX, 12). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas.* Et reliqua.

Inc.: Homo iste nobilis ipse est, qui loquitur, Salvator noster, etc.

Des.: Quod vobis paratum est ab origine mundi.

HOMILIA CXXXVII.

IN NATALI CONFESSORUM III.

ADMONITIO. — Perfecta concordia hac de homilia, quæ inter Marchesium, pag. 130, et comment. in Lucam, num. 22, reperitur, nos ab ulteriori animadversione liberos reddit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XII, 35). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum.* Et reliqua.

Inc.: Quod enim lumbos præcingere nos Dominus præcipit, etc.

Des.: Et unusquisque ibi super omnia constituitur.

HOMILIA CXXXVIII.

IN NATALI CONFESSORUM IV.

ADMONITIO. — Paucis immutatis, et additis in medio et in fine homiliæ, ut jacet in Marchesio, pag. 131, eadem a commentario redduntur num. 12. Hoc ex fonte Emiseni supposiiti auctor eam omnino similem hausit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (V, 13). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur?* Et reliqua.

Inc.: Hæc autem verba, et alia multa, tunc discipulis suis in monte Dominus locutus est, etc.

Des.: Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

HOMILIA CXXXIX.

IN NATALI CONFESSORUM V.

ADMONITIO. — Ex evangelica expositione num. 17 comment. in Matthæum constat homilia, cui perbreve exordium, ut legitur in Marchesio, pag. 132, præcedit. Cum reliquis Eusebianis de sanctis num. 26 impressa fuit; sed iisdem verbis habet initium et finem, ut in comment.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (VI, 22). *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si*

Digitized by Google

autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Et reliqua.

Inc. : Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, etc.

Des. : Totaque massa operationum lucida erit.

457 HOMILIA CXL.

IN NATALI CONFESSORUM VI.

ADMONITIO. — Hanc eamdem homiliam edidit Marchesius in lib. VI Sententiarum ; sed cum lectio ejus imperfectissima sit, ut ex collatione codicis 100 Vat. Reg. cognovimus, ut jacet in dicto codice publici juris facimus, et inter homilias de confessoribus locum dedimus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XI, 33). *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Et reliqua.

Ubi oculi non sunt, ibi lux necessaria non est. Ubi non sunt aures, ibi superfluæ resonant voces ; ubi qui comedant nulli sunt, ibi mensa et cibi ponendi non sunt. Merito igitur sancti canones non in viii et humili loco, sed per civitates et loca populosa episcopos ordinari non permittunt. Hoc est enim super candelabrum lucernam ponere, in loco excelso episcopum ordinare. Quare ? *Ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Non ergo ponatur sub modio, ubi nulli sunt, sed potius ibi ponatur ubi multi oculi sunt. Quid autem per lucernam intelligere debeamus, ipse Dominus subdidit, dicens : *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Habet mundus iste suos oculos, solem videlicet et lunam, quibus corporaliter omnia illuminantur ; de quibus in Genesi scriptum est : « Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti (*Gen.* I, 16). » Habet similiter Ecclesia suos oculos, per quos, ut modo diximus, episcopi significantur. Corpus quoque nostrum suos oculos habet. Similiter autem et anima suis oculis decoratur. Considera modo ubi Dominus mundi oculos posuit ; in cœlo, utique in loco sublimiori, ut videantur ab omnibus, et quasi lucerna super candelabrum posita luceant omnibus qui in domo sunt. Nostri quoque oculi ubi positi sunt ? Nonne in capite, et quasi lucerna super candelabrum posita ? Ita quoque episcopi nostri quasi lucerna super candelabrum, super locum magnum et populosum constitui debent. Noluit Ecclesiam suam cæcam esse omnipotens Deus : oculos ei dedit qui eam illuminarent, qui veritatis viam ei ostenderent, qui eam errare non permitterent, et qui recto itinere ad regna cœlestia eam perducerent. Videte, homines, quantum episcopos et prælatos vestros diligere debeatis. Lumina vestra sunt, oculi vestri et lucernæ vestræ sunt. Sic igitur quasi oculos vos eos diligere debetis. Nihil est quod homines magis diligant quam oculos suos. Nihil igitur plus diligere debent quam prælatos suos. Sed videant episcopi ne oculos claudant, ne lucernam abscondant, ne pecuniam sibi creditam terræ suffodiant. Non intra, sed extra velum, et mensa et candelabrum posita sunt ; ubi et cibi communes sint omnibus, et lumen videatur ab omnibus. Qui abscondit frumentum, maledicitur in populis. Interpretetur episcopus nomen suum, quatenus in specula positus omnes et omnia desuper videat. Ad hoc in paradiso primus homo positus est ut operaretur et custodiret illum. Nunc autem de mentis nostræ oculis videamus, per quos sapientiam, rationem, et intellectum, et intentionem sanctam et simplicem intelligimus. De hoc enim oculo Salvator noster dicere videtur : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, totum tenebrosum erit.* Quamvis enim mali episcopi plurimum noceant, eorum nequitia infirmorum oculi tabescant, præcipue tamen mentis oculi, si nequam fuerint, totum hominem tenebrosum faciunt. Quid enim luminis vel claritatis in illo esse potest, in quo ipsa sapientia, ipsa ratio, ipsa intelligentia, totaque intentio mala est ? Ideo enim hujus sæculi sapientes esse dicuntur, quia tales oculos habent, et omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus, de quibus ipse Dominus ait : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Luc.* VI, 2). » Ille igitur oculus, illa ratio, illa sapientia simplex est, quæ peccata fugit, bona transitoria despicit, æterna desiderat, et recto tramite ad Deum ducit. Merito igitur Dominus ait : *Lucerna corporis tui est oculus tuus ;* quod tale est ac si diceret : Sicut lucerna mundi est sol, et luna, et lucerna Ecclesiæ episcopi et doctores, et lucerna corporis tui est oculus tuus ; ita et lucerna animæ tuæ sapientia est, ratio et intentio bona. Hic est oculus simplex, qui et homines errare non permittit. Nemo enim, ut ait quidam, cum ratione insanire potest. Et sicut in Evangelio Dominus dicit : « Omnis qui male agit, odit lucem (*Joan.* III, 20), » id est a ratione sapientiaque discedit. Quando a sapientia discedit ille, procul dubio oculum simplicitatis **458** veritatisque amittit. Ratio igitur et sapientia nunquam fallit. Intentio etiam illa, quæ bona esse videtur, multoties fallit. Bona enim intentione Apostolus Ecclesiam Dei persequebatur, quia zelo legis hoc faciebat. Fallebatur tamen, quia non sapientia, sed errore ducebatur. Similiter etiam et Elias bona intentione, ut sibi videbatur, prophetarum sanguinem et suas persecutiones vindicare volebat ; non tamen illa ejus voluntas, et illius tantus zelus Deo placebat. Factus est enim sermo Domini ad Eliam dicens : « Quid hic agis, Elia ? At ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum. Quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel. Altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et quærunt animam meam, ut auferant eam. Et ait illi : Egredere, et sta in monte coram Domino. Egressus est ille, et stetit in monte. Et ecce Dominus transiit, et spiritus grandis, et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio. Non in

Digitized by Google

commotione Dominus, et post commotionem ignis. Non in igne Dominus, et post ignem sibilus auræ tenuis (*III Reg.* XIX, 10). » Ecce audivimus modo tres zelos, id est tres animi commotiones et perturbationes, quæ Domino non placuerunt. Si enim placuissent, nequaquam diceretur : non in spiritu Dominus, non in commotione Dominus, et non in igne Dominus. Commoventur et conturbantur aliquando viri religiosi et contra alios, et contra seipsos, plusquam necesse sit. Quæ quidem perturbatio aliquando cito transit, aliquando in tantam flammam exsurgit, ut vix exstingui et sedari valeat. Tanto enim zelo in prophetas Baal, et in populum prævaricatorem Elias vir sanctus commotus erat, ut si ei a Domino potestas data fuisset, omnes eos absque misericordia interfecisset. Sicut et alia vice eodem zelo quadringentos et quinquaginta prophetas Baal juxta torrentem Cison suis manibus interfecisse legitur. Duos quoque quinquagenarios, et bis quinquaginta viros, qui cum eis erant, igne cœlitus misso, eum consumpsisse sacra nihilominus narrat historia. Præcepit igitur Dominus ut egrederetur, et in monte staret ; in monte videlicet misericordiæ, in monte charitatis et pacis. Qui enim in his montibus stant, omnes homines ex corde diligunt, nullius hominis mortem quærunt, neque peccatoris mortem volunt, et potius ut convertatur et vivat. In hos ergo montes ductus est Elias, ut ejus animi tanta commotio mitigaretur. Et ecce Dominus transivit; sed priusquam Dominus transiret, spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras transiit ante Dominum. Hic igitur spiritus grandis et fortis, qui et montes subvertebat et petras conterebat, Eliæ spiritum et zelum significabat ; qui quantum in ipso erat, non solum populum, verum etiam viros potentes, qui propter altitudinem montes, et propter fortitudinem petra vocantur, subvertere, conterere, delere et perdere volebat. Sed non in spiritu Dominus. Quia enim in illo spiritu Dominus non erat, neque simul cum illo spiritu transire volebat, manifeste Elias intelligere potuit, quia talis zelus talisque spiritus Deo non placebat. Similem autem spiritum apostolos quoque habuisse legimus, quando Samaritani Dominum recipere noluerunt, dicentes : « Vis, jubemus, ut descendat ignis de cœlo, et consumat eos, sicut Elias fecit ? Quos Dominus increpans ait : Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare (*Luc.* IX, 54). » Notandum quod ait, « cujus spiritus estis. » Hoc enim tale est ac si diceret : Spiritus, qui in vobis est, et in quo regenerati estis, non est zeli et ultionis, sed misericordiæ et pietatis. Post spiritum autem commotio, non in commotione Dominus. Commotio quoque non bona ostenditur, cum non in ea Dominus esse videatur. Tali autem commotione idem ipse Elias contra seipsum commotus, ait : « Obsecro, Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei (*III Reg.* XIX, 4). » Hoc autem non tantum alterius vitæ desiderio dicere videtur, quam odio Jezabel, cujus jam persecutiones ferre non poterat. Dominus autem in Evangelio non eos qui persecutiones fugiunt beatos dicit, sed eos potius qui persecutiones patiuntur propter justitiam. Beatus denique Job cum tantis angustiis premeretur, non tamen ad impatientiam provocari potuit, quanquam uxor illius diabolica persuasione ad blasphemiam eum vocaret, dicens : « Benedic Domino, et morere (*Job.* VII, 9). » Cui ipse patientissime, et nullatenus commotus, ait : « Quasi una de stultis mulieribus locuta es (*Ibid.*). » Quod enim beatus Paulus dicit : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philip.* I, 23), » non utique tædio persecutionum commotus, vel contenebratus diceret ; sed potius illius beatitudinis desiderio. Illa igitur commotio mala est, quæ patientiæ bonum excludit, sive tyrannorum persecutione, sive qualibet alia corporis passione. Unde et discipulis Dominus ait : « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* XII, 19). » Multos homines tali commotione commotos mortem sibi imprecari audivimus. Non erat autem illa commotio talis, qua quidam sanctorum in persecutionibus positi, ut eorum spiritum Dominus susciperet, rogabant, quanquam martyrii passionem libentissime sustinebant; sed de sola carnis fragilitate timebant. Sequitur : *Post commotionem vero ignis ; non in igne Dominus.* Iste ignis ille est, de quo supra **459** diximus, qui tanta commotione aliquando inflammatur, ut exstingui non valeat ; per quem videlicet ira inveterata et odium significatur. Hoc autem vitio plerumque laborare videmus etiam eos, qui religiosi esse putantur. Hoc igne Lucifer Calaritanus episcopus, cum Arianos suscipere noluisset, ab Ecclesia divisus est. Multoties alii in S. Ecclesia disputationes valde necessarias facere volunt, quas alii hoc igne succensi non patiuntur. Hoc miseri Donatistæ igne succensi potius in sua perfidia perire voluerunt, quam ad catholicæ Ecclesiæ pacem redirent. Merito ergo dicitur non in igne Dominus, quia in tali ira et iracundia Deus non est. Post ignem autem sibilus auræ tenuis ; ibi Dominus : *Si oculus tuus simplex fuerit*, de quo hoc in Evangelio modo Dominus dicit : *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit;* Docet nos poeta ille nobilis de hominibus ingenti æstu et magno labore fatigatis, quam gratus sit sibilus auræ tenuis. Ait enim Virg. Eclog. 5 sub finem :

Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
Nec percussa juvant fluctu tam littora...
Quam tua carmina, etc.

Quid igitur per istum sibilum auræ venientis, nisi sancti Spiritus afflationem intelligamus ; qui quoscunque tangere dignatur, ita ab omni iræ indignationis commotionisque æstu refrigerat et compescit, ut pro ipsis quoque inimicis sanctos orare compellat. Sed hoc est quod Dominus ait : « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est (*Matth.* V, 34). » Hujus tenuis et delectabilis auræ suavitate ipse Dominus

Digitized by Google

et Salvator noster afflatus, inter ipsa tormenta cum pateretur, pro suis crucifixoribus orabat, dicens : « Pater, ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 59). » Beatus quoque Stephanus hoc auræ sibilo confortatus pro suis lapidatoribus inter ipsos lapides clamabat, dicens : « Domine, ne statuas illis hoc peccatum (*Act.* VII, 5). » Et ut intelligas quid dixerit ibi Dominus, audi eum dicentem : « Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei (*Ibid.*). » Cum autem vidisset Elias quod in hac ultima commotione transisset Dominus, manifeste intelligere potuit quid respuere et quid tenere debuisset, et quod magis misericordia quam vindicta ei placuisset. Hæc ultima commotio, hæc pietatis intentio. Hic ille oculus simplex, de quo modo Dominus ait : *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Et talibus quidem oculis videbitur Dominus : tales oculos habent illi de quibus dicitur : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). »

HOMILIA CXLI.

IN NATALI VIRGINUM I.

ADMONITIO. — Quam hic exhibemus homiliam, a Marchesio accepimus pag. 132. Major pars ex comment. in Matth. condita est sub numm. 56, 57, 58, in quibus trium parabolarum expositiones concluduntur. Sed cum aliqua intermedia, et plura alia post eas auctor addiderit, integram concionem collatam etiam cum cod. Laurent. producimus.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XIII, 44). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.* Et reliqua.

Regnum cœlorum hoc in loco cœlestem patriam dicit, quæ merito thesauro in agro abscondito comparatur, quia ejus divitiæ nondum omnibus manifestæ apparent. Inveniuntur tamen, et si non ad plenum, quoniam sanctorum doctrina et prædicatione, qualis quantusque sit, magna ex parte declaratur. Hunc autem thesaurum, Christo Domino prædicante, SS. apostoli invenerunt, et præ gaudio illius venditis omnibus eum emerunt. « Si vis, inquit Dominus, perfectus esse, vade, vende universa quæ habes, et da pauperibus, et sequere me, et habebis thesaurum in cœlo (*Matth.* XIX, 21). » Sic igitur ager iste cum thesauro suo perfectissime emitur. Hunc autem thesaurum ille abscondit, qui, cognito qualis sit, corde tenet, mente diligit, ejusque nullo modo obliviscitur. Illud enim abscondimus, quod charum habemus, et amittere timemus. Iterum : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventa autem una pretiosa margarita abiit, et vendidit universa quæ habuit, et emit eam.* Hæc autem similitudo, et ea quæ superius dicta sunt, pene idem significant. Præter hoc, quod regnum cœlorum non cœlestis patria, sicut ibi, sed sancta Ecclesia intelligitur. Quod vero ibi thesaurus dicitur, hic margarita vocatur. Simile est igitur regnum cœlorum, id est S. Ecclesia homini negotiatori; quoniam sicut ille unius margaritæ desiderio omnia vendit, et eam 460 emit, ita et ista pro amore patriæ cœlestis, et æternæ felicitatis, non solum ea quæ habuit vendidit; verum etiam seipsam servituti subjugavit, ut eam emere et possidere valeat. Callidus enim negotiator, qui ex his quæ diu possidere non potest, tale aliquid emit quod nunquam amittere timeat, et in quo universa possideat. Possumus autem per hunc negotiatorem Dominum et Salvatorem nostrum intelligere, qui, inventa una pretiosa margarita, per quam S. Ecclesiam non habentem maculam neque rugam intelligimus, omnia quæ habuit vendidit; id est seipsum vendi et occidi permisit, et emit eam.] Sic enim et Apostolus ait : « Empti enim estis pretio magno : glorificate, et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI, 20). » Iterum : *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quæ cum impleta esset educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Merito enim regnum cœlorum, id est S. Ecclesia, sagenæ simile dicitur, quia et piscatoribus commissa est, et in aquis baptismatis quotidie innumerabiles pisces concludit et capit : de quibus ipse Dominus suis discipulis ait : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum (*Matth.* IV, 19). » Hanc autem sagenam tunc in mare Dominus misit, quando eisdem discipulis præcepit, dicens : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 20). » Mare enim vocatur mundus iste, de quo Psalmista : « Hoc mare, inquit, magnum et spatiosum; illic reptilia quorum non est numerus (*Psal.* CIII, 25). » Congregavit autem hæc sagena ex omni genere piscium; quoniam S. Ecclesia ad fidem vocavit, et in sinu suo collegit ex omni genere hominum. Ibi enim sunt Judæi et Græci, Latini et Barbari, divites et pauperes, sapientes et insipientes, frumentum et zizania, granum et palea, justi simul et peccatores. Nondum autem impleta est; adhuc pisces ingrediuntur, adhuc homines baptizantur : implebitur vero, quando plenitudo gentium in eam introierit, et quando Israel salvus fiet. Tunc igitur eam educentes et secus littus sedentes, bonos pisces eligent, malos autem foras projicient. Littus autem maris finis est sæculi : hoc autem ipse Dominus exponens ait : *Sic erit in consummatione sæculi : exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus, et stridor dentium.* Caminus iste infernus est, in quo neque vermis moritur, neque ignis exstinguitur, in fletu vero et dentium stridore, doloris nimietatem et pœnarum intolerantiam significat. *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Ac si diceret : Illis in parabolis locutus sum, et non intellexerunt; vobis autem parabolas ipsas exposui, et intellexistis. Et illis quidem, quia adhuc veteres sunt, protuli vetera; vobis autem, quia novi

Digitized by Google

estis, et nova, et vetera : illis prophetarum consuetudine, vobis doctoris et magistri more locutus sum. Sic igitur loquimini, sic docete; hanc loquendi regulam tenete. Aliter enim in regno cœlorum; aliter in conventu Scribarum et Pharisæorum; aliter in Ecclesia, aliter in Synagoga loqui oportet. *Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum*, omnis Ecclesiæ doctor et prædicator, si sapiens est, si doctus est, *similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo*, de divitiis pectoris sui, de scientia cordis sui, *nova et vetera*. Synagogæ Scribæ, quia docti non sunt, proferunt vetera; Ecclesiæ vero Scribæ, quia docti sunt, et nova proferunt et vetera. Illi solam litteram, isti et litteram sequuntur et spiritum; istis denique datum est nosse mysterium regni Dei : illis autem non est datum ut videntes non videant, et audientes non intelligant. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos clauserunt ne videant et convertantur, et sanem eos : hæc enim vetera sunt, et de libro Isaiæ prophetæ assumpta; cætera autem nova sunt, quæ in similitudinibus locutus est Dominus ab eo loco, in quo ista ait. Sic igitur et Ecclesiæ doctores secundum magistri consuetudinem proferre debent de thesauro suo nova et vetera. Ideo enim binos discipulos ante se Dominus mittebat. Ideo et duo Cherubim se invicem respiciebant. Ideo abyssus invocat abyssum. Ideo Novum Vetus, et Vetus Novum invocat Testamentum. Abyssus enim utrumque Testamentum dicitur propter altam sapientiæ et scientiæ profunditatem. Inde etiam est quod Psalmista Ecclesiæ doctoribus loquitur dicens : Si dormiatis inter medios cleros, eritis pennæ columbæ deargentatæ. Duo namque cleri, duo sunt Testamenta. Columba vero Ecclesia est, quæ ideo deargentata dicitur, quia cunctis virtutibus et præcipue veritate decorata est. Inter autem hos duos cleros, Ecclesiæ doctores et magistri dormierunt, si in utriusque Testamenti scientia et doctrina, quasi in somno et quiete delectantur, et nunc nova veteribus, nunc vetera novis confirmantur. Hoc enim faciendo fiunt pennæ columbæ, quia tam sapienti et rationabili prædicatione S. Ecclesiam volare dicunt, et secum ad cœlestia transferunt. Propter hoc de sanctis dicitur, quia « assument pennas ut aquilæ, volabunt, et non deficient (*Isa.* XL, 31). » Propter hoc et tabernaculum maxima ex parte opere plumario factum **461** est, ut omnes alas suscipiamus et volare discamus. Sequitur : « Et posteriora dorsi ejus (*Psal.* LXVII, 14). » Sequentur enim vos in specie auri; prima namque pars Ecclesiæ apostoli fuerunt, et quicunque eorum in tempore crediderunt. Posteriores vero nos sumus, et quicunque usque ad sæculi consummationem crediturі sunt. Posteriores itaque sequuntur primos, et cœlestis sapientiæ splendore nitentes, eadem via post eos, eisdemque virtutum alis ad cœlestia convolabunt. Hoc autem ideo fiet, quia sapientes Ecclesiæ, qui eos docent et prædicant, inter medios cleros dormientes, de thesauro suo proferunt nova et vetera. Hoc enim ipse Dominus faciebat : hoc et discipulos suos facere docuit; et ideo quidem omnis Scriba doctus in regno cœlorum similis esse debet homini patrifamilias; id est Domino nostro Jesu Christo, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

HOMILIA CXLII.

IN NATALI VIRGINUM II.

ADMONITIO. — Quia a comment. in Matthæi locum num. 102 maxima hujus homiliæ pars accepta est, et aliqua tantum in medio adjuncta de Dina virgine stulta, et Iphigenia virgine prudente, ne quæ jam exposita sunt rursum afferantur, ad ipsum commentarium lectores remittimus. Attributa etiam fuit homilia Emiseno.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM (XXV, 1). *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, et sponsæ.* Et reliqua.

Inc. : Dixerat modo superius Dominus et Salvator noster : *De die autem illa*, etc.

Des. : Nescire namque Dei, reprobare est : *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*

HOMILIA CXLIII.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

ADMONITIO. — Duplici in loco hanc lucubrationem exhibet Marchesius, sed plane diversam. Primo legitur in fine homiliarum, eamque homiliam appellat. Secundo in libro I Sententiarum, post caput 8, cui titulus est : *De Evangeliis*, et sermonem vocat. Hunc eligimus, quia expositioni in Evang. Lucæ num. 44 magis conformatur. Prior autem, etsi plura de eodem commentario assumat, tam disparata et ab argumento extranea congerit, ut nullo modo genuinum S. Brunonis opus haberi possit.

LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (XIX, 1). *Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus, et hic erat princeps publicanorum, et ipse dives.* Et reliqua.

Ex quo tempore primus homo descendit ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, omnes per Jericho ambulamus, quicunque hunc mundum inhabitamus. Jericho namque interpretatur *luna*, cujus tanta mutabilitas est, ut nunquam in eodem statu permaneat. Unde et non immerito hunc mundum significat, cujus mutabilitas perpetua est, et sine mutationibus stare non potest. Ut enim de cœlo, et tempore, et de diebus, et mensibus, et anno taceamus, quæ semper volvuntur et in se replicantur, neque aer, neque terra, neque mare, neque ipsi homines suam perpetuo servant figuram. Quorsus omnium mutationem quis unquam valeat enarrare? Merito ergo mundum istum luna significat, qui illius similitudinem tantis semper mutationibus variatur. Hanc autem mutabilitatem Dominus et Salvator noster secundum humanitatem suscipere dignatus est, ut hominem a latronibus vulneratum sanaret, et mundum a morte perpetua liberaret; unde et merito per Jericho ambulasse dicitur, quia, cum sit immutabilis secundum divinitatem, nostras mutationes in carne sua suscepit. Esurivit enim, sitivit, et super puteum fatigatus sedit. Et ecce vir

Digitized by Google

nomine Zachæus, qui *digne satis justificandus* interpretatur; quoniam a Deo vocatus et justificatus est. Hic autem erat non solum publicanus, verum etiam publicanorum princeps. Erat insuper et dives, quem difficile est intrare in regnum cœlorum. Difficile utique et apud homines impossibile; sed quæ apud homines sunt impossibilia, possibilia sunt apud Deum. Et quamvis talis esset, quærebat tamen videre Jesum. Quærebat quidem, **462** sed videre non poterat. Sed quare non poterat? *Præ turba, et quia statura pusillus erat.* Hæc enim duo valde impediunt hominem, ne videre valeat Jesum. Mala turba, quæ a tanto talique bono hominem deturbat. Turba ista vitiorum est, qua qui circumdatus fuerit, Christum videre non poterit. Statura vero pusillus est, qui ad scientiæ ætatem, et perfectionem nondum pervenit. Inde Apostolus nos admonet, dicens : « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* XIV, 20). » Et iterum : « Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis (*I Cor.* III, 1). » Qui vult Deum, exeat de turba; fugiat vitia et peccata; vitet malorum consortia; erigat se, et extendat; crescat in fide et scientia, et proficiat in omni bonitate. Hoc enim significavit Zachæus, quando præcurrens ascendit in arborem sycomorum. In arborem quidem ascendit, quatenus inde videret quem per se videre non poterat. Hæc arbor fides est, ad quam multi venientes, quamvis statura parvuli fuissent et non in scientia multum crevissent, inde tamen videre et cognoscere Deum meruerunt. Unde et hic dicitur, quod erat illac transiturus. Hæc est enim via, et juxta hanc fidei arborem transit Jesus. Inde videtur et videt; inde cognoscitur et cognoscit. Eos enim Dominus respicere, et ad se vocare dignatur, qui in hanc arborem ascendunt; cujus fructus sanguineus est, per quem martyres significantur, qui fidei arbori adhærentes, propter fidei constantiam cruentati sunt. Tales itaque fructus fert sycomorus; talia poma fert arbor fidei, quæ tam firmiter ei inhærent, ut potius occidi et proprio sanguine cruentari quam a sua arbore, id est a Christi fide valeant separari. Inde igitur Dominus transiens, suspiciens vidit Zachæum, et dixit ad eum : *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Hodie, inquit, me quærere cœpisti, ad fidem venisti, in arborem ascendisti; hodie in domo tua oportet me manere. Verum est, quod per prophetam dicitur: « Quia peccator quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 12). » Quod enim tunc in Zacheo factum est, quotidie in aliis peccatoribus fieri non dubium est; si tamen ex corde convertantur, Christum quærant, et fidem teneant. Sequitur : *Et festinans descendit, et excepit illum gaudens.* Jam igne fidei interius ardebat; multum jam fide creverat, etsi statura pusillus erat. *Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset.* Omnes enim sciebant Zachæum esse peccatorem, utpote publicanorum principem. Sed iste peccator melior erat quam illi qui murmurabant, et se justos esse dicebant. Hoc autem sequentia manifestant, dum dicitur: *Stans autem Zachæus, dixit ad Jesum : Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus; et si aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Hac enim una voce omnes illico a murmuratione cessaverunt, tam subitam publicani pœnitentiam et conversionem admirantes. Et fortasse nemo ibi erat, qui hanc tantam professionem, etiam coactus facere voluisset. Dives enim erat valde, quem ipse evangelista divitem fuisse testatur. Et tamen omnium bonorum suorum medietatem se pauperibus dare promittit, et in quadruplum reddere, si aliquem defraudavit. Vide ergo a quanta perfectione cœpit, qui tunc primum Christum Dominum viderat, et prædicantem audierat. Verum est utique quod homines vident in facie, Deus autem corda intuetur. Qualem Dominus hunc, et quam justum post modicum futurum videbat, quem tamen peccatorem homines judicabant! *Ait Jesus ad eum, quia hodie salus domui huic facta est,* et omni ægritudine, omni morbo, omni vitiorum contagione fugata et sanata est, et tota exterius et interius sanctificata est; eo quod ipse, qui hujus domus habitator est, jam non publicanus sit, sed filius Abrahæ. Abrahæ namque filii sunt, quicunque Abraham imitantur et opera Abrahæ faciunt : et Abraham quidem angelos, Zachæus vero angelorum Dominum hospitio recepit. *Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere, quod perierat.* Non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Ideo venit, ideo de cœlo descendit ut peccatores salvaret, et liberaret et ad pœnitentiam vocaret. De talibus domus Dei ædificata est. De talibus S. Ecclesia fabricata est. Hoc autem et filiis Israel præcipitur, ut ædificent altare Domino de lapidibus impolitis, et quos ferrum non tetigit. Impoliti lapides peccatores sunt, qui nondum ferramento Spiritus sancti ad pulchritudinis normam formati sunt. Altare Dei Ecclesia est, quæ ex talibus lapidibus quotidie fabricatur. Ex peregrinis lignis et lapidibus aliunde advectis templum Dei constructum est. Inde est quod beatus Petrus animalia immunda manducare jubetur (*Act.* X, 13). Inde est quod non solum munda, sed etiam immunda animalia in arca servantur (*Gen.* VII, 2). Inde est quod Moyses Æthiopissam duxit uxorem. Inde est quod Salomoni cum pavonibus et simiæ afferuntur. Denique quid faciunt cilicia cum tabernaculo? Quare in deserto inter cedros et abietes spinæ quoque et ulmi plantatæ sunt? Si hæc et similia intelligere vultis, discite quid **463** sit, « misericordiam volo, et non sacrificium (*Matth.* IX, 13). » Si peccatores Deus non vocasset, Paulum et Matthæum, duo magna luminaria et excelsa non habuisset. Lege in Canticis canticorum, et audi unde sponsam suam Dominus, et qua ex gente ad se venire præcepit : « Veni, inquit, soror mea sponsa, veni de Libano, veni de capite Amana,

Digitized by Google

de vertice Sanir et Hermon, veni de cubilibus leonum, et de montibus pardorum (*Cant.* IV, 8), » ne erubescas. Obliviscere populum tuum tantummodo et domum patris tui, et coronaberis. Hic misericordiæ plenitudinem Psalmista quoque admirans, dicebat: « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. » Et quæ gloriosa? « Memor ero Raab, et Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt in ea (*Psal.* LXXXVI, 4). » Hæc est igitur causa, hæc ratio vobis sufficiat, vobis dico, qui indignamini quod ad hominem peccatorem Dominus divertisset, et quod cum peccatoribus manducat et bibit magister et Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.

HOMILIA CXLIII.

IN NATALI XII SS. MARTYRUM.

ADMONITIO. — Non felicior est præcedenti hæc sermocinatio, qua Marchesius homiliis S. Brunonis finem imponit; siquidem quæ ex comment. in Matthæum num. 81 excerpta sunt, nullo vinculo cum SS. martyrum laudibus colligantur. Est sane quid absolutum, aliaque pro causa dictum. Ea vero, quæ de iis sanctis subsequuntur, nihil peculiare de eorum glorioso certamine perhibent, nec stylum S. Brunonis redolent. Caret textu Evangelii, etc.

Inc.: Non solum B. Petrus apostolus reliquerat, etc.

Des.: Cum ipso in cœlis gloriantur, perenniter laureati.

S. BRUNONIS ASTENSIS

EPISCOPI SIGNIENSIS

SERMONES TRES INEDITI.

464 SERMO PRIMUS.

DE EPIPHANIA DOMINI.

ADMONITIO. — Hunc sermonem ex cod. Biblioth. Florentinæ S. Marci Membr. in 4. sæc. XIII eruimus, cum nulla adhuc in editione Opp. S. Brunonis excusus fuerit. Styli ejus similitudo, et nomen S. episcopi, quo inscribitur, satis conjecturæ porrigunt eidem auctori adjudicandum.

Ad ædificationem fidelium spectat, fratres charissimi, extremus evangelicæ lectionis versiculus, qui modo vestris insonuit auribus, quod magi, stella duce, ab oriente Bethlehem venientes, ingressi domum in qua B. mater et virgo manebat cum puero, apertis thesauris suis tria obtulerunt Domino munera, aurum videlicet, thus et myrrham, quibus verum Dominum, et verum hominem, ac regem confessi sunt. Hæc siquidem munera Domino Salvatori suo quotidie S. Ecclesia offerre non cessat. Thus enim offert, dum illum verum Dominum, creatorem omnium confitetur et credit; myrrham, dum nostræ carnis substantiam, in qua pro nostra salute pati et mori voluit, asserit assumpsisse; aurum, dum perenniter ipsum cum Patre et Spiritu sancto regnare non dubitat, juxta illud prophetæ: Multiplicabitur ei imperium, et regni non erit finis. Horum quoque munerum oblatio mystice intelligi aliter potest. Per aurum designatur cœlestis sapientia, juxta illud Salomonis: « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (*Prov.* XXI, 20): » et alibi: « Os justi meditabitur sapientiam (*Psal.* XXXVI, 20). » Per thus, munda oratio; unde Psalmista: « Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL, 2); » puriorem namque odorem reddit Domino nostra munda oratio, quam fumus incensi; et sicut fumus ille tenuis in altum, ita nostra oratio dirigitur ad Dominum. Per myrrham carnis nostræ mortificatio; unde in Canticis canticorum S. Ecclesia de suis fidelibus, usque ad mortem pro Christo certantibus, dicit: « Manus meæ distillaverunt myrrham (*Cant.* V, 5). » Tunc igitur Domino aurum offerimus, cum cœlestis sapientiæ luce in conspectu ejus resplendemus; de quibus Psalmista dicit: « Initium sapientiæ timor Domini (*Eccli.* I, 16). » Timere siquidem Dominum, est, nulla, quæ facienda sunt, bona præterire; hinc etiam alibi dicit: Timentibus Deum nihil deest. Thus, cum mundam orationem ante eum dirigimus; myrrham, cum per abstinentiam carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis mortificantes, crucem post Jesum portamus. Unde idem Dominus in Evangelio ait: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, et sequatur me (*Luc.* IX, 13). » Crucem ergo propter Christum Jesum portare est carnem nostram affligendo pro ejus amore mortificare. Nec vacat a mysterio, quod magi per aliam viam reversi sunt ad patriam suam. Patria quippe nostra cœlestis Jerusalem civitas sancta est, a qua ob primi hominis culpam, id est superbiendo, inobediendo, cibum vetitum comedendo, in extremis finibus longe discessimus, juxta illud Psalmistæ dicentis: « Multum incola facta est anima mea (*Psal.* CXIX, 6) » in terra aliena. Hac igitur patria nihil invenitur præstantius, cujus gloria nihil securius, cujus beatitudine nihil felicius, cujus amore nihil suavius, cujus labore nihil fertilius: centuplum enim novit reddere fructum. Quis unquam exsul ad patriam remeare non appe-

Digitized by Google

Quis amissam hæreditatem summopere sibi restitui non laborat ? Quis unquam amissæ patriæ oblivisci poterit ? Si ergo ad cœlestem patriam accepturi hæreditatem remeare cupimus, necesse est ut per aliam viam revertamur, hoc est, viribus totis nostrismetipsos Domino humiliando : cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit : per multas namque tribulationes oportet nos ingredi regnum Dei, præceptis divinis per omnia obtemperando, nisibilia et carnalia desideria calcando. Hac igitur via reversi ad patriam, perpetuæ vitæ gaudiis in cœlis fruemur cum angelis, adjuvante nos Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum. Amen.

465 SERMO II.

IN PURIFICATIONE B. M. V.

ADMONITIO. — Eodem ex codice sermonem alterum pariter ineditum publicamus, in quo elegantia non minus emicat quam doctrina, suoque auctore dignus omnino videtur.

Humani generis conditor et redemptor Dominus, qui pro salute totius populi de cœlis venit ad terras, nec voluit legem solvere, imo et adimplere, secundum legis edictum, a parentibus hodie, cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus. Et quanquam ejus intemerata genitrix B. V. M., quæ non ex accepto semine conceperat, nullis legalibus constitutis astricta teneretur; attamen, ut se Deum dominem peperisse ostenderet, observato humilitatis præcepto : Quanto major es, humilia te in omnibus; acceptis muneribus, cum puero, juxta legis ritum; limina templi petivit hodie; et quia paupercula erat, nec magnis pretiosisque poterat uti muneribus, quæ potuit pro filio, turtures obtulit et columbas. Nec sine causa Dominus talia pro se offerri voluit animata, quod et fellis carerent amaritudine, et propriis contenta viris, castitatis naturalem indolem observarent. Intueamur ergo diligentissime horum animalium oblatis quid mystice nobis insinuatur. Sed primo de templo videamus. Lapides illi, ex quibus salomonicum templum ædificatum est, alibi cæsi, quidam expoliti, ibique deportati ab ædificantibus, apti in ædificio inveniuntur; ita quod nullo mallei sono aut securis in tanto opere sit auditus, sanctorum significant animas, de quibus Isaias : « Lapides vivi volvuntur super terram. » Et Apostolus : Vos inquam lapides vivi superædificamini domos spirituales, qui alibi cæduntur, et sic in ædificatione apti ponuntur; quia sanctæ animæ in præsenti vita per pœnitentiam et cordis compunctionem atque proximorum compassionem præparantur, et ita politæ ac undæ in ædificio templi congrue collocantur. Templum itaque illud mirificum a Salomone ædificatum civitatem sanctam Jerusalem significat, cum verus Salomon Christus videlicet rex pacificus ex vivis lapidibus, hoc est ex fidelium animis ædificare non cessat quotidie; unde illud Psalmistæ : « Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas (*Psal.* CXXI, 3). » Per columbas vero, quæ fellis amaritudinem non gestant, beatorum simplicia corda significantur, qui sævis irarum stimulis liberatem semper habentes, semper cœlestia meditantur. Ira siquidem venenorum contagiis infecta, offuscata ratione, ne verum cernere valeat, interiorem perturbat oculum; de qua Psalmista : « Conturbatus est præ ira oculus meus (*Psal.* XXX, 10); » unde Apostolus : « Ira, inquit, justitiam Dei non operatur (*Jac.* I, 20). » Per turtures autem, quæ propriis contentæ viris alienum non appetunt amatorem, utique hominis exterioris scilicet et interioris castitas denotatur; unde Augustinus in lib. De civit. Dei : « Virginitas, inquit, carnis corpus intactum, virginitas animæ mens incorrupta. » De exteriori castitate voce etiam Dominica dicitur : « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII, 35); » et per Moysen filiis Israel præcipit : « Renes vestros accingetis (*Ezech.* XII, 11). » Lumbos seu renes præcingere, est omnia luxuriæ inquinamenta et carnalia desideria exstirpata firmis castitatis nexibus vincire, juxta illud Apostoli : « Mortificate corpora vestra, quæ sunt secundum iram (*Coloss.* III, 5). » Absit ut alienum, hoc est diabolum, amatorem appetamus! postquam enim ad Christum venimus, nequaquam ad eum redire debemus. Dicamus ergo cum Apostolo : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo (*I Cor.* IX, 27); » castigo illicitos motus corporis calcando; licitis vero parce utendo, et in servitutem redigo. Domino enim servire tuta libertas est; et pro ejus nomine mori, novæ æternæque vitæ initium; unde idem Apostolus : « Cupio, inquit, dissolvi, et esse cum Christo (*Philip.* I, 23); » et David : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV, 5); » itemque alibi : « Beati mortui qui in Domino moriuntur (*Apoc.* XIV, 13). » Interioris quippe hominis castitas est, mentem ab omni labe peccatorum immaculatam custodire; unde per egregium prædicatorem unicuique fideli animæ dicitur : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI, 12); » et per Prophetam : « Circumcidite corda vestra, et non corpora vestra (*Jerem.* IV, 4). » Quod ipse Dominus noster vobis præstare dignetur, etc.

466 SERMO III.

IN NATALI UNIUS MARTYRIS.

ADMONITIO. — Si hoc tertio inedito sermone editionem nostram S. Brunonis exornamus, fatemur hunc nos debere summæ diligentiæ ac laboris reverendissimi hodierni præsulis monast. Montis Casini P. D. Thomæ Capomatii. Illum quidem ex cod. 194 Casin. archivi deprompsit, a quo plura alia, ut diximus, liberaliter communicavit. Aliqua desunt in principio, sed reliqua integra et perfecta videntur.

Insuper et ipse Dominus in eis erat, qui eorum semini incrementum dabat. Nam, ut Apostolus ait : « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (*I Cor.* III, 7). » Unde et subditur : « Quia sine me nihil potestis facere. Et si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet (*Joan.* XV, 6). » Qui enim in Christi fide non

Digitized by Google

manet, de Ecclesia et sanctorum collegio foras ejicitur, arescit et moritur; a malignis spiritibus rapitur, in ignem æternum, inexstinguibilem mittitur, et ibi sine fine cruciabitur et ardet. « Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis (*I Cor.* III, 7). » Illi enim manent in Christo, qui neque amore, neque timore, qui neque ruinis, neque blanditiis, qui ab ejus dilectione, ab ejus fide et amplexibus nulla ratione separari valeant. Taliter quidem Apostolus in Christo manebat, qui de seipso scribens, ait : « Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro (*Rom.* VIII, 38). » Manent autem in eis verba Christi, qui præcepta ejus mente tenent, corde credunt, et nunquam eorum obliviscuntur. Præceptum namque Domini est : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius eum timete, qui et animam et corpus potest perdere in gehennam (*Luc.* XII, 5). » Præceptum Domini est : « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me (*Luc.* IX, 13). » Præceptum Domini est : « Si quis venit ad me, et non odit patrem et matrem, fratres et sorores, etc., non potest meus esse discipulus (*Matth.* XIV, 26). » Hæc igitur, et similia sunt illa verba, de quibus modo Dominus dixit : « Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis (*Joan.* XV, 7). » Magna promissio, magnum et incomprehensibile donum. Qui manent in Christo, et in quibus manent verba Christi, petant quodcunque volunt, et fiet eis. Si enim male voluerint, et male petierint, jam nec ipsi manent in Christo, nec in ipsis manent verba Christi. Recordentur igitur verborum Christi; imo non recordentur, sed firmiter teneant; in memoria habeant, et sic petant, sicut verba Christi petere docent : « Quærite igitur primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (*Luc.* XI, 25). » Petant in fide et nihil hæsitantes, et ea petant quæ ad salutem pertinent, et quæ dispositioni et evangelicis verbis non sint contraria. Sed hæc specialiter dicuntur apostolis, quorum sanctas petitiones semper et ubique Dominus exaudivit. Rogavit enim Apostolus Dominum, et ter rogavit, seque a Domino bene exauditum intellexit, postquam se contra seipsum petiisse cognovit. Exauditur homo, si fiat quod vult. Factum est autem quod Apostolus voluit, quia, postquam suam petitionem contra seipsum esse cognovit, exaudiri noluit. Unde et ait : « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi (*II Cor.* XII, 9). » Nam neque hic simpliciter dicitur : « Quodcunque petetis, sed quodcunque volueritis et petetis, fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. In hoc, et propter hoc, ne revelante et docente, Pater meus manifestatus et clarificatus est vobis, ut vos quoque eum ubique prædicando et clarificando, fructum plurimum afferatis, et multas gentes ad eum convertatis, et efficiamini mei discipuli, me imitando, non solum vita et doctrina, verum etiam in miraculorum operatione. Vere enim discipuli illi sunt, qui magistrum per omnia imitantur; unde et Dominus alibi ait : Qui credunt in me, opera quæ ego facio, et ipsi facient, et horum quidem non solum minora, verum etiam quæ majora sunt, facient. Sic enim se habet ordo intelligentiæ. Sequitur : « Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos; manete in dilectione mea (*Joan.* XV, 9). » Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut et ego præcepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. In illis est gaudium Christi, qui tale gaudium habent, quale habet Christus; sive etiam de quorum sancta conversatione gaudet Christus. Plenum igitur gaudium habent; siquidem a tali gaudio mœror et tristitia esse non potest.

---

467 CLARISSIMO PRÆSULI

D. DOMINICO COPPOLA

SACRÆ CONGREGATIONIS RITUUM A SECRETIS

EDITOR.

Vehementer optabam, clarissime præsul, de tuis in me meritis testimonium aliquod perenni ævo consecratum producere; cum tu ipse talem mihi opportunitatem præbuisti, copiam faciens epistolæ anonymi anno 1788 Neapoli editæ, eruditissimoque D. Xaverio advocato Mattheio nuncupatæ. In ea, qui se pro auctor Carthusianus, sex libros vulgo sententiarum dictos suo institutori S. Brunoni asserit contra opinionem illorum qui S. Brunonem Astensem Signiensium episcopum exarasse jure contendunt. Tota patet eruditionem hujusmodi controversiam haud recenter ortam, sed olim diuque Benedictinos scriptores inter et Carthusianos oppugnatam, et hinc inde pro sua utrosque sententia decertasse. Si PP. Benedictinorum partes pro veritate, et merito causæ sunt sustinendæ, eas ego assumo, qui novam S. Brunonis [illegible]

Digitized by Google

sis operum editionem aggressus, singula probare illique propria ostendere debeo, et si quæ ei usurpata fuerint, vindicare. Jam antequam epistola Neapolitana mea ad manus pervenisset, quæstionem hanc ad trutinam revocaram, compugnantium scriptorum momenta perpenderam, et reliqua ejusdem S. episcopi Signiensis scripta attente perlegeram; quibus me certiorem feci in arena scriptores Carthusianos ædificium suum condidisse : cum meridiana luce clarius appareat plagium S. Brunoni Astensi factum ab his qui sanctum Brunonem Carthusianum librorum illorum parentem asseruerunt, interque ejus opera publicarunt.

Primam illorum impressionem curavit Guillelmus Bibaucius, Carthusianorum moderator generalis, an. 1521, typis Parisiensibus Jodocii Badii Ascentii; quæ editio cum satis non fuisset eam flagitantibus, altera Parisiis item an. 1524 renovata fuit, et tertia etiam Coloniæ habita opere ac studio eruditissimi Theodori Petræi, Carthusiæ Coloniensis alumni, quam clarissimo D. Laurentio Alamandio Gratianopolitano episcopo dedicavit an. 1611. Priores duæ Opp. S. Brunonis Carthusiani editiones in duo volumina distributæ fuere; tertia in tria dispartita, atque in eis sex Sententiarum libros editores collocarunt. Ab eo igitur tempore usque ad annum 1649 in fide editorum Carthusianorum vigebat opinio sex librorum Sententiarum sanctum Brunonem Carthusianæ familiæ institutorem auctorem exstitisse.

Ast cum D. Maurus Marchesius monachus Casinensis primus ad collectionem Opp. S. Brunonis, ejusdem cœnobii abbatis et Signini episcopi, animum intendisset, facta sibi opportunitate locupletissimi mss. codicum archivi, dissertationem edidit, qua S. Brunoni Carthusiano suppositos libros illos palam fecit, validissimisque documentis ostendit non esse a S. Signiensi Brunone abjudicandos. Eadem Marchesii elucubratio iterum in lucem prodiit anno 1651, cum Venetiis, apud typographos Brentannos, S. Brunonis Astensis opera edita in publicum apparuere.

His pro hujusce controversiæ apparatu absolutis, præstantissime præsul, addenda sunt aliqua de vita, deque scriptis utriusque Brunonis. Dicam igitur hos sanctissimos viros coævos fuisse; sed Brunonem Carthusianorum, parentem prius vita functum in terris, anno 1101 ad cœlos migrasse. Bruno vero Signiensis episcopus viginti duobus annis supervixit, solutoque humanæ carnis vinculo, an. 1123 inter superos receptus. Ad eorum scripta quod attinet, jam plura in prolegomenis, et in testimoniis scriptorum ecclesiasticorum prænotata sunt, ex quibus constat Brunoni Astensi, nemine refragante, concessos commentarios in Pentateuchum, in libro Job, in Psalmos, in Cantica canticorum, in Evangelia, et in Apocalypsim. Tractatus autem qui Brunoni Carthusiano attribuuntur, non sunt nisi expositio in Psalmos, et commentatio in Epistolas D. Pauli. Tota controversia versatur circa sermones de laudibus, figuris, prærogativisque Ecclesiæ in sex libros distributos, qui vulgo Sententiarum libri appellantur. Videndum igitur cui ex duobus Brunonis sint ascribendi. Quis autem detrectabit eum auctorem admittere, qui de suis ipse scriptis in libris controversis testimonium præbet, qui illis persæpe utitur, qui plura de verbo ad verbum inserta habet, qui argumenta sibi propria tractat? Cum autem is sit sanctus Bruno noster, satis compertum exploratumque habebimus eum sex Sententiarum libros elucubrasse.

Horum omnium probationem aggredior. Et quidem S. Bruno in lib. I, cap. 6, ubi agit de civitate sancta Jerusalem, ac mystice ejus descriptionem exponit, post aliqua, hæc habet : **468** « Hæc omnia latius in Apocalypsim exposuimus, nec modo tempus est ut per singula disserantur. » Item in eodem lib. I, cap. 2, qui Simoniacos et hæreticos persæpe suis in commentariis insectatur, eadem profert : « Nullum animal ingreditur in arcam, nisi per ostium. Sed Simoniaci et hæretici aliunde in Ecclesiam intrare nituntur. Hoc faciunt, quia fures sunt et latrones, » etc. Eodem capite ecclesiasticam hierarchiam describit; ex qua noscitur non monachum, sed episcopum scripsisse. Paulo infra afferens illa psal. LXXXV : « Memor ero Rahab et Babylonis scientium me, » ipsis verbis explanat, quibus in comment. hujusce psalmi illustraverat. Vid. pag. 488, tom. I. Præterea in cap. 4, lib. II : De quatuor virtutibus cardinalibus inscripto, postquam tradidit quæ in structura et ornatu veteris tabernaculi sunt intelligenda, his expositionem absolvit : « Quatuor illi colores, qui ubique simul, et nunquam separatim ponebantur, quatuor istas virtutes significabant. Hi hyacynthus videlicet et purpura, coccus bis tinctus, et byssus retorta; de quibus in Exodum sufficienter diximus. » Insuper in cap. 5 ejusdem libri agens De virtute humilitatis, ubi affert ex Levitici cap. XXIII mandatum divinum de festivitate Tabernaculorum, eamdem mysticam tradit significationem, quam suo in commentario super eumdem Levitici locum attulerat. Item in cap. 7 lib. II, cui titulus « De pace, » illa Cantici canticorum verba cap. VIII, « vinea fuit pacifico, » haud dissimili modo illustrat ac in comment. exposuerat. Succedit lib. III, et in cap. 8 : « De mari novo, et de piscatoribus novis inscripto, » dum illo utitur loco Job, cap. XL : «Bechemot, quem feci tecum, » ab interpretatione eo in libro tradita non discedit, eamque fideliter repetit. Rursum in cap. 2, lib. IV, serm. 2 De Trinitate, divinæ naturæ essentiam iisdem verbis exprimit, ut explicaverat in comment. super illa verba Exodi cap. III : « Ego sum qui sum : hæc dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos. » Item in cap. 7 ejusdem lib. IV, De octavis Epiphaniæ memorat præceptum Domini Moysi factum, ut duos hircos in ostio tabernaculi pro sacrificio collocaret, eamdem affert interpretationem, quam in comment. super hunc Exodi locum attulerat. Similiter in serm. 2 « De Ramis Palmarum, » sub cap. 8 ejusdem libri, ubi Matth. locum cap. 21 allegat, nihil aliud quam eamdem Evangelii expositionem adducit. Idem præstat in serm. 2, cap. 10, lib. IV, cui titulus est : « In Parasceve, sive in Resurrectione Domini, » ibi illustrationem omnem ex commentariorum suorum promptuario desumit. Sequentes etiam libri plura suppeditant loca, ex quibus aperte evincitur S. Brunonem in illis scribendis, suis interpretationibus in utrumque Testamentum elaboratis usum fuisse. Ita in cap. 2, lib. V, afferens Jobi cap. XL, sic in serm. 3, lib. VI, de Nativit. plurimor. martyrum, non absimilis est loci Apocalypsis explanatio, quæ ejus in comment. legitur. Sed nisi hæc satis adhuc essent, controversiam certissime dirimunt sermones 4 et 5, lib. VI, qui de eisdem martyribus inscribuntur; eum planissime referant psalmorum CXXXI et CL, expositionem. Ne nimis prolixus evadam, omitto mentionem facere de serm. 6, lib. VI, cum explanatio cap. 28, lib. Exodi ex commentario descripta penitus videatur. Cum igitur hæc tanta, tamque perspicua sint argumenta, ut S. Brunoni Signiensi sex libri Sententiarum asserantur, absolutam, victamque causam nemo æquus judex mihi concedere recusabit.

Sed pii laudabilesque scriptores adversarii audiendi sunt, ne eos floccifacere videamur; præcipue vero eruditissimus D. Benedictus Trombius, Carthusiæ Neapolitanæ S. Martini alumnus, qui anno 1775 ingenti volumine edidit Neapoli « Historiam criticam, chronologicam, diplomaticam de S. patriarcha Brunone, deque ejus ordine : » et in ea, lib. X, cap. 232, a pag. 241 usque ad pag. 250, fuse quæstionem de auctore sex librorum Sententiarum pertractat, quos ad suum institutorem decernit ascribendos. Quatuor præcipue sunt momenta rationum quibus Carthusiani causam suam patrocinantur. Primum desumunt ex antiquitate et numero codicum mss. secundum ex longa hujusce opinionis possessione; tertium ex auctoritate sacræ

Digitized by Google

congreg. Rituum; quartum ex consensu nonnullorum scriptorum S. Brunoni Carthusiano opus illud ascribentium. Primo enim loco memorant insignem codicem Carthusiæ S. Stephani de Eremo in Calabria, quem diu possederunt monachi Cistercienses, olim cœnobii ejusdem incolæ, eumque suo in discessu, versus finem sæc. XII, novis habitatoribus Carthusianis reliquerunt. Hic autem codex qui S. patriarchæ nomen deferebat, cum ad magnam Carthusiam Gratianopolitanam delatus fuisset, ac similes, uniformesque alii codices eodem in monasterio reperti fuissent, spectatissimum D. Guillelmum Bibaucium præsulem generalem, virum, ut aiunt, sanctum et doctum, moverunt ut Sententiarum libros cum reliquis sancti Institutoris operibus Parisiis, ut diximus, typis edere curaret.

Hujus argumenti genus, quod olim aliquid ponderis habere poterat, modo valde leve reputatur; postquam Benedictini congreg. S. Mauri ab editionibus SS. Hieronymi, Ambrosii, Augustini, aliorumque Patrum plura expunxerunt scripta, quæ ab antiquis librariis, sed imperitis, supposita fuerant. Liceat tamen mihi his opponere testimonia aliorum codicum æque antiquorum, in quibus inscriptum pariter nomen Brunonis Signini episcopi inspicitur. In primis duos codices Vaticanos memorabo sig. n. 994, et 1261, in 4, qui non tam in fronte, sed initio cujuslibet Sententiarum libri hanc epigraphen habent: « Domni Brunonis Signini episcopi, » quorum unus est sæc. XII, alter sæc. XIII. Præterea cod. afferam biblioth. Vallicellanæ f. 36, membr. in fol., et cod. biblioth. Florentinæ S. Marci O. P. in 4, item membran. nitidissime exaratos sæc. XII, quos cum Marchesii editione comparavi. Ejusdem ævi est cod. Casinensis 196 [al. 317], a litteratissimo præsule Stephano Borgia, modo S. R. E. cardinali optime merito diligenter recognitus, ut in præfatione dixi. His paulo posterior est codex Taurinensis bibl. regii Athenæi, sig. 787, c. 11, 25, qui S. Brunonis 469 nostri nomine insignitur, et prædictos Sententiarum libros complectitur. Sed plenioren adhuc fidem faciunt tres alii codices, de quibus suis litteris IV Kal. Jul. an. 1786, me certiorem reddidit clariss. metropol. Ecclesiæ Taurinensis canonicus Philippus Amedeus Millo, pluries a me commendatus. Primum se invenisse ait in finibus Sabaudiæ, quem membranaceum asserit opt. notæ sæc. XII, sex libros Sententiarum continens, quorum titulos et numerum refert: 1 De figuris Ecclesiæ. 2 De ornamentis Ecclesiæ. 3 De novo mundo. 4 De festivitatibus. 5 De festivitatibus B. M. V. et sanctorum. 6 Qui est de festivitatibus martyrum, confessorum et virginum in libro V continetur. Observavit autem in fronte scriptum: « Libri magistri Brunonis Signiensis episcopi, » sed abrasa verba illa: « Signiensis episcopi, » et hæc alia suffecta « institutoris Carthusianorum. » Duos reliquos in scriptis dedit præfectus bibl. magnæ Carthusiæ Gratianopolitanæ perspicue nomen Brunonis episcopi Signiensis deferentes, quos affirmat charactere Romano optime exaratos, eosque ad sæc. XII consignandos judicavit. Cum igitur multo plures codices antiquitate et auctoritate præstantes S. Brunonem Astensem sex librorum Sententiarum auctorem proferant, Carthusianorum oppositio hoc ex capite penitus concidit, æque evanescit.

Neque melius sustinetur alterum caput de longa pacifica possessione opinionis Brunoni Carthusiano libros illos tribuentis: cum enim ante Marchesium nemo de edendis Brunonis Signini scriptis cogitaverit, et nemo etiam codices Casinenses hac pro causa consuluerit, nullus controversiæ motus factus est. At vix Marchesius usurpata agnovit S. Brunonis sua scripta, et Carthusianorum patriarchæ attributa, statim plagium manifestavit, probabitque Brunonem Signiensem, olim ejusdem Casinensis cœnobii præsulem, genuinum auctorem habendum esse. Quis obscuriorum temporum imperitiam aliquid probare dixerit, cum tam multa, tamque præclara codicum testimonia habeantur, quæ in Brunonem nostrum plenissime consentiunt? Hoc certe beneficium reipublicæ litterariæ serior ætas confert, quod incertæ rerum cognitiones studio ac diligentia posterorum certiores fiant, et, si aliquid irrepsit erroris, luce severioris critices explodatur.

Petunt Carthusiani, et præcipue anonymus Neapolitanus, tertium argumentum ex auctoritate sacræ congregationis Rituum; quatenus nonnullas lectiones peculiaris ordinis sui Breviarii, easque ex sermonibus controversis desumptas, ipsis Carthusianis recitandas indulsit. Ex hoc igitur arguunt sacram congregationem lectiones illas approbavisse sub S. Brunonis Carthusiani nomine editas, non autem episcopo Signiensi nuncupatas. Facile hæc refelluntur; quod compertum sit omnibus, sacram rituum congregationem a judicio hujusmodi controversiarum abstinere, quando nihil fidei obstat; et privatis aliquibus Ecclesiis, vel cœtibus regularium aliquos ritus, ut lectiones particulares indulget, quas tamen in Ecclesia universali interdicit. De consensu scriptorum quarto loco agendum esset; sed satis superque sunt testimonia quæ in prolegomenis cumulavimus.

Omissis autem aliis levissimis, paululum illa in objectione immorari oportet, quæ alicujus momenti videtur. Præmitto auctorem anonymum Neapolitanum, pag. 24 epistolæ suæ, supponere in censu sermonum, etc., duo haberi hoc titulo inscriptos: « De basilicis, quæ ab episcopis dedicantur. » Primum dico unum esse, et septimo loco positum a duobus codicibus Vaticanis in primo Sententiarum libro, itemque ab aliis mss. codd., sicuti etiam in Marchesii editione eodem titulo inscriptum. Dico secundo S. Brunonem Signiensem episcopum duas egisse ecclesiarum consecrationes, ut in Vita ejusdem cap. 7 et 9, quare verisimile est sermonem hunc in actione unius; aut alterius dedicationis habuisse. Addo tertio, toto illo in sermone « De basilicis, » nihil apparere quod ad religiosos viros proprie referri possit; quinimo videtur concio ad populum instituta, illaque verba: « Fratres charissimi, » in memoratis codicibus, et editionibus desunt omnino; quæ tamen et si essent pro ipso populo usurpari potuissent. Nihil vero probat documentum illud ab anonymo Carthusiano in cit. epistola pag. 25 editum, quod consecrationem refert an. 1094 actam ab Archerio archiepiscopo Panormitano ecclesiæ Carthusianorum in Calabria, in honorem Dei et B. M. V. dicatæ: cum ex charta illa, ut præsentes tantum dedicationi memorentur « magister Bruno, et Lanuinus, ac cæteri fratres eremitæ, qui dedicationi illi interfuerunt, et in præsentia bonorum hominum. » Quod autem ea opportunitate S. Bruno patriarcha concionaverit, gratis asseritur, neque ullo firmo argumento comprobatur. Econtra invictissime ostendam sanctum Brunonem nostrum concionis « De basilicis, quæ ab episcopis ordinantur » auctorem exstitisse. Dixerat enim ille in sermone « De tabernaculo testimonii, » qui tertius est lib. I Sentent., tunc temporis se nolle explanare singula quæ a partibus ejus et figuris significabantur, sed ea omnia ad aliud tempus reservare. Hoc Bruno noster dupliciter præstitit: primo quidem, in concione « De basilicis, » seu ut alii inscribunt, « De dedicatione ecclesiæ; » secundo in peculiari tractatu amplissime et eruditissime exarato, quem hoc in volumine edituri sumus. Faveant ergo Carthusiani docere opus illud ab eorum institutore confectum, et unum afferant scriptorem qui ei consenserit. Si autem omnibus in editionibus nomen S. Brunonis Astensis, Signini episcopi, tractatui illi præpositum legitur, exploratissima res erit, de hujusmodi ecclesiastica doctrina et eruditione S. Brunonem nostrum optime meritum asserendum esse, non autem S. Brunonem Carthusianum.

Idem adversarii præterea aiunt: Si propugnatores S. Brunonis Astensis libros Sententiarum ascribent

Digitized by Google

ontendunt, quos S. Brunoni patriarchæ sermones relinquent; cum tamen non a paucis affirmetur, eum præter xpositiones in Psalmos, et in Epistolas D. Pauli, plures orationes morales scripsisse? Nolo scriptoribus lis, le Long nempe, Caveo et Mabillonio suffragari, qui commentarios illos tantum Brunoni Carthusiano dmittunt. Sed dicam **470** potius conciones illas sanctissimi viri vel latere adhuc, vel cum aliis incerti ominis confusos. Et revera qui Sententiarum libros attente perlustraverit, non sermones aut tractatus ad ionachos fratres, vel ad rudem et agrestem populum; sed perpolitas comperiet elucubrationes præsulis occntis clerum, cultosque auditores, et sublimiora dogmata explanantis. Unum sit pro omnibus, quod in ap. 1, lib. VI « De paradiso » legitur. Præmissa enim loci paradisi expositione, in quo primus homo Adam ositus fuit, hæc addit : « Sed quid per Adam nisi Ecclesiæ custodes, episcopos scilicet et sacerdotes intel gamus? Audiant ergo isti quid de Adam Scriptura dicit, qui ad hoc in paradisum missus est, ut operetur et custodiret illum. Non sint otiosi, quia operarii sunt, vigiles quia custodes sunt. »

Quo autem tempore S. Bruno noster Sententiarum libros exaraverit, quamvis ille de aliquibus aliis opebus suis mentionem fecerit, de his prorsus sileat; attamen argui potest, eos elucubrasse, cum dimisso œnobii Casinensis regimine ad suam Signiensem ecclesiam remeavit. Tunc enim commentarios in utrumue Testamentum jam confecerat, iisque hosce scribendo libros usus est. Cumque post redditum ad episcoatum duodecim annos supervixerit, quemadmodum ejus in Vita statuimus, hoc Sententiarum opus adorasse verisimile est. Ad alterum Carthusianorum objectum mihi est respondendum : Miror sane quomodo isi visi sint videre sensuum consonantiam atque dictionis similitudinem libros inter Sententiarum, et ommentarios in Psalmos, et in Epistolas D. Pauli; cum penitus Bruno noster dissimilis et dissonans fuerit b eis. Aliqua, ne infinitus sim, pro omnibus hic colligam, et reliqua ab his argui poterunt. Capite enim m super illud Pauli Epist. prima ad Corinthios : « Si linguis hominum loquar, et angelorum, » explanato tterali sensu proprietatum charitatis, S. Bruno Carthusianus, tractat de scientiæ evacuatione, scilicet, uod in visione Dei scientia humana penitus destruetur, etc. De hoc autem argumento ne verbum quidem abet Bruno noster, sed charitatis excellentiam mirifice exponit atque commendat. Neque in cap. 14 ejusem commentarii aliquid occurrit consonans doctrinæ Brunonis Astensis, qui de eadem disserit virtute; ed totus est Carthusianus in verborum illorum explanatione : « Si linguis hominum loquar, » etc., cum de iverso linguarum genere atque de prophetia agat. Nullam pariter similitudinem, aut relationem quis omperiet prædictos inter commentarios S. Brunonis Carthusiani in cap. 11, secundæ ad Corinth., et sermonem Signiensis episcopi « De patientiæ virtute. » Carthusianus enim exponit mentem D. Pauli, quod cilicet Corinthii debeant ejus insufficientiam sustinere, qua tamen eos docet veritatem, ne pseudomagistris t pseudoprophetis credant, qui falsa et perversa ad decipiendas animas prædicant; Bruno vero Astensis e patientia, ut christiana virtute maxime necessaria, et quæ plurimum meretur, concionem instituit. De astitate conjugii agit Bruno Carthusianus in comment. cap. 7, ad primæ Corinth., atque in primis loquiur de fornicationis reatu, dein de continentia, quando et quibus est necessaria. Quærit utrum D. Paulus xorem duxerit, an virgo permansit. Tandem quærit an de virginitate præceptum habeatur. Aliam autem iam aggressus S. Bruno noster cap. 3, lib. II, excellentiam virtutis castitatis sibi proponit commendandam; ontinentiam ab omni opere carnis docet necessariam iis, qui vel castitatem voverunt, vel eam pro virute, absque religionis voto, sibi elegerunt. Quartum caput libri ejusdem a Brunone nostro inscribitur De virtutibus cardinalibus : » sed facta a me collatione cum iis, quæ Bruno Carthusianus commentatus st super psalmum 35, qui incipit : « Dixit injustus, ut deliquat in semetipso; » ne ullum quidem vestigium eperi, quo aliquid auctor noster de doctrina hujusce commentarii accepisse videatur. Idem asserere non ereor « De pace, » quæ titulus est cap. 7 ejusdem libri; nam totus ille psalmus nempe 82, ubi dispersos anit Propheta hostes populi Israelitici, et pacem illi comparatam, Bruno Carthusianus nihil aliud molitur, isi vocum et nominum expositionem, quæ in psalmo continentur. Hæc omnino præterit A. N., sed pacis tilitatem atque eximium Dei erga homines beneficium ostendit. Quæ cum satis perspicua et probata sint, eminem mihi succensurum arbitror, si asseram Carthusianos sui patriarchæ defensores haud satis ejus ommentarios, et libros Sententiarum Brunonis Astensis inspexisse; quod si in ejus lectione et comparatione vacassent, a patrocinio hujusce causæ abstinuissent. Neque me urgere putent, dicentes sermones De obedientia et de abstinentia, » qui sunt 10 et 11, lib. II haud obscurum indicium præbere non ab piscopo elaboratos fuisse, sed a viro sacris contemplationibus dedito, ut erat S. Bruno Carthusianus. In rimo enim de obedientia hæc ab anonymo Neapolitano pag. 28 referuntur : « Quid igitur dicant monachi obedientes, et suas voluntates facientes : ac per hoc Deo non placentes cum tota monachorum religio bedientia sit, et sine obedientia nihil sit. » In altero de abstinentia similiter eam monachis commendans it : « Majorum sententia est : Sic comedat monachus, ut semper esuriat; et sic bibat episcopus ut an bibeit, nesciat. » Hosce tractatus vel conciones qui legerint, hæc a Brunone Astensi, olim monacho obiter icta fatebuntur; cum non ex professo de perfectione abstinentiæ et obedientiæ, quibus operam dare tenenur monachi, egerit; sed communes doctrinas, etiam viris sæculi convenientes, ex sacris litteris, jam ante uis in commentariis tractatas congesserit atque produxerit. Ab hac utique repetitione locorum, et Sententiarum utriusque Testamenti, quæ iisdem pene verbis in his, aliisque sermonibus, sicuti aliis in scriptis ertissime a Brunone nostro exaratos continentur, tam validum pro mea confirmanda sententia eruitur argumentum, ut de ea nullus ambigendi locus relinquatur.

Pauca remanent diluenda, quæ ex Jodoco Badio Ascentio affert idem anonymus auctor Neapolitanus. rimum quidem concionatorem in sermone « De basilicis, quæ ab episcopis **471** ordinantur, » qui etiam in edicatione Ecclesiæ nuncupatur, plane dicere se episcopum non esse. Secundum, non invecte arguit addicandos esse Brunoni Astensi Sententiarum libros, quod in illis de commentariis in Exodum et in Apoalypsim mentio habeatur; cum amissi, aut nondum e tenebris eruti dici possint. Tertium nihil melius oncludere, quod frequenter idem auctor se filium S. Benedicti dicat, cumque suum patriarcham et parenem appellet; cum iisdem titulis Carthusiani se S. Benedicto devictos fateri possunt, cum omnium monaorum patriarcha in Occidente S. Benedictus fuerit, pluraque ab ejus legibus Bruno pro sua instituenda umilia desumpserit.

Ad primam objectionem respondeo sermonem illius auctorem nec monachum, nec episcopum se dicere; ed ex his quæ peroravit, episcopi personam potius, quam monachi exscribere ostendit. In secunda miserabile effugium collocatur; quod concessa etiam jactura commentariorum in Exodum et in Apocalypsim, ui Brunoni Carthusiano ascribuntur : nunquid idem de reliquis sacrarum Scripturarum interpretationibus ensendum erit, ex quibus auctoritates et exempla passim usurpat auctor, suasque lucubrationes illustrat? lemne infortunium subiisse affirmabimus? Sed ridiculum est hujusmodi somnia fingere, et probatissimis riptoribus fidem non præbere.

Digitized by Google

Pro coronidis loco dicam S. Brunonem Carthusianum nullibi S. Benedictum parentem, vel patriarchan suum appellare; econtra Brunonem Signiensem non tam iis titulis, sed perspicuis etiam laudibus exornare. Unum vel alterum ex multis testimoniis proferam, cap. 4, lib. II Sententiarum inquit : « Beatus quoque Benedictus, cujus auctoritas maxima est; utpote in quo Spiritus sanctus loquebatur, præcipit similiter, ne quid nimis. » Et in sermone 4, cui titulus de eisdem martyribus, mystice exponens locum illum Genesis cap. 26 ubi narratur servos Moysi puteum fodisse, etc., hæc de S. Benedicto habet : « Sed quid dicam de beato Benedicto, qui tam egregium puteum fecit, cujus aqua saluberrima atque dulcissima omnibus sitientibus et bibere volentibus et refectioni proficit et saluti. Nullus post apostolos et evangelistas potens factus est, qui tot homines satiasset, et a mortis periculo cunctisque passionibus liberasset, » etc. Mitto loqui de capite 16 Vitæ ejus, ubi dictum est quanta fuerit Brunonis nostri erga Benedictinum ordinem dilectio, quantaque regularis observantiæ commendatio, quæ ab alio tanto cum studio proferri non poterant, nisi ab eo ejusdem S. patriarchæ institutum professus fuisset.

Ut autem totam dissertationem paucis colligamus, meminisse juvabit longe plures mss. codices Sententiarum libros S. Brunoni Astensi ascribere, atque in eis plurima ipso sensu, ipsisque verbis suis ex commentariis transtulisse. Diximus etiam styli similitudinem, omnimodamque consonantiam divinarum Scripturarum interpretationem hisce in libris ac in reliquis S. episcopi Signiensis operibus manifestam esse. Palam æque fecimus nihil Brunonem nostrum a commentariis Carthusiani in Sententiarum libros traduxisse. Profligata pariter penitusque deleta arbitramur objecta, quæ a scriptoribus Carthusianis ad suæ causæ patrocinium producta sunt : nec quidquam præterivimus, cui non sit plenissime satisfactum. Tandem controversiam omnem concludit Natalis Alexander, qui tom. VII Histor. eccl. sæc. XI et XII, art. 9, hæc de Brunone Astensi habet : « Item sermones plurimos fecit, quos inter Petrus diaconus lib. De viris illustribus Casinensibus cap. 34 enumerat, quos Theodorus Petræus Carthusiæ Coloniensis alumnus sub nomine S. Brunonis patriarchæ edidit tom. III operum ejus; quos sane ipsius non sunt, cum Petri Diaconi auctoritas, tum alia monumenta evincunt. »

Gratum igitur acceptumque habeas rogo, eruditissime præsul, hoc pro S. Brunone Signiensi episcopo vindiciarum opus, atque anonymum Neapolitanum admone, me nihil aliud intendisse, quam veritatem sententiæ meæ, tot tantisque argumentis suffultam tueri, eamque apud eruditos sublata omni dubitatione firmius stabilire. Vale.

S. BRUNONIS ASTENSIS

EPISCOPI SIGNIENSIS

SENTENTIARUM

LIBER PRIMUS.

DE FIGURIS ECCLESIÆ.

472 PROLOGUS.

Cum sint multa et pene innumerabilia in divinis voluminibus quæ sponsam Christi S. Ecclesiam significant, quædam tamen sunt, in quibus ejus laudes et majora sacramenta manifestius et plenius contineri videntur. Ut v. g. paradisus cum arboribus fluminibusque suis, sicut et arca quam ex Dei præcepto Noe fabricavit. Similiter autem tabernaculum quod Moyses construxit. Similiter et templum quod ædificavit Salomon. Per mulierem quoque figuratur Ecclesia, quod Cantica canticorum manifeste demonstrant. Civitas quoque S. Jerusalem et basilicæ quæ nunc ab episcopis ubique dedicantur Ecclesiam Dei aperte significant. De his igitur secundum ordinem quo posita sunt non omnia quidem, sed quæ tempori materiæ quid conveniat. Domino adjuvante, in sequentibus exponemus.

(1664) Collatus textus Marchesii cum editione Parisiensi S. Brunonis Carthusiani Jodoci Badii Ascensii an. 1534, in-fol., et cum codicibus mss. infra adnotandis.

CAPUT PRIMUM.

De paradiso.

Scripsit Moyses in libro Geneseos (1664) quod « plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quem posuit hominem quem formaverat, ut operaretur et custodiret illum (Gen. II 8). » Ibi omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave; ibi lignum vitæ, lignumque scientiæ boni et mali narrat esse plantatum. Inde quatuor flumina ex uno fonte procedere dicit, quibus tota illa terra irrigatur. Dicendum est igitur quid para-

Digitized by Google

disus, quid Adam custos paradisi, quid illa tantarum tamque nobilium arborum genera, et quid flumina illa significent. Paradisus namque *hortus deliciarum* interpretatur, de quo videlicet horto in Canticis canticorum Dominus ad Ecclesiam loquitur, dicens : « Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus (*Cant.* IV, 3); » quod tale est ac si diceret : Magna sunt munera tua, grata sunt xenia tua. Alii partem mittunt, et quod vile est aliis tribuunt; tu vero totum hortum das, et omnia meliora filiis tuis (1665) larga manu mandas et tribuis. De hoc horto (1666) in eodem loco idem ipse ait : « Hortus conclusus soror mea sponsa; hortus conclusus, et fons signatus (*Cant.* IV, 12). » Recondantur (1667) igitur latrones; recedat et diabolus princeps latronum, qui semper circuit quærens quem devoret. Conclusus est hortus, signatus fons, nec poma, nec aquam subripere potest. Hoc enim ipse Dominus testatur, dicens : « Oves meæ vocem meam audiunt, et ego Dominus vitam æternam do eis. Neque rapiet eas quisquam de manu mea (*Joan.* X, 27). » De his autem qui decipiuntur et a diabolo rapiuntur Joannes apostolus ait : « De nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; si enim ex nobis fuissent, mansissent utique nobiscum (*I Joan.* II, 19). » Item in eodem : « Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, ut viderem si floruissent vineæ et germinassent mala punica (*Cant.* VI, 10). » In Evangelio quoque de Domino dicitur : « Quia egressus est trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus (*Joan.* XVIII, 1). » His igitur et similibus manifestum est quod per hortum, id est per paradisum Ecclesia significatur. Sed quid per Adam nisi Ecclesiæ custodes, episcopos scilicet et sacerdotes intelligamus? Audiant ergo isti quid de Adam Scriptura dicit, qui ad hoc in paradisum missus est ut operaretur et custodiret illum. Non sint otiosi, quia operarii sunt : **473** vigilent, quia custodes sunt. Hoc et Apostolus faciebat, qui (1668) et prædicationi instabat, et manibus propriis operabatur unde vivebat. Quare Psalmista ait : « Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, et bene tibi erit (*Psal.* CXXVII, 2). » Sed notandum valde quod dictum est a Domino de Adam, postquam peccaverat (1669). « Ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum, etc. (*Genes.* III, 22). » Post peccatum ei interdicitur lignum vitæ quod prius quidem interdictum non fuerat. Lignum vitæ Christus est, de quo Psalmista : « Et erit, inquit, tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo (*Psal.* I, 3). » Et alibi : « Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus (*Prov.* III, 18). » Et Dominus in Evangelio : « Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? » (*Luc.* XXIII, 51.) Videant igitur, quibus propter peccata sua Christi corpus, et sanguis interdicitur, ne forte ad lignum vitæ accedere præsumant. Audiant Apostolum dicentem : « Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini (*I Cor.* XI, 29). » Lignum ergo vitæ caro Christi est, de qua ipse Dominus ait : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam (*Joan.* VI, 55). » Lignum vero scientiæ boni et mali peccatum inobedientiæ intelligitur. Quoties enim peccamus, toties de ligno hoc manducamus, quoniam Deo inobedientes sumus, qui peccare interdixit. Magnum est peccatum inobedientiæ, quo totus periit mundus; magna est virtus obedientiæ, qua totus salvatus est mundus. Primus homo inobediens factus seipsum perdidit et nos : secundus homo factus est obediens usque ad mortem, ut salvaret nos. Vocatur hæc autem arbor lignum scientiæ boni et mali, quia tunc primi homines bona sua et mala sua, id est beatitudinem et miseriam suam intellexerunt, postquam de hoc ligno comederunt. Sicut enim per ægritudinem sanitas, per amarum dulce, per tenebras lux intelligitur; ita et per miseriam beatitudo cognoscitur. Neque perfecte cognoscit quantum bonum sit sanitas, qui nunquam infirmus fuit. Sed quid de cæteris arboribus dicemus, quibus ille locus deliciarum consitus est? Legitur in scripturis antiquorum (Solinus quoque hoc testatur) esse arbores in partibus quibusdam, quarum odoris suavitate homines satiati cibum alium non requirunt. Quantæ igitur jucunditatis, quantæ suavitatis, quam odoriferas, quamque fructiferas paradisi arbores esse putamus, si etiam illæ quæ extra sunt tales sunt. Per has autem arbores, Ecclesiæ filios intelligimus. Bona arbor beatus Paulus, qui plus omnibus laboravit. Bona et ille qui dixit : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei (*Psal.* LI, 10). » Sic autem et illi de quibus dicitur : « Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ (*Psal.* CXXVII, 3). » Tales et illi quibus Dominus ait : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis et fructus vester maneat (*Joan.* XV, 16). » Ecce tales sunt Ecclesiæ arbores : neque illis inferiores; imo tanto meliores, (1670) quanto melior est res quam figura. Major odoris suavitas, major fructus abundantia, et majoris jucunditatis dulcedo in his reperitur. Videant Christiani, qui per arbores paradisi significantur, ne sint infructuosi; quia nulla arbor legitur fuisse infructuosa. Quid autem quatuor flumina de fonte manantia, nisi quatuor Evangelistas de uno Christi pectore fidei doctrinam

(1665) Cod. S. Marci Flor. *et amicis tuis;* item uterque cod. Vat.

(1666) Idem cod. S. Marci Flor. *De quo videlicet horto.*

(1667) Editio Ascens. S. Brunonis Carthus. *Recedant;* item codd. Vaticani.

(1668) Ead. edit. : *Qui semper prædicationi instabat.* Item cod. Vat.

(1669) Cod. Vat. 994, *Videte ne forte*, etc.

(1670) Cod. S. Marci Flor. et editio : *Quanto melior est veritas quam figura.* Item uterque cod. Vat., Ascensiana.

Digitized by Google

suscipientes, (1671) intelligimus? His autem flumi- A tur, in qua qui in die ultionis inventus fuerit, non
nibus totus mundus irrigatur; horum doctrinæ peribit. Multi in ea esse videntur qui tunc extra eam
abundantia tota Ecclesia fecundatur et sanatur. invenientur : sicut illi quibus Dominus ait (1672) :
Unde Psalmista ait : « Fluminis impetus lætificat « Nescio vos (*Matth.* xxv, 12). » Illi igitur erunt in ea
civitatem Dei (*Psal.* xlv, 5). » Et alibi : « Elevave- de quibus Salvator ait : « Pater volo, ut ubi ego
runt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem sum, et ipsi sint mecum (*Joan.* xvii, 24). » Unde et
suam (*Psal.* xcii, 4). » Fertur autem quod illa flu- alibi dicit : « Si quis in me non manserit, mittetur
mina superius nominata tantam saporis dulcedinem foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et
habeant, ut omnium potionum superent suavitatem; in ignem mittent, et ardet (*Joan.* xv, 6). » Sicut
et hanc quidem suavitatem non prius amittant, enim prima per aquam, ita et secunda vindicta per
quam in ea irruentibus fluviis vitientur. Quoniam ignem fiet. Sic igitur arca ista est Ecclesia. Quid
bene nostris fluminibus, sanctis scilicet Evangeliis, ligna lævigata, nisi homines intelliguntur? Homines
hoc quoque convenire videtur : quorum quidem dul- utique Christiani, homines fidei ferramento dolati,
cedo hæreticorum aquis sæpissime violatur. et nisi et Spiritus sancti gladio lævigati, et charitatis lima-
ab eis violata fuerint, nihil est quod comparari mine inuncti et juncti. Talia ligna erant illa de qui-
valeat. Miser homo qui tantam beatitudinem, pro- B bus dicitur : « Multitudinis credentium erat cor
pter suam inobedientiam amisit, miser qui tantas unum et anima una, et nemo dicebat aliquid esse
delicias perdidit, et de paradiso ejectus, post infini- suum, sed erant illis omnia communia (*Act.* ii,
tas miserias, in mortem ruit. Sic enim scriptum 32). » (1673) Gaudeant monachi de tanto privilegio,
est quia ejecit Dominus Adam de paradiso, « Et quibus spiritus unus est, et proprium nihil est. Bi-
collocavit ante paradisum voluptatis cherubim, et tuminis enim talis fertur esse natura, ut ligna, quæ
flammeum gladium atque versatilem ad custodien- ex eo illita fuerint, indissolubiliter jungat et incor-
dam viam ligni vitæ (*Gen.* iii, 23). » Hoc enim et rupta conservet. Merito itaque per bitumen charitas
in Ecclesia Dei videmus, et peccatores obedire no- designatur, quæ omnibus virtutibus major est, et
lentes verbi Dei gladio ab ea quotidie conspicimus sine qua nulla virtus aliquid est. Hæc etiam inimi-
pelli. Si enim Deus primo homini non pepercit, cos conjungit, et eos quos conjungit æternos et
quomodo aliis eum imitantibus parcet? Servemus incorruptibiles facit. Hæc igitur et intus per dilec-
igitur obedientiam, imitemur obedientiæ magistrum, tionem, et extra per operationem nos ungat et
« Qui cum in forma **474** Dei esset, semetipsum jungat. Hæc in corde compatiatur, et in manibus
humiliavit factus obediens usque ad mortem (*Phil.* operetur. Hoc est enim : « Intrinsecus, et extrin-
ii, 6). » Cui cum Patre, et Spiritu sancto est honor, C secus linies eam (*Gen.* vi, 14). » Multæ autem man-
et gloria in sæcula sæculorum. Amen. siones in una arca, multæ gentes sunt in una Eccle-
sia. Diversæ sunt mansiones, et diversi sunt ordines
et mores : nam et ipse Dominus in Evangelio dicit :
« In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.*
xiv, 2). » — « Stella enim a stella differt in clari-
tate (*I Cor.* xv, 41). » Manent in mansionibus ani-
malia munda et immunda : quiescunt, et pacem ha-
bent; nullum alii nocet, nullum alii injuriam facit; et
quod valde dolendum est, homines sæpe bestiis crude-
liores sunt. (1674) Sufficiunt istis possessiones suæ.
Si ergo intra arcam nulla discordia vel persecutio fuit,
procul dubio de Ecclesia non sunt (quamvis in Ec-
clesia esse videantur) quicunque fratres odiunt et
charitatis vinculum solvunt. Sed quid per ostium, et
D fenestram intelligimus? Dicat ipse Dominus : « Ego,
inquit, sum ostium, per me si quis introierit, salva-
bitur (*Joan.* x, 7). » Non ergo salvantur, qui per
ostium non intrant. Nullum animal ingreditur in ar-
cam, nisi per ostium. Sed Simoniaci et hæretici
aliunde in Ecclesiam intrare nituntur. Hoc autem
faciunt, quia fures sunt et latrones. Fenestræ vero
sunt illi, qui Ecclesiæ lumen subministrant, unde et
Dominus discipulis ait : « Vos estis lux mundi (*Matth.*
v, 14). » Magna fenestra beatus Paulus, qui ideo a
Domino obcæcatus est, ut multos illuminaret. Ne

CAPUT II.

De arca Noe.

Merito ad ecclesiarum dedicationem tanta popu-
lorum undique turba concurrit. Si quidem S. Eccle-
sia per eam arcam significatur, in quam tam innume-
rabilis omnium animalium multitudo convenit. Sic
scriptum habes in libro Geneseos (*Gen.* vi, 14) quod
præceperat Dominus Noe, ut faceret sibi arcam de
lignis lævigatis, et mansiunculas in ea faceret, et
bitumine intrinsecus et extrinsecus eam liniret.
Præcepit etiam ut ostium et fenestram faceret in
ea, et in cubito consummaret summitatem ejus.
« Ingressus est autem Noe in eam, et filii ejus, et
uxor ejus, et uxores filiorum ejus cum eo. De omni-
bus quoque animalibus mundis et immundis in eam
ingressa sunt (*Gen.* vii, 7). » Videamus igitur, quid
arca ista significet, quid ligna lævigata, quid man-
siones et bitumen, quid ostium et fenestra, quid ani-
malia munda et immunda significent. De hac enim
arca scriptum est : « Surge Deus in requiem tuam,
tu et arca sanctificationis tuæ (*Psal.* cxxxi, 8). » Hæc
igitur arca S. Ecclesia est, extra quam nemo salva-

(1671) Cit. editio : *intelliganus?*
(1672) Edit. cit. *Amen dico vobis.*
(1673) Cod. Vat. *Gaudeant canonici de tanto privilegio*, etc. Cod. Vat. 1254, habet. *Gaudeant mo-nachi.* Item editio Ascens.
(1674) Item cod. et editio Ascens. : *Sufficiunt istis mansiones suæ, et istis non sufficiunt possessiones suæ.* Item cod. Vat. 954, et cod. 1254.

Digitized by Google

vacat a mysterio id quod ait : « Et in cubito consummabis summitatem ejus (*Gen.* VI, 16). » Unus quidem cubitus unus est Deus, in quo tota nostra consummatio et perfectio est. « Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus (*Psal.* CXII, 4). » Ipse est caput nostrum, nos illius membra sumus (1675). Ideo enim arca inferius quidem ampla, superius vero arcta, et in cubito consummata est. Quia et S. Ecclesia in subjectis quidem lata et magna est, et in uno patre et magistro consummata est. Unde et Dominus ait : « Unus est enim **475** pater vester, qui in cœlis est (*Matth.* XXIII, 9). » Denique multo plures sunt mali quam boni, plures qui terrena quam cœlestia petunt. Angusta via est quæ ducit ad vitam, ampla est quæ ducit ad perditionem. Si quis etiam Ecclesiæ ordines considerare velit quomodo super laicos clerici, super clericos presbyteri, super presbyteros episcopi, super episcopos archiepiscopi, super illos patriarchæ per ordinem sedeant, et tunc tandem Romanum pontificem super omnes sedere conspiciat, etiam isto modo intelligere poterit quomodo arca Dei in inferioribus ampla, paulatim se angustando in uno cubito consummetur. Jam vero animalia munda et immunda, justos pariter et peccatores significare videntur. Nam et boni et mali, justi et peccatores, granum et palæa, zizania et frumenta simul in Ecclesia Dei conversantur, de uno pane vivunt, de uno calice bibunt, ut et se fratres esse ostendant, una et consona voce omnes dicunt, « Pater noster qui es in cœlis (1676) (*Matth.* VI, 9). » Illud quoque non vacat a mysterio quod homines et volucres superiorem locum in arca possederant; jumenta vero, pecora et similia inferius habitabant. Qui enim homines volucrum naturam imitantur, tales in S. Ecclesia superiores constitui debent. Det igitur operam sapientiæ et religioni, altius volet mente, et spiritu ad cœlestia erigatur, qui super alios esse desiderat. At vero illi merito inferiores sunt omnisque honoris et dignitatis, qui carnis concupiscentiis solisque voluptatibus dediti jumentorum naturam sequuntur : quæ quidem ipsa eorum natura prona finxit ventrique obedientia. Restat nunc de corvo dicere, qui de arca egressus ad eam ulterius redire neglexit; in hoc nimirum illi figurantur, qui pro suis offensis ab Ecclesia separati ad eam ulterius redire despiciunt. Talis fuit Arius et Sabellius, tales et Donatistæ, qui pro suis iniquitatibus ab Ecclesia divisi (1677) ad eam redire et ei reconciliari noluerunt. Unde non immerito omne corvinum genus immundum esse dicitur (1678) : Qui vero per columbam, quæ cum ramo olivæ (1679) virentis ad arcam rediit, nisi illi significantur, qui mites sunt, et sapientes et humiles? Hi enim quia pacem et concordiam diligunt, si Ecclesiam Dei et fratrum congregationem quolibet modo contra se commotam intelligunt, mox humiliati et per omnia satisfacere parati ad eam redeunt, pacem offerunt et misericordiam suppliciter deposcunt. Qui ergo perire timet et salvari desiderat, ab unitate Ecclesiæ non recedat. Audiat Dominum dicentem : « Manete in civitate, donec induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV, 49). » Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT III.

De tabernaculo fœderis.

« Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit (1680) anima mea in atria Domini! » (*Psal.* LXXXIII, 1.) Cum pluraliter tabernacula posuisset, mox non de multis tabernaculis, sed de una domo subdidit, dicens : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæculum sæculi laudabunt te (*ibid.*, 5). » Unde et alibi ait : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI, 5). » De tribus tabernaculis scribit Apostolus, quorum primum in umbra est et figura, secundum in figura et veritate, tertium autem in sola veritate consistit. Ait enim : « Tabernaculum factum est primum in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quod dicitur sancta. Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro. In qua urna aurea habens manna, et virgam Aaron quæ fronduerat et tabulæ Testamenti (*Hebr.* IX, 2, seq). » De tertio vero sic ait : « Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa (*ibid.*, 11). » Primum igitur tabernaculum Synagoga, secundum Ecclesia, tertium vero cœlum ipsum intelligitur. « Habemus pontificem qui penetravit cœlum, ut Apostolus ait, Jesum Christum Dominum nostrum, et ibi quidem nunc apparet vultui Dei pro nobis (*Hebr.* IV, 14). » Habet itaque primum tabernaculum, id est Synagoga, candelabra sua, per quæ nimirum patriarchas et prophetas intelligimus, quorum doctrina et scientia populus ille illuminabatur, quando cæteræ nationes in tenebris sedebant et in caligine umbræ mortis. Et Moyses quidem non candelabra, sed candelabrum posuit, Christum **476** videlicet verum lumen significans; de quo quasi de uno hastili cuncta alia candelabra prodeunt. Hoc igitur candelabrum et unum et multa est, et unum quidem in hastili, multa vero in calamis de uno hastili procedentibus. Sed quid per mensam nisi legis et prophetarum libri

(1675) Cod. S. Marci. *In ipso unimur, et conjungimur, et unum sumus.* Item uterque cod. Vat.

(1676) Idem cod. S. Marci : *Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.*

(1677) Idem cod. S. Marci : *Honoris et dignitatis indigni.*

(1678) Cod. Vat., *Quid vero.* Item, edit. Ascens.

(1679) Idem cod., *foliis virentibus.*

(1680) Cod. Vat. 1254 : *Concupivit et defecit anima mea.*

Digitized by Google

designantur? Panum vero propositio ipsa eorum intelligentia est. De hac autem mensa scriptum est : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones et in scandalum (*Psal.* LXVIII, 22). » « Littera enim occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 6). » Quod autem candelabrum ante mensam stabat, ut mensam illuminaret, et panes superpositos suo lumine illustraret, quid aliud significare putamus nisi id quod beatus Joannes in Apocalypsi sua scribit, dicens : « Vidi librum signatum sigillis septem, et nemo dignus inventus est, neque in cœlo, neque in terra, neque sub terram, qui aperiret librum et solveret septem signacula ejus; et ego flebam multum, et dictum est mihi : Ne fleveris : ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum et solvere septem signacula ejus (*Apoc.* v, 4, 5). » Si enim per librum mensa significatur, quid est aliud solvere librum, quam mensam illuminare. Idem igitur ipse et leo et candelabrum est : siquidem libri solutio nihil aliud est, quam mensæ illuminatio. Velum autem inter utrumque tabernaculum positum erat, ne forte illi qui in priori tabernaculo erant ea quæ in secundo agebantur videre potuissent (1681). Usque hodie namque dum legitur Moyses, « velamen, ut ait Apostolus, positum est (1682) ante faciem Judæorum (*II Cor.* III, 15). » Hoc autem velamen tunc sublatum est, quando velum templi scissum est. Et extunc quidem omnibus in Christo credentibus revelata sunt Sancta sanctorum; cæteri vero in sua cæcitate permanserunt, « ut videntes non videant, et audientes non intelligant (*Rom.* IX, 8). » Nunc autem de secundo tabernaculo videamus. « Post velamenta, inquit, secundum tabernaculum est quod dicitur Sancta sanctorum. » Quantum priore tabernaculo secundum tabernaculum perfectius (1683) sit, ipsum ejus nomen aperte demonstrat. Sed quid per thuribulum aureum, nisi apostolos et doctores intelligamus, qui sui odoris suavitate et cœlum repleverunt, et terram. Tale thuribulum beatus Paulus portat, qui de se et de aliis loquitur, dicens : « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, in his, qui salvi fiunt, et in his, qui pereunt. Aliis enim sumus odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem (*II Cor.* II, 15. » Ipse quoque Dominus thuribulum portat, cujus odorem Ecclesia sentiens ait : « Trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I, 4). » Unde et scriptum quod accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris. « Et ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu angeli (*Apoc.* VIII, 4). » Angeli doctores sunt, quorum pectora thuribula sunt, eorum vero sermones et orationes quasi fumus aromatum Domino placent. Quoniam vero (1684) arca Testamenti auro purissimo intus et extra undique circumtecta erat, quid aliud significat, nisi quod sancta Ecclesia sermone et opere, sapientia et religione tota refulget? Non sunt igitur ejus membra, qui vitiorum contagione se sponte commaculant. De ipsa enim scriptum est : « Una est columba mea, perfecta mea, immaculata mea (*Cant.* VI, 8). » Urna vero aurea habens manna, Christi humanitas plena divinitate : ut per aurum, quod de terra est, humanitatem, per manna vero, quod de cœlo descendit, ejus divinitatem intelligamus. Sed quid per virgam Aaron quæ frondu erat, nisi beatam virginem Mariam intelligamus, quæ et sicca peperit florem, et (1685) incorrupta peperit Salvatorem? In tabulis vero Testamenti omnis scientiæ plenitudo intelligatur, quia decem verba in illis erant, per quæ omnia utriusque Testamenti mandata figurantur. Quia enim omnes numeri in decem continentur, non immerito per decem omnia aliquando intelliguntur. Talia instrumenta erant in arca, tales reliquiæ sunt in Ecclesia. Ibi thuribulum, hic apostoli : ibi urna aurea, hic Christus Deus, et homo : ibi tabulæ Testamenti, hic omnis scientiæ plenitudo, ibi virga Aaron, hic autem virga de radice Jesse. Restat nunc ut ad tertium tabernaculum transeamus, per quod cœlum significari diximus. Nihil enim prodest in istis mansisse, nisi ad illud aliquando transeamus. Ideo enim in his laboramus, ut ad illud quandoque perveniamus. Ibi figura nulla est : quidquid ibi fit, veritas est. Non solum enim in Synagoga, verum etiam in Ecclesia multa in figura, et significatione fieri videmus. Quoniam enim parietes asperguntur aqua, et non simplici, sed salsa aqua, quod pavimenta scribuntur, quod lapides, et altaria oleo unguntur quod per loca duodecim totidem cerei accenduntur, figura et significatio est; sed hæc alio tempore exponenda servamus (1686). Nunc itaque in illam domum intrare festinemus, ubi non per speculum, 477 et in ænigmate, sed facie ad faciem omnia videamus. Dicamus iterum cum Psalmista, et iterum eadem repetamus : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5). » Et : « Unam petii, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI, 4). » Non est talis ista petitio, quam oblivioni tradere debeamus. In illa autem domo quanta bona sint parata sanctis, breviter Apostolus enumerat ait : « Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II, 9). » Quæ ipse nobis præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(1681) Idem cod. S. Marci. Usque hodie dum legitur Moyses *velamen*, ut Apostolus ait, *positum est*, etc.

(1682) Vulgata habet, *super cor eorum*.

(1683) Cod. Vat., *præstantius*, al: *potius*.

(1684) Cod. Vat. *Quod vero*.

(1685) Idem cod. S. Marci : *Et incorrupta genuit Salvatorem*. Item. cod. Vat.

(1686) Hæc omnia explanavit S. Bruno Astensis in tractatu De mysteriis et de sacramentis.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De templo Salomonis.

Voluit David ædificare templum Domino, et dictum est ei : Non tu ædificabis mihi domum, quia multum sanguinem effudisti, sed filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit mihi domum, et ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium (*II Reg.* VII; *I Paral.* XVII, 22). Ædificavit igitur Salomon templum Domino de lapidibus magnis, et quadratis. Sexaginta cubitorum fuit longitudo ejus, et viginti cubitorum latitudo, et centum viginti cubitos in altitudine habuit (*III Reg.* VI). Domus autem dum ædificaretur, nec malleus, nec securis, nec vox ferramenti in ea audita est. Fecit autem columnas duas ante fores templi, quarum vocavit alteram Jachin, id est *firmitas*, alteram vero Booz, id est *in quo robur*. Templi autem parietes (1687) cedrinis tabulis vestiuntur, quas de auro purissimo, factis laminis, cooperuit. Sculpsit autem cherubim, et palmas, aliasque cœlaturas valde prominentes. Duos quoque cherubim fecit Salomon de lignis olivarum, quos sicut alia omnia auro purissimo vestivit. Habebant autem duos cubitos in altitudine, qui rectis pedibus ante oraculum stantes et in templum respicientes duabus alis se vicissim tangebant, et duabus usque ad parietes extendebantur. Unde manifestum est quod totam templi latitudinem alæ cherubim expansæ occupabant. Fecit autem et mare æneum ante templum, quod boves duodecim portare videbantur; quorum quidem tres ad orientem, tres ad aquilonem, tres ad meridiem, tres ad occasum respiciebant. Non est autem hujus temporis exponere omnia, quæ in illo templo nobilissimo facta sunt. Septem autem annis templum Domini ædificatum est. Hoc templum Ecclesia est, hoc templum nos sumus, de nobis Apostolus dicit : « Templum Dei sanctum, quod estis vos (*I Cor.* III, 17). » — « Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus (*Psal.* X, 4). » Sed quid sibi volunt illæ duæ columnæ quæ, ante fores templi positæ, cum nihil sustineant, otiosæ stare videntur? Otiosum tamen non est quod alia firmitas, et alia robur vocatur. De his primum dicendum est, quia templum ingredientibus hæ primæ occurrunt. Et ego quidem per alteram patriarchas, et prophetas, cæteroque Veteris Testamenti duces et principes intelligo. Tales columnæ fuerant Abraham, Isaac et Jacob. Tales Moyses, Josue, David et Daniel. Tales et multi alii, qui per fidem vicerunt regna, et quia firmi et robusti erant, nullo impetu tempestatis, nullo ventorum incursu, a justitia et veritate divelli potuerunt. In altera vero apostolos et martyres, confessores et episcopos video, qui quam fortes et robusti fuerint, eorum acta manifeste ostendunt. Respice ad Petrum, Jacobum et Joannem, qui columnæ Ecclesiæ dicebantur (*Galat.* II, 9). Respice ad Stephanum, et Laurentium; confessorem quoque contuere Martinum episcopum et patrem nostrum Benedictum (1688), et mox quid illæ significent intelligere poteris. Neque enim decet ut templum quis ingrediatur, nisi prius istas cognoverit. Ideo enim scriptum est : « Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui (*Psal.* LXXVI, 6). » Horum igitur vitam et doctrinam, horum fidem et conversationem, horum constantiam et mores semper in mente habere debemus. Sic credamus, sic vivamus, sic Domino serviamus, sic ambulemus, sic in bono perseveremus, et sufficit nobis. De reticulis vero et malis granatis quæ super capitella columnarum erant, hoc breviter modo dixisse sufficiat, quod patres nostri et retia semper habuerunt quibus non pisces et aves caperent, sed audientes, et obedientes ad Dominum traherent. Habuerunt autem et mala granata quibus animas satiarent et a libidinis æstu sanarent. Quia ergo columnas vidimus, et quid significent, audivimus, nunc templum ingrediamur, et quid illa tanta auri compositio ibi faciat, inquiramus. Nihil ibi videtur, nisi aurum. Aurum in trabibus, aurum in parietibus; ipsa quoque pavimenta auro purissimo refulgent. **478** Non est hoc sine causa, mysterium est, significatio est, non ad visum inanem pascendum, sed ad intellectum spiritualiter reficiendum : hoc totum ad Ecclesiam spectat, quæ tota aurea est, et omni vitiorum corruptione libera, super nivem dealbata est. Aurum hoc virtutes sunt, quibus omnia membra Ecclesiæ deaurata sunt. Teneamus fidem, spem et charitatem, aurei sumus; sine his, nec ipsi angeli pulchri sunt; quod in illis facile probatur, qui perdita humilitate ceciderunt, et omni alia creatura turpiores facti sunt. Alii humilitate, alii patientia, alii obedientia deaurantur et decorantur. Quamcumque virtutem habeas, ornamentum tibi est, et sine virtutibus nulla pulchritudo in anima est. Vidimus aurum, et vidisse placet; restat ut nunc cælaturas (1689) videamus. Erant, inquit, in parietibus cherubim et palmæ et aliæ cælaturæ valde prominentes. Cherubim ad scientiam, palmæ ad victoriam nos provocant : in illis volare, in istis pugnare docemur. Nihil in templo otiosum est; quæcumque scripta, vel sculpta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Ipsi parietes nos docent, et quodammodo loquuntur nobis. Sed quia de cherubim loqui cœpimus, ad illos respiciamus qui ante oraculum stantes ad nos respiciunt, manus habent, pedes habent, faciem hominis habent : verum hoc nobis usitatum et familiare est. Alæ me terrent, quia in hominis imagine alas non video. Poterat hæc imago hominis videri, si solæ alæ deessent. Quia igitur tale animal in rerum natura non est, figura tantum et significatio est. Non itaque (1690) quasi Dii colantur; sed ad quod facta sunt, hoc operentur.

(1687) Idem cod. S. Marci : *tabulis cedrinis vestiuntur*. Et uterque cod. Vat.

(1688) S. Benedictus Pater ab auctore appellatur.

(1689) Cod. Vat. : *respiciamus*.

(1690) Edit Ascens. : *quasi Deus colantur, sed ad quod facti sunt*, etc.

Digitized by Google

Duo isti cherubim duo sunt Testamenta, et quod significant duo libri, hoc duo significant cherubim. Cherubim namque *scientiæ plenitudo* interpretatur. Hanc autem scientiæ plenitudinem facilius quidem in libris, quam in illis simulacris comprehendimus. Totum autem quod in divinis Scripturis continetur multis simulacris significatur. Tu quoque si vis cherubim fieri, potes. Melius enim ex hominibus, quam linguis fiunt (1691) cherubim; et multi quidem ex hominibus jam cherubim facti sunt. Vis videre cherubim? Respice Paulum, omnis scientiæ plenum, doctorem gentium, et magistrum Ecclesiarum, cui cum sapientium et insipientium debitor sit, parvulis lac subministrat. Loquitur vero sapientiam inter perfectos. Si vis eum videre volantem, audi ipsum dicentem: « Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore, sive extra corpus, nescio; Deus scit raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum (*II Cor.* XII, 2). » Qui sic volat, alas habet, et qui ita loquitur non solum sapiens est, verum etiam scientiæ plenitudo dici potest. Sed quare de lignis olivarum cherubim isti facti sunt, nisi ut nos ad misericordiam provocent? Magna est virtus misericordiæ, sine qua nec ipsi cherubim esse possunt. Quod enim Græce ἔλεον, unde oleum, hoc nos misericordiam dicimus. Nihil est enim in cherubim quod magis attendere debeamus, quam ipsam materiam, de qua facta sunt, id est oliva sive misericordia. Unde et ipse Dominus ait: « Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est (*Luc.* VI, 36). » Multa sunt, quæ de misericordia dici possunt. Siquidem « misericordia Domini plena est terra (*Psal.* CXVIII, 64). » Bene autem sub alis cherubim arca Testamenti stare dicitur, quia nihil est, quod sic Ecclesiam Dei defendat et muniat, sicut sermo divinus et scientia Scripturarum. De arca Testamenti in superiori sermone satis dictum est. Merito autem in domo Domini, quando ædificata est, malleus, aut securis, aut vox ferramenti audita non est; quia Ecclesia Dei, quæ per eam significabatur, non ferro, sed lingua ædificanda erat; non vox inarticulata, sed sancti Spiritus virtus eam construxit. Malum ferramentum Arius, malus malleus Sabellius, mala securis Nestorius, qui non ædificare, sed destruere conati sunt. Nunquam talium ferramentorum vox in Ecclesia audiatur; vox potius turturis audiatur in terra nostra. Cantet nobis Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes. Nam et Pauli vocem semper me audire delectat. Augustinus quoque, et Ambrosius multique alii Ecclesiæ filii satis modulate suaviterque cantent. Restat nunc mare æneum, de quo multa dicenda sunt; sed quia jam nunc sermo claudendus est, hoc breviter dixerim. Mare æneum baptisma est, duodecim boves duodecim apostoli sunt, super quos tunc mare æneum Deus posuit, quando eis præcipiens dixit: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). » Quod autem alii respiciunt ad orientem, alii ad aquilonem, alii ad meridiem, alii ad occasum; hoc est quod sequitur: quia « profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* XVI, 20). » Quoniam vero templum Domini septem annis ædificatum est, et septem diebus dedicatum est, quid aliud significare putamus, nisi quod S. Ecclesia quo tempore in hac vita est, quæ septem diebus agitur, semper et ædificatur **479** et dedicatur; siquidem alii quotidie ad fidem convertuntur, alii baptizantur, alii per pœnitentiam et sanctam conversationem Domino consecrantur et a peccatorum contagione mundantur. Hoc igitur septenario finito, dies sequitur octavus; dies videlicet resurrectionis, quando omnibus perfectis et consummatis, ad vitam transferemur æternam, quam ipse nobis præstare dignetur, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT V.

De muliere per quam figuratur Ecclesia.

Narrat beatus Joannes evangelista (*Apoc.* XII, 1) se vidisse sanctam Ecclesiam in specie mulieris, quæ erat amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, et pariens cruciabatur ut pareret. Magna laus Ecclesiæ Dei, quæ sole amicta perhibetur. Sole quidem amicta est, (1692) quia omni claritate et pulchritudine decorata est. Sunt autem et illi amicti sole, quibus Apostolus loquitur, dicens: « Induite vos Dominum Jesum Christum (*Rom.* XIII, 14). » Ipse enim est sol justitiæ, de quo et alibi ait: « Quicunque baptizati estis in Christo Jesu, Christum induistis (*Galat.* III, 27). » Habet autem Ecclesia lunam sub pedibus, quia mundum despicit, et pro nihilo ducit. Merito mundus luna vocatur, quia ad lunæ similitudinem semper in motu est, semper mutatur, et variatur. Quid enim in mundo est, quod mutabile non sit? Et cœlum mutatur et terra; mare quoque semper mutabile est, et aer nunc serenus, nunc nebulosus est. Sed quid de hominibus dicam? Sentiunt ipsi mutationes suas, nunc læti, nunc irati, nunc tristes, nunc sani, nunc ægri, et multa alia quæ numerari non possunt. Hæc omnia despicit mulier ista, quia ad ea tendit quæ immutabilia sunt, ubi lætitia æterna, sanitas æterna, vita æterna, et quia ibi omnia æterna sunt, nihil ibi mutabile est. Habet autem in capite coronam stellarum duodecim, per quas duodecim apostolos intelligimus; ipsi eam coronaverunt; ipsi eam et reginam et dominam constituerunt; ipsi in æterni regis thalamum eam introduxerunt. Et pariens cruciabatur ut pareret; hoc est quod in Evangelio Dominus ait: « Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus. Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressu-

(1691) Ex cod. Vat., emendantur editiones, quæ habent *homines*.

(1692) Item cod. S. Marci: *Quia omni splendore, omnique claritate.* Item cod. Vat.

Digitized by Google

suræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum (*Joan.* XVI, 21). » Tantum est desiderium pariendi, tantus est amor filios generandi; parvipendit tormenta, non timet cruciatus, mori desiderat, ut adoptionis filios Domino pariat. Sic Rachel moriendo peperit; ut Synagoga Benjamin, et nos Paulum apostolum habeamus. De hac muliere Salomon quoque ait : « Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus (*Prov.* XXXI, 10). » Talem mulierem suis temporibus invenire non potuit, procul, et post multa tempora, gentium Ecclesiam nasci, et venire cognovit. Cujus honor et gloria omnisque beatitudo, quia in fine mundi revelabitur; de ultimis finibus pretium ejus esse dixit : « Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum (*ibid*). » In hoc Ecclesiæ sapientia manifestatur : tam bene cuncta disponit : manum suam, id est eos, qui fortiores sunt et sapientiores ad majora negotia mittit, talesque rectores, et episcopos constituit. Digiti vero fusum apprehendunt, quia illis minora negotia committit, qui imperfectiores sunt, minusque periti : « Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ sub lingua ejus (*ibid.*). » Non vana et inutilia loquitur, sermo est sale conditus et sanat et reficit auditores. Lex autem clementiæ illa est qua etiam inimicos diligere et cunctis ex corde dimittere jubemur. *Nobilis in portis vir ejus, quàndiu sederit cum senatoribus terræ.* Hæc una laus Ecclesiæ, præ cæteris laudibus major est, quod vir ejus tam nobilis sit. Hæc tamen nobilitas nondum apparuit, humilis venit et in forma servi. Non venit ministrari, sed ministrare, et ponere animam suam redemptionem pro multis; quasi reus judicatus est et inter iniquos deputatus est. Tunc ergo nobilis erit, tunc ejus nobilitas apparebit, cum sederit cum senatoribus terræ, cum Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. Ipse enim ait : « Vivo ego dicit Dominus, quia curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua (*Isa.* XLV, 23). » Senatores terræ apostoli sunt, quibus a Domino dictum est : « Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). » Tunc portæ aperientur : bonis quidem portæ vitæ : malis vero portæ mortis. Hæc autem illa mulier, (1693) illa Christi nobilissima sponsa, cui in Canticis canticorum Dominus ait : « Veni de Libano; veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum (*Cant.* IV, 8). » Ecce audivimus, unde Ecclesia venerit, ubi nata, et inter quos conversata fuerit. Isti **480** montes, hæc loca arida et deserta, feræ et barbaræ gentes intelliguntur, ex quibus in unam Christi fidem sancta Ecclesia collecta est. Leones et pardi maligni spiritus sunt, qui in eis habitabant, et domos et cubile in eis habebant. Non est ergo curandum quid fuerit, vel unde venerit, sed qualis nunc sit et quo venerit. Ordo tamen verborum talis est : veni de Libano soror mea sponsa : veni de Libano, veni; veni de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon : veni de cubilibus leonum, de montibus pardorum; deinde vero subdendum, coronaberis. « Nemo coronabitur, ait Apostolus, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » Ipsum igitur venire, certare est. Neque enim ei facile fuit, patriam parentesque relinquere, pristinos mores, antiquam conversationem, et eos quos coluerat deos, deserere. Pugnavit igitur, quia venit; vicit, quia teneri non potuit. Coronabitur igitur, et illa corona coronabitur de qua superius dicitur : « Et in capite ejus corona stellarum duodecim (*Apoc.* XII, 2). » Possumus tamen per illam quæ de Libano venit eos intelligere, qui ex Judæis crediderunt. Quod autem Jerusalem Libanus dicitur, audi prophetam dicentem : « Aperi, Libane, portas tuas, et devoret ignis cedros tuas (*Zach.* XI, 1). » Quia igitur nobiles arbores viros clarissimos, reges, et sacerdotes et prophetas intelligimus. Hæc est autem illa mulier, sive potius illa regina (coronata enim est, quod reginarum proprium est) de qua Psalmista loquitur, dicens : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Audi filia, et vide et inclina aurem tuam, obliviscere populum tuum, et domum patris tui; quoniam concupivit rex speciem tuam (1694) (*Psal.* XLIV, 10). » Ipse quoque Dominus et Salvator noster quod de ea dixerit, audiamus. « Regina, inquit, austri venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis (*Matth.* XII, 42). » Venit autem, ut Regum libri (III, 10) testantur, cum equitatu et apparatu multo. Obtulit autem munera Salomoni : aurum verum et aromata qualia prius non allata in Jerusalem, instructa tandem de omnibus quæ audire desiderabat, magnisque a rege ditata muneribus gaudens et exsultans ad propria remeavit. Non est hujus temporis exponere omnia quæ istis verbis significari videntur. Imitemur hanc reginam : mater enim nostra est semperque sapientiæ operam demus et sapientiam Salomonis semper audire desideremus; illius videlicet Salomonis qui ait : « Et ecce plus quam Salomon hic (*Matth.* XII, 25). » A finibus terræ venit illa, finiatur et in nobis terrena omnis concupiscentia. Dicamus autem cum Psalmista : « A finibus terræ ad te clamavi (*Psal.* LX, 3). » Aurum autem Deo offerimus, si mente et corpore puri simus. Sed quid aromata, nisi virtutes intelliguntur? Non est aliud munus quod dignius offeratur Deo, imo nullum nostrum munus sine his suscipit Deus. Nihil Deo offerre possumus, nisi quod ab eo accepimus. « Quid enim habes, inquit Apostolus, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » (*I Cor.* IV, 7.) Sua reddamus Deo, nostra non suscipit : (1695) nostrum enim non est nisi

(1693) Item cod. S. Marci Flor. : *Illa Christi novissima sponsa.*

(1694) Cod. Vat. : *Obliviscere montes pardorum et cubila leonum.*

(1695) Uterque cod. Vat. : *Nostrum enim nihil est, nisi peccatum.*

Digitized by Google

peccatum, quod qui non habet, dives est. Divites igitur essemus, si nihil de nostro haberemus. Sunt autem et aliæ mulieres, quæ Ecclesiam sanctam significant, sicut Sara, quæ prius Sarai vocata est, quæ *princeps mea* interpretatur. Sed non erat conveniens, ut princeps mea vocaretur, quæ omnium princeps, (1696) et mater erat. Dicatur igitur non princeps mea, sed princeps nostra, quia in filio, quem genuit, benedicuntur omnes gentes. Similis autem et Rebecca, quæ *multa patientia* interpretatur, et Lia, quæ *laboriosa* dicitur; oculis quidem *lippa*, sed ventre fecunda. Rachel quoque facie speciosa, et Sephora, quæ interpretatur *pulchra*, Ecclesiæ tenent figuram. Hæc pulchra, illa speciosa vocatur. Idem tamen utrumque nomen significat. Pulchra mater pulchros filios facit. Speciosa mater speciosos filios (1697) parit. Si ergo parentes pulchri sunt, cur filii turpes? Negabunt aliquando isti parentes suos esse filios, qui turpes erant et (1698) ejus imaginem et similitudinem non habebant. Ad quam imaginem et similitudinem ipse speciosus forma præ filiis hominum nos reformare, et innovare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VI.

De civitate sancta Jerusalem.

Super montem magnum et altum, in spiritu exaltatus beatus Joannes, sicut ipse testatur (*Apoc.* XXVIII, 2), vidit ibi civitatem sanctam Jerusalem, novo opere et mirabili artificio ædificari. Muri ejus lapide pretioso, et ipsæ plateæ civitatis auro purissimo ut vitro clarissimo construebantur. Habebat autem portas duodecim, **481** singulas ex singulis compositas margaritis, quarum tres ad orientem, tres ad aquilonem, tres ad meridiem et tres ad occasum respiciebant. Hæc est illa Jerusalem, quæ sicut scriptum est, « ædificabatur ut civitas, cujus participatio ejus est in idipsum (*Psal.* CXXI, 3). » Illorum enim participatio est in idipsum, quibus est cor unum et anima una. Inter quos discordia nulla est, et concordia firmissima est. Exaltemur igitur et nos simul cum beato Joanne in montem magnum et altum, ut in mentis excessu elevati, non ad litteram, sed spiritualiter hæc intelligamus. Hæc civitas sancta Ecclesia est; isti muri et isti lapides pretiosi, homines sunt: homines utique nobiles et clari, virtutibus et sapientia præditi, quales apostoli fuerunt et martyres, et cæteri qui per fidem et sanctam conversationem Domino placuerunt. Sic loquitur sermo divinus et his translationibus utitur, ut viros clarissimos et laude dignissimos, non homines, sed angelos vocet; nunc stellas cœli, nunc solem et lunam, nunc nubes et tonitrua, nunc montes et colles, et his similia. Sic igitur hoc in loco fieri videmus; ubi sanctam Ecclesiam non ex hominibus, sed ex auro et lapidibus ædificari dicitur. Prima hujus ædificii lapides apostoli sunt, qui in fundamento positi totam civitatem ferre dicuntur. Unde et Apostolus ait: « Super ædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino (*Ephes.* II, 20). » Merito ergo ipso numero notantur et declarantur; sunt enim duodecim, et cum cæteri quoque lapides pretiosi sint, his tamen nulli alii comparantur. Nullus lapis in hujus ædificii muri est, nisi pretiosus. Alii tamen aliis pretiosiores sunt. Differt enim stella a stella in claritate, nec omnia membra eadem membra, sufficiat omnibus quod pretiosi sunt. Sed quid per aurum purissimum et vitrum (1699) clarissimum, quo plateæ stratæ sunt, nisi sapientiam intelligimus? Sapientiam videlicet illam, quæ clamitat in plateis et inter sanctos dat vocem suam. Beatæ plateæ, in quibus fidelium conventus non fabulis vacat, sed sapientiæ intendit, et bibunt aquam non de fontibus Ægypti, quæ vertuntur in sanguinem, sed de fontibus Israel salutem in vitam æternam. Notandum autem quod idem ipsi apostoli et fundamenta et portæ dicuntur. Fundamenta quidem quia in toto ædificio et primi sunt et cæteros ferunt. Portæ vero, quia nemo nisi per ipsos, id est per eorum fidem atque doctrinam Ecclesiæ societati conjungitur, vel cœli palatium ingreditur, ipsis datæ sunt claves regni cœlorum, ipsi et portæ et ostiarii sunt. Hæc autem omnia in Apocalypsi latius exposuimus (1700): nec modo tempus est ut per singula disserantur. Et quis unquam, nisi Spiritus sanctus, ista dictasset et Ecclesiæ laudes tantis præconiis extollere potuisset? Sed videamus quid etiam Psalmista de hac tam nobili civitate loquatur (1701): « Fundamenta, inquit, ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob (*Psal.* LXXXVI, 1). » Jam superius de fundamentis dictum est: « Fundamentum aliud, ait Apostolus, nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » De quo et Dominus ait: « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI, 18). » Fundamentum igitur fundamentorum Christus est; siquidem et apostoli et prophetæ fundamenta sunt. Quæ igitur civitas super tales montes fundata est, merito de ea dicitur « Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas ejus super omnia tabernacula Jacob (1702). » Si solas portas Sion tantum diligit, dic, quæso, quantum diligit totam civitatem? Tu

(1696) Cod. Vat., *Et Domina erat.*
(1697) Cod. Vat., *Facit.*
(1698) Cod. Vat.: *Qui turpes erunt, et ejus imaginem et similitudinem non habebunt.*
(1699) Edit. Ascens. male habet *nitrum.*
(1700) In Apocalypsi affirmat hæc omnia copiosius exposuisse.
(1701) Cod. Ascens. addit.
(1702) Eadem ipsissimis verbis hujusce loci explanationem dedit S. Bruno in comment. super Psal. 86, ubi integra legitur cum in Marchesi edito tum habetur.

Digitized by Google

ernacula Jacob; isti Judæi intelliguntur, qui a omino recedentes ubique gentium dispersi sunt. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI.,) : » sed quæ gloriosa? an forsitan illa, quod tota ex ro, et margaritis et lapidibus pretiosis ædificari dici- ur? hæc utique gloriosa sunt, alia tamen illa scilicet oriosiora, quæ de ea dicta sunt. Sed vis audire ae? « Memor ero Rahab et Babylonis scientium e (*Ibid.*, 4). » Et revera gloriosa, et plus quam oriosa sunt hæc. Considera modo quid viri justi : Dei misericordia sperare et præsumere valeant, etiam Rahab et Babylonis Dominus memor erit? ltera meretrix fuit; altera Dei populum captiva- m sustinuit. Et illa quidem exploratores, ne occi- erentur, abscondit. Hæc vero populum prævari- ntem, aliquanto tempore ex Dei præcepto in rvitute detinuit. Talium igitur Dominus memor it, quia memor est omnium scientium eum. Neque im istarum memor esset, nisi quia eum scire, et uamvis post multa flagitia, in eum tamen credere ieruerunt. Valde enim notandum est quod ait, Scientium me. » Qualiscunque igitur prius fuerit, ve meretrix, sive sanctorum percussor, si tandem onversus fuerit et Dominum cognoverit, salvus rit; unde et ipse Dominus ait : « Hæc est vita ierna, ut **482** cognoscant te verum Deum, et uem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII, 3). » udiamus nunc et alia gloriosa quæ dicuntur de ivitate Dei. « Ecce, inquit alienigenæ, et Tyrus, t populus Æthiopum, hi qui fuerunt in ea (*Psal.* XXXVI, 4). » Hoc est enim (1703), quod Apostolus it : « Non Judæorum Deus tantum, imo et gentium *Rom.* III, 29). » Similiter autem et apostolus Pe- rus : « In veritate, inquit, comperi, quia non est ersonarum acceptor Deus. Sed in omni gente, qui imet Deum et operatur justitiam acceptus est illi *Act.* X, 34). » Quicunque igitur Deum timet et stitiam operatur, undecunque veniat, ab hac iissima civitate suscipitur, et non quasi alieni- ena, sed quasi civis et indigena habetur. Ita ornelius centurio susceptus est, qui primus de entibus Ecclesiæ filius factus est. Hoc et illud vas ignificabat, quod immundis animalibus plenum rat, quando apostolo dictum est : « Macta, et anduca (*ibid.*, 13); » hoc et illæ simiæ signifi- bant, quæ simul cum pavonibus Salomoni affere- antur. Quid simia turpius? Quid pavone pul- hrius. In tabernaculo Domini et cilicia erant et li caprarum. Neque hircum in holocaustum Do- inus respuit, cui tamen et agni offerebantur. Au- um et lapides et ligna cæteraque quibus templum omini constructum est, non ibi nata, sed aliunde ranslata sunt. Sic igitur et Ecclesia ex omnibus entibus ædificata omnes homines recipit, neminem d se venientem repellit. « Et Tyrus et populus Ethiopum, ii qui fuerunt in ea. » Gloriosa sunt hæc quæ et justis et peccatoribus magnam spem dare possunt, et immensam ferre lætitiam. Vis in Ecclesia suscipi? Tyrios imitare, quorum opere et auxilio templum ædificatum est. Imitare et centu- rionem, qui Synagogam Judæis ædificavit. Moyses, sicut legitur, Æthiopissam duxit uxorem; pro qua Maria soror ejus, quia murmuravit, lepra a Domino percussa, extra castra ejecta est. Hujus Æthio- pissæ filii sunt Æthiopes isti de quibus nunc dici- tur : « Et populus Æthiopum hi fuerant in ea. » Hæc est illa Æthiopissa, quæ in Canticis canticorum loquitur, dicens : « Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem (*Cant.* I, 5). » Hanc autem, quia Syna- gogam odio habet, ideo lepra percussa est, et usque ad sæculi consummationem intra Ecclesiæ castra non suscipietur. Hæc igitur gloriosa, imo glorio- sissima sunt, quæ dicuntur de civitate Dei, in qua servi fiunt liberi, ignobiles gloriosi. Et ibi, et non alibi est illa aqua, quæ Æthiopum possit mutare colorem. Et hæc quidem tantam hominum curam et diligentiam habet, et non immerito omnium ma- ter esse dicatur, unde et subditur : « Mater (1704) Sion dicet homo (*Psal.* LXXXVI, 5). » Ac si dicatur : Hæc est mater, et vere mater, quæ pietatis sinum omni- bus aperit, nulli materna viscera claudit, omnes suscipit, omnes ex affectu fovet et nutrit. Sequitur : « Et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*ibid.*). » Multa superius gloriosa dicta sunt de civitate ista; sed hoc quod modo dicitur omni gloria gloriosius est; nulla gloria huic gloriæ comparari potest; ipse Altissimus qui fundavit et fecit eam; ipse homo factus est et natus est in ea. Et unde hoc prophetas? Vis audire unde? « Dominus narravit in scripturis populorum et principum ho- rum, qui fuerunt in ea (*ibid.*, 6). » Interroga patres tuos, et annuntiabunt tibi; majores tuos, et dicent tibi (*Deut.* XXXII, 7). Lege Scripturas omnium populorum, prophetarum scilicet et apostolorum, quæ omnium communes sunt, quæ ad nostram et omnium doctrinam scriptæ sunt, et docebunt te; lege Moysen, Isaiam et Jeremiam, et invenies : lege Evangelia quæ non sunt minoris auctoritatis quam illa; lege Paulum apostolum Jesu Christi, qui « vo- catus est apostolus et segregatus in Evangelium Dei quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo; qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 1). » Pro- batum est igitur quod homo factus est, et ipse fun- davit eam Altissimus. Restat unum gloriosum quod dictum est de hac civitate, et ipsum audiamus : « Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te (*Psal.* LXXXVI, 7). » Nam et hoc valde glorio- sum est quod hujus civitatis habitatores perpetuam lætitiam habebunt, et nullam miseriam sentient. Ubi enim nulla miseria, ibi lætitia omnis reperitur. Hæc autem lætitia spiritualis est; hoc gaudium non

(1703) Cod. S. Marci Flor.
(1704) Psal. LXXXVI, 5, Vulgata habet : *Nunquid Sion dicet.*

Digitized by Google

rerum temporalium, sed æternæ felicitatis est. De qua Apostolus ait : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). » — « Lætamini ergo in Domino, et exsultate justi, et gloriamini omnes recti corde (*Psal.* XXXI, 11). » — « Gaudete in Domino semper; iterum dico gaudete (*Philip.* IV, 4.) » Quod ipse modo præstare dignetur, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

483 CAPUT VII.

De basilicis quæ ab episcopis dedicantur (1705).

Scitis, fratres mei (1706), qui ad hujus basilicæ dedicationem convenistis, quod domus hæc ecclesia vocatur; quoniam Ecclesiam sanctam significat. Non minus enim domus hæc sive magna, sive parva sit, Ecclesiam sanctam significat, quam templum illud nobilissimum Salomonis, vel civitas sancta Jerusalem dicitur, vel tabernaculum testimonii. Ecclesia nomen Græcum est; significat autem populi convocationem (1707); populi utique Dominum timentis et Domino servientis. Sicut enim ex multis lapidibus ordine et ratione compositis una domus efficitur, ita ex multis hominibus, dilectionis et fraternitatis amore societatis, una Ecclesia constituitur. Quemadmodum enim domus ista fundamentum habet, lapides et parietes habet; portas et fenestras, et similia habet; similiter et sancta Ecclesia, Apostolo dicente, secundum quamdam similitudinem, hæc omnia habere dignoscitur. Sed ipse dicat : Ipse nos doceat; ipse ejus fundamenta et ædificium fundamentis suppositum ostendat. « Jam non estis, inquit, hospites et advenæ; sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summa angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino (*Ephes.* II, 19). » Habet igitur Ecclesia fundamentum, apostolos videlicet et prophetas, et Jesum Dominum et Salvatorem nostrum, fundamentorum omnium fundamentum. De quo Apostolus ait : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » Isti autem dicuntur fundamentum, quia super eorum fidem atque doctrinam tota Ecclesia fabricata est. Dicuntur et portæ, quia per eos cæteri ingrediuntur. Isti sunt illæ portæ de quibus dicitur : « Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob (*Psal.* LXXXVI, 1). » Habet et infernus suas portas de quibus Dominus ait : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI, 19). » Et in Psalmis : « Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion (*Psal.* IX, 19). » Tales igitur portas habet Ecclesia, quæ per istas, quas hic cernitis, significantur. Habet autem et columnas, quales Petrus, Jacobus et Joannes fuerunt, qui Ecclesiæ columnas ab ipso Apostolo vocantur. Has autem columnas illæ duæ columnæ significabant, quæ ante fores templi stabant, quarum altera Jachim, altera Booz (*III Reg.* VII, 21) vocabatur. Has et istæ columnæ significant, quas hos parietes sustinere videtis. Per lapides autem quibus parietes construuntur, omnis hæc populi multitudo significatur. Et sicut illi, nisi vel calce vel ferro colligati fuerint, facile ruunt et stare non possunt; ita et isti, nisi charitatis concordia et pacis vinculo jungantur et uniantur, totum ecclesiasticum ædificium subito destruitur, et diutius stare non valet; unde et inter omnes merito illi maledicuntur, et a Deo odio habentur, qui inter fratres discordiam seminant. Sicut enim sola pax et concordia hos lapides ligat, ita sola discordia eos dissociat. Isti igitur parietes nos doceant; isti lapides nos instruant, qualiter nos diligere et pacem et concordiam tenere debeamus. Per fenestras vero episcopos et doctores omnesque alios intelligere possumus, quorum doctrina et exemplis hæc domus Domini illuminatur. Ad hoc enim fenestræ fiunt, et hoc illarum officium, et hæc utilitas est, ut luminis claritatem præbeant et tenebrarum caliginem pellant. Talis fenestra fuit Gregorius, talis Hieronymus et Augustinus, talis Ambrosius et Hilarius, tales et multi alii fuerunt, doctrinæ splendore mundum illuminantes. Si quis autem per singula currere velit, nulla pars in tota ædificio reperitur, quæ suam non possit habere figuram. De constructione domus hæc nos dixisse sufficiat : nunc de ejus dedicatione videamus (1708). Vidistis hodie quid episcopus egerit, cum ad hanc aulam consecrandam accesserit. Primum ante omnia litanias fecit, et ipsum Deum omnipotentem, et Matrem Domini nostri Jesu Christi beatissimam virginem Mariam, omnesque angelorum choros et sanctorum omnium exercitus sibi in adjutorium invitavit, quorum præsentiam adesse, et quorum benedictionibus hanc fieri dedicationem dubitare non debemus. Deinde vero sale impositio aquam sanctificavit, qua videlicet aqua templum hoc foris baptizaretur et parietes aspergerentur. Foris autem dixi, quia alia aqua interius præparatur. Sal vero quia sapientiam significat, ideo digne satis huic aquæ miscetur, quæ utique vero nomine aqua sapientiæ vocatur. Et revera hæc est aqua sapientiæ, quæ

484

sola sapientes facit, et sine qua nemo sapiens fieri potest. Soli baptizati sunt sapientes, quia ipsi soli a mundi vanitatibus et diabolicis astutiis liberi sunt. Tribus autem vicibus ab episcopo circumeuntes parietes asperguntur aqua, quia non est possibile ut tota domus mergatur in aquam. Hæc autem aspersio fasciculo hyssopi fieri videtur, ut adimpleatur

(1705) Titulus. cod. Vaticani est : *In dedicatione ecclesiæ.*

(1706) Codex S. Marci Flor. *Scitis fratres charissimi.*

(1707) Cod. Vat. *Collectionem.*

(1708) Hanc eamdem expositionem ritus in consecratione ecclesiæ tradit S. Bruno in peculiari tractatu cui titulus : *De mysteriis et ecclesiasticis ritibus.*

Digitized by Google

uod scriptum est : « Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor *Psal.* L, 9). » Hæc herba humilis est et naturaliter nascitur. « Petra autem erat Christus (*I Cor.* x,), » ait Apostolus. Significavit autem ordinem sacerdotalem, quibus Dominus ait : « Discite a me uia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi, 29). » ui occidi quidem possunt, ab hac petra tamen dicelli non possunt. Tales igitur digni sunt, qui Ecclesiam Dei baptizare et aspergere debeant. Percutit iam episcopus ecclesiæ fores virga pastorali, ut lius vicarium se esse ostendat, de quo scriptum st : « Et percutiet terram virga oris sui, et spiritu abiorum suorum interficiet impium (*Thess.* II, 8). » lac percussione diabolus pellitur, ut in umbraculis omus Domini locum jam ulterius non habeat. Fugit gitur sancti Spiritus verbis incatenatus, quibus icitur : « Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ (*Psal.* XIII, 7). » Inde vero templum ingreditur, et aliam quam sanctificat, per quam Spiritus sanctus significatur, cui non solum sal, sed vinum miscetur et inis. Quod autem Spiritus sanctus per aquam significetur, audi ipsum Dominum dicentem : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ *Joan.* VII, 38); » quod mox evangelista exponens, it : « Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum (*ibid.*). » Pulchre autem uic aquæ, per quam Spiritus sanctus significatur, t vinum miscetur et cinis; quia quos Spiritus anctus lavat et tangit, illi procul dubio et scientiæ vino inebriantur et pœnitentiæ pulvere aspergunur. Et valde quidem necesse est ut noviter baptizati ali vino inebrientur et tali pulvere aspergantur. loc vino apostoli inebriati linguis omnibus loquebantur. Ad hujus vini ebrietatem nos invitans Dominus, ait : « Comedite amici mei, et bibite et nebriamini, charissimi (*Cant.* v, 1). » De hoc et Psalmista dicit : « Inebriabuntur ab ubertate domus uæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* xxv, 9). » Pulvere vero aspersi sunt qui se peccatores esse intelligunt. Hoc suis in afflictionibus frequenter antiquos patres fecisse legimus. Tali pulvere spersus Abraham dicebat : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen.* XVIII, 27). » Tali et Ninivitæ aspersi (*Jonæ* III, 5) veniam accipere meruerunt. Unde et in Ecclesiis consuetudo nolevit, ut initio Quadragesimæ capita pulvere spergantur. Et vide quam ordinate et rationabiliter mnia fiant. Exterius aqua, interius spiritu domus Dei lavatur et baptizatur, ut adimpleatur, quod Dominus ait : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei *Joan.* III, 6). » Quoniam vero (1709) totum alphabetum bis in pavimento scribitur, quid aliud significat, nisi quod is qui baptizatus est utriusque Testamenti scientiam memoriæ commendare debet.

A Paucæ quidem litteræ sunt : omnis tamen scientiæ plenitudo in eis continetur. Scribantur igitur hæ litteræ in pavimento pectoris nostri, per quas Dei voluntatem cognoscere, et facere valeamus. Duodecim vero ceræi, duodecim apostoli sunt, quorum scientia, fide et doctrina tota Ecclesia illuminatur. Nunc vero ad altare accedamus, et quid ibi episcopus faciat, videamus. Hoc est altare in Ecclesia, quod est cor nostrum in corpore nostro. Nam et nos templum Dei sumus, et altare utique in nobis habere debemus. Altare ergo tuum, o Christiane, cor tuum est. Hoc ita ungatur, hoc sacrificetur, hic sanctorum reliquiæ recondantur : hic odor fiat suavitatis, hic offeratur sacrificium laudis. Oleum misericordia est quo qui unctus non fuerit totus B siccus et infirmus est. In hoc igitur oleo semper natent corda nostra, ut nunquam misericordiæ obliviscamur. Accedat itaque pontifex noster ad altare cordis nostri; pontifex ille magnus Jesus Christus, de quo scriptum est : « Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX, 4). » Accedat inquam, et oleum superfundat, et dicat : « Estote misericordes, sicut pater vester misericors est (*Luc.* VI. 36). » Hoc oleo ipse quoque abundabat, cum pro suis crucifixoribus oraret dicens : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Hoc igitur oleo non cordis altare tantum, sed omnia membra nostra uncta esse debent. Manus arida non aperitur inopi, et quia uncta non est, misericordiam facere nescit. Multa de hac C unctione, multa de misericordiæ oleo dici possunt; siquidem « misericordia Domini plena est terra (*Psal.* XXX, 5). » Sed quæ sunt Sanctorum reliquiæ, quæ in his altaribus reponuntur? Ego quidem Sanctorum reliquias eorum doctrinam et verba intelligo. Possumus igitur non solum Sanctorum, verum etiam ipsius Salvatoris nostri reliquias habere in altare cordis nostri; unde ipse quoque ait : « Qui habet mandata mea et servat ea ipse est qui diligit me (*Joan.* XIV, 21). » Has reliquias in cordis sui altari illi posuerat qui dicebat **485** : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (*Psal.* CXVIII, 11). » Beata illa altaria in quibus tales reliquiæ positæ sunt; beata illa corda quæ tales reliquias suscipere meruerunt. Magnæ sunt istæ reliD quiæ, et multæ nimis et mirum valde, quæ in tantillo vasculo includi possunt. Sed nunc jam commendamus Deo hæc altaria nostra; ipse possideat et custodiat corda nostra, et dignetur habitare in templo pectoris nostri : Qui vivit et regnat, etc.

CAPUT VIII.

De Evangeliis.

Non est arbor bona quæ malos fructus facit, neque arbor mala faciens fructum bonum (*Matth.* VII, 17). Docet nos Dominus et Salvator noster quomodo bonas arbores et malas cognoscere debeamus. Bonæ

(1709) Cod. Vat. *Quod vero.*

Digitized by Google

arbores, boni homines sunt. Ex fructu suo cognoscuntur arbores; ex operibus suis cognoscuntur homines. Bonæ arbores paradisi, quæ et visu pulchræ erant, et ad vescendum suaves. Tales arbores gignit Ecclesia, quarum pulchritudinem et religionem nos legere et audire delectat; quarum verbis et doctrina mentes nostræ nutriuntur et reficiuntur. Talis arbor beatus Paulus, qui et visu tam pulcher est, ut nihil sibi conscius sit; et tam ad vescendum suavis, ut et parvos lacte et cibo solido nutriat sapientes. Tales arbores et cæteri apostoli sunt, quorum fructus ab ipso Domino commendantur; dum eis loquitur, dicens : « Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis et fructus vester maneat (*Joan.* xv, 16). » Isti sunt illi fructus : hæc sunt illa poma de quibus ad sponsam Ecclesia dicit : « Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi (*Cant.* vii, 13). » Vetera poma prophetarum et patriarcharum doctrina est; nova vero apostolorum Ecclesiæque doctorum; et isti quidem sunt, de quibus dicitur : Qui proferunt de thesauris suis nova et vetera. Tales autem arbores a fructibus suis cognoscere non est difficile; quia omnis earum doctrina et operatio sancta est, vera est, religiosa est, sine fraude et æmulatione est. Bonæ arbores et hypocritæ aliquando esse videntur; sed quia sola terrena et transitoria quærunt; et quia sanctorum humilitatem et patientiam non habent, facile quidem deprehenduntur et in ipsa sua astutia manifestantur. Præceperat Dominus filiis Israel ut promissionis terram ingressi illius regionis arbores circumciderent, et usque in quartum annum ab earum usu se abstinerent (*Levit.* xix, 23). Nisi enim per arbores homines significarentur, ridiculum videretur quod arbores illæ circumcidi jubeantur. Sed alienæ arbores infideles homines sunt, quos ad nos venientes circumcidere debemus, id est a suis iniquitatibus per baptismum et pœnitentiam emundare. Quid vero per quatuor annos, nisi quatuor Evangelia figurantur, per quæ quicunque nondum transiit et eorum doctrinam nondum audivit, adhuc immundus est; adhuc ejus fructus suscipiendus non est; nondum ejus verbis et doctrinæ credendum est. Quid vero de malis arboribus præcursor Domini Joannes dixerit, audiamus : « Jam, inquit, securis ad radices arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* iii, 9). » Talis erat illa ficulnea cui Dominus maledixit, et aruit. Tales erant et illi palmites, de quibus ipse ait : « Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eam (*Joan.* xv, 2). » Et quid inde? Vis audire? « Si quis autem in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet (*ibid.*). » Multi quotidie a Domino maledicuntur, et de ejus corpore, quod est Ecclesia, tolluntur, foras projiciuntur et in ignem mittuntur. Arborem fici plantaverat quidam in vinea sua, cumque jam per tres annos in ea fructum quæsisset et non invenisset, præcepit cultori vineæ ut eam succideret (*Luc.* xiii, 6. Quæ tunc quidem succisa fuisset, nisi cultor vineæ pro ea intercessisset. Considerate ergo et diligenter attendite quantum cultoribus vestris, episcopis videlicet et sacerdotibus, debeatis, qui pro vobis quotidie intercedunt, ne forte succidamini et in ignem mittamini. Per tres annos te exspectavit, modicum vel nihilum ulterius te exspectat. Exspectavit te in adolescentia, exspectavit in juventute, exspectavit in senectute. Denique te exspectavit mala cogitantem, mala operantem et jam longo tempore in malo perseverantem. Quid amplius quæris? Finiti sunt anni, novissima hora est; tamen si hodie conteritaris, quamvis indigno, venia promittitur tibi. « Peccator enim quacunque die conversus fuerit et gemuerit, vita vivet et non morietur (*Ezech.* xxiii, 12). » Justus quoque quacunque die a justitia declinaverit et se ad iniquitatem converterit, in iniquitate sua quam operatus fuerit morietur : « A fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* vii, 16). » Ad fructus respiciamus, opera intueamur, non quale fuit, sed qualis est inquiramus. Hodie bonum fructum reddere cœpit, arbor bona est : hodie malum fructum agere cœpit, arbor mala est. Quare hoc? Quia Veritas ait : « A fructibus eorum cognoscetis eos. » Magnum igitur et verum argumentum est in arboribus cognoscendis, fructus bonus et fructus malus. Tandiu bona est arbor, quandiu fructus bonus in ea est. Non **486** enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvas. Quod si aliquando contigisset, et ego spinam ficum dicerem et rubum uvam vocarem. Quare hoc? Quia unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur : « Bonus homo de thesauro cordis sui profert bonum (*Luc.* vi, 45), et malus homo de thesauro suo profert malum. « Ex abundantia cordis os loquitur (*ibid.*). » Quæ in corde sunt videre non potes, cordis arcana clausa tibi sunt. Ad os respice, verba attende, et quod in corde est ore revelabitur : « ex abundantia cordis os loquitur; » ex bono fonte bonæ aquæ derivantur, ex venenoso fonte venenosæ aquæ emanant. Neque fieri poterit ut suam arborem fructus quandoquidem non manifestet : « Nihil opertum quod non revelabitur, et occultum quod non sciatur (*Matth.* x, 26). » Quare vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? (*Luc.* vi, 46.) Si bonæ arbores estis, ea quæ dico faceretis; mandata mea custodiretis, et non folia mihi redderetis, sed fructus. Verba folia sunt; fructus opera sunt. Melius facere quam dicere. Dominum me vocatis, servos vos esse cognoscite. Boni servi illi sunt qui Domini sui mandata custodiunt : « Quicunque audit verba mea et facit ea, dicam vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super firmam petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen contra domum illam, et non cecidit; fundata enim erat supra firmam petram (*ibid.*, 49). » Ecce quantum potest observatio mandatorum Dei. Magnam turrim sibi ædificat,

Digitized by Google

et munitissimam arcem sibi construxit, qui Christi mandata custodit. Securus est, nullius tempestatis timet incursus, et quia firmum posuit fundamentum, nec flumina timet, nec pluviam, nec ventum. Si vis ut ædificium tuum altius ascendat, et sublimius erigatur, fundamentum tibi in profundo quærendum est. Multum se humiliet qui multum exaltari desiderat. In centum et viginti cubitorum altitudinem templum Domini elevatum est, quoniam firmum et altum habuit fundamentum. Ad hanc igitur mensuram nos extendamus; bonum fundamentum habemus, fundamentum nostrum Jesus Christus est: « Fundamentum enim aliud, ait Apostolus, nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » Non putemus casu esse factum, quod templum Domini hanc altitudinis mensuram habuit. Aliqua et ipsa pulchra hoc in numero significatio est. Decies namque 12, vel duodecies 10 centum viginti fiunt. Quicunque igitur per 10 ad 12, vel per 12 ad 10 se extendere valet, satis altus et magnus est, altius ascendere non quærat. Hæc illi mensura sufficiat. Decem sunt verba legis; duodecim vero apostoli sunt. Per decem igitur ad duodecim ascendit qui per observantiam decem mandatorum pervenire meruit ad vitam et societatem apostolorum. Similiter autem qui per 12 apostolorum doctrinam decem legis mandata custodire didicit per 12 utique ad decem pervenit. Ad hanc igitur mensuram extendere et in hujus mensuræ altitudinem nos erigere ipse dignetur qui templum suum nos esse voluit Jesus Christus Dominus noster; qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.

SENTENTIARUM

LIBER SECUNDUS

DE ORNAMENTIS ECCLESIÆ

497 **CAPUT PRIMUM.**

De Fide.

Primum Ecclesiæ ornamentum fides est, quæ in toto virtutum exercitu prima est. Omnes aliæ virtutes eam sequuntur, et sine ipsa cœlestis regni palatium non ingrediuntur. Si veniat humilitas, si patientia, si castitas, si ipsa charitas, quæ ab Apostolo major dicitur, nisi fides adsit, omnes repelluntur et ingredi non permittuntur. Quanti gentiles et philosophi his virtutibus claruerunt, qui fidei ornamentum non habentes Domino non placuerunt? « Impossibile est, ait Apostolus, sine fide placere Deo (*Hebr.* XI, 6). » Nam, ut de cæteris virtutibus taceamus, multi tanta charitate præditi fuisse leguntur: ut pro patria, pro civibus, et pro inimicis, morti se tradere non dubitarent; at majorem quidem charitatem, seu dilectionem, dicit Dominus, nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV, 13). Omnes autem isti, quamvis multis virtutibus claruissent, cecidierunt tamen, quoniam fidem non habuerunt. Merito igitur sancta Ecclesia neminem ad se venientem recipit, nisi prius fidei ornamento indutus fuerit. Ecce venit ad Ecclesiam, baptizari vult: rogat ut suscipiatur; interrogatur an credat, an catholicam fidem teneat. Si se credere, si fidem catholicam se tenere responderit, suscipitur, baptizatur et filiis Ecclesiæ sociatur. Si vero aliter dixerit, nequaquam suscipitur, sed quasi profanus ejicitur. Quibus autem Ecclesiæ portæ clauduntur, his cœli nunquam aperiuntur. Sic enim beato Petro Dominus ait: « Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI, 19). » Magna est igitur virtus fidei, de qua ipse Dominus ait: « Omnia possibilia sunt credenti (*Marc.* IX, 23). » Suæ virtutis potentiam, non sibi, sed fidei ascribit, et quod ipse facit, hoc fidem facere affirmat. Multos viros et mulieres eum sanasse et a gravibus languoribus liberasse legimus, quibus hoc tantum dicere solebat: « Fides tua te salvum fecit; vade in pace (*Matth.* IX, 12). » Venit aliquando, dicit Evangelium, in patriam suam, et cum homines illi de ejus omnipotentia dubitarent et fidem non haberent, non multas, ut verbis evangelicis loquar, virtutes ibi facere potuit, nisi quia infirmos impositis manibus curavit, et mirabatur de infidelitate illorum. Ergone tantum potest fides, ut ille, qui omnia potest, a potentia suæ virtutis illius absentia impediatur? Similiter autem cum aliquando iret Jerusalem, accessit ad arborem fici, quæ juxta viam plantata fuerat, et quia fructum in ea non invenit, maledixit eam, et aruit. Cumque altera die discipuli illuc transirent et ficulneam arefacientem viderent, dixerunt ei: « Magister, ecce ficulnea cui maledixisti aruit: quibus ipse ait: Si habueritis fidem, non solum de ficulnea facietis, sed montes quoque transferre poteritis (*Matth.* XXI, 21). » Multas ficulneas infructuosas quotidie Dominus maledicit, multos homines iniquos quotidie damnat, et arefiunt. Montes autem transtulit, quando malignos spiritus in porcos misit et in abyssum ire præcepit. Hoc autem et sanctorum fidem multoties fecisse innumeris sanctarum Scripturarum docemur testimoniis. Merito ergo discipuli eum pro fide rogabant, dicen-

Digitized by Google

tes : « Adauge nobis fidem (*Luc.* XVII, 5); » quoniam et per fidem te omnia posse, et sine fide nihil posse sciebant. Nam et beatus Petrus, cum fidei virtute super aquas ad Dominum venire cœpisset, mox ut dubitavit et fides qua portabatur ab eo recessit; inter undas mersus est : quem Dominus manu apprehendens erexit, et sui mersionis causas protinus eum docuit, dicens : « Modicæ fidei, quare dubitasti? (*Matth.* XIV, 31.) » Ac si diceret : Si tu non dubitasses, et fides a te non recessisset, securus super aquas currere potuisses. Ecce si, Domino præsente, fide autem absente Petrus mergitur, quis unquam sine fide, cunctis etiam virtutibus circumstantibus securus esse poterit? Si sine fide impossibile est placere Deo, quæ alia virtus esse poterit, quæ hominem perducat ad Dominum? « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Rom.* IV, 3). » « Sancti per fidem vicerunt regna (*Hebr.* XI, 33). » « Hæc est autem victoria, quæ vincit mundum, fides nostra (*Joan.* V, 4). » « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 16). » « Si quis indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei : postulet autem in fide nihil hæsitans (*Jac.* I, V). » Quod enim ex fide non est, peccatum est. « Justus **488** autem ex fide vivit (*Galat.* III, 11). » Sed quid est fides, docet Apostolus : « Fides est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium (*Hebr.* XI, 1). » Hoc autem tale est ac si diceret : Fides est virtus quædam, per quam ea quæ dicuntur nobis, etsi nondum appareant, certissime tamen credimus et fieri non dubitamus. Quæ sit autem mensura fidei, ipsum Dominum audiamus : « Si habueritis, inquit, fidem sicut granum sinapis (*Luc.* XVII, 6), dicetis monti huic, tolle te, et mitte in mare, et fiet (*Matth.* XXI, 21). » Parva valde videtur esse fides, si ad grani sinapis redigitur quantitatem. Et quid est quod mulieri Chananææ dicitur : « O mulier magna est fides tua (*Matth.* XV, 28), » si tantillo grano fides comparatur? Aliquid ergo his verbis significatur plus quam littera sonare videtur. Tria sunt in grano sinapis, quam utique digna esse videntur, quæ notare debeamus. Cum enim granum sinapis, sicut Dominus ait, minimum sit in cunctis seminibus, crescit tamen et arborem facit, ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus (*Marc.* IV, 31). Fructum autem non dicam trigesimum, sexagesimum, sive centesimum; sed ultra millesimum plerumque reddere solet. Granum vero ipsum si non lædatur aut conteratur nullam videtur habere vim. Si vero contritum fuerit, illico ejus virtus et potentia quanta sit manifestatur. Qui igitur talem fidem habuerit, quæ ita semper crescat, ita bonorum operum fructum semper multiplicet, et in tempore persecutionis et contritionis suæ virtutis potentiam et fortitudinem manifestet : ille A procul dubio dignus est, qui et montes transferat, et malignos spiritus ejiciat, et cui omnia possibilia fiant. Nihil igitur est cui elegantius quam grano sinapis comparari potuisset. Sed videamus nunc etiam in sanctorum exemplis, quantum semper fides posuerit. Abraham cum esset senex, et uxor ejus secundum naturam parere non posset; tamen quia credidit, filium contra ipsam naturam suscipere meruit. Quod utique non potuisset, nisi fides adfuisset. Similiter et Moyses decem plagis admirandis, multumque stupendis flagellavit Ægyptum, mare aperuit, aquam de petra produxit, multaque alia soli Deo possibilia operatus est; quæ utique non fecisset, nisi fides adfuisset. Sic et Jesus Jordanis alveum siccavit; muros Jericho tabarum sono a fundamentis diruit; solem ipsum B stare coegit : quod utique non potuisset, nisi fides adfuisset. Quid dicam de Gedeone qui et ipse tabarum clangore et lampadarum splendore Madianitas stravit, fugavit, superavit? quod utique non potuisset, nisi fides adfuisset (1710). Sed parva sunt hæc, si ad ea respiciat, quæ per apostolos, et martyres, et confessores et virgines fides Christiana operata est. Lege Evangelia, lege Actus apostolorum, passiones et Vitas sanctorum, et tunc videbis quid fides possit. Sed quid mirum, cum ipse Dominus eis promiserit, dicens : « Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet (*Joan.* X, 12). » O miseri, et per omnia infelices, qui fidem catholicam et apostolicam non habent, auferetur ab eis. Fidem C namque teneamus, et Christum dicentem audiamus « Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me non morietur in æternum (*Joan.* XI, 25). » Quod eis

CAPUT II.

De spe.

Magnum Ecclesiæ Dei ornamentum spes est, quam qui non habet omni bonitate nudus est, omnique creatura infelicior. Hanc maligni spiritus non habent, et ideo summopere nituntur, ut quoscunque decipere possint, ad desperationem usque perducant. Cui autem malo suo hoc contigit, ille non ex parte, sed totus a diabolo possidetur. Hoc peccatum, quod non dimittitur hominibus, neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Matth.* XII, 32). Nullum enim peccatum est quod pœnitentia non dimittitur, et sine pœnitentia nullum peccatum dimittitur. Unde et Psalmista cum dixisset : « Miserere mei, Domine, secundum magnam misericordiam tuam (*Psal.* L, 1), » sciens hoc se sine pœnitentia consequi non posse, protinus addidit : « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco (*ibid.*, 4). » Ille enim cognoscit iniquitatem suam qui pœnitet et erubescit de peccato suo. Si igitur sine pœnitentia peccata non dimittuntur, manifestum est quod peccatum de desperatione nunquam dimittatur; siquidem omnem pœnitentiam excludit, et miserum ho-

(1710) Cod. S. Marci Flor. et cod. Vatic. *Tres quoque pueri in camino ignis illæsi deambulabant, cantabant et iubilabant, humnum dicebant et ignem non sentiebant; quod utique non potuissent, nisi fides adfuisset.*

Digitized by Google

ainem a sua iniquitate recedere non permittit. Satis ergo convenienter Dominus et Salvator noster, cum certissima argumentatione non in Beelzebub, sed in Spiritu sancto cuncta se facere et dicere probasset, nox addidit, dicens : « Omne peccatum, et blasphemia dimittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non dimittetur (*Matth.* XII, 31). » Quod tale uit ac si diceret : Miseri Pharisæi (illis enim loquebatur) progenies viperarum, arbores malæ, fructum malum afferentes, sic vos diabolus excæcavit : 989 et in malitia obduravit, ut neque Spiritui sancto aliquando credatis, neque a malitia recedatis, et hoc quidem peccatum nunquam dimittetur vobis. Sed quia hoc peccatum desperationis solummodo contra Spiritum sanctum fieri dicitur, cum sit manifestum, et in Patrem peccare, et in Filium quicunque peccat in Spiritum sanctum; unum enim sunt et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; ac per hoc quicunque unam personam offendit et omnes utique offendit. Difficilis est ista quæstio; sed Spiritus sanctus, de quo loquimur, ipse nos doceat qualiter intelligere debeamus. Illud quidem, jam ut arbitror, manifestum est quod præter peccatum desperationis, nullum aliud peccatum est, quod pœnitentia deleri non possit. Hoc autem ideo pœnitentia non deletur, quia pœnitentiam non admittit. Si enim pœnitentiam recepisset, hoc quoque sicut cætera per pœnitentiam deleri potuisset. Sciendum est autem, quoniam sicut ad solum Filium pertinuit carnem recipere, ut nos redimeret, ita ad solum Spiritum sanctum pertinuit in linguis igneis apparere, ut nos doceret et illuminaret. Unde non solum in igne, sed in linguis pariter, et igne apparuisse dicitur, ut in lingua doctrina, et in igne illuminatio intelligatur; quandoquidem et per linguam doctrina, et per ignem illuminatio fit. Quod autem Spiritus sanctus a Patre Filioque procedens docere mundum et illuminare venerit, ipse Dominus ad discipulos loquens ostendit : « Cum venerit, ille, inquit, ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (*Joan.* XVI, 13). » Hoc enim si voluisset, per se ipsum Dominus facere potuisset; sed sic placuit summæ et individuæ Trinitati, ut nos Filius rediméret et Spiritus sanctus nos doceret. Peccat ergo in Spiritum sanctum quicunque ejus doctrinam non recipit et talis tantoque magistro non obedit. Ejus autem consilia sunt quæcunque in lege, et Prophetis, et in Evangeliis scripta sunt. Quæcunque apostoli et doctores prædicant, cæterique omnes, qui toto corde et sincera intelligentia veritatem annuntiant, non hominis, sed Spiritus sancti consilia sunt. Unde et ipse Dominus inquit : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* X, 29). » « Hodie igitur si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Psal.* XCIV, 8). » Audite Apostolum, imo per Apostolum loquentem Spiritum sanctum : « Secundum, inquit, duritiam tuam, et cor impœnitens thezaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis judicii Dei (*Rom.* II, 5). » Cum ergo, ut modo ostensum est omne peccatum, omnisque inobedientia, specialiter maximeque contra Spiritum sanctum fieri videatur; siquidem ipse, qui magister est per omnes Ecclesiæ doctores, hoc quotidie fieri interdicit. Illi tamen soli in malo perseverantes et de Dei misericordia desperantes nunquam ad pœnitentiam convertuntur. Et hoc propter sceleris immensitatem, cui si cætera peccata comparantur, quodammodo nec peccata quidem esse videntur. Multum enim interest inter eos qui peccant et mox vel aliquando convertuntur, et eos qui sic peccant, ut nunquam convertantur. Multo melior est ille servus qui post fugam revertitur, illo qui post fugam nunquam revertitur. Ille quidem venia, hic autem omni supplicio dignus est. Quantam spem quantamque lætitiam pariunt hæc verba! ecce omne peccatum et omnis blasphemia dimittetur hominibus. Dominus hoc dicit : Noli dubitare, unum tantum peccatum est, quod non dimittitur (*Matth.* X). Quod est illud? In malitia perseverare, et propter hoc de Dei misericordia desperare. Neque enim bonum aliquod sperare potest, qui a peccato non recedit et pœnitentiam non quærit; præsertim cum Dominus dicat : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII, 3). » Peccasti, desine; declina a malo et fac bonum, et esto securus. Quid autem sit spes amodo videamus? est autem spes futurorum bonorum exspectatio. Et hanc quidem exspectationem illi habent, qui certissime se aliquando recipere sperant quæcunque a Deo promissa sunt eis. Huic autem exspectationi sola peccata impedimentum faciunt. Tolle peccata, et spes certissima est. Tolles autem, si ad pœnitentiam redis. « Peccator enim quacunque hora conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 12). » Ecce conversi sumus, sublatum est impedimentum, expedita est via, jam nunc securi cum Psalmista dicamus : « Fiat misericordia tua, Domine, super nos; quemadmodum speravimus in te (*Psal.* XXX, 22). »—« In te, Domine, speravi, non confundar in æternum (*Psal.* LXXI, 1). » — « Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac (*Psal.* VII, 2). »—« Conserva me, Domine, quoniam in te speravi (*Psal.* XV, 1). » Audiamus eumdem ipsum dicentem : « Spera in Domino, et fac bonitatem (*Psal.* XXXVI, 3). »—« Et sperate in eo, omnis congregatio populi (*Psal.* LXI, 9). »—« Melius est enim sperare in Domino, quam sperare in principibus. Maledictus homo, qui spem suam ponit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus (*Psal.* CXVII, 9). » — « Spe autem, ait Apostolus, salvi facti sumus. Spes enim, quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 25). » Ipse quoque Dominus et Salvator noster per Psalmistam ad Patrem loquitur, dicens : « In te speraverunt patres nostri, speraverunt, et liberasti eos :

Digitized by Google

ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, **490** et non sunt confusi (*Psal.* XXI, 5). » Speremus igitur et nos, ne confundamur. Imitemur patres nostros ut et nos salvemur et a periculis liberemur. Speravit in Domino Noe, et securus in diluvio fuit. Speravit in Domino Abraham et liberavit eum Dominus de Ur Chaldæorum. (1711) Ferunt Hebræi, Abraham, qui ignem adorare noluit, quem Chaldæi adorabant, in ignem ab eis fuisse præcipitatum et sine omni læsione a Domino liberatum. Ur enim ignis interpretatur. Speraverunt in Domino filii Israel, et liberavit eos de Ægyptiorum durissima servitute. Speravit in Domino David, et eripuit eum, ut ipse testatur, de manu inimicorum ejus et de manu Saulis. Speravit in Domino Ezechias, et liberatus est de manibus regis Assyriorum, et percussit angelus Domini una nocte centum octoginta quinque millia de castris Sennacherib. Quid dicam de Job atque Tobia? quid dicam de Judith? quid de Esther? quid de tribus pueris? quid de Daniele et Machabæis dicam? Qui omnes sperantes in Domino, a summis periculis divinitus liberati sunt. De apostolis vero et martyribus, de confessoribus et virginibus melius est tacere quam pauca dicere : qui totam spem suam in Domino habentes, potestatem suscipere meruerunt calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil eis nocere potuit. Quorum spes quanta fuerit si scire volueris, eorum vitas, et passiones lege, et videbis quam « mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel, ipse dedit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus (*Psal.* LXVII, 36). »

CAPUT III.

De charitate.

Quanta sit virtus charitatis, quantumque omnibus hominibus necessaria, beatus Paulus apostolus ostendit, dicens : « Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et habuero omnem fidem; ita ut montes transferam, charitatem tamen non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII, 1 et seq.). » Iis verbis beatus Apostolus apertissime ostendit quod quamcunque eloquentiam vel facundiam, quamcunque sapientiam vel scientiam, quamcunque fidei vel virtutum omnium plenitudinem habeat homo, si solam charitatem non habet, nihil est, nihil ei prodest et pro nihilo reputatur. Sed mirum valde est, si ad hanc tantam, quæ putatur, perfectionem, sine charitate pervenire aliquis valeat. Impossibile enim videtur esse, et si fortasse impossibile non sit, per fidem montes transferre (1712), omnia sua pauperibus erogare, corpus incendiis tradere, prophetiæ spiritum habere et occulta Dei mysteria sine charitate intelligere. De linguis vero hominum et angelorum quid dicemus? Fuit hæc gratia aliquando valde necessaria, præsertim in primitiva Ecclesia, quando omnibus gentibus verbum Dei prædicare missi sunt. Quomodo enim eos docere potuissent, si eorum linguam ignorassent? « Loquebantur igitur apostoli variis linguis magnalia Dei (*Act.* II, 11). » Unde et Apostolus dicit : « Gratias ago Deo meo, quia omnium hominum linguis loquor (*I Cor.* XIV, 18). » Modo autem vel pauci, vel nulli inveniuntur, qui linguarum omnium peritiam habeant. Sufficit unicuique lingua sua, quia sufficit unumquemque prædicare modo in patria sua. Quomodo autem angelorum linguis aliquis loquatur vel etiam quibus linguis angeli loquantur, dubitari potest. Legimus multos cum angelis esse locutos, nos eos loquentes non audivimus, quomodo loquantur ignoramus. Ipsi, qui cum eis locuti sunt, quam facunde, quam suaviter, quam jucunde, quam expedite et quam ornate loquantur, intelligunt. Neque ego dubito valde jucundius, suavius et expeditius eos locutos fuisse, quam humana lingua alicujus artis peritia loqui valeat. Unde et Moyses, cum angelum sibi loquentem audivisset, impeditioris et tardioris linguæ (*Exod.* IV, 10) se esse dixit, postquam linguæ ejus disertitudinem audivit. Non quod ejus lingua ex angelica locutione tardior vel impeditior facta fuisset, sed quia ad ejus facundiæ et suavitatis comparationem mutus ipse sibi, et sine lingua penitus videbatur. Possumus autem per homines philosophos cæterosque hujus mundi sapientes intelligere. Per angelos vero, patriarchas et prophetas, cæterosque omnes designare, qui verbum Dei nuntiantes angelico vocabulo digni sunt. Dicat ergo Apostolus, dicet unusquisque nostrum : « Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cym-

(1711) Hanc fabulam ex Hebræorum traditionibus depromptam alias refutavimus.

(1712) Dubitare videtur S. Bruno an possibile sit per fidem sine charitate montes transferre; at ex Evangelio Matth. cap. XVII, 19, et Lucæ cap. XVII, 6, id possibile absolute dicitur, et causa impossibilitatis refertur in incredulitatem, sive in parvam fidem discipulorum. Pagina autem sequenti, post medium, ait, ejicere dæmones, hoc est transferre montes. Forte interpretatus est allegorice, quia apud Matthæum sermo erat de ejiciendo dæmone, quod non potuere discipuli Christi; quibus ipse respondit, quod si haberent fidem, poterunt et montem transferre. At apud Lucam sermo absolutus est, nulli circumstantiæ alligatus; et absolute ait Christus apostolis, quod per fidem poterunt eradicare morum, et plantare in mare.

Idem videtur Bruno dubitare de prophetia, an quis sola fide, sine charitate possit habere spiritum prophetiæ; at pag. 491 circa med., ait, quod Balaam et Caiphas, multique alii sine charitate habuerint spiritum prophetiæ. Paulo post subjungit, quod ex Actis apost. constat quosdam non Christianos ejecisse per fidem dæmones. Ergo et per fidem sine charitate montes possunt transferre.

Digitized by Google

alum tinniens (*I Cor.* XIII, 1); » quoniam aliis qui- A
lem prodesse possum, mihi autem prodesse non
ossum. Æs enim sonans et cymbalum tinniens
liis quidem prodesse possunt, vocando, adu-
ando, 491 delectando, ad prælia invitando, sibi
utem cum sint insensibilia prodesse non possunt.
imiliter autem et Ecclesiæ doctores, qui cæteris
mnibus meliores esse debent, etiam si linguis om-
ibus loquantur, et non solum philosophos et ora-
ores, verum etiam ipsos angelos sermonis eloquen-
a et suavitate imitentur, tametsi solam charitatem
on habeant, aliis quidem prodesse possunt, sibi
rodesse non possunt. Quando igitur ea intentione
quuntur, ut Deus glorificetur et fratres ædificen-
ir, tunc eis prodesse; et charitatem adesse non
ubium est. Si vero de prædicatione sua humanam B
etributionem exspectant, audiant Dominum dicen-
em : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam
Matth. VI, 4). »—« Et si habuero prophetiam, et no-
erim mysteria omnia et omnem scientiam; et si
abuero omnem fidem, ita ut montes transferam,
aritatem autem non habuero, nihil sum (*I Cor.* XIII,
). » Nam et Balaam, et Sibylla, et Caiphas, multi-
e alii prophetiæ spiritum habuisse leguntur, qui
uoniam charitatem non habuerint, nihil eis profuit.
ulti quoque usque hodie magna scientia præditi
unt et bene sanctarum Scripturarum profunde
ysteria exponunt, qui quoniam charitatem non
abent, nihil eis prodest. Legitur autem in Actibus
postolorum de filiis Scevæ (*Act.* XIX, 14), quia, C
uamvis Christiani non essent, per finem tamen dæ-
ones ejiciebant, adjurantes eos in nomine illius
em Paulus prædicabat : qui etiam in judicio di-
uri sunt; « Domine, nonne in nomine tuo pro-
etavimus, et dæmonia ejecimus? » Quibus Dominus
cturus est : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* VII,
). » Quod utique non audissent, si charitatem ha-
issent. Qui autem dæmones ejiciunt, hi montes
ansferre intelliguntur. « Et si distribuero in cibos
uperum omnes facultates meas, et si tradidero
rpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non
beam, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII, 3). » Quod
tem dicit, nihil sum et nihil mihi prodest, sic est
ipiendum, quod hæc et similia sine charitate,
il ad beatitudinem accipiendam, quamvis multum D
osint ad mitiganda tormenta. Notandum est autem
od in facultatibus distribuendis et eleemosynis
iendis, magis sincerus affectus quam larga ma-
s a Domino quæritur. Audivimus autem de Dona-
is, quod frequenter se flammis, et præcipitiis,
que mortis generibus tradidissent, ut non Dei,
ut ipsi stulte putabant, sed potius diaboli martyres
ent. Sed, ut satis ostensum est, nullæ virtutes
laque bona prodesse possunt absente charitate.
ce cognovimus quantum bonum sit habere cha-
item; nunc autem audiamus de ipsa charitate,
alis sit. Dic igitur, beate Paule, qualis est charitas.
Charitas patiens est. » Et unde hoc probas? Quia

« non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa; non quærit quæ sua sunt. Non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati (*Ibid.*, 4, 5, 6). » Ecce probatum est et egregie probatum, quod patiens et benigna est, hoc solum sufficere poterat. « Patiens est, » quia nulli irascitur et nullis injuriis movetur, sed pro suis ipsis inimicis intercedit. Si enim irasceretur vel moveretur, patiens non esset. Et quia « benigna est, » quibuscunque potest benignitatem et misericordiam facit. Cum igitur per patientiam cunctis ignoscat et per benignitatem misereatur, quid est quod amplius facere possit? Quia enim benigna est : ideo « non æmulatur, » non invidet. « Non agit perperam, » quod est temere et injuste aliquid agere. « Non inflatur » in superbiam. « Non est ambitiosa, » quia mundi honores non appetit. « Non quærit quæ sua sunt, » sed quæ sunt omnium, ut salvi fiant. Sua postponit et aliena procurat. « Non irritatur, » alioquin patiens non esset. « Non cogitat malum, » quod est contra benignitatem. « Non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati, » quod utrumque ad benignitatem spectat. « Omnia credit, » quæ credenda sunt. Quæ sunt autem illa, quæ credenda, sustinenda et speranda sunt? Vis audire quæ? Omnia illa quæ utrumque testamentum credere, et sperare, et sustinere præcipit. « Charitas nunquam excidit (*Ibid.*, 8); » hoc est autem, in quo, duabus virtutibus superius dictis, id est fide et spe, charitas major est; unde et subditur. « Major autem (1713) his est charitas (*Ibid.* 13). » Major quidem, quia « nunquam excidit, » quia æterna est, quia semper est, et finem non habet. Aliæ autem post hanc vitam necessariæ non erunt, quia ad ea solummodo pertinent, quæ exspectantur et nondum apparent. Est enim spes exspectatio futurorum. « Fides vero substantia sperandarum rerum argumentum non apparentium (*Hebr.* XI, 1). » Ubi igitur istæ virtutes erunt, postquam nihil sperabimus et omnia apparebunt? Erit enim Deus omnia in omnibus, et ea quæ videbunt et habebunt, sufficient omnibus. Sed audiamus quid etiam in Canticis canticorum sponsus ad sponsam de charitate dicat : « Pone me, inquit, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum supra brachium P
tuum, quia fortis est, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades ejus, ut lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec 492 flumina obruent illam (*Cant.* VIII, 6 et seq.) » Præcipit Dominus, et Salvator noster, ut quasi signaculum semper eum super cor habeamus et nunquam eum obliviscamur, quod quidem ad magnam pertinet dilectionem; et hoc est, quid alibi ait : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo (*Matth.* XXII, 37). » Hoc igitur sit semper super cor nostrum; sit semper super brachium nostrum, ut non sit charitas otiosa, et amor, qui in corde est, in manibus ma-

1713) In Vulgata legitur *horum*.

Digitized by Google

nifestetur. Provocati nostibus occurramus et mortem non timeamus, quia « fortis est ut mors dilectio, » imo vero fortior. Fortior enim est qui superat quam qui superatur : « Dura sicut infernus æmulatio. » Quid enim per infernum, nisi pœnarum omnium genera intelligamus? Unde eos, qui in tormentis maximis videmus, in inferno esse dicere solemus. Quia igitur tormentis dilectio superari non potest, merito inferno et tormentis ejus constantia comparatur. « Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum. » Beatus Laurentius et illi famosissimi pueri sint nobis in exemplum, qui igne charitatis accensi incendii flammas non timuerunt. Sic eos lampas charitatis inflammaverat intus, ut ignem illius lampadis non sentirent foris. Unde et martyr Chrysti dicebat : « Disce, miser, quia non sentio tormenta tua. » — « Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem nec flumina obruent eam. » Aquæ multæ, populi multi, nec unus vel duo, sed tota civitas in martyrem insurgebat, et tantus erat ille ignis charitatis qui in corde martyris ardebat, ut tota illa inundatio furentis populi illam flammam exstinguere non valeret. Huic autem sermoni finem non pono, quia charitas finem non habet.

CAPUT IV.

De quatuor virtutibus cardinalibus.

Quatuor sunt virtutes, (1714) quibus totus regitur mundus, ita sibi conjunctæ, ut sine se esse non valeant. Qui unam habet, omnes habet : cui unaquælibet deest, nullam habet. Quarum prima prudentia, secunda justitia, tertia fortitudo, quarta vero temperantia vocatur. Est autem prudentia, quæ alio quoque nomine sapientia dicitur, divinarum humanarumque rerum cognitio. Dico autem non sapientiam hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum ; de qua et Apostolus ait : Quia « stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi (*I Cor.* I, 20) ; » sed eam sapientiam dico, quæ ad morum honestatem et ad salutem pertinet animarum. Non eam, quam philosophi docent et oratores, sed eam quam apostoli prædicant et doctores. Et isti quidem (1715) habent cognitionem divinarum rerum ; sicut ipse Dominus ait : « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum (*Joan.* XIV, 21). » Hæc est (1716) autem vera cognitio divinitatis, vel illum cognoscere, qui est vera sapientia et sine quo nulla est sapientia. « Omnis enim sapientia a Domino Deo est, et cum eo fuit semper, et est ante ævum (*Eccli.* I, 1). » Talis est sapientia inter alias virtutes, quale est aurum inter omnia metalla. Unde non immerito in divina pagina per aurum plerumque sapientia significatur. Respice tabernaculum testimonii ; respice templum Salomonis, et cum pene omnia ex auro purissimo composita videris, tunc tandem intellige maximum decorem maximamque sanctorum pulchritudinem esse sapientiam. Ubi ipsa non est, cæca, tenebrosa et obscura sunt omnia. Quis ergo regnum suum, provinciam suam, terram suam, familiam suam, vel etiam seipsum sine ea regere vel gubernare poterit? Intelligite sæculi potentes, et sapientiæ operam date. Justitia quoque quam necessaria sit, ipsæ leges imperatorum, et canones, et decreta sanctorum, quæ ad ipsius custodiam facta sunt satis ostendunt. Tolle justitiam, et perit mundus. Ubi justitia non est, iniquitas dominatur ; ibi fraudes, et rapinæ, furta, homicidia timor, et angustiæ, et securitas nulla. Timor iniquorum justitia est, securitas bonorum ipsa. Dic igitur quid est ipsa? « Justitia est constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi (1717). » Qui enim hanc voluntatem semper habet, ut suum jus unicuique tribuat, et ea quæ alterius juris sunt neminem usurpare permittat, justus ille utique est. Sed nullum jus habet diabolus in humana natura. Deus et non diabolus hominem fecit. Dei itaque juris est homo : ipse debet regnare in nobis, ipse debet possidere membra nostra. Sic enim Apostolus ait : « Non regnet peccatum (1718) in corpore vestro mortali, ut obediatis concupiscentiis ejus (*Rom.* VI, 12). » Latro est, prædator est, non est juris ejus quod possidet, pelle eum a te : redde Deo possessionem suam, et justus eris. Siquidem ille justus est, qui suum jus unicuique tribuit. Ideo hoc nomen omnium sanctorum commune est, et omnes sancti justi dicuntur, quoniam hæc in se ipsis justitiam operantur, et vitiis expulsis, **493** quod suum est, Domino reddunt. Alioquin quomodo justi dicerentur, ad quorum (1719) judicium nemo venit? Unde et Apostolus ait : « Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI, 31). » Maxime autem propter justitiam imperatores, et reges, et aliæ potestates ab initio constituti sunt ; qui et suum jus unicuique tribuant, et injurias fieri prohibeant, iniquos coerceant, bonos foveant et æque cuncta disponant. Quod si fecerint, beati erunt. De ipsis enim scriptum est : « Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore » (*Psalm.* CXV, 3). » Itemque : « Diligite justitiam qui judicatis terram (*Sap.* I, 1). » Sed quid de fortitudine dicam? sine qua et sapientia et justitia inutiles esse videntur. Est autem fortitudo non corporis, sed mentis constantia, qua injurias superamus, adversa omnia toleramus et prosperis non elevamur. Hanc fortitudinem non habet quicunque superbia, ira, avaritia, luxuria, ebrietate et his similibus superatur. Illi quoque fortes non sunt, qui in adversis positi contra salutem animæ liberari satagunt. Unde et Dominus ait : « Nolite timere eos qui occidunt corpus : animam autem non possunt occidere (*Matth.* X, 28). » Similiter etiam et illi qui in prosperis se extollunt et superflua luxuria resolvuntur, fortes dici nequeunt. Quomodo enim

(1714) Cod. S. Marci Flor. *Cælorum*.
(1715) Idem cod. S. Marci *soli*.
(1716) Cod. Vatic. 1254. *Hæc est ergo vera*, etc.
(1717) Idem cod. Vatic. *Unicuique tribuens*.
(1718) Idem cod. S. Marci Flor. et cod. Vat. cit. *Non regnet peccatum in vestra mortali carne*.
(1719) Cod. Vatic. cit. *ad quorum judicium*.

Digitized by Google

'ortes sunt, qu. cordis impetum celare et retinere non valent? Fortitudo non vincitur, et si vincitur, non est fortitudo. Hanc fortitudinem habuerunt sancti, qui nec vitiis, nec tormentis, nec blanditiis superari potuerunt. Restat nunc de temperantia dicere', quæ in suis actionibus modum non excedit; quoniam superflua nulla quærit (1720). Hæc sit igitur ejus definitio, et hæc quidem tam necessaria est, ut mundus ipse sine ea stare non possit. Cum enim homo ex contrariis elementis compositus sit, nisi esset aliqua natura, quæ res contrarias et inimicas temperaret, in tanta discordia et tam immensa colluctatione diutius manere non posset. Sed hæc disputatio philosophorum est neque uno sermone concludi potest. In omnibus itaque negotiis temperantia utilis est. Audi quid beatus Paulus de ipsa sapientia dicat et quomodo eam temperantia indigere ostendat. « Non plus, inquit, sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (*Rom.* XII, 3). » (1721) « Noli esse justus nultum, alias nimis. » Beatus quoque Benedictus, cujus auctoritas maxima est : utpote in quo Spiritus sanctus loquebatur, præcepit similiter; ne quid nimis de fortitudine vero sic habet. Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, elicit butyrum : et qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Et hic igitur temperantia necessaria est. Ubera vero vehementer premit qui, postquam lacte exhausta sunt, adhuc ea premere, et quod non habent, ab illis exigere non cessat. Quicunque igitur jejuniis, vigiliis, aliisque afflictionibus seipsum, vel alios plus quam sua, vel eorum natura ferre valeat, premere et affligere nititur, ille nimirum vehementer ubera premit, et unde sperat fructum vitæ, inde multoties fructum trahit peccati et mortis. Unde Apostolus ait : « Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Ibid.*, 1). » Illud enim obsequium rationabile est, quo non ipsa natura, sed vitia perimuntur. Ecce satis breviter dictum est de quatuor virtutibus principalibus, quales, et quam necessariæ omnibus sint maximeque potentibus, quibus mundi regimina creditа sunt. Videamus modo quomodo se sequantur, et quomodo sine se esse non valeant. Cui autem impossibile esse videtur, ut omnes habeat, det operam quantum potest, ut vel unam habeat, quam si habuerit, cæteræ procul dubio eam sequantur. Fac ergo, o princeps, quicunque es, ut justitiam habeas et teneas. Hæc enim tibi magis necessaria esse videtur, et mox per hanc unam et sapiens, et fortis et bene moderatus omnibus apparebis. Vide tamen, ut qui aliis justitiam facis tu ipsius ne obliviscaris, et qui in populo exerces justitiam, exerceas etiam in semetipso. Justus fuit Abraham ; sicut enim de eo A scriptum est : « Quia credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam (*Rom.* IV, 3). » Quæ enim justitia major, quam Creatori suo credere et obedire? Et quia hanc unam virtutem habuit, cæteras quoque virtutes eum habuisse haud dubium est. Fortis fuit Joseph, qui se provocantem ad libidinem superavit; in qua fortitudine, sapiens, justus et modestus apparet. Justi erant tres pueri, qui contra patrias leges idolum adorare noluerunt : in quo facto quam sapientes, quamque modesti fuerint, revelatum est. Sapiens erat Daniel cui sua secreta revelaverat Deus (1722); quam justus fuerit, duo presbyteri probaverunt; quam fortis, quem in lacu positum leones invadere non audebant. Quia enim jam vitia superaverat; ideo leones eum timebant. B Cujus vero temperantiæ fuerit, quibus vescebatur, legumina, ejusque longa jejunia **494** testantur. Sed vis audire de illis, quibus, quoniam unam ex his virtutibus defuit, alias quoque perdiderunt? Perdidit David fortitudinem, quem (1723) visa Bersabea carnis voluptas superavit : a quo cæteræ virtutes mox territæ fugerunt. Quis eum tunc insipientem, injustum, et sine temperantia fuisse dubitat, qui libidine superatus, tam gravia simul peccata commisit? Sed felix, qui pœnitentia ductus audire meruit : « Dimissum est tibi peccatum tuum (*II Reg.* XII, 13). » Salomon quoque amissa sapientia, qua præ cæteris pollebat, idolis immolavit : a quo statim omnis justitia, fortitudo et temperantia recessit. Sic igitur quære per singula : et cognosces, quod quatuor virtutes sine se esse non possunt. Si autem vis C videre eas sibi bene conjunctas et sociatas, respice apostolos et martyres, respice confessores Ecclesiæque doctores quos quidem sic illæ circumdederunt et complexæ sunt, ut occidi quidem possent, ab eis autem separari omnino et develli non possent. Hoc autem significabant (*Exod.* XXV), illi quatuor aurei circuli, qui in arca testamenti erant, per quos duo vectes inducti nunquam ab eis separabantur : erant autem illi vectes cooperti auro purissimo. Quoniam enim arca testamenti Ecclesiam sanctam significet, satis notum est. Quatuor vero circuli quatuor superius dictæ virtutes sunt, aureæ utique, omnique pulchritudine clariores, quibus qui ordinatus non fuerit, neque clarus, neque pulcher est. Duos D vero vectes Petrum et Paulum intelligo, cæterosque sanctos, sine quibus Ecclesia Dei nec levari, nec portari, nec regi potest. Et isti quidem aurei sunt, quia vitæ immaculatæ et sapientiæ luce refulgent. Nunquam vectes a circulis extrahuntur, quia vir sancti nunquam a prædictis virtutibus separantur. His igitur portatur arca ; quia istorum fide, doctrina et exemplis sancta Ecclesia regitur, et virtutum gradibus episcoporum et sacerdotum ministerio ad cœlestia sublevatur. Sed valde timendum semper est

(1720) Cod. S. Marci habet.: *Hæc sit igitur in omnibus negotiis;* sed cod. Vatic. legit ut in editione.

(1721) Idem cod. Vat. De justitia, Eccle. VII, vero scriptum est : *Non sis justus nimis.*

(1722) Ex cod. Vatic. suppletur editio, cujus sapientiæ ipsi prophetæ dant testimonium. Sed, quia hanc habuit, aliæ sibi non defuere virtutes, et quam justus, etc.

(1723) Ex cod. Vatic. emendatur editio.

Digitized by Google

episcopis et sacerdotibus, ne sine vectibus arcam Dei ferre conentur. Sine vectibus enim arcam Dei hæretici ferunt, qui suas nænias prædicantes apostolorum auctoritates fugiunt et a catholica fide et doctrina recedunt. Sint semper memores quid acciderit filiis Heli, Ophni videlicet, et Phinees, qui arcam Dei captivaverunt, et ipsi in prælio perierunt. Erant enim reprehensibiles valde et vita moribusque protervi. Unde non immerito Ophni discalceatus, Phinees vero os mutum interpretatur. Non enim est conveniens, ut Ecclesiam Dei regendam suscipiat ille, qui mutus est et qui nondum pedes calceatos habet in præparatione Evangelii pacis. Tales igitur Ecclesiam Dei captivant et malignis spiritibus in servitutem tradant; sed ipsi quoque in prælio moriuntur, qui cæteros a morte liberare debuerant. Quatuor illi colores, quibus vela et cortinæ tabernaculi intextæ erant, qui ubique simul et nunquam separatim ponebantur, quatuor istas virtutes significabant. Hiacynthus videlicet, et purpura coccus bis tinctus, et bissus retorta (1724) de quibus in Exodum sufficienter diximus : Nunc autem loquendi solummodo materiam ministramus. Illis tabernaculum, istis vero Ecclesia ornatur et decoratur, quia sine sapientia, sine justitia, sine fortitudine et temperantia nulla anima ornari vel decorari potest. Hæc sunt illa ornamenta de quibus dicitur : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietatibus (*Psal.* XLIV, 10). »

CAPUT V.

De humilitate.

Docet nos beatissima virgo Maria humilitatis mater, et filia, quanta sit virtus humilitas. « Magnificat, inquit, anima mea Dominum. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* I, 46). » Non dixit, quia respexit patientiam meam, pietatem meam, misericordiam meam, innocentiam meam, virginitatem meam, et cæteras virtutes, quibus Virgo beatissima abundabat, quibus quasi regalibus ornamentis induta erat : sed hoc solummodo dicere voluit : quia respexit humilitatem ancillæ suæ. « Ad quem enim respexit Deus, nisi ad humilem, et quietum, et (1725) trementem verbis ejus? » (*Isai.* LXVI, 2.) Multis ornamentis induta erat Virgo nostra; convenientius dicere potui, domina nostra, regina nostra; sed hoc unum præ cæteris rutilabat, quod Deum et Dominum respexisse dixit. Et hoc est fortassis quod in Canticis canticorum ad ipsum specialiter Dominus ait : « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno crine colli tui, et in uno oculorum tuorum (*Cant.* IV, 9). » Nusquam enim humilitas tam facile deprehendi potest quam in collo et in oculis. Hoc enim humilium proprium est, ut inclinato collo et oculis ad terram deflexis incedant. Sicut e contra superbi semper erecta cervice et superciliis elevatis gradiuntur. Unde et Moyses præcipit de turture et columba, quando immolatur, ut caput ad collum retorqueatur. Non **495** recipit Deus sacrificia superborum : « Excelsus est, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit (*Psal.* CXXXVII, 6). » Quid sunt alta, nisi erecta et superba? Et hæc quidem respicere dedignatur. Unus igitur crinis, qui non erectus stat, sed humilis jacet, ipsa humilitas est; qua collum Virginis decoratur. Unum vero oculorum dixit, quia non de pluribus, sed de una virtute loquebatur. Habet tamen duos oculos soror et sponsa Christi, quorum altero terram, altero vero respicit cœlum. Per hos autem humilitas et contemplatio designatur, et plus sæpe placet Deo oculus humilitatis, qui terram respicit, quam oculi contemplationis, qui ea quæ scire non licet aliquando perscrutantur. Unde et alibi ait : « Averte oculos a me, quia ipsi me avolare fecerunt (*Cant.* VIII, 22). » Si enim licitum esset omnia scire, non diceret Apostolus, « quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 4). » Quæ enim loqui non licet, neque scire licet. Egregie autem factum est, quod humilem matrem Dominus elegit; humilis filius humilem matrem habere debebat. Non enim de leæna, sed de ove nascitur agnus : nihil in animalibus ove, et agno humilius est. Percute, macta, jugula, occide, nec voce queruntur, nec comminantur, nec dente, vel pedibus se defendunt. Unde et eleganter de ipso Domino per prophetam dicitur : « Sicut agnus ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum (*Isa.* LVII, 7). » Diabolus per superbiam, quantum in ipso fuit, super omnes celos ascendit : Christus per humilitatem in terras descendit; « humiliavit enim se, ut ait Apostolus, factus obediens usque ad mortem (*Phil.* II, 8). » Hujus humilitate salvati sunt, qui illius superbia perierunt. Ille Altissimo similis fieri voluit : hic autem formam servi similitudinemque suscepit. Ita per superbiam displicuit Deo, per humilitatem Mariæ placuit Redemptori. Illa superbiens obedire noluit, nimisque audacter, et imprudenter ad lignum vetitum accessit. Hæc autem verecunda et humilis obedientiam profitetur, dicens : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I, 38). » Ad hanc igitur tantam humilitatem respexit Deus, et ideo hæc una ex omnibus mulieribus, quæcunque sunt, vel fuerunt, vel futuræ sunt, a Domino electa est, quæ et Dei mater fieret et cœli terræque regina vocaretur. Dicat igitur Virgo beatissima : « Magnificat anima mea Dominum; quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*ibid.* 47). » Dicat enim quid gloriæ, quid honoris, quid beatitudinis inde consecuta sit, quod sic eam Dominus respicere voluit : « Ecce enim : ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. » Vide ergo quanta sit virtus humilitatis, quæ Deum in terram descendere et hominem in cœlum ascendere facit. Hæc est, quæ deponit potentes de sede et exaltat humiles. « Omnis enim

(1724) Testimonium reddit se Exodum exposuisse.

(1725) Cod. Vallicel. et cod. vat. 994. *trementem sermones ejus.*

Digitized by Google

qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XIV, 11). » Quam bene inter se conveniunt hæc duo matris et filii testimonia; dum ea quæ mater dixerat, filius affirmat. Narrat Salvator noster, quod duo homines ascenderunt in templum ut orarent; unus Pharisæus, alter Publicanus, unus superbus, et alter humilis (*ibid.*, XVIII, 13). Alter omnes respiciebat, alter nec oculos ad cœlos levare audebat. Inclinatus igitur stabat, quod, sicut superius diximus, magnæ humilitatis indicium est. Et superbus quidem nihil profecit: humilis autem justificatus domum suam rediit. Qui non intelligit, quantum bonum humilitas est; hoc intelligere satagat, quantum malum superbia sit. Facile enim unaquæque res per suum contrarium intelligi potest. Humilitas autem et superbia contraria sunt, et de superbia quidem dicit Psalmista: « Non mihi veniat pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare (*Psal.* XXXV, 12). » Malus pes, mala manus. In illo cadunt omnes, ac expulsi cadunt omnes. Bonos pedes habebant primi parentes nostri, antequam per superbiam peccassent. Peccaverunt, ceciderunt, et pedibus illis infirmis et podagricis stare non potuerunt. Quot sunt vitia, tot sunt et superbiæ pedes, quæ et peccatoris manus nihilominus dici possunt. Iste peccator diabolus est, cujus invidia manus multas movet, multos impellit, multos ab honestate et justitia divellit, et in mortis præcipitium ire compellit. Singulariter pedem et manum posuit, quia usitatissimum est Scripturarum pro plurali numero singularem ponere. Secundum illud « misit in eos cœnomyiam (*Psal.* LXXVII, 45), » (1726) id est muscam caninam, « et comedit eos, et ranam, et disperdidit eos. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem: » ibi avarus, ibi raptor, ibi luxuriosus, ibi sacrilegus, ibi homicida, ibi perjurus, ibi adulter et fornicator ceciderunt. Expulsi sunt enim et diabolica manu commoti, quia jam pedibus infirmi erant, stare non potuerunt. Non enim inconveniens, si quis etiam sic intelligere voluerit: « non veniat mihi pes superbiæ, » id est, non sit superbia mihi pes; non ipsa me ferat, quia in ipsa ceciderunt omnes maligni spiritus qui ubique operantur iniquitatem. Expulsi sunt de supernis sedibus, nec potuerunt stare. Si quis autem hoc diligenter consideret, quare non cedrum vel abietem, quæ altissimæ sunt, se Dominus 496 vocare voluerit, sed potius vitem quæ inter alias arbores humillima est, et alieno egens auxilio, etiam in hoc cognoscere poterit, quantum semper Dominus humilitatem dilexerit. « Ego, inquit, sum vitis, et vos palmites (*Joan.* XV, 5), » discipulis loquebatur, quos ad humilitatis gloriam invitabat. Et tale erat ac si diceret: De parva arbore parvi rami; de gracili arbore graciles rami procedunt, tales tamen, quæ spatiosæ circa se terram valeant occupare. Hæc est enim illa vitis, de qua scriptum est: « Extendit palmites suos usque ad mare, usque ad flumen propagines ejus (*Psal.* LXXIX, 12). » Si quidem « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 5). » Nulla arbor est, quæ suo fructu tantum utilitatis hominibus conferat, quantum vitis, et si parva et humilis sit. Granum quoque non arboribus, sed in humili nascitur herba. De quo similiter Dominus ait: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (*Joan.* XII, 24); » se nimirum granum frumenti esse significans. Nihil his duabus speciebus hominum vitæ in terra utilius, per quas, quia valde humiles sunt, seipsum Salvator noster significari voluit. Et notandum quæ pene illæ arbores, quæ humiles sunt, fecundiores magisque fructiferæ esse probantur. Ecce dum ista pertracto, subito in mentem venit illa arbor nobilissima quam ipsa sacra Scriptura pulcherrimam vocat, quam quidem, quoniam et ipsa valde humilis est, silentio præterire non debeo. (1727) Lege Leviticum, et invenies ubi Dominus per Moysen loquitur filiis Israel de festivitate tabernaculorum. Septem diebus hæc festivitas agebatur; præcepitque Dominus filiis Israel, ut sumerent fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætarentur coram Domino. (1728) Omnibus igitur diebus hanc festivitatem agere debemus, qui eam septem diebus agere jubemur. Quid est autem festa celebrare, nisi ab iniquitate cessare et in bono opere perseverare? Illi vero in tabernaculis perseverant, qui in hoc mundo manere nolentes ad aliam patriam festinant, dicentes cum Apostolo: « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII, 14). » Hanc enim festivitatem nostram digne agere non valemus, nisi pulcherrimæ arboris fructum habeamus. Pulcherrimam vero arborem, citri arborem Hebræi intelligunt, quæ utique et odore, et sapore, et fronde, et flore, et ipsius fructus magnitudine et pulchritudine tam nobilis est ut difficile inveniatur quæ ei digne comparari possit. Per hanc igitur pulcherrimam, humilemque arborem beatam virginem Mariam intelligimus, de qua scriptum est: « Et terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* XLIX, 9); » itemque: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI, 11). » Qui arborem intelligit, de fructu non ambigit. Fructus enim Christus est, cujus omnis festivitas celebrari potest. Hunc igitur fructum suscipiamus in festivitatibus nostris: hoc reficiamur, hoc satiemur, hujus carne et sanguine impinguemur et inebriemur. Arboris quoque hujus pulcherrimæ nunquam obliviscamur, ad ipsam semper respiciamus, fructum vitæ et salutis ab ea quæramus. O vere lignum pulcherrimum,

(1726) Ex cod. Vatic. Idem alibi dicit S. Bruno.
(1727) Cod. Vat. lege in Levitico. Levit. c. XXIII.
(1728) Confer quæ Bruno in hunc Levitici locum dixit.

Digitized by Google

quod talem meruit portare fructum! Nos eam arborem vocamus, sed Scriptura lignum appellat. Quia enim Virgo peperit, non arbor, sed lignum dicitur. Hanc enim significavit illa virga Aaron quæ, cum sicca esset, et flores, et frondes, et nuces amigdalinas protulit. Per spatulas vero palmarum, quæ in hac festivitate requiruntur, instrumenta victoriæ designantur. Spatula enim diminutivum est a spata, palma vero victoriam significat. Victoriæ vero instrumenta, virtutes et bona opera sunt, quibus vitia et maligni spiritus superantur. Sunt igitur hæ spatulæ valde necessariæ in festivitatibus, quia tunc maxime inimicorum insidiis infestantur. Rami autem arboris densarum frondium, sanctorum volumina, sermones, verba et exempla intelliguntur. Talis arbor beatus Paulus, cujus frondes densissimæ, cujus verba copiosissima sunt; cujus folia non cadent, cujus omnia verba adimpleri oportet. Et ipse quidem tam necessarius vobis in festivitatibus nostris, ut sine ipso vix unum sermonem facere valeamus. Si vis scire de ipso quam humilis arbor etiam sit, audi ipsum dicentem : « Ego enim minimus apostolorum sum, qui non sum dignus vocari apostolus (*I Cor.* xv, 9). » Arborem autem densarum frondium, quantum ad litteram myrtum nonnulli intelligere volunt, quæ quidem arbor satis parva et humilis est. Et propter hanc fortasse humilitatem, non spatas, sed spatulas palmarum dixit, quia, quamvis palma procera arbor sit, spatula autem diminutivum est, in quo apertissime humilitas declaratur. Restant salices de torrente, per quas memoria figuratur, quia in memoria quæcunque in festivitatibus fiunt et dicuntur, quasi in uno fasciculo vinciuntur, ut a corde non dilabantur et semper in memoria habeantur. Salix enim tenacissima arbor est, et præter hoc, nihil in ea esse videtur, unde etiam, si velit, superbire valeat; bene autem de **497** torrente salices assumuntur, quia illa memoria maxime nostris in necessitatibus necessaria est, quæ de sanctarum Scripturarum fluminibus habetur. Non enim nostra, sed sanctorum verba narrare debemus, et non ea quæ trahamus de corde nostro, sed quæ hauriamus de fontibus Israel. Videmus quod parvæ arbores placent Deo, videmus quod omnis superbiæ altitudo displicet Deo (*I Petr.* v, 6). Humiliemur ergo sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore tribulationis, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.

CAPUT VI.

De misericordia.

Misericordias Domini in æternum cantabo (*Psal.* lxxxviii, 1). » Quid rex, et propheta David de misericordia senserit, satis his verbis declaratur; dum se misericordiæ laudes in æternum cantaturum promittit. De qua et alibi ait : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* c, 1). » Sic misericors est Dominus, ut justitiam non derelinquat (1729), sic justus est, ut misericordiæ non obliviscatur. Facit misericordiam, sed pœnitentibus et misericordiam facientibus. Fac igitur misericordiam, si vis ut tui misereatur; dimitte et dimittetur tibi : da, et dabitur tibi, ipse hoc dicit : « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra; et si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* vi, 14). » « Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est : qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Luc.* vi, 36). » Ad misericordiam nos provocat Salvator noster, viam salutis ostendit : docet nos per quam viam ad patriam redeamus : non est alia via per quam redire possimus. Sed vide quam facilis via : dimitte, et dimittetur tibi. Non vis dimittere centum denarios ut mille talenta dimittantur tibi? Scito quod tortores te exspectant, qui te in carcerem trudant; neque inde exire permittent, donec universum debitum solvas. Heu! quot ibi modo sunt, qui, quoniam in hoc sæculo dimittere noluerunt, modo dolent, modo seipsos accusant, modo pœnitet, sed talis pœnitentia sera, inutilis et infructuosa est. Si modo diceretur eis : « Dimittite, et dimittetur vobis (*Luc.* vi, 37); » cum quanto gaudio nunc dimitterent; suisque debitoribus parcerent? Et isti quidem non poterunt cantare misericordias Domini in æternum; quoniam tantum in hoc sæculo misericordia ejus; in inferno autem nulla est redemptio. Boni vero misericordias Domini in æternum cantabunt, quoniam sine fine gratias agent Deo : ipsum laudabunt, qui non ex meritis eorum, sed ex sua misericordia tantam beatitudinem eis præparavit. « Misericors et miserator Dominus, patiens et multum misericors (*Psal.* cxxxv, 15), » cum pro nobis in cruce patereturn, nimia misericordia superabundans pro suis etiam crucifixoribus orabat, dicens : « Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* xxiii, 34). » Unde et bene subditur : « Suavis Dominus universis (*Psal.* cxlv, 9); » universis quidem, quia ipsis quoque inimicis. « Et miserationes ejus super omnia opera ejus (*Ibid.*). » Cœlum, terram, mare, angelos et homines fecit Deus; sed miserationes ejus super omnia opera ejus. Quas miserationes propheta considerans, expavit, dicens : « Domine, audivi auditum tuum, et timui, consideravi opera tua, et expavi. In medio duorum animalium cognosceris (*Habac.* iii, 1). » Et revera hæc ejus opera, istæ ipsius operationes, super omnia illius opera sunt, multumque pavenda, quod Rex regum, et Dominus dominantium, qui ex nihilo omnia fecit, pro servis nequissimis inter iniquos deputatus est, et morte turpissima condemnatus est, pulchre autem Græci oleon misericordiam vocant, quia sicut in liquoribus oleum superius est, ita in cunctis Dei operibus misericordia superior est, sicut et modo superius dixit, quia

(1729) Cod. Vat. *relinquat.*

Digitized by Google

iserationes ejus super omnia opera ejus. Quem-
nque enim liquorem oleo super fuderis, oleum
mper desuper natat. Oleum igitur misericordiam
gnificat. Ideo enim toties uncti sumus, ut nun-
iam misericordiæ obliviscamur. In vertice, in
onte et in pectore omnes communiter uncti sumus.
eges autem et sacerdotes alias præter istas susci-
unt unctiones, quoniam judices in populo Dei
onstituti, plures et majores misericordias, quam
æteri facere debent. In vertice si quidem uncti su-
us, ut inde omni superbia excussa, ibi misericordia
edem habeat, cui omnes sensus nostri semper obe-
iunt. Quinque enim corporis sensus in capite sunt,
ui omnes misericordiæ servire debent. Serviunt
utem, si et oculi super egenum et pauperem inten-
unt, et aures clamorem pauperum audiunt, et lin-
ua sermones suos in judicio disponit. « Jucundus
nim homo, qui miseretur, et commodat, disponit
ermones suos in judicio, quia in æternum non
ommovebitur (*Psal.* cxi, 5). » Quæ autem in fronte
nctio est, totam hominis faciem et exhilarare, et
l misericordiam præparare debet, ut bona volun-
s, quæ in corde est, in ipsa facie cognoscatur.
Hilarem enim datorem diligit Deus (*II Cor.* ix,
. » In pectore vero uncti sumus, 498 ut miseri-
rdiæ bonum nunquam a corde nostro et a me-
oria recedat. Manus autem, quæ unctæ sunt,
uperibus non clauduntur, rapere et ferire ne-
iunt, laborant semper quod bonum est, ut habeant
ide tribuant necessitatem patientibus. Qui ergo
ost tantas unctiones se ad misericordiam non ex-
ndit, sed durus adhuc, contractus, infirmus et
ıralyticus jacet, quia a misericordia longe est,
iam indulgentiam sperare potest? Qui igitur
iter non potest, vel affectu, vel desiderio
extendat. Ipsi quoque parietes, et montes,
ligna ad misericordiam nos invitant. Ideo
nim altaria, lapides et parietes unguntur, ut ho-
ines, qui per eos significantur, suas unctiones in
is intelligant, et intelligendo custodiant. Frequen-
r Salvator noster in montem Olivarum ascendere
orare solebat; inde etiam cœlos ascendit, ibi
scipulos reliquit, quos tamen nunquam derelí-
it. Sic igitur non solum verbis et exemplis, verum
iam ipso actu ad misericordiam provocabat. Mons
ivarum mons pacis et misericordiæ est. Valde sibi
ınjunctæ pax, et misericordia; unde non immerito
raque per olivam significatur. Quot sunt virtutes,
t sunt montes, in quos ascendere, et in quibus
are possumus. In monte humilitatis stant humiles,
orant: in monte patientiæ stant et patientes, et
ant: in monte obedientiæ stant obedientes, et
ant. Sic igitur in monte misericordiæ stantes pa-
ifici et misericordes, et orant; in hoc igitur monte
aneamus. Hic discipulos Dominus reliquit: hinc
st via, qua itur in cœlum. Nec enim sine causa
e lignis olivarum Cherubim fuisse referuntur, qui

(1730) In cod. Vat. additur: *De pace in Nativi-
ate Domini.*

A alis extensis in templo stantes populum docebant.
Vis volare? suscipe alas misericordiæ; istæ te ferent
ad Patrem misericordiæ, et ad Deum totius conso-
lationis. Ad judicium veniens Dominus, sicut verbi
sancti Evangelii docere videmur, de sola misericordia
sermonem facit: alios de misericordia laudans,
alios quia misericordiam non habuerunt reprehen-
dens et damnans. « Esurivi, inquit, et dedistis
mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere;
hospes fui, et collegistis me; nudus, et coo-
peruistis me; infirmus, et visitastis me. Venite
ergo, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod
vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* xxv, 36). »
Illis autem interrogantibus, quando sic eum viderint,
vel sic et ministraverint, ait: « Quod uni ex minimis
B meis fecistis, mihi fecistis (*Ibid.*). » Cæteris vero,
qui hoc facere noluerunt, sola est damnationis sen-
tentia. Ecce quomodo sunt miserationes ejus super
omnia opera ejus. Quidquid compassione, quidquid
largitate, quidquid liberalitate, quidquid pietate feci-
mus, si tamen pro Dei fecimus, totum spectat ad
misericordiam. Omnes Scripturæ divinæ, omnes
apostolorum et prophetarum libri misericordiæ
laudibus pleni sunt, præcipue tamen liber Psalmo-
rum, qui tantum misericordiæ laudibus superabun-
dat, ac si alia materia non esset, de qua loqui po-
tuisset. Confiteantur igitur Domino misericordiæ
ejus, et mirabilia ejus filii hominum. Confitemini
Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum mi-
C sericordia ejus. Dicat nunc Aaron, quoniam bonus,
quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicant nunc
omnes, qui timent Dominum, quoniam bonus, quo-
niam in sæculum misericordia ejus. Sed « quis sa-
piens, et custodit hæc, et intelliget misericordias
Domini? » (*Psal.* cvi, 1, et seq.) qui vivit et re-
gnat in sæcula sæculorum. Amen

CAPUT VII.

De pace (1730).

« Gloria in excelsis Deo, et in terra pax homini-
bus bonæ voluntatis (*Luc.* ii, 13). » Hæc vox non
est hominis, hæc vox angelorum est; hoc angelo-
rum cecinit multitudo, quando Christus natus est,
ut Evangelii verba testantur. Et revera tunc cœlis
gloria, et terræ pax reddita est, quando princeps
D pacis Salvator noster de Virgine natus est, quando
populus, qui sedebat in tenebris, vero lumine illu-
minatus est. Et relicta idolorum cultura, Creatorem
laudare, magnificare et glorificare cœpit, illi soli
eam gloriam exibendo, quam dæmoniis prius exi-
bere solebat. Et tunc quidem homines pacem ha-
bere cœperunt. Deum enim et proximum diligentes,
iram, et odium, et discordiam a se repellentes, in
unius fidei concordiam convenientes, sibi invicem
consentientes, vanam philosophorum et hæretico-
rum doctrinam fugientes: ad ipsum cum apostolo
omnes dicentes, et nemini injuriam facientes (1731).
Talis pax in Ecclesia Dei est: talis pax est homini-

(1731) Cod. Vat. 994: *Illa est enim nostra pax,
illa stabilis, et firma, et perpetua securitas.*

Digitized by Google

bus bonæ voluntatis. Bestiæ pacem habere non possunt, quæ sanguine gaudent et credulitate nutriuntur. Non datur hæc pax hominibus malæ voluntatis, quia « non est pax impiis (*Isai.* LXVIII, 22), » dicit Dominus. Illa pax sanctorum est; ista concordia illorum est, de quibus dicitur : « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV, 32). » — « Ecce quam bonum, et **499** quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII, 1). » Hanc pacem habuit Jerusalem, quæ *visio pacis* interpretatur. Illa videlicet Jerusalem, in qua ille Rex pacificus habitat ; « cujus vultum desiderat universa terra (*III Reg.* X, 24). » « Et factus est in pace locus ejus, habitatio ejus in Sion : ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium et bellum (*Psal.* LXXV, 4). » Nonne audis quod omnia instrumenta discordiæ, omnia instrumenta litis et contentionis confracta sunt in Sion; sola pax et concordia regnat in Jerusalem (1732). Qui pacem non diligit, pacis principem a se repellit. Non habitat Christus, nisi in Jerusalem, nisi in loco pacis et quietis ; neque conveniens fuit, ut alibi, quam in loco pacis Rex pacificus habitaret. De quo videlicet pacifico rege in Canticis canticorum scriptum est : « Vinea fuit pacifico, in ea, quæ habet populos, tradidit eam custodibus; vir affert pro fructu ejus mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus (*Cant.* VIII, 11, 12). » Breviter autem sensus et ordo verborum talis est. « Vinea fuit pacifico, » in ea gente, quæ habet multos populos. Quis iste pacificus sit, palam est, et « tradidit eam custodibus, » apostolis videlicet et doctoribus (1733). « Vinea mea coram me est, » dicit igitur ille, qui loquitur Ecclesiæ, cui loquitur. Illi mille argentei tui pacifici, et ducenti alii dantur custodibus qui custodiunt fructus ejus. Ego sic judico, sic mihi bonum videtur esse. Nunc autem singula disseramus. Dixerat Ecclesia : « Ego murus, et ubera mea sicut turris ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens (*Ibid.*, 10). » Deinde sequitur : « Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos. » Prius, inquit Ecclesia, quam pacem habuissem, priusquam pacificum regem cognovissem, infirma ac debilis eram, neque me ab hostibus defendere valebam : nunc autem fortis sum, et quasi murus inexpugnabilis facta sum, et ubera mea (1734), doctrinæ meæ, quorum lacte nutrio filios meos, contra omnem hujus mundi sapientiam, contra philosophorum et hæreticorum argumentationes quasi turres validissimæ facta sunt. Ad hæc satis convenienter aliquis respondere potest : Fortis quidem ea, sed omnis hæc tua fortitudo in custodibus est. De quibus subditur : « Vinea fuit pacifico, in ea, quæ habet populos, tradidit eam custodibus. » Iste pacificus Salvator noster est, qui mundum Deo Patri reconciliavit : « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » Cujus vinea Ecclesia est, intra cujus terminos Hebræi, Græci, et Latini, et Barbari, omnes gentes, populi et nationes continentur. Hanc autem custodibus tradidit, apostolis videlicet et doctoribus, qui eam custodirent, colerent, nutrirent, superflua resecarent, et alias vites pro aliis pastinarent. Quibus etiam custodibus vir affert pro fructu ejus mille argenteos, quibus omnia quæcunque in expensis debitisque solvendis necessaria sunt, persolvere valeant. Millenarius namque numerus perfectus est, quoniam ex solis denariis constat. Decies namque centum, vel centies decem mille fiunt. Quibus igitur mille argentei dati sunt, illi nimirum omnem utriusque Testamenti scientiam, omnemque gratiarum plenitudinem suscipere meruerunt (1735). Vir autem Christus est, de quo alibi scriptum est : « Beatus vir, qui non abiit in concilio *impiorum* (*Psal.* I, 1). » Et ipse quidem ne vineæ suæ fructum amittat omnem, hanc gratiarum plenitudinem ejus custodibus largitus est. Tota laus istius vineæ in solo fructu est, ideoque laudatur, ideo amatur, ideo custodibus traditur et commendatur, quia multum et bonum fructum reddit. Sicut (1736) econtrario illa alia vinea, inde et damnata, et repudiata est, quia in amaritudinem conversa, pro uvis labruscas, pro vino dedit acetum (*Isa.* V, 4). Bonus fructus, virtutes, et bona opera sunt, cum quibus et angeli, et homines creati sunt. Quod autem ait : « Vinea mea coram me est, » tale est ac si diceret : Custodibus quidem eam tradidi; non tamen ab ejus custodia destiti, semper coram me est, eam per me ipsum custodire non cesso : « Nisi enim Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam (*Psal.* CXXVI, 1). » Nunc autem videamus quid Salomon, sive potius Spiritus sanctus, per Salomonem de custodibus ad Ecclesiam dicat : « Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus. » Ac si dicat : Mille argentei viri tui, reges tui, et pacifici tui, de quibus supra dictum est, et super illos mille alii ducenti dentur his custodibus, qui custodiunt fructus ejus. Digni enim sunt qui et illos et istos suscipere debeant : per mille argenteos, gratiarum omnium, **500** et totius scientiæ plenitudinem.

(1732) Editio Ascens. addit. « Ideo enim tanta pax, tantæ divitiæ, tanta sapientia, et eloquentia illi Salomoni data est, qui pauco tempore habitavit in Sion, et Jerusalem : quia istum nostrum Salomonem vere pacificum, vere sapientem, et eloquentem, et divitiarum omnium affluentem significabat, de quo modo diximus : *Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion.* Qui suis discipulis promisit, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Sic igitur non temporaliter, sed in æternum facta est in Sion habitatio ejus, et locus ejus in Jerusalem. Qui pacem non diligitur, » etc.

(1733) Uterque cod. Vat : *Vir affert pro fructu ejus mille argenteos, dicens de vinea sua.*

(1734) Uterque cod. Vat. *doctrina mea.*

(1735) Brevior est in comment. super Canticum cantic. ejusdem Brunonis expositio, sed eumdem spiritum et doctrinam refert.

(1736) Cod. Vat. 1254, *e contra.*

Digitized by Google

tudinem significari diximus. Hæc autem multos habuisse legimus, qui ad æternæ beatitudinis gloriam non pervenerunt. Sicut illi, qui in judicio dicturi sunt : « Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? » (*Matth.* VII, 22.) Quibus a Domino dicetur : « Amen dico vobis, nescio vos. » Non enim sufficiunt mille argentei ad beatitudinem suscipiendam, quamvis sufficere videantur ad Ecclesiam regendam. Dentur igitur sanctis et alii ducenti, per quos omnium animarum et corporum perfectionem et sufficientiam intelligimus, ut duplicia in terra possidentibus nihil ad beatitudinem deesse possit. Centenarius namque perfectus est numerus; quoniam ex solis denariis constat, in quibus omnes numeri continentur, cujus quidem duplicatio ad utriusque hominis perfectionem pertinere videtur. Si autem velimus dicere, quod, qualis, et quanta sit pax, obviat nobis Apostolus, dicens : « Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras (*Philip.* IV, 7). » Quis enim dicere valeat, quid, vel quale, vel quantum sit illud, quod omnem sensum exsuperat, et omnem intelligentiam transcendit? Et revera cum hæc pax, quæ in primo homine perierat, ut in secundo homine Jesu Christo redderetur hominibus, tantum pretium solutum sit, ut arcanum voluntatis Dei, neque dici, neque cogitari possit. Si ergo fieri potest, et quod in nobis est cum omnibus hominibus pacem habeamus. Nam et si alter pacem fugiat; tu tamen si eam offeras, et habere cupias, quantum in te est, tu pacis beneficio non privaris. Unde Psalmista ait : « Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus (*Psal.* CXIX, 6). » « Beati autem pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* V, 9). » Merito autem cum adhuc in diluvio arca fluctuaret, nihilque aliud ubique, quam aquæ apparerent, cum ramo olivæ columba rediit, per quem pax reddita, et tranquillitas significabatur. In illa arca erat totum genus, omnes gentes, omnes populi, et nationes ibi erant : quibus tunc in illa columba Spiritus sanctus quodammodo loquebatur, et dicere videbatur : Pacem habete, pacem tenete, pacem diligite, sine qua nemo Deum videbit, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Pauci quidem estis, sed res parvæ concordia crescunt, magnæ discordia dilabuntur. Omnia animalia ibi erant collecta, et pauca ex omnibus electa, quæ pacem haberent et tenerent, et sibi invicem non nocerent. Puto autem hanc pacem, etiam postea quam de arca egressa sunt, aliquanto tempore inter eos fuisse. Leones enim et grifli, tigrides et pardi, lupi et ursi, et aliæ bestiæ, quæ de rapina vivere solent, oves et capras, boves et asinos, et alia mitia animalia penitus consumpsissent; præsertim cum non tam cito a se dividi et recedere potuissent. Quod quidem etiam de avibus intelligi potest. Sed hanc pacem eorum filii postea violarunt, parentum fidera ignorantes. Si igitur sancta pax inter bestias fuit in arca, quanta inter Christianos pax et concordia esse debet in Ecclesia? Audiamus igitur Dominum dicentem, et hoc, quod dicit memoriæ commendamus : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis (*Joan.* XIV, 27); » pax mundi temporalis est et cito transit, pax Christi est æterna, et nunqua finitur.

CAPUT VIII.

De patientia.

Dominus et Salvator noster ad patientiæ constantiam et fortitudinem apostolos invitans, eis in Evangelio loquitur, dicens : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 10). » Non sunt igitur beati omnes, qui persecutionem patiuntur (1737) : multas enim persecutiones et faciunt et patiuntur mundi hujus amatores, perjuri, adulteri et raptores; tamen non beati, sed miseri sunt, quia non propter justitiam, sed propter suas concupiscentias et voluptates, propter mundi honores et dignitates, et propter multas quas faciunt iniquitates talia multoties patiuntur. Quis enim eorum miserias et cruciatus, et exquisita omnium tormentorum genera valeat enumerare, quibus se vicissim isti filii iniquitatis excruciant et affligunt, ut alter alterius bona possideat. Hic obscuræ carceris tenebræ, fames et sitis, frigus et calor, membrorum abscissio, oculorum avulsio, fetor intolerabilis, et cætera, quæ filii diaboli ejus martyribus, ipso cogente, instigante, inferre possunt. Nam et Satanas suos martyres habet, qui quanto majora tormenta in illius servitio hoc in sæculo patiuntur, tanto fortiora in altero sæculo eos exspectant. Hæc est enim propria et singularis consuetudo, ut qui plus ei serviunt, et majora et graviora tormenta ab eo patiantur. Hujus martyres fuerunt Judas Iscariotes, et Nero impiissimus, qui seipsos digno suspendio et interemptu suffocaverunt et occiderunt. Hujus **501** et isti martyres sunt, qui usque hodie contra se non pro justitia pugnant, sed pro sua avaritia et iniquitate se vicissim impugnant, et iniquo odio persequentes, se quasi bestiæ crudeliter interficiunt. Non ergo beati, sed miseri sunt, qui tales et taliter persecutiones patiuntur, quoniam nunquam introibunt in regnum cœlorum. Soli itaque sunt beati de persecutionibus suis, qui propter justitiam eas patiuntur. Et unde hoc probatur, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Unde et Apostolus ait : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). » Beati igitur apostoli et martyres, beati confessores et virgines, qui non pro rebus transitoriis, non pro divitiis fugacibus, non pro vanis honoribus et dignitatibus, neque pro suis offensis et iniquitatibus, sed pro sola justitia, quam prædicabant, tam dura tor-

(1737) Idem cod. S. Marci Flor., et uterque cod. Vat. : *Sed illi soli beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.*

Digitized by Google

menta, tantasque persecutiones passi sunt. Interroga Paulum de suis persecutoribus, et respondebit tibi : « A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi ; ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci ; nocte et die in profundum maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine : periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in labore et ærumna, in vigiliis multis (*II Cor.* II, 24, 27). » Et alibi : « Nolo vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ut tæderet nos etiam vivere (*II Cor.* I, 8). » (1738) Interroga eum propter quid discrimina hæc omnia passus sit, et audies pro nulla alia causa, nisi propter justitiam et veritatem, quam prædicabat, et quia Christum Dei Filium esse dicebat. Lege in Actibus apostolorum, ubi Judæi præcipiunt apostolis ne amplius loquantur in nomine Jesu, et audies Petrum respondentem : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus (*Act.* V, 29). » Unde in carcerem trusi et flagellati « ibant gaudentes in conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumelias pati (*Ibid.*). » Sed interim de apostolis taceamus. Ad martyres veniamus : respice Laurentium (1739) super craticulam extensum, et sua sponte patientem, atque Cæsari dicentem : Infelix, has epulas ego semper desideravi ; et interroga quid fecerit, quid peccaverit, ut sic assari mereretur? Quid aliud respondere poterit, nisi quia justitiam prædicavit, et idola vana et falsa esse dixit, quæ nec sibi, nec aliis adesse possunt? Hoc ipsum dicimus de aliis omnibus. Interroga unumquemque, et nihil aliud respondebit tibi. Beati igitur isti, beati et omnes alii, qui propter justitiam persecutionem patiuntur. Non dixit quibus propter justitiam persecutiones inferuntur, (1740) quia non illatio beatum facit. Non qui eas fugit, sed qui patitur, beatus erit, quamvis et fugere aliquando licitum sit. Sed et alia causa beatitudinis est fugienti, alia vero patienti. Aliud est pugnando, et aliud fugiendo hostem evadere, quamvis utrumque ad salutem pertineat. Melius est pugnare, quam fugere : melius est fugere, quam negare. Sed « unusquisque proprium donum habet ex Deo (*I Cor.* VII, 7). » Utrumque Dominus præcipit, et fugere et pugnare. « Si vos, inquit, persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* X, 23). » Econtra vero : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius eum timete, qui potest corpus et animam perdere in gehennam (*Ibid.*, 28). » Bonus medicus aliter infirmis, aliter sanis respondet. Bonus dux aliter equites ordinat, et aliter pedites. « Beati eritis, cum vos oderint homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me : gaudete in illa die, et exsultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlis (*Luc.* VI, 23). » Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos : « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* XXI, 19). » Unde et Apostolus ait : « Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus (*Rom.* XV, 4). » Cum enim audimus patriarchas et prophetas multas persecutiones passos esse ; cum legimus sanctos Patres, per multam patientiam, quam habuerunt, Deo placuisse, et de summis periculis multoties liberatos fuisse, debet et nos talis lectio instruere et docere, et ad patientiam provocare, et magnam spem et consolationem in tribulationibus (1741) habere. Tales fuerunt Job et Tobias ; tales Isaias et Jeremias ; tales Aggæus et Zacharias ; tales tres pueri et Daniel ; talis propheta Ezechiel ; talis Neemias, et Zorobabel. Quære in libris Machabæorum, et videbis Eleazarum virum religiosum, et senem, et cujus laudes difficile est explicare, quam dura tormenta patiatur, quia carnes porcinas manducare noluit. Sed quare dico manducare noluit, cum neque ad simulandum cogi potuisset? Septem quoque fratres, simul cum matre, quia cibos illicitos et lege prohibitos comedere 502 noluerunt, horrendis cruciatibus necati sunt. De talibus itaque Dominus ait : « Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 10). » Aliis sufficere poterunt pretiosæ mansiones quas ibi habebunt, de quibus Dominus ait : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2). » Nos vero infelices, quid faciemus, qui non solum tales cruciatus, sed et muscas et pulices ferre non valemus? Qui ad facilem injuriam, aliquando ad unum verbum incaute prolatum, multoties etiam ad *fratris* risum, et levem subsannationem, sic irascimur, ut vix aliquando placari possimus. In cibo quoque et potu sic plerumque impatientes sumus, ut neque horam, neque mensuram custodiamus, et nisi eos quotidie non ad necessitatem, sed ad voluptatem, et superfluitatem habeamus, detrahimus magistris, et præpositis nostris, qui nobis præparare debuerant. Natura (ait quidam [Seneca]) paucis, imo minimis contenta est, voluptati autem nihil satis est. In vestibus quoque patientiam non habemus, quia multoties, et plures, et pretiosiores quærimus, quam necesse sit, neque deest invidia, si forte aliquem fratrem habere videamus. Si vero infirmitas contingat, ibi patientia nulla est. Cum utique tunc magis necessaria sit, quando mors proxima esse timetur. Non possumus omnia enumerare, quæ contra patientiæ bonum impatientes peccamus. Non simus

(1738) Idem codex Vallicel. et uterque Vaticanus : *Interroga eum propter quam causam, et propter quæ crimina hæc omnia passus sit.*

(1739) Uterque codex Vat. et Vallicel. : *Super craticolam quiescentem.*

(1740) Uterque cod. Vat. et Vallicel. : *Quoniam non illatio, sed patientia beatum facit*

(1741) Edit. Ascens., *dare.*

Digitized by Google

de illis (quod valde nobis timendum et dolendum est), sed utinam aliquando esse mereamur, de quibus Dominus ait: « In patientia vestra possidebitis animas vestras. » Et quam, quæso, possessionem habebit, qui nec seipsum, nec animam suam habebit, nec possidebit? Valde igitur homini est necessaria patientia, sine qua perdit hoc ipsum, quod est. Laudat Apostolus quosdam, qui rapinas bonorum suorum cum gaudio susceperunt. Et Dominus loquitur in Evangelio, dicens: « Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei et alteram, et qui abstulerit tibi tunicam, præbe ei et pallium. Et si quis te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo (*Matth.* v, 39). » Hæc quidem ad litteram dici videntur; non tamen generaliter omnibus, sed illis specialiter, qui sic mundo mortui sunt, ut in omni humilitate et patientia soli Deo placere desiderent.

CAPUT IX.

De castitate.

Beatus Paulus apostolus, doctor et magister gentium, qui non in terris, sed in scholis cœlestibus edicit sapientiam, cum de castitate loquatur, sic ait: « Qui habent uxores, tanquam non habentes sint, et qui solutus est ab uxore non ducat uxorem (*I Cor.* VII, 30). » Si igitur qui non habent, ducere non debent, et qui habent sic habere debent, quasi non habeant, quid aliud consequitur, nisi omnes continentiæ et castitati operam dare? Quid est ergo, quod paulo ante (1742) ibidem ait: « Vir uxori debitum reddat; similiter et uxor viro? (*Ibid.*, 3.) (1743) » Et illud. « Quoniam si se non continent, nubant, tantum in Domino (*Ibid.*, 9). » Contraria sibi esse videntur: vir uxori debitum reddat, et sic eam habeat, quasi non habeat. Similiter autem, et qui solutus est ab uxore, non ducat uxorem, et qui se non continet, nubat; contraria esse videntur. Sed unum verbum posuit Apostolus, in quo ista hæc quæstio videtur esse soluta, hoc videlicet, quod ait: « Qui se non continent. » Qui enim se continet et castitatem custodire potest (si tamen et uxori eadem ipsa continentia sit), hic utique sic debet uxorem habere, quasi non habeat, id est, sic debet eam habere quasi sororem, non quasi uxorem, non ad carnis voluptatem, sed pro conjugii necessitate. Ille quoque, qui uxorem non habet, si a Deo nec gratia ei data est, ut continentiam custodire valeat, uxorem ducere non debet; et quare ducere non debeat, hæc est causa, quia, qui solutus est ab uxore, cogitat, id est cogitare potest, quæ Dei sunt: quomodo placeat Deo. Illi vero, qui se contineri non possunt, et uxorem ducere, et debitum reddere non prohibentur. Hoc quoque ipse Dominus dicere videtur. Cum enim dixisset ut excepta fornicationis causa, vir uxorem non dimitteret; cumque discipuli responderent: « Si ita est causa viri cum uxore non expedit nubere, » subdidit, dicens: « Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui sic nati sunt; alii, qui ab hominibus facti sunt, et alii, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 11). » Et hoc quidem tale est ac si diceret: Dicitis quod non expedit nubere, verum quidem dicitis, si quis est, cui hæc virtus a Deo data sit, ut se continere, et castitatem servare valeat. Sed non **503** omnes capiunt hoc verbum, non omnes huic sententiæ obediunt, sed illi soli quibus hæc gratia a Deo data est. Sunt enim eunuchi, qui sic nati sunt, id est sunt aliqui homines naturaliter casti sunt, et voluptatis impetus non sentiunt. Sunt autem aliqui alii qui ab hominibus fiunt, sicut illi qui vi monasteriis, cæterisque locis religiosis sub disciplina ab aliis ita custodiuntur ut ita eos, etiam si nolint, castos esse et continentes necesse sit. Talis autem castitas, quia spontanea non est, non magnam habet remunerationem. Sunt autem eunuchi, et ipsi quidem meliores, qui nemine cogente, sed ipsi sua sponte seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Et isti quidem quasi in prælio constituit contra carnis voluptatem, et luxuriæ impetus viriliter dimicantes, continentiam castitatemque custodiant. Distat autem inter castitatem et virginitatem (1744), quia nec omnes casti virgines, nec omnes virgines casti sunt. Unde Apostolus ait: « Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI, 2). » Si enim virgo et casta idem significarent, non esset necessarium simul utrumque dicere. Et virgo quidem dicitur, qui se a carnis pollutione custodit; secundum illud: « Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati virgines enim sunt (*Apoc.* XIV, 4). » Non sufficit enim virginitas ad beatitudinem sine castitate, sufficit autem multoties castitas sine virginitate. Major igitur est castitas, quam virginitas. Virginitas in uno membro, castitas in omnibus membris consideratur. Scriptum est enim: « Eloquia Domini eloquia casta (*Psal.* XI, 7). » Itemque: « Quis gloriatur castum habere cor? » Sicut igitur lingua dicitur casta et cor castum, ita oculi, aures, manus, pedes et cætera membra casta dicuntur. Castitas autem, et circumcisio pene idem esse videntur, ut ubicunque circumcisio sit, et castitas locum habeat. (1745). Circumcidite, inquit, præputium cordis vestri. Et Moyses incircumcisum labiis se esse dicit, et beatus Stephanus, incircumcisos auribus, et corde Judæos reprehendit. Arbores quoque circumcidi præcipit Moyses. Talis autem circumcisio castitas est. Videtur castus ab eo dici, qui stultitia careat; stultus autem, qui de statu suo tultus, id est sublatus sit. Lingua igitur, quæ loquitur vanitatem, quia stultitia non caret, casta dici non potest. Similiter autem et oculus, et auris, cor etiam ipsum, quando

(1742) Cod. Vat. 1254 omittit *ibidem*.
(1743) Id. cod. Vat. 1254: *Et illud: Qui se non continet nubat, tantum in Domino.*
(1744) Cod. Vat. 1254: *Nec omnes castæ virgines, nec omnes virgines castæ sunt.*
(1745) Non verba sed sensus desumptus est ex Ep. ad Rom. c. II.

Digitized by Google

vana cogitat, castum non est, quia stultitia non caret. Et ideo quidem non caret, quia de statu suo sublatum est, et in naturali bonitate non manet. Illa itaque virgo, qui corde et opere, manibus et pedibus, lingua et oculis vaga est, quamvis virgo sit, casta tamen non est (1746). Beata virgo Maria cum dixisset: « Magnificat anima mea Dominum, » mox subdidit, dicens, « quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* I, 47). » Non dixit, quia respexit virginitatem, sed potius humilitatem, quoniam, etsi utraque virtus magna est, humilitas tamen potior est. Multæ virgines tunc erant, sed hanc solam respexit Deus, quæ præ cæteris humilior erat. Nescio an virgo in eo, quod virgo est, magis vel minus casta dici possit. Si ergo ad solam virginitatem Deus respexisset, multæ virgines erant, quæ Christi matres fieri potuissent. Non igitur superbiant virgines de virginitate; sed intendant ad castitatem et humilitatem. Audiant dicentem: « Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater mea est (*Matth.* XII, 48). » Cum omnes Christiani continentiam et castitatem habere debeant, maxime tamen clericos hanc virtutem tenere et observare oportet. Unde et Dominus Moysi præcepit, ut Aaron sacerdoti, et filiis ejus feminalia faciat, sine quibus ad altare nunquam accederent, ne forte moriantur (*Exod.* III, 28; *Levit.* XVI). Feminalia autem castitatem significant, quia illa membra, in quibus maxime luxuria dominatur, coercent, et casta custodiunt. Illi sacerdotes et clerici feminalia non habent, qui hæc membra non constringunt, sed per illicita vagari permittunt, sed valde timendum est, quod dicitur: « ne forte moriantur. » Si non vis mori, aut castitatem custodias, aut ad altare non accedas. Hinc est quod servi Salomonis inter cætera, quæ afferunt, ebur quoque ei afferre leguntur. Servi Salomonis nos sumus, qui eboris pulchritudinem et candorem, per quæ castitas significatur, Christo Domino vovere et offerre debemus. Castissima animalia sunt elephantes, et non nisi semel coire dicuntur. De nobis autem dictum est, Sacerdotes mei semel nubant. Legitur de Salomone, qui solium eburneum sibi fecerit, cujus excellentiæ nullum aliud comparari poterat. Duo leones erant ibi, unus a dextris et alter a sinistris; inter quos medius ipse sedebat. Habebat autem sex gradus, super quos duodecim leunculi positi erant, sex hinc, et sex inde. Dic mihi quæ bestia illuc unquam accedere **504** auderet, ubi tot leones congregati erant, præsertim cum scriptum sit: « Leo fortissimus bestiarum ad nullos pavebit incursus (*Prov.* XXX, 30). » Quot sunt vitia, tot bestiæ, quæ Salomonis solio insidiantur. Ego duos leones duo Testamenta intelligo, quæ sua fortitudine omnes bestias interficiunt, quorum doctrina et consilio omnes Judæos, gentiles et hæreticos superamus. Duodecim vero leunculi duodecim apostoli sunt, qui Salomonis solium, sanctam videlicet Ecclesiam die nocteque custodiunt. Ad hoc solium, et ad eum, qui in eo sedet, nisi per gradus eburneos, id est per continentiam et castitatem, ascendere nemo potest: qui in tali solio sedere vult, castitatem custodiat. Solium tuum, et sedes animæ tuæ caro tua est, quæ, si casta est, eburnea est. In Canticis canticorum (*cap.* V), venter Christi eburneus dicitur. Venter in medio corporis est, in medio vero esse spectat ad dignitatem. Quid enim Psalmista de gradibus eburneis dicit, audiamus. « Myrrha, inquit, et gutta, et casia a vestimentis tuis a domibus eburneis; ex quibus te delectaverunt filiæ regum (*Psal.* XLIV, 10). » Istæ quidem filiæ regum, quæ regem delectaverunt per gradus eburneos, id est per gradus continentiæ et castitatis ad Deum ascendebant (1747). Dicitur de adamante, quod nec igne, nec aliqua vi frangi, vel domari possit, solo tamen sanguine hirci calido solvatur. Hircus fetidissimum animal et luxuriosum est. Sanguis igitur ejus luxuria est. Per adamantem vero viri fortes intelliguntur, qui, quamvis circa alia fortissimi sint, multoties tamen luxuria superantur. Fortis erat David, nihilominus visa Bersabea, luxuria resolutus est. Fortis et sapiens Salomon in solio eburneo, et inter leones sedebat; aliquando tamen a solio separatus, et inter mulieres inventus, adeo a luxuria mollitus est, ut cervicem miserabiliter idolis inclinaret. Quicunque igitur vult esse securus, a sede eburnea et leonum custodia non recedat, id est continentiam et castitatem, et sanctorum volumina non relinquat. Gaudeo super fortitudine Joseph et Judith, quorum alter ab ipsa luxuria (1748) tentari non potuit, sed ejus impias manus nodus evasit. Altera vero ipsam cupidinem viriliter decollavit. David, quem uxor Uriæ Cethei de sede eburnea excussit, postea cum Abisag Sunamitide in lecto eburneo quievit, et qui cum Bersabea incontinenter vixit, postea cum Abisag continentiam custodivit. Hoc autem exemplum omnibus sit ad imitationem, omnibus sit ad consolationem, quibuscunque de sede eburnea cadere contigerit. Bene autem Abisag *pater meus superfluus* interpretatur. Sunamitis vero *despecta*, quia nimirum castitas, quæ per Abisag significatur, a David despecta fuerat, quoniam superflue alienas uxores insectabatur, qui tot uxores et concubinas habebat. Fuit autem Abisag non uxor, sed filia David, quia non quasi cum uxore, sed ut filia cum ea dormiebat. Dicat igitur Abisag *pater meus superfluus*, sic enim interpretatur nomen ejus, castitatem et continentiam despexit in Bersabea, in me autem eam dilexit, et complexus est.

(1746) Cod. Vat. 1254: *Contra vero quicunque honeste et sapienter continentiæ virtutes, suaque membra custodit, si uxori debitum reddat, castus quidem est; virgo autem non est.* Ita etiam in cit. edit.

(1747) Idem cod. Vallicel. et cod. Vaticani: *Considera igitur, quanta sit virtus castitatis, quod si aliter intelligere non valet, cogita saltem, quantum sit luxuriæ malum.*

(1748) Uterque cod. Vatic.: *teneri non potuit.*

Digitized by Google

CAPUT X.

De obedientia.

Dominus et Salvator noster, ipse nos docuit quantum sit obedientiæ bonum. De quo scriptum est : Quia factus est obediens Patri usque ad mortem (*Philip.* II). Per inobedientiam primi hominis perierat mundus, per obedientiam secundi hominis Jesu Christi salvatus est mundus. Ille inobediens ad lignum vetitum accessit : iste obediens lignum crucis ascendit. Ille accedens rapuit quod non debebat : iste ascendens quæ non rapuit, tunc exsolvebat. Narrat Jeremias propheta (*Jer.* XXV.) de filiis Jonadab filii Rechab (1749), quod eo tempore, quo Nabuchodonosor cum exercitu suo venit obsidere Jerusalem, filii Jonadab filii Rechab de agris, in quibus habitabant, fugerunt in civitatem. Accessit ad eos Jeremias ex præcepto Domini, et duxit eos in unam hexedram templi, et anteposuit eis scyphos cum vino, quo non utebantur; et præcepit eis, ut biberent. At illi respondentes dixerunt : Non bibemus, quia Jonadab præcepit nobis, ut vinum non biberemus, domos non ædificaremus, agros non coleremus, vineas non plantaremus, sed tantum in tabernaculis habitaremus, et ait Dominus : Prævaluit sermo Jonadab sermonibus meis. Ego die noctuque, per servos meos prophetas, populum istum admonere non cesso, et non audiunt vocem meam, et filii Jonadab filii Rechab præcepta patris sui tam diligenter custodiunt, et transgredi formidant. Et dixit Jeremias filiis Jonadab : « Quia obedistis præceptis patris vestri, hæc dicit Dominus : Non deficiet vir de semine vestro qui stet coram **505** Domino cunctis diebus (1750). » Populo vero sic ait : « Quia non audistis mandata Domini, et præcepta ejus non custodistis, omnia quæcunque locutus est Dominus, venient super vos, et super civitatem istam omnes afflictiones, et eritis in opprobrium cunctis gentibus. ». Hæc verba, quamvis magnum exemplum sint, multumque proficiant ad obedientiæ custodiam, et observationem, aliud tamen significare videntur. Iste enim Rechab, qui Ascendens interpretatur, illum mihi significare videtur de quo scriptum est; « Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII, 19). » Jonadab vero, qui Domini donum, vel columba dedit, interpretari dicitur, quid melius quam Spiritum sanctum significare potest, qui et donum Dei, et columba in sanctis voluminibus multoties vocatur ? Hujus autem filii sunt quicunque ex aqua et Spiritu sancto renati sunt. Unde et beato Petro dicitur : « Beatus es, Simon Bar-Jona (*Matth.* XVI, 17), » id est Simon filius columbæ, quia Bar-Jona filius columbæ interpretatur. Merito itaque Jonadab, columba dedit, interpretatur, quia nihil boni habemus, nisi quod hæc columba nobis dedit. Isti ergo filii Jonadab, id est Christiani et fideles, quia Spiritui sancto obedientes fuerunt, in cœlesti Jerusalem coram Domino stabunt in æternum. Non solum autem Jonadab, sed Rechab quoque filii isti dicuntur : illius scilicet, de quo dicitur : « qui ascendit super cœlum cœli ad orientem (*Psal.* LXVII, 34). » Sicut enim in filiis Jonadab probatum est obedientiæ bonum; ita et in Saul, et filiis ejus probari potest inobedientiæ malum. Præceperat Dominus Sauli ut pugnaret contra Amalec, et omnes interficeret in ore gladii, nec homini, nec pecori, nec alicui parceret animali. Ille autem expugnato Amalec pepercit Agag regi eorum, et quæque meliora de gregibus eorum reservavit. Unde et semen ejus a Domino reprobatum est, ne regnaret super Israel; dicente Samuele, quia obedientiam vult Deus magis quam holocaustum, quoniam quasi peccatum ariolandi est, non obedire, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Iste est Agag, de quo prophetaverat Balaam dicens : « Tolletur propter Agag rex ejus, et auferetur regnum illius (*Num.* XXIV, 7). » Et hoc quidem in Saule completum est, qui fuit primus rex Israel, sed quoniam pepercit Agag regi Amalec, regnum ejus destructum est, ne filii ejus regnarent post ipsum. Audiant hæc inobedientes, et nec ipsa sacrificia sine obedientia placere intelligant. Possumus autem per Amalec, qui populus brutus interpretatur, vitiorum exercitum intelligere; cui utique parcendum non est; sed totus usque ad internecionem deleri debet. Hujus autem rex vocatur Agag, qui rectum interpretatur, per quem diabolum intelligimus, cui talis exercitus famulatur, totusque in eo quasi sub uno tecto, et una domo collectus continetur. Inde vero in hujus mundi latitudinem diffusus omnes homines ubique perturbat. Mala domus malos habet habitores. Sed quid dicam de obedientia Noe : de quo scriptum est : « Noe, vir justus atque perfectus in generationibus suis fuit, cum Deo ambulavit; et fecit omnia quæcunque præceperat ei Deus (*Genes.* VI, 9). » Vide quam obediens vir iste fuerit, qui ea, quæ sibi a Domino imperata fuerat, cuncta complevit. Quem enim non tæderet per centum annos in uno ædificio desudare ? Sed longa obedientia longam et diuturnam mercedem promeruit, et cum totus periret mundus, ipse solus cum domo sua in diluvio salvatus est. Abrahæ vero obedientia quanta fuerit, paucis verbis explicari nequit. Ipse est enim cui Dominus ait : « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et vade in terram quam monstravero tibi (*Gen.* XII, 1). » Fecit igitur Abraham, quod fuerat sibi imperatum, et quemadmodum postea apostoli fecere, relinquens omnia, ire cœpit quo nesciebat. Relinquamus igitur et nos terram nostram, relinquamus concupiscentias carnis nostræ, eamus in terram quam Dominus ostendit : de qua Psalmista loquitur, dicens : « Credo videre bona Domini in

(1749) De Rechabitarum obedientia agit S. Bruno Astensis in comment. in psal. LXX, pag. 447 dit. Rom.

(1750) Ex Jerem. cap. XXXV, non verba, sed sensus depromptus est.

Digitized by Google

terra viventium (*Psal.* xxvi, 13). » Cum jam senex esset vir iste beatissimus, et uxor ejus, quæ etiam sterilis erat, processisset in diebus suis, filium a Deo suscipere meruerunt. Qui cum adolescens factus esset, vocavit Deus Abraham, et dixit ad illum : « Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, et offer illud mihi in holocaustum super unum montium, quem dixero tibi (*Gen.* xxii, 2). » Ipsum, inquit, filium tuum, quem sció te justum diligere, non Ismaelem dico, sed Isaac : ipsum tolle, et offer mihi in holocaustum : sic volo, sic jubeo sic mihi placet. Et quid fecit tunc Abraham ? Considera viri obedientiam : non exspectavit usque mane; sed de nocte consurgens venit ad montem visionis, id est ad montem Sion, qui speculatio interpretatur, in quo postea Dominus crucifixus est; præparabat se ut filium suum immolaret. Dixitque ad eum Isaac : « Ecce ignis et ligna : ubi est victima holocausti ? (*Ibid.*, 7.) » Sicut Joseph refert; jam illius erat ætatis, ut si voluisset a patre jam sene, se defendere potuisset. (1751) Verumtamen postquam Dei et parentis voluntatem cognovit, non restitit; sed sua sponte se ligari permisit, gaudens quod Dei hostia fieri merebatur. **506** (1752) Uter tibi horum duorum majoris obedientiæ fuisse videtur; cum et Abraham Deo, et filius ejus parenti simul obediret et Deo ? Magna quidem in utroque obedientia fuisse videtur, et tali patri talique filio digna. Hæc historia non est simpliciter accipienda, sed magnum aliquid aliud significare videtur. Quid enim per Abraham nisi Deum Patrem intelligamus, « qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum ? » (*Rom.* viii, 32.) Quid vero Isaac, nisi Dei Filium Salvatorem nostrum, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis? Egregie autem factum est quod non Isaac, sed aries pro eo immolatus est, quia non Dei Filius secundum divinitatem, (1753) sed Filius hominis secundum humanitatem, « sicut agnus ad victimam ductus est, et non aperuit os suum (*Isæi.* lh, 7). » Audiamus itaque Petrum apostolum dicentem : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* ii, 21). » Quid est ut sequamini vestigia ejus, nisi ut discatis et custodiatis obedientiam ejus ? Longum est, et unius sermonis quantitatem excedit, si velimus omnes ponere, qui per obedientiam Deo placuerunt. Quid dicent igitur monachi inobedientes, et suas voluntates facientes, ac per hoc Deo non placentes; cum tota monachorum religio obedientia sit, et sine obedientia monachus nihil sit ? cum viderint non solum rationales creaturas sicut angelos et homines, verum etiam quæ sensu et ratione carent jubentis Domini obedire voluntati ? Inde est, quod « cœli enarrant gloriam Dei (*Ps.* xviii, 1); » inde est quod « venti et mare obediunt ei (*Matth.* viii, 27); » inde est, quod terra nostra dedit fructum suum; inde est, quod omne lignum dat fructum in tempore suo. Denique quod virga in serpentem, et aqua mutatur in sanguinem; quod mare aperitur, quod petra fundit aquas, quod manna pluit, quod asina loquitur; quod Jordanis convertitur retrorsum; quod jubente homine sol non movetur, totum hoc obedientia fecit. Sunt et alia hujusmodi innumerabilia, quæ in divinis voluminibus inveniri et colligi possunt : præsertim qui divinas paginas legerit, ibi cognoscet quantum obedientia possit; ibi videbit ad hominis imperium dæmonia fugere, mortuos resurgere, elementa mutari, leprosos mundari, cæcos illuminari, paralyticos curari. Sed quid multa ? Ibi videbit nihil rerum posse naturam, contra illius voluntatem qui naturam creavit. Sed o miseria semper lugenda, et magis lacrymis, quam verbis exponenda ! Omnis creatura est obediens Deo, præter illam, quæ facta est ad imaginem Dei. Solus diabolus, et homo inobediens inveniuntur; cum nulla alia creatura inobediens inveniatur.

CAPUT XI.

De abstinentia.

De virtute abstinentiæ ipse Dominus in Evangelio nos admonet dicens : « Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate (*Luc.* xxi, 34). » Nequaquam interdicit nobis manducare et bibere Dominus, et Salvator noster, quoniam ipse (1754) « scit figmentum nostrum (*Ps.* cii, 14). » Manducare, et bibere non est peccatum; siquidem et ipse manducavit, et bibit. De quo scriptum est : « Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* ii, 22). » Crapula vero, et ebrietas peccatum est, quia superflua sunt, modum excedunt, corda gravant, corpus corrumpunt, libidinem provocant, mentem evertunt, et simul exteriorem (1755) hominem debilem reddunt. Necessaria Dominus concedit, superflua prohibet. Unusquisque sui corporis mensuram cognovit. Si quis parum comedens crapulatur, et parum bibens inebriatur, etiam de ipso modico aliquid minuat, donec ad mensuram cruda suscipiat; et non voluptati, sed necessitati obediat. Neque enim fieri potest, ut qui in manducando et bibendo sequitur (1756-7) voluptatem, aliquando non veniat ad crapulam, et ebrietatem. Majorum sententia est. Sic comedat monachus, ut semper esuriat, et sic bibat episcopus, ut an biberit nesciat. In talibus ut puto crapula et ebrietas locum non habet. Hinc est autem, quod beatus Petrus Apostolus ait (*Ibid.* 11) : « Obsecro vos tanquam advenas et

(1751) Eadem habet S. Bruno in comment. in Genesim c. xxii, pag. 18.

(1752) Cod. Vat. 125. « Quis tibi horum duorum majoris obedientiæ fuisse videtur; cum Abraham Deo, et filius ejus parenti simul obediret et Deo ? Magna quidem in utroque obedientia ; ot tali patri talique filio digna. »

(1753) Uterque cod. Vat. et Vallicel. : *Sed postea hominis filius secundum humanitatem.*

(1754) Codex S. Marci : *fecit figmentum nostrum.*

(1755) Idem Cod., *et interiorem* S. Marci Flor. et uterque Vatic.

(1756-7) Id. cod. et Vat., *carnis voluntatem.*

Digitized by Google

et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam, » quæ bella spiritui movent. « Non quasi subjectis vobis præcipio; sed quasi extraneos rogo, ut vos a carnalibus desideriis abstineatis, quæ militant adversus animam, quæ spiritui bella movent, quæ mentem impugnant, etc., et animæ munitiones impugnant. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non quæcunque vultis illa faciatis. » In hac tali pugna, alii carni, (1758) alii **507** spiritui auxiliantur. E contrario vero spiritum opprimunt, qui carnis desiderium sequuntur. Duæ sunt abstinentiæ, (1759) una animalis, altera spiritualis; utræque magnæ, sed major altera, quia majus est abstinere a vitiis quam a cibis. Quamvis et ciborum abstinentia magna sit, ut non solum a prophetis, verum etiam ab ipso Domino sit confirmata. (1760) Primum enim Moyses, deinde Elias, postea vero ipse Dominus noster Jesus Christus quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunasse leguntur. Beatum vero Joannem Baptistam cujus abstinentiæ fuisse putamus? qui vinum et siceram non bibit; cujus cibus locustæ et mel silvestre fuisse narrantur. Primi parentes nostri ideo mortui sunt, quia abstinentiam non habuerunt. Jam mortis sententiam Ninivitæ acceperant, dicente propheta : « Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur (*Jon.* III, 4); » et triduano jejunio liberati sunt. David quoque de sua abstinentia sic ait : « Similis factus sum pelicano in solitudine (*Psal.* CI, 7). » Pelicanus avis quædam dicitur esse, cujus magnitudo est ad vulturis quantitatem, semper solitaria et in solitudine moratur, quæ tantæ abstinentiæ est, ut sicut aliæ aves saturitate, ita ipsa jejunio delectatur (1761). Talis avis fuit Antonius, talis Paulus et Hilarion, talis beatus Benedictus, quorum deliciæ jejunium, quorum vita abstinentia fuit. De talibus autem, et Dominus ad Job loquitur, dicens : « Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit? Cui dedit in solitudine domum, et tabernacula in terra salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit, circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit (*Job* XXXIX, 5). » Quos David per pelicanum, eos Dominus per onagrum significat. Est autem onager asinus silvester, nunquam a solitudine recedens, qui propria utens libertate, occidi quidem potest, vinculis hominum domari non potest. Per asinum ergo, qui stultum animal est, illi intelliguntur de quibus Apostolus ait : « Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I, 17). » Homines namque hujus mundi quasi asinos, et stulta animalia hos viros clarissimos, et Deo amabiles deputabant, quia dimissis hujus sæculi voluptatibus in solitudine habitantes, non quasi homines, sed quasi pecora et bruta animalia vivere videbantur. Nudi, et sine tecto, frigus et calorem die noctuque patiebantur. Ab omni quoque mundana sollicitudine liberi, et vitiorum omnium, atque concupiscentiarum vinculis absoluti, per solitudinem vagabantur, cantantes, et jubilantes, et soli contemplationi vacantes. Et hoc est, quod Dominus ait : « Quibus dedit in solitudine domum et tabernacula in terra salsuginis (*Job* XXXIX, 6). » Et isti quidem contemnunt multitudinem civitatis, quia mundo, mortui, soli Deo placere desiderant, et mente jam inter angelos conversantes, hominum conversationem non appetunt, dicentes cum Apostolo : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20). » Clamorem autem exactoris non audiunt, quia non ventri, sed spiritui serviunt. Iste exactor, venter noster est, cui nisi debitam annonam quotidie persolvimus, quasi impius exactor nos torquere et cruciare non cessat. Tam improbus enim est, ut tota nostra substantia vix ei sufficere possit. Illi tamen ei non obediunt, et alio cibo refecti ejus clamores, et tortiones sic patiuntur, quasi eos non sentiant. « Non » enim « in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei (*Matth.* IV, 4). » Circumspiciunt igitur montes pascuæ ejus, et virentia quæque perquirunt. Isti sunt montes illi de quibus dicitur : « Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX, 1). » Duo magni montes duo sunt testamenta; cæteri vero tot sunt quot prophetarum libri. In his autem inveniuntur pascua semper virentia, et nunquam deficientia, quibus nulli ciborum apparatus, nullæque deliciæ comparari possunt. Ijis igitur Dei onagri refecti clamorem exactoris non audiunt. Ad hos itaque respiciant, qui abstinentiæ bonum cognoscere quærunt. De qua et Apostolus ait : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis (*Rom.* I, 12). » Nonne audis quod et Apostolus non necessaria, sed superflua interdicit? Comessationes enim, ebrietates et carnis cura non in necessitatibus, sed in desideriis et voluptatibus superflua sunt. Dominum autem Jesum Christum induit quicunque sapientia, justitia, et veritate, castitate, humilitate, et virtutum omnium honestate vestitur. Ubi abstinentia non est, ibi castitas et honestas esse non possunt. Plantavit vineam Noe, inebriatus est, et nesciens verenda discooperuit (*Gen.* IX). Ecce verenda quæ semper

(1758) Item Uterque cod. Vat. : « In hac tali pugna, alii carni, alii spiritui suffragantur. Qui carnis desideria fugiunt spiritui auxiliantur. E contra vero spiritum opprimunt, qui carnis servituti subjiciuntur, qui carnis desideria sequuntur. »

(1759) Cod. Vat. : *una carnalis.*

(1760) Cod. Vat. : *Prius enim.*

(1761) Cod. Vat. : *desecetur.*

Digitized by Google

operienda sunt, ebrietate manifestantur. Et ideo Apostolus ait : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*Ephes.* v, 18). » Si tantus patriarcha inebriatus verenda sua celare non potuit, quomodo ebriosus membrorum suorum **598** honestatem castitatemque servabit? Loth quoque vino inebriatus filiarum pudicitiam violavit; quem tantum vino superatum, imo vino sepultum Scriptura commemorat, ut malum quod fecerat ebrius ignoraret. Unde et Salomon non immerito ait : « Visio Samuelis, qua erudivit eum mater sua. Noli, Samuel, noli regibus dare vinum; quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas; ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis (*Prov.* xxxi, 1) : » Samuel, in quo est Deus, interpretatur, per quem apostolos intelligimus, qui amici Dei appellantur, de quibus ipse Dominus ait : « Vos amici mei estis (*Joan.* xv, 14); » et : « Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos (*Ibid.*, 9). » Isti autem a matre instructi; mater enim eorum Ecclesia est, vinum regibus interdicunt. Reges isti episcopi, et sacerdotes sunt, qui alios regentes et corrigentes, ab omni violentia et ebrietate ut se custodiant necesse est. Unde et plenus Deo beatus Paulus tales episcopos, et sacerdotes eligi præcepit, qui non violenti sed modesti; non ebriosi, sed sobrii sint. Timotheo tamen episcopo dicit, ut utatur modico vino propter stomachum et frequentes infirmitates suas. Diaconos etiam non multo vino deditos esse jubet. Sic igitur Samuel non dat vinum regibus, et dat vinum regibus. Non dat utique ad ebrietatem et superfluitatem; dat autem ad modestiam, et sobrietatem, et corporis necessitatem. Nam et Salvator noster sic a Judæis reprehenditur, quasi potator vini et amicus publicanorum. Non necessaria igitur, et superflua prohibentur; et vini et concupiscentiæ ebrietas mala est; quia nullum secretum est, ubi vel hæc, vel illa ebrietas regnat. Tales ebrii non possunt dicere : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (*Psal.* cxviii, 11). » Et multoties amisso sensu, et intelligentia, et bonum malum, et malum bonum dicunt, « ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem (*Isa.* v, 20) : » dicentes dulce amarum, et amarum dulce, et utroque vino inebriati pervertunt causam filiorum pauperis. Illius videlicet pauperis, qui cum dives omnium esset, pauper pro nobis factus est. Cum igitur cibi potusque abstinentia tam utilis sit, vitiorum, et voluptatum abstinentiam quam necessariam esse putabimus? « Hæc est enim voluntas Dei, ait Apostolus, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore; non in passione desiderii, sicut et gentes quæ Deum ignorant (*I Thess.* vi, 3); » uno verbo omnia vitiorum comprehendit. In eo autem quod ait « non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ Deum ignorant (*Ibid.*) : » omnis spiritualis, et carnalis abstinentia continetur : et sine mentis carnisque desiderio raro videtur fieri peccatum. Fit tamen aliquando, dum alii alios etiam invitos vel ri, vel blanditiis peccare compellunt.

CAPUT XII.

Ubi, id est in quibus, Ecclesia ornatur.

Diximus superius de Ecclesia, et ornamentis ejus. Restat nunc ut suis ornamentis eam indutam videmus, et in ejus specie et pulchritudine delectemur, de qua Psalmista ad Dominum dicit : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate (*Psal.* xliv, 11). » Hæc regina ipsa est de qua loquimur, Ecclesia Dei, quæ bene a dextris stare dicitur, quia læta et prospera ipsi paratur. In judicio, ut Dominus ait, stabunt agni a dextris, hædi autem a sinistris. Multa sunt ejus vestimenta, multa sunt ejus ornamenta; et ideo varietate circumamicta perhibetur; sed nullum ornamentum habet, quod vel aureum, vel deauratum non sit. Nullum sine auro est ei ornamentum. Sæpe jam diximus quod per aurum, aut sapientia, aut vitæ integritas, et puritas designatur, sine quibus nullum ornamentum pulchrum est, et quodcunque his non decoratur vile et abominabile est. Talibus ornamentis (1762) ornata dicitur Rebecca, cui servus Abrahæ in aure aureas, et armillas aureas, et aurea vestimenta attulisse narratur (*Genes.* xxiv). Ingredere in templum Salomonis (*III Reg.* x), et circumspice diligenter, nihil ibi nisi aurum, et ipsum purissimum videre poteris. Quare hoc? quia nihil fatuum et stultum, nihil turpe et immundum in domo Dei apparere debet. Regina Saba, per quam Ecclesia figuratur, veniens ad Salomonem, auri ei centum et viginti talenta de auro purissimo. Pulchra igitur in vestitu deaurato Ecclesia describitur, ut tota sapiens, tota munda et incorrupta intelligatur, de qua per Salomonem Dominus ait : « Una est columba mea, perfecta mea, immaculata mea (*Cant.* vi, 9), » de qua et Apostolus ait : « Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam (*Eph.* v, 27). » Nullum igitur ornamentum illius est, etsi pretiosum, et pulchrum videtur, nisi aurum fuerit. Videntur enim hæretici, pagani, philosophi, et Judæi eadem ipsa ornamenta habere, quibus sponsa Christi utitur; sed in hoc differunt, quod aurea non sunt, quamvis aurea esse videantur. Nulla enim alia sapientia aurea est, nisi ea quæ evangelica et apostolica doctrina **599** confirmatur. Quæcunque igitur fides, quæcunque charitas, quæcunque humilitas, misericordia, aut patientia, justitia, vel obedientia fuerit, si apostolicæ doctrinæ auro non splenduerit, falsa est, corrupta est, immunda est, et tanquam mors, et venenum fugienda est. Merito ergo in vestitu deaurato Ecclesia pingitur, cujus omnia ornamenta tam purissimo auro intexta sunt. Semper autem sancta Ecclesia omnibus suis ornamentis induta est, quamvis ea

(1762) Cod. Vat. omittit, *ornamentis*.

Digitized by Google

simul omnia videantur; aliquando fidei, aliquando spei, aliquando charitatis ornamento induta conspicitur, cæteris quodammodo sub una latentibus et non apparentibus. (1763) Quando autem fidei incrementum apparet, tunc mirabile videas, dæmonia fugere, mortuos surgere, cæcos illuminari, paralyticos curari, leprosos mundari, aliaque miracula fieri, quæ ab his, qui eodem fidei ornamento vestiti non sunt, impossibilia esse creduntur. Hoc autem fidei ornamento post Christi passionem longo tempore Ecclesiæ filii usi sunt, quoniam gentiles et infideles maxime hoc videre delectabantur, hoc ad Christi amorem trahebantur; ita ut manifeste intelligerent omnia possibilia esse credenti. Quando vero spei ornamentum manifestatur, tunc tota in contemplationem erigitur, et a terrenis ad cœlestia sublimatur, ut, quamvis corpore in mundo sit, confidenter dicere audeat: « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20). » — « Spe enim salvi facti sumus (*Rom.* VIII, 24). » Et tunc quidem tam magna promittit, ut quodammodo extra se dicat, et in desiderio obediendi ullammet audientes; ita ut cum Apostolo quis audiens dicat: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philip.* I, 23). » Et cum Psalmista: « Sicut servus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus: sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei (*Psal.* XLI, 1). » Sed quid mirum, cum ea indubitanter speranda promittat, « quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se? » (*I Cor.* II, 9.) Hæc autem spei contemplatio facit, ut sponsus aliquando de ea dicat: « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ut non suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoad usque ipsa velit (*Cant.* III, 5). » Hoc spei desiderio tenebatur illa, de qua ipse Dominus ait: « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* X, 41). » Si vero in charitatis se ornamento Ecclesia revelaverit, tunc videas omnes se vicissim salutantes in osculo pacis, tunc intelligas, « quam bonum » sit, « et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII, 1), et quomodo » multitudinis credentium erat cor unum et anima una; eratque illis omnia communia, et nemo dicebat aliquid esse suum (*Act.* IV, 32). » Quando hoc ornamentum apparet, tunc idem volunt, atque idem nolunt omnes. Idem enim velle, et idem nolle, ait quidam, firma amicitia est (CICERO). » — « Majorem autem charitatem A nemo habet, dicit Dominus, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV, 13). » Quoties Ecclesiæ filii charitatis vestibus induuntur, toties odium, ira, invidia, indignatio, furor, detractio, contentiones, æmulationes, dissensiones fugantur, et perimuntur. Conveniunt enim, sibique vicissim opitulantur charitas et concordia, pax et misericordia, coram quibus hæc talia portenta consistere non prævalent. Sunt alia quædam Ecclesiæ ornamenta non artificiose inter se conjuncta, ut unum sine omnibus induere non valeat. Quatuor enim sunt, quorum primum prudentia, secundum justitia, tertium fortitudo, quartum temperantia dicitur; de quibus superius satis locuti sumus. His autem Ecclesiæ filii præcipue in Quadragesimis, et magnis B solemnitatibus, et si quando concilia celebrantur, indui solent. Et tunc quidem videre, et audire satis suave, et delectabile est, sapientiam prædicantem, justitiam judicantem, fortitudinem separantem, et temperantiam pro quibusdam utiliter interpellantem. At vero humilitatis ornamentum, quando Ecclesiæ filii induuntur, tunc omnis superbia confunditur, arrogantia dissipatur cum beatæ Mariæ Virginis sententia: « Deponit potentes de sede, et exaltat humiles (*Luc.* I, 52); » et Filius ejus Salvator noster eandem sententiam confirmans, ait: « Omnis qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XVIII, 14). » Tunc virginum choros, et monachorum exercitus conspicias lana, et pellibus indutos, quibus indumentis maxime humilitas gloriatur, inter quos et Pater noster Benedictus super eburneam sedens cathedram totum humilitatis ornamentum in duodecim membra partitur. Quando autem, cum misericordiæ vestibus se manifestat Ecclesia, tunc hospites colliguntur, nudi vestiuntur, carceres aperiuntur, visitantur infirmi, famelici satiantur; et ipsa mater humilis, et misericordiosissima, Domini sui exempla secuta, pauperibus ministrare, et pedes lavare non dedignatur. Nullum indumentum est, quo magis ornatam eam videre desiderent, quicunque paupertate, infirmitate, vel quacunque calamitate oppressi sunt. Hoc autem vestimento ipse Dominus et Salvator noster indutus dicebat: « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et **510** ego reficiam vos (*Matth.* XI, D 28); » et: « Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cœlorum (*Marc.* X, 14). » Sunt et alia ornamenta, quibus hujus reginæ nobilissimæ pulchritudo et gloria manifestatur; sed tantilla nos modo dixisse sufficiat.

(1763) Uterque Cod. Vat.: *Quando autem fidei ornamentum apparet, tunc mirabile dictu videat dæmones fugere, mortuos resurgere*, etc.

Digitized by Google

SENTENTIARUM
LIBER TERTIUS (1764).

CAPUT PRIMUM.
DE NOVO MUNDO.

Novus homo venit in mundum, qui novum et veterem condidit mundum. Exivit enim a Patre et venit in mundum, ut de immundo faceret mundum, « qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). » Sed quomodo venit, qui ubique est, et qui in mundo erat, et mundus per ipsum factus est? Quomodo etiam a Patre exivit, qui a Patre nunquam recessit? Venire Dei apparere est, et quando se ostendit : tunc exire et venire videtur. De quo etiam scriptum est : « Hic Deus noster, et non existimabitur alius ad eum, qui adinvenit omnem viam scientiæ. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch.* III, 37). » Visus est enim per humanitatem, qui videri non potest secundum divinitatem; quia « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 18). » Veniens autem innovavit omnia : secundum hoc, quod ipse dicit : « Ecce nova facio omnia (*Apoc.* XXI, 5). » « Debemus igitur, sicut Apostolus ait, in novitate vitæ ambulare (*Rom.* VI, 4), » et non veterem, sed novum hominem imitari. Cum a Judæis Dominus teneretur, alterius mundi se regem esse ostendens, ait : « Regnum meum non est de hoc mundo (*Joan.* XXVIII, 36). » Quod enim de mundo hoc non esse dicit, alterius mundi regnum suum esse ostendit. Est itaque alius mundus supra hunc mundum, valde excellentioris naturæ, et dignitatis, quam sit iste mundus, qui in maligno positus est; de quo ipse Dominus ait : « Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus (*Joan.* XV, 4). » Quibus verbis tertium quoque ostendit mundum, per quem Ecclesiam intelligimus, quæ de mundo quidem electa est, sed jam nunc de mundo non est. Quia et ipse mundus est, de quo videlicet mundo scriptum est : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim venit, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum (*Ibid.* II, 17). » Iste enim mundus, qui salvatur per ipsum, nullus alius, nisi Ecclesia intelligi potest. Hic est igitur ille mundus, de quo Dominus dicit : « Ecce nova facio omnia (*Isa* XLIII, 19); » (1765) quoniam, si nova in hoc mundo facta sunt omnia, habet igitur Ecclesia novum cœlum, novam terram, novum solem, novam lunam, et stellas novas, et nubes, et pluvias, fulgura, et tonitrua, montes, et silvas, et homines novos, cæteraque omnia, quæ tamen per illa veteri significata fuerant, et quandam cum illis similitudinem habent. Novi enim sunt cœli, de quibus dicitur : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal.* XVIII, 1). » Nova terra est illa de qua dicitur : « Et terra nostra dabit fructum suum (*Ibid.* LXXXIV, 13). » Vis videre novum solem? « Vobis timentibus Deum orietur sol justitiæ (*Malach.* VI, 2), » et « fulgebunt justi sicut sol in regno Dei (*Matth.* XIII, 43). » Vis et novam lunam videre? « Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata (*Cant.* VI, 9). » Beatus quoque Joannes dicit se vidisse mulierem quæ erat « amicta sole, et luna sub pedibus ejus (*Apoc.* XII, 1). » Nova et immaculata luna, quam mulier sub pedibus habet. Nova stella Virgo Maria, quæ stella maris interpretatur, et illa de qua dicitur : « Orietur stella ex Jacob, exsurget homo ex Israel (*Num.* XXIV, 17). » Novum est hoc, ut ex hominibus stellæ oriantur. Vide etiam novas nubes, novasque columbas. « Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas (*Isa.* LX, 8). » Ecce invenimus novum mundum, qui solus vera definitione dicitur mundus, quoniam ex aqua et Spiritu sancto, de immundo factus est mundus. Hic sit igitur nobis materia loquendi, et in Dei laudibus sermones componendi : ipso adjuvante qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(1764) Cod. 1254. : Incipit liber domni Brunonis episcopi *De novo mundo.*

(1765) Cod. Vat. : *Quod si nova*, etc.

511 CAPUT II.
De cœlis novis.

« Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal.* XVIII, 1). » Cœli vocantur sancti apostoli, et quare cœli vocentur dicendum est. Sicut enim illius mundi qui ab initio factus est, qui de cœlo constat, et terra, de qua ait Moyses : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Genes.* I, 1), » maxima pars, (1766) et nobilissima cœlum est; ita et hujus novi mundi, de quo Dominus ait : « Non venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum (*Joan.* III, 17); » majores et clariores cæteris apostoli sunt. De quibus scriptum est : « Principes populorum (1767) congregati sunt cum Deo Abraham (*Psal.* XLVI, 10). » Isti sunt illi senatores, de quibus Dominus : « Nobilis in portis

(1766) Cod. Vat. : *Et nobilior.*

(1767) Cod. Vat. 1254 : *Convenerunt cum Deo Abraham.*

Digitized by Google

ris ejus, quando sederit cum senatoribus terræ (*Prov.* xxxi, 23). » Quibus ipse Dominus : « Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* xix, 28), » pro quibus Patrem rogat, dicens : « Pater, ego volo, ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum (*Joan.* xvii, 21). » Totus mundus cœlo concluditur, tota Ecclesia catholica inter apostolicæ fidei et doctrinæ terminos continetur. Quicunque extra hos terminos est, profanus et infidelis est. Unde et per Salomonem a Domino dicitur : « Non transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui (*Prov.* xxii, 28). » Merito igitur apostoli cœli vocantur, cum tantam cœli similitudinem habeant, et nomen. Cœlum autem, ut quibusdam placet, ex eo dicitur quod cælatum est, id est variis cælaturis, sive sculpturis depictum, et variatum est. Ibi enim sol, et luna, ibi stellæ, et majores et minores positæ sunt, quarum splendore et pulchritudine sic decoratum est, ut nihil in creaturis aveniatur, quod pulchritudini ejus valeat comparari. Nam et in templo Salomonis palmæ cælatæ, et aliæ cælaturæ valde proeminentes fuisse referuntur; quæ quidem omnia apostolis quoque convenire videntur. In eis enim et solem, et lunam, et stellas invenire non est difficile. Ipsi sunt, quibus Dominus dixit : « Vos estis lux mundi (*Matth.* v, 14) ; » sic eorum fide et doctrina tota Ecclesia illuminata est, sicut sole hujus, et lunæ splendore tota terra (1768) illuminatur, in quibus et virtutum omnium pulchritudo, quasi stellæ quædam coruscant. Si vero a celando cœli dicantur, eo quod arcana celant cœlestia, et abscondunt, audio Apostolum quoque dicentem de his arcanis, quod raptus in paradisum audierit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quibus et Dominus sua secreta celare præcipiens : « Nolite, inquit, sanctum dare canibus, vel margaritas sparere ante porcos (*Ibid.* vii, 6). » De istis ergo dictum est : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal.* xviii, 1). » Quamvis et illi alii suo modo Dei gloriam enarrant, et nuntient : alios dixi; quoniam et illi multi sunt secundum illud : « Laudate Dominum de cœlis (*Psal.* cxlviii, 1; » — « et cœli cœlorum, laudate Dominum (*Ibid.*, 4). » Apostolus quoque tres cœlos ponit; Moyses duos. Ait enim : « In principio Deus creavit cœlum et terram (*Genes.* i, 1) : » ecce unum. Secunda die, fecit Deus firmamentum in medio aquarum, dividique aquas quæ erant super firmamentum ab his quæ erant sub firmamento, vocavitque firmamentum cœlum (*Ibid.*, 7). » Ecce alterum. Et hoc quidem est illud cœlum, quod per solem, lunam et stellas, quæ eodem fulgent, et nostris oculis revelantur. Primum enim cœlum de hoc mundo videre impossibile est, quoniam hoc quod videmus, inter nos, et illud situm est. Sed cujus excellentiæ et pulchritudinis illud esse putabimus, cum hujus inferioris tantam esse videamus ? Et primum quidem cœlum statim eadem die factum, et illuminatum est, dicente Domino : « Fiat lux, et facta est lux (*Genes.* i, 3). » Hoc autem tertia die, postquam factum est, solem, lunam et stellas suscepisse narratur. Erat igitur sine lumine usque ad hanc diem præsertim cum aquis omnia continentibus nondum appareret arida. Tertia namque die dictum est : « Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, et appareat arida (*Ibid.*, 9). » Nondum igitur arida apparebat, quia nondum firmamentum lumen habebat. Primum vero cœlum jam luce sua fulgebat; illa autem lux dies a Domino vocata est, dicente Scriptura : « Vocavitque Dominus lucem diem, et tenebras noctem (*Ibid.*, 5); » dies autem sine luce esse non potuit. Quo autem instrumento lux illius cœli, et illius diei facta sit; cum nondum sol, et luna, vel aliqua luminis instrumenta facta fuissent, dubitari potest. Legimus tamen quod mundus ille non egebat lumine solis, quod nox non erat illic ; ubi enim angeli sunt, tenebræ esse non possunt. Nam de sanctis dictum est, quod « fulgebunt sicut sol in regno Dei (*Matth.* xiii, 43). » Ipse quoque diabolus nunc niger et tenebrosus, propter nimiam claritatem, prius lucifer vocabatur. Ubi igitur tot soles sunt, iste sol ibi necessarius non est. Quoniam autem mundus iste tertia die illuminatus est (primus enim mundus, **512** ut modo diximus, ex quo factus est nunquam lumine caruit), hoc nobis significare videtur quod tertia (ut ita dixerim) ætate, sol justitiæ Salvator noster natus de Virgine mundum illuminavit. Primus siquidem dies fuit ab initio usque ad Moysen. Secundus a Moyse usque ad Christum. Tertius vero a Christo Deo Domino nostro usque ad finem sæculi. Et tunc quidem « populus gentium, qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis (*Isa.* ix, 2). » (1769) Cæteri vero dies, qui præcesserant usque ad Christum sine luce fuerunt. Primum igitur cœlum, quod cum luce simul factum est. Neque enim cœlum postea lux, sed eadem die utraque facta sunt, non ad istum, sed ad illum mundum pertinet, cujus habitatores angeli sunt; cujus et viri sancti post hanc vitam incolæ futuri sunt. Per lucem autem, et tenebras, sive per diem et noctem, bonos et malos angelos intelligere possumus, qui, quoniam eadem die divisi sunt, subitam malignorum spirituum ruinam significare videntur. Unde Dominus apud beatum Joannem apostolum et evangelistam, de eorum principe ait, quod « ab initio mendax fuit, et in veritate non stetit (*Joan.* viii, 44). » Dicit enim ad Pharisæos (1770) : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere (*Ibid.*). (1771) Quoniam loquitur, quia mendax est, et non est veritas in eo. Nostri quoque

(1768) Cod. Vat. : *illustratur.*
(1769) Cod. Vat.: 1254, *quoniam Christus sol justi- natus est eis.* Cæteri vero, etc.
(1770) Hæc in Cod. Vat. 1254 omittuntur.

(1771) Hæc addit cit. editio : « Iste homicida erat ab initio : et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. » *Quoniam loquitur mendacium si ex propriis loquitur : quia mendax est, et pater ejus.*

Digitized by Google

cœli ad similitudinem firmamenti nequaquam simul et vocati, et illuminati sunt; sed jam tertio anno postquam vocati Spiritus sancti illuminationem accipere meruerunt. Nondum enim, ut beatus Lucas ait, Scripturas intelligebant, quod Christus a mortuis resurgere oporteret (*Luc.* XXIV, 46). Erant igitur sine lumine, tanta adhuc oppressi caligine. Sicut ergo firmamentum illuminatum est die tertia, sic et apostoli anno tertio illuminati sunt. In eo etiam quod aquæ quæ sunt supra firmamentum dividuntur ab aquis quæ sunt sub firmamento, firmamenti similitudinem apostoli habere videntur. In medio namque quodammodo positi, aquas ab aquis dividunt, quia Novum a Veteri separant Testamentum. Aquas enim ab aquis Apostolus dividit, quando Veteris Testamenti doctrinam, et ritum interdicit. Ait Apostolus : « Ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest. Littera » enim « occidit, spiritus autem vivificat (*Galat.* v, 2). » Hoc enim firmamentum, isti cœli nos docuerunt quantum aquis legis et Evangelii aquæ differant inter sese. Isti igitur sunt illi cœli, qui enarrant gloriam Dei. Sed quo docente, quove instruente, dicat Psalmista : « Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam (*Psal.* XVIII, 2). » Dies igitur est ille, qui docet; dies sunt illi, qui docentur. Ille qui docet unus est : illi qui docentur multi dies sunt; sed « melior est dies una in atriis Domini super millia (*Ibid.* LXXXIII, 10). » Dies itaque Christus est, dies apostoli ejus sunt; quoniam ipse lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ; qui suis quoque discipulis ait : « Vos estis lux mundi (*Matth.* v, 14). » Si autem lux, et dies, sic autem superius scriptum est quia « vocavit lucem diem, et tenebras noctem. » Dies igitur eructat verbum Domini, quia Dominus Salvator noster « vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9) : » fidei doctrinam, et verbum prædicationis discipulos docet, et Ecclesiam instruit; quæ quidem non immerito propter unitatem fidei singulariter dies dicitur, quamvis multos in se et pene innumerabiles dies contineat : tot enim sunt dies quot et sancti. De quibus dicitur : « Dies formabuntur, et nemo in eis (*Psal.* CXXXVIII, 16). » Nemo enim inter eos est, nisi dies; nemo in eis nisi clarus et splendidus. Fulgebunt enim sicut sol in regno Dei. Sed, o stultitia ! o impietas ! o insania ! Quamvis dies diei eructet verbum : quamvis ipsa veritas per Filium Dei, et per ipsam sapientiam manifestetur. Sapientia enim prædicat in plateis; tamen nox non erubescit suam indicare scientiam, sive potius insipientiam nocti. Adhuc enim scribæ, Pharisæi prædicant quia cæci sunt, et duces cæcorum, seipsos, et alios secum in noctis ignorantiæ tenebras mergunt. Nox enim sunt isti cæci sine luce, nihilque aliud quam tenebras habent, ideoque nihil aliud quam errorem docent et prædicant. Dictum est autem, qui sunt cœli, quid nuntient, a quo acceperint ea, quæ narrant, et nuntiant. Restat nunc, ut audiamus quibus linguis, quibusque sermonibus ea annuntiant. « Non sunt, » inquit, « loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum (*Psal.* XVIII, 3). » Hoc est enim, quod in Actibus apostolorum legitur, quoniam « loquebantur variis linguis apostoli magnalia Dei (*Act.* II, 12). » Omnibus linguis loquebantur, id est omnem scientiam docebant. Sed ubi ? Vis audire ? « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4). » Et quid dicebant ? « In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exsultavit ut gigas ad currendam viam (*Ibid.*, 6). » In sole, inquit, id est in luce, in claro, in manifesto posuit **513** tabernaculum suum, id est carnem et humanitatem suam, in qua, velut in tabernaculo divinitas occultata latebat, ut adimpleretur quod scriptum est : « Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri (*Isa.* LII, 10). » Erat supra solem, et videri non poterat, humiliavit se, et descendit, ut in sole videretur, et per carnem, quam assumpsit, manifestaretur. « Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII, 5) : » exsultavit ad currendam viam factus ut gigas, fortis videlicet, et insuperabilis, et non secundum hominum opinionem, sed secundum rei veritatem duplicis naturæ, Deus pariter et homo. Gigantes enim secundum hominum opinionem et dii, et homines esse putantur; « potentes a sæculo, sicut scriptum est, viri famosi (*Genes.* VI, 4). » Processit igitur tanquam sponsus de thalamo suo, quia non solus, sed conjugatus de utero Virginis exivit. In quo videlicet utero Dei filius nuptias fecit, uxorem duxit, et priusquam nasceretur, humanitatem nostram sibi conjunxit. Exsultavit autem ad currendam viam, quia, ut hominem redimeret et salvaret, ipsam cum gaudio sustinuit passionem, et ipse quidem veraciter dicere potuit : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum (*Psal.* CXVIII, 30). » Hic est enim ille « beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit (*Psal.* I, 1). » — « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II, 22). » In hac via cucurrit ipse, in hac exsultavit, in hac et nos currere docuit. « A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (*Psal.* XVIII, 6). » Hoc est enim, quod ipse ait : « Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem (*Joan.* XVI, 28). » Denique a summo ad summum est occursus ejus, quia per omnia æqualis est Patri secundum divinitatem. De quo et Daniel ait : « Aspiciebam in visu noctis; et ecce in nubibus cœli Filius hominis venit; et datum est ei regnum, et honor, et potestas, et usque ad antiquum dierum pervenit (*Dan.* VII, 13). » Usque ad antiquum namque dierum perveniet Dominus, quando similis Patri et æqualis per omnia apparebit. Si enim esset aliquid secundum divinitatem, in quo differret ab ipso, non utique perveniret usque ad ipsum. Pervenit igitur usque ad ipsum,

Digitized by Google

quia in nullo distat ad ipso. Beati illi cœli, qui sic enarrant gloriam Dei.

CAPUT III

De nubibus novis.

« Posuit Dominus tenebras latibulum suum in circuitu ejus, tabernaculum ejus tenebrosa aqua in nubibus aeris (*Psal.* XVII, 12). » — « Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis (*Ibid.*, 13). » Novus mundus (1772) novas tenebras habet, vetera transierunt et facta sunt omnia nova. Iste mundus Ecclesia est, in qua cœli novi, et terra nova, et homines novi, et omnia nova et munda sunt. Quid igitur nubes, nisi apostolos intelligamus? De quibus scriptum est : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas (*Isai.* LX, 8). » Et cœli, et nubes, et montes, et fontes, et multis aliis nominibus vocantur sancti apostoli, propter quasdam sibi convenientes significationes. Sed quo volant? Dicat Psalmista : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4). » Unde veniunt : « Educens nubes ab extremo terræ : fulgura in pluviam fecit (*Psal.* CXXXIV, 7). » Istæ nubes pluunt super bonos et malos, et terram infecundam et infructuosam doctrinæ pluviis fecundam faciunt. Misera illa terra, quæ harum pluviis non irrigatur. Misera Judæa et Synagoga, de qua scriptum est : « Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem (*Isa.* V, 6). » Unde et Apostolus dicit : « Vobis primum oportebat prædicari verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos fecistis eternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). » Volant igitur apostoli quasi nubes (1773) ubique compluentes, totam terram fecundantes, ad idem vocantes, miraculis coruscantes et fulgura in pluviam facientes. Fulgura namque in pluviam fiunt, quando miracula doctrinam sequuntur. Sic enim de apostolis in Evangelio dicitur : Quoniam « profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis (*Marc.* XVI, 25). » Per nubes igitur apostolos, per pluviam doctrinam, et tonitrua voces, et per fulgura miracula intelligamus. Unde etiam Jacobus, et Joannes Boanerges, id est filii tonitrui vocantur, quorum altisonis vocibus, quasi magnis quibusdam tonitruis mundus perterritus ab infidelitate ad fidem conversus est. (1774) Similiter et Bartholomæus filius suspendentis aquas, novas nubes, atque fecundas, de fonte vitæ, de fontibus Israel aquas hausit, salientes in **514** vitam æternam, quas et tenere et fundere suo tempore novit. His aquis irrigatur tota nostra terra, lavatur corpus et anima nostra. Has autem nubes auster, et aquilo fugat, de quo scriptum est : (1775) « Ventus A aquilo dissipat pluviam (*Prov.* XXV, 23). » — « Ab aquilone pandentur mala super omnes habitatores terræ (*Jer.* I, 14). » — « Ponam, inquit diabolus, sedem meam ad aquilonem et ero similis Altissimo (*Isa.* XIV, 14). » Ipse est igitur, qui nubes fugat, qui sanctos persequitur, qui de infidelium civitatibus apostolos pellit et ad alias civitates fugere compellit. Hoc enim et ipse Dominus eis præcipit : « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* XX, 23). » Sed si Dominus surgens a somno imperet ventis et mari, illico fiet tranquillitas magna (*Matth.* VIII, 26). Et dicetur aquiloni : « Surge aquilo, » imo fuge : « et veni, auster, et perfla in hortum meum, et fluent aromata illius (*Cant.* IV, 16). » Sunt autem venti boni et venti mali; nubes bonæ et nubes malæ. B Malæ nubes hæretici et schismatici, qui non pluviam sed (1776) grandinem ferunt. Ex quibus sagittæ et fulgura procedentia, non vitia, sed animas interficiunt. Boni venti de thesauris Domini producuntur, de quibus dicitur : « Qui producit ventos de thesauris suis (*Psal.* CXXXIV, 7). » Talis ventus est charitas, pietas et misericordia, cæteræque virtutes, quæ de cœlestibus thesauris producuntur. His autem feruntur nubes, his apostoli ducuntur : istæ cogunt eos volare, mundum peragrare et Evangelium prædicare; unde et apostoli inquiunt, non possumus non loqui ea quæ audivimus et scimus. « Charitas enim Dei urget nos (*II Cor.* V, 14). » Valde conveniens est, ut talibus ventis tales nubes circumferantur, de quibus scriptum est : « Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, timuerunt, et turbatæ sunt abyssi. C Multitudo sonitus aquarum vocem dederunt nubes (*Psal.* LXXVI, 17). » Sed, quomodo aquæ Dominum, vel quibus oculis videre potuerunt? (1777) Quare etiam timuerunt? Quæ sunt istæ aquæ? Insensibiles enim res videre et timere non possunt. « Aquæ multæ, dicit Scriptura, populi multi (*Apoc.* XVII). » Merito populi aquæ vocantur, qui semper ad inferiora currunt, et ad mortem festinant. De Jordane tamen dicitur : « Et tu, Jordanis, qui conversus es retrorsum (*Psal.* CXIII, 5). » Usque inferius currebas; nunc te ad superiora conscendere video. Quid enim per Jordanem nisi populus baptizatus significatur? Ibi cœpit baptismi sacramentum : D ibi Dominus baptizatus est. Solus igitur iste fluvius, solus populus Christianus superius ascendit et ad cœlestia scandit, cæteræ vero aquæ; cæterique populi in mare demerguntur et in infernum præcipitantur. Istæ autem aquæ, de quibus dicitur : « Viderunt te aquæ, Deus, et timuerunt, » bonæ aquæ esse videntur, quæ Dominum cognoscere et timere meruerunt, unde et turbatæ sunt abyssi, quia multitudo facta est sonitus aquarum. Hæc, inquit, fuit causa, quod abyssi turbarentur, quod infernus et

(1772) Cod. Vat. : *Novas nubes habet.*

(1773) Cod. Vat. : *ubique pluentes.*

(1774) Uterque codex, et cit. edit. *Similiter et Bartholomæus filius* suspendentis aquas *interpretatur. Mirabili enim et ineffabili modo aquas in nubibus usvendit. Quas videlicet aquas quomodo nubes elevent, quomodo teneant, et quomodo fundant, longe est ab humana scientia. At si ut Bartholomæus filius*, etc.

(1775) Cod. Vat. : *Venit aquilo, fugat nubes.*

(1776) Cod. Vat. : *grandines.*

(1777) Cod. Vat. : *Quare et timuerunt? Quæ sunt istæ sensibiles, quæ videre et timere possunt?*

Digitized by Google

maligni spiritus formidarent et confunderentur, quia aquæ illæ, de quibus modo diximus, Dominum viderunt et timuerunt. Insuper et multitudo facta est sonitus aquarum Deum laudantium, et confitentium, et ad finem convertentium. Hoc autem totum factum est, quia vocem dederunt nubes, quia apostolorum tonitrua audita sunt; quia verbi Dei sagittæ (1778) jaculatæ sunt et quia miraculorum coruscationes visæ sunt. Hoc est enim, quod ait : « Etenim sagittæ tuæ pertransierunt, vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, et contremuit terra (*Psal.* LXXVI, 19). » Quid est, commota est et contremuit terra? nisi hoc quod modo dixit : « Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ et timuerunt. » Bene igitur commota et contremuit terra. Sic enim commoveri et sic contremiscere ad salutem pertinet animarum. Vox autem tonitrui tui in rota facta est, quia apostolorum prædicatio (ipsi enim sunt tonitrua Dei) per totam hujus mundi rotunditatem audita est. Isti ergo sunt, qui ut nubes volant. Istæ nubes claræ et præfulgidæ. Isti sunt illi cherubim, super quos Dominus ascendit et volavit super pennas ventorum. Et qui prius posuit tenebras latibulum suum, siquidem obscura et tenebrosa erat aqua in nubibus aeris, modo per nubes lucidas et præfulgidas cunctis est gentibus manifestatus. Et quem antea ipsum suum tabernaculum videre non poterat, modo revelata facie ipsi gentiles eum cognoscunt. Cherubim autem scientiæ plenitudo interpretatur. Sicut igitur vocantur apostoli nubes, quia fidei doctrinæque aquis abundant, ita etiam Cherubim vocantur, quia sapientia et scientia pleni sunt. Super hos autem Dominus ascendens volavit, quod gloriam sui nominis cunctis gentibus per eos revelavit. Volavit autem super pennas ventorum, quia principes et sapientes hujus sæculi initio derelinquens, pauperibus et insipientibus se manifestavit. Unde Apostolus ait : « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi nobiles, non multi sapientes, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut perdat sapientia, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I, 26). » Egregie autem potentes hujus sæculi et sapientes venti vocantur, quia ipsi sunt, qui hoc magnum et spatiosum mare, id est mundum ubique ventilant et perturbant. Latibulum autem Dei, legis et prophetarum libri intelliguntur, quia ideo quidem latibulum vocantur, quoniam Dei virtutem et sapientiam Jesum Christum Salvatorem nostrum, ibi latentem, Judæi comprehendere nequiverunt, quamvis die noctuque eos legerent et meditarentur in ea. Et hoc est, quod ait : « In circuitu ejus tabernaculum ejus (*Psal.* XVII, 12). » Tabernaculum Dei Synagoga fuit, quæ circa hoc latibulum usque hodie residens, totum vitæ suæ tempus casso labore consumit. Unde et Dominus eis dicebat : « Erratis non scientes Scripturas, neque virtutem Dei (*Matth.* XXII, 29). » Tenebrosa enim aqua in nubibus aeris et valde obscura scientia est in libris prophetarum, quæ nisi per Spiritum sanctum intelligi non valet. Nostræ vero nubes claræ et lucidæ sunt, quarum pluvia suavis est, quarum doctrina melliflua est, quarum prædicatio et sapientibus et insipientibus conveniens est. Et hoc est, quod dicit : « Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt (*Psal.* XVII, 23). » Quo autem transierint, jam superius dictum est : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 3). » Sic igitur volant et sic transeunt nubes Dei. Illis autem transeuntibus, grando, et carbones ignis ubique, subintelligitur, sparsi sunt. Istæ sunt illæ nubes, de quibus dicitur : « Numquid nosti semitas nubium, magnas et perfectas scientias (*Job* XXXVII, 6). » Viæ namque nubium, magnæ perfectæque scientiæ illæ sunt, quibus nos apostoli cœlestia petere et terrena cuncta despicere docent. Has autem vias sublimes, et magnas, et scientias plus quam perfectas ipse quoque Dominus atque Salvator nos docuit, dicens : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo (*Matth.* XIX, 21). » Nam et ipse nubes est, sicut de seipso scriptum est : « Ecce Dominus ascendit super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et corruent omnia simulacra ejus (*Isa.* XIX, 1). »

CAPUT IV.

De montibus novis.

« Levavi oculos meos ad montes unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX, 1). » Et isti montes novi sunt et de novo mundo sunt, ad quos oculos levare et a quibus auxilium exspectare debemus. Isti montes, patriarchæ et prophetæ, apostoli et doctores intelliguntur, qui a terrenis omnibus elevati et cœlo propinquiores effecti, mundana omnia despiciunt. De quibus Dominus ait : « Qui in Judæa sunt, fugiant ad montes : et dicant montibus : Cadite super nos, et collibus : Operite nos (*Luc.* XXIII, 30). » Isti sunt montes, qui « exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. » Sed quare exsultaverunt, quia « a facie Domini mota est terra a facie Dei Jacob (*Psal.* CXIII, 7). » Non sicut lupi et leones, aliæque bestiæ exsultaverunt, quæ sanguine gaudent et de crudelitate vivunt. Talis est enim tyrannorum et hæreticorum exsultatio, sed sicut oves, sicut agni, sicut mites et absque macula exsultaverunt. Montes quidem, sed non superbi, colles sunt, sed mites, et hoc quidem per arietes et agnos significatur. Lætantur autem, quod commota est terra, quia ab infidelitate ad fidem et ad vitæ pascua festinant peccatores. Sicut enim sancti vocantur cœlum; ita et peccatores vocantur terra. Isti sunt montes æterni, de quibus dicitur : « A montibus æternis conturbati sunt insipientes corde (*Psal.* LXXV, 6). » Cæteri montes non sunt æterni : « Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor.* VII, 31). » — « Cœlum et terra transibunt

(1778) Cit. edit. habet : *Torculatæ sunt.*

Digitized by Google

Luc. XXI, 33). » — « Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum (*Sap.* , 16). » Ab his autem omnes insipientes corde, udæi videlicet et gentiles, ore insipientes, insi-ientes corde, philosophice loquentes et nihil intel-gentes turbati sunt. Quare turbati sunt? Propter gna quæ videbant, et quia eis resistere non vale-ant. Non enim ipsi loquebantur, sed Spiritus san-tus in eis, quibus os et sapientiam Dominus dede-at, cui non poterant resistere et contradicere omnes dversarii eorum. Turbati sunt igitur, alii bene, alii ale. Alii credentes et alii sævientes. Et « propterea on timebimus, dum turbabitur terra, et transfe-entur montes in cor maris (*Psal.* XLV, 3). » Quia Deus nostrum refugium est, et virtus, adjutor in ribulationibus, quæ invenerunt nos nimis (*Ibid.*, 1).» uid enim cor maris, nisi reges et principes, cæ-erique potentes hujus sæculi intelligantur? Sic enim unt isti in hoc mundo, sicut cor nostrum in cor-ore nostro. Eorum consilio credunt omnes, eorum oluntati obediunt omnes. Isti sunt enim cor maris, Illius videlicet maris, de quo dicitur : « Hoc mare magnum, et spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus (*Psal.* CXXIII, 25). » Quando ergo mon-es nostri, montes æterni, sancti apostoli videlicet ransferentur in cor maris, in hujus pelagi profun-am voraginem, cum trahentur ante reges et prin-ipes, quando terra conturbabitur et Ecclesia per-errita contremiscet; tunc utique non erit timen-um nobis, quia Dominus refugium nostrum est. Sonuerunt quidem et turbatæ sunt aquæ ejus, unde *ipsi quoque* montes ad momentum turbati sunt in ortitudine ejus. Sed neque sic timendum, quia Do-minus adjutor noster est in tribulationibus, **516** næ invenerunt nos nimis. Quanto major tribulatio st, tanto amplior est consolatio. Sonabant autem quæ maris : non unus, vel duo, sed tota civitas in artyres fremebat. Montes autem quid faciebant, uid in tanta tempestate martyres agebant? « Con-rbati sunt, inquit, montes in fortitudine ejus *sal.* XLV, 4). » Hoc est enim, quod ait Apostolus : tribulatione, quæ facta est ei in Asia, quoniam pra modum gravatus est super virtutem; ita ut Deret eum vivere (*II Cor.* I, 8). Et quid faciebat ræ mons iste fortissimus, cum tot et tantæ insur-rent in eum procellæ? Audi ipsum dicentem : Quia neque mors, neque vita, neque aliqua for-o poterit me separare a charitate Domini, quæ in Christo Jesu (*Rom.* VIII, 39). » Merito itaque pra tales montes Ecclesia fundata est, dicente ript ura : « Fundamenta ejus in montibus sanctis *sal.* XLV, 1). » Unde et ipse Dominus ait : « Ego tem constitutus sum rex a Deo supra Sion mon-n sanctum ejus, prædicans præceptum Domini *sal.* II, 6). » — « Venite ergo, ascendamus in ontem Domini, et ad domum Dei Jacob (*Isa.* II, » Nam et ipse Dominus mons vocatur. « Mons » utique Selmon, « mons Domini; mons pinguis; ut quid suspicamini montes coagulatos? » (*Psal.* LXVII, 17.) Ut Sina mons est iste, « in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Etenim Dominus habitabit usque in finem (*ibid.*). » Et iste quidem mons Dominus est, cæteri vero non Dominus, sed currus Domini sunt. Illis loquitur propheta, qui Eliam, et Jeremiam, et Joannem prophetam Christum esse putabant. Præ-cedentia videamus, ut hæc planius intelligamus. « Dum, inquit, discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon (*Ibid.*, 15). » (1779) Quis est iste cœlestis? Noster Dominus Jesus cœlestium, terrestrium et infernorum rex et dominus; qui, dum discernit, disponit et ordinat reges et magistros super Ecclesiam suam, ea quæ superius in hoc psalmo continentur, locutus est. Lege a principio psalmum, et intelliges. Isti autem reges nive deal-babuntur; hoc est nivis candorem et pulchritudinem suscipient. Hunc autem candorem et hanc pulchri-tudinem suscipiunt sancti, quando baptizantur, quando super nivem dealbantur et ab omni vitiorum macula mundantur. Hæc autem purificatio fit in Selmon, id est in Christo. Ipse est enim qui lavat nos a peccatis nostris in sanguine suo. Nemo enim baptizatur, nemo a contagione peccatorum munda-tur, nisi in ipso et per ipsum. « Quicunque enim bap-tizati sumus, in Christo Jesu, in morte ipsius bapti-zati sumus (*Rom.* VI, 3). » Selmon *imago fortitudinis*, vel *umbra offendiculi* interpretatur. De Christo enim dicit Apostolus : « Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus (*Hebr.* I, 3) » Ipse quoque lapis offensionis est, et petra scandali (*I Petr.* II, 7), in quo non illuminati, sed cæci offendunt, qui non ipsum, sed ejus umbram intuentur, id est non divi-nitatem, sed solam ejus humanitatem cognoscunt. Umbra enim non spiritus, sed corporis est. Hic est ergo « mons Selmon, mons Domini; mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis. » Ipsa verborum replicatio manifestissime ostendit quanta sapientiæ et scientiæ ubertate, quanta virtutum omnium fecun-ditate, quantaque gratiarum pinguedine mons iste abundet: « In ipso » enim, ut Apostolus ait, « habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II, 9). » Ipse est flos de radice Jesse super quem « re-quiescit Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, et in-tellectus; spiritus consilii, et fortitudinis; spiritus scientiæ, et pietatis spiritus; timoris Domini (*Isai.* XI, 2). » Stulti ergo sunt, qui alios montes admit-tunt, quamvis isti coagulati sint, quamvis pingues et uberes, quamvis mella et lacte fluant, quamvis ar-bores multas nutriant, quamvis oves, et boves, et multa animalia pascantur in eis; quamvis sapientiæ et scientiæ fontes deriventur ab eis. Stulti, inquam, sunt, qui illum montem hos esse suspicantur, in quo beneplacitum est Domino habitare, non quasi diver-sum in diverso, sed quasi idem in eodem. Unde idem ipse Dominus ait : « Ego sum in Patre, et Pater in

(1779) Cod. Vatic. *Quis est iste cœlestis, nisi Dominus Jesus*, etc.

Digitized by Google

me est (*Joan.* XIV, 11); » et : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X, 30). » Illi vero alii non Dominus, sed currus Domini sunt, milites Domini, equites et equi Domini, de quibus dicitur : « Qui ascendit super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III, 8). » Sunt autem et alii montes, per quos virtutes intelligimus, ad quos ascendere nos oportet, si volumus videre Christum pugnantem, et vincentem, et discipulos eligentem. Si volumus eum videre de paucis panibus multa millia hominum reficientem, et si volumus simul cum apostolis eum videre super cœlos ascendentem. Denique et quando transfiguratus est super montem, cum ascendisse evangelista testatur : « Assumpsit enim Petrum, et Jacobum, et Joannem, et duxit eos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est coram eis (*Matth.* XVII, 1). » Securus Abraham in montibus habitavit. In planitie Loth ab hostibus captus est, sed ab his liberatus, qui in montibus habitabant. David quoque, fugiens Saulem, in locis tutissimis solisque ibicibus perviis demorabatur. Sic et Jacob immolaturus Domino super montem Bethel ascendisse legitur. His igitur et similibus edocemur, si securi esse volumus, si Domino placere, et ejus gloriam videre desideramus, ad montem nobis fugiendum esse. Multi sunt montes, multæ sunt virtutes, **517** in quamcunque ascenderis, securus eris. Abraham in monte fidei salvatus est; in monte mititatis Moyses, in monte mansuetudinis David, in monte patientiæ Job, et in monte misericordiæ Tobias salvati sunt. Beata quoque virgo Maria in monte humilitatis ab angelo inventa est, sicut ipsa ait : « Magnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* I, 47). » Audiamus prophetam, dicentem : « Supra montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion (*Isa.* XL, 9). » Ego montem excelsum charitatem intelligo, de quo Apostolus ait : Adhuc excellentiorem viam vobis ostendo, sequimini charitatem. In hunc igitur montem (1780) prædicant, qui evangelizant Sion. In hunc montem ascendant prædicatores Ecclesiæque doctores. In hunc beatus Petrus ascenderat, quando ei Dominus oves suas commendavit. Prius enim ter a Domino de charitate interrogatus est, prius charitatem ter professus; et sic pascendarum ovium curam suscepit. In montem Oliveti frequenter ascendere et discipulos secum ducere Dominus consueverat, ut nos quoque in montem (1781) olei, in montem pacis et misericordiæ ascendere, et illic manere gaudeamus : et ita Domino ascendente, viam notemus, per quam post ipsum scandere valeamus. Sunt autem alii montes (1782) in quos ascendere, et ad quos appropinquare periculosum est. De quibus Propheta ait. « In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in monte, sicut passer (*Psal.* X, 1). » Et Dominus in Evangelio : « Si habueritis, inquit, fidem, sicut granum sinapis, montes quoque transferre poteritis (*Matth.* XVII, 19). » Mali montes in quibus Loth inebriatus filias proprias violavit. Mali montes Gelboe, quos David maledicens ait : « Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia cadat super vos, ubi ceciderunt fortes Israel, Saul, et Jonathas (*II Reg.* I, 23). » Gelboe *lubricus* interpretatur : « Fiant, inquit Psalmista, viæ eorum tenebræ et lubricum (*Psal.* XXXIV, 6). » Montes igitur Gelboe hæretici sunt, montes volubiles, montes lubrici et instabiles, in quibus veritas non est; facile cadunt quicunque in eos ascendunt, eis credunt et ad eos confugiunt. Ibi ergo cecidere, ibi usque hodie cadunt fortes Israel, sicut ipse Dominus ait : « Surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa, et prodigia multa; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth.* XXIV, 24). » Talis mons fuit Arius, talis Sabellius, talis Simon Magus; tales et multi alii, inter quos ipsi quoque episcopi innumerabiles ceciderе. Tales montes maledicti sunt super quos imbres cœlestis gloriæ, vel pluvia veræ spiritualisque doctrinæ cecidisset, nequaquam maledicti essent. Hos igitur montes fugiamus et ad montes catholicos redeamus, ad montes pingues, et uberes, et videamus (*Joan.* XIV, 1) Agnum stantem super montem Sion, et cum eo centum quadraginta millia. « Ego, inquit, constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum Domini (*Psal.* II, 6). »

CAPUT V.

De arboribus novis

Postquam de montibus locuti sumus, conveniens erat, ut de arboribus loqueremur; sed quia satis, sicut nobis videtur, de arboribus superius diximus, illo videlicet in loco, ubi de bonis et de malis arboribus Dominus loquitur, quibus boni et mali homines significantur, eadem hic repetere non videtur necessarium, et facilius est chartas revolvere quam eadem ipsa iterum scribere.

CAPUT VI.

De animalibus novis.

« Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ut non suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit (*Cant.* III, 5). » Nunquam sic filias Jerusalem Salomon sapientissimus adjurasset, nisi per hos cervos et capreas aliud intelligere voluisset. Quis enim per istos adjuratus tali exorcismo a propriæ voluntatis intentione reducatur? Quæ enim cervis et capreis reverentia exhibenda est, ut tanta per eos adjuratio fieri debeat? Novi igitur cervi et novæ capreæ apostoli videlicet, et doctores per istos intelligantur, quos quidem tanquam patres honorare, et velut eis qui nos Domino genuere, omnem reverentiam exhibere debemus. Unde Apostolus ait : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Galat.* IV, 19). » Itemque : « Et si multos pedagogos habetis, sed non multos patres; in Christo

(1780) Cit. edit., *ascendant.*
(1781) Cod. Vat., *in montem Oliveti.*
(1782) Cod. Vat., *et ipsi mali.*

Digitized by Google

enim Jesu per Evangelium ego vos genui (*II Cor.* v, 15). » Nihil igitur majus post Dominum invenire potuit, cui filiæ Jerusalem obedire debuissent. Sunt autem filiæ Jerusalem animæ sanctorum, quæ pacem et concordiam diligunt. Siquidem Jerusalem visio pacis interpretatur, et omnem discordiam, lites et contentiones a se repellunt. Dilecta vero omnis anima intelligi potest, quæ per fidei Sacramentum Deo desponsata et conjuncta est. Hæc autem dilecta **518** nunc dormire dicitur, quando terrenorum omnium oblita, quasi suavissimo somno in sola Domini contemplatione insoporata quiescit. A tali igitur somno eam suscitare, et a tanta quiete separare, et ad mundi curas velle revocare perfectum est, nisi forte ipsa velit, alio zelo commota, et non aliqua vi, sed patrum precibus inclinata, ut pro multorum salute ecclesiastica regimina aliquando suscipiat. Hoc autem apertius in Evangelio significatur, ubi, cum Martha dixisset ad Jesum : « Domine, non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet (*Matth.* x, 40). » Neque eam surgere coegit, neque surgere vetuit, illius voluntati derelinquens (1783), utrum horum duorum potius elegisset. Hoc igitur exemplo tales viri rogari quidem possunt; cogi autem non possunt. Dicat ergo Propheta : « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, filiæ concordiæ, filiæ pacis per capreas, cervosque camporum, » quorum fide et doctrina ad hanc tantam gratiam pervenistis, ut de malis servis sponsæ et filiæ mini, « ut non suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. » Nullam vim ei faciatis, illius deliberationem, et potestatem omnia (1784) nentes. Quando autem apostoli, sicut cervi, vel capreæ, vel unicornes, vel cameli, vel onagri, equi vel boves, oves vel arietes, vel hujusmodi aliquid dicantur, tunc in illis animalibus quærendum est, si fortasse tale aliquid in illorum natura inveniatur, quod virtuti conveniat et apostolicæ dignitati non sit contrarium. Omnia enim hæc et bonam et malam significationem habere possunt. Fertur quod Plato feres homines et instabiles, capreas et cervos vocare consueverat. Crudeles vero et immites, leones; pios, fatuos, et asinos; luxuriosos vero porcos et hircos vocabat. Unde factum est, ut quidam stulti verba ejus mala intelligentes ad tantam insaniam pervenissent, ut homines in bestias, et bestias in homines post aliquanta sæcula converti crediderint. Sic illi dixerint. Nos autem quare apostoli, cæteri sancti cervi vel capreæ munda animalia et innocua sunt, quæ cum multam ab aliis persecutionem patiantur, nullam tamen aliis persecutionem faciunt præter hoc quod cervi serpentes interficiunt; quod videtur apostolis convenire maxime videtur; quia mundi, et malignos spiritus persequentes, aliam discordiam habere nesciunt, cum ipsos suos diligant inimicos. Sunt autem cervi agiles ad currendum, sed non quantum apostoli, qui parvo tempore non unam tantum provinciam, sed et totum mundum peragrarunt. Capreæ quoque, quas Græci doreadas vocant, acutum visum habere perhibentur; sed acutiorem illi habent, qui Deum ipsum, et cuncta invisibilia mentis oculos contemplantur. Non sunt itaque apostoli cervi, sed propter hæc, et similia cervi vocantur. « Sicut enim, ut Psalmista ait, cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus (*Psal.* XLI, 2). » Ecce alia similitudo propter quam anima justi cervus appellatur. Vocantur autem apostoli et leones, non quod sanguine gaudeant et crudeles sint, sed quia fortissimi bestiarum, ad nullius timent occasum. Hoc enim de leone scriptum est : Nulli leones tam fortes, quam apostoli fuerunt, nulli tantas bestias interfecerunt, nulli tantos rugitus in deserto dederunt. De istis leonibus est etiam Marcus evangelista. Isti sunt, qui sua fortitudine sedem Salomonis, Ecclesiam Domini defendunt. Vocantur autem apostoli et unicornes, quoniam uno fidei cornu omnes ventilant potestates. Hoc enim animal unum cornu in fronte super nasum habere dicitur; unde et rhinoceros Græce vocatur, quatuor pedum altitudine ita validum et acutum est cornu, ut nulla alicujus animalis fortitudo ei unquam resistere valeat; cum etiam ipsos elephantes ejus impetu perforet et prosternat. Major tamen fortitudo est in cornu et in fide apostolorum, quibus Dominus dedit potestatem, sicut in Evangelio dicitur, calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici. Nulla virtus excipitur (1785), omnis vero inimici hoc uno cornu prosternuntur. Sancti enim per fidem vicerunt regna. « Et omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum; et hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra (*Joan.* v, 4). » Hæc est igitur causa, quare unicornes apostoli dicantur; et non solum apostoli, verum etiam ipse Dei Filius unicornis vocari non dedignetur. Unde est illud : « Et ædificavit (1786) sicut unicornium sacrificium suum (*Psal.* LXXVII, 69). » Bene autem sicut unicornis, quia « ipse Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII, 8). » Talis virtus et fortitudo necessaria fuit, ut tantum ædificium fundaretur. Alibi quoque de eo scriptum est : « Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani; et comminuet eas tanquam vitulum Libani, et dilectus quemadmodum filius unicornium (*Psal.* XXVIII, 5-6). » Ecce attende quanta hujus unicornis sit fortitudo, qui sola voce tantas talesque cedros confringere potest. Quid enim per has cedros, nisi mundi hujus virtutes et potestates intelligamus, quarum quidem, aliæ bene, aliæ male confractæ sunt, voce **519** evangelica super eas intonante. Et illæ quidem bene confractæ sunt, de quibus templum ædificatur; malæ vero, quæ excidentur et in ignem mittuntur. Vitulus vero Libani ille mihi esse videtur, qui in festivis diebus ad templum oblatus, in frusta divisus

(1783) Cod. Vat., *Quod horum.*
(1784) Cit. edit., *ponatis.*
(1785) Cod. Vat., *omnis virtus inimici hoc uno fidei eorum prosternitur.*
(1786) Cod. Vat. et cit. edit., *Sicut unicornis sacrificium*, etc.

Digitized by Google

et comminutus, Domino offerebatur. Ad hujus igitur similitudinem arbores istæ comminuuntur, sive seipsos immolando Domino, sive in ignem mittantur jubente Domino. Vocatur autem Libanus Jerusalem, dicente prophæta : « Aperi, Libane, portas tuas, et devoret ignis cedros tuas (*Zach.* XI, 1). » Quando enim potentes Jerusalem, qui per cedros significantur, in ipsa civitate ab hostibus trucidabantur, tunc etiam quasi vitulus immolandus, cedri Libani comminuebantur. Quod autem sequitur : « Et dilectus filius, sicut filius unicornium ; » tale est ac si diceret : Dilectus Dei Filius sic veniet, sic pugnabit, sic sua fortitudine omnia prosternet et superabit, sicut unicornis, unicornimque filius. Nam et David, cæterique reges, et judices Israel ex quibus secundum carnem Salvator noster originem traxit, quasi unicornis, omnes gentes circa se sua fortitudine vicerunt et prostraverunt. Dicitur autem de unicorne, quod nullo ingenio capi vel teneri queat ; sed, si virgo speciosa opponitur ei, ad quam cum omni mansuetudine conveniens, dum in ejus sinum se humiliat, a venatoribus capitur vel tenetur. Similiter autem et Salvator noster nunquam teneri potuisset, nisi in Virginem venisset et carnem de ea suscepisset. Vocantur et apostoli onagri, asini silvestres ; de quibus ipse Dominus ad beatum Job loquitur, dicens : « Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit ? Cui dedi in solitudine domum et tabernacula in terra salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit (*Job* XXXIX, 8). » Hæc autem superius exposuimus in illo sermone, qui de abstinentia editus est. Et quod viri sancti onagri dicantur, satis hæc verba manifestare videntur. Equi præterea et boves vocantur apostoli, quoniam per ipsos et bella sua fecit et agrum suum coluit Dominus. Nullum animal tam idoneum ad bellum, sicut equi nullum tam idoneum ad agriculturam, sicut boves, invenitur. Isti sunt illi equi, de quibus dicitur : « Qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio. » Hos ille equus albus significat in Apocalypsi super quem Dominus cum arcu sedere describitur, qui corona datur, quia ad hoc exivit, ut vinceret. Isti sunt, de quibus scriptum est : « Nescivi. Anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab (*Cant.* VI, 11). » Interpretatur autem Aminadab, *spontaneus populi sui*. Ipse est autem Salvator noster, qui spontaneam mortem sustinuit, ut populum suum a morte perpetua liberaret. Hunc autem Synagoga non cognovit ; quia, sicut ipsa dicit, cum vili apparatu et rusticano comitatu incedere vidit. Isti sunt illi duodecim boves a quibus mare æneum portatur, quod baptisma significatur. Isti sunt, de quibus Apostolus ait : « Non alligabis os bovi triturani (*I Cor.* IX, 9). » Canes quoque vocantur apostoli, quoniam oves Domini contra lupos latronesque custodiunt. De quibus dicitur : « Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso (*Psal.* LXVII, 24). » Vocantur autem et arietes de quibus scriptum est : « Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi (*Isai.* LX, 7). » Et Salomon : « Aries, inquit, succinctus renes non est rex, qui resistet ei (*Prov.* XXX, 31). » Quales sunt isti arietes, qui et Domino ministrant et contra reges pugnare non timent ? Tales arietes sunt Petrus et Paulus, qui gladio spiritus succincti Neronem ipsum regem omnium nequissimum et crudelissimum superaverant, et Simonem magum de aere præcipitaverunt. Interpretatur autem Nabaioth propheta principii, illius videlicet principii, qui ait : « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* XVI, 25). » De cujus propheta, quicunque biberit, valde dignum est, ut Domino ministret. Si velimus omnia animalia, per quæ apostoli figurantur, scribere, non sermonem, sed magnum volumen nos edere oporteret. Addat igitur unusquisque ad hæc quod sibi placuerit, nobis autem tantula dixisse sufficiat.

CAPUT VII.

De potestatibus aeris.

« Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis ? Vos, inquit Dominus, qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis in hac vita, et post hanc, vitam æternam possidebitis. Et quia secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 27). » Novus mundus, novum imperatorem, novos reges, novos duces, novos principes et judices habet. Novi autem reges, duces, principes et judices apostoli sunt. Et in Domino quidem sunt, quia omnibus mundi hujus potestatibus, quæcunque fuerunt, sunt, vel erunt sapientiores, potentiores, fortiores, justiores et ditiores sunt. Sapientiores quidem sunt, quia omnem veritatem edocti sunt ; sicut ipse Dominus ait : « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (*Joan.* XVI, 13). » Sapientiores item sunt, quia ex et sapientiam a Domino susceperunt, cui non possunt resistere nec contradicere omnes adversarii ejus. Unde Apostolus ait : « Sapientiam loquimur inter **520** perfectos (*I Cor.* II, 6). » Sunt autem et potentiores, quia non solum in terris, verum etiam in cœlis obtinent potestatem. Sic enim ipse Dominus ait : « Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis ; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis (*Matth.* XVIII, 18). » Non sufficit eis terra, ipsi cœli in eorum principatu et imperio continentur. Habent potestatem claudere et aperire, suscipiunt quos volunt, quosque volunt excludunt. Quid de eorum fortitudine dicam, quos etiam ipsi maligni spiritus formidant ? Eis quidem venientibus fugiunt et ante eorum præsentiam stare non possunt. De divitiis autem quid attinet dicere, cum tam divites sint, ut nihil amplius habere concupiscant ? Sunt enim, ut Apostolus ait, « sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* VI, 10). »

Digitized by Google

lle ditissimus est, cui sua sufficiunt. Sola necessa- A
ia habebat Diogenes et cunctis imperatoribus ditior
rat, quia nihil amplius habere volebat. Pauper est,
ui mendicat; mendicant autem imperatores, non
uidem voce (quamvis aliquando et voce) sed desi-
lerio, quia hujusmodi pro una domo, quam habent,
entum desiderant. Contra autem Dominus ait :
« Vos qui reliquistis omnia, » centum accipietis in
ac vita, quia satis habebant et nihil amplius cupie-
ant. Ipsa autem sufficientia plus quam centuplum
omputatur (1787). Susceperunt igitur sancti non
olum centuplum, verum etiam plus quam centu-
lum, quia cum Christo adhærent, omne ipsorum
lesiderium finitum est, quod eis avaritia suscitare
oterat. Major est sufficientia omnibus divitiis. Qui
itur sufficientiam habet, omnes, et plusquam om- B
es divitias habet. Habent ergo non solum centu-
lum, sed plus quam centuplum. Sequitur : « Vos,
ui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim,
dicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). »
i soli digni sunt judicare, qui sequuntur Jesum;
ui eadem post ipsum via incedunt; qui veritatem
justitiam diligunt, et hominis personam non respi-
unt. Tales sunt judices nostri, tales sunt sancti
postoli, qui sedentes super sedes duodecim judi-
ant duodecim tribus Israel. Sed quare super sedes
uodecim; quia totidem sunt mundi partes, secun-
um illud : « Quando dividebat Altissimus gentes,
ui nlo separabat filios Adam, constituit terminos
opulorum, juxta numerum filiorum Israel (*Deut.*
XXII, 8). » Hanc autem divisionem tunc Dominus
ecit (1788), quando ad prædicandum discipulos ire
præcepit, dicens eis : « Ite in universum mundum,
rædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XIX,
0). » Nullam mundi partem reliquit, qui mundum
niversum prædicari jussit. Sic igitur divisit Domi-
us gentes, et ita separavit filios Adam, ut alii per
etrum, alii per Joannem, atque alii per alios con-
ertærentur ad fidem. Hoc autem et illud significare
idetur, quod in Psalmis de Christo legitur : « Pro
atribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos prin-
ipes super omnem terram (*Psal.* XLIV, 17). » Pro
atribus enim Salvatori nostro filii nati sunt, qui a,
ecundum numerum patrum factus est et numerus
liorum. Duodecim quippe fuerunt filii Jacob, ex D
uibus Synagoga tota manavit. Duodecim et sunt
lii Christi, ex quibus Ecclesiæ multitudo pullulavit.
on dedignatur Salvator noster eos dicere patres,
quibus secundum carnem originem duxit. Audi
sum dicentem : « In te speraverunt patres nostri,
peraverunt, et liberasti eos (*Psal.* XXI, 5). » Vo-
ntur igitur apostoli et reges, et principes. Vocan-
r duces, et judices, vocantur et aliis nominibus,
uæ viris convenire valeant. O judices super omnes

judices, qui non solum homines, sed ipsos quoque A
angelos judicabunt! Hoc enim et Apostolus ait :
« Nescitis quia et angelos judicabimus? » (*I Cor.* VI,
3) in illo tremendo judicio, cui omnis rationalis
creatura astabit; quando et angeli, et homines omnes
simul in unum convenient, quando nobilis in portis
Ecclesiæ sponsus, et Dominus cum his senatoribus
terræ judicibus sedebit. Ille quoque superbus cum
omni suo exercitu ibi astare necesse habebit, qui
supra cœlos ascendere, et sedem suam ponere mi-
nabatur. Ad istorum sententiam damnabitur, ille,
qui eos ipsos accusare non cessat. Isti ergo soli
reges et principes; isti soli duces et judices dicendi
sunt; isti sunt, de quibus dicitur : « Principes Juda
duces eorum, principes Zabulon, principes Nepthali B
(*Psal.* LXVII, 28). » Isti sunt illi reges, de quibus
dicitur : « A templo tuo in Jerusalem tibi offerent
reges munera (*Ibid.* 30). » Sunt autem apostoli et
pastores, non qui oves pascant herbis, sed qui
animas reficiunt spiritualibus verbis. Si pastores
sunt et oves habent. Oves eorum nos sumus, si
tamen oves sumus. Si vero oves non sumus,
de eorum gregibus non sumus, quoniam isti pa-
stores non custodiunt nisi oves. Unde et Petro a
Domino dicitur : « Si diligis me, pasce oves meas
(*Joan.* XXI, 17). » Et Dominus de seipso ait :
521 « Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas
(*Joan.* XI, 14). » Vis esse ovis? Esto humilis et in-
nocens : esto patiens et mansuetus, pelle superbiam
et rapacitatem, nulli noceas, nulli injuriam facias, C
lacte tuo vivant pauperes Christi, et lanis tuis cale-
fiant. Tales pastores tales oves diligunt. Sunt autem
negotiatores, et tales, qui terrena cœlestibus, et
transitoria æternis commutare valeant. Isti sunt
illi negotiatores, qui, inventa una pretiosa marga-
rita, venditis omnibus, eam emerunt. Isti sunt, qui-
bus Dominus peregre proficiscens tradidit bona sua,
dicens : « Negotiamini, dum venio (*Luc.* XXIX, 13); »
cui redeunti omnem pecuniam multiplicatam resti-
tuunt. Unde et unicuique eorum congratulans ait :
« Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Do-
mini tui (*Matth.* XXV, 21). » De Ecclesia scriptum
est, quia « facta est quasi navis negotiatoris, seu
institoris de longe portans panem suum (*Prov.* XXXI,
14). » Isti negotiatores neminem fallunt, et incom- D
parabiles, magnasque divitias vili pretio vendunt.
Architecti quoque sunt sancti apostostoli non infe-
riores Beseleel, et Ooliab, quos omni sapientia
Dominus replevit ad tabernaculum testimonii con-
struendum. Illorum structura, et operatio jam nimia
vetustate consumpta et soluta est; horum autem
ædificium manet in æternum. Illi auro, et gemmis,
isti virtutibus induunt sacerdotes, de quibus dici-
tur : « Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti

(1787) Cod. Vat. : *Mendicant autem imperatores. Non autem voce, quamvis aliquando et voce, et desiderio mendicant. Bene ergo Dominus ait : « Vos qui reliquistis omnia, » etc.: centuplum accipietis in hac vita, quia cum omnia haberent, pauperes erant. Qui jubebat unam domum, centum desiderabat. Modo nullam habet, et sufficit sibi. Ipsa sufficientia in centuplum computatur.*

(1788) Cod. Vat. : *Duodecim igitur partes fecit, quia tantus est numerus filiorum Israel.* Eadem interpretatio legitur in cap. 52 comment. Deuter.

Digitized by Google

et comminutus, Domino offerebatur. Ad hujus igitur similitudinem arbores istæ comminuuntur, sive seipsos immolando Domino, sive in ignem mittantur jubente Domino. Vocatur autem Libanus Jerusalem, dicente propheta : « Aperi, Libane, portas tuas, et devoret ignis cedros tuas (*Zach.* xi, 1). » Quando enim potentes Jerusalem, qui per cedros significantur, in ipsa civitate ab hostibus trucidabantur, tunc etiam quasi vitulus immolandus, cedri Libani comminuebantur. Quod autem sequitur : « Et dilectus filius, sicut filius unicornium ; » tale est ac si diceret : Dilectus Dei Filius sic veniet, sic pugnabit, sic sua fortitudine omnia prosternet et superabit, sicut unicornis, unicornimque filius. Nam et David, cæterique reges, et judices Israel ex quibus secundum carnem Salvator noster originem traxit, quasi unicornis, omnes gentes circa se sua fortitudine vicerunt et prostraverunt. Dicitur autem de unicorne, quod nullo ingenio capi vel teneri queat ; sed, si virgo speciosa opponitur ei, ad quam cum omni mansuetudine conveniens, dum in ejus sinum se humiliat, a venatoribus capitur vel tenetur. Similiter autem et Salvator noster nunquam teneri potuisset, nisi in Virgineum venisset et carnem de ea suscepisset. Vocantur et apostoli onagri, asini silvestres ; de quibus ipse Dominus ad beatum Job loquitur, dicens : « Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit ? Cui dedi in solitudine domum et tabernacula in terra salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit (*Job* xxxix, 8). » Hæc autem superius exposuimus in illo sermone, qui de abstinentia editus est. Et quod viri sancti onagri dicantur, satis hæc verba manifestare videntur. Equi præterea et boves vocantur apostoli, quoniam per ipsos et bella sua fecit et agrum suum coluit Dominus. Nullum animal tam idoneum ad bellum, sicut equi nullum tam idoneum ad agriculturam, sicut boves, invenitur. Isti sunt illi equi, de quibus dicitur : « Qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio. » Hos ille equus albus significat in Apocalypsi super quem Dominus cum arcu sedere describitur, qui corona datur, quia ad hoc exivit, ut vinceret. Isti sunt, de quibus scriptum est : « Nescivi. Anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab (*Cant.* vi, 11). » Interpretatur autem Aminadab, *spontaneus populi sui*. Ipse est autem Salvator noster, qui spontaneam mortem sustinuit, ut populum suum a morte perpetua liberare. Hunc autem Synagoga non cognovit ; quia, sicut ipsa dicit, cum vili apparatu et rusticano comitatu incedere vidit. Isti sunt illi duodecim boves a quibus mare æneum portatur, quod baptisma significatur. Isti sunt, de quibus Apostolus ait : « Non alligabis os bovi trituranti (*I Cor.* ix, 9). » Canes quoque vocantur apostoli, quoniam oves Domini contra lupos latronesque custodiunt. De quibus dicitur : « Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso (*Psal.* lxvii, 24). » Vocantur autem et arietes de quibus scriptum est : « Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi (*Isai.* lx, 7). » Et Salomon : « Aries, inquit, succinctus renes non est rex, qui resistet ei (*Prov.* xxx, 31). » Quales sunt isti arietes, qui et Domino ministrant et contra reges pugnare non timent ? Tales arietes sunt Petrus et Paulus, qui gladio spiritus succincti Neronem ipsum regem omnium nequissimum et crudelissimum superaverunt, et Simonem magum de aere præcipitaverunt. Interpretatur autem Nabaioth propheta principii, illius videlicet principii, qui ait : « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* xvi, 25). » De cujus propheta, quicunque biberit, valde dignum est, ut Domino ministret. Si velimus omnia animalia, per quæ apostoli figurantur, scribere, non sermonem, sed magnum volumen nos edere oporteret. Addat igitur unusquisque ad hæc quod sibi placuerit, nobis autem tantula dixisse sufficiat.

CAPUT VII.

De potestatibus variis.

« Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis ? Vos, inquit Dominus, qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis in hac vita, et post hanc, vitam æternam possidebitis. Et quia secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* xix, 27). » Novus mundus, novum imperatorem, novos reges, novos duces, novos principes et judices habet. Novi autem reges, duces, principes et judices apostoli sunt. Et in Domino quidem novi, quia omnibus mundi hujus potestatibus, quæcunque fuerunt, sunt, vel erunt sapientiores, potentiores, fortiores, justiores et ditiores sunt. Sapientiores quidem sunt, quia omnem veritatem edocti sunt ; sicut ipse Dominus ait : « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (*Joan.* xvi, 13). » Sapientiores item sunt, quia et sapientiam a Domino susceperunt, cui non possunt resistere nec contradicere omnes adversarii ejus. Unde Apostolus ait : « Sapientiam loquimur inter **520** perfectos (*I Cor.* ii, 6). » Sunt autem et potentiores, quia non solum in terris, verum etiam in cœlis obtinent potestatem. Sic enim ipse Dominus ait : « Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis ; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis (*Matth.* xviii, 18). » Non sufficit eis terra, ipsi cœli in eorum principatu et imperio continentur. Habent potestatem claudere et aperire, suscipiunt quos volunt, quosque volunt excludunt. Quid de eorum fortitudine dicam, quos etiam ipsi maligni spiritus formidant ? Eis quidem venientibus fugiunt et ante eorum præsentiam stare non possunt. De divitiis autem quid attinet dicere, cum tam divites sint, ut nihil amplius habere concupiscant ? Sunt enim, ut Apostolus ait, « sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* vi, 10). »

Digitized by Google

lle ditissimus est, cui sua sufficiunt. Sola necessa- A
ia habebat Diogenes et cunctis imperatoribus ditior
rat, quia nihil amplius habere volebat. Pauper est,
ui mendicat; mendicant autem imperatores, non
uidem voce (quamvis aliquando et voce) sed desi-
lerio, quia hujusmodi pro una domo, quam habent,
entum desiderant. Contra autem Dominus ait :
« Vos qui reliquistis omnia, » centum accipietis in
ac vita, quia satis habebant et nihil amplius cupie-
ant. Ipsa autem sufficientia plus quam centuplum
omputatur (1787). Susceperunt igitur sancti non
olum centuplum, verum etiam plus quam centu-
lum, quia cum Christo adhærent, omne ipsorum
esiderium finitum est, quod eis avaritia suscitare
oterat. Major est sufficientia omnibus divitiis. Qui
itur sufficientiam habet, omnes, et plusquam om- B
es divitias habet. Habent ergo non solum centu-
lum, sed plus quam centuplum. Sequitur : « Vos,
ui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim,
dicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). »
i soli digni sunt judicare, qui sequuntur Jesum;
ui eadem post ipsum via incedunt; qui veritatem
justitiam diligunt, et hominis personam non respi-
unt. Tales sunt judices nostri, tales sunt sancti
postoli, qui sedentes super sedes duodecim judi-
ant duodecim tribus Israel. Sed quare super sedes
uodecim; quia totidem sunt mundi partes, secun-
um illud : « Quando dividebat Altissimus gentes,
ui multo separabat filios Adam, constituit terminos
opulorum, juxta numerum filiorum Israel (*Deut.*
XXII, 8). » Hanc autem divisionem tunc Dominus
ecit (1788), quando ad prædicandum discipulos ire
præcepit, dicens eis : « Ite in universum mundum,
rædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XIX,
0). » Nullam mundi partem reliquit, qui mundum
niversum prædicari jussit. Sic igitur divisit Domi-
us gentes, et ita separavit filios Adam, ut alii per
etrum, alii per Joannem, atque alii per alios con-
erterentur ad fidem. Hoc autem et illud significare
idetur, quod in Psalmis de Christo legitur : « Pro
atribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos prin-
ipes super omnem terram (*Psal.* XLIV, 17). » Pro
atribus enim Salvatori nostro filii nati sunt, quia,
ecundum numerum patrum factus est et numerus
liorum. Duodecim quippe fuerunt filii Jacob, ex
uibus Synagoga tota manavit. Duodecim et sunt
lii Christi, ex quibus Ecclesiæ multitudo pullulavit.
on dedignatur Salvator noster eos dicere patres,
x quibus secundum carnem originem duxit. Audi
sum dicentem : « In te speraverunt patres nostri,
peraverunt, et liberasti eos (*Psal.* XXI, 5). » Vo-
antur igitur apostoli et reges, et principes. Vocan-
ur duces, et judices, vocantur et aliis nominibus,
uæ viris convenire valeant. O judices super omnes

judices, qui non solum homines, sed ipsos quoque
angelos judicabunt! Hoc enim et Apostolus ait :
« Nescitis quia et angelos judicabimus? » (*I Cor.* VI,
3) in illo tremendo judicio, cui omnis rationalis
creatura astabit; quando et angeli, et homines omnes
simul in unum convenient, quando nobilis in portis
Ecclesiæ sponsus, et Dominus cum his senatoribus
terræ judicibus sedebit. Ille quoque superbus cum
omni suo exercitu ibi astare necesse habebit, qui
supra cœlos ascendere, et sedem suam ponere mi-
nabatur. Ad istorum sententiam damnabitur, ille,
qui eos ipsos accusare non cessat. Isti ergo soli
reges et principes; isti soli duces et judices dicendi
sunt; isti sunt, de quibus dicitur : « Principes Juda
duces eorum, principes Zabulon, principes Nepthali
(*Psal.* LXVII, 28). » Isti sunt illi reges, de quibus
dicitur : « A templo tuo in Jerusalem tibi offerent
reges munera (*Ibid.* 30). » Sunt autem apostoli et
pastores, non qui oves pascant herbis, sed qui
animas reficiunt spiritualibus verbis. Si pastores
sunt et oves habent. Oves eorum nos sumus, si
tamen oves sumus. Si vero oves non sumus,
de eorum gregibus non sumus, quoniam isti pa-
stores non custodiunt nisi oves. Unde et Petro a
Domino dicitur : « Si diligis me, pasce oves meas
(*Joan.* XXI, 17). » Et Dominus de seipso ait :
521 « Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas
(*Joan.* XI, 14). » Vis esse ovis? Esto humilis et in-
nocens : esto patiens et mansuetus, pelle superbiam
et rapacitatem, nulli noceas, nulli injuriam facias,
lacte tuo vivant pauperes Christi, et lanis tuis cale-
fiant. Tales pastores tales oves diligunt. Sunt autem
negotiatores, et tales, qui terrena cœlestibus, et
transitoria æternis commutare valeant. Isti sunt
illi negotiatores, qui, inventa una pretiosa marga-
rita, venditis omnibus, eam emerunt. Isti sunt, qui-
bus Dominus peregre proficiscens tradidit bona sua,
dicens : « Negotiamini, dum venio (*Luc.* XXIX, 13); »
cui redeunti omnem pecuniam multiplicatam resti-
tuunt. Unde et unicuique eorum congratulans ait :
« Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Do-
mini tui (*Matth.* XXV, 21). » De Ecclesia scriptum
est, quia « facta est quasi navis negotiatoris, seu
institoris de longe portans panem suum (*Prov.* XXXI,
14). » Isti negotiatores neminem fallunt, et incom-
parabiles, magnasque divitias vili pretio vendunt.
Architecti quoque sunt sancti apostostoli non infe-
riores Beseleel, et Ooliab, quos omni sapientia
Dominus replevit ad tabernaculum testimonii con-
struendum. Illorum structura, et operatio jam nimia
vetustate consumpta et soluta est; horum autem
ædificium manet in æternum. Illi auro, et gemmis,
isti virtutibus induunt sacerdotes, de quibus dici-
tur : « Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti

(1787) Cod. Vat. : *Mendicant autem imperatores. Non autem voce, quamvis aliquando et voce, et desiderio mendicant. Bene ergo Dominus ait : « Vos qui reliquistis omnia, » etc.; centuplum accipietis in hac vita, quia cum omnia haberent, pauperes erant. Qui habebat unam domum, centum desiderabat. Modo nullam habet, et sufficit sibi. Ipsa sufficientia in centuplum computatur.*

(1788) Cod. Vat. : *Duodecim igitur partes fecit, quia tantus est numerus filiorum Israel.* Eadem interpretatio legitur in cap. 32 comment. Deuter.

Digitized by Google

tui exsultent (*Psal.* CXXXI, 6). » Illi autem istos figurabant, quorum operatio, si spiritualiter intelligatur, non illorum, sed justorum est. Qualis architectus beatus Paulus, qui de seipso loquitur, dicens : « Secundum gratiam, quæ data est mihi, ut sapiens architectus, fundamentum posui. Fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, qui superædificaverit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem sic salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III, 10). » Hæc verba longa indigent expositione, in quibus jam a pluribus laboratum est. Ego tamen quod intelligo breviter dicam. Fundamentum Christus est, super quod tota Ecclesia, et boni et mali fundati sunt. Unde ipse Dominus ait : « Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum (*Joan.* XV, 2), » ostendens etiam malos palmites per baptismi sacramentum in se esse fundatos. Et quamvis aliquando tollendi sint, adhuc tamen in Christo sunt, quoniam in Ecclesia sunt. Aurum autem, argentum, et lapides pretiosi bona opera sunt, lignum vero, fenum, et stipula peccata intelliguntur. Magnam igitur injuriam facimus huic tam nobili fundamento, quando illud in nobis peccata nostra portare et sustinere cogimus. De ipso tamen scriptum est, quod peccata nostra portavit, et pro nobis dolet (*Isa.* XIII, 11). Sustinet enim, et libenter exspectat, tantum ut convertamur, et pœnitentiam agamus, et sarcinam inutilem abjicianus. Quod si fecerimus, salvi erimus, sic tamen quasi per ignem. Quicunque enim digne conversus fuerit et pœnitentiam egerit, non solum a minoribus, ut quidam intelligere noluerunt, verum etiam a majoribus peccatis liberabitur, et salvus erit. Omne enim peccatum, dicit Dominus, et omnis blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ, per quam in malo perseverantia intelligitur, non dimittetur (*Matth.* XII). Ecce omne peccatum dimittitur, dicit Dominus, unum tantum excipitur, quod illi quidem faciunt, qui pœnitere nolunt. Dimittitur quidem per pœnitentiam omne peccatum, sed non penitus dimittitur pœna peccati. In baptismo vero utrumque dimittitur. De martyribus quoque nulla post martyrium pœna exigitur. Potens est igitur Dominus, et breviare, quantum voluerit, et penitus dimittere cui voluerit pœnam peccati. « Beatus igitur ille, cui non imputavit Dominus peccatum (*Psal.* XLI, 2). » Gaudeant itaque pœnitentes, quia peccata dimissa sunt eis; timeant tamen, quia nesciunt, an adhuc pœna peccati dimissa sit eis. Quacunque enim die conversi fuerint, si tamen digne conversi fuerint, salvi erunt. Et hoc quidem per ignem. Salvi igitur sunt, sed ignis manet; peccatum dimissum est, sed non pœna peccati. Legimus quosdam post mortem miraculis claruisse, et tamen purgatorio deputatos fuisse. De quibus dubitari non potest, et peccata eis dimissa fuisse, et pœnam peccati dimissam non fuisse. De talibus igitur dictum est : « Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse vero salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III, 10). » Cæteri vero homines, quorum peccata ardebunt, non utique salvabuntur per ignem, sed potius æternum mittentur in ignem; cæteri, inquam, homines, præter eos, qui pœnitentiam egerunt de peccatis suis. Pœnitentiam agere dico, sine pœnitentiæ remedio de hac vita non exire; qui enim sine pœnitentia moriuntur, sine fine cruciabuntur. Hoc est enim illud unum peccatum, quod non dimittitur hominibus, neque in hoc sæculo, neque in futuro. « Vigilate itaque, dicit Dominus, quia nescitis diem, neque horam (*Matth.* XXV). » Sunt autem et alia nomina apostolis valde convenientia, quæ his, quæ dicta sunt superaddere potest, qui longiorem vult facere sermonem

522 CAPUT VIII.

De mari novo, et novis piscatoribus.

« Hoc mare magnum et spatiosum : illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla, et magna : illic naves pertransibunt (*Psal.* CIII, 25). » Narrat Matthæus evangelista, quod Dominus, et Salvator noster transiens juxta mare Galilææ vidit Petrum, et Andream et Joannem, et vocavit eos, dicens : « Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum (*Marc.* I). » Quando audio homines pisces vocari, et Christi discipulos piscatores hominum fieri, quod ad litteram quidem intelligi non potest, necessario novum mare et nova retia, et novos piscatores et novos pisces intelligere cogor. Novum igitur mare mundus iste, de quo modo superius diximus : « Hoc mare magnum et spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus. » Retia Evangelia, pisces homines, piscatores vero apostoli sunt. Tantum est hoc mare, quantus et mundus, in quo animalia magna sunt, et ut in Genesi legitur cete grandia, per quæ reges et principes, cæterique majores, et potentiores homines intelliguntur. Pusilla vero animalia, et reptilia, quorum non est numerus, cætera hominum multitudo infinita uniuscujusque sexus, cujuscunque ætatis, cujuscunque ordinis et conditionis, cujuscunque linguæ et nationis intelligi potest. Sicut autem pisces maris, alii mites sunt, et simpliciter vivunt; alii vero raptores sunt, qui alios persequuntur, et devorant; ita et in hoc mundo inter homines fieri videmus, et simplicem turbam a latronibus et iniquis hominibus quotidie devorari, multisque modis devorari conspicimus. Est autem hoc in mari, et draco ille magnus, serpens antiquus qui est diabolus, et Satanas, quem Dominus formavit ad illudendum ei. De quo et ad beatum Job ipse Dominus loquitur, dicens : « Ecce Bechemoth, quem feci tecum, fenum quasi bos comedit. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ejus (*Job* XL, 10). Huic montes herbas ferunt, omnes bestiæ agri ludent

Digitized by Google

ibi. Creatura Dei est diabolus, ipse eum formavit, ipse eum fecit, sed non qualis est, eum fecit. Quod enim ait : « Draco iste, quem formasti ad illudendum ei (*Psal.* CIII, 26), » non de prima ejus creatione intelligendum est; sed quia per superbiam elevatus in veritate non stetit, talis postquam cecidit, formatus est. Ideo ad talem formam, talemque suæ infirmitatis mensuram redactus est, cui jam homines illudere possunt. Nisi enim sic ligatus a Domino teneretur, quis illius superbiæ astutiæque resistere potuisset? Unde et dicitur : « Qui fecit eum, applicabit gladium ejus (*Job* XL, 14). » Si enim gladius ejus plicatus non fuisset, quis tanti acuminis vulnera ferre potuisset? Gladii igitur applicatio virtutis illius infirmitatem ostendit. Omnes autem illi illudunt (1789), quicunque eum fugiunt, et ad pœnitentiam redeunt. Quoniam bene beatus Paulus ei illusit, qui cum Ecclesiam persequeretur in ore ejus, et intra illius dentes jam stringebatur, mox ad fidem conversus, tristem eum reliquit. Sic et Maria Magdalena eum decepit, quæ conversa ad Dominum optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* X, 42). » Uno sermone illuditur ei, et uno verbo jam devorata de ipso ejus ventre rejicitur præda. Sufficit peccatrici suam culpam dicere, et ab eo ulterius teneri non potest. Valde ergo illuditur ei, multumque complicatus est gladius ejus. Vocatur autem Bechemoth, quod *bestia* interpretatur, quoniam crudelis est et sensu bestiali utitur. Angelica quoque dignitate privatus, bestias crudelissimas per omnia imitatur. Ecce, inquit, Bechemoth, quem feci tecum, quem feci sicut te (unus est enim utriusque creator) fenum sicut bos comedit. Dicat propheta : « Vere fenum est populus, siccatum est fenum, et cecidit flos (*Isa.* XL, 8). » Non ergo viros et sapientes, sed populum stultum et indisciplinatum comedit Bechemoth. Ipse est enim princeps iniquitatum Domini. Ipse ante alias creaturas factus esse refertur; quod sic tamen intelligi potest, ac si diceretur : Ipse est causa atque principium ut via Domini, quæ una erat, in duas vias divideretur, ut alii non omnes per unam viam cœlos ascenderent, sed alii per aliam viam in infernum descenderent, unde aliis dicatur : *Ite*, aliis dicatur, *Venite*. Et huic montes herbas ferunt. Mali montes qui diabolum nutriunt, et draconi cibum ministrant. Cibus diaboli, et refectio ejus peccatum est. Qui plus peccat, majora ei convivia parat. Nulli igitur sic ei serviunt sicuti mali reges et principes; sicuti omnes avari et divites, qui per montes significantur. Isti enim non solum peccant, sed et alios secum peccare compellunt. Considera modo quanta homicidia, quantæ rapinæ, quanta perturbatio per eos ubique fiat. Unde et bene dicitur : « Omnes bestiæ agri ludunt ibi (*Job* XL, 15). » Bestiæ agri vitia sunt, et maligni spiritus. **523** Istæ igitur bestiæ ludunt ibi, id est in montibus supradictis, in cordibus videlicet iniquorum. Ibi dilectantur, ibi suaviter requiescunt, ibi theatra faciunt, et palatia construunt. Illuc socios introducunt, ut faciant novissima eorum pejora prioribus. Misera illa pecora, miseræ illæ animæ quæ tam crudelium bestiarum habitatio facta sunt. Tales pisces habitant in hoc mari, ubi reptilia, quorum non est numerus, ubi animalia pusilla et magna, ubi et draco iste, quem Dominus formavit ad illudendum ei; de quibus usque modo locuti sumus. In magnum et profundum pelagus mittuntur piscatores apostoli, qui in hoc mare piscatum veniunt. Difficilis piscatio est, ubi et pugnare, et piscari necesse est. Hinc ponunt retia ad pisces capiendos; inde gladios extendunt ad hostes pellendos. Quid dicam, quod quidam pisces sua sponte capiuntur, et retia ingrediuntur, qui postea eadem retia scindere et dissipare nituntur? Tales pisces fuere Arius, Sabellius, et Manichæi, et multi alii, qui apostolicam prædicationem, et catholicam fidem evacuare conati sunt; a quibus sancta Ecclesia, navesque apostolicæ magis fatigatæ et concussæ sunt, quam ab ipsis etiam tyrannis, qui cruentis eam gladiis persequebantur. Hanc tam immensam perturbationem præviderat Propheta, cum diceret : « Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo. Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. Statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus, et lætati sunt, quia siluerunt, et eduxit eos in portum voluntatis eorum (*Psal.* CVI, 23 *et seq.*). » Paucis verbis apostolorum prædicationem, miraculorum efficaciam, tyrannorum sævitiam, et cœlitus datam consolationem Psalmista comprehendit. Quando enim sancti Apostoli, aliique doctores in hujus maris profundissimum pelagus ad prædicandum descendebant facientes operationem in aquis multis, id est in populis multis, per singulas videlicet civitates, mortuos suscitantes, cæcos illuminantes, leprosos mundantes, paralyticos curantes, et alia mirabilia facientes, tunc ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus, quæ in hoc profundo Dominus per eos operabatur. « Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus (1790) (*Ibid.*). » Sic igitur, et tunc eo jubente turbatum est mare, et exaltati sunt fluctus ejus, alii bene, alii

(1789) Eadem expositio habetur in commentario super hunc locum tom. I, p. 293 c. 1 : « Dei namque viarum, id est operationum, diabolus principium est; quoniam inter omnes creaturas primus factus est, applicavit autem Dominus gladium ejus, quia nisi plicatus fuisset, ne recta cuspide semper ferire, perpauci ejus deceptionis gladium effugere possent. »

(1790) Hujusmodi expositio perfecte consonat cum commentario S. Brunonis in hunc Psalmum.

Digitized by Google

male (1791). Alii per ipsos, alii contra ipsos. Alii dicebant, dimittantur, quia boni sunt, alii dicebant, occidantur, quia mali sunt. Alii videntes signa, quæ faciebant, deos eos vocabant, et usque ad cœlos laudibus exaltabant : alii indignantes et super eos impetum facientes, in abyssum mergere conabantur; et hoc est, quod ait : « Ascendit usque ad cœlos, et descendit usque in abyssum (*Ibid*). » Unde anima illorum in malis tabescebat, tantos aliquando cruciatus ferre non valens. Inde est, quod Apostolus ait : « Nolo ignorare vos, fratres, de persecutione quæ facta est nobis in Asia, quoniam supra modum gravati sumus : ita ut tæderet nos etiam vivere (*II Cor.* I, 8). Turbati sunt itaque et moti sunt, sicut ebrius, non calice vini inebriati, sed calice passionis et afflictionis. Et omnis sapientia illorum deglutita est; sicut beatus Job de seipso ait, dicens : « Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum (*Job.* XVII, 11). » Bonæ namque cogitationes, quibus vir sanctus in Dei contemplatione vacare solebat, tantarum angustiarum afflictione dissipatæ erant; tantaque erat vis passionis et doloris numerositas, ut nihil aliud cogitare posset. Sic igitur et in hoc loco omnis eorum sapientia dolorum immensitate aliquando deglutita est. Cumque eam ferre non possent, clamaverunt ad Deum, et exauditi sunt, et eduxit eos in portum voluntatis eorum. Aliquando enim nec ipsa tormenta sentiebant, quæ illis ab ipsis inferebantur. Quod bene quidem in Evangelio significatum est, quando discipuli clamantes dixerunt : « Domine, salva nos, perimus. Qui surgens, imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna (*Matth.* VIII, 26). » Hæc autem maris hujus tam immensa perturbatio a temporibus apostolorum usque ad tempora Constantini imperatoris sanctam Ecclesiam instanter perturbavit, et vix aliquando quievit. Inde vero pax, et tranquillitas facta est, Christi piscatores quieti, et securi piscari, et sagenam ad terram trahere cœperunt. De qua in Evangelio dicitur : « Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti, quam, cum impleta fuisset, educentes, et secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras misere (*Matth.* XIII, 47). » Sed non sagena plena est, adhuc pisces ingrediuntur; « cum autem plenitudo gentium introierit; **524** tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25) ; » tunc-que malis piscibus reprobatis, boni ad vitam ducentur æternam.

CAPUT IX

De avibus novis.

Legimus in Genesi Dominum præcepisse ut aquæ producerent et pisces secundum genus suum, et aves in species suas. Et factum est ita. « Benedixitque eis Deus, et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram (*Genes.* I, 25). » Pisces, et aves unam originem habent, et utraque ex aquis creata sunt. Alteri profunda petunt, alteræ ad cœlestia elevantur. Boni sunt illi, et illæ, quia inter omnes alias creaturas isti primam benedictionem accipere meruerunt. Per hos igitur viri sancti significantur, qui ex aquis regenerati sunt. « Nisi » enim « quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, in regnum Domini non intrabit (*Joan.* III, 5); » qui et profundi Scripturarum, quæ per aquas significantur, penetrantur, et virtutum alis ad cœlestia elevantur. Sed satis de piscibus modo superius locuti sumus. Dignum est ut de avibus amodo loquamur. Nisi per istas aves, quæ ante nos volare videmus, aliæ res significarentur, longe melioris dignioris que natura, nunquam Ecclesia columba vocaretur, dicente Domino : « Una est columba mea (*Cant.* VI, 8) : » nunquam Joannes evangelista aquila diceretur; nunquam David rex, et pelicanus, et nicticorax, et passer vocaretur, sicut vocatur, teste Scriptura : « Similis factus sum pelicano in solitudine, et sicut nycticorax in domicilio. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto (*Psal.* CI, 7). » Et non solum homines, verum etiam ipsi angeli avium speciem, atque naturam suscipere videntur. Ubique alatos et pennatos eos esse videmus. Velare quoque magis, quam incedere describuntur, quod avium quidem proprium est. Vela quoque tabernaculi opere plumario facta leguntur (*Exod.* XXVI). Et quatuor animalia in Ezechiele, et Apocalypsi plena oculis ante et retro senas habere alas scribuntur. « Et primum quidem animal simile est homini, secundum simile leoni, tertium vero simile vitulo, quartum autem simile aquilæ volanti (*Ezech.* I, 8, *et Apoc.* IV, 6). » Similiter autem et Isaias : « Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum, et plena erat omnis terra majestate ejus, et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri (*Isa.* VI, 1). » Aves igitur in mari, aves in terra, aves in cœlo, et aves super cœlum. Omnia elementa nos volare docent, omnia nos ad superiora et cœlestia provocant. « Quis » igitur « mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam! » (*Psal.* LIV, 7.) Jam aves facti sumus, quia in aquis regenerati sumus. Alæ solummodo desunt nobis (1792). Penna struthionis absimilis est pennæ accipitris et herodii, qui inter alias aves velocissimæ sunt; struthio vero propter alarum infirmitatem a terris se elevare non valet. Habet igitur alas, sed infirmas, habet pennas debiles. Tales sunt hypocritæ, et hæretici, qui accipitres, et herodii esse videntur, sed struthiones sunt, neque habent alas, quibus volare valeant, vel ad cœlestia erigantur.

Sic igitur, etc.

(1791) Cod. Vat. et editio : *Eo namque juvente stetit, id est non transivit, sed perseveravit spiritus procellæ. Ipse est enim de quo scriptum est : Ego Dominus qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus.*

(1792) Cod. Vat. et editio : *Illas quæramus, quoniam sine alis et pennis volare non possumus.*

Digitized by Google

Alæ igitur virtutes sunt, alæ bona opera intelliguntur, sine quibus volare non possumus. Ipsæ nos ferant, ipsæ ad cælestia elevent. Habes humilitatem, ala tibi est. Habes misericordiam, ala tibi est. Habes patientiam, ala tibi est. Quot virtutes habes, tot alas habes. Si habes charitatem, ut Deum et proximum diligas, duas alas habes, quæ tibi ad volandum sufficere possunt. Seraphim tamen et quatuor animalibus non sufficiunt duæ alæ; senas enim habent, quoniam aliis volant, aliis capita pedesque tegunt. Per caput et pedes, initium et finem intelligimus. Velant igitur animalia caput suum, ne forte ab eis quærere velimus ea quæ ante mundi initium facta sunt. Velant autem similiter et pedes, quoniam ea quæ post mundi finem in hoc mundo futura sunt nequaquam nobis pandere volunt. Unde Isaias deos gentium irridens, ait : « Dicite mihi, quæ prima fuere, et ultima quæ futura sunt, et dicam quod dii estis vos (*Isa.* XLI, 23). » Sed non potestis; et ideo nihil estis. Superfluum igitur esse videtur, vel ea quærere, quæ ante mundi initium fuere, vel ea quæ post finem futura sunt. Nam et si quæras, nemo est qui tibi dicat. Si posses a capite et a pedibus animantium istorum alas amovere, tunc forte prima et ultima scire posses. Solent enim homines hæc quærere, et quamvis ex superabundanti, in talibus laborare, scire cupientes an post mundi finem cœlum volvatur, sol, et luna, et stellæ solito more circumferantur, an flumina currant, fontes prorumpant, utrum arbores et herbæ sint, et multa alia, quæ hominum curiositatem movere solent. Hæc autem interrogantibus honestissime respondetur : Seraphim, et quatuor animalium pedes obvolutos esse, et videri non posse; exspectandum tamen esse, donec alæ amoveantur. Volant autem duabus alis, illis videlicet quæ in medio sunt, quia de omnibus quæ in hoc mundo fiunt a principio usque ad finem plenissime loquuntur. Sunt autem plena oculis ante **525** et retro, quia et futura vident, et præterita non ignorant. Quidquid in eis est, lumen et claritas est. Quot verba, tot oculi in eis sunt. Quicunque ea non credunt, cæci et sine lumine sunt. Unde et quibusdam Dominus ait : « Erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei (*Matth.* XXII, 29). » Sunt igitur oculi in Scripturis intelligentiæ videlicet spirituales, quibus viri sancti illuminati errare non possunt. Hos autem oculos Pharisæi non habentes, cæci a Domino vocantur, et duces cæcorum. Dictum est autem quid per animalium alas, et quid per oculos significetur. Utinam et nos alas ad volandum habeamus, et oculos ante, et retro, quibus et recto tinere ad Deum veniamus, et peccatorum memores imul cum Psalmista dicamus : « Quoniam iniquitatem eam ego cognosco, et delictum meum contra me st semper (*Psal.* L, 4). » Et ante quidem oculos abemus, si via regia incedimus, si mala fugimus, et bona tenemus. Unde et Salomon ait : « Sapientis oculi in capite ipsius : stultus in tenebris ambulat (*Eccle.* II, 14). » Retro vero oculos habent, qui antiquorum memores patrum eorum vitam et sanctam conversationem imitari conantur; sicut ille qui dicebat : « Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui (*Psal.* LXXVI, 6). » Retro enim oculos habebat, quando dies antiquos cogitabat : ante vero oculos, quando annos æternos in mente habebat. Si solum istum versiculum custodiamus, et ante et retro oculis pleni sumus. Nec vacat a mysterio, quod animal primum hominis faciem habere describitur, per quod videlicet Matthæum apostolum et ejus evangelium intelligimus. Ipse enim a Christi nativitate incipiens perfectum hominem, et de hominibus natum eum ostendit esse, totam ejus ab Abraham usque ad ipsum genealogiam describens. Marcus vero leonis faciem habere videtur, in cujus evangelii principio vox in deserto clamare describitur. Lucas autem beatus bovis faciem habet, quoniam a sacerdotio scribere incipit, quod maxime propter sacrificia institutum est. Bos autem inter alia sacrificia major est hostia. Quare autem aquilæ faciem Joannes habeat ipsius Evangelii initium apertissime ostendit. « In principio, » inquit, « erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Qui sic loquitur longe sublimius quam aquila volat. Istæ tamen quatuor animalium facies tam diversæ aliquid nobis conferre videntur; quoniam homo ad rationem, leo ad fortitudinem, bos ad laborem, et aquila ad contemplandum (1793) nos provocat. Homo denique prædicare, leo pugnare, bos laborare, et aquila volare nos docet. Has igitur animalium species imitemur (1794); istæ nobis sint in exemplum. Non respiciamus ad struthionem, cujus alæ infirmæ sunt, non attendamus ad hypocritas, qui se fingunt esse quod non sunt, quibus tunc alæ deficient quando eis maxime necessariæ erunt : alas potius accipitris et herodii suscipiamus, non ut aliquid rapiamus, verum ut obedientiam nobis injunctam celerrime faciamus. Talium enim avium, alarumque omnium, quæ de rapina vivunt, alæ quidem, et pennæ bonam significationem habere possunt, ungues vero et rostra, et actionem, et significationem impiam gerunt. Per tales enim significantur maligni spiritus, quorum omnis operatio furtum et rapina est. Istæ sunt illæ aves quas abigebat Abraham. Istæ sunt quæ rapiunt bonum Dei verbum de corde hominum, ne credentes salvi fiant. Talibus avibus totus hic aer plenus est, quæ quoniam veloces et invisibiles sunt, magnam ubique cunctis hominibus persecutionem faciunt.

CAPUT X.

De fluminibus novis.

« Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanc-

(1793) Cit. edit., *ad contemplationem*

(1794) Ead. edit. *Has igitur aves imitemur*, etc.

Digitized by Google

ctificavit tabernaculum suum Altissimus (*Psal.* XLV, 5). » Legimus in Genesi quod fluvius egrediebatur de paradiso, qui deinde dividitur in quatuor capita. Nomen primo Phison : secundo Gyon (1795) : tertio Tigris : quarto Euphrates. His autem irrigatur, et fertilis redditur tota illa terra. Legitur autem similiter (1796) in Apocalypsi, quod de illa nobilissima civitate, cujus muri ex lapidibus pretiosis ædificati sunt, cujus singulæ portæ ex singulis margaritis factæ sunt, cujus plateæ ex auro purissimo stratæ sunt : quod fluvius inde egrediebatur, cujus aqua lucidissima est, quasi crystallus. Sunt etiam et per ripam fluminis arbores nobilissimæ, quæ ferunt fructus duodecim per singulos menses, quarum ipsa folia gentibus sunt ad sanitatem. Hæc ad litteram intelligere ipsa natura prohibet, nobisque aliud valde sublimius quam id quod littera sonat significare videntur; præsertim cum alibi scriptum sit : « Flumina plaudent manibus in idipsum (*Psal.* XCVII, 8). Quomodo autem flumina, quæ manus nullas habent, manibus plaudere possunt? Nova sunt ista flumina, et de novo mundo sunt. Novus mundus hæc civitas Dei est, quam fluminis impetus lætificat. Hoc autem flumen Christus est, cujus affluentissima sapientia, et scientia sanctam Ecclesiam lætificant. Unde et alibi dicitur : **526** « Sapientia prædicat, foris clamitat, in plateis dat vocem suam (*Prov.* VIII, 1). » Hæc et in templo clamat, dicens : « Si quis sitit, veniat, et bibat, et de ejus ventre fluent aquæ vivæ (*Joan.*. VII, 38). » Hic est ille fons, de quo dicitur : « Quoniam apud te est fons vitæ (*Psal.* XXXV, 10). » Qui et mulieri Samaritanæ loquitur, dicens : « Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV, 14.) » Hic igitur fluvius, quo paradisus mundatur, et Ecclesia lætificatur, in quatuor capita dividitur, per quæ quatuor Evangelia significantur. Et primum dicitur Phison, quod *oris mutatio* interpretatur. Evangelica namque prædicatio ora hominum, linguasque mutavit, ut qui prius falsos deos laudabant et prædicabant, nunc unum et verum Deum, ejusque mirabilia laudent et prædicent. Quid enim, nisi Evangelium, beati Pauli os mutavit? Ut qui prius circumcisionem prædicabat, postea, mutato ore, loquitur dicens : « Circumcisio nihil est, et præputium nihil est (*I Cor.* VII, 19). » Lege sanctorum historias, et videbis illum, qui paulo ante Jovem ut Deum omnipotentem laudabat, mox, ore mutato, Jovem ipsum non Deum esse, sed dæmonium affirmat. Videbis et illum, qui vanas poetarum fabulas ludendo, et insaniendo cantare solebat, hymnos et psalmos jubilare. Hanc autem oris et linguarum mutationem facit Phison, quia sermo evangelicus et ora mutorum solvit, et linguas infantium disertas facit. Quanta tunc oris mutatio facta est, quando apostoli, qui vix una lingua, utpote pauperes et rusticani, loqui noverant, mox divinitus inflammati omnibus linguis loqui cœperunt? Gyon autem *pectus* interpretatur. Respice nunc ad pectus pontificis, et vide ibi rationale. Quære etiam quare pontifices de sacrificiis pectusculum in partem sumcipiant; ideo fortasse, quia de pontificis pectore Gyon iste fluvius, qui pectus dicitur, fluere debet. Et revera semper de pectore populus Christianus, et Domini civitas lætificetur et satietur. Cor enim in pectore est, in quo est sedes et fons totius sapientiæ et scientiæ. De hoc fluvio bibebat beatus Joannes, quando super pectus in cœna recumbens vidit illud quod postea scripsit : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* 1). » Quandocunque de fluvio Gyon bibere volumus, ad pectora pontificum respiciamus. Ideo enim sic ornata sunt, ut magnum ibi sapientiæ thesaurum reconditum intelligamus. Tigris vero *sagitta* dicitur, quia hic fluvius quasi sagitta velocissimus est. Sed quid tantæ velocitatis, ut evangelica prædicatio, quæ quocunque discurrens, totum brevi tempore mundum universum implevit? Jam ab Jerusalem usque Illiricum nobilis ille sagittarius beatus Paulus prædicaverat Evangelium, *cum se in* Hispaniam proficisci velle dicebat, ut ibi quoque Evangelii sagittas effunderet. « Misit » enim Dominus « sagittas suas, et dissipavit eos. (*Psal.* XVII, 15). » De quibus et alibi dicitur : « Etenim sagittæ suæ pertransierunt (*Psal.* LXXVI, 18.) » Quid enim aliud quam sagittæ sunt Evangeliorum verba, quibus maligni spiritus fugantur, et totus vitiorum exercitus perimitur et dissipatur? Unde scriptum est ; « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum, et in ipso paravit vasa mortis, et sagittas suas ardentibus effecit (*Psal.* VII, 13). » Istæ sunt illæ « sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis (*Psal.* CXIX, 4). » — « Sicut » enim sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex *ipsis* : non confundetur, dum loquetur inimicis suis in porta (*Psal.* CXXVI, 4, 5). » Verba Dei in sagittas convertuntur, quibus nullæ inimicorum munitiones resistere possunt. Unde et discipulis Dominus ait : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 15). » Restat nunc Euphrates, qui *fertilitas* interpretatur, quæ interpretatio quantum Evangeliis conveniat omnibus patet. Respice in mundum universum evangelica prædicatione ab errore ad fidem conversum, et tunc intelliges quam fertilis fuerit Euphrates, quantumque nobis sua fertilitate contulerit. Hanc autem fertilitatem Psalmista admirans ait : « Nimis autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur (*Psal.* CXXXVIII, 18 *et seq.*). » Unde et alibi ait : « Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX, 6). » Hinc et Dominus discipulis ait : « Non vos me elegistis ; sed ego elegi vos, ut eatis, et

(1795) Cod. Vat., *Geron.*

(1796) Cod. Vat. omittit *similiter.*

Digitized by Google

fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* xv, 16). » Hinc est etiam quod per Salomonem de Ecclesia dicitur : « Venter tuus acervus tritici vallatus liliis (*Cant.* VII, 2). » Quoniam enim ager Dei, vinea Dei, hortus Dei, sancta videlicet Ecclesia tam fructifera est, hoc facit iste Euphrates, cujus flumine perfunditur et irrigatur. Hæc sunt quatuor flumina paradisi de uno fonte procedentia, et de uno Christi pectore emanantia, quibus totus irrigatur mundus. Ab his autem et multa alia flumina orta sunt. Tot enim sunt flumina, quot et librorum volumina. Habet enim et Vetus Testamentum suos fluvios, qui nisi istis fluminibus commisti fuerint, simulque convenerint, mortiferi sunt, et insuaves ad bibendum. « Littera enim occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 5); Apostoli verba sunt. Si autem simul conveniant, omnem superant potionem. Sunt autem et alia flumina, et ipsa mortifera, quorum aquæ, quia amaræ sunt, homines interficiunt. De quibus in Apocalypsi Joannes apostolus ait, se vidisse **527** stellam magnam ardentem, quasi faculam in tertiam partem fluminum cecidisse (*Apoc.* VIII, 10). Nomen autem stellæ dicitur *absinthium*. Mortui sunt autem multi homines de aquis, quia amaræ factæ sunt. Per hæc autem flumina omnium hæreticorum, philosophorum et poetarum erronea scriptura intelligitur. Quæ quoniam duobus Novi et Veteris Testamenti fluminibus non convenit, non immerito tertia pars fluminum vocatur. Fuge has aquas, Christiane; amaræ et mortiferæ sunt. Nota sunt flumina, nota sunt sanctarum Scripturarum volumina, notæ sunt aquæ salientes in vitam æternam, de quibus qui biberit non sitiet ultra.

SENTENTIARUM

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De sancta Trinitate.

« Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Non habebis Deum alienum absque me (*Deut.* VI; *Exod.* XX). » In Psalmis quoque scriptum est: « Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum; ego enim sum Dominus Deus tuus (*Psal.* LXXX, 9). » Hæc Judæi legentes et non intelligentes irrident Christianos, quasi non unum sed tres deos colant. Quibus digne satis Dominus in Evangelio ait : « Erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei (*Matth.* XXII, 29). » Nos enim non tres deos, sed Deum unum in tribus personis colimus, et adoramus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Deus quidem unus est, sed personæ tres sunt. Nam Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est : non tres tamen dei, sed unus est Deus. Tres enim istæ personæ una essentia sunt, una deitas, una virtus, una majestas, una sapientia, una fortitudo, una omnipotentia, unum lumen, unum principium, una claritas, et quæcunque aliæ sunt, præter personalem proprietatem, quæ in una persona dicuntur, et de omnibus pariter dicuntur. Et qualiter enim Pater, taliter et Filius, et Spiritus sanctus Deus est; omnipotens est, fortis, magnus, et sapiens est, et quæcunque alia simili modo dici possunt. Non tamen tres dii, vel tres omnipotentes sunt, sed unus deus, unus omnipotens, unus fortis, magnus et sapiens. Personalis autem proprietas hæc est, ut Pater genitor, Filius genitus, Spiritus vero sanctus nec genitor, nec genitus, sed ab utroque procedens credatur et intelligatur. Hæc autem fides nostra non argumentis, non syllogismis, non humanis rationibus edita est, sed solis sanctarum Scripturarum auctoritatibus, non ab homine inventis, sed divinitus inspiratis firmata. Unde et Judæis non credentibus, sibi contradicentibus Dominus ait : « Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi, de me enim ille scripsit (*Joan.* V, 46). » Si quis quærat ubi de se ipso scripserit Moyses, audiat ipsum dicentem : « In capite libri scriptum est de me (*Psal.* XXXIX, 9). Ab ipso cœpit Moyses; ipsum in capite posuit, ut Judæus cito facileque inveniat, quem invenire non vult, nec laboret quærendo, cum nisi per ipsum ad cætera, quæ ibi scripta sunt, pervenire non valeat, legendo : « In principio, inquit, fecit Deus cœlum, et terram, et Spiritus Dei ferebatur super aquas (*Gen.* I, 1, 2). » Conveniens fortasse fuerat ut nomen Patris prius poneretur, qui ubique maxime ab ipso Filio honoratur; sed noluit hoc Moyses, imo Spiritus sanctus, qui loquebatur per Moysen. Prius nomen Filii posuit, ne Judæus quærendo erraret. Sed dices fortasse, Quid est principium? Ipse tibi respondeat, ipse tibi dicat. Dixit aliquando, sed non intellexisti; iterum dicat, si forte intelligas : « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII, 25). » Crede igitur Moysi, crede auctoritatibus Scripturarum, vel ipsa auctoritas te cogat, et Spiritus sanctus te compellat, ut unum Deum in tribus personis confitearis. Ecce statim in capite hujus libri, qui inter alios primus est, unus Deus, et tres personæ positæ sunt. Deus videlicet Pater, qui fecit cœlum et terram, et Spiritus Dei, per quem Pater, et Filius disposuit, et ordinavit quæcunque facta sunt in cœlo, et in terra. Hoc enim videtur significare, quod dicitur : « Spiritus Dei ferebatur super aquas (*Genes.* I, 2). » Spiritus

Digitized by Google

namque Sanctus a Patre Filioque procedens utriusque consilio voluntateque disponit quidquid per Filium Pater operatur. Quia enim Filius Sapientia vocatur, ut tam pulchrum opus a sapientia factum intelligatur; merito per Filium, qui Sapientia dicitur, factum perhibetur, quamvis a tota sancta et individua Trinitate factum **528** esse non dubitetur. Bene autem Pater, et Filius in Spiritu sancto, qui utrique communis est, disponere dicuntur quæcunque eis disponere placet, ut communis sit dispositio, quorum communis est operatio. Fecit igitur Deus cœlum et terram, per quem Patrem intelligimus. Deus enim commune nomen est, et sicut ad Patrem, ita et ad Filium pertinet, et ad Spiritum sanctum. Sed quia prædixerat, in principio fecit, necessario Pater intelligitur, quia per principium, id est per Filium, operatus est (1797). Prima itaque persona Pater, secunda principium, id est Filius, tertia vero Spiritus Dei, qui super aquas ferebatur, per quem Spiritus sanctus manifestissime demonstratur. Si nihil amplius scripsisset Moyses, solum hoc, quod in capite hujus libri scriptum est, sufficere poterat ad fidei nostræ assertionem, ut unum Deum in tribus personis colere debeamus. Pulchre igitur per Psalmistam Dominus ait : « Holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi : Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam (*Psal.* XXXIX, 8). » Et quasi ab aliquo interrogaretur quis esset, ait : « In capite libri scriptum est de me (*ibid.*, 9). » Quod tale est ac si diceret : Ego sum illud principium, quod in capite libri scriptum est, in quo cœlum Pater creavit et terram. Quia ideo nunc Patris voluntatem facere veni, quoniam per sacrificia et holocausta mundus salvari non potuit. Hanc fidem habuit Moyses. Quam fidem David quoque habuerit, videamus : « Verbo Domini, inquit, cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXI, 6). » Nulla differentia est inter eos : quod unus dicit, uterque dicit. Una fides utriusque est; unum Deum in tribus personis uterque adorat et veneratur. Dominus enim, et Verbum Domini, et Spiritus Domini, tres personæ sunt, et unus Deus, a quibus cœlum et terra creata sunt. Et vide quomodo unus Spiritus loquitur in utroque. Vide quomodo id, quod ait Dominus : « In capite libri scriptum est de me, » in utroque conveniat. « In capite » namque « libri scriptum est de me : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Igitur quod in capite libri scriptum est, Dei Filius intelligitur, ut et nos inveniamus Christum in capite libri nostri, et Judæi eumdem inveniant in capite libri sui, et nostri. Quem enim David, et Joannes « Verbum » vocaverunt; ipsum Moyses « principium » dixit. Idem ergo per Verbum, et principium significatur. Sed nobis Verbum vocari debuit, qui docibiles sumus, qui ipsius verbum et doctrinam audire et discere parati sumus. Illis vero certe debuit vocari principium, qui eum principium esse non credebant, qui eum noviter cœpisse, ante matrem non fuisse, quadraginta annos nondum habuisse dicebant. Ecce cogunt vos, o Judæi, libri vestri, auctores vestri, et patres vestri, quibus contradicere non audebitis, ut unum Deum in tribus personis adoretis. Sed fortasse adhuc erratis, non scientes Scripturas neque virtutem Dei, et ideo non creditis neque Moysi, neque David; quorum uterque, ut superius ostensum est, unum Deum et tres personas confitetur. « Alia est enim persona Patris, et alia Filii, alia Spiritus sancti. » Unde hoc? quia alia est, quæ loquitur, alia cui loquitur, et alia de qua loquitur. Loquitur autem Pater de Filio, ubi ait : « Ipse invocabit me : Pater meus es tu (*Psal.* LXXXVIII, 27). » Loquitur et Filius de Patre, ubi dicit : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu; ego hodie genui te (*Psal.* II, 7). » Loquitur Pater de Filio, ubi ait : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite (*Matth.* XVII, 5). » Loquitur et Filius de Patre, ubi ait : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor (*Joan.* V, 17). » Loquitur autem et ipse Patri, ubi dicit : « Pater juste, mundus te non cognovit; ego autem cognovi te, et hi cognoverunt quia tu me misisti (*Joan.* XVII, 25). » Et ibi : « Volo, Pater, ut ubi sum ego, illic sit et minister meus (*Ibid.*, 24). » Loquitur autem Filius de Spiritu sancto, ubi ait : « Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me (*Joan.* XV, 26). » Longum est autem, si omnia testimonia colligere velimus, ubi Filius de Patre, et ad Patrem, et de Spiritu sancto in Evangelio locutus est. Sed hæc pauca dixisse sufficiat ad credendum, et intelligendum, aliam esse personam Patris, aliam personam Filii, aliam Spiritus sancti; siquidem alia persona est quæ loquitur, alia cui loquitur, et alia de qua loquitur. Sed Judæi Filii Dei auctoritatem non suscipiunt; nos autem hanc unam auctoritatem præ cunctis auctoritatibus habemus. Dicat igitur ipse nobis quid credere debeamus, ab ipso audiamus, ipse nos doceat fidem nostram; videmus, quid dixerit, quando discipulos ad prædicandum misit : « Ite, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). » Quare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti? Quia a quo creati sumus, ab ipso nos restaurari et sanctificari necesse fuit. Non dixit, ut baptizarent in nomine Patris solummodo, quia non solus Pater nos creavit; addidit Filium, quia et ipse creator est; addidit et Spiritum sanctum, quia ipse quoque nihilominus creator est. Nihil amplius posuit, quia cætera omnia creaturæ sunt. Ab his tribus personis creata sunt omnia; et istæ tres personæ **529** non tres dii, sed unus Deus sunt, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Nunquam in hac pariliate has tres personas Dominus posuisset, nisi per omnia æquales essent; nisi in divinitate, in majestate, in

(1797) Cit. edit. habet : *operatus sit.*

Digitized by Google

omnipotentia, et in aliis omnibus similes essent. « Qualis enim Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Non tamen tres æterni, nec tres immensi; sed unus æternus, et unus immensus. » Stulti et per omnia insani, qui Platonicis syllogismis et argumentis Aristotelicis de summa et omnipotenti Trinitate disputare conantur. Aliter enim se habet substantia Dei, et aliter substantia creaturarum omnium. Illa enim sola æterna, cæteræ temporales. Illa sola immutabilis est; cæteræ mutabiles; illa sola contraria non suscipit, aliæ vero contrariorum susceptibiles sunt. Sic enim Aristoteles substantiam definivit. Substantia est, quæ cum sit una, eadem numero, susceptibilis est contrariorum secundum sui mutationem. In hac autem definitione Dei substantia non continetur; quia cum sit una et eadem numero, neque contraria, neque mutationem suscipiens est. Hanc autem quæstionem, quia in hoc sermone tractare non sufficimus, in alium tractandum differemus.

CAPUT II.

De eadem.

Sunt quædam Sabbata, quæ dicuntur Sabbata Sabbatorum, ut quædam sancta dicuntur Sancta sanctorum, quia majora sunt, et quædam cantica dicuntur Cantica canticorum, quia majora sunt, et beata Virgo Maria dicitur Virgo virginum, quia cunctis virginibus major est; ita quædam festivitates possunt dici festivitates festivitatum, quia omnibus aliis festivitatibus majores sunt. Tales sunt autem omnes illæ festivitates, quas ad specialem Dei omnipotentis laudem colimus et celebramus; sicut est hodierna festivitas, quæ in honorem sanctæ Trinitatis celebratur. Dividitur enim hæc unitas invisibiliter (1798), quia quamvis personæ tres sunt, Deus tamen unus est, qui non per partes divisus, sed totus in singulis est. Quia enim una Dei substantia in singulis personis est, divisa quodammodo esse videtur, sed quia tota in singulis est, indivisa esse probatur. Tota enim essentia divinitatis est in Patre, tota in Spiritu sancto, quoniam et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et hi tres unus Deus. Quia enim non est Deus, nisi unus, non potest alius Deus prædicari de Patre, alius de Filio, et alius de Spiritu sancto; sed idem Deus, et unus numero de omnibus et de singulis prædicatur. Hoc autem sic esse, credere quidem omnino debemus; quomodo sit, vel fieri possit, quærere penitus non debemus; quoniam nullatenus (nisi divina inspiratione) hujus sacramenti profunditatem intelligere valemus. Et hoc ideo fortasse, quia in nulla alia substantia tale aliquid inveniri potest. Difficile enim creditur, quod nulla similitudine, nulloque exemplo comprobatur. Nulla enim alia substantia est, quæcunque sit, quæ una et eadem numero in pluribus esse possit; ut hic homo, hic oculus, hic pes, hæc manus, hoc caput; cum unumquodque horum sit unum numero, nullum eorum in pluribus esse potest. Si vero articulus inde tollatur, qui certi numeri significativus est, ut non dicatur hic, vel hæc, vel hoc, sed tantum sine articulis dicatur homo, oculus, pes, manus, caput; nihil est quod unumquodque horum de pluribus prædicari prohibeat. Sic enim prolata, jam non numero, sed essentia unum sunt. Unde et philosophus ait: Participatione speciei plures homines sunt unus homo. Petrus enim, Jacobus et Joannes cum sint plures numero, in specie, quæ est homo, unum sunt; quoniam et Petrus homo est, et Jacobus homo est, et Joannes homo est. Sed si addatur articulus, vel nomen proprium, et dicatur ita, Petrus, Jacobus et Joannes sunt hic homo, non erit verum. Similiter autem non erit verum si dicatur, hi tres homines sunt Petrus, vel hi tres sunt Jacobus, vel hi tres sunt Joannes. Manifestum est ergo quod nulla substantia una eademque numero, aut articulo, aut proprio nomine demonstratur. Quod autem universaliter dixi nulla substantia, sic est accipiendum, ac si dixissem nulla substantia temporalis, nulla substantia mutabilis et contrariorum susceptibilis. De hac enim sola loquuntur philosophi, hanc solam definivit Aristoteles. Nulla, inquam, talis substantia, cum sit una eademque numero, de pluribus prædicatur. Divina vero substantia (quæ utique æterna est, immutabilis est, et nullius contrarietatis susceptibilis, cum semper simplex et una sit, eademque numero), semper tamen in pluribus est. Semper enim Deus unus, et qui nunquam potest esse sine numero, unus, hic videlicet (ut cum articulo dicam) Deus noster, qui fecit cœlum et terram; semper, inquam, et Pater est, et Filius est, et Spiritus sanctus, et totus Pater, totus Filius, totus Spiritus **530** sanctus. Nunquam tamen Pater Filius, nunquam Filius Pater, nunquam Spiritus sanctus, vel Pater, vel Filius est. Et hoc quidem ab humana intelligentia longe est, quia tale aliquid in hac substantia temporali et mutabili inveniri non potest. Si enim hic homo, quem tibi digito ostendo, et Simon, et Petrus est, et semper Simon et Petrus, semperque totus et Simon, et Petrus est, necessario concluditur et Petrum esse Simonem, et Simonem esse Petrum. Hoc enim collectione talis syllogismus fieri potest. Si Simon Petrus est hic homo, et hic homo est Petrus, ergo et Simon est Petrus. In divina autem et æterna substantia aliter fit. Semper verum est dicere: Hic Deus noster (quem tibi non digito, sed fide ostendo) et Pater, et Filius est; semperque Pater, semperque Filius est; totusque Pater, et Filius est. Non tamen verum est dicere, ergo et Pater, et Filius est. Potest enim ex his talis fieri, sed non concludit syllogismus. Si Filius Dei est hic Deus, et Deus Pater

(1798) Cod. Vat., ita etiam edit. *indivisibiliter*.

Digitized by Google

est; ergo et Filius Pater, et Pater Filius est. Quod quidem dicere et credere impium est et falsum. Hoc autem si Arius intellexisset, et duas istas substantias, æternam et mutabilem, tam diversas ab invicem divisisset, neque ipse errasset, neque alios tam multos errare fecisset. Dum enim æternam et incommutabilem substantiam intra terminos temporalis mutabilisque substantiæ concludere voluit, omnia in illa fieri arbitratus est, quæ in ista esse cognovit. Dixit igitur Filium Patre minorem, et Patrem Filio antiquiorem, quoniam inter homines hoc esse non dubium est. Nullus enim filius nascitur, qui patre minor non sit ætate et persona. Stultus, qui non consideravit substantiam simplicem et æternam neque majus, neque minus suscipere posse. Deus enim semper unus est, æternus est, immutabilis est, et quod ei proprium est, semper est quod est. Unde Moysi interroganti, et scire volenti quis esset, ait : « Ego sum, qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos (*Exod.* III, 14). » Ille enim vera definitione dicitur esse, qui semper est, qui immutabilis est, qui nunquam cœpit esse, qui nunquam desinit esse, cujus tota essentia una semper est, eadem est. Semper enim et totus Deus sapientia est, semper et totus virtus est, veritas est, lumen est, principium est, et similia. Neque aliud est ei esse, et omnipotentem esse, et hæc omnia in ipso sunt unum. Omnia hæc est Pater, omnia Filius, omnia Spiritus sanctus. Quomodo ergo Pater major Filio, vel antiquior esse potest, cum Filius æternus sit, et ante æternum aliquid esse potuit, et antequam Filius esset, Pater esse potuit? Sed ante æternum nihil esse potuit; non est ergo Pater antequam Filius, præsertim cum Filius Dei, verbum Dei sit, virtus Dei sit, sapientia Dei sit. Neque enim antequam verbum, antequam virtus, antequam sapientia, Pater esse potuit. Qualis enim esset si fortis et sapiens non esset? Neque enim sine virtute fortis, neque sapiens sine sapientia esse potest. Sapientia enim in Patre, et Filio, et Spiritu sancto una est, et præter ipsam nulla est. Ipsa est autem de qua dicitur : « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* CIII, 24). » Et ipsa quidem est Verbum Dei, per quod, sicut scriptum est, « Omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). » Si ergo hæc sola, et non alia sapientia in Deo est, aut sine sapientia (quod nefas est dicere vel cogitare) Pater aliquando fuit, aut ante hanc sapientiam nunquam fuit, impossibile est igitur ante Filium Patrem fuisse. Sed dicit Arius : Prius est qui gignit quam ille qui gignitur, quoniam eum qui gignit necesse est esse, neque enim qui non est, gignere potest; ille vero qui gignitur, nondum est; quia, secundum philosophorum sententiam, quod fit, non est. Miser et infelix, qui Verbi Dei generationem, sicut alias omnes generationes fieri arbitratur! Propheta de Filio Dei miratur, et dicit : « Generationem ejus quis enarrabit? (*Isa.* LIII, 8.) » Et Arius infelix ab aliis generationibus hanc unam singularem et admirabilem differre non putat. Possumus autem in creaturis etiam talia invenire, in quibus ille qui gignit non sit prius ille qui gignitur. De igne namque est calor et splendor simul cum igne. Undé et non immerito (1799) splendor Patris vocatur Filius Dei, dicente Apostolo : « Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus (*Hebr.* I, 3). » Sed melius est ut in nobis ipsis, qui ad Dei imaginem et similitudinem facti sumus, hanc Trinitatis imaginem requiramus. Nusquam enim Dei similitudo tam facile reperiri debet sicut in illa creatura, quæ ad Dei imaginem et similitudinem facta est. Solus autem angelus, et homo Dei similitudinem habere perhibetur. Et de bonis quidem angelis dubitari non debet, cum de malis quoque scriptum sit : « Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti (*Ezech.* XXVIII, 12). » De homine vero quid? « Faciamus, inquit Deus, hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I, 26). » Hanc igitur similitudinem habent angeli et homines ad Deum, quia naturaliter sapientia pleni sunt, et quia nulla alia creatura ad hanc sapientiam pertingere potest. Est autem hæc sapientia divinarum humanarumque rerum intelligentia. **531** Hanc autem intelligentiam, præter angelum et hominem, nulla creatura habere potest. Ut enim de angelis taceamus, quæ alia creatura vel litterarum peritiam (1800), vel numerorum scientiam habere valet? Secundum hanc ergo ad imaginem et similitudinem Dei facti sumus, in qua ipsius quoque Trinitatis similitudinem quamdam habemus. Trinitas autem nostra hæc est, « intelligentia, memoria et usus. » Hæc tria quodammodo unum sunt, et sine se esse non possunt, neque unum ex his prius alio, vel posterius est. Et de intelligentia quidem jam dictum est, quod divinarum sit humanarumque rerum cognitio. Memoria vero est, qua ea quæ intelleximus retinemus. Usum autem voco naturalem quamdam potentiam, per quam ea quæ intelleximus, et memoriæ commendavimus, alios quoque docere valeamus. Gignitur autem quasi de Patre Filius, ita de intelligentia memoria. Neque enim nisi de re intellecta memoriam habere possibile est. Usus autem similitudinem sancti Spiritus habere videtur, qui de intelligentia memoriaque procedit. Neque enim docere quis potest id quod non intellexit, neque memoriæ commendavit. Non est tamen intelligentia priusquam memoria, quamvis de intelligentia memoria sit, quoniam nullius rei intelligentia, etiamsi parvissima, sine memoria haberi potest. Usus nomen duarum syllabarum parvissimum quidem est, sine memoria tamen neque sciri, neque intelligi potest. Quomodo enim si memoriæ non affuerit, potuit

(1799) Cod. Vat. *De igne namque et calor gignitur, et splendor. Unde et non immerito*, etc.
(1800) Edit. Ascens. habet : *Ut enim de aliis taceamus, quæ alia creatura, vel quis nisi homo litterarum peritiam.*

Digitized by Google

yllabæ secunda jungetur, vel ipsa prima sine memoria scietur? Statim enim dicta, obliviscetur, imo non obliviscetur, quia nunquam sine memoria intelligetur. Non est ergo intelligentia priusquam memoria. Usus quoque, id est docendi potentia, his duabus posterior non est, quia non prius aliquid intelligimus, vel memoriæ commendamus, quam tiam docendi potestatem habemus. Quia ergo nulla lia creatura hanc trinitatem et unitatem habere otest, non immerito secundum hanc unitatem et rinitatem angelus et homo Dei similitudinem habere identur. Sic ergo etiam in creaturis invenitur aliuid, quod quamvis ex aliquo gignitur, tamen non st posterior eo ex quo gignitur.

CAPUT III.

De eadem.

Cum loquimur de unitate et trinitate, quæ Deus st, invisibilem æternamque Dei nostri substantiam, aligantibus oculis, infirmisque luminibus videre deideramus: valde timendum est ne forte nobis diatur illud quod in Canticis canticorum: « Averte culos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt *Cant.* VIII, 22). » Unde Apostolus ait: « Non plus apere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietem (*Rom.* XII, 3). » Et in Psalmis: « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (*Psal.* LXIII,). » Et Salomon: « Dixi: Sapiens efficiar, et ipsa onge fugit a me (*Eccle.* VII, 24). » Et alibi: « Sicut, nquit, qui multum mel comedit, non est ei bonum; ta qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria *Prov.* XXV, 27). » Loquebatur facie ad faciem loyses cum Domino, sicut loqui solet homo ad amium suum. Et tamen dicebat: « Si inveni gratiam in culis tuis, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te *Exod.* XXXIII, 13). » Cum Dominus ait: « Non me idebit homo, et vivet (*ibid.*, 20). »—« Deum nemo vidit nquam (*Joan.* I, 18). » Vocem Moyses audire poterat, peciem vel imaginem aliquam videre non poterat. Audivere et apostoli vocem ejus, cum de nube loqueretur icens: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi ene complacui (*Matth.* XII, 18). » Ipsum quidem udivere, speciem autem non viderunt. Nos quoque n sanctis voluminibus eum sæpe loquentem audimus sed speciem non videmus. Non enim eum videbit homo, et vivet. Non videbitur in hac vita, uia istis oculis videri non potest. Videbitur autem ost hanc vitam, sicut Joannes apostolus ait: « Scinus, quia cum apparuerit, similes ei erimus; quia idebimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » Et Apotolus: « Videmus nunc, inquit, per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum (*I Cor.* XV, 12). » Si Moyses et apostoli, ui spiritu Dei pleni erant, in quibus et per quos Dominus loquebatur, eum, sicuti est, videre et audire, et intelligere non potuere, temerarium valde A esse videtur de ejus nos essentia judicare (1801); præsertim cum ipse dicat: « Non me videbit homo, et vivet. » Invisibilis est Deus; non enim corporis, sed mentis oculis videtur: mentis utique innovatæ, et resurrectionis gloria illuminatæ, et omni corruptione corporea liberatæ. Talis tunc erit humana **532** natura, quæ corporeis oculis Christi humanitatem, et mentis oculis ejus divinitatem contemplari valeat. Considera modo quanta tunc lætitia esse poterit videntibus Deum: cum et corporeis oculis videant Christi humanitatem in uno loco manentem, et mentis oculis contemplentur ejus divinitatem omnia continentem. Neuter visus erit otiosus, uterque videbit illud bonum, in quo multum valeat delectari, et quo videndo nequeat satiari. Sed interim B qui de terra est, de terra loquatur; nemo se supra se extendere velit. Dicamus cum Psalmista: « Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me (*Psal.* CXXX, 1). » Arius miser non intellexit hæc verba; sed nimium exaltavit cor suum, nimiumque exaltavit oculos suos; et dum immundo corde et impuris oculis Dei majestatem videre et intelligere non potuit, blasphemare cœpit, et Filium a Patre dividere conatus est. Neque timuit infelix ambulare in magnis et in mirabilibus, quæ erant super se, quæ ejus intelligentiam excedebant et ejus ingenium superabant. Quid enim de Deo dici vel cogitari potest quod magnum et mirabile non sit? Magnum enim multumque mirabile est, quod et Pater est, et Filio prior C non est. Quod quia iste intelligere non potuit, sanctorum auctoritatibus credere noluit, neque humilitatibus voluit consentire, sed exaltavit animam suam. Sprevit episcoporum consilia, et in superbiam elevatus catholicorum damnavit sententiam. Ideoque sicut ablactatus est super matrem suam, ita et retributio facta est in anima ejus. Et sicut puer ablactatus, a lacte avulsus, importune se ingerere solet super matrem suam, ut ubera jam diseccata penitus exhauriat; ita et maligni spiritus cum omni vitiorum exercitu, hujus infelicem animam lacerare, cruciare et perdere sine fine non cessant. Fides ergo sanctorum nobis sufficiat, neque enim meliores sumus quam patres nostri, neque ultra quæramus quæ D illis divinitus sunt revelata. Et qui nos ipsos, et ea quæ in nobis sunt, intelligere non valemus, ad ea, quæ supra nos sunt, nos extendere non laboremus. Audiamus Prophetam dicentem: « Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam (*Psal.* CXXXVIII, 6). » Cœpi (inquit Propheta) meipsum considerare, et quid et qualis esset humana natura volui investigare, et tam miserabilem scientiam in me ipso inveni, ut penitus ad eam me extendere non valeam. Confortata enim est, omnique humano ingenio fortior, et sublimior facta est, et non potero ad eam. Ecce Propheta nescit seipsum, et tu in hac vita vis videre et intelligere ipsius di-

(1801) Cod. Vat., *de ejus essentia perscrutaturi.*

Digitized by Google

vinitatis naturam? Dic mihi, si nosti, unde oculis visus est, unde auribus auditus; quomodo nares odorem, quomodo fauces et palatum saporem sentiunt? Quod si ista intelligis, altius ascende. Quæro ubi tanta machina firmata sit, quis locus, qualis et quantus circa ipsam sit. Neque aliter volvi potuisset, nisi in aliquo loco inani et vacuo ab obstaculo firmata fuisset. Et ego quidem tantam loci spatiique immensitatem circa hoc cœlum videre videor, ut totus iste mundus parvum quid mihi videatur. Unde et ipse quoque hic meus visus magnum mihi miraculum facit, quomodo sub uno momento tantum ascendere, tamque immensa spatia circa se comprehendere valeat; nihilque aliud sentire in me, unde magis omnium creatori Deo simul cum Psalmista dicere debeam : « Mirabilis facta est scientia tua ex me. » Considera etiam terram, quæ suis librata ponderibus, sic in medio cœli firmata est, ut cum nullum habeat fundamentum, in nullam tamen partem se inclinare valeat. Unde bene per prophetam dicitur : « Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera? (*Isa.* XL, 12.) » Considera, si potes, quanta est illa manus quæ tantis aquis impleri non valet, quanta est illius fortitudo qui cœlos palmo ponderavit, quales sunt tres illi digiti quibus tanta moles totius terræ appensa est. Tres isti digiti tres personæ omnipotentis Trinitatis sunt, quarum operatione unus Deus fortis et potens omnia perfecit. De quibus tribus digitis scriptum est : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXI, 6). » Christi quidem tres digiti ad faciendum hominem invitantur, ubi ab uno summo Deo dicitur : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Genes.* I, 26.) » Deus enim, et Verbum Dei, et Spiritus Dei tres personæ sunt, et unus Deus. Et iste quidem est, qui tribus digitis appendit molem terræ. Iste quidem est, qui libravit in pondere montes et colles in statera. Et cum ex altera mundi parte tam immensa montium moles, pondusque excreverit, ex altera vero planities sola remanserit, sic tamen tota librata est, ut alterius partis pondera alteram partem movere non valeant. Cœlorum autem natura talis esse putatur, ut omnia ponderosa a se repellat. Unde solem et lunam, stellarumque globos sine pondere esse putamus. Sicut enim ponderosa omnia a se repellit, ita et levia ad se omnia trahit. Et inde est quod ignis, nubes et nebulæ semper superiora petunt. Fertur simulacrum ferreum deauratum miræ magnitudinis in quodam templo in aere positum fuisse: **533** quod cum nullis catenis, nulloque instrumento teneretur, cunctis videntibus, et quomodo sic staret nescientibus, miraculum faciebat. Erant autem ibi duo lapides temperatæ qualitatis, quos magnetes vocant; quorum alter in pavimento, alter in testudinis sublimitate firmatus erat. Hujus autem lapidis hæc virtus est, ut ferrum ad se naturaliter trahat. Dum ergo statua in medio posita esset, et ab utroque lapide æquali virtute, attento pondere traheretur, neque sursum ascendere poterat, tenente eam inferiore, neque deorsum cadere trahente superiore. Stabat itaque in medio fixa, et sic virtute lapidum tenebatur ut in neutram partem declinare posset. Sic de terra fortasse opinari quoque possumus, quæ cum in medio sita sit, naturali cœlesti virtute in nullam partem valeat declinare, aut cum propter pondus utraque pars centrum petat, altera alteram sustineat. Ego tamen magis eam firmam, immobilemque stare puto virtute Dei quam virtute cœli, et virtus cœli, si qua est, non cœli, sed Dei est.

CAPUT IV.

De nativitate Domini.

Maximus prophetarum Isaias de incarnatione Filii Dei loquitur, dicens : « Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis : Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, Zachariam filium Barachiæ; et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit mihi: Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, festina prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem et matrem, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum (*Isa.* VIII, 1-4). » Nunc videamus quid ista significent. « Sume, inquit, tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis. » Liber iste grandis totus iste mundus intelligitur; tot sunt libri istius membranæ, quot sunt homines. Hæc verba non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis nostri scribenda erant. « Sume, inquit, tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis (1802). Quid est stylo hominis? Plano utique facilique sermone, et quali homines inter se loqui solent; et quem omnes quicunque audierint, intelligere valeant. Et fortasse hic propheta, ideo cæteris omnibus *facilior* est. Alii vero prophetæ non scribunt stylo hominis, quia longe est eorum Scriptura a dictatu cæterorum hominum. Scribe, inquit, stylo hominis: et hoc est quod te scribere volo. « Velociter spolia detrahe, cito prædare. » Quam magnus liber, et quam pauca verba! Hæc tamen sufficiunt, si quis est, qui ea intelligere et custodire valeat. Præparemus corda nostra ad hanc Scripturam suscipiendam. Utinam sit paratum cor nostrum, hæc in se suscipere verba, et tali atramento ibi scribantur ut nunquam inde deleri valeant. Ecce audivimus et præceptum accepimus, ut simus spoliatores et prædatores. Hoc enim significatur illis verbis, quibus dicitur: « Accelera spolia detrahere, cito prædari. » Hactenus fures et latrones hoc officium habuere; hoc, inquam, homines facere solebant. Vim tamen vi repellere nullæ leges prohibent; latrones persequi, non est peccatum. Utinam qui injuste spoliati et prædati sunt, aliquando se vindicare valeant! Recordare illius Evangelii, ubi homo ille, qui descendebat ab Jeru-

(1802) Cod. Vat. et editio Ascens.

Digitized by Google

ıalem in Jericho, incidit in latrones, qui etiam exspoliaverunt illum (*Luc.* x, 30). In hoc uno homine omnes homines exspoliati et prædati sunt. Hos igitur latrones persequamur, et spolia nostra, in quibus gloriantur, diripiamus. Dicamus cum Psalmista : Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant; confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos (*Psal.* xvii, 38). » Si aliam prædam, et alia spolia ab eis auferre non possumus, vel nostra nobis vindicemus; ad eorum impia servitute nos ipsos liberemus. Credamus Apostolo dicenti : « Sicut exhibuistis membra vestra servire injustitiæ, et iniquitati ad iniquitatem ; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem (*Rom.* vi, 19). » Bonam prædam fecimus, et magna spolia dedimus, si de istorum servitute membra nostra liberavimus. Nullos amicos propinquiores habuimus, pro quibus pugnare debuissemus. Abraham persecutus est inimicos, et liberavit Loth nepotem suum de manibus eorum (*Gen.* xiv). Ecce, Deo gratias, pugnavimus, inimicos exspoliavimus. Exsultemus igitur, « sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia (*Isa.* ix, 3). Amodo membra nostra non vitiis, sed Deo serviant, cujus auxilio liberati sumus. « Et adhibui, inquit, testes fideles. » Non enim sine testibus Judæi credere potuissent ; et homines jam superati, tam subitam de inimicis victoriam sperare non possent, ut eos, quibus resistere non valebant, nunc versa vice superarent et exspoliarent. Bene igitur fecit Isaias, testes fideles sibi adhibendo, qui se hæc verba a Domino simul cum ipso audisse affirmarent. Hoc autem et nos facere nunc debemus quando conversis peccatoribus veniam, et de inimicis victoriam per pœnitentiam pollicemur; si **534** verbis nostris credere nolunt, fideles testes adhibeamus, de quorum testimonio dubitare non possint. Sed quos testes? Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ. » Isti duo testes, duo sunt Testamenta, quorum auctoritate quidquid dicimus confirmare debemus. Si peccator mihi non credit veniam promittenti, et se post tanta flagitia salvari posse diffidit, adhibebo Evangelium testem fidelem : « Qui crediderit, inquit, et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* xvi, 16). » Adhibebo insuper et alium testem : « Peccator quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* xxxiii, 12). » Unde bene Uria *ignis* interpretatur, per quem legem intelligimus, de qua scriptum est : « In dextera ejus ignea lex (*Deut.* xxxiii, 2). » Zacharias vero *auxilium* dicitur, per quem Evangelium significatur; cujus tique magno et ineffabili auxilio liberati sumus; ujus pater Barachias vocatur, qui *benedictus Dominus* nterpretatur. Evangelii pater Christus est, qui super mnia benedictus Deus et Dominus est. « Et accessi d prophetissam, quæ concepit, et peperit filium. » Egregie autem, postquam hanc tantæ memoriæ, antæque lætitiæ promissionem propheta accepit, se ad prophetissam accessisse dicit, ut illum tandem de Virgine Matre nasci videret, in quo, et per quem tanta promissio compleretur. Hæc autem prophetissa beata Virgo Maria est, quæ plena Spiritu sancto, pulcherrimam nobis edidit prophetiam: « Magnificat, inquit, anima mea Dominum. Et exsultavit Spiritus meus in Deo salutari meo, » etc, (*Luc.* i, 47.) Accessit autem propheta ad prophetissam, quando a Spiritu sancto ductus est, ut Christi nativitatis sacramentum in Spiritu videre mereretur. Sic enim accedebant prophetæ ad omnia quæcunque videbant. « Et dixit mihi : Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, festina prædari ; quia antequam sciat puer vocare patrem aut matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. » Ecce puer noster, cujus hodie celebramus nativitatem, antequam carnem susciperet et de virgine nasceretur, et priusquam secundum carnem infantiam compleret et ad virilem ætatem perveniret, fortitudinem Damasci et spolia Samariæ abstulit, et regem vicit Assyriorum. Isti enim contra Jerusalem pugnabant, et filios Israel in illis diebus, in quibus Isaias prophetabat, vehementissime affligebant. Miseri Judæi, qui eum venientem non susceperunt, quem solum et non alium, semper adjutorem et defensorem habuerunt. Sed quomodo vocari debuit rex fortis et potens noster, nisi spoliator et prædator? Ipse est enim, de quo scriptum est : « Ad prædam, fili mi, ascendisti (*Gen.* xlix, 9). » Ipse est qui prius Ægyptum, et postea infernum exspoliavit. Illa enim prima exspoliatio hanc secundam futuram significabat. Ipse est qui per angelum suum de castris Assyriorum centum octoginta quinque millia interfecit, eorumque spoliis filios Israel divites fecit. Hæc Isaias, qui hæc scripsit, suis oculis vidit, et hanc victoriam, hunc puerum nostrum fecisse narravit. Senex est iste puer, et antiquus dierum, et antequam Abraham fieret, ipse est. Parvulus quidem videtur modo, qui secundum carnem natus est modo; cujus nativitas secundum divinitatem nullum temporis habet modum. Ipse enim est, de quo scriptum est : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eum non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum (*Joan.* i, 1-7). » Lege totum Evangelium, et extende te, simulque cum beato Joanne, cujus hæc verba sunt, sume pennas aquilæ, et ascende super Cherubim, ut volare valeas super pennas ventorum, et accedens usque ad thronum gloriæ, ibi videas puerum istum qui hodie natus est; qui modo ad prædandum et exspoliandum venit, in sinu et corde æterni, summique Patris regnantem et gloriantem, ut audias ipsum dicentem : « Eructavit cor meum verbum bonum (*Psal.* xliv, 1) : » — « Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus san-

Digitized by Google

ciorum : ex utero ante luciferum genui te (*Psal.* CIX 3). »

CAPUT V.

De circumcisione Domini.

« Postquam impleti sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur (*Luc.* II, 21). » Primus omnium hominum, jubente Domino, circumcisus est Abraham, de quo Apostolus ait : « Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei (*Rom.* IV, 11). » Est ergo circumcisio signum, quo Judæorum populus, qui ubique gentium dispergendus et in captivitatem ducendus erat, ab aliis nationibus discerneretur. Est autem signaculum, id est significatio **535** quædam justitiæ fidei, quoniam Christianorum justitia, quæ non per circumcisionem, sed per fidem habetur, in illa tali circumcisione significata est (1803). Nemo enim justus veraciter dici potest, nisi ille, qui non solum unum membrum, ut Judæi, sed omnia membra circumcisa habet. De hac enim circumcisione scriptum est : « Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra (1804) (*Joel.* II, 13). » Unde et Moyses incircumcisum labiis se esse dicit (*Exod.* VI); linguæ quoque circumcisionem necessariam esse significavit. Hinc et beatus Stephanus, quasi non bene circumcisos Judæos redarguens, ait : « Incircumcisi auribus et corde, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut et patres vestri, ita et vos (*Act.* VII, 51). » Sic igitur omnia membra « circumcidi, et omnia superflua et nociva ab omnibus membris resecari et purgari debent. Superflua autem et nociva sola peccata et vitia sunt. Hæc ab omnibus membris auferantur, et bene totus circumcisus est homo. Si oculi non videant vanitatem; si aures non audierint detractiones; si lingua non fuerit locuta verba otiosa atque mendacium, circumcisa est. Hæc est vera circumcisio, si omnia membra circumcidantur. Hanc circumcisionem illa circumcisio patris nostri Abrahæ significabat, et propter hanc circumcisionem illa talis circumcisio data est, sicut et cætera omnia, quæ in figura contingebant illis. Hoc signum, et hoc signaculum jam nunc necessaria non sunt, quoniam uterque populus unus est, et paries inimicitiarum de medio sublatus est, et ex duobus gregibus unum ovile et unus pastor effectus est, et totum quod prius in significatione agebatur, nunc ab omnibus intelligitur, et in veritate servatur. Quoniam autem Salvator noster hanc in carne sua circumcisionem suscepit, hæc valde rationabilis causa fuit; quia non venit legem solvere, sed adimplere. « Finis enim legis, dicit Apostolus, Christus est ad justitiam omni credenti (*Rom.* X, 4). » In ipso lex completa est; nihil proficiunt, qui post ipsum circumciduntur. Unde et Apostolus ait : « Ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (*Galat.* V, 2). » « Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia, sed conclusit, inquit, Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus (*Galat.* III, 21). » — « Nihil ad perfectum adduxit lex (*Hebr.* VII, 19). » Manifestum est autem, quoniam ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram Domino (*Rom.* III). Ad hoc igitur valuit circumcisio, quia quicunque in illo populo circumcisus non fuit, periit de populo Dei, neque simul cum aliis Christi sanguine liberatus et redemptus est. Cæteri vero omnes usque ad Christi passionem, non solum ab originali peccato, verum etiam ab aliis omnibus Christi sanguine liberati sunt, quicunque illam circumcisionem acceperunt et legem custodierunt. Si enim circumcisione originale peccatum deleri potuisset, Christi passio necessaria non fuisset; sed impossibile erat sine effusione illius sanguinis originale solvi peccatum (1805). Unde et Joannes apostolus ait : « Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Christus est Filius Dei. Hic est enim qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et sanguine (I Joan. V, 5). » Nonne audis, quia Salvator noster non per circumcisionem, sed per aquam et sanguinem venit salvare et redimere mundum ? Et non in aqua solum, quia impossibile erat sine Christi sanguinis effusione solo baptismate hominem liberari, sed in aqua et sanguine, ut sanguis ad pretium et ad lavandum aqua proficeret. « Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis; et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt (*ibid.*, 7-8). » Et cœlum nobis testatur et terra quod Filius hominis venit in hunc mundum ut nos redimeret atque salvaret. Unde et Apostolus ait : « Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum (*I Tim.* I, 15). » Tres, inquit, sunt in terra, qui nobis testimonium dant, certosque nos faciunt de salute nostra, Spiritus videlicet et aqua, ex quibus in baptismo regenerati sumus, et sanguis Filii Dei, quo redempti sumus. Et de baptismo quidem scriptum est : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 16). » De sanguine vero « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (*Apoc.* I, 5). » Itemque : « Qui manducaverit meam carnem, et biberit meum sanguinem, habet vitam æternam (*Joan.* VI, 55). » Et hi tres unum sunt. Tres quidem isti, id est Spiritus, aqua et sanguis, unum sunt, quoniam et Spiritus lavat, et aqua lavat, et sanguis lavat. Omnes enim tres in

(1803) Idem cod. S. Marci Flor. : *Quoniam Christianorum justitia, quæ per circumcisionem significata est, non solum in uno membro, sed in omnibus fit.*

(1804) Cod. Vat. *Circumcidite corda vestra, et non corpora vestra.*

(1805) Hæc intelligenda sunt ad mentem D. Thomæ III p. q. 1, art. 2 ad 2, quam exposuit cardinalis Gotti tom. XII, quæst. 3 De conven. et necess. Incarnat., dub. III, § 1, ubi docet quod si Deus exegerit satisfactionem pro peccato originali, aliunde ab homine patratis, de rigore justitiæ, eam nisi per effusionem Christi sanguinis fieri potuisse.

Digitized by Google

inum sunt, in quo vicissim a se non differunt. Sunt gitur hæc tria unum, quia unum operantur. Et tres unt, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et **536** Spiritus sanctus; et hi tres non tantum inum, sed substantialiter unum sunt. Lege omnes cripturas utriusque Testamenti quæ horum trium, Patris videlicet, et Filii, et Spiritus sancti, inspiratione compositæ sunt; et tunc intelliges qualia quanque in cœlo de salute nostra testimonia habeamus. Quod si plura legere non vacat, illud nobis unum interim sufficiat : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. » Quod enim Filius dicit, hoc et Pater dicit, et Spiritus sanctus. Illa autem clausula, quæ interposita est, qua dicitur : « Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas (*I Joan.* v, 6), » ad superiora respicit, ubi ait : « Quoniam Jesus est Filius Dei (*I Joan.* IV, 15). » Quasi enim aliquis diceret : Unde hoc probas quod Jesus iste Dominus, quem prædicas, sit Filius Dei? subdidit dicens : Spiritus, qui in ipso est, in quo tanta et alia operatur, ipse apertissime ostendit quod Filius Dei sit, et quia veritas (1806) est, et quia mendacium in eo non est, et quidquid de se ipso vel de aliis dixit, totum verum est (1807).

CAPUT VI.

In Epiphania Domini.

Audivimus modo, cum Evangelium legeretur, quod tres magi (1808) ab Oriente venerunt, quos nova stella duxit ad Jesum, qui mox, « apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham; et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam (*Matth.* II, 12). » Dicendum est igitur quid tres isti magi, quid illa stella, quid tria munera, et quid itineris mutatio significet. Non nisi non vacat a mysterio, quod tribus solummodo vis extraneæ gentis suæ nativitatis gloriam Salvator noster manifestare voluit. Tres fuerunt filii Noe, in tempore diluvii in arca salvati sunt, ex quibus postque disseminatum est omne hominum genus. In tres partes totus divisus est mundus, in Asiam, Africam et Europam. Tres mulieres venerunt ut ungerent Jesum: Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome (*Marc.* VI). Mulier quoque in Evangelio abscondit fermentum in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum (*Matth.* XIII). Sunt autem et multa alia, quæ eamdem habent significationem. Tres igitur isti viri venientes ad Jesum, ex omnibus mundi partibus, sanctam Ecclesiam in unam fidem colligendam significabant; quidem ex tribus hominibus orti sunt omnes, et unum Dominum in tribus personis adorare debemus omnes, et in tribus mundi partibus habitabant omnes, quoniam ab uno creati sunt omnes (1809). Per cœlos autem, qui hanc novam stellam dederunt, apostolos intelligimus, de quibus dicitur : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII, 1). » Nova autem stella eorum fides est atque doctrina. Cœli nobis prædicant, cœli nos vocant, cœli nos invitant ad Dominum. Multi sunt cœli, sed una stella, quia multi sunt apostoli et doctores, sed una fides atque doctrina. Unum enim dicunt omnes. Unam fidem prædicant omnes. Unus Dominus, una fides, unum baptisma prædicatur ab omnibus. Hanc stellam sequamur, hanc fidem et doctrinam teneamus. Hæc nos ducet ad Jesum; hoc lumine veniemus ad proprium Dominum (1810). Neque nos errare in itinere permittet, tantum nos eam non deseramus, semperque ad eam respiciamus, et via regia incedamus. Ad Herodem non divertamus, ejus consilium non audiamus, neque Scribarum et Pharisæorum responsa quæramus. Si enim magi hoc fecissent, si ad Herodem non venissent, si recto itinere perrexissent, et in domo impia Christum non requisivissent, nequaquam stellam perdidissent. Hoc enim ex ec probari potest quod postquam ab Herode magi recessissent, eorumque consortium reliquissent, confestim, ut ait evangelista : « Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, donec veniens staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde (*Matth.* II, 9). » Illorum igitur error sit nostra correctio, et qui nova stella et vero lumine, fide catholica et doctrina apostolica illuminati sumus, Herodis domum, hæreticorum et Judæorum doctrinam, quæ est synagoga Satanæ, fugiamus. In itinere positi sunt isti, et ad Christum festinantibus parant insidias. Sed vide quanta est iniquitas Herodis, quanta est astutia diaboli. Fingit se adorare velle, quem molitur occidere. Mittit magos ad Jesum, rogat ut ab ipso ad se redeant. « Habet enim fiduciam, sicut scriptum est, quod influat Jordanis in os ejus (*Job* XL, 18). » Sunt enim escæ ejus electæ, neque magno opere curat alios devorare, **537** nisi eos qui jam per fidem et baptismum venerunt ad Jesum, et in Christi militia computati ejus signaculum recipere meruerunt. « Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum (*Matth.* II, 11). » Valentiniani non inveniebant puerum cum matre Maria, quia non credebant Christum habuisse matrem (1811). Nestoriani autem divinam maternitatem negantes, dicebant Mariam matrem esse Christi, ut

(1806) In edit. Ascens. legitur *unitas*, sed cox Vat. habet *veritas;* ita et cod. S. Marc. ibid.

(1807) In edit. Ascens. hæc desunt; sed habet d. Marci Flor., iisque concludit sermonem ut in archesii editione et cod. Vaticano.

(1808) Aliquorum PP. fuit sententia magos istos es fuisse ut S. Maximi Taurin. hom. x De Epiph., it. Rom. 1785, p. 78, ubi ait : *Et bene, charissimi, uno itinere tres simul adoraturi venerunt magi : ia in uno Christo, qui omnium credentium via est, inseparata ab eis erat Trinitas adoranda.* Cæterum in Evangelio numerus magorum non adnotatur.

(1809) Cod. Vat. : *Et in tribus mundi partibus habitant omnes, et unum Deum in tribus personis adorare debemus omnes, quoniam ab uno creati sunt omnes.*

(1810) Cod. Vat., *veniemus ad Jesum.*

(1811) Mendosus est hic locus in edit. Ascensiana. Non fuere Nestoriani, qui negarent Christum ha-

Digitized by Google

hominis, non ut Dei; unde in detestationem hujusmodi erroris beata Virgo Maria vocata est *theotocos* (1812), id est Dei, qui etiam homo est, mater. « Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham (*ibid.*). » Gentiles erant isti, legem et prophetas non noverant; legis tamen et prophetarum dicta complebant. Scriptum est enim: « Non apparebis vacuus ante conspectum Dei tui (*Deut.* XVI, 16). » Isti sunt, de quibus scriptum est: « Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domini annuntiantes. (*Isa.* LX, 6). » Et in Psalmis: « Reges Tharsis, et insulæ munera offerent, reges Arabum, et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei (*Psal.* LXXI, 10). » Docent nos isti viri, qui primitiæ gentium fuerunt, et per quos omne genus hominum significatum est (1813), qualiter debeamus quærere Christum, et quomodo ad Jesum venire debeamus. Non debemus venire sine muneribus, non debemus ad eum accedere sine aromatibus. Sic regina Saba (quæ et ipsa Ecclesiam gentium significabat,) venit ad Salomonem, offerens ei aurum multum, et aromata multa, qualia prius non sunt allata in Jerusalem (*III Reg.* X). Sic et illæ mulieres, de quibus jam supra locuti sumus, emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum. Lege Cantica canticorum, et videbis quod totus liber unguentis optimis et aromatibus redoleat. Ubi sponsa unguentis suavibus delibuta, sponsi odoribus delectata dicit: « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I, 4). » Cujus et sponsus odoribus nihilominus delectatus fuit: « Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris (*Cant.* IV, 11). » De sapientia quoque dicitur: Quia « in plateis, sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi, et quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris (*Eccli.* XXIV, 20). » His et similibus apparet quantum bono odore et sanctis aromatibus delectatur Deus. Bonus odor et sancta aromata virtutes sunt, sine quibus ad Christi incunabula, et ad matrem totius virginitatis accedere non licet. Fides, spes, charitas, humilitas et patientia, misericordia et obedientia, aromata sunt, quorum odor suavissimus est, in quo et Christus et mater Christi multum delectantur. Valde sapientes fuerunt homines isti, qui talia munera Domino obtulerunt. Hos igitur imitemur; et aurum, et aromata Domino offeramus. Omnium metallorum aurum pretiosissimum est, nec igne minuitur, nec vetustate corrumpitur. Omnia vasa tabernaculi aurea sunt, mensa, altare, candelabrum, thuribulum, tabulæ, crateræ, scyphi, et ipsi cherubim de auro purissimo facti erant. Nihil in toto templo nisi aurum videbatur. Ad nos, fratres, ista respiciunt; nos sumus vasa tabernaculi, divitiæ Dei, arcana Dei, sapientia Dei. Si in corde tuo reposita sunt, tu es arca Dei; si cibis spiritualibus alios pascis, mensa es; si de tua sancta conversatione bonum odorem circumquaque diffundis, thuribulum es; si Spiritum sancto in corde tuo habitaculum præparas, templum Dei es. Hoc enim dicit Apostolus: « Nescitis, quia templum estis Dei, et Spiritus sanctus habitat in vobis? » (*I Cor.* III, 16.) Aureos igitur nos esse oportet, siquidem tabernaculi vasa sumus. Sed videat unusquisque quale aurum offerat Domino. Ipse enim falli non potest: faber est, et filius fabri; non Joseph, ut Judæi dicebant, sed illius qui fabricavit cœlum et terram, sicut nos dicimus. Ipse est, de quo scriptum est: « Et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos, quasi aurum et quasi argentum (*Malac.* III, 3). » « Si cujus opus manserit, mercedem accipiet: si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse vero salvus erit; sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III, 14-15). » Apostoli verba sunt. Quid nos miseri faciemus, qui non aurum, sed plumbum habemus. Sed potens est Dominus plumbum nostrum in aurum convertere, qui in tot et tam diversa animalia solidam terram convertere potuit. Ecce audivimus quid Domino offerre debeamus. Audiamus etiam per quam viam in patriam redeamus: dicat evangelista: « Et admoniti, inquit, magi in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam (*Matth.* II, 12). » Una via prohibetur, cæteræ bonæ sunt. Redire ad Herodem malum est, hanc viam fugiamus. Hæc via non ducit ad patriam. Herodes iste diabolus est, Herodes iste 538 peccatum est. Omnis via, quæ ad ipsum ducit, mala est. Aliis ergo vias teneamus, quæ nos sine errore in patriam perducant. « Universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10). » Hæ duæ sufficiunt nobis; sed duæ una sunt. Dominus hoc dicit: « Ego sum via, veritas et vita: nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV, 6). » Omnes igitur viæ in istam conveniunt, nulla nisi per istam ad Patrem et ad patriam perducit. Hanc ergo teneamus, ut læti tandem et incolumes in antiquam patriam nostram redire valeamus; ipso adjuvante, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VII.

De octavis Epiphaniæ.

« Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparet in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel, defuncti sunt enim, qui quærebant animam

buisse matrem, sed Valentiniani, cum Christi corpus in cœlo formatum, et in sinum Mariæ Virginis delapsum blasphemarint. Nestoriani autem negabant Mariam Deiparam appellandam, cum Christum purum hominem ab ea conceptum dicerent. Itaque restituendus, ut hic legitur.

(1812) Idem cod. S. Marci Flor. *Id est, Dei hominis mater.* Ita et cod. Vat.

(1813) Idem cod. S. Marci Flor.: *O felices gentium populi, cum quibus et inter quos omne genus hominum significatum est?*

Digitized by Google

ueri (*Matth.* II, 13). » Sicut Joannes evangelista A
icit : « In propria venit » Dominus et Salvator no-
ter, et filii « eum non receperunt (*Joan.* I, 11). »
lelicta igitur Synagoga transivit ad gentes, et abiit
» Ægyptum, ubi patriarchæ et prophetæ peregri-
ati sunt, ut adimpleretur quod dictum est per pro-
hetam dicentem : « Ecce Dominus ascendet super
ubem levem, et ingredietur Ægyptum, et corruent
mnia simulacra ejus (*Isa.* XIX, 1). » Unde et ipse
ominus ait : « Ecce relinquetur vobis domus vestra
eserta (*Luc.* XV, 38). » Et in Psalmis : « Ecce elon-
avi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* XXXIV, 8). »
templo quoque, ut Josephus refert, auditæ sunt
oces angelorum dicentium : Relinquamus has
edes. Unde et Apostolus ait : « Vobis oportebat
rimum prædicari verbum Dei ; sed quia repulistis B
lud, et indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce con-
ertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). » Hoc igitur fuga
omini significavit. Venit in Ægyptum, ut populus,
ui sedebat in tenebris, videret lucem. De quo vide-
cet populo per Prophetam ante prædixerat : « Po-
ulus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu
uris obedivit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi,
lii alieni inveterati sunt et claudicaverunt a semitis
uis (*Psal.* XII, 46). » Et alibi : « Vocabo non ple-
em plebem meam, et non misericordiam consecu-
am, misericordiam consecutam (*Rom.* IX, 25). » Et
uibus prius dictum fuerat Non populus meus vos,
psi vocamini filii Dei vivi. « Laudate ergo Domi-
um, omnes gentes, laudate eum, omnes populi :
uoniam confirmata est super nos misericordia ejus, C
t veritas Domini manet in æternum (*Psal.* CXVI, 1). »
felices illi gentium (1814), cum quibus et in qui-
us Dominus habitat! Miseri Judæi, qui eum recipere
oluerunt, et clamantes dixerunt : « Non habemus
egem, nisi Cæsarem ! » (*Joan.* XIX, 16.) Miserunt
super legationem post ipsum, dicentes : « Nolumus
unc regnare super nos (*Luc.* XIX, 14). » Nondum
lis mortuus est Herodes, adhuc super Syn-
gogam diabolus regnat. Nondum mortui sunt
mnes qui Christi animam quærunt, et ejus
omen et fidem in cordibus fidelium occidere
onantur. Sed sciant Judæi, nisi omnes isti prius
oriantur, et diabolus in eorum cordibus regnare
esistat, ad terram Israel (1815) non veniet Jesus.
edignatur enim Dominus cum talibus habitare, D
mnesque illos fugit, super quos Herodes et diabolus
egnat. His autem mortuis revertetur ad eos, quod
uidem juxta (1816) sæculi consummationem Jere-
ias propheta futurum esse testatur. Ait enim : « In
iebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit con-

fidenter, et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus justus noster (*Jer.* XXXIII, 16). » — « Si enim fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient (*Rom.* IX, 27). » Unde et in Psalmis legitur : « Convertentur ad vesperam, et famem patientur, ut canes, et circuibunt civitatem (*Psal.* LVIII, 15). » Et tunc quidem archisynagogi filia exsuscitabitur. Tunc ille, qui hircum seu caprum emissarium, tanto tempore vagabundus per desertum duxit (1817), lotis vestibus, aqua munda, ad castra revertetur. Obscura sunt hæc nisi clarius disserantur. Narrat Moyses (*Levit.* XVI, 7) Dominum præcepisse ut ante ostium tabernaculi duos hircos statueret, quorum alterum immolaret Domino, alterum vero in desertum mitteret per hominem ad hoc officium præparatum (1818). Homo vero ille immundus erat usque ad vesperam, et tunc tandem lotus aqua ad castra revertebatur. Quam frivola hæc esse viderentur, nisi magnum aliquid significarent. Duo hirci Christum et Antichristum significant. Hircus in lege pro peccato offerebatur, mundum quidem animal, sed fetidum et luxuriosum. Munda enim animalia sunt, quæcunque ungulam dividunt, et ruminant. Nos quasi hircum Antichristum abominamur. Similiter et Judæi Salvatorem nostrum seductorem et peccatorem dicunt. In quorum persona Isaias propheta loquitur, dicens : « Et nos reputavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum: Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est **539** propter scelera nostra (*Isa.* LI, 4). » Hic igitur hircus ad ostium tabernaculi, et ante portas templi ductus et damnatus est, et pro peccatis nostris Domino immolatus. Nunc autem de altero videamus, super cujus caput filii Aaron manus suas ponentes, omnes maledictiones imprecabantur. Filii Aaron nos sumus, qui quotidie Antichristum damnamus et maledicimus. Huic enim Apostolus maledicens, ait : « Et tunc revelabitur ille iniquus filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (*II Thess.* II, 8). » Similiter autem et beatus Joannes in Apocalypsi multis maledictionibus eum maledicit. Homo vero ille qui eum in desertum ducit, populus Judaicus est, qui per totum mundum in captivitatem ductus, et quasi per magnum quoddam desertum divisus, Antichristum, quem ipsi Messiam vocant, secum portat, illum prædicat, illum annuntiat, illum ad sui liberationem venturum esse dicit (1819). Sic igitur usque ad vesperum, usque ad hujus diei sæculique finem, simul cum hirco suo populus ille in hujus

(1814) Cod. Vat. : *O felices gentium populi.*
(1815) Cod. Vat. *et ad Synagogam.*
(1816) Cod. Vat., corrigit edit. Marches. et Ascen-
ianam in quibus legitur *secundam.*
(1817) Cod. Vat., *per desertum ducit.*
(1818) Cod. Vat. corrigit editiones supra citatas,
uæ habent *pro homine ad hoc officium præparatum.*
(1819) In commentar. ad cap. XVI Levit. eamdem
xpositionem habet S. Bruno : « Primus hircus, inquit, est Christus : secundus autem Antichristus. Primus enim sorte exiit Domino, et immaculatus est pro peccato ; secundus autem multis precibus, imo multis maledictionibus susceptis in solitudinem mittitur : Judæi enim ubique terrarum divisi hircum suum in captivitatem et in solitudinem ferunt. Hic enim est ille Messias quem ipsi prædicant et exspectant. »

Digitized by Google

deserti amplitudine errabit, et tunc tandem lotus aqua, et baptismate sanctificatus, et mundatus Ecclesiæ castris sociabitur, et sicut superius diximus : « Illis diebus salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter ; » et tunc tandem revertetur Dominus in terram Israel, et habitabit in civitate Nazareth, quæ *munditiæ* interpretatur. Hæc una civitas duobus populis sufficit (1820), ut simul omnibus in unum collectis, fiat solummodo unum ovile et unus pastor. Et tu igitur quicunque es, si vis suscipere Christum in domum tuam et in templum pectoris tui, esto Nazareth; esto domus pulchritudinis et munditiarum. Dic simul cum Psalmista : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (*Psal.* L, 12). » Audi Dominum in Evangelio dicentem : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8). » Congrue igitur per Nazareth Ecclesia tota ex utroque populo congregata significatur; quoniam tota munda est, tota pura est (1821); ut adimpleretur quod scriptum est per prophetas, dicentes : « Quoniam Nazaræus vocabitur (*Matth.* II, 23). » Pulchre autem a Nazareth Nazaræus dictus est, quoniam, sicut diximus, Nazareth *munditiæ*, et Nazaræus *mundus* interpretatur, et mundus quidem a munditiis derivatur. Multa autem de Nazaræis loquitur Moyses, qui sicut viri valde religiosi, seipsos Domino vovebant et consecrabant, et ab omnibus quibus lex abstinere præcipit, se custodiebant, neque vinum, neque siceram, neque aliquid quod inebriare posset, bibebant; comam capitis sui non radebant et ad mortuum non accedebant. Tandem autem peracto tempore, quod ex voto debebatur, totius professionis (1822) hostiam Domino offerebant. Quod si forte tempore consecrationis suæ qualibet occasione ad mortuum accessissent, omnes priores dies irriti erant, et mox eadem die, similiter autem et die septima radebant capita sua (1823). Die vero octavo offerebant par turturum, aut duos pullos columbarum. Aliter in Synagoga, aliter in Ecclesia Nazaræi fiunt. Et pauci quidem fiunt in Synagoga; multi vero in Ecclesia. Sunt enim Nazaræi quicunque baptizantur. Quoniam ab omni peccato lavantur et sanctificantur. Et quamvis omnes Christiani in baptismate Nazaræi fiant, ad episcopos tamen cæterosque clericos, et præcipue ad monachorum ordinem hæc pertinere videntur, qui arctiori voto Domino conjuncti ab omnibus immunditiis, se præ cæteris custodire debent. Tales igitur a vino et sicera aliisque omnibus quæ inebriare possunt, abstinere oportet, ne forte inebriati sensum amittant, suæque professionis obliviscantur. Hoc autem non tantum de corporis, quantum de animæ ebrietate intelligi debet. Utraque enim mala est, sed animæ pejor. Qui enim vitiorum calice inebriati sunt, facile a diabolo præcipitantur. Et tali quidem calice ebrii sunt omnes superbi, omnes avari, omnes luxuriosi, omnes raptores, omnes quibus furor et ira dominatur. Ipse enim impetus irrationabilis ebrios eos esse ostendit. Non est igitur Nazaræus, qui a tali se non continet ebrietate. Vinum bibit Jesus (1824), et Nazaræus erat. In quo maxime probatur per vinum et siceram aliquid significari. Interdicitur quoque Nazaræis ad mortuum accedere, id est criminalia et mortalia peccata committere. Quamvis sine peccato nemo esse possit, sine crimine tamen Nazaræum esse necesse est, quoniam si crimen commiserit, jam 540 Nazaræus non est. Unde et Nazaræis præcipitur sic, si qualibet occasione ad mortuum toto tempore consecrationis accederint, statim ea die radantur, et septima similiter. Dies quoque irriti fiebant, quousque ad illam diem pro voto custodierant. Nunquam ante terminum constitutum Nazaræis caput radere licitum erat, nisi prius fortasse ad mortuum accessissent. Qui igitur ante terminum caput radebant, nolebant apparere foris, quod se cognoverant intus perdidisse. Hos et nos imitari debemus, ut quando peccatum aliquod magnum committimus, statim eadem die ad pœnitentiam curramus, neque in alteram diem differamus, sicut scriptum est : « Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem (*Eccli.* v, 11). » Radamus capita, ut tota munda appareat conscientia, et dolor, qui in corde est, in facie manifestetur. Sicut bonæ comæ nutriendæ sunt, ita et malæ radendæ. Bonæ comæ bonæ sunt cogitationes, de quibus dicitur : « Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi (*Psal.* LXXV, 11); » quas videlicet beatus Job se perdidisse flebat, dicens : « Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum (*Job* XVII, 11). » His ornatur caput interioris hominis; his amissis infirmatur anima. Ideo Samson perdidit fortitudinem, quia talibus comis subrasus fuerat. Malæ vero comæ illæ sunt de quibus in Evangelio Dominus ait : « Ex corde exeunt cogitationes malæ, furta, adulteria, perjuria, et similia (*Matt.* XV, 19). » Hæ radendæ sunt, quia hæ sunt quæ coinquinant hominem, et quæ Nazaræos immundos faciunt. Hæ tollantur a corde; his animæ caput radatur, et totus homo mundus erit. Debet autem caput radere qui peccavit, et prima et septima die, quoniam « qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* XXIV, 13). » Septima namque dies ultima est. Octava vero die offerat par turturum, vel duos pullos columbarum; per quod videlicet intelligimus quod cum veniet ad resurrectionem, quæ ubique

(1820) Cod. Vat., *sufficiet*.

(1821) Edit. Ascensianæ diversa est lectio : *Tota pulchra est, tota super nivem dealbata est :* de qua ipse Dominus ait : *Ecce tu pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Ab hac ergo Nazareth Salvator noster, ut dicit evangelista, *Nazaræus dictus est*, quoniam, sicut diximus, Nazareth *munditiæ*, Nazaræus *mundus* interpretatur, et mundus quidem a munditiis derivatur, etc.

(1822) Cod. Vat., *totius perfectionis*.

(1823) Cod. Vat. corrigit edit.

(1824) Cod. Vat., *Vinum bibebat Jesus*.

Digitized by Google

octava die futura est, totus, corpore et anima mundus, quasi digna et acceptabilis hostia Domino offeretur. Multa sunt quæ de Nazaræis dici possunt; sed pauca nos dixisse sufficiat.

CAPUT VIII.

SERMO I IN RAMIS PALMARUM (1825).

« Cum venisset Jesus Bethphage ad montem Oliveti (*Matth.* XXI, 1). » Et reliqua. Dominus et Salvator noster, fratres charissimi, veniens ad passionem pro humani generis redemptione, accessit prius ad montem Oliveti; inde præmisit duos discipulos suos Jerusalem, et ait illis. « Ite in castellum quod contra vos est, et ibi invenietis asinam alligatam, et pullum: solvite et adducite mihi (*ibid.*, 2). » Quibus adductis, dum Christus supersedisset, et Jerusalem veniret, universa civitas in adventu ejus commota, obviam illi venit, tantamque devotionem exhibuit, ut quidam vestimenta sua in via prosternerent, alii ramos palmarum et olivarum prosternendos cæderent, omnesque et præcedentes et subsequentes, una voce in laudem illius, cum pueris simul clamarent: « Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis (*ibid.*, 9). » Quæ omnia sic sunt actualiter gesta, ut tamen aliquid spiritualiter significarent. Mons quippe Oliveti, cui Redemptor noster prius appropinquavit, quid aliud significat quam ipsum Salvatorem nostrum? Quia sicut mons, cum de terra sit, terræ tamen eminet: sic et Salvator noster, homo, qui similis fuit nobis, mortalis; sed quia sine peccato fuit, quia Deus et homo, super omnes est sublimatus et exaltatus; de quo Propheta ait: « Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem (*Psal.* LXVII, 17). » Ipse est mons Oliveti, quia, sicut ait Apostolus: « Pater est misericordiarum, et Deus totius consolationis (*II Cor.* I, 3). » Oleon enim, seu eleon, Græce dicitur misericordia. Duo autem animalia, asina et pullus, significant duos populos, Judæos et gentes. Sicut enim asina erat domita jugo et sella supersedentem suscipere, pullus vero non; ita Judæorum populus jugum legis et prophetarum habuerat, et unius Dei cultum: gentium vero populus nec jugum legis et prophetarum susceperat; non Deum, sed dæmonia adorabat: ambo tamen populi sub jugo peccati erant, sicut ait Apostolus: « Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom.* III, 23), » a quo jugo, ut possent solvi, misit Christus duos discipulos, id est duos ordines discipulorum, unum in Judæam, alterum in gentilitatem. Unde beatus Paulus ait: « Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes (*Galat.* II, 8). » Hoc enim apostoli convertendo a peccatis solverunt, et templum et sedem Dei fecerunt; unde divina Scriptura ait: Anima justi sedes est sapientiæ. Post apostolos subsecuti sunt et sancti martyres, qui prosternebant vestimenta sua in via, quia pro testamento Dei sua corpora tradiderunt. Inde SS. confessores ramos de arboribus cædunt, dum exempla bene vivendi de libris Novi et Veteris Testamenti nobis assumunt. Clamant omnes: « Hosanna filio David » quia omnes **541** sancti una voce unoque spiritu laudant Deum, qui per misericordiam suam nos a potestate diaboli liberavit. Cum quibus, fratres, et nos mortificantes carnem nostram, cum vitiis et concupiscentiis, palmam victoriæ per veram pœnitentiam et per opera misericordiæ, quam oliva designat, contra diabolum habeamus, ut ad cœlestem Jerusalem, Redemptore nostro duce, quandoque pervenire et illic gaudere valeamus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II. ITEM DE RAMIS PALMARUM.

Narrat beatus Joannes evangelista quod turba multa, quæ convenerat ad diem festum, cum audisset quia Jesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum et processerunt obviam ei, et clamabant: « Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini (*Joan.* XII, 13). » Bona turba, quæ ad diem festum convenerat; bona turba, quæ Salvatori nostro obviam processit, quam ipsi quoque Scribæ et Pharisæi timentes, quamvis Christum occidere cupiebant, in eum tamen manus mittere non audebant; unde et dicebant: « Non in die festo, ne tumultus fieret in populo (*Matth.* XXVI, 5). » Ad festum namque diem venire, Dei Filio obviam ire, et non solum exire, verum et cum palmis obviam ire, ad religionem et virtutem pertinet. Septem diebus faciebant Judæi hanc maximam solemnitatem, in qua fermentum comedere et opus servile facere non licebat. Sed sicut Apostolus ait: « Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos (*I Cor.* X, 11). » Hæc festivitas nostra est. Judæi Christum occiderunt; sed nobis et propter nos occisus est Christus; nobis et propter nos immolatus est Agnus, qui tollit peccata mundi. Nos igitur hanc festivitatem celebrare debemus: « Non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* V, 8); » id est non in vetustate litteræ, quæ occidit, sed in novitate spiritus, quia spiritus vivificat. Debemus autem eam celebrare septem diebus, hoc est omnibus diebus, et quanto tempore in hac vita sumus. Quia enim non sunt dies nisi septem, ideo per septem dies omne tempus et omnes dies intelliguntur. Servilia autem opera sunt, non illa quidem quæ servi faciunt, sed potius illa quæ etiam liberos servos faciunt. Non est enim servile opus ignem in Sabbato accendere, catinum lavare, infirmos sanare, paralyticos curare, sicut Judæi Salvatori nostro detrahentes dicebant: « Hic homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan.* IX, 16). » Sicut et archisynagogus indignans dicebat: « Sex dies sunt in quibus licet operari; in his ergo venite, et curamini, et non in die Sabbati (*Luc.* XIII, 14); » servile scilicet opus existimans sanare et ipsos miseros homines a dæmonibus liberare. Sed si vis scire quæ sunt ser-

(1825) Titulus cod. Vat. est *Dominica in Palmis.*

Digitized by Google

vilia opera, audi evangelistam dicentem : « Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices ; non concupisces rem proximi tui (*Luc.* XVIII, 20 ; *Exod.* XX, 13 *et seq.* ; *Deut.* V, 17 *et seq.*). » Hæc sunt servilia opera ; hæc faciunt homines servos, hæc tradunt miseros homines ad diaboli servitutem. Hæc ergo et similia fugiamus, ab his nos custodiamus et non faciemus opus servile in festivitatibus nostris. Et illi quidem qui sic festa celebrant, digni sunt qui processionem Domino faciant et ei cum palmis obviam pergant. Neque enim sine palmis licet Christo obviam ire, quoniam in palmis victoria significatur. Unde et in lege præcipitur ne judices in judicio personam respiciant ; sed quicunque justam causam habuerit, ei palmam dabunt. Vadant ergo illi obviam Jesu, qui victores sunt et suos vicerunt inimicos. Si vicisti superbiam, unam palmam habes ; si vicisti luxuriam, aliam habes, et quot vitia superasti, tot palmas habes. Si autem nullum vicisti, nullam habes. Noli ergo ire obviam Christo, non te suscipiet, quia indignus es, qui in tali triumpho suscipiaris. Videamus modo quid asinus ille etiam significet, super quem rex iste humilis et mansuetus sedere dignatus est. Animal stultum, vilis pretii, ignobile, omnibus injuriis omnique subditum servituti est asinus. De sanctis autem dicit Apostolus : « Videte vocationem vestram, fratres ; quod non multi sapientes inter vos, non multi nobiles ; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I, 26). » Et in alio loco : « Si quis videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens (*I Cor.* III, 18). » De talibus quoque Isaias ait : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini (*Isa.* I, 3) : » unde ait Debora (quæ interpretatur *apis*) : « Qui ascendistis super nitentes asinos, benedicite Dominum (*Judic.* V, 10). » Nitentes asini illi sunt, qui apostolorum vestibus ornati sunt ; qualis iste est, super quem modo Dominus sedet. De quo evangelista ait : Quod « imposuerunt » apostoli « super eum vestimenta sua et eum desuper sedere fecerunt (*Matth.* XXI). » Apostolorum vestimenta et ornamenta virtutes sunt et mores honesti. Fides, spes, charitas, fortitudo, temperantia, humilitas, misericordia, pax, patientia, et similia, ornamenta sunt, quibus sancti apostoli ornati sunt et alios ornant, ut apti et pulchri sint, super quos Deus sedere et in quibus habitare dignetur. Qui igitur talibus ornamentis ornati sunt et alios ornant, illorum quidem animæ super nitentes asinos sedere dicuntur. Isti itaque sunt sedes **542** Dei ; isti de ignobilibus et vilissimis animalibus facti sunt thronus Dei. Novem sunt angelorum ordines, sed super thronos nullus ordo est : quanto melius est cum simplicibus et mansuetis asinos Christi fieri, quam cum superbis et arrogantibus equos et currus fieri Pharaonis ! De illis enim scriptum est : « Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare (*Exod.* XV, 4). » De istis autem : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). » Denique super quod aliud animal debuit sedere Jesus, cum ad crucem pergeret, nisi super illud quod crucem naturaliter super se ferre videtur ? Naturaliter enim hoc animal crucis signum super se designatum habet. Audiamus etiam quid illi significent, qui ramos de arboribus cædentes, viam Domino præparabant. De talibus præcursor Domini ait : « Parate viam Domini : rectas facite semitas Dei nostri (*Luc.* III, 4). » Non omnium est hoc officium, neque omnibus data sunt ferramenta, quibus hujusmodi rami de arboribus succidantur. Episcoporum hoc est et sacerdotum : ipsi tales ramos de arboribus cædere et viam Domino præparare debent, per quam et nos ad ipsum ire possimus, et ipse ad nos venire dignetur. Arbores autem patriarchæ et prophetæ, apostoli et evangelistæ intelliguntur. De his autem ramos succidimus, quando eorum fidem et doctrinam eorum, vitam et sanctam conversationem aliis exponimus et ad imitandum proponimus. Tales fuerunt arbores Isaias, Jeremias et Daniel. Tales fuerunt Petrus, et Paulus, et Joannes. Talis et ille qui ait : « Ego sicut oliva fructifera in domo Dei : speravi in misericordia Dei mei in æternum, et in sæculum sæculi (*Psal.* LIII, 10). » Ex qua videlicet arbore rami succiduntur, quibus illa via paratur, de qua dicitur : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal.* CXVIII, 1). » Præcipitur filiis Israel ut in festivitate tabernaculorum fructum arboris pulcherrimæ suscipiant, spatulasque palmarum et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et in ipsis lætentur coram Domino (*Levit.* XXIII). Qui ista intelligunt non ignorant quid arbores et rami arborum significent, quibus Domini ad nos et nobis ad Dominum via præparatur. Quid illæ quoque duæ turbæ significent audiamus, de quibus hic dicitur : « Turbæ autem quæ præibant et quæ sequebantur, clamabant, dicentes : Hosanna filio David ; benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXI, 9). » Illa turba quæ præibat patriarcharum et prophetarum exercitus est, omniumque illorum qui a primo homine usque ad Christum Domino placuerunt. Illa vero quæ sequebatur, tota fidelium Ecclesia intelligitur a Salvatoris adventu usque ad finem sæculi. Lege prophetarum libros, et videbis quomodo præcedens turba laudet Dominum et benedicat. Lege evangeliorum volumina et apostolorum Actus, et tunc intelliges quantum in Christi laudibus sequens turba quotidie personet. Egregie itaque factum est, quod Salvator noster in medio positus est, inter utrumque videlicet Testamentum ; Synagoga præcedit, Ecclesia sequitur. Ipse vero in medio stat, et uterque populus una et consona voce eum laudat et benedicit (1826).

(1826) Idem auctor hujus mysticæ interpretationis hoc in sermone et in commentario in Matthæum manifestatur.

Digitized by Google

qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IX.

IN CŒNA DOMINI.

Prima die azymorum, quando necesse erat comedere Pascha, Dominus et Salvator noster Petrum et Joannem ante se ad civitatem misit, qui ei hospitium et cœnam præpararent. Hæc autem cœna finis est veteris et initium Novi Testamenti. Unde et Salvator noster unam cœnam in duas cœnas dividere voluit, ut per primam Vetus, et per secundam Novum Testamentum intelligamus. De hac autem cœna locutus est Dominus ad Moysen et Aaron in Ægypto, dicens : « Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Loquimini universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis : Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas (*Exod.* XII, 2). » (1827) Mensis, inquit, iste aliorum mensium principium est, qui apud nos Martius vocatur. Hic autem sit vobis primus, id est maximus et principalis anni, quia majora in hoc mense quam in cæteris fiunt sacramenta. « Loquimini ad cœtum filiorum Israel, dicite eis : Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas ; sin autem minor est numerus, quam ut sufficere possunt ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui conjunctus est domui ejus, juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem vobis absque macula, masculus anniculus. Juxta hanc ritum tolletis et hædum, et servabitis eum usque ad decimum quartum diem mensis hujus. Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam (*ibid.* 3 *et seq.*). » Decima namque die tolluntur agnus et hædus, et servantur usque ad quartum decimum diem ejusdem mensis, et tunc (2) immolantur. Nam quia tabulæ testamenti decem verba, id est decem præcepta principalia scripta fuerunt, in quibus tota lex quodammodo continetur, ideo frequenter per decem totum Vetus Testamentum intelligitur. Quia vero quatuor sunt Evangelia, in quibus Novum Testamentum clauditur, et per quatuor Novum Testamentum designatur. Decima igitur dies Vetus Testamentum, quarta vero decima Novum designat. Decima autem tollitur agnus, sed usque ad quartam decimam immolatus servatur, quia Christi passio in Veteri Testamento (1828) præfigurata et in ænigmate significata, quia in Novo veraciter est adimpleta. Ibi Christus figuratur, hic immolatur. Ibi significatur, hic sacrificatur. Ibi denique agni immolatio narratur, hic Christi passio prædicatur. Vetus namque Testamentum eo tempore finem fecit, quo Christus Dominus noster discipulis suis ait : « Amen dico vobis, non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Dei (*Matth.* XXVI, 29). » Vetus igitur vinum spernitur, novum (1829) promittitur. Non quod vetus lex omnino destruatur, sed quod novo et spirituali sensu intelligatur ; hoc autem in regno Dei, quod est Ecclesia. Christus autem et agnus est propter innocentiam, et hædus dicitur propter similitudinem carnis peccati. De hoc enim dicitur : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I, 29). » De hoc similiter dicitur : « Non coques hædum in lacte matris suæ (*Exod.* XXIII, 19). » Ad hunc ergo vescendum, vicinos et proximos invitare debemus, ut qua charitate omnium salutem desideramus, innotescat. Vicinus enim noster omnis Christianus est, et quicunque ab Ecclesia longe non est. Est autem agnus iste absque macula, quia sicut scriptum est : « Peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II, 22). » Est autem masculus, anniculus, quia nihil habet molle, nihil (1830) est femineum, nihil corruptioni obnoxium, nihil carnalis sentiens titillationis. Et agnus quidem per domos comeditur; hædus vero ab omni multitudine immolatur, per quod apertissime designatur et hoc sacrificium, quod modo in Ecclesia assidue sumitur, et illud quod a Judæis insanientibus in ara crucis est immolatum. Quamvis enim et hoc, et illud unum sit, tamen aliter, et aliter (1831) est. Unde et illi hædum occidunt inter iniquos et peccatores mundi Salvatorem deputantes, sicut scriptum est : « Et inter iniquos deputatus est (*Luc.* XXII, 37). » Itemque : « Nisi hic esset malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Joan.* XVIII, 30). » Nos autem quia innocentem, sanctum, et justum, et sine omni contagione peccati Dei Filium esse credimus, agnum absque macula et immolamus et sumimus. Ideoque quamvis agnus, et hædus immolatur, solus tamen agnus a populo manducatur. Illud enim sacrificium in isto sumitur, quia hoc in illud convertitur (1832). « Hæc est enim mutatio dexteræ Excelsi (*Psal.* LXXVI, 11). » Omnis autem multitudo filiorum Israel hædum immolavit. Sed quando ? Ad vesperum : quia proditor Judas circa hanc horam cum Judæis locutus, Christum vendidit, nummos accepit, atque altera die circa horam vespertinam, id est post nonam Salvator noster spiritum emisit. Unde Psalmista ait : « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum (*Psal.* CXL, 2). » (1833) Et sument de sanguine agni, et ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Super utrumque etenim postem agni sanguinem ponunt, qui et ore et corde illum suscipiunt. Qui vero vel indigne suscipiunt,

(27) Tota eisdemque verbis desumpta est hæc explanatio ex commentario ejusdem Brunonis in hunc Exodi locum in edit. tom. I, p. 58.

(28) Cod. V., *per figuras, et ænigmata significata.*

(29) Corrigenda est editio Ascens. ubi legitur *celebratur.*

(1830) In cod. Vat. *est* non legitur.

(1831) Cod. Vat., *fit.*

(1832) Cod. Vat. *Nunquam enim illud comederetur, nisi hoc in illud verteretur. Hæc est autem*, etc.

(1833) Huc usque commentarii lectio.

Digitized by Google

vel etiam suscipientes Christi sanguinem esse non credunt, isti super unum tantummodo postem sanguinem Christi ponunt. De quibus Apostolus dicit : « Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit (*I Cor.* xi, 29). » Nos igitur et ore sumentes, et corde sanguinem Christi esse credentes super utrumque postem eum ponamus; et corpore, et mente suscipiamus. Cum autem crucis signum, quæ Christi sanguine cruentata est, in nostris frontibus facimus, tunc quidem in superliminaribus domorum Christi sanguinem ponimus. Sequitur : « Et edent carnes illa nocte assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus (*Exod.* xii, 8). » Idem enim hoc loco et per carnes, et per azymos panes intelligimus, et bene utrumque posuit, quia de panibus hæ carnes fiunt. Has autem cum lactucis agrestibus comedunt, qui corde compuncto et humiliato eas suscipiunt, et crucis amaritudinem Christo compatientes in cordis palato quodammodo sentiunt. « Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni (*ibid.*, 9). » Agni enim carnes, vel si crudæ, vel aqua coctæ edantur, facile stomachum pervertere solent. Si vero assæ fuerint et confortant, et avidius (1834) eduntur. Qui igitur eas a cæteris carnibus non discernit, et omni cibo suaviores et salubriores esse non intelligit, et quasi fastidiens, digne eas sumentibus salutem et vitam eas præstare non credit, is vel crudas, vel aqua coctas has carnes comedit. Ille vero assas igni eas manducat, qui vitam **544** in eis esse credens avidissime suscipit, et suscipiendo Christi passioni communicat. Ipse enim Dominus dicit : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam (*Joan.* vi, 54). » Non sunt præterea hæ carnes crudæ edendæ, quia passus est Christus, neque in aqua coctæ, quia non occulte, sed palam, et omnibus videntibus est crucifixus. Redolet caro, cum assatur, redolet et passio Christi. Caput cum pedibus ejus, et intestinis vorabitis, nec remanebit ex ea quidquam usque mane. « Caput enim Christi, sicut Apostolus ait, Deus est (*I Cor.* xi, 3). » Pedes vero, qui terram tangunt, ejus carnem significant, quæ de terra assumpta est. Quid vero ejus intestina omnino occulta ? Omnia profunda mysteria. Caput igitur illius cum pedibus et intestinis vorant, qui et Deum, et hominem esse credunt, et quæcunque de eo scripta sunt, digne fideliterque suscipiunt. Non enim sufficit, si et Deum et hominem eum esse credamus, nisi intestina ejus quoque suscipientes, et de Virgine natum, et circumcisum, et veraciter passum, et die tertia surrexisse, et cætera, quæ de eo scripta sunt, indubitanter crediderimus. Unde subditur : « Nec remanebit ex eo quidquam usque mane (*Exod.* xii, 10). » Omnia sumantur, omnia credantur; nihil de hoc agno remaneat quod in fidei pectore non claudatur. Mane autem vitæ hujus finis intelligitur, quando Christus sol justitiæ apparebit, et fugatis tenebris nox ulterius non erit. Tunc autem non erit tempus convertendi, vel agni carnes comedendi, quia qui tunc credere incipient, cum fatuis virginibus audient : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* xxv, 12). » — « Si quid residuum fuerit, igne comburetis (*Exod.* xii, 10). » Residua enim sunt, quæ comedi nequeunt, ut est pellis et ossa. Pellis etenim agni caro Christi est, quæ quidem qualiter Deo unita, id est qualiter Verbum caro factum est, neque dici, neque intelligi potest. Sed quis illa ossa comedere, vel (ut ita dixerim) corredere valeat, ut qualiter ante omnia tempora sit a Patre genitus diutissime si licuerit, semperque investigando intelligat. Sunt autem alia multa, quæ quoniam comedi et intelligi non possunt, charitatis igne, fideique ardore comburantur. Sufficit enim credere, si non datur intelligere. Plures enim credendo magis quam intelligendo has carnes comedunt. Comedant ergo qui possunt, qui vero non possunt, credant, et charitatis igne comburant. Sequitur : « Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter. Est enim phase, id est transitus Domini (*Exod.* xii, 11 et 12). » Renes quidem accingere est castitatis et continentiæ cingulo luxuriam refrenare. Unde ipse Dominus ait : « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* xii, 35). » Calceamenta vero in pedibus habent, qui quasi (1835) alio pergere parati, peregrinos se in hoc mundo esse cognoscunt. Et isti quidem viam mandatorum (1836) currentes, secure, et sine timore, utpote bene calceati super serpentes calcant et scorpiones. Baculos autem in manibus teneant, ut se ab incurrentibus adversariis defendere valeant. Habes humilitatem, baculus est tibi ? Hoc enim superbiam vincis. Habes castitatem, et hæc baculus est, qua luxuria superatur? sed quid multa ? Quot virtutes, tot baculos habes. Sic igitur præparetur, sic munitur, sic cremetur, qui has carnes comedere venit. Cito autem, et festinanter comedetis eas, ut cum Dominus veniet, jam pleni et saturi satis, nec tunc credere incipiatis, quando liberari per fidem debetis. In fide autem suscipienda, nulla mora debet esse. « Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam (*Matth.* xxv, 13). » Postquam autem (1837) illam cœnam, et agnum illum significativum Salvator noster cum apostolis comedit, ad verum Paschæ transit sacramentum, ut quod prius fecerat in figura, iterum faceret in veritate; et prius quidem fecit secundum ordinem (1838) Melchisedech, ut se utriusque testamenti auctorem esse ostenderet. Alterum igitur sacerdotium complendo finivit, alterum autem in æternum fieri et manere constituit. De quo scri-

(1834) Cod. Vat., *assumuntur*.
(1835) Cod. Vat., *alias*.
(1836) Idem cod., *Dei*.
(1837) Cod. Vat., *primam cœnam*.

(1838) Cod. Vat. *Secundum ordinem Aaron, postea vero secundum ordinem Melchisedech*. Item edit. Ascens.; quæ loco *postea* habet *postremo*.

Digitized by Google

otum est : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, A
u es sacerdos in æternum secundum ordinem Mel-
chisedech (*Psal.* cix, 4). » Surgens igitur a cœna,
et accipiens linteum præcinxit se : deinde misit
aquam in pelvim, cœpit lavare pedes discipulorum.
Pedes quidem, quoniam qui lotus est, non indiget,
nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Hoc autem
faciebat, ut puri et mundi essent ad tantum acce-
dere sacramentum; nobis quoque exemplum tri-
buens, ut prius nos abluamus, ad ejus carnem et
sanguinem accessuri. Qui enim, ut Apostolus ait :
« Manducat et bibit indigne, judicium sibi mandu-
cat et bibit (*I Cor.* xv, 29). » Probet igitur se
prius homo, lavet pedes et conscientiam, et sic
accedat. Postquam autem pedes eorum lavit; cum
terum recubuisset, antequam secundam cœnam B
agere cœpisset, ait : « Scitis quid fecerim vobis?
Vos vocatis me magister, et dominus, et bene dici-
is; sum etenim. Si ergo ego dominus, et magister
avi vobis pedes, et vos debetis alter alterius
avare pedes (*Joan.* xiii, 13). » (1839) Et paucis ver-
bis interjectis, accipiens calicem bibit, et ait :
345 « Non bibam amodo de hoc genimine vitis,
donec bibam illud vobiscum novum in regno Dei
Joan. xiii, 13). » (1840) Quod tale fuerit : Vetera
ransierunt; ecce nova facio omnia. Hinc est enim
quod Lucas evangelista duos calices ponit, dicens :
« Accipite, et dividite inter vos. Hic est enim calix
sanguinis mei; novi testamenti, qui pro vobis et
pro multis effundetur in remissionem peccatorum C
Luc. xxi, 17, 20). » Ac si diceret : Dixi vobis ali-
quando : « Nisi manducaveritis carnem Filii homi-
nis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam
in vobis (*Joan.* vi, 54); » sed non intellexistis :
modo quod dixi, expono; et quod nunc me facere
videtis, illorum verborum expositio est. Quidam ex
discipulis hæc verba tunc audientes, et non intelli-
gentes scandalizati sunt, et conversi abierunt re-
rorsum, et amplius eum non sunt secuti; putabant
enim, quod ejus carnes membratim concisas, vel
crudas, vel coctas comedere debuissent. Nimis adhuc
carnales erant isti, nimisque carnaliter intelligebant.
Ecce modo cum discipulis sedet Jesus : manducat
et bibit cum illis, et cum nihil patiatur in membris
suis, ejus tamen caro comeditur, et ejus sanguis bi-
bitur a discipulis suis. Hoc facit potentia divinitatis; D
illa videlicet, de qua scriptum est : « Omnia quæ-
cumque voluit, Dominus fecit in cœlo, et in terra, in
mari, et in omnibus abyssis (*Psal.* cxxxiv, 6). » —
« Ipse enim dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et
creata sunt (*Psal.* xxxii, 9). » Sic igitur, et modo
cum dixisset : « Hoc est corpus meum; et hic est san-
guis meus (*Luc.* xxii, 19); » tanta fuit potentia in verbo
ejus, ut illico et panis mutaretur in carnem, et vinum
mutaretur in sanguinem. Miraris hoc? Hoc scio,
quod miraris (1841). Mirabile enim est; nihil enim
fecit Deus, quod mirabile non sit. Similiter autem,

et ego miror de te, quomodo cibus tuus, et potus
tuus mutatur in carnem et sanguinem tuum. Non
facit cibus tuus carnem tuam, quæ jam facta est,
sed nutrit, et mutatur in eam; videlicet carnem
tuam, quam habes, et quam suscepisti de matre
tua. Sic igitur et panis iste, et vinum, quod super
altare consecratur, ad imperium et potestatem
cœlestis benedictionis in Christi sanguinem com-
mutatur, non in aliam carnem Christi, quia aliam
non habet, nisi illam quæ nata est de matre Christi.
Ergone potuit digestio tua mutare cibum tuum in
carnem tuam, et cœlestis benedictio non potest
panem et vinum mutare in carnem et sanguinem
Christi? Quomodo ergo verum est : « Ipse dixit, et
facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt? » Con-
cedas igitur necesse est, quod sicut digestione mu-
tatur cibus in carnem tuam, quam tu suscepisti ex
matre tua; ita et panis iste cœlestis benedictione
mutatur in carnem Christi, non in aliam quidem,
quia non habet aliam, nisi illam, quam de Virgine
matre suscepit. Audi adhuc quod mirabilius est,
cum tantus panis, qui per totum mundum quotidie
sacrificatur cœlesti benedictione mutetur in carnem
Christi, et comedatur a fidelibus Christi, ipsum
tamen corpus Christi neque augetur, quando panis
in illum mutatur, neque minuitur, quando manduca-
catur. Illi quinque panes sint nobis in exemplum,
ex quibus Salvator noster quinque millia hominum
satiavit, exceptis parvulis et mulieribus, qui in hoc
numero non computantur (*Joan.* vi). Si unusquisque
ex illis panibus solummodo in mille particulas divi-
sus fuisset, ego non puto unam particulam os unius
hominis implere potuisse. Illud tamen tantillum,
quod singuli susceperunt, tantum in ore uniuscu-
jusque multiplicatum est, ut neque dentibus ad mo-
lendum, neque venter ad implendum minus esset
usque ad perfectam satietatem. Illæ quoque parvis-
simæ micæ, quæ de panibus, cum frangerentur,
ceciderunt, et his, qui comederant necessariæ non
fuerunt, sic multiplicatæ sunt, ut duodecim ex eis
cophinis impleri potuissent. Et certe poterat Domi-
nus, si ipsi placuisset, ex solis istis reliquiis pascere
omnes homines hujus mundi, quanto tempore fuerit
iste mundus; tanta est potentia Domini, et tantum
valet benedictio Christi. Ecce invenimus aliquid ad
exemplum valde conveniens, quod a multis come-
datur, et non minuatur. Sic igitur corpus Christi
cum quotidie comedatur ab omnibus, nullam tamen
patitur diminutionem; quia sicut Apostolus ait :
« Christus resurgens a mortuis, jam non moritur;
mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* vi, 9). » Vidi
ego aliquos, et quales multos invenire non est difficile,
qui nulla ciborum abundantia majores et cras-
siores fiebant, quamvis non multi cibi in eorum
carnes convertebantur. Hoc autem dixi, quamvis
fortasse non videatur competens exemplum, ut tu
intelligas aliquid esse, quod non augeatur, quamvis
Item cit. edit.

(1839) Cod. Vat., *paucis verbis interpositis.*
(1840) Ll. col. : *Quod tale fuit, ac si diceret.*
(1841) Cod. Vat. et edit : *Scio quod miraris.*

Digitized by Google

ei quotidie aliquid addatur. Si igitur hoc in carne mortali fieri potest, quanto magis in carne Salvatoris, et ipsa jam per resurrectionem clarificata? Nondum enim consummatum et perfectum est quod in aliquo augeri, vel minui potest. Sed quare nos in istis laboramus? Ipsius verba nobis sufficiant. Ipse enim dixit. « Hoc est corpus meum; » postea dicit : « Hic est sanguis meus. » Ipse dicit : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Joan.* VI, 56). » Ipse dicit : « Qui manducat meam carnem **546** et bibit meum sanguinem habet vitam æternam (*Joan.* VI, 55). » Si Christo non credimus, cui credemus? Ubi tanta auctoritas est, ibi argumenta necessaria non sunt.

CAPUT X.

SERMO II IN PARASCEVE.

De imitando Christo in paupertate, misericordia, charitate, et cæteris virtutibus, hac die, aut qualibet alia habendus ad fratres.

« Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis (*Ephes.* V, 1). » In omnibus, quæ Dominus noster Jesus Christus gessit, fratres charissimi, et dixit, nobis formam humilitatis, et doctrinam bonæ conversationis reliquit, sicut enim verbis nos voluit docere, ita et exemplis. Unde scriptum est : « Cœpit Jesus facere, et docere (*Act.* I, 1). » Et quantum ad humilitatem ait ipse Dominus : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI, 29). » Quia etiam cum ipse sit omnipotens, atque Dominus, pro nobis pauper esse voluit, honores respuit, passiones sponte subiit, et etiam pro persecutoribus exoravit. Et hoc totum fecit, ut in omnibus eum, pro capacitate nostræ infirmitatis, sequi non negligamus; alioquin veri Christiani non simus. Nam qui dicit se Christum diligere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. In hoc ergo, quod ipse pauper esse voluit, nec nos divitias pro magno habeamus, neque eas immoderatius appetamus, satis aperte docuit. Nam homines hujusmodi comprobantur esse avari, de quibus dicit Apostolus : « Avari, fornicatores et immundi regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* VI, 11). » Idemque alibi : « Qui volunt in hoc mundo divites fieri, incidunt in tentationes et in laqueos diaboli (*I Tim.* VI, 9). » Ecce qui volunt divites fieri, dixit, non qui sunt. Cupiditatem damnabilem ostendit, non divitias. Possunt divites esse, et boni; sed illi, de quibus dicitur : « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere (*Psal.* LXI, 11). » Quales legimus fuisse Abraham, et Jacob, et David, quos et divitias cognoscimus habuisse, et eas cum non habentibus communicasse. Et in Apostolo scriptum habemus : « Præcipe divitibus hujus sæculi, non sublime sapere, neque sapere in incerto divitiarum, sed in Deo vivo. Divites sint in operibus bonis, facile tribuant (*I Tim.* VI, 11). » Ecce isti sunt boni divites, qui non superbe sapiunt, neque sperant in incerto divitiarum, id est fiduciam suam non ponunt in divitiis, quæ sunt in incerto, A quæ hodie habentur, et cras facile amitti possunt. « Facile tribuant, » ut de his, quibus abundant, inopiam fratris sublevare studeant, ut de eorum unoquoque dicatur : « Hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* IX, 7). » Et hoc est, quare cum Dominus dives esset in cœlis, pauper voluit esse in terris. Quoniam vero etiam passionem et crucem sponte subiit, per ipsam mortem suam de potestate diaboli nos eripuit, atque in cruce pendens pro peccatoribus oravit, ubi nobis exemplum dedit, valde æquanimiter mala a proximis illata, homines ab hominibus perpeti, cum ipse omnium Dominus a servis, justus a peccatoribus tanta tam benigne pertulit. Et nos, fratres, in tribulationibus positi, orationibus maxime insistere debemus, quæ tribulationes B geminæ sunt. Est enim tribulatio, cum patimur damna temporalium, et est tribulatio, quæ longe major est, quando ad quæcunque crimina inclinamur. Verumtamen sic orandum est, ut oratio nostra non vertatur in peccatum. Eleemosynas pariter largiri debemus, easque perfecte facere. Perfecte autem eleemosynæ sunt in duobus; dando scilicet et dimittendo; unde Dominus dicit in Evangelio : « Date, et dabitur vobis, dimittite, et dimittetur vobis (*Luc.* VI, 37). » Item : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* V, 7). » Alioquin, Scriptura testante, frustra a peccatis liberari rogans, manus ad Dominum expandit, qui eas ad pauperes, pro posse non extendit. Et si quis vos offendit, dimittite ex corde, ut Deus remittat vobis vestras offensas; quia « nisi dimiseritis, nec Pater de cœlis dimittet vobis (*ibid.* VI, 14) : quoniam qui odit fratrem suum, homicida est; et scimus quod omnis homicida non habet vitam æternam, neque partem in regno Christi et Dei (*Joan.* III, 15). » Hæc sunt, quibus perveniendum est ad regnum cœlorum. Ad quod perducat nos Christus Dominus noster, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.

SERMO II IN PARASCEVE, SIVE IN RESURRECTIONE DOMINI.

« Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quia Dominus noster Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere (*I Tim.* IV, 9). » Beatus apostolus Paulus, Doctor et magister gentium, verba sua vera et fidelia esse dicit, omnique D acceptione digna, et quibus nemo unquam contradicere debet, quod Dominus noster Jesus Christus ideo in hunc mundum venit, ut peccatores salvos faceret. **547** Non enim venit vocare justos, sed peccatores, quia non indigent, qui sani sunt medico, sed male habentes. Tota enim intentio Salvatoris nostri, qui Verbum caro factum est, quod de Virgine natus est, quod inter homines conversatus est, quod passus est, et resurrexit; tota, inquam, illius intentio fuit, ut peccatores redimeret, atque salvaret. Hodie igitur completa est hæc intentio tam pia, hæc voluntas tam sancta, hæc misericordia tam immensa. Hoc et ipse ostendit illis verbis, quibus ait : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia

Digitized by Google

ia scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et crucifigetur, et tertia die resurget (*Matth.* xx, 18). » Nonne audis quod in resurrectione consummantur, quæ lex et prophetæ de eo prædixerunt? Non erat alia via, qua homo in patriam converteretur, non erat alia medicina, qua sanaretur. O clementissimum medicum, qui de proprio sanguine fecit medicinam, ne infirmi perirent, quos sanare venerat! Ipse est enim de quo scriptum est: « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (*Apoc.* I, 5). » Sanguis igitur Christi pretium est, quo redempti sumus, et lavacrum, quo lavati sumus, et antidotum, quo sanati sumus. « Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia; sed nihil ad perfectum adduxit lex (*Gal.* III, 21). » Manifestum est enim, quia « ex operibus legis non justificatur omnis caro coram Deo (*ibid.* II, 16) : » Apostoli verba sunt : « Hic est » igitur, dicit beatus Joannes, « qui venit per aquam, et sanguinem redimere, lavare, et salvare (*Joan.* V, 6). » Non in aqua solum, quia non solo baptismate hæc tanta salus, tanta redemptio, tanta liberatio fieri poterat; sed in aqua et sanguine, ut sanguis ad pretium, et ad lavacrum aqua proficeret. Unde et de latere ejus simul cum sanguine aqua profluxit. Jam Salvator noster obierat, et adhuc in ipsa sui sanguinis effusione nos docebat, et prædicabat, ubi nostræ redemptionis auxilium quærere, et credere debeamus; cum suæ passionis mysterium aliquando discipulis revelasset, et beatus Petrus intellexisset, ipsique displicuisset, atque dixisset : « Absit hoc a te, Domine, non fiat istud; respondit ei Jesus : Vade post me, Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominis (*Matth.* x, 22). » Non (1842) enim beatus Petrus cognoverat illud magnum et ineffabile sacramentum divini consilii; non intellexerat, quod peccatum originale nisi Christi sanguine solvi non poterat. Nondum sciebat, quod « oportet Christum pati, et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* XXIV, 12). » Si enim hoc intellexisset, nunquam ejus voluntati Satanas, qui est contrarius, exstitisset. Ivit tamen ipse post Christum, quia non solum in morte, verum etiam cum secutus est simili morte. Illis diebus, quibus Joannes Baptista decollatus est, venerunt quidam ad Jesum dicentes : « Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te interficere (*ibid.* XIII, 31). » Et isti quidem veri homines loquebantur, et humanum consilium dabant. Quibus Dominus respondens ait : « Ite, dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie, et cras, et tertia die consummor. Verumtamen oportet me et hodie, et cras, et sequenti die ambulare (*ibid.* XXXII, 33). » Quid quod

A Herodes quærit me interficere? Ite, et dicite vulpi illi; dicite illi callido insidiatori : Ecce ejicio dæmonia, quæ illo fortiora et potentiora sunt, et ipsum si volo ejicio, et de regno et de corporis tabernaculo ejicere possum. (1843) Hoc autem facio hodie, et cras, et quanto tempore mihi placuerit. Cras enim frequenter in divina pagina pro futuro tempore ponitur. Secundum quam significationem Jacob ad Laban loquitur, dicens : « Respondebit mihi cras justitia mea (*Gen.* XXX, 33). » Sed quid prodest Herodi, si me interficeret; cum ego statim tertia die consummer, id est a mortuis resurgam. Tantum enim, et non amplius temporis erit, quicunque me interfecerit, inter passionem et resurrectionem meam. Verumtamen quamvis Herodes hoc facere
B quærat, quamvis hanc voluntatem stultam et impiam habeat; oportet me tamen hodie, et cras, et sequenti tempore post cras, quantum mihi placuerit, ambulare, et prædicare, ac Patris facere voluntatem. Quare hoc? quia « non capit perire prophetam extra Jerusalem (*Luc.* XIII, 33). » Non capit, inquit, non recipit, non patitur sermo propheticus, et divina dispositio perire prophetam extra Jerusalem (1844). Ibi, et non alibi passurus sum, quia et locus, et tempus, et dies, ubi, et quando, et a quibus hoc fieri debeat statutum et dispositum est, et aliter fieri non potest. Stultus igitur est Herodes, qui alterius officium, et peccatum sibi vindicat, et locum, et tempus, et cætera immutabilia mutare contendit.
C Multoties Judæi voluerunt tenere et occidere Jesum, et non potuerunt. Unde etiam eisdem ipsis signa quærentibus, et cum superbia loquentibus, ait : « Generatio prava et perversa signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; ita erit et Filius hominis in corde terræ, **548** tribus diebus, et tribus noctibus (*Luc.* XI, 29, 30). » Ecce audistis, quid amplius quæritis? Tribus enim diebus, et tribus noctibus, et non amplius erit Filius hominis in corde terræ. (1845) Quid est in corde terræ? in affectu et desiderio peccatorum. Tribus enim diebus, et tribus noctibus desuper Judæis data est potestas, ut facerent in eum
D quod facere cupiebant. Sicut enim cœli vocantur justi; ita et terra vocantur peccatores. Unde primo homini dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 29). » Fuit igitur Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus, quamvis non integris tribus diebus, et tribus noctibus. Nocte enim illa, qua a Judæis insanientibus, et super eum irruentibus captus est, ex quo ipse ait : « Si me quæritis, sinite hos abire (*Joan.* XVIII, 8); » in potestate illorum fuit Salvator noster. Similiter autem, et illis duabus aliis noctibus, quæ post illam se-

(1842) Cod. Vat.: *Nondum.*
(1843) Idem dixit in expositione Evangelii Lucæ.
(1844) *Hunc autem non capit, non suscipit, non nascitur Dei providentia, Dei dispositio, et sermo propheticus, perire et mori extra Jerusalem*, etc. Idem S. Bruno comment. in Luc. cap. XIII, XXVI.
(1845) Eamdem expositionem habet S. Bruno Astensis in tractatu De incarnatione.

Digitized by Google

quuntur usque in diem Dominicam, ne resurgeret, custoditur ejus corpus, quod duntaxat in eorum potestate fuit. Tres quoque dies ita computantur, et sexta feria, et Sabbatum, et tertii diei initium, in quo mundi Creator et Dominus valde mane a mortuis resurrexit. Usitatissimum omnium Scripturarum est, totum pro parte, et partem pro toto aliquando ponere. Unde et Propheta muscam et ranam singulariter posuit; cum muscas et ranas pluraliter dicere debuisset. « Immisit, inquit, in eos muscam caninam, et comedit eos, et ranam, et disperdidit eos (*Psal.* LXXVII, 45). » Sufficiat vobis hoc signum, o Judæi : neque ulterius quæratis aliud signum. Magnum enim, et admirabile signum est, quod malo vestro, et bono nostro ad perniciem vestram, et ad salutem omnium gentium illum tenere, et ligare, et occidere potuistis, qui simul ex nihilo cuncta creavit. De quo scriptum est : « Qui manet in æternum creavit omnia simul (*Eccli.* XVIII, 1) ; » in cujus potestate, et voluntate universa sunt posita, et non est, qui ejus possit resistere voluntati, quia Dominus et Creator universorum ipse est. Sic igitur quanto tempore voluit, fuit Jesus in corde terræ. Nec antea, nec postea se alicujus tradidit potestati, qui die tertia « a mortuis resurgens jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9) : » qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XI.

DE DIE SANCTO PASCHÆ.

« Hæc dies, quam fecit Dominus ; exsultemus, et lætemur in ea (*Psal.* CXVII, 24). » Inter cunctas solemnitates, charissimi, quas ad honorem Redemptoris nostri S. Ecclesia colit et veneratur, ut præcipuam et egregiam, et omnibus aliis excellentiorem præsentis diei solemnitatem celebrat et contemplatur : sicut etiam Sancta sanctorum per excellentiam olim dicebantur, quæ summus pontifex non nisi semel intrare quotannis audebat; sic et festivitas ista per excellentiam potest dici festivitas festivitatum : quia per hanc exspoliatus est infernus justis, qui ibi detinebantur, et reserata fuit janua paradisi, quæ per cherubim gladio igneo contra totum genus humanum custodiebatur. Quid enim homini prodesset Verbum natum, nisi per mortem infernum triumphasset, et per resurrectionem suam spem nobis resurgendi dedisset? Duæ quippe vitæ erant, quarum unam multis miseriis subjacentem, omnes experimento cognoscebamus. Alteram vero, quæ incognoscibilis et immortalis, ignorabamus. Suscepit igitur Christus hanc mortalem vitam nascendo; recepit alteram vitam immortalem resurgendo. Unde Paulus ait : « Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9). » Sic, et duplex mors est : una corporis, per quam ab anima separatur, quæ est communis omnibus hominibus, et justis, et injustis. De qua David ait : « Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem? » (*Psal.* LXXXVIII, 49.) Hæc autem mors pœna peccati est, illata scilicet toti humano generi pro peccato primi hominis; cui a Deo dictum est : « Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II, 16), » id est mortalis corporis efficieris. Homo enim illo die, quo Adam hoc comedit, non mortuus est corpore, sed mortale corpus cœpit habere; qui si non peccasset, immortale corpus habuisset. Altera vero mors est animæ, scilicet per quam anima peccando a Deo separatur. Unde et Ezechiel propheta ait : « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XVIII, 20). » Sicut enim corpus ex anima vivit; sic anima ex Deo vivit : et sicut recedente anima corpus moritur; sic recedente Deo propter peccatum, anima moritur. Nos igitur, qui duplici morte, scilicet corporis et animæ, tenebamur, Christus non utramque suscepit; quia sic neutra nos liberasset, sed tamen unam mortem, videlicet carnis, suscepit, et per ipsam nos ab utraque morte liberavit. Propterea enim in monumento nonnisi uno die et duobus noctibus jacuit, ut per diem unum significaretur duplex mors nostra ex peccato illo illata. Per unicam ergo mortem Christi nos a duplici nostra liberati sumus, eo quod per ipsum in anima et corpore resurgere possumus. Merito igitur Psalmista pro gloria resurrectionis nos admonet, dicens : « Hæc **549** dies, quam fecit Dominus, exsultemus, et lætemur in ea. » Licet enim omnes dies fecerit creando Deus; hanc tamen diem præcipue dicitur fecisse, dum in ea hominem in melius per sanguinem suum recreavit, et eum ad immortalem tam corporis, quam animæ per utriusque resurrectionem revocavit. Unde in ea exsultare debemus, quia absorpta est mors corporis in victoria per resurrectionem Christi : et lætari debemus, quia a morte animæ per triumphum resurrectionis Christi liberati sumus; cui Domino, et Deo resurgenti, et spem nobis resurgendi donanti sit laus, et gloria in sæculorum sæcula. Amen.

CAPUT XII.

SERMO I IN ASCENSIONE DOMINICA

« Dominus Jesus postquam locutus est discipulis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei (*Marc.* XVI, 19). » Redemptore nostro, charissimi, hodie in cœlum secundum formam corporis ascendente, gaudere nobis convenit, et exsultare, quia nos, qui per peccatum primi hominis a cœli gloria dejecti eramus, jam cum capite nostro ad cœli palatium, ad angelorum consortium, ad ineffabilem visionem Dei reducimur et portamur. Hodie siquidem impleta est illa prophetia David dicentis : « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII, 19). » Nos quippe, fratres, fuimus ista captivitas, quia per peccatum fueramus a diabolo captivati; sed hanc captivitatem, scilicet nos, Christus cum ascendit in cœlum captivam duxit, id est in sua potestate secum recepit, ad similitudinem alicujus principis triumphantis, et sua

Digitized by Google

liberantis, ut fecit Abraham. Bona quidem est, fratres, ista captivitas Christi, qua nos captivamur, et in cœlum reportamur; sed mala captivitas diaboli, per quam irremediabiliter suffocamur. Vitemus ergo, charissimi, hanc captivitatem diaboli, scilicet peccata, et amemus captivitatem Christi, quæ nos de terris ad cœlum elevat, de tenebris ad inaccessibilem Dei lucem portat. Sed ad hanc lucem nullus nostrum potest ascendere, nisi imaginem ipsius Redemptoris nostri in nobis sumamus, ut scilicet sicut ille ambulavit, et nos ambulemus. Unde et Ezechiel propheta cum esset in captivitate Babylonis positus, vidit visionem Dei, in qua inter cætera vidit speciem electri, et in ea similitudinem quatuor animalium, quorum unum habebat similitudinem hominis, secundum similitudinem vituli, tertium leonis, quartum vero gestabat similitudinem aquilæ. Quid enim, fratres, per speciem electri, nisi naturam Redemptoris nostri significat? In electro enim dum duo diversa metalla, scilicet aurum et argentum, junguntur, aurum a suo fulgore temperatur et imminuitur; sed argentum majori claritate illustratur. Sic Redemptor noster electrum fuit, ex auro divinitatis, et argento humanitatis conjunctus; scilicet ex duabus naturis, divina et humana, in unam personam. In quo Christo aurum, id est divinitas a suo splendore quasi imminuta est; sicut legitur in psalmo : « Minuisti eum paulo minus ab angelis (*Psal.* VIII, 7). » Sed argentum, id est humana natura, in majorem splendorem excrevit; quia sicut ibidem legitur : « Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus; oves, et boves universas, insuper et pecora campi; volucres cœli, et pisces maris (*ibid.*, 7-9), » etc. Et beatus Paulus ait : « Propter quod Deus et exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philip.* II, 9). » In specie autem hujus electri videbat Ezechiel similitudinem quatuor animalium. Ista quoque quadrifaria similitudo Redemptorem nostrum significat, qui habuit similitudinem hominis, quia verus homo, et in similitudinem hominum factus est, et habitu inventus ut homo. Habuit similitudinem vituli, quia erat sacerdotalis hostia, in cruce velut vitulus hostia mortifero. Habuit similitudinem leonis, tertia die resurgendo de sepulcro, et corpus suum, ut leo catulos suos, vitu vivificando. Habuit similitudinem aquilæ, in quinquagesimo post resurrectionis diem ascendendo. Nos ergo, fratres, secundum Paulum dicentem : « Sicut portavimus imaginem terreni hominis, portemus imaginem cœlestis hominis (*I Cor.* XV, 49), » id est Christi; ut in virtutibus, ut homines, nascamur; in vitiis velut vituli moriamur, et contra vitia fortiter resistentes ad meliora resurgamus, pennisque virtutum, velut aquilæ per contemplationem sublevemur; adjuvante nos ipso Christo, qui in cœlis et ubique regnat in sæcula, etc. (1846).

SERMO II.

Hodierna die, sicut scriptum est (*Luc.* XXIV), Christi discipuli in montem Oliveti convenerunt, ibique recubuerunt, et apparuit illis Jesus, et recubuit cum eis, qui postquam de eorum incredulitate eos **550** redarguit, et in universum mundum ire, omnique creaturæ Evangelium eos prædicare præcepit : « Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Act.* I, 9). » Omnia opera Salvatoris nostri plena sunt sacramentis; quidquid agit, figura et significatio est. Non enim vacat mysterio hoc tam felix, tamque lætum convivium; in quo Rex regum, et Dominus dominantium simul cum universæ terræ principibus recumbere dignatus est. Nam et ipse locus, ipsiusque loci vocabulum magnum aliquid significare videtur. Vocatur enim mons Oliveti, per quem excelsa misericordiæ virtus designatur; siquidem Græce *eleon*, Latine *misericordia* vocatur. Frequenter Jesus cum discipulis suis in hunc montem ascendere et manere solebat, sicut in Evangelio scriptum est, quod diebus in templo prædicabat, noctibus autem manebat in monte, qui vocatur Oliveti (1847). Notandum, quod ait, secundum consuetudinem suam. Hanc igitur Magistri consuetudinem ipsi quoque discipuli custodiebant, et frequenter in hunc montem olei et misericordiæ conveniebant : et hinc est fortasse quod ipse Dominus *filius olei* vocatur, dicente propheta : « Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei (*Isa.* V, 1). » Quid est enim filio olei, nisi pacis et misericordiæ filio? Considera modo, quanto misericordiæ oleo abundet, qui ut servo dimitteret (1848), filio non pepercit? Ad montem itaque misericordiarum (1849) Dominus nos invitat, in montem pacis et misericordiæ nos ascendere jubet. Hinc est quod propheta ait : « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion (*Isa.* XL, 9). » Nemini prius evangelizare conceditur, quam super hunc montem excelsum ascenderit (1850). Nam et si mons excelsus non est, virtus tamen illa, quæ per ipsum significatur, altissima est. Merito igitur tunc apostoli in hunc montem ascenderunt, quando evangelizandi officium accepturi erant. Hodie enim dictum est eis : « Ite in universum mundum, prædicate evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 16). » Hoc audiant episcopi, hoc audiant quicunque officium (1851) suscipiunt, neque prius evangelizare præsumant, quam in montem pacis et misericordiæ ascendant. Neque quisquam sibi licitum esse præsumat, quod ipsis

(1846) Duo superiores sermones in cod. Vat. desunt.

(1847) Cod. Vat. : *Et in alio loco dicitur, qui vadit secundum consuetudinem suam in montem Oreti.*

(1848) Cod. Vat., *ut servum redimeret*

(1849) Id. cod. : *Ad montem itaque misericordiæ.*

(1850) Id. cod., *ascendat.*

(1851) Id. cod., *officium evangelizandi.*

Digitized by Google

apostolis licitum non fuit (1852). « Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est (*Luc.* VI, 36). » — « Misericordia Domini plena est terra (*Psal.* XXX, 5). » — « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* C, 1). » — « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus (*Psal.* CIII, 1). » Magnus est iste mons, de quo Christus ad cœlos ascendit, et ex quo via in cœlum erigitur. In hunc igitur ascendant quicunque Christi et apostolorum conviviis interesse cupiunt. Si vis Christum venire ad convivia, tua recumbe in monte Oliveti, recumbe in monte misericordiæ; ibi cum apostolis convivia præpara: « Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam (*Isa.* LVIII, 7). » Aderit statim Jesus, et dicet tibi: « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth.* XXV, 6). » Ubicunque pax et misericordia est, ibi est et iste mons Oliveti. Sicut oleum inter alios liquores, ita et misericordia inter alias virtutes suprema est. Unde Psalmista ait: « Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus (*Psal.* XCIX, 5). » Hinc est enim quod tot unctiones in nobis habemus. Hinc est quod tot unctiones in Ecclesiæ consecratione fieri videmus. Semper igitur in hoc monte fiant convivia nostra, semper in oleo misericordiæ nateat corda nostra. Sunt et alii montes ad quos ascendere, et in quibus similiter habitare debemus. De quibus Propheta ait: « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX, 1). » Ad quos et Jacob patriarcha Domino immolaturus, filios invitabat, dicens: « Venite, ascendamus in Bethel, ut immolemus Domino (*Gen.* XXXV, 3). » Bonus mons, in quo transfiguratus est Dominus; bonus et ille, in quo duodecim apostolos elegit, et octo beatitudines prædicavit. Mali montes Gelboe (1853), quibus David maledicens, ait: « Nec ros, nec pluvia veniat super vos, ubi ceciderunt fortes Israel (*II Reg.*, I, 21). » Mali et illi, in quibus Loth inebriatus filias gravidas fecit. Isti montes hæretici sunt, qui omnes ad se venientes perdunt, in quibus ipsi quoque fortes viri multoties corrumpuntur. « Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava (*I Cor.* XV, 33). » — « Quomodo ergo dicitis animæ meæ: Transmigra in montes sicut passer? » (*Psal.* X, 1.) In Domino confido, quia non ad hos, sed ad montes æternos transmigrabimus. Montes æterni prophetæ et apostoli sunt, super quos Ecclesia fundata est, secundum illud: « Fundamenta ejus in montibus sanctis (*Psal.* VIII, 1). » Tot sunt isti montes, quot sunt utriusque Testamenti volumina. Quia in his montibus poteris reperire quæcunque ædificativa, ad jucunditatem, ad sanitatem et ad beatitudinem pertinent. Fides quoque, spes et charitas, cæteræque virtutes montes sunt, quorum altitudinem Dominus conspicit. Ad quos qui confugerint, securi erunt. In monte obedientiæ salvatus est Noe; **551** in monte fidei Abraham; in monte castitatis Joseph; in monte mansuetudinis Moyses, et David, aliique (1854) salvati sunt. Hodie tamen specialiter in montem Oliveti, in montem pacis et misericordiæ ascendere debent Christiani, ut dum pauperes pro Christo suscipiunt, ipsum quoque Christum suscipere mereantur. Diximus quid mons Oliveti, et quid convivia, quæ in eo fiunt, significent. Nunc ad Evangelii verba redeamus, et quid Dominus discipulis jusserit, audiamus. « Ite, inquit, in universum mundum, prædicate evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 16). » Quod alius Evangelista planius exponit dicens: « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). » Per omnem videlicet creaturam, omnes gentes significari volens. Unde et Apostolus ait: « Omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc (*Rom.* VIII, 22); » quamvis non de omni creatura, sed de solo homine loqueretur. « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur (*Matth.* XVI, 17). » Credere autem in hoc loco, quid est, nisi fidem cum operatione custodire? Quia « fides sine operibus mortua est (*Jac.* XX, 26). » — « Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est, assumptus est in cœlum, et sedet ad dexteram Dei (*Marc.* XVI, 19). » Unde scriptum est: « Ascendens in altum Dominus captivam duxit captivitatem (*Psal.* LXVII, 19). » Ascendens quippe in altum Dominus, captivitatem nostram sua duxit captivitate captivam, et qui prius sub dura tenebamur captivitate diaboli, ab eo in melius capti et liberati sumus. Considera modo cum quanta gloria, quanta lætitia, quali triumpho et quali apparatu, omnis illa militia cœlestis exercitus creatori suo Salvatori nostro obviam venerit, quibus laudibus, quibus hymnis et jubilationibus, usque ad thronum gloriæ eum deduxerit. Videor videre illam totam viam, per quam Salvator noster ascendit, omnium supernorum ordinum a terris usque in cœlum undique stipatam militibus. Videor videre malignos spiritus illo tam magno, tamque terribili exercitu perterritos, omnes in fugam conversos, et se in tenebras præcipitantes, totumque hunc aerem, quem possidere solebant, vacuum et liberum relinquentes. « Ascendit igitur Deus noster in jubilatione, et Dominus in voce tubæ (*Psal.* XLVI, 6). » Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XIII.

SERMO I DE ADVENTU SPIRITUS SANCTI (1855).

Hodierna solemnitate, dilectissimi, recogitare monemur, quanta dilectione Redemptor noster ergo nos teneatur, qui et primo per habitum assumptæ carnis nobiscum conversando nos ad cœlestia con-

(1852) Id. cod.: *Neque sibi quidquam licitum esse putet, quod ipsis apostolis illicitum fuit.* Item. edit. Ascens.

(1853) Cod. Vat.: *Boni et illi montes in quibus ex vaucis panibus tot millia hominum satiavit.*

(1854) Cod. Vat., *et alii in aliis.*

(1855) Titulus cod. Vat.: *In die sancto Pentecostes.*

Digitized by Google

fortavit, et postea de cœlo Spiritum suum mittendo, de promissione sua nos certificavit. Hodie siquidem discipulis Christi in unum orantibus, Spiritus sanctus in specie ignis advenit, et ipsos, qui prius in passione Christi titubaverant, sic modo interius ardere fecit, et confirmavit, ut jam non solum vocem unius ancillæ non timerent, sed nec flagellati conspectum Judaici concilii formidarent, nec etiam ipsius Romæ mundi dominæ minas perhorrescerent. Propterea enim Spiritus sanctus in specie ignis advenit, ut omnem æruginem peccatorum consumeret et purgaret, et eos contra omnem mundi principatum, fortes faciendo accenderet, et in omni eos spirituali scientia illuminaret. Sicut enim ignis triplicem naturam habet, ut scilicet consumat, calefaciat et illuminet; sic et Spiritus sanctus, qui ignis consumens est, et consumpsit, et purgavit in apostolis omnem peccatorum vetustatem, et calefecit, et accendit eos ad tantum amorem Dei, ut flagellati gauderent, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contumeliam pati. Illuminavit etiam eos ad tantam scientiam, ut omnium linguis magnalia Dei loquerentur; ut linguæ gentium, quæ olim in fabricatione turris Babylonis fuerant confusæ per superbiam, unirentur modo per humilitatem apostolorum. Et quia totus mundus ad agnitionem unius veri Dei venturus erat, una lingua per ora apostolica resonaret, et laudem Christi in omnem terram diffunderet: quoniam autem Spiritus sanctus quinquagesimo die a resurrectione Christi super discipulos advenit, figuram designat Veteris Testamenti. Legimus enim, quod populus Hebræorum a transitu maris Rubri, usque ad diem illam, qua data est lex per Moysen in duabus tabulis lapideis, quinquaginta dies fuerunt; unde et illa dies dicitur Pentecostes, quia quinquagesima dies est a resurrectione Christi. Et hæc omnia decenter conveniunt. Sicut enim transito mari Rubro populus Dei liberatus est, et hostes Ægyptii **552** submersi sunt; sic et in morte Redemptoris nostri, et resurrectione liberati sunt de inferno, et dæmones sua potentia demersi perierunt. Unde per Oseam prophetam Dominus dicit: « O mors, ero mors tua, et morsus tuus ero, inferne (*Ose.* XIII, 14). » Mors enim Christi fuit interitus mortis, dum in electis suis eam penitus exterminavit. Momordit infernum, dum more mordentis totum, partem reliquit, scilicet malos, et partem abstraxit, scilicet bonos. Et sicut illa lex data est in nocte, cum sonitu et igne quinquagesimo die, sic et nostra lex gratiæ, scilicet Spiritus sancti, data est in cœnaculo, et in ignis specie, et repentino sonitu. Unde in Actibus apostolorum dicitur: « Factus est repente de cœlo sonus tanquam spiritus vehementis (*Act.* II, 1). » Sed illa lex in tabulis lapideis datur, designando dura corda Judæorum; ista vero data est in tabulis cordis, non in spiritu timoris, ut Paulus dicit (*Rom.* VIII, 15), sed in spiritu adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba, Pater. Nos ergo, fratres, si hunc Spiritum sanctum habere in nobis volumus, in cœnaculo maneamus, ut quæ sursum sunt quæramus, non quæ super terram, et unus spiritus simus cum Domino, adhærentes ipsi per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II IN PENTECOSTE (1856).

« Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes discipuli pariter in eodem loco, et factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedit que super singulos eorum Spiritus sanctus (*Act.* II, 1-3). » Sunt quædam apud Hebræos festivitates, et ipsæ quidem maximæ et principales, quales sunt omnes illæ, quæ septenario numero celebrantur, in quibus hodierna quoque festivitas continetur, quæ septies septem completis diebus, id est septem hebdomadibus peractis, et a nobis, et ab illis colitur, et veneratur. Prima eorum festivitas est, quæ omni die septimo celebratur, de qua illis in lege præcipitur, ut colant dies Sabbatorum. Secunda vero Pascha vocatur, quæ primo mense colitur duabus hebdomadibus adimpletis. Tertia vero Pentecostes, quæ septem completis hebdomadibus celebratur. Quarta autem septimo mense colitur, quæ dicitur festivitas Tabernaculorum. Septimo vero anno quinta festivitas est, qui annus totus ex integro festivus habetur. Sexta vero festivitas ipsa est Jubilæus, quæ anno quinquagesimo celeberrima custoditur, septies septem annorum curriculis evolutis. Inde autem septima, et æterna festivitas in cœlis exspectatur, quæ in istis omnibus aliis per tot et tanta sæcula significatur. Constat igitur non solum apud nos, verum etiam apud hujus sæculi sapientes septenarium numerum sacratissimum, et perfectissimum esse; quoniam, et omnia tempora, et omnes numeri in eo continentur. Constat enim ex pari, id est quatuor, et ex primo impari, id est tribus. Omnis autem numerus aut par est, aut impar. Omnis igitur numerus ex septenarii partibus construitur, ac per hoc omnes alii numeri in hoc numero continentur. Hinc est igitur quod Judæi septem diebus comedunt azyma; hinc est quod septem diebus celebrant festivitates: hinc est quod manus sacerdotum, quando ordinantur, septem diebus unguntur et consecrantur; hinc est quod pontifex tangens in sanguine digitum septies projicit contra propitiatorium, et fores tabernaculi: hinc est quod leprosus concluditur septem diebus: hinc est quod Maria soror Moysi septem diebus mansit extra castra: hinc est quod muri Jericho septies circumdantur et corruunt: hinc est quod septies in die laudem Domino dicimus: hinc est quod non solum septies, sed usque septuagies septies nostris debitoribus dimittere jubemur: hinc est quod templum Salomonis septem annis ædificatur, et in septem diebus dedicatur. Hoc septem Ecclesiæ, septem candelabra, septem lucernæ, septem sigilla, septem

1856) Titulus est huic sermoni præfixus in cod. Vat.

Digitized by Google

angeli tuba canentes, septem panes turbam multam in deserto reficientes, et septem gratiæ Spiritus sancti significare videntur. Sunt autem et multa alia, quæ eamdem significationem habere possunt, quæ studiosus lector in divinis voluminibus poterit reperire. Illæ igitur festivitates per septenarium numerum disponuntur, quæ integram et perfectam habent celebrationem. Siquidem hic numerus tam perfectus est, ut omnes numeros, omnesque dies in se concludat. Nunc ad Pentecosten, et ad Jubilæum redeamus, et quali quantaque diligentia celebrari debeant, videamus. Hæ duæ festivitates proximæ sunt, quarum altera quinquagesimo die, altera vero quinquagesimo anno celebratur. Non possumus modo de omnibus festivitatibus dicere, quoniam unaquæque tanta est per se, ut non communem, sed proprium velit habere sermonem. Dictum est enim, et adhuc dicendum est, quod Deus omnipotens per septenarium numerum has omnes festivitates ordinare voluit, quare etiam septimum et ultimum diem festivum et celebrem constituit. Quod enim significat **553** septimus dies, hoc significat septima hebdomada, et septimus mensis, et septimus annus. Quod igitur septima die festa celebrantur, hoc significare videtur, quod finita hac vita, quæ septem diebus agitur, relinquetur, ut Apostolus ait, Sabbatismus, et requies populo Dei; ut sicut ipse requievit die septima ab operibus suis, ita et nos tunc requiem habeamus a laboribus et fatigationibus nostris. Per septenarium numerum, in quo istæ festivitates ordinatæ sunt, in quo etiam dies et numeri omnes continentur, quin aliud significari debet, nisi quod festivitatem nostram continuam et perfectam esse oportet, ut quanto tempore in hoc mundo sumus, nunquam servilia opera faciamus, sed in Dei laudibus et bonis operibus vacare studeamus. Male enim celebrat Sabbatum, qui vacat a bonis operibus. Aliter autem jubilæus, qui *annus remissionis* interpretatur, celebrari non potest, nisi continuam habeat celebrationem. In hoc anno servis redditur libertas, dominis hæreditas; omnibus omnia communia fiunt quæcunque in agris, in vineis, in arboribus nascuntur. Totus hic annus festivus, jucundus et celebris est. Nulli servile opus facere licet, ut ex ipsa sua imagine ostendat, non tantum se ad hanc vitam, quantum ad alteram pertinere. Quamvis in hac vita temporibus apostolorum jubilæi festivitas in sancta Ecclesia continua celebraretur (1857), inter eos præcipue, quibus est cor unum et anima una, quibus non fructus arborum, ut Judæis, sed omnia ex integro communia sunt Christianis; quia jam libertate et hæreditate donati non servilia, sed liberalia opera faciunt. Est autem servile opus, non quod servus facit, sed illud quod etiam liberos homines in diaboli servitutem trahit. « Si non regnat peccatum in nostra mortali carne, liberi sumus, et liberalia opera facimus (*Rom.* VI, 12). » Statim autem incipiente Jubilæo per totam terram sacerdotes personabant tubis, quibus totus populus ad totius anni festivitatem se præparabat. Hoc autem et in nostro jubilæo factum est, quando nostri quoque sacerdotes, sancti videlicet apostoli tubis primitus sonare, et gentes ad fidem et ad baptismum vocare cœperunt. Sicut scriptum est. « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4). » Et alibi: « Canite in initio mensis tuba (1858), in insigni die solemnitatis vestræ, quia præceptum in Israel est (*Psal.* LXXX, 4). » Sed si ad illam festivitatem respiciamus, et ad illum jubilæum mentis oculos erigamus, qui post hanc vitam, omnibus jam completis hebdomadibus, in cœlis futurus est, tota hæc nostra festivitas umbra quædam et imago esse videbitur. « Mittet Filius hominis angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum (*Matth.* XXIV, 31), » et isti quidem erunt, quia æternum illum jubilæum annuntiabunt. « Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti (*I Cor.* XV, 52). » Et tunc quidem incipiet illa festivitas, quæ æterna erit, et finem nunquam habebit. De qua videlicet festivitate melius est silere quam pauca dicere, quia nulla lingua sufficiens est ejus gloriam prædicare. Nunc autem quid ille ignis, et quid illæ linguæ significent videamus, quæ super Christi discipulos apparuerunt; cum omnes, ut evangelista dicit, in uno essent loco congregati: « Deus autem noster ignis consumens est (*Hebr.* XII, 29). » Merito itaque Spiritus sanctus in igne apparuit, ut peccata consumeret, mentis oculos illuminaret, et totum hominem in Dei amorem inflammaret. Hic est ille baptismus, quem Joannes promittebat, cum diceret: « Ego vos baptizo in aqua; sed alius venit post me, qui vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (*Matth.* III, 11). » In linguis quoque debuit apparere Spiritus sanctus, quia ipse est qui in apostolis loquitur (1859). Quis enim loquitur sine lingua? Hoc officium non est alterius membri. Qui hac lingua loquuntur, non habent necesse cogitare quomodo aut quid loquantur. Hac igitur lingua suscepta, « loquebantur variis linguis apostoli magnalia Dei (*Act.* I, 12); » qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(1857) Cod. Vat., *celebretur*.

(1858) Vulgata legit: *Buccinate in neomenia tuba*, etc.

(1859) Editio Ascens: *Quia ipse est qui loquitur in nobis*. « Lingua igitur est Spiritus sanctus; siquidem ipse est, qui in apostolis loquitur. »

Digitized by Google

SENTENTIARUM

LIBER QUINTUS

DE LAUDIBUS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

554 CAPUT PRIMUM.

De laude B. Mariæ civitatis Dei.

Ad laudem Matris Domini invitat nos, dilectissimi, Spiritus sanctus per os David patris ipsius virginis, dicendo : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI, 2). » Solet quippe civitas vocari quælibet magna hominum collectio, munita undique muro et turribus, ut illius munitionibus hostes repellant, et se per illos defendant. Non incongrue ergo virgo Maria civitas Dei appellatur, quam virginitas mentis et corporis, quasi murus ita ex omni parte vallavit, ut nullus unquam libidinis accessus adesset, et omnis inimicus a suæ virginitatis corruptione deesset. Unde et in laude ipsius Salomon applaudit, dicens : « Pulchra es et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata (*Cant.* VI, 9). » Virgo quippe Maria merito filia Jerusalem vocatur, quia ipsa fuit filia visionis pacis, id est filia et mater illius, qui fecit pacem, iis qui erant longe a Deo, id est gentilibus idololatris, et iis qui prope, scilicet judæis qui propinqui erant Deo per cognitionem legis. Unde in nativitate ejus ab angelis canitur : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Hæc filia Jerusalem pulchra est per internarum decorem virtutum, et decora est per exemplum virginitatis, quod toti exhibuit mundo. Est etiam terribilis ut castrorum acies ordinata, ad quam omni virtute circummunitum non audet aliquis hostis accedere, ut quæ Spiritus sancti protegitur obumbratione. Unde et de hac civitate jure gloriosa et magnalia dicuntur, non solum ab hodiernis, sed etiam ab antiquis Patribus et angelis. Nonne enim valde gloriosum est, quod de ea ipse David pater ejus in hoc eodem psalmo dicit? « Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* LXXXVI, 5). » Impossibile est enim quantum ad alios homines, ut aliquis sit fundator civitatis, in qua nascitur; quia antequam sit natus, non potest fundare civitatem. Sed Christus, qui est Altissimus, per hoc, quod Deus est, ante omnia tempora fundavit civitatem hanc, id est matrem creat, et tamen ut homo in fine temporum natus est ea, sumendo carnem ex ea. Mirabile est ergo et gloriosum in hac civitate, quod ille qui fundavit eam natus est in ea. Gloriosum enim fuit et admirabile, quod in figura istius civitatis virga Aaron subito floruit in templo, et nuces amigdalinas produxit sine aliquo humore (*Num.* XVII). Significabat enim, quod hæc gloriosa virga, quæ secundum Isaiam (*cap.* XVI) fuit virga de radice Jesse, genuit florem, id est Christum, qui est flos campi, id est mundi, et lilium convallium, secundum Salomonem, et eum non ex æstu mentis, sed ex superveniente Spiritu sancto concepit. Unde Salomon in Canticis canticorum gloriam istius virginis decantat, dicens : « Hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus : emissiones tuæ paradisus (*Cant.* IV, 12). » Virgo quippe Maria fuit hortus, in quo varii flores virtutum erant, et conclusus, quia undique virginitate munitus. Est et fons signatus sigillo sacrosanctæ Trinitatis. Et emissiones, id est fructus ejus sunt paradisus, id est deliciæ, quibus delectatur Deus; cujus odorem longe ante odoraverat Isaac, dicens : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* XXVII, 27). » Et Isaias : « Ecce virgo concipiet et pariet filium (*Isa.* VII, 14). » Et Jeremias : « Faciet Dominus miraculum super terram, femina circumdabit virum (*Jer.* XXXI, 22); » id est virgo Maria portabit in utero Christum, quem totus mundus capere non potest. Et Ezechiel (*cap.* XLVI, 12) : Vidi portam in domo Domini clausam, quam Dominus intravit, et exivit, et clausam reliquit quia virgo ante et post partum (1860). Unde Angelus ad eam : « Ave, gratia plena, Dominus tecum : ecce concipies in utero, et paries filium; sed Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I, 28, 31, 35). » Recte ergo dictum est a David : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI, 3). » Et nos ergo, fratres, Matrem **555** Domini gloriosam cum patriarchis et prophetis et angelis prædicemus, et laudemus, ut eam apud filium suum pro nobis orantem sentiamus, et ipsum filium ei pro nobis annuentem agnoscamus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT II.

De nativitate B. Mariæ Virginis.

« Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus (*Matth.* I, 1). » Et reliqua. Audivimus modo in lectione evangelica, de qua gente, de qua tribu, et de

(1860) Non verba prophetæ, sed sensum verborum affert.

Digitized by Google

qua stirpe beatissima Virgo Maria originem duxerit. De qua ipse Dominus et Salvator noster secundum carnem factus est. Et valde quidem ad rem pertinuit, ut Evangelistæ hanc lineam Christi generationis tam longam componerent et ordinarent, quatenus sciamus non solum ex quibus patribus natus sit, verum etiam unde mortem, et unde vitam habeamus. Primum hujus lineæ caput est Adam; secundum vero Christus. Hæc linea incipit ab Eva, et desinit in Mariam. In principio mors, et in fine vita consistit. Mors per Evam facta est, vita per Mariam reddita est. Illa a diabolo victa est; hæc diabolum ligavit et vicit. Cum enim ab Eva usque ad ipsam Mariam linea extendatur, in ipsa tandem ille hamus ligatus et incarnatus est, per quem captus est ille Leviathan, serpens antiquus, qui est diabolus et Satanas, ut qui per feminam in regnum intravit, per feminam de regno extraheretur; et qui feminam illusit, et suis sibi vinculis ligavit, ab hac una femina illuderetur et ligaretur. Hoc est enim quod Dominus ad beatum Job loquitur, dicens : « Numquid extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus? Nunquid illudes ei, quasi avi, et ligabis eum ancillis tuis? (*Job* XL, 20.) » Non tu, quasi dicat, ancillis tuis eum ligabis, quem nec ipsi viri fortes ligare potuerunt. Ego tamen per unam ancillam meam eum ligabo, et fortitudine privabo. Hæc est illa nobilis ancilla, de qua modo loquimur, beatissima virgo Maria, quæ etiam de seipsa loquitur, dicens : « Magnificat, anima mea, Dominum. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*Luc.* I, 46, 47). » Vide humilitatem; ancillam se vocat, quæ cœli terræque regina a Deo constituta est. Legerat enim : « Quanto major es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam (*Eccli.* III, 20). » Sed considera potentiam Dei, qui tantam superbiam per unius virginis humilitatem domuit. Noluit ad eam superandam cœlestes fortitudines mittere, unam ex ancillis mandavit, cujus humilitate et sapientia ille ligatus est, et superatus, de cujus potentia et fortitudine ipse Dominus ad eumdem Job loquitur dicens : « Ecce Behemoth, quem feci tecum, fenum quasi bos comedet. Habet autem fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus. Non est potestas sub cœlo, quæ ei comparari possit. Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiæ (*Job* XL, 10). » Verba consolatoria sunt, quibus Dominus beatum Job de suis tantis afflictionibus consolatur, quibus hic hostis superbissimus et iniquissimus eum afflixit. Quædam siquidem consolatio illi est, dum audit, cum quanto hoste bellum gesserit, et Domino protegente superatus non fuerit. Ecce enim ille, qui quasi bos fenum, ita omnes populos et nationes devorat et perdit. Hunc tamen unum hominem totis suis viribus superare ad blasphemiam, sicut putabat, vel ad peccatum aliud provocare non potuit. Unde etiam scriptum est : « Quia in omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est (*Job* I, 22). » Quod autem fenum populos significet, testatur propheta, qui ait : « Vere fenum est populus (*Isa.* VII, 8). » Et quare fenum? Quia cito florem et pulchritudinem amittit, siccatur et perit. Absorbet autem Behemoth iste omnes fluvios, et non miratur, sed insuper habet fiduciam, quod influat Jordanis in os suum. Quid per fluvios intelligere debeamus, Scriptura nos docet ubi ait : « Aquæ multæ, populi multi (*Apoc.* XVII, 15). » Sed non miratur Behemoth, neque pro magno hoc habet, quod alios fluvios absorbet, nisi ipse quoque Jordanis, in quo Dominus baptizatus est, et per quem baptizatorum populus designatur, influat in os ejus (1861). Sunt enim, sicut scriptum est, escæ ejus electæ. Ipsos Christi discipulos cribrare non timuit, et ad proditionem Judam concitavit (*Luc.* XXII). Non curat latrones et adulteros, non curat vulgus ignobile : monachos et sacerdotes persequitur, et ipsos episcopos devorare conatur. Non est potestas sub cœlo, quæ ei comparare valeat. Solas igitur eas potestates timet, quæ super cœlos sunt, et has et illas jam expertus est. Istas quidem vicit, sed ab illis superatus est, secundum illud : « Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus, et non prævaluerunt, neque locus est inventus eorum amplius in cœlo (*Apoc.* XII, 7). » Cum illis igitur pugnat, **556** qui sub cœlo sunt, et qui adhuc vanitatibus subditi sunt. Omne tamen sublime videt, cor ejus exaltatum est, oculi ejus elati sunt, adhuc in magnis ambulat, et in mirabilibus super se, nescit humilia cogitare. Sed si vis scire quam sublime videat, ipsum interroga, et ipse tibi respondeat : « In cœlum, inquit, ascendam, super astra cœli exaltabo solium meum. Ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo (*Isa.* XIV, 13). » Pro hac superbia dejectus est, nondum tamen humiliatus est, adhuc in eadem perseverat. Unde non immerito dicitur, quod ipse est rex super omnes filios superbiæ. Omnes enim superbi, superbiæque filii serviunt ei, obediunt ei, eum sequuntur et ab eo reguntur. Hic tamen jam superbus et tam arrogans, tam potens, tam fortis ab una ancilla captus, et illusus, et ligatus est. O beatissima inter mulieres hæc ancilla, hæc Dei mater, et superni regis nobilissima filia, cujus hamo Leviathan captus est, cujus humilitate quasi avis illusus est, cujus sapientia, quasi latro et vile mancipium ligatus est. In carne enim, quæ ex ipsa nata est, quasi hamus in esca Verbum incarnatum et absconsum est, quia « Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14). » Quid igitur Verbum in carne, nisi hamus in esca? Hanc escam vidit Leviathan, concupivit, nihil intus latere cogitavit, purum hominem esse credidit, linguam extendit, quæ videlicet lingua suæ perditio-

(1861) Haud aliter interpretatus est hunc locum S. Bruno in comment. super caput XL, lib. Job.

Digitized by Google

iis func ligata et suspensa est. Lingua diaboli Judas fuit, quia per eum summis sacerdotibus locutus est, licens : « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum radam ? » (*Matth.* xxvi, 15.) Sed hæc lingua func igata est, quia proditor infelix statim abiens laqueo se suspendit. Omnes illi sunt lingua diaboli, per quos ipse loquitur, et sua consilia revelat. Sed has inguas Dominus ligat, quando eorum consilia destruit, et per viros catholicos eos superatos tacere compellit. Sic enim Arius, ut lingua func veritatis igatus est, quando ejus impia hæresis a concilio lamnata est. Quod autem ait : « Nunquid illudes ei quasi avi? » (*Job* xl, 21.) Eadem sententia est. Nam et avis dum ad escam attendit, multoties illuditur, et suspensa laqueo suffocatur. Unde et in Psalmis dicitur : « Draco iste, quem formasti ad illudendum ei (*Psal.* cm, 26). » Qui enim fecit eum, ipse plasmavit gladium ejus, et ad talem formam redegit eum, cui non solum viri, verum etiam mulieres illudere possunt. Quanti latrones, quantæ meretrices, quanti adulteri et homicidæ ei quotidie illudunt, quos dum se jam devorasse, et in ventre habere lætatur, subito ad pœnitentiam conversi, ex ejus impio utero foras erumpunt, et eum inanem et vacuum derelinquunt. « Peccator, ait propheta, quacunque hora conversus fuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* xxxiii, 12). » Tribus nominibus in hoc loco vocatur diabolus. Vocatur Behemoth, id est bestia propter crudelitatem, quia « tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (*I Petr.* v, 8). » Ipse est enim, qui ait : « Circuivi terram, et perambulavi eam *Job* ii, 2). » Vocatur et draco, quia callidus et venenosus est, et nunquam recto itinere incedit; siquidem « a principio mendax fuit, et in veritate non stetit (*Joan.* viii, 44). » Vocatur et avis propter superbiam, quia quamvis angelicæ dignitatis alas amiserit, adhuc tamen se erigere conatur, et quantum in ipso est superba intentione super cœlos elevatur. Considera modo quantas gratias debeamus beatissimæ Dei Genitrici ; considera quantis laudibus eam extollere et prædicare debeamus, si tamen digni sumus, quorum laudes inter omnes creaturas pulcherrima suscipere dignetur, cujus humilitate et sapientia hic antus hostis captus, et ligatus, et de regno, quod anto tempore injuste possederat, ejectus est. Sicut ipse quoque ejus filius Salvator et Redemptor noter ait : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi ejicietur foras (*Joan.* xii, 31). » Ipsam gitur laudemus, ipsam prædicemus, simulque cum Gabriele archangelo dicamus. « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui, (*Luc* i, 8). » Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT III.

De purificatione S. Mariæ Virginis.

« Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur; et ut darent hostiam sicut in lege Domini scriptum est, par turturum, aut duos pullos columbarum (*Luc.* xxii, 24). » Duo sunt, de quibus in hoc sermone locuturi sumus de muliere pariente, et de hostia; quam offerre debet. Dicit enim Moyses (*Levit.* xii, 1), quod mulier quæ suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, et octavo die circumcidetur puer. Ipsa vero manebit triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ. Si autem filiam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus; ipsa vero sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Duæ istæ mulieres, quarum altera masculum, altera vero feminam parit, duæ partes Synagogæ sunt, quarum altera bona est, altera vero mala. Mala quidem pars illa est, de qua in Apocalypsi Joannes apostolus **557** Smyrnensis Ecclesiæ episcopo dicit : « Quia blasphemaris ab his qui se Judæos esse dicunt, et non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ (*Apoc.* ii, 9). » Sic igitur Synagoga in duas partes divisa est; in Synagogam Dei et in Synagogam Satanæ, in populum Dei et in populum diaboli. Illæ ergo mulieres partes sunt Synagogæ; illa nempe pars illius populi bona erat, quæ suscepto semine verbi Dei masculum pariebat, illa vero pars quæ feminam pariebat, id est nec ulla legis observatione, vel quacunque justificatone tenebatur, mala erat, et non bona. Filii masculi bona opera sunt : feminæ vero mala opera intelliguntur. Sancti prophetæ multos filios, et paucas filias habuisse leguntur. Sed prius de illa muliere dicamus, quæ bona erat, quæ masculos pariebat, quæ non duabus, sed una tantum hebdomada fuit immunda. Duæ hebdomadæ duo tempora sunt, sub lege videlicet et sub gratia; una Veteris, altera Novi Testamenti. Prima a Moyse usque ad Christum, secunda a Christi nativitate usque ad finem sæculi. Illa ergo mulier bona, illa pars populi, quæ masculos pariebat, quæ legem custodiebat, in bonis operibus se exercebat, septem diebus immunda fuit, quia usque ad Christi nativitatem, quando illa hebdomada finita est, a peccato originali solvi non potuit, neque circumcisione, neque filiorum generatione, neque alia qualibet legis observatione. « Nihil enim ad perfectum, ut Apostolus ait, adduxit lex (*Hebr.* vii, 19). » Non ergo toto illo tempore mulier illa munda dici potuit, quæ tanta macula sordebat. Habebat originale peccatum et mundum esse impossibile erat (1862). Sed dicis. Ergo nato Christo mulier ista mundata est, siquidem in ejus nativitate hebdomada finita est? Non est ita. Quare? Quia triginta tribus diebus adhuc eam manere oportuit in sanguine purificationis suæ. Non enim nativitate, sed passione et sanguine Christi solutum est peccatum originale. Trigesimo namque tertio anno a nativitate sua Salvator noster passus est, ut per triginta tres dies totidem annos intelligamus,

(1862) Cod. Vat. *Et mundam eum esse.* Item edit. Ascens.

Digitized by Google

et tunc quidem ab originali peccato mundati sunt, quicunque legem custodierunt, et masculos genuerunt, id est in bonis operibus perseveraverunt. Sanguis igitur Christi et eos redemit, qui fuerunt ante eum, et eos qui fuerunt post eum. Quicunque enim ante passionem Christi fidem tenuerunt, et legem custodierunt, ejus sanguinis effusione et mundati sunt, et redempti sunt. Similiter autem illi de quibus Apostolus ait : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 7). » Nunc autem videamus de muliere mala, de illa quæ non masculos, sed feminas parit. Mala filia superbia, mala filia invidia, avaritia quoque, luxuria, discordia, inobedientia, malæ filiæ sunt, quas quæcunque animæ pariunt, mundæ esse non possunt. Cessent igitur a tali partu, si mundæ esse volunt, alioquin duabus hebdomadibus immundæ erunt. Diximus jam quod prima hebdomada fuit usque ad Christum, in qua nulla quidem mundari potuit; secunda vero usque ad finem sæculi. Quæcunque igitur anima neque veterem legem custodivit, neque novum testamentum suscepit, duabus hebdomadibus immunda est. Insuper autem, quia sexaginta sex diebus manet in sanguine purificationis suæ, longe ab omni purificatione esse videtur. Ipse enim numerus hoc indicat, qui tales animas prævaricatrices esse ostendit. Decem quidem sunt verba legis, quæ quicunque transgreditur, prævaricator esse probatur. Sexies autem undecim, sexaginta sex fiunt, in quo quia denarius numerus transitur et prævaricatur, decalogi prævaricatio manifestissime demonstratur. Sexies namque decem decalogo continentur, sexies undecim decalogum transeunt. Quid est autem decalogum transire, nisi legem prævaricare? Tales igitur Christi sanguine non redimuntur, neque lavantur. De quo in Apocalypsi Joannes ait: « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris (*Apoc.* I, 5), » ut Dei mandata custodirent et masculos parturirent. Non videntur autem pertinere ad beatam virginem Mariam ea quæ de prædictis mulieribus dicta sunt, quamvis et ipsa legem custodierit, præsertim cum non simpliciter dictum sit : mulier, quæ peperit masculum, sed cum additamento et determinatione, quæ suscepto semine peperit et masculum. Hoc enim specialiter dictum est propter ipsam, quia ipsa sola nullo suscepto semine peperit, quæ virgo ante partum, virgo in partu, et post partum virgo permansit. Oblatio autem illa turturum et columbarum, quam simul cum filio Domino obtulit, maxime ad ipsam pertinuisse videtur, quæ et castitatis et mansuetudinis præcellit virtute. Hoc enim in his avibus significatur, quarum altera de castitate, altera de innocentia commendatur. Obtulit igitur hodie beatissima Virgo Maria oblationem gratissimam Domino, quæ quidem per multas alias oblationes significata prius fuerat, sed talis nunquam oblata fuerat. Nos quoque, qui digna volumus offerre Deo oblationem, hanc reginam et dominam nostram imitari debemus. Offeramus igitur et nos par turturum, et duos pullos columbarum, et animæ, corporisque integritatem, et innocentiam Domino reddamus. Docet nos Moyses, qualiter hanc oblationem facere **558** debeamus. Vult enim ut sacerdos, qui eam suscipit, caput avium ad collum retorqueat, et rupto vulneris loco super crepidem altaris sanguinem decurrere faciat; vesiculam vero gutturis, et plumas ad orientalem partem projicat, ascellas frangat, sed non penitus abscindat. Hæc oblatio perfectorum, et præcipue monachorum esse videtur. Venit homo cum oblatione, rogat ut suscipiatur, offert turtures et columbas, promittit corporis et animæ integritatem, et ut beati Benedicti, qui hujus rei peritissimus est, exemplo loquamur, promittit obedientiam, stabilitatem et morum conversionem. His paucis verbis vir ille beatissimus totum hoc sacrificium nobis exponit. Ecce homo turtur, et columba factus est, retorqueatur caput ejus ad collum, et inclinato capite incedat, quod est signum humilitatis. Auferatur ei vesicula gutturis, ubi cibum reponere solebat, ut discat amodo jejunare, qui prius crapulæ operam dabat. Sanguinem vero super altare sordis ejus decurrere faciat, ut semper memor peccatorum suorum cum Psalmista dicat: « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper (*Psal.* L, 5). » Sanguis enim peccata significat, secundum illud: « Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ (*ibid.*, 16). » Exspoliatur plumis, quia omnes possessiones relinquere, et nihil proprii ulterius habere jubetur, quas ad orientalem plagam projicit, ut post dorsum eas habens, earum amplius non recordetur. Quia enim semper ad occasum et ad finem tendimus, orientalem plagam, quasi post dorsum habemus. Frangantur ascellæ, quia vagandi licentia tollitur, et loci, propositique stabilitas imperatur. Sed non penitus abscinduntur, quia si quando necesse fuerit, pro loci utilitate adhuc iterum volare permittitur. Felices illi qui turtures et columbæ fiunt; qui simul cum Dei Filio a Matre Domini Domino offeruntur, et in una eademque oblatione Domino sociantur. Qui, etc.

CAPUT IV.

De annuntiatione B. Mariæ Virginis.

« Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, **cui nomen erat Joseph de domo David**, et nomen Virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (*Luc.* I, 26, 29). » Consideremus (1863) personam mittentis, et personam legatione fungentis, et personam illam ad quam hæc legatio facta est. Si etiam consideremus ipsam legationem, qualis et quanta sit, et quæ continet, quæ secreta, quales et quantas utilitates in se contineat, profecto intelligemus ex quo mundus ista

(1863) Cod. Vat., *Si consideremus.*

Digitized by Google

ictus est nunquam aliam legationem factam fuisse, quæ huic legationi valeat comparari. Nunquam alia verba, tam læta consilia, tam profunda mysteria huic mundo prius, vel postea nuntiata sunt. In hac legatione tractatum est de incarnatione Filii Dei, de mundi renovatione, de humani generis restauratione, de sanctorum liberatione, de cœlestis patriæ recuperatione. Hodie revelatum est consilium, quo mors occideretur, quo originale peccatum tolleretur, quo vita redderetur, et homo diaboli servitute liberatus, et a Deo in filium adoptatus in antiquam patriam reduceretur. Si intelligeret mundus, quantam gloriam sibi hic dies peperisset, supra omnes dies festivum et celebrem hunc diem haberet. Hodie Verbum caro factum est, hodie Dei Filius incarnatus est; quod quidem nisi factum fuisset, nunquam nasceretur, nunquam pateretur, nunquam resurgeret, nunquam infernum spoliaret, nunquam cœlos ascenderet, nunquam Spiritum sanctum apostolis mitteret. In quo baptizati sumus, in quo et per quem fit remissio peccatorum. Hæc est igitur prima festivitas, hæc est principium et causa aliarum omnium festivitatum. Hanc ergo festivitatem simul omnes celebremus, et cum beata virgine Maria de tanto nuntio gratulemur. Audiamus modo quid Gabriel archangelus dixerit, quæ verba, quam legationem, et ut ita dixerim, quas novellas Virgini nostræ de cœlis attulerit. Fidelis legatus iste, verax ille a quo mittitur. Qui hanc legationem veram esse non crediderit, sit anathema marathana. Dic ergo Gabriel, loquere ad Virginem, ut audiamus. « Ne timeas inquit, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum : Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabitur nomen ejus Jesus. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis (*Luc.* I, 30, 34). » Ecce audivimus legationem, audivimus sacramentum æterni consilii, audivimus et verba nostræ liberationis · audivimus etiam quod rex et propheta David huic reginæ nostræ, filiæ vero suæ de hac legatione loquatur. « Audi, inquit, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum **559** tuum, et domum patris tui, quia concupivit rex speciem tuam, quoniam ipse est Dominus Deus tuus (*Psal.* XLIV, 11, 12). » Audi, inquit, filia mea de genere meo, de progenie mea, nobilitas et gloria mei generis, audi quæ angelus loquitur, quæ cœlestis nuntius tibi promittit (1864). Esto cauta, esto sollicita, diligenter ausculta, quia magna valde sunt, quæ tibi nuntiantur. Vide ergo, et intellige, et suscipe Verbum in corde, et in utero tuo, virgo concipies, et virgo paries, quia per aurem ingreditur in te, qui nascetur ex te. Verbum enim est, et via verbi auris est. Non enim aliter concepit beata Virgo Maria, nisi audiendo, et credendo (1865), Si non audisset, non credidisset. Audivit et credidit, et credendo concepit. « Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*ibid.*, 28.) » Talis fuit conceptio Christi, taliter conceptus est, et taliter Verbum caro factum est. « Et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. » — « Surge, et accipe puerum, et fuge in Ægyptum (*Matth.* II, 13). » Fuge ad gentes, quia populus tuus, et domus parentum tuorum non suscipiet te ; sed simul cum filio tuo persequetur, et odiet te. Et revera nulla creatura est, quam sic Judæi odio habeant, sicut matrem hanc et filium. Neque enim matrem diligere possunt, qui tam iniquo odio filium persequuntur. Unde Joannes apostolus ait : « In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I, 11). » Dominus autem quid dicit. « Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi (*Psal.* XVII, 44). » — « Obliviscere igitur populum tuum, et domum patris tui. » Omnia relinque, satis tibi sit filius tuus, quia ipse est rex tuus, et Dominus Deus tuus, quia dilexit speciem tuam et pulchritudinem tuam. Ipse tibi sufficiat. Non amor patriæ, non propinquorum affectus te retinere valeat. Si illum solum habeas, dives es, et in illo omnia possidebis. « Et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus (*Psal.* XLIV, 13). » Omnes pulchræ et nobiles virgines ei se conjungere desiderabunt, et cum magnis muneribus ad eum properabunt, quæcunque sunt, quibus mundi hujus voluptas non placet, et se in angustiis et in carcere esse cognoscunt. Tyrus enim *angustiæ* interpretatur. Illæ vero animæ, quæ vagæ sunt, quibus voluptas et concupiscentia placet, quæ non per angustam semitam, sed per amplam viam gradiuntur, non Christo, sed diabolo nubere concupiscunt. Et adorabunt igitur eum filiæ Tyri in muneribus, seipsas, et sua omnia offerentes. Et « vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis (*ibid.*). » Quid enim mirum si divites et nobiles virgines matris vultum et pulchritudinem desiderabunt? Cum modo superius dixerit, « quia concupivit rex speciem tuam (*ibid.*, 12). » Valde enim pulchra est, quæ sua pulchritudine Deum ipsum ad amorem sui provocare potuit. Valde quidem conveniens fuit, ut speciosus forma præ filiis hominum, speciosam suam eligeret matrem (1866). Considera modo cujus pulchritudinis fuerit, cujus splendor et pulchritudo cœlos penetrabat. Inde angeli eam admirabantur, inde Gabriel recto itinere venit ad eam. Ad eam enim missus est, quæ præ cæteris fulgebat, quæ pulchra ut luna, electa ut sol, omnem pulchritudinem sua pulchritudine vincebat. Non possumus modo dicere omnia quæ de ipsius laudibus in hoc psalmo continentur. Ad Evangelii verba redeamus. « Hic, inquit, erit magnus, et filius Altissimi vocabitur (*Luc.* I, 32). » Valde enim magnus est, quoniam Patri æqualis est. « Et dabit illi Dominus Deus se-

(1864) Hæc eadem, ipsisque verbis habet S. Bruno in comment. in hunc locum psalmi XLIV.

(1865) Huc usque citat. commentarius.

(1866) Cod. Vat., *speciosissimam sibi eligeret matrem.*

Digitized by Google

dem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum (*ibid.*). » De hac sede in illo psalmo scriptum est, ubi de utroque David Dominus loquens ait : « Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum (*Psal.* LXXXVIII, 21). » Et paulo post : « Ipse invocabit me, pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi (*ibid.*, 27-30). » Erit igitur thronus æternus, siquidem : « Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli (*ibid.*, 30). » Erit igitur thronus æternus ; siquidem et dies cœli in æternum erunt. « Si deliquerint filii mei legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint : Si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint (*ibid.*, 31, 32). » Quid faciam eis ? Non utique occidam eos, neque separabo a regno meo, non auferam eis gratiam meam. Quid igitur ? « Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum (*ibid.*, 33). » Hoc est enim, quod Apostolus ait : « Si cujus opus arserit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III, 15) ; » quasi per virgam, quasi per correctionem. « Misericordiam autem meam non dispergam ab eo (*Psal.* LXXXVIII, 34). » Et certe de filiis loquebatur. Quare ergo ab eo dixit, et non ab eis, nisi quia omnes in eo unum sunt, quicunque in ejus corpore sunt. In ejus autem corpore non sunt, qui fidem non habent, vel qui in malitia perseverantes, ad eum per pœnitentiam redire non curant. « Neque nocebo ei in veritate mea, neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt **560** de labiis meis, non faciam irrita. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit. Et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis (*ibid.*, 35-39). » Et quidem conveniens erat, ut sine juramento crederemus quod Dominus loquitur ; placuit tamen ipsi sub juramento verba sua firmare, quatenus de salute nostra nos redderet certiores. Ecce qui non habet majus per quod juraret, juravit in veritate sua, in sancto suo, in dilecto Filio suo, in seipso, quia unum sunt Filius et ipse. Sed quid juravit ? Quod non noceat membris Filii sui, quod non profanet Testamentum suum, quod non faciat irrita verba sua, quod semen Filii sui, et sedes ejus maneat in æternum. Quanta lætitia redundat iste psalmus, quanta in eo spes datur peccatoribus, quicunque in Ecclesia manserint, et ab ea non recesserint. Ipsa est enim corpus Christi, ipsa est semen, et sedes Christi, quæ sicut juratum est, in æternum manebit. Alioquin profanum esset Testamentum, quod sub juramento firmatum est, si vel fallacia inveniretur in eo, vel si non omnia complerentur, quæ continentur in eo. Hic psalmus est Ecclesiæ testamentum. Hic solus sufficere posset, si nullas alias chartas haberet. Gaudeat igitur de Testamento suo, gaudeat quod sedes Dei constituta est. Illa videlicet sedes, quæ sicut sol fulgebit in conspectu Dei, et sicut luna perfecta in æternum, et ipsa horum omnium testis erit fidelis in cœlo. Non enim testamentum vel testatorem reprehendere poterit, qui hæredem ibi in tanta gloria esse videbit.

CAPUT V.

De assumptione beatæ Mariæ virginis.

« Quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* I, 48). » Docet nos beatissima Virgo Maria humilitatis mater, et filia, quanta sit virtus humilitatis. Hunc sermonem quære superius in secundo libro de ornamentis Ecclesiæ, cap. V.

SENTENTIARUM

LIBER SEXTUS

IN FESTIVITATIBUS MARTYRUM, CONFESSORUM, ETC.

561 CAPUT PRIMUM
DE MARTYRIBUS.

SERMO I.

« Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet (*Joan.* XII, 24). » Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Hoc est illud granum frumenti quod virgo et inarata terra produxit. De quo Psalmista ait : « Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (*Psal.* LXXXIV, 12). » — « Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum (*ibid.*, 13). » Hujus autem grani immensa multiplicatione omnia Ecclesiæ horrea repleta sunt. De hoc frumenti grano ille panis conficitur, de quo ipse Dominus ait : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI, 41). » Constat autem hoc, et ad litteram verum esse, quod frumenti granum, si in terra solvatur et moriatur, multum fructum affert. Nihil enim infructuosum diligit Deus. Nihil in horto suo, nihil in agro suo vult esse infructuosum. Unde et ipse alibi ait : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). » Et in alio loco : « Ego sum, inquit, vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem

Digitized by Google

palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat (*Joan.* xv, 1). » Hæc est enim illa vitis vera, de qua totum hoc vinum profluxit, quod nobis in hoc Evangelio propinatur. Hæc est illa vitis, semper fructuosa, cujus omnes palmites fructiferi sunt, quicunque ei fideliter inhærent. Ideo enim infructuosi de ea tolluntur, quia quamvis per baptismi sacramentum in ea sint, per vitæ tamen meritum in ea non sunt. Talis arbor infructuosa erat illa, de qua ad cultorem vineæ Dominus ait : « Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam ; ut quid etiam terram occupat? » (*Luc.* xiii, 7.) Quæ quidem illico succisa fuisset, nisi bonus ille vineæ cultor pro illa intercessisset, dicens : « Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora, et si quidem fecerit fructum ; sin autem, in futuro succides eam (*Ibid.*, 8). » Talis erat et illa ficulnea, in qua, quia fructum non invenit, Dominus eam maledixit, et aruit. Tales sunt et multæ aliæ arbores infructuosæ, quæ tandem exciduntur, et in ignem mittuntur. Et ego quidem non crediderim aliquam arborem infructuosam in paradiso esse plantatam ; præsertim, cum primo hominum Dominus dicat : « De omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas : in quacunque enim die comederis, morte morieris (*Genes.* ii, 17). » In eo enim, quod de omnibus comedere dicit, omnes illas arbores fructuosas esse ostendit. Cum igitur paradisus Ecclesiam significet, Ecclesiæ quoque arbores omnes fructuosas esse oportet. Multæ namque arbores sunt in Ecclesia. Ibi enim est lignum vitæ, de quo qui comederit, si tamen digne comederit, non morietur. De hoc enim ligno scriptum est : « Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo (*Psal.* i, 3). » Et alibi : « Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei (*Apoc.* ii, 7). » Ibi et est illa arbor, quæ ait : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini ; speravi in misericordia Dei mei in æternum, et in sæculum sæculi (*Psal.* li, 10). » Sed quid de illis nobilissimis arboribus dicam, quibus ipse ait : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat? » (*Joan.* xv, 16.) Tales igitur arbores habet Ecclesia, quas illæ paradisi arbores significabant. Sic igitur crescit Ecclesiæ frumentum, et sic in trigesimum, et sexagesimum, et centesimum fructum exuberat. Cujus venter non immerito acervo tritici comparatur. Ipsa est enim de qua scriptum est : « Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis (*Cant.* vii, 2). » Tanta enim sanctorum multitudo ab hoc uno grano frumenti multiplicata est, ut supra multitudine numerari non possit. Unde Psalmista ait : « Annuntiavi, **562** et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* xxxix, 6). » « Numerabo eos, et super arenam multiplicabuntur (*Psal.* lxxvii, 27). » — « Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ (*Psal.* cxxvii, 3). » Hoc est illud semen quod Abrahæ prophetæ promittebatur, cum ei a Domino diceretur : « Et erit semen tuum sicut stellæ cœli, et sicut arena quæ est in littore maris, quæ præ multitudine numerari non potest (*Genes.* xii, 17). » Unde et Propheta ait : « Attendite ad cavernam, de qua excisi estis, et ad Saram quæ genuit vos (*Isa.* lxxi, 1). » Cui enim mirabile non videatur, de uno ventre tantam hominum esse multitudinem ? « Lætare igitur, sterilis, quæ non paris ; erumpe, et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Galat.* iv, 27). » Totus autem hic acervus tritici, tota hæc sanctorum omnium multitudo de uno Ecclesiæ matris ventre progenita, liliis vallata est. Quid enim lilia, nisi angelorum præsidia, virtutum odores, et doctorum candidatum exercitum intelligimus ? Isti enim sunt, qui hunc acervum tritici custodiunt, et filios Ecclesiæ a malignorum spirituum insidiis defendunt, et tali quidem custodia populus Dei dignus esse videtur, cujus semper odorem et pulchritudinem imitetur. Tota Ecclesia fecunda est, nulla pars ejus infructuosa est. Hoc enim ipse Dominus ostendit, ubi ad eam loquitur dicens : « Dentes tui sicut greges ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis (*Cant.* iv, 2). » Unde et ipsa ait : « Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi (*Ibid.* vii, 2). » — « Omnis enim scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* xiii, 52). » Inde est quod illa animalia quæ non generant, et sterilia sunt, offerri Domino prohibentur. Bonus fructus humilitas, bonus fructus misericordia. Tales fructus de paradisi arboribus colligunt, talia poma diligit Deus, et tali ipsi offerre debemus.

SERMO II. (1867) IN NATALI UNIUS MARTYRIS.

« Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum ; et omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat (*Joan.* xv, 1). » Ecce vitis vocatur Christus, et vitis vera. Sed quare vitis, et quare vera ? Vitis vocatur, quæ vinum fert. Omnia enim hæc Evangeliorum verba vinum sunt, et non qualecunque ; sed optimum vinum, non de alia, nisi de hac vite vindemiatum et expressum. Inde enim est quod in suæ prædicationis initio aquas Dominus convertit in vinum, quatenus nova vitis novum vinum effunderet, quo illas nuptias et architriclinum (1868) lætificaret. Dicitur

(1867) Titulus editionis Ascensianæ : De Christo vite, et ejus vinea ; qui potest ad quemvis martyrem applicari.

(1868) In Marchesio legitur, *inebriaret* ; ita in cod. Vat. Melior est lectio Codicis Casinensis 194., ubi habetur *lætificaret*.

Digitized by Google

autem et vitis vera, fortasse ad illius vitis distinctionem, quæ et pro uvis labruscas, et pro vino dedit acetum. Hujus vinum dulce, semperque suave, hujus verba semper vera, et (1869) nullius falsitatis admistione corrupta. (1870) Pater autem ejus agricola est. Sed quid facit iste agricola? (1871) Steriles abscindit palmites, fructuosos quoque purgat, ut magis fructificent. Quot sunt Christiani, tot sunt palmites hujus vitis. Alii quidem boni, alii autem mali. Et boni quidem fructiferi; mali autem infructuosi. Tolluntur infructuosi, et incenduntur; fructiferi vero purgantur, et gladio spiritus putantur, ut fructum plus afferant. Gladius spiritus est verbum Dei, et sermo iste evangelicus. Quales palmites isti fuerunt, quorum hodie festa celebramus! Quam purgati, quam putati, quam diligenter ab omni superfluitate mundati! (1872) (1873) Talis namque vitis tales palmites habere debet, qui et fructuum abundantia, et saporis suavitate non degenerent. Non omnis vinea bona est, neque omne vinum bibere delectat. Malum vinum hæreticorum, de quo Nazaræi bibere formidant. « Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deuter.* XXXII, 33). » (1874) Nulla alia vinea bona, nisi illa quæ de vitis genere est. De hac scriptum est: « Vinea dilecto facta est in cornu filio olei (*Isa.* V, 1). » De qua et Salomon ait: « Vinea fuit pacifico in eo, quæ habet populos, et tradidit eam custodibus. Vir affert pro ea mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti iis qui custodiunt fructus ejus (*Cant.* VIII, 11). » Hæc autem exposita sunt in illo sermone qui de pace titulatur. Quære superius in libro de ornamentis Ecclesiæ. **563** Illæ quoque vineæ bonæ sunt, de quibus Ecclesia dicit: « Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodivi (*Cant.* I, 6). » Quanta charitas, ut pro communi omnium utilitate, vineæ suæ, suique ipsius aliquando aliquis negligentiam habeat! Hoc autem faciebat ille qui ait: « Nemo quæ sua sunt quærit, sed quæ omnium, ut salvi fiant. Qui omnia omnibus factus est, ut omnes lucrifaceret (*I Cor.* IX, 19). » Fuit et illa vinea aliquando bona; de qua scriptum est: « Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam. Viam fecisti in conspectu ejus, et plantasti radices ejus, et implevit terram. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei. Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus (*Psal.* LXXIX, 9). » Fuit enim hæc vinea aliquando bona, sed quia in amaritudinem conversa est, et prima bonitate degeneravit, ideo « Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam (*Ibid.*, 24), » ut adimpleretur quod Dominus ait: « Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruetur (*Matth.* XXIV, 2). » Hæc est enim illa mala vinea, cujus pessimi agricolæ, prius domini sui servos diversis tormentis interemerunt; postea veniente hærede dixerunt: « Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas (*Luc.* XX, 14). » De qua et ipse Dominus non immerito ait: « Vultis scire quod ego faciam vineæ meæ? Mandabo nubibus meis ne pluant super eam, auferam sepem ejus et erit in conculcationem. Diruam maceriam ejus, et erit in direptionem, et ponam eam desertam. Vinea Dei Sabaoth domus Israel est (*Isa.* V, 5). » Cujus palmites Judæi sunt, qui propter suam impietatem per universum mundum dispersi cunctis gentibus in opprobrium sunt. Hanc autem malam vineam illa vinea significavit, de quo Noe inebriatus verenda dormiens discooperuit. Cujus nuditatem quia filius junior irrisit, perpetuæ servituti cum omni posteritate subjectus est. Alii vero, quia sapienter et verecunde patrem operuerunt, debita benedictione donati sunt. Hæc autem ad Salvatorem nostrum respiciunt, qui passionis calice inebriatus, mortis somno in cruce quievit. Cujus utique verenda, mortem ipsam, sputa, flagella, et crucis ignominiam intelligunt. Hæc enim Judæi nobis objiciunt, et quasi malum verenda nobis improperant, qui hominem mortuum, et tam turpia, tamque verenda passum, pro Deo adoremus. Nos autem patrem nostrum operientes, dicimus hæc non verenda, sed veneranda esse. « Oportebat » enim « pati Christum, et sic resurgere a mortuis. Quomodo enim implerentur Scripturæ, quia sic oportuit fieri (*Act.* XII, 3)? » Hoc enim prophetæ prædixerant; hoc nobis necessarium erat, quia aliter originale peccatum solvi non poterat. Hoc tamen Judæi non credunt; sed in sua malitia persistentes, crucis ignominiam et Christi passionem irridere non cessant. Sed quid dicit Scriptura? « Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis (*Psal.* LXXVII, 35). » Hoc de Judæis dictum est, quorum omnis posteritas propter suam impietatem, cunctis gentibus in opprobrium tradita est. De aliis autem quid dicitur? « Laudate Dominum, omnes gentes: et collaudate eum, omnes populi. Quoniam

(1869) Idem Fcod., *Nullis falsitatibus*. Edit. vero Ascens. habet: *nullius falsitatis annexione*

(1870) Ex eod. cod. Casin.

(1871) Cod. Vat.: « Vis audire quid: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, ut fructum plus afferat. Quot sunt Christiani, tot sunt et palmites hujus vitis, » etc.

(1872) Ex eod. cod.

(1873) Cod. Vat. et cit. editio: « Talem enim vitem tales palmites habere decebat; qui et fructibus abundarent, et in saporem non degenerarent: sicut illa de qua jam superius diximus, quæ pro uvis dedit labruscas, et pro vino acetum. Non omnis vinea bona est, » etc.

(1874) Idem cod. et editio: « Nulla alia vinea bona, nisi illa quæ de hac vite pastinata est, quæ modo in hoc Evangelio loquitur: *Ego sum vitis vera, et pater meus agricola est.* De hac vite scriptum est: *Vinea facta est dilecto in cornu filio olei*, etc. »

Digitized by Google

confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum (*Psal.* CXVI, 1). » Qui vivit, et regnat, etc.

SERMO III.

(1875) DE NATIVITATE PLURIMORUM MARTYRUM.

« Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem sanctorum sicut aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret (*Psal.* LXXVIII, 1). » Hæreditas Dei, templum Dei, civitas Dei, et hortus Dei, sancta Ecclesia est, quæ per totum mundum diffusa, multas a tyrannis et malignis spiritibus patitur persecutiones. (1876) Videns igitur Propheta per Spiritum sanctum hanc nobilissimam civitatem (1877) ab impiis hostibus dissipari, ejus tantæ calamitati compatiens ait : Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam violenter, et cum nimia crudelitate irruperunt tyranni in Ecclesiam tuam. Hæreditas tua dissipatur, templum tuum polluitur, civitas sancta destruitur, et sancti tui interficiuntur. Sola custodia relicta est; pauci admodum relicti sunt. Hoc plangebat Elias, cum diceret : « Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et relictus sum ego solus (*III Reg.* XIX, 10) » pro custodia. (1878) Quasi **564** diceret : Non sufficit eis quod sanctos crudeliter occiderunt; sed nec eorum corpora sepelire permittunt, pretiosusque sanguis tuorum sanctorum pedibus conculcatur iniquorum. Propterea quæ ait Apostolus : « Propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oves occisionis (*Rom.* VIII, 13). » Narrat beatus Joannes in Apocalypsi, ubi omnes martyrum passiones, ubi omnes Ecclesiæ perturbationes plenissime describuntur, se vidisse equum album, et qui sedebat super eum habet arcum in manu sua, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret. (1879) Equus ille albus, super quem qui sedebat, habebat arcum in manu sua, Salvator noster intelligitur, qui exivit prælians pro martyribus suis; sicut scriptum est : « Qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III, 8). » (1880) Habet enim arcum in manu sua, per quem ejus prædicatio significatur; cujus prædicationis verba atque sententiæ sagittæ quædam sunt, quibus vitiorum et malignorum spirituum fugatur exercitus. Istæ sunt illæ sagittæ de quibus dicitur : « Sagittæ tuæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis (*Psal.* CXIX, 4). » Per coronam, quæ ipsi datur, quid aliud nisi victoria significatur? « Nemo » enim, inquit Apostolus, « coronatur, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » In singulis sanctis coronatur Christus, quia omnis eorum victoria ipsius est. Et hoc est quod ait : « Exivit vincens, ut vinceret (*Apoc.* VI, 2); » cum et sancti martyres alibi dicunt : « In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros (*Psal.* LXXVII, 59). » Post istum autem equum exivit alius equus rufus, et qui sedebat super eum, datum est ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se homines interficerent, et gladius magnus datus est ei. (1881) Rufus autem equus, qui secutus est eum cujus sessori datum est, ut pacem de terra sumeret, tyrannorum exercitus intelligitur, sanctorum sanguine cruentatus; super quos diabolus sedens, ad sanctorum necem impie eos compellit. De his equis dictum est : « Currus Pharaonis et exercitum ejus demersit in mare (*Exod.* XV, 4). » Iste autem sessor iniquus ille est qui pacem de terra sumit et aufert, quoniam, ut discordiæ princeps et pacis inimicus, humanum genus semper insidiando et tentando inquietat. Hic facit ut se homines interficiant, et inter se bella civilia gerant. (1882) Hic magnum habet gladium, dum alios aliis alligans vitiis diversimode jugulare contendit. (1883) Hujus ergo consilio, hujus ductu sanguis funditur per manus tyrannorum. De quo nunc per Prophetam dicitur : « Effuderunt sanguinem sanctorum sicut aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret (*Psal.* LXXVIII, 3). » Et hos quidem sanctorum martyrum passiones, eorum tantam sanguinis effusionem, illa holocausta et illæ hostiæ significabant, quas quotidie SS. Patres sine numero immolabant. Vide modo quantus animalium sanguis effusus est, quando templum Salomonis dedicatum est. Ad centum enim et viginti duo millia oves, et boves ad viginti duo millia mactati referuntur in illius templi dedicatione, præter illas hostias quas quotidie offerre consueverant, quibus Christi passio significabatur. Sic igitur in Ecclesiæ

(1875) Titulus cod. Vat., et editionis de martyribus.

(1876) Ex eod. cod. Casin. textus Marchesii emendatur.

(1877) Cod. Vat., « ab impiis et iniquis hominibus disperdi. »

(1878) Cod. Vat.: et editio cit. « Et quærunt animam meam. O crudelitas! O impietas! Non sufficit eis quod tam duris et exquisitis tormentis sanctos interficiunt, sed ad suæ iniquitatis malitiæque cumulum eos sepelire non permittunt. Sanctorum carnes avibus exponuntur, et bestiis terræ devorandæ, et laniandæ traduntur. Sanguis pretiosus effunditur; si quidem pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, et quasi vile aliquid iniquorum pedibus conculcatur. In his completum est quod in Evang. dicitur : Ecce ego mitto vos quasi agnos inter lupos. *Et Apostolus*, » etc.

(1879) Cod. Vat. et editio : « Equus iste albus, pulcher totus et immaculatus, sanctorum martyrum exercitus intelligitur, in quibus Salvator noster sedit, et pro eis præliatur. Sicut scriptum est. »

(1880) Eadem interpretatio exstat in commentario super Apocalypsim.

(1881) Id. Cod. et editio : « Hic equus rufus sanctorum sanguine et sævientis inimici calcaribus cruentatus, tyrannorum exercitus intelligitur, super quos diabolus sedens, in sanctorum necem, eos sine omni misericordia ruere facit. In istis illi equi, de quibus dicitur : *Currus Pharaonis et exercitum ejus dejicit in mare.* In istis illi equi et muli *in quibus non est intellectus.* Hic autem et ille iniquus qui pacem de terra sumit, » etc.

(1882) Ex eod. cod. Casin.

(1883) Cod. Vat. et editio : « Huic gladius magnus datum est, quoniam multis modis miseros ho-

Digitized by Google

dedicatione, multa sanctorum millia pro Christi nomine mactata sunt, quos ille animalium sanguis et illæ hostiæ significabant. Quid est enim quod ibi legitur, « odoratus est Dominus odorem suavitatis (*Genes.* VIII, 21), » nisi quod Psalmista ait : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV, 5). » Non enim tantum illo fumo et animalium sanguine delectatur Deus, quantum sanctorum martyrum passione, quæ illis sacrificiis significabatur. Noe patriarcha, post diluvium de arca egressus, de cunctis animalibus mundis magnum Deo holocaustum et sacrificium obtulit. Solus tunc homo immolatus non est, quia nondum venerat plenitudo temporis, quando Salvator noster immolandus erat. Omnia illa animalia munda, quæ tunc uno sacrificio ablata sunt, hanc SS. martyrum passionem et oblationem significabant, (1884) quæ de utroque sexu, de omni ætate, de omni conditione pro Christi nomine postea mactati sunt. Tria SS. martyrum sacrificia legimus : primum in significatione, secundum in passione, tertium in commemoratione. Et primum quidem faciebant sacerdotes Veteris Testamenti. Secundum autem tyranni. Tertium vero nostri sacerdotes quotidie in Ecclesia faciunt. De tertio scriptum est : « Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Et sacrificium laudis honorificabit me; illic iter est, in quo ostendam salutare **565** Dei (*Psal.* XLIX, 14 *et seq.*) » et Propheta : « Omnem, inquit, aufer iniquitatem, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum (*Oseæ* XIV, 3). » Et Apostolus : « Per ipsum, ait, offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomen ejus (*Hebr.* XIV, 15). » Hoc igitur sacrificium, quod Ecclesia quotidie facit in SS. martyrum laude et commemoratione, in illa hostia (1885) significatum est, in qua Moyses præcepit sacerdotibus ut prius lignorum congeriem faciant, deinde hostia, quæ immolanda est, particulatim divisa, prius super ipsam struem lignorum caput ponant; postea vero cætera membra usque ad caudam desuper ordinent, quæ sicut in toto corpore ultima est, ita et ultima ponenda est. Lignorum vero congeriem facimus, quando in unum locum populum adunamus. Quando vero martyris passionem in populo nuntiamus, tunc utique super lignorum congerie jubilationis hostiam ordinamus. In qua videlicet hostia prius caput ponendum est, quia unde natus est, et ex quibus parentibus, et ejus vitæ primordia prius dicenda sunt. Deinde vero qualiter vixerit, quod sapiens et humilis fuerit, quomodo ab infantia Deo servierit, quomodo sua cuncta pauperibus erogaverit, quantus per ipsum virtutes et miranda Deus fecerit, quam fortis in passione fuerit, et quam viriliter omnia tormenta sustinuerit. Talis (1886) hujus hostiæ ordinatio in sacrificiis esse debet, et sic tandem ipse supposito, vorax flamma omnia consummat; per quod videlicet intelligitur, ut fideliter credantur, et cum amore suscipiantur, quæcunque ad martyris laudem et gloriam recitantur. Lege martyrum passiones, et isto ordine scriptas invenies. Sicut in Evangelio beatus Joannes prius ipsum caput posuit, dicens : « In principio erat Verbum (*Joan.* I, 1) : » deinde per ordinem usque ad passionem, ejus verba, et miracula, et cætera posuit. Fuit aliquando in sanctis tantus martyrii amor, tantoque desiderio ad martyrii gloriam festinabant, ut ipsi sua sponte se ingererent, et non interrogati Christianos se esse dicerent. Torquebatur aliquis duris tormentis, et ecce subito alius de populo clamabat : Christianus sum, et pro Christo mori desidero. Unusquisque illud in corde suo propheticum dicebat : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*Psal.* CXV, 3). » Qui vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

mines jugulando decipit, dum alium per superbiam, alium per avaritiam, alium per luxuriam, alium per invidiam, atque alium alio modo occidit et perdit. Hujus igitur consilio, » etc.

(1884) Cod. Vat. « Quæ de omni gente, de omni sexu, » etc.

(1885) Ex cod. Vat. emendantur editiones quæ ferunt *sacrificium est.*

(1886) Cod. Vat. et editio Ascens. : « Hic est ordo sacrificii : taliter jubilationis hostia immolanda est, et sic tandem, » etc.

(1887) Qui Brunonis expositionem in hunc psalmum legerint, totam iisdem verbis hic exscriptam invenient a capite usque ad finem. Differt autem omnino a commentario S. Brunonis Carthus. super eumdem psalmum.

SERMO IV. DE EISDEM.

« Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti ejus, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion (*Psal.* CXXXI, 1 *et seq.*). » (1887) Sic enim se habet ordo. Nunc autem significationem videamus. Beati isti fratres, super quos Dei benedictio et tanta abundantia gratiarum descendit. Isti sunt illi fratres, de quibus Dominus ait : « Nuntiabo fratribus meis (*Matth.* XXVIII, 10). » Et alibi : « Omnes vos fratres estis, et patrem nolite vocare vobis super terram. Unus est enim pater vester qui in cœlis est (*Ibid.* XXIII, 8). » Ipse est autem cui quotidie dicimus : « Pater noster, qui es in cœlis (*ibid.* VI, 9). » Et dives et pauper, nobilis et ignobilis, dominus et servus, imperator et mendicus; omnes una voce dicunt : « Pater noster, qui es in cœlis, » ut se unius patris filios esse ostendant. Ille nobilior, quia melior. Multi hic sunt servi, qui in altera vita erunt domini, et contra, multi hic domini, qui in altera vita dura servitute comprimentur. Quales fratres isti fuerunt, quorum hodie festa celebrantur? Boni

Digitized by Google

fratres beati Sergius et Bacchus, qui tanta pro Christo tormenta passi sunt. Boni Cosmas et Damianus boni Joannes et Paulus, boni Mauritius et socii ejus, boni et multi alii, qui pro Christi nomine morti se tradiderunt. « Et istorum quidem est regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni (*Apoc.* VII, 14). » Tales autem fratres habitant in unum, talibus est cor unum, et anima una. Nemo dicit aliquid esse suum, sed sunt illis omnia communia. Fratres mali, qui corpore simul sunt, sed per odium a se invicem longi sunt. « Bonum est, » inquit, « et jucundum habitare fratres in unum. » Unde hoc? Quoniam illic, id est in tales fratres, mandat Dominus benedictionem suam, et vitam quæ non habet finem. Quomodo mandat? « Sicut unguentum in capite, quod de capite descendit in barbam, de barba vero usque ad oram vestimenti ejus. Et sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion (*Ex eod. psal.*). » Caput Ecclesiæ Christus est, cujus **566** membra omnes nos sumus. De hoc autem corpore Apostolus ait : « Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra (*Rom.* XII, 4). » (1888) (1889) Barba Christi apostoli sunt, qui in toto corpore primi sunt, ut ipsi capiti uniti. (1890) Barba quidem, quia ut masculi fortes, et viriles fuerunt; juxta quod præcipiebat Apostolus, ut barbam non raderent, quia virilem faciem habere debent qui sacris sunt dedicati. Et non solum apostoli, sed et SS. martyres Christi barba vocari possunt qui et viriliter pugnaverunt, et hostes potentissimos vicerunt. Unguentum igitur de capite in barbam descendit, quia sancti Spiritus gratia de Salvatoris nostri divinitate prius in apostolos et martyres venit. De hoc enim unguento Dominus ait : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me (*Luc.* IV, 18). » De hoc et Psalmista : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV, 8). » Hoc et Ecclesia sentiens ait : « Trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I, 4). » Hoc unguento sanantur infirmi, hoc omnes languores, et omnes infirmitates sanabat Jesus. Hoc et sacerdotes Ecclesiæ consecrantur ab hoc chrismate, et Christus ipse, et Christiani vocantur. Hoc igitur de capite descendit in barbam, de Christo in apostolos. Nihil enim virtutum et gratiarum habuerunt apostoli, quod ab ipso non acceperint. Unde et Apostolus ait : « Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? » (*I Cor.* IV, 7). « Alii enim datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*Ibid.* XII, 8). » De apostolis autem hæc tanta gratiarum abundantia per totum corpus ecclesiasticum in cætera membra discurrens, usque ad vestimenti oram pervenit. Vestimenti ora, extremi illi intelliguntur, qui omnium ultimi in fine sæculi futuri sunt. Vide ergo quanta sit hujus unguenti abundantia, quæ tam longo cursu defluat, et tot gentes ungat et sanet. Hoc unguentum Simon magus ab apostolis emere voluit; unde et merito cum omni pecunia sua damnatus est. Vocatur Aaron salvator noster, omnium videlicet sacerdotum primus et maximus, cujus filii sacerdotes sunt, et qui filii ejus non sunt, sacerdotes esse non possunt. Interpretatur autem Aaron mons fortitudinis; quæ interpretatio illi maxime convenire videtur, qui Dominus fortis vocatur, et Dominus potens in prælio. Sequitur : « Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion (*Psal.* CXXXII, 3). » Hermon *anathema*, id est *divisio*; Sion vero *speculatio* interpretatur. Et Hermon quidem apostolos, Sion vero Ecclesiam significat. Merito autem Hermon vocantur, qui primi omnium a Synagoga divisi et separati, Christum Dominum secuti sunt. Unde Apostolus ait : « Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam (*Galat.* I, 13), » et reliqua. Non solum autem apostoli, verum etiam omnes Christiani hoc nomine vocari possunt. Omnes enim in baptismo hoc nomen suscipiunt; quia ibi, diabolo et pompis ejus abrenuntiantes, a peccatis omnibus, et a vitiis separantur, et a sinistra in dexteram transeuntes, ab hædis divisi, agnis et ovibus associantur. Unde et in Psalmo dicitur : « Ad meipsum anima mea turbata est, propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermonis a monte modico (*Psal.* XLI, 7). » Terra Jordanis et Hermonis illi sunt qui per baptismum a vitiis separati sunt, quoniam per Jordanem baptismus, et per Hermon divisio et separatio significatur. Solæ igitur baptizatorum animæ de terra Jordanis et Hermonis Deum laudant; de quibus, et alibi dicitur : « Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt (*Psal.* LXXXVIII, 13). » De monte igitur Hermon descendit ros in montem Sion, per quem fides, doctrina, et evangelica prædicatio intelligitur, quæ ab apostolis in Ecclesiam venit. Hoc autem rore et hac pluvia tota sancta Ecclesia irrigatur, fecundatur, lavatur atque mundatur. Mali montes,

(1888) Ex eod. cod. Casin.

(1889) Cod. Vat. et editio : « Habet igitur barbam Christus in corpore suo, habet manus, et pedes, et cætera membra. Barba Christi apostoli » etc.

(1890) Id. cod. et editio : « Barba quia nihil molle, nihil femineum in se habentes viriles, et fortes, et masculi sunt. Unde et merito non barbati, sed ipsa potius barba vocantur. Præcipit autem Dominus sacerdotibus ut barbam non radant, et comam non nutriant. Nutrire comas, et barbam non habere, mulierum est. Sacerdotes autem non muliebres, sed viriles facies habere debent. Non solum apostoli » etc.

Digitized by Google

Gelboe, quibus David maledicens, ait : « Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos, ubi ceciderunt fortes Israel, Saul et Jonathas (*II Reg.* I, 21). » Per hos enim hæretici designantur, qui non rore apostolico, sed turbine diabolico perfunduntur. Beati illi fratres, qui tali rore, tali pluvia, tali unguento, et tali gratia perfusi audire meruerunt : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! Quoniam illuc mandavit **567** Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum (*Psal.* CXXXII, 1 *et seq.*). » Quod nobis præstare dignetur : qui vivit, etc.

SERMO V. (1891) (1892) DE EISDEM.

« Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus (*Psal.* CL, 1). » Cœlum, et terram, et omnes creaturas quæ in eis sunt ad laudes Dei Propheta invitaverat ; nunc autem materiam de qua eum laudent, et instrumenta quibus laudent, eis ministrat. Sumat unusquisque quod sibi placet, et quod sibi conveniens et utile esse videtur. « Laudate, inquit, Dominum in sanctis ejus. » Hanc laudandi materiam suscipite, quia in nulla alia re laudabilior esse probatur. Dicite ergo : « Mirabilis Deus in sanctis suis. Deus Israel dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ : benedictus Deus (*Psal.* LXVII, 36). » Si quis enim considerare velit sanctorum fidem, et sapientiam, constantiam, et patientiam, et alias virtutes, quas a Deo suscipere meruerunt, facile cognoscere poterit valde in sanctis suis Deum laudabilem et mirabilem (1893). Unde alibi, in sua et aliorum persona, ille qui hic modo loquitur, ait : « Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam (*Psal.* CXXXVIII, 6). »

« Laudate eum in firmamento virtutis ejus. »

Pro firmamento Dominum laudare memento
Terra fide fortis, quam dat tibi Conditor orbis.

Hoc enim firmamentum, quod cœlum vocatur, quod sua virtute et potentia ineffabili Deus fecit, apostolos cæterosque sanctos significat, qui tanta virtute et claritate ita prædíti sunt, ut nulla creatura eis valeat comparari.

« Laudate eum in virtutibus ejus. »

Non tua vir virtus, qua pugnas, sed tibi Christus
In cruce donavit, in qua moriens superavit.
Sis igitur certus quia pugnas virtutibus ejus.

Sive virtutes cœlorum intelligamus, sive virtutes miraculorum, quæ per sanctos operatus est Deus ; sive etiam sapientiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, cæterasque virtutes, quibus sanctos ornatos fuisse, quibus vitia et malignos spiritus omnesque suos adversarios superasse legimus. Valde quidem conveniens est ut in omnibus his Deus laudetur et glorificetur.

« Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus. »

Semper laudetur, qui nullo fine tenetur.

Nescis fortasse quantum eum laudare debeas, considera quantus est, et secundum ejus quantitatem laudes multiplica. Nunquam igitur a laude quiescas, quia immensus est ille quem laudas. « Laudationem itaque Domini loquatur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus (*Psal.* CXLIV, 21), » non ad tempus, sed usque in sæculum sæculi.

« Laudate eum in sono tubæ. »

Nunquam nostrarum sileat vox alta tubarum
Est tuba vox alta, sonus est laudatio sancta.

Post laudandi materiam consequenter instrumenta posuit, quibus laudare debeamus.

Tuba namque, psalterium, et cithara, tympanum quoque chorus, et chordæ, organa, et cymbala, instrumenta sunt musicæ artis, divinis laudibus convenientia. Non omnium est tuba canere ; hoc officium episcoporum est, et doctorum. Illis enim dicitur : « Canite in initio mensis tuba (*Psal.* LXXIII, 4) ; » et : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam (*Isa.* LVIII, 1). » Ipsi sunt angeli in Apocalypsi tuba canentes. Tubarum sonitu muri Jericho corruerunt, et ingrediendi aditum undique populo præbuerunt. Tubis Israelitæ ad prælium concitabantur, et tubis a prœliis revocabantur. Tubis Jubilæus annus nuntiabatur, et ad totius anni solemnitatem populus parabatur. Hoc sacerdotum ministerio fiebat, quia episcoporum et sacerdotum vocem significabat, quibus per Prophetam dicitur : « Si non nuntiaveris iniquo iniquitatem suam, animam ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III, 21). »

« Laudate eum in psalterio. »

Psalterium portat homo quem nova vita reformat
Ut valeat dehis verbis insistere legis.
Omnis chorda sonum reddet bene torta canorum.

Cantare in psalterio perfectorum est. Hoc instrumentum Deus ipse constituit, et decem chordas suo digito in eo ostendit, per quas decem verba legis significantur. Vocatur autem Deus unus prima chorda. Et non habebis Deum alium absque me. **568** Secunda vero : Non facies tibi simulacrum. Tertia : Non accipies nomen Dei tui in vanum. Quarta vero : Cole diem Sabbatorum. At vero quinta : Honora patrem et matrem. Quinque autem quæ sequuntur, hæc nomina sunt : Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non falsum testimonium dices. Non concupisces rem proximi tui. Inter has autem tanta concordia est, ut quicunque offendit in unum, necessario offendat in omnibus. Unde Jacobus apostolus ait : « Quicunque observaverit totam legem, offenderit autem in uno, factus est omnium reus (*Jac.* II, 10). » Aliquando in duas chordas pec-

(1891) Titulus editionis Ascensianæ sic habet : « De laudando Deo instrumentis musicis, per quæ martyrum cruciatus, et confessorum afflictiones, et confessiones designantur. »

(1892) Totus hic sermo de verbo ad verbum, exceptis interjectis versibus, desumptus est ex expositione ejusdem Brunonis in hunc Psalmum ; et penitus diversum est commentarium S. Brunonis Carthusiani super eumdem psalmum.

(1893) Cod. Vat., *mirabilem esse.*

Digitized by Google

caverat David, adulterium simul et homicidium perpetrando, et psalterium totum amiserat. Sed postquam ei dictum est : « Dimissum est peccatum tuum (*II Reg.* XII, 14), » mox ad psalterium accedens, ait : « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVI, 9). »

Vere magna gloria illi est qui hæc decem verba custodire potest, et qui has chordas sine offensione tangit et modulatur. Unde Apostolus ait : « Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I, 12). » Ille enim in psalterio non delinquit quem conscientia non accusat.

« Laudate eum in psalterio et cithara. »

In cithara cantat, qui corda clementia placat;
Nam citharæ furiis solverunt pectora regis.

Decem chordas, sicut modo diximus, habet psalterium. In cithara tres chordæ sufficiunt, per quas Trinitatis mysterium signatur. Unde quatuor illa animalia, et ipsi Seraphim die et nocte modulando dicunt : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra majestate ejus (*Isa.* VI, 3). » Multi autem in cithara cantant, qui psalterium ferire non valent. Psalterium ad operationem, cithara ad sermonem pertinet. Qui bene prædicat, et male vivit, is citharam quidem habet, psalterium autem non habet. Est autem psalterium jucundum cum citharæ, quando vox operationi, et operatio voci concordat. Alioquin parum citharædus proficit sibi, quamvis multis aliis canter do proficiat.

« Laudate eum in tympano. »

Tympana nos clara mortalia mortificare
Membra docent carnis, corium quia est animalis.

Hoc instrumentum proprie martyrum est, quamvis et illorum esse videatur qui carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis. Tympanum enim verberibus sonat, et nisi feriatur et percutiatur non sonat. Est enim corium siccum et extensum, quod frequenti percussione longius resonat. Si autem te delectat audire vocem tympani bene sonantis et Deum laudantis, audi Apostolum dicentem : « A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum (*II Cor.* II, 23). » Beati quoque Stephani tympanum cum percuteretur, et a Judæis lapidaretur, tam magnum sonum reddidit, ut ante thronum Dei sublimis audiretur. Ait ergo : « Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei (*Act.* VII, 55). » Tales igitur in tympanis Deum laudabant, qui carnem suam prius jejuniis afflictam et siccatam tyrannorum verberibus flagellandam tradebant.

« Laudate in tympano et choro ; »

Non chorus ullus erit, ubi clero regula desit.
Ordine namque sedent, ergo ordine vivere debent.

Illi itaque laudabant in choro, de quibus dicitur : « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (*Ibid.*, IV, 32). » Illi enim clerici, et monachi, qui se diligunt, qui se honorant, qui sibi mutuo obediunt et serviunt, qui sibi assurgunt, qui invicem alter alterius onera portant, qui sub regula et disciplina vivunt, illi, inquam, in choro Deum laudant. Non enim tantum ad vocum consonantiam, quantum ad animorum mentisque concordiam respicit Deus.

« Laudate in chordis. »

Torquentur sancti manibus si quando tyranni,
Chordis laudatur Dominus; nam chorda vocatur
Carnis tortura, cordis vexatio dura.

Per has igitur chordas nulla alia instrumenta, nisi ipsa sanctorum martyrum corpora intelligimus, quæ multoties in equuleo, in catasta, et in cruce, tanquam quædam chordæ in psalterio extendebantur. Illi igitur, qui talia patiebantur, in chordis procul dubio laudabant.

« Laudate eum in chordis, et organo. »
Organa nostra Deum laudent sine fine dierum.
Organa doctorum voces dicuntur eorum.
Quos resonant linguis conceptos follibus imis.

Organa et tympana unam habent significationem. Utraque enim significant mortificationem carnis, sive per abstinentiam, sive per martyrii passionem. Illæ namque episcoporum prædicationes in organo fiunt, quæ de corpore per abstinentiam desiccato et mortificato procedunt. Unde Apostolus ait : « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte dum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX, 27). » Illa igitur prædicatio reproba est, quæ non de corpore castigato et mortificato, sed de carne impinguata et delicata procedit. Organa enim ex mortuorum pellibus, et siccis coriis conficiuntur. Unde et merito illos significant qui in multis abstinentiis vivunt.

569 « Laudate eum in cymbalis jubilationis. »

Cymbala quippe Dei resonantia sunt duo cleri :
Hic novus, ille vetus; hic Paulus, et hic bene Petrus
Olim cantavit, cum nos, Judamque vocavit.

Ille enim in cymbalis bene sonantibus laudat, qui verba et sermonem suum utriusque Testamenti auctoritate confirmat. Duo namque Testamenta duo cymbala sunt, quæ tunc quidem suaviter sonant quando alterum alterum tangit, sibique mutuo respondent. Hinc est, quod abyssus abyssum invocat; hinc est, quod inter medios cleros dormire jubemur; hinc est, quod duo Cherubim se mutuo respiciunt, et bini discipuli a Domino mittuntur.

« Omnis spiritus laudet Dominum. »

Spiritus omnis eum benedicat nunc et in ævum.
Laudet, amansque colat, quem Rachel mater adorat,
Nunc fecunda quidem, et sterilis sine semine pridem.
Hoc Pater, hoc Flamen, hoc Filius audiat. Amen.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE CONFESSORIBUS (1894).

SERMO I.

Audivimus modo, cum Evangelium legeretur, Dominum dixisse discipulis suis : « Vos estis sal terræ ; vos estis lux mundi : non potest civitas abscondi super montem posita (*Matth.* v, 13, 14). » Quam pulchra et quam convenientia nomina suis discipulis Dominus ponit! Quam dignum et conveniens erat ut talibus talia nomina imponerentur, qui ad condiendam et illuminandam totius mundi amplitudinem mittebantur (1895) ! Vos, inquit, estis sal terræ, vos estis hominum condimentum ; vestro exemplo instrui, vestra sapientia doceri, vestra humilitate et patientia cæteri homines componi debent. Sal etenim non solum in divina pagina, sed etiam in litteris sæcularibus sapientiam significat. Unde et quidam comicus ait (1896) : « Qui habet salem, qui in te est; » salem videlicet pro sapientia ponens. Unde et de alio quodam dicitur (1897), quod sale multo urbem defricuit; pro eo quod scilicet sapienter, et digne, redarguit quoscunque in tota urbe reprehensione dignos esse cognovit. Egregie autem sal pro sapientia ponitur; quia sicuti cibi sine sale fatui sunt, et saporem non habent; sic cæteræ virtutes sine sapientia inutiles sunt, minimeque proficiunt. Unde et pueri ad fidem venientes, statim a principio sale cibantur, quia nec fidem habere, nec Deum ipsum cognoscere sine sapientia possunt. Non loquimur modo de sapientia mundi, quæ stultitia est apud Deum, sed potius de illa sapientia quæ ducit homines ad vitam æternam. Non loquimur de illa quam docuit Plato, et Aristoteles, sed potius de illa quam per Spiritum sanctum docuerunt Petrus et Paulus. Hæc sapientia facile discitur, quia credendo invenitur. (1898) « Nisi credideritis, ait propheta, non intelligetis (*Isa.* vii, 9). » Vis esse sapiens? Time Deum, et observa mandata ejus : quia initium sapientiæ est timor Domini (*Eccli.* i, 16). » Sapientiores sunt piscatores et rustici Deum timentes, quam episcopi et sacerdotes valde litterati, salutem negligentes. Hæc est igitur sapientia Christianorum, declinare a malo et facere bonum. Hanc sapientiam non habent Judæi, neque gentiles, et ideo cæci sunt et in tenebris ambulant. Omnis cibus sine hoc sale fatuus est, omnis virtus sine sapientia inutilis est. Habent enim et aliæ gentes humilitatem, patientiam, justitiam, misericordiam et alias virtutes; sed quia hanc sapientiam non habent, quidquid habent, inutiliter habent. Hæc enim sola ducit homines ad regna cœlorum, de qua ipse Dominus ait : « Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos (*Marc.* ix, 49). » De qua similiter dicitur : « Omnis igne salietur, et omnis victima sale salietur (*Ibid.*, 48). » Unde et per Moysen dicitur : « Non auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal (*Levit.* ii, 13). » Manifestum est igitur quod nullum sacrificium, nullum servitium, nulla nostra munera Deo placent sine hoc sale, sine fideli et humili sapientia. Aquæ Jericho, sicut legitur, amaræ, et steriles, et infirmæ erant; sed misso in eas sale ab Eliseo sanatæ sunt. Quid est autem (1899) quod istæ aquæ sine sale sanari non potuerunt? « Aquæ multæ, dicit Scriptura, populi multi (*Apoc.* xvii, 15). » Totus mundus infirmus erat, sterilis, et amaritudine plenus, Sed venientes apostoli, quibus modo dicitur : « Vos estis sal terræ ; » postquam hujus sapientiæ **570** sale aquas condiverant, et populos asperserant, (1900) omnis amaritudo fugata est; iique populi, qui aquis illis aspersi sunt, ex sterilibus fecundissimi in bonis operibus facti sunt (1901). Hinc est etiam quod omnes (1902) ecclesiæ sine sale dedicari non possunt. Non enim potest ecclesia alia aqua lavari et baptizari, nisi illa quæ sale condita et aspersa est. Ipsa est igitur aqua sapientiæ, qua et potamur, et lavamur. Et bene aqua sapientiæ dicitur, quæ sale sapientiæ condita est, quæ sola homines sapientes facit, et sine qua nemo sapiens esse potest. « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum (*Joan.* iii, 5). » Stulta est omnis sapientia, quæ alio tendit, et aliam viam ostendit, (1903) quæ ducit ad regna cœlorum. Quoniam uxor Lot in statuam salis conversa est, multum nobis ad exemplum et cautelam proficere debet, ut illius pœna nostra salus et medicina fiat. Neque retro respicimus, vel ea, quæ jam reliquimus, mente et desiderio quæramus; sed ad ea quæ ante nos sunt extendentes, ad promissam nobis beatitudinem festinemus. Quoniam autem sal terræ et lux mundi vocantur apostoli, unum idemque significare videtur: quoniam divina sapientia, et lumen nobis est et condimentum. Qui ipsam non habet, cæcus est; qui ipsam non habet, insulsus, ineptus et fatuus est. Significantur etiam SS. apostoli et doctores per illam quoque civitatem quæ super montem posita

(1894) Titulus in edit. Ascens. ita legitur : De sale et luce ex verbis Domini, et civitate in monte posita, de apostolis, et cæteris doctoribus et confessoribus.

(1895) Ex Comment. S. Brunonis in Matthæum hæc eadem verba desumpta sunt.

(1896) Terentius in Eunucho.

(1897) Horatius de Lucilio Serm. lib. I.

(1898) Vulgata habet : *Si non credideritis, non permanebitis.*

(1899) Cod. Vat. et edit. : *Sed veniens Eliseus rogatus est ab hominibus illius loci, ut aquarum sterilitatem sanaret. Accepit igitur sal, et misit in aquas, et mox ab omni nociva incommoditate sanata sunt. Quid est autem*, etc.

(1900) Ex eod. Cod. Casin.

(1901) Cod. Vat. et edit. : *Omnis infirmitas sanata est; et qui prius steriles erant fecundissimi facti sunt, et fructum bonum reddere cœperunt. Matth.* VII : « *Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.* » *Hoc igitur illud sal et illæ aquæ significabant. Hinc est etium*, etc.

(1902) Edit. Ascens. omittit *omnes*.

(1903) Cod. Vat., *non illam.*

Digitized by Google

st. De hoc autem monte scriptum est : « Venite, ascendamus ad montem Domini, et domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas (*Isa.* II, 3), » etc. Et libi : « Super montem excelsum ascende tu, qui vangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, ui evangelizas Jerusalem (*Isa.* XL, 9). » Ipse quoue Salvator noster de seipso loquitur, dicens : Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion nontem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus *Psal.* II, 7). » Mons igitur Ecclesia, civitas vero postoli et doctores, quorum munimine et fortituline cæteri defenduntur, et ad quos, quasi ad præidium inexpugnabile, omnes confugiunt. Tot sunt gitur civitates, quot sunt episcopi et doctores quoniam qui super montes positi sunt, abscondi et cari non possunt. Unde est illud : « Fili hominis, speculatorem posui te domui Israel (*Ezech.* III, 17). » n monte sedebat iste qui in specula positus erat. nde episcopi *supervidentes*, vel *intendentes* interpretantur. Non solum autem Ecclesiæ, verum etiam ingulæ quæque virtutes montes dici possunt. Magnus mons humilitas, magnus mons misericordia, similiter pax et patientia. Ad hos igitur montes initantur episcopi et sacerdotes, quando per propheam dicitur : « Super montem excelsum ascende tu ui evangelizas Sion. » Prius itaque in montem ıscendat, qui vult evangelizandi officium suscipere. Ioc enim significabat Salvator noster, cum toties ıon solum discipulos, verum etiam turbas, quæ eum equebantur, in montes secum ducebat. « Videns, nquit Evangelista, Jesus turbas, ascendit in montem *Matth.* V, 1). » Et in alio loco : « Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in nontem (*Ibid.* XVII, 1) » Unde et Evangelista dicit ;um, secundum consuetudinem, in montem Oliveti ıscendisse. Notandum autem quod ait, secundum :onsuetudinem suam. Hanc autem consuetudinem liscipuli quoque tenuerunt, et frequenter in hunc nontem conveniebant. Ibi eos recumbentes invenit esus, quando cœlos ascendit. Mons Oliveti, *mons misericordiæ* interpretatur, quoniam Græce *oleon*, Latine *misericordia* dicitur. Beata illa civitas, beatus lle episcopus, qui in hoc monte positus est. Hic est nons excelsus de quo Dominus cœlos ascendit, de uo nobis recta via præparatur in cœlum; qui in oc monte habitat, securus est. Requiretur in juicio, in quo unusquisque monte habitaverit. Sed ullius montis habitatores tantam in judicio gloriam abebunt, quantam qui habitaverint in monte Olieti, in monte misericordiæ et pacis, in monte chaitatis et pietatis ; pax enim, pietas, misericordia et haritas pene idem significare videntur. Et vide nodo quid in judicio dicturus sit Dominus : « Veite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* xv, 34). » Quare? « Quia esurivi, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere ; hospes ui, et collegistis me ; infirmus, et visitastis me; nudus, et cooperuistis me; et in carcere fui, et venistis ad me (*Ibid.*, 35 *et seq.*) » Hæc autem opera cujus sunt? nisi misericordiæ, charitatis, et pietatis, et pacis, ac sanctimoniæ, sine qua, ut Apostolus ait, nemo Deum videbit. Dicat igitur Propheta, et iterum dicat : « Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion. » Vis prædicare ? Vis evangelizare ? Vis ut credatur tibi ? Vis ut tuus sermo et tua prædicatio suscipiatur ? Ascende prius in hunc montem excelsum ; esto misericors et pius ; dilige pacem, et pietatem, et charitatem, et tunc prædica, et confidenter loquere ; omnes enim obedient tibi, et verba tua libenter suscipient. Multi enim bene prædicant, sed male vivunt, de **571** quibus Apostolus ait : « Qui prædicas, non furandum, furaris ; qui dicis, non mœchandum, mœcharis ; qui abominaris idola, sacrilegium facis. Quare ergo qui alium doces, te ipsum non doces? (*Rom.* II, 21, 22). » Isti tales in montem excelsum non ascenderunt. Propheta tamen omnes prædicatores in montem excelsum ascendere jubet. Dominus autem, et Salvator noster non solum prædicatores, verum etiam omnes homines secum in montes trahit et ducit : « Cum, inquit, exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (*Joan.* XII, 12). » Cui etiam Ecclesia dicit : « Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum (*Cant.* VIII, 14). » Videmus igitur quod montes diligit Dominus. « Qui ergo in Judea sunt, fugiant ad montes (*Matth.* XXIV, 16). » Non omnibus ad omnes montes ascendere datum est; multi enim sunt. Ascendisti in montem fidei, transi in montem misericordiæ ; sequere Jesum ascendentem (1904). Qui sequitur eum non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII, 12). Quod ipse præstare dignetur : qui, etc.

SERMO II. DE EISDEM.

« Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt (*Luc.* I, 33). » Dominus et Salvator noster paulo superius in hoc Evangelio dicit, quod regina Saba a finibus venit terræ audire sapientiam Salomonis (*Matth.* XII). Erat igitur Salomon lucerna ardens et lucens, qui super totius regni candelabrum positus, cunctas in circuitu gentes suo fulgore illustrabat, suaque sapientia illuminabat. Venit autem hæc regina, sicut in libris Regum scriptum est, cum comitatu multo, camelis divitias multas portantibus. Dedit autem Salomoni centum et viginti talenta auri purissimi, multosque lapides pretiosos, et aromata multa, et qualia non sunt illata prius in Jerusalem. Venit autem ut interrogaret regem de multis quæstionibus quas habebat in corde suo. De quibus omnibus postquam sufficientem responsionem accepit, ait: Verus est sermo quem audivi (1905) in terra mea, et dimidia pars

(1904) Cod Vat., *in cœlum*.

(1905) Cod. Vat. 1294, *de te*.

Digitized by Google

sapientiæ tuæ mihi nuntiata non est (*III Reg.* x, 8). » Videns autem domos, familias, ministros, cibos regios, et holocausta quæ offerebantur, non erat in ea ultra spiritus. Dedit autem ei Salomon quæcunque petivit ab eo, præter illa quæ obtulerat munere regio. Dicendum est igitur quid significat regina Saba, quid comitatus, et cameli ejus, quid divitiæ, quid lapides pretiosi, et aromata, quæ secum attulit : dicendum prætera quid Salomon quid domus, familiæ, ministri, cæteraque significent. Hæc regina sancta Ecclesia est, de qua Psalmista : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate (*Psal.* XLIV, 11). » Hæc autem venit a finibus terræ. Hæc venit ab ortu solis et occasu, et meridie (1906), ut audiret sapientiam Salomonis, illius scilicet Salomonis qui de se ipso ait : « Ecce plusquam Solomon hic (*Luc.* x, 31). » Illi autem cameli tantas divitias afferentes, patriarchæ et prophetæ esse videntur. Isti sunt illi cameli de quibus eidem Ecclesiæ dicitur : « Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes et laudem, Domino annuntiantes (*Isa.* LX, 6). » Omnes, inquit, venient de Saba, sequentes hanc, de qua loquimur, reginam Saba. Si vis videre divitias quas isti cameli afferunt nobis, et regno nostro, aperi thesauros quos isti portant, et videbis divitias inæstimabiles. Thesauros autem libros vocamus, in quibus aurum purissimum, lapides pretiosi, aromata multa reposita sunt, per quæ videlicet omnia, divitias spirituales, omnisque sapientiæ scientiæque plenitudinem, et omnia quæcunque ad ornatum et sanitatem animæ sufficere possunt, intelligimus. Tot sunt igitur thesauri, quot et sunt prophetarum libri. De his autem thesauris ipse quoque Dominus et Salvator noster aliquando sibi necessaria suscipiebat. Cum enim post resurrectionem suam duobus discipulis, de quibus Evangelium loquitur, in specie peregrini apparuisset, ad eorum fidem corroborandam, incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretatur illis omnes Scripturas quæ de ipso erant. Hoc autem faciens, in thesauros utique prophetarum manum mittebat, et divitias illas inde trahebat, quibus infirmas discipulorum mentes sanabat, et in fidem amoremque suum corroborabat. Camelorum autem unicum et singulare officium est onera portare, cui servitio nullum aliud animal tam idoneum esse putatur. Si quis hæc tam magna camelorum nostrorum onera considerare velit, merito per camelos, sanctos patriarchas et prophetas significare intelliget. Solus enim Moyses, quinque, ut ita dicam, saccos attulit nobis tantis divitiis refertos, quoque auri pondere plenos, ut vix omnes hujus mundi homines levare et portare valeant, quos solus iste camelus ferebat. Similiter etiam Isaias, Jeremias, Ezechiel, cæterique prophetæ magna nobis cunctarum divitiarum pondera attulerunt,

(1906) Cod. Vat., *ab aquilone et mari.*

A quæ regina **572** Saba, sancta videlicet Ecclesia, mater nostra, quotidie Salvatori nostro, vere Regi pacifico, qui per illum Salomonem significabatur, offerre non cessat. Psalmus ille, qui pro Salomone titulatur, de hoc Salomone intelligi debet, quoniam de primo Salomone intelligi non valet (1907). Quomodo enim de illo intelliget ? « Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum (*Psal.* LXXI, 11, 8). » Huic ergo offeramus aurum nostrum, huic serviat sapientia nostra, puritas et religio nostra; si quos mores honestos habemus, huic offeramus. Semper cum odoribus, semper cum aromatibus veniamus ad eum; sicut fecit hæc regina Saba, et sicut fecerunt Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome, quæ emerunt aromata, ut venientes ungerent ipsum, scilicet Jesum. Interrogemus eum de quæstionibus nostris; ipse nos doceat, ipse nobis respondeat; alium magistrum non quæramus. Quem veritas docet, errare non potest. « Omnis sapientia ab ipso est, et cum eo fuit semper, et est ante ævum (*Eccle.* I, 1). » Vidimus domos ejus, vidimus famulos, et ministros ejus, gustavimus de cibis mensæ ejus. Accessimus ad holocausta et sacrificia ejus, quorum omnium cum solam figuram videret regina Saba, præ nimio stupore et admiratione spiritum amisit. Amittamus igitur et nos spiritum inflationis et superbiæ, ut ejus spiritum habere mereamur. « Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). » Ille spiritus beatus est, cujus paupertas bona est. De quo et alibi dicitur : « Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus (*Psal.* CXLII, 7). » Domus ejus, famuli et famulæ, et ministri ejus nos esse debemus. Non solum domus, sed et templum Dei dicuntur sancti. « Nescitis, inquit Apostolus, quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis (*I Cor.* III 16). » De talibus autem ministris ipse Dominus loquitur, dicens : « Volo, Pater, ut ubi ego sum, ibi et sit minister meus (*Joan.* XII, 26). » Ministri igitur apostoli sunt, ministri episcopi, et sacerdotes sunt, diaconi etiam ministri interpretantur. Nam et ipse Dominus minister fieri dignatus est, sicut ipse ait : « Non veni ministrari, sed ministrare, et ponere animam meam redemptionem pro multis (*Matth.* XX, 28). » Mensæ illius utriusque Testamenti paginæ sunt. De hac mensa scriptum est : « Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me (*Psal.* XII, 5). » Duas mensas magnas habemus, Novum et Vetus Testamentum; quarum cibi suavissimi et refectioni et sanitati proficiunt. Super hanc mensam per singula sabbata panes calidi poni jubentur, antequam candelabrum positum est, ad illas tantas delicias illustrandas. His cibis, Deo gratias, jam assueti sumus, eorum dulcedinem atque saporem

(1907) Cod. Vat., *nullatenus intelligi valet.*

Digitized by Google

ognoscimus. Hæc mensa ostendit nobis panem ivum, qui de cœlo descendit. Hæc docuit et mon- travit nobis calicem Novi Testamenti. Ad hanc ensam ministrant apostoli; ad hanc ministrat anus servus Jesu Christi; de hac suscipit illam pientiam quam loquitur inter perfectos. Tantum rum attulit regina Saba, ut si dividatur, unicui- e apostolorum decem talenta in partem veniant. ntum namque et vinginti duodecies decem faciunt. ni vero decem talenta habet, quid amplius habere test? Illi enim, qui habebat centum mnas, cum minus dari jussisset, responsum est: « Domine, bet decem mnas (*Luc.* I, 31); » quasi diceret: id huic amplius dari potest, qui ad totius per- ctionis summam pervenit? Similiter autem et rex ri centum et viginti talenta de auro purissimo lomoni attulit, e quibus vasa templi fabricata nt. Non fuit hoc sine mysterio, quod rex Tyri regina Saba in hoc numero concordarunt. Domi- s et Salvator noster, cui nihil aliud nisi Pater us et Spiritus sanctus comparari potest, cum isset: « Regina Saba venit a finibus terræ au- e sapientiam Salomonis, » egregie satis addidit, ens: « Ecce plus quam Salomon hic. » Quomodo im Salomone major non erat, qui ipsius Salomo- creator, et Dominus erat (1908)? Quod quidem raciter de se ipso intelligi voluit; attamen ego de rvo ejus, cujus hodie festa celebramus, beato nedicto vere dicere possum: « Ecce plus quam lomon hic. » Quæris fortasse in quo major sit? In pientia, in justitia, in fortitudine, in temperantia, super hæc omnia ditior illo et potentior illo. n dico de sapientia hujus mundi, quæ stultitia apud Deum, ad quam iste nunquam accedere uit; sed de illa sapientia quæ vera est, et quæ cit hominem ad vitam æternam. Neque dico de itiis temporalibus quæ de templo sublatæ sunt Ægyptiis et Chaldæis; sed de divitiis æternis, nperque mansuris, quæ ab angelis reponuntur cœlis (1909). His divitiis abundavit beatus Bene- tus: His semper ditissimus fuit, ibique eas re- uit, « ubi fures non effodiunt neque furantur *atth.* VI, 20). » De talibus divitiis Apostolus ait: icut egentes, multos autem locupletantes; tan- m nihil habentes, et omnia possidentes (*I Cor.* 10). » Ego sapientem et justum illum vocare **573** audeo, qui relicto Deo patrum suorum, ter quem alius Deus non est, deos gentium, qui il aliud sunt quam dæmonia, coluit et adoravit. s fortitudinem et temperantiam habuisse dicat, inter feminas effeminatus adeo a libidine supe- us est, et mulierum blanditiis emollitus, ut uxori- suis templa construeret, in quibus suis idolis nolarent. Verum est, quod sancti Patres nostri de hoc homine dicunt, quod ex bonis initiis malum finem habuit. Sunt tamen (quod utinam verum sit!) qui eum postea et disciplinam elegisse, et pœniten- tiam egisse affirment (1910). Clemens enim est Deus, et facile ignoscit, pœnitentes recipit, et neminem ad se venientem repellit. « Peccator enim in qua- cunque hora conversus fuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* XLIII, 12). » O si regina ista Saba venisset ad beatum Benedictum, et audivisset sa- pientiam ex ore ejus, et si vel nunc venire posset, et videre domos ejus, filios et fratres ejus, mensas et cibos ejus, qualiter omnia sunt ordinata, quam bene disposita, quomodo omnibus est cor unum et anima una; et nemo dicit aliquid esse suum, sed sunt illis omnia communia; quomodo se diligunt omnes; quomodo sibi invicem obediunt omnes, quantus amor, quanta charitas est inter omnes, quanta dilectio: si, inquam, illa regina Saba, tam prudens, tam sapiens, tam religiosa, tam Deo de- vota, hæc omnia videre potuisset; vere totum prio- rem spiritum amisisset, quia sancti Spiritus gratiam suscipere meruisset. Venit tamen quotidie ad nos regina Saba, imo non venit, quia semper nobiscum est; cujus membra non sumus; ipsa est mater no- stra, sancta videlicet Ecclesia, quæ per illam regi- nam significata est, ferens et offerens aromata multa Salvatori nostro Jesu Christo; cui est cum Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculo- rum. Amen.

SERMO III. DE EISDEM.

Legitur in Genesi (*Gen.* XXVI, 15) quod servi Abraham fodiebant puteos, Philisthiim vero imple- bant eos terra. Multos autem puteos foderunt servi Abraham, quos diversis nominibus ipse vocavit. Alium si quidem vocavit Calumniam, alium Inimici- tias, alium Latitudinem, alium Bersabee, id est *abundantiam*, vel *satietatem;* alius Viventis, et Vi- dentis vocatus est. Ista nomina, quæ puteis imposita sunt, apertissime ostendunt aliud præter litteram hoc in loco esse quærendum. Dicamus ergo quid Abra- ham, quid servi, quid Philisthiim, quid putei isti significent. Abraham, qui *pater multarum gentium* interpretatur, Deus omnipotens est, omnium creatu- rarum pater et Dominus. Ejus autem servi, de illis dico qui puteos fodiunt, apostoli intelliguntur, episcopi, et doctores; inter quos beatus Paulus in tali opere peritissimus fuit, multamque hujus artis peritiam suo nobis ingenio et exercitio dereliquit. Isti putei prophetarum libri, et alia illa divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei profunditas intelligi potest, ad quam pauci fodiendo pervenire potuerunt. Philisthæi au- tem hæretici sunt, Judæi quoque et philosophi, qui apostolorum et prophetarum doctrinam non intelli- gentes, et exponentes, semper has aquas obstruere

1908) Ex Cod. Casin. Marchesius emendatur. Co- uterque vero Vatic. hæc addit: *Ipse hoc dixit se ipso: « Ecce plusquam Jonas hic. » Et ego dico, eraciter dico, non de se ipso, sed de servo ejus, illo scilicet servo ejus, cujus hodie festivitatem ce- lebramus, beatissimo Benedicto: « Ecce plusquam Jo- nas hic, »* etc.

(1909) Idem Cod. Vat. addit.

(1910) Aliquorum Patrum opinio, quod Salomon in fine vitæ pœnitentiam egerit

Digitized by Google

conantur. Unde et merito Philisthæi *cadentes poculo* interpretantur, quia de vinea Sodomorum, et calice Babylonis inebriati per errorem ubique cadentes, firmis gressibus in via veritatis incedere non valent. Putei autem et multi sunt, et unus; quia quamvis multi utriusque Testamenti libri sint, unum tamen dicunt omnes, unam fidem, unam doctrinam nuntiant omnes; similis aqua, similisque scientia invenitur in omnibus. Nomina quidem diversa sunt; sed fides, et doctrina una est. Ubi igitur in divina Scriptura aliquid est quod Judæi et hæretici male et perverse intelligentes nobis calumniantur, et ibi nimirum puteus ille est qui Calumnia vocatur. Velut cum de Trinitate loquimur, illico Judæi adversum nos calumniam facientes Scripturam illam nobis objiciunt, qua dicitur. « Audi, Israel: Dominus tuus, Deus unus est (*Deut.* VI, 5). » Similiter autem et Ariani, cum dicimus Patrem et Filium esse æquales, ipsius Filii auctoritatem nobis subjiciunt, ubi ait: « Pater major me est (*Joan.* X, 28). » Inde etiam inter nos et illos inimicitiarum puteus ponitur, nobis fodientibus, illis implentibus. De illo puteo, qui Latitudo vocatur, dicit Scriptura, Philisthæos contendisse. Hic est igitur ille puteus Latitudinis, de quo dicitur: « Latum mandatum tuum nimis (*Psal.* CXVIII, 96). » Pauca enim sunt in quibus hæretici, et Judæi nobis contradicunt, si ad campum sanctarum Scripturarum, earumque amplissimam latitudinem respiciamus. Nam et ipsi Salvatori nostro, cum adhuc inter eos conversaretur, de hoc solo Judæi calumniam facere, solebant, quod in Sabbato curaret, et Dei Filium se esse diceret. In illo ergo puteo, qui Latitudo vocatur, tota illa Scriptura intelligitur, in qua et nos et illi idem sentimus, nobisque ad invicem non contradicimus. Ubi **574** vero inter nos et illos contentio est, ibi calumniarum (1911) et inimicitiarum putei sunt. At vero puteus Bersabee, qui *satietas* et *abundantia* interpretatur, totam utriusque Testamenti plenitudinem significat, qua quotidie abundantissime reficimur. Idem autem significat puteus ille, qui Viventis, et Videntis dicitur. Omnis enim divina Scriptura, omnisque sapientia illius est, qui semper vivit, et omnia videt. Unde etiam scriptum est quoniam « Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum eo fuit semper, et est ante ævum (*Eccli.* I). » Juxta hunc puteum Bersabee habitabat Abraham, quando Abimelech venit ad eum, ut cum eo pactum faceret: Deditque ei septem agnas; quas cum ille de manu ejus suscepisset, ait Abraham: « Hæ erunt in testimonium mihi, quia ego fodi puteum istum (*Gen.* XXVI). » Sic igitur et nos, si quando hæretici, Judæi, gentiles nobiscum pactum facere volunt, ad puteum accedamus, ad Evangelia veniamus, simulque omnes de uno fonte bibamus, et unam fidem teneamus. Suscipiant septem agnas de manibus nostris, per quas septem gratiæ Spiritus sancti significantur, quas quidem nulli alii præter Christianos vel dare, vel accipere possunt. Nullo alio modo inter nos et illos pactum et concordiam fieri licet. Soli illi has agnas suscipiunt qui ex aqua et Spiritu sancto regenerantur. Hæ sunt nobis in testimonium, de quo puteo hæc bibemus, et quam fidem teneamus. Servus Abrahæ ad puteum invenit Rebeccam (*Gen.* XXIII), per quam S. Ecclesia significabatur; quæ inter hos puteos habitatura, et nunquam ab eis recessura erat. Cumque jam rediens domui appropinquaret, ecce Isaac ad meditandum in agrum exierat, pergebatque per illam viam quæ ducit ad puteum, cui Viventis, et Videntis nomen est. Non est sine causa, quod omnes viri, et mulieres ad puteos tendunt, et ad aquas festinant. His enim lavamur, et satiamur, et quod majus est, Creatori omnium associamur. Similiter et Jacob fugiens Esau, et veniens in Mesopotamiam, juxta puteum invenit Rachel (*Gen.* XXIX): ipsa enim pascebat oves; et amoto lapide ab ore putei, quo puteus claudebatur, et adaquavit oves, et osculatus est eam, indicans ei, quod frater ejus esset. Non vacat a mysterio, quod vir sanctus sororem, et uxorem ad puteum invenisse narratur. Nulla enim anima Salvatoris nostri, qui per Jacob significatur, soror, vel uxor esse poterit, nisi prius ad baptismatis aquas, et ad sanctarum Scripturarum puteos accedens, bibat de fontibus Israel. Ipse est enim, qui ab ore putei utriusque Testamenti lapidem amovit: ipse est leo de tribu Juda, qui librum aperuit: ipse est Pastor bonus, « qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (*Apoc.* I, 5). » Moyses quoque de Ægypto fugiens (*Exod.* II), et veniens in terram Madian, ad puteum utique invenit Sephoram, quam postea duxit uxorem. Erant autem septem filiæ sacerdoti Madian, et ipsæ patris sui oves pascebant, quæ cum vellent ad aquare greges, supervenerunt pastores, et ejecerunt eas. Tunc igitur Moyses defendit puellas, pastores ejecit, et potum ovibus dedit. Significabat Salvatorem nostrum, qui S. Ecclesiam ducturus erat in sponsam, quam illa Sephora significat: si quidem Sephora *pulchra* interpretatur. De Ecclesia vero scriptum est, quod non habet maculam, neque rugam (*Ephes.* V). De qua et in Canticis canticorum dicitur: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (*Cant.* VII). » Et ipse quidem a malis pastoribus eam defendit, per quos hæretici significantur: de quibus ipse quoque Dominus ait: « Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, abi et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum (*Cant.* I, 8). » Narrat historia (*Num.* XXI), quod venit populus in torrentem Arnon, cumque ad bibendas aquas non habuisset, præcepit Moyses, ut seniores populi cum suis baculis puteum foderent. Quod cum illi fecissent, exivit aqua in abundantia. Tunc canticum simul omnes cantabant, dicentes: « Ac-

(1911) Cod. Vat., *calumniæ*.

Digitized by Google

endat puteus. Concinebant : Puteus quem fode- A
unt principes, et paraverunt duces multitudinis
n datore legis, et in baculis suis (*Num.* xxi, 18,
9). » In his populi ducibus apostoli, episcopi, om-
esque Ecclesiæ prælati figurantur. Illi enim sunt
ui baculos ferunt (1912), quamvis quidam illo-
um non intelligentes cur baculum ferant, neque
uteos fodere volunt, et fodere volentibus aliquando
mpedimentum faciunt. Ecce Moyses præcipit, imo
ominus, qui per Moysen significatur, ut principes,
t qui baculos ferunt, puteos fodiant, Scripturas
periant; et baculos episcopi abscondunt, et pecu-
iam sibi creditam terræ infodiunt (1913), et siti
opulum perire permittunt. Quales fossores olim
uerunt, quales et quantos puteos foderunt, quas
e profundo aquas eduxerunt! Aquas utique vivas, B
t salientes in vitam æternam. Talis fuit beatus Gre-
orius, talis Hieronymus et Augustinus, et talis Am-
rosius et Hilarius. Tales et multi alii, qui
tiosi esse noluerunt. Sed quid dicam de bea-
o Benedicto, qui tam egregium nobis puteum
375 fecit, cujus aqua saluberrima atque dulcis-
ima omnibus sitientibus, et bibere volentibus, et
efectioni proficit et saluti. Nullus post apostolos
t evangelistas puteus factus est, qui tot homines
at lasset, et a mortis periculo cunctisque passioni-
us liberasset. Quicumque fratres, quocunque labore
ntigati sumus, festinemus ad puteos : ibi Jesum
iv eniemus, et ipsum fatigatum super puteum se-
entem, et cum muliere Samaritana colloquentem.
loc enim dicit evangelista, quod « Jesus fatigatus C
x itinere sedebat super puteum. Et ecce mulier
enit de Samaria haurire aquas (*Joan.* iv, 6). »
lagna mysteria tunc temporis revelata sunt, quando
alvator noster super illum puteum mulieri illi se
anifestare dignatus est. Hoc tantum nos modo di-
ere sufficiat, quod si Jesus fatigatus ad puteum
enit, quanto magis nos de omnibus fatigationibus
t laboribus nostris apud sanctarum Scripturarum
uteos omnem consolationem quærere debemus! Et
cut Apostolus ait : « Per patientiam et consola-
onem Scripturarum spem habeamus (*Rom.* xv, 1). »
i enim semper invenitur Jesus : ibi ejus consolatio
esto est : ibi omnes fatigati recreantur, consolan-
r et lætificantur. Ecce de puteis satis diximus. D
e cisternis nihil locuti sumus. Habent enim et
sæ bonam aquam, utpote de sursum venientem
a nubibus descendentem. « Omne enim datum
timum, et omne donum perfectum de sursum est,
scendens a Patre luminum (*Jacob.* i, 17). » De
sternis autem Salomon loquitur, dicens : « Bibe
uam de cisterna tua, et fluenta putei tui; deri-
ntur fontes tui foras, in plateis aquas divide. Ha-
to eas solus, nec sint alieni participes tui (*Prov.*
16). » Cisterna mea Evangelium est; de hoc me
mper bibere delectat. Quod quia in quibusdam

difficile est, non immerito etiam puteus vocatur. Cujus aquas et doctrinam quia non celare, sed cum omnibus Christianis communes habere debemus, ideo bene dicitur : « Deriventur fontes tui foras, et in plateis divide (*Ibid.*). » Sed quia scriptum est : « Nolite sanctum dare canibus, vel mittere margaritas ante porcos (*Matth.* vii, 6), » digne additum est : « Habeto eas solus, ne sint alieni participes tui. » Alieni namque sunt, quicunque nostræ fidei non sunt. Cum talibus autem hæc aqua participanda non est, quæ de illo fonte nobilissimo manat; de quo scriptum est : « Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* xxxiii, 10). » Quod ipse nobis præstare dignetur, qui vivit, et regnat, etc.

SERMO IV. DE EISDEM

« Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (*Luc.* xii, 35). » Non possunt alii esse lucernæ ardentes, nisi illi qui lumbos præcinctos habent. Lucernæ quidem esse possunt, ardentes esse non possunt. Nisi enim ignis inferior exstinguatur, superior lucere non potest. Inferior ignis luxuria est; superior, quis alius nisi gratia Spiritus sancti? Lucernæ autem ipsi sunt, qui nisi continentiam et castitatem habuerint, non lumen et claritatem, sed tenebras ministrant et cæcitatem. « Cæcus enim si cæcum duxerit, ambo in foveam cadunt (*Matth.* xv, 14) » Domini sententia est. De talibus lucernis dicit Propheta : « Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo (*Psal.* cxxxi, 17). » Unde et in Evangelio dicitur : » Erat autem Joannes lucerna ardens, et lucens (*Joan.* v, 35). » De talibus et Dominus ait : « Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt (*Luc.* xi, 33). » Qui ergo lucerna esse vult, lumbos præcingat, continentiam et castitatem custodiat. Sic enim præcinctos esse oportet, qui Salomonis custodiunt lectum. Lectus Salomonis est Ecclesia, illius videlicet Salomonis qui ait « Ecce plusquam Salomon hic (*Matth.* xii, 42). » Unde et in Canticis canticorum dicitur : « En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel : omnes tenentes gladios, ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos (*Cant.* iii, 7). » Illi bene præcincti sunt qui super femur suum, suum gladium habent, illum videlicet gladium, quo castissima Judith Holofernem interfecit (*Judith* xiii). Apostolus non solum episcopos et sacerdotes, verum etiam omnes Christianos, sanctos, castos et continentes esse jubet. Ait enim : « Qui habent uxores tanquam non habentes sint, et qui solutus est ab uxore non ducat uxorem (*I Cor.* vii, 27). »

SERMO V. DE EISDEM.

« Homo quidam peregre profisciscens vocavit ser-

(1912) Cod. Vat. et edit. Ascens. : *Manifestissime nobis exposuit Moyses, quod per servos Abraham puteos fodientes intelligere debeamus. Principes namque apostoli et isti sunt, omnesque Ecclesia prælati. Isti enim sunt, qui baculos ferunt*, etc.

(1913) Cod. Vat., *Suffodiunt.*

Digitized by Google

vos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii vero duo, alii autem unum, unicuique secundum propriam virtutem, et **576** profectus est statim (*Matth.* xxv, 14, 15). » Homo iste Salvator noster est, qui verus Deus et verus homo, non secundum divinitatem, quæ ubique est, sed secundum humanitatem profectus peregre, carnem nostram ad cœlestia vexit, et ad Patris dextram collocavit. Felix peregrinatio, ubi peregrini, mox cives facti, tantis divitiis ditantur, ut præteritorum omnium obliviscantur. Quinque autem talenta, et duo, et unum idem significant, et quantum duo, tantum et unum. Sunt autem qui per quinque talenta, quinque corporis sensus intelligere volunt : visum videlicet, auditum, gustum, odoratum et tactum. Qui ideo quidem corporis sensus dicuntur, quoniam eorum instrumenta in corpore sunt, et ipsius corporis membra sunt; sensus autem ipsi non corporis, sed animæ sunt. Tolle animam, et vacua remanent instrumenta; quia neque oculi vident, neque [*f. add.* aures] audiunt, neque ipsius visus et auditus instrumenta sunt : similiter autem et in aliis. Unde manifestum est, instrumenta quidem ad corpus, sensus autem ipsos specialiter ad animam pertinere. Quinque autem sensus in anima sola intelligentia consistunt. Nulla alia instrumenta ibi sunt quibus sensus varientur. Ipsa sola pro oculis, pro auribus, pro naribus, pro ore, et pro manibus habetur. Anima autem solo intellectu videt, audit, olfacit, gustat et tangit. Neque diversis sensibus diversa instrumenta, quoniam solus intellectus in omnibus sufficit. Unum igitur talentum intellectus est, in quo solo, et quinque talenta, et duo continentur, quoniam et quinque sensus, et memoria, et voluntas in solo intellectu consistunt. Qui igitur habet unum talentum, id est intellectum, ipse habet et duo talenta, id est memoriam et intellectum. Ipse habet et quinque talenta : visum scilicet, auditum, gustum, odoratum et tactum. Qui enim unum illum habet, omnes habet, et qui non omnes habet, illum unum habere non potest. Ut enim de majoribus taceamus, unum verbum duarum syllabarum non possumus nos sine memoria intelligere. Ut, verbi gratia, cum dicitur homo, nisi primam syllabam memoriæ commendemus, ut sequenti syllaba eam conjungere valeamus, nunquam procul dubio totum nomen intelligemus, cujus partes in memoria non habemus. Manifestum est ergo quod sine memoria intellectus haberi non potest. Qui igitur unum talentum habet, et duo quidem necessario habet; duo vero, memoria et intellectus, sine quinque sensibus esse non possunt. Quod enim insensibile est, neque intellectum, neque memoriam habere potest. Habet igitur et quinque, qui duo habet. Idem igitur significatur unum talentum, quod per quinque, et per duo significatur. Cui ergo datur intellectus, illi datur memoria simul et intellectus; illi præterea dantur et quinque sensus spirituales. Unde alius evangelista non quinque, vel duo talenta, sed unum tantum talentum posuit; quod non talentum, sed mnas vocavit. Ait enim : « Homo quidam proficiscens vocavit servos suos, et dedit illis decem mnas (*Luc.* xix, 13). » Decem erant talenta, decem erant et servi. Non decem singulis, sed singulis singula dedit. Hoc autem ex eo intelligitur quod revertens Domino dicunt : « Domine, mna una decem mnas acquisivit; et : Mna tua fecit quinque mnas (*Ibid.*, xvi, 18). » In eo enim, quod unam singulariter nunt, non decem, sed unam se accepisse ostendunt. Et bene decem talenta, et decem servi esse dicuntur, quia omnes numeri in hoc numero continentur, de quo jam sæpe locuti sumus. Quod autem ait, quod homo iste peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua : si de quinque sensibus intelligatur, inconveniens esse fortasse videtur. Quomodo enim tunc Salvator noster suis discipulis hos sensus dedit, quos jam in ipsa natività acceperant, et quos non solum Christi, sed servi quoque diaboli habent? Hoc igitur non de corpore, sed de animæ sensibus intelligatur, per quos, ut jam diximus, spiritualis intelligentia significatur. Et hanc quidem dedit **Dominus** servis suis, peregre proficiscens, quam **nullus** hominum habere potest, nisi ab **ipso** et per ipsum. Hanc autem intelligentiam **non** habet Judæus; hæc proprie Christianorum **est.** Unde Apostolus ait : « Littera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* vi). » Hanc autem intelligentiam illi habent, qui non terrena, sed cœlestia quærunt, et in omnibus quæ agunt, semper Deo placere desiderant. Ecce pecunia data est, videns unusquisque quomodo operetur in ea. Cito, et post modicum venturus est Dominus rationem ponere cum servis suis. « Sed quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit sic facientem (*Matth.* xxiv, 46). » Beatus qui pecuniam suam, cibum suum, annonam spiritualem, et epulas divini eloquii fideliter ministrantem inveniet. Ipse enim audire merebitur : « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui (*Matth.* xxv, 23), » Et tunc quidem alii super decem civitates, alii super quinque civitates constituentur. In quo nimirum ipsa sanctorum gloria, quamvis magna satis omnibus sit, alia tamen major, et aliis minor esse monstratur. « Differt enim, ait Apostolus, stella a stella in claritate; sic et resurrectio mortuorum. Alia est enim claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum (*I Cor.* xv, 41). » Sed quamvis claritas in gloria diversa sit, beatitudo tamen **577** non diversa, sed omnino eadem erit, quoniam uniuscujusque gloria omnium communiter gaudium et lætitia erit; qualis enim nunc concordia est inter omnia membra corporis nostri, talis erit inter omnia membra illius supernæ civitatis. Videamus modo quid illi quoque Dominus dicturus sit, qui talentum

Digitized by Google

suum abscondit, et pecuniam Domini sui terræ suffodit. Accedens, inquit Evangelista, et ille qui unum talentum acceperat, ait : « Domine, unum talentum tradidisti mihi, quod in sudario repositum custodivi. Ecce habes quod tuum est. Timui te, quia homo austerus es; metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti (*Luc.* XIX, 14). » Cogitavi ergo mecum, ac si diceret, in corde meo abscondere eloquia tua, ne si in vanum pecuniam tuam expenderem, et verba tua non obedientibus nuntiarem, mihi quidem labor solummodo esset; illis vero major inde pœna fuisset, quod jam ulterius excusationem habere non possent; utpote illi, qui et scirent, et intelligerent voluntatem Domini sui. Cum enim etiam illos judicaturus et damnaturus sis, super quos non seminasti, et super quos verbi tui semina non sparsisti; quid illis te facturum esse putamus, qui verba quotidie audierunt, illis tamen obedire noluerunt? Talis tamen excusatio quam vana et inutilis sit, ipsius Domini responsione monstratur. « Serve male et piger, sciebas quod ego homo austerus sum, metens ubi non seminavi, et colligens ubi non sparsi; quare ego non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens utique cum usuris exegissem illam? » (*Ibid.*, 22). Si me, inquit, talem esse sciebas, quomodo me offendere non timebas? Non timor hoc, sed pigritia fecit. « Piger » enim « propter frigus arare noluit; mendicabit igitur æstate, et non dabitur ei (*Prov.* XX, 4). » Sive ergo obediant, sive non obediant subjecti vel amici, tamen tacendum non est. Unde ad Ezechielem Dominus ait : « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Nisi annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, animam ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiaveris, et ipse te audire noluerit, ipse in iniquitate sua morietur; tu autem animam tuam liberasti (*Ezech.* III, 17). » Nemo igitur pecuniam sibi creditam, nemo talentum sibi commissum abscondere velit. « Qui abscondit frumentum, maledicitur in populis (*Prov.* XI, 26). » Nemo lucernam sub modio ponat. Mensa quoque propositionis non intra velum recondita, sed extra posita est. Dicitur de sacerdote, quando ingreditur et egreditur de sanctuario, nisi tintinnabula audita fuerint, morte morietur (*Exod.* XXVIII). Tintinnabula sacerdotum linguæ, voces et sermones sunt. Isti sunt quibus dicitur : « Qui reminiscimini Dominum, nec taceatis et detis silentium ei (*Isa.* LXII, 6). » Omnes de talentis istis aliquod habemus; nemo se excusare potest, nisi forte qui sensum et intelligentiam non habet. Quæ qui non habet pecora inferior est; si quidem et pecora habent sensum, et intellectum. Quod est sensus in corpore, hoc intellectus in anima est. Nemo sine his bonum aliquod vel malum agere potest. Neque ad justitiam, vel ad peccatum eis imputatur, qui sine his aliquid operantur. Modo talentum suum quilibet abscondere potest; sed venturus est Dominus, qui id quod dedit non ignorat; ab unoquoque requiretur. Quidquid facere potuit, et facere noluit. A malis servis et pigris auferetur tunc talentum, et retributio talenti, et dabitur ei qui habet decem talenta. Qui vero fidelis fuerit, et in talento sibi (1914) tradito bene laboraverit, gaudens et exsultans a Domino audiet : « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui, » etc. Qui vivit et regnat, » etc.

SERMO VI. — DE EISDEM.

« Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus est. Illud autem scitote quia si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam (*Matth.* XXV, 13). »

« Deus manifestus (1915) veniet, Deus noster, et non silebit (*Psal.* XXXIX, 1). » Hoc autem erit in judicio. Sed et nunc quotidie venit Dominus, quotidie servos suos vocat, et eos, quos reperit vigilantes, et in bonis operibus perseverantes, secum ad cœlestia ducit, et sicut sequentia manifestant (1916) : « Super omnia bona sua constituet eum (*Matth.* XXI, 48). » Si ad ultimum adventum respiciamus, et bonos, et malos omnes vigilantes inveniet. Non erit tunc tempus dormiendi, sive boni, sive mali aliquid agendi; sed solummodo timendi, et judicium exspectandi. « Ergo dum tempus habemus, ut ait Apostolus, operemur bonum ad omnes (*Galat.* VI, 10). » Hoc est enim vigilare, in bonis operibus perseverare. Illa anima dormit, imo quasi mortua jacet, quæ negligens et desidiosa est, et nihil boni operatur. Vigilant homines, ut custodiant domos **578** suas. Et tunc divitiæ majores, et latrones ferociores sunt hic quam ibi. Illæ divitiæ temporales sunt, istæ æternæ. Illi latrones visibiles sunt, isti videri non possunt. « Inimicus enim noster diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret (*I Petr.* V, 8). » Sed vigilare quilibet potest, si quidem et latrones vigilant. Unde quidam ait :

Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones.

(HORAT., *Epist.*)

Ut teipsum serves non expergisceris? Sed istæ vigiliæ sunt malæ. Ille autem bene vigilabat, qui ait : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi (*Psal.* CXVIII, 62). » Iste non solum vigilabat; sed et vigilando Deum laudabat. Illæ vigiliæ bonæ sunt, quæ otiosæ non sunt, et in Dei laudibus fiunt. De quibus et alibi ait : « Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis; donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob (*Psal.* CXXXI, 4). » Iste ergo ideo vigilabat, ut in sui corporis habitaculo dignam Deo domum ædificaret, non ut verbis otiosis, et vanitatibus

(1914) Cod. Vat., *Credito.*
(1915) Edit. Ascens., *manifeste.*
(1916) Cod. Vat. et cit. editio : *Super omnia bona sua illos constituit. Beatus, inquit, ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem. Amen, dico vobis, super omnia bona sua constituet eum*, etc.

Digitized by Google

vacaret. Tales vigilias et Apostolus quærit, ubi ait : « Hora est jam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus (*Rom.* XIII, *seq.*). » Et revera ille bene vigilat, qui diaboli et tenebrarum operationes fugit, et lucis veritatisque armis indutus, honeste et composite Deo servit. Unde et alibi dicit : « Vigilate, justi, et nolite peccare. » Melius est enim non vigilare, quam vigilare et peccare. « Vigilate et orate, et state in fide, viriliter agite, confortamini in Domino, et omnia in charitate fiant (*I Cor.* XVI, 13). » Ille bene vigilat qui hæc omnia operatur, qui ita vigilat, non est otiosus. De ipso enim Salvatore dicit Scriptura, quod pernoctabat in oratione in monte Oliveti, id est monte pacis et charitatis, in monte misericordiæ et pietatis. Illi qui in hoc monte vigilant et orant, in judicio audituri sunt : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XV, 34). » Quare? quia bene vigilastis et orastis, quia simul mecum in monte misericordiæ habitastis. « Esurivi enim, et dedistis mihi manducare sitivi; et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me (*Ibid.* V, 25). » Tales vigiliæ bonæ sunt, tales otiosæ non sunt, tales Domino placent, et tales nos facere jubet. Tales vigilias faciebat Judith, quæ Holophernem dormientem interfecit, relinquens nobis exemplum, quatenus et nos si fornicationis spiritum perdere volumus, jejuniis et orationibus operam demus. His armis vicit illa, his superatus est ille. Dicitur de muliere forti, per quam Ecclesia intelligitur, quod « non exstinguetur in nocte lucerna ejus (*Prov.* XXXI, 18). » Dicitur etiam, quod « de nocte surrexit, et dedit prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis; » in quo nimirum ejus vigiliæ apertissime commendantur. Salvator noster, quando natus, non dormientibus, sed vigilantibus apparuit. Dicit enim Evangelista, quod « pastores erant in regione eadem, custodientes vigilias noctis super greges suos (*Luc.* II, 8). » His autem apparuit angelus Domini, et ait illis : « Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator mundi, qui est Christus Dominus in civitate David (*Ibid.*, 10). » Audiant ergo pastores Ecclesiæ, audiant hoc episcopi et sacerdotes; vigilent super greges suos : vigilent semper, et solliciti sint super populum sibi commissum. Audiant Apostolum dicentem : « Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum (*II Cor.* XI, 28). » Ipse Salvator noster ad discipulos veniens, eosque dormientes inveniens, vigilare eos præcipiens, ait : « Vigilate et orate, ne intretis in tentationem (*Matth.* XXVI, 81). » Multum ergo contra omnes diabolicas tentationes possunt vigiliæ et orationes. Si Domino in navicula dormiente discipuli timuerunt, et donec vigilaret securi esse non potuerunt; quomodo dormiente, vel non vigilante pastore esse poterunt oves securæ? Noe dormiens verenda discooperuit, quod Cham ejus filius vidit et irrisit. Vigilent igitur prælati, ne fiant subjectorum risus et opprobria fiant. Lot quoque dormiens filias corrupit, qui si vigilasset, sui ipsum memoriam habuisset, et nunquam tantum scelus fecisset. Et tu igitur homo quicunque securus dormis, et utramque filiam, animam videlicet, et carnem violas et perdis, dum eas per illicita vagari et fornicari permittis. De divitibus scriptum est; « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (*Psal.* LXXV, 6). » Quoties ergo divites dormiunt, quoties ipsi sapientes, qui cœlestibus thesauris divites sunt, otio et negligentiæ se tradunt; toties veras et spirituales divitias amittunt. Duæ meretrices coram Salomone contendebant inter se, quarum altera filium interfecerat; dormiens quippe oppressit eum; altera autem tam negligens et somnolenta fuit, ut de sinu ejus ipsa nesciente filius ejus subtrahi potuerit. Ambæ malæ, ambæ meretrices erant istæ, quæ tam negligentes et tam somnolentæ fuerant. Altera tamen pejor, quæ postquam filium interfecerat, alterius quoque filium occidere conabatur. In Evangelio etiam scriptum est, quod « homo quidam seminavit bonum semen in agro suo, et dum dormirent homines, venit inimicus homo, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit (*Matth.* XIII, 24). » Gaudeant igitur vigilantes et providi, ut **579** quorum messem inimicus intrare non valet, quorum bona opera suæ falsitatis semine violare non potest. Timeant autem dormientes et negligentes, ne bonum semen verbi Dei, quod in suis pectoribus seminatum est, ab hoc inimico diripiatur. Et sicut alibi in Evangelio legitur : « Venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant (*Luc.* VIII, 12). » « Beati enim qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud (*ibid*, XI., 28). » Quod ipse nobis præstare dignetur, qui vivit, etc.

SERMO VII. DE EISDEM.

Dominus et Salvator noster in Evangelio loquitur, dicens : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). » Unde Psalmista ait : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (*Psal.* L, 12). » Illud cor mundum non est, quod odio et iniquitate et malis cogitationibus plenum est. De quo ipse Dominus ait : « Ex corde exeunt cogitationes malæ, fornicationes, furta, homicidia, adulteria, falsa testimonia, et similia, quæ coinquinant hominem (*Matth.* XV, 29). » Talia ergo corda munda non sunt. « Ex abundantia enim cordis os loquitur (*Luc.* VI, 45), » quod ex corde abundat, manifestatur. Illud cor mundum est, in quo non vana et falsa, sed sermones et eloquia Dei reposita sunt. Quales videlicet habebat ille qui dicebat : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (*Psal.* CXVIII, 11). » Unde et Salomon ait; « Omni custodia serva cor

« Publicanus percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori (*Luc.* XVIII, 13), » qui cordis consilio se peccasse, et Deum offendisse intelligebat. Hinc est, quod sacerdotes de omni oblatione pectusculum, et armum dextrum suscipiunt (*Levit.* VII), ut bene cordati, et pectorosi, cunctis ad se venientibus de bono thesauro cordis sui bona et utilia consilia reddere valeant. Multa corda illis necessaria sunt, qui aliorum hominum corda suis consiliis replere, et omnibus se interrogantibus de multis quæstionibus respondere debent. Hic est utique thesaurus noster; hic repositæ sunt divitiæ nostræ, ideoque omni custodia et diligentia servemus, et custodiamus corda nostra. Inter alia ornamenta sacerdotalia, rationale judicii, jubente Deo, factum est, quo pectus, et cor pontificis ornaretur et muniretur, et quasi signo superposito thesaurus internus repositus ostenderetur (1917). Erat autem rationale judicii quadrangulum, et duplex ad mensuram palmi, factum ex auro, et hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere polymito. Habebat autem lapides duodecim in quatuor ordinibus positos, in quibus sculpta erant nomina duodecim filiorum Israel. ipsum nomen ejus magnum aliquid in hoc ornamento significari ostendit, in eo videlicet, quod non solum rationale, sed rationale judicii vocatur. Considerare namque debet ille cujus pectus tali ornamento ornatum est, ut judicia, quæ inde exeunt rationabilia fiant, et nunquam a justitia et ratione recedant. Respiciat semper episcopus ad rationale, legat in libro pectoris sui, videat quomodo vocetur; magna sapientia est, multum proficiens cognoscere nomen ejus. Hic solus liber sufficere posset, si tamen esset, qui intelligeret, quod per ipsum, et in ipso significatur. Videbant Judæi rationale hoc, sed non intelligebant, quod per ipsum significaretur. Illi hoc intelligunt, quibus Dominus ait: « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis (*Luc.* VIII, 10). » Quidquid in utroque Testamento continetur, totum hoc in ornamento figuratur. Unde et bene super pectus, et cor pontificis ponitur, ut in illo divini voluminis secretario totius veritatis, et scientiæ plenitudo esse intelligatur. Huc omnes accedant, hic omnes sapientiam quærant ad pontificis pectus, et ad ornamentum superpositum; et non tantum ejus pulchritudinem videre sufficiat: interrogent per singula, quid illi colores, quid aurum, quid lapides, et cætera quæque significent. Nam neque ipsa mensura significatione caret. Ad mensuram palmi factum est, illius videlicet, de quo scriptum est: « Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? » (*Isa.* XL, 12.) Cœli ergo, et rationale unius mensuræ sunt: « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Ps.* XVIII, 1). » Hanc scilicet gloriam, quæ in rationale continetur. Si quadrangulum rationale non esset, libri speciem, et formam non haberet. In ejus quatuor angulis quatuor Evangelia posita sunt. Habes ergo Novum Testamentum, habes et Vetus, quæ tibi ostendunt illa duodecim nomina filiorum **580** Israel, ex quibus Synagoga tota processit. Duplum est rationale, ut et tu in utroque Testamento duplicem intelligentiam quæras. Non enim ad litteram solam intelligere sufficit; nisi et spiritualis addatur intellectus. Vides ibi aurum; ad puritatem et pulchritudinem, ad totius animæ, corporisque decorem, et claritatem te invitat. Exemplum tibi dat, quam purus, et ab omni corruptione mundus esse debeas. Si qua adhuc corruptio est in te, tolle illam, donec ad auri puritatem et pulchritudinem totus redigaris. Quatuor autem colores, quos ibi vides, quatuor sunt virtutes principales; prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia. His quatuor virtutibus regitur mundus quæ ita inter se conjunctæ sunt, ut una sine reliquis esse non valeat. Ubi enim sapientia est, ibi justitiam, fortitudinem et temperantiam esse oportet. Similiter autem ubi justitia est, ibi sapientia est, fortitudo et temperantia. Sic est in aliis. Et hyacinthus quidem, quia est aerei coloris, ad sapientiam te provocat, quæ de sursum est; quia « omnis sapientia a Domino Deo est (*Eccli.* I); de qua Salomon ait: « Mitte eam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret (*Sap.* IX, 10). » Ipsa enim cæteris virtutibus altior est, et ejus fulgore cæteræ illustrantur. Purpura vero justitia est, quoniam et purpura, et justitia ad reges pertinet, qui et legum conditores sunt, et purpura specialiter induuntur. Quibus etiam dicitur: « Diligite justitiam qui judicatis terram (*Sap.* I). » (1918) Coccus autem qui rubri et sanguinei coloris est ad fortitudinem nos invitat, qua sancti martyres armati occidi quidem potuerunt, vinci non potuerunt. Est autem coccum bis tinctum, quia duplex est martyrii genus, quoniam non solum illi martyres sunt, quos tyranni interficiunt; verum et illi, qui carnem suam cum vitiis, et concupiscentiis crucifixerunt. At vero per lini candorem temperantia figuratur, quæ semper læta et asperum nihil ostendens, omnia ad concordiam, et pacem trahere conatur. Valde utile est, hos colores semper inspicere, et quid significent intelligere. Quid vero lapides significent, ipsa, quæ in eis scripta sunt nomina ostendunt. Duodecim igitur lapides duodecim patriarchæ, per quos duodecim apostoli significantur. Hos autem videre, hos semper in memoriam habere, horum fidem, et conversationem tenere, quam utile sit, quam necessarium, quid attinet dicere? Non solum autem duodecim patriarchæ, et duodecim apostoli in illis lapidibus significati sunt; verum etiam et tota utriusque Testamenti sanctorum omnium multitudo,

(1917) Eamdem expositionem præstat commentarius S. Brunonis in cap. XXVIII Exod.

(1918) Edit. cit. habet: *Coccum rubri et sanguinei coloris*, etc.

Digitized by Google

quæ ab istis viginti quatuor senioribus originem ducit. Inter hos omnes, et martyres omnes et confessores computantur. Ibi Stephanus et Laurentius, ibi Martinus et Benedictus, inclusi auro, multo splendore, multoque candore fulgentes, magnam nostris mentibus lucem infundunt. Ad hos semper intendamus, ad hos mentis oculos dirigamus, simulque cum Psalmista dicamus : « Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui (*Psal.* LXXVI, 6). » Beati qui hos lapides semper in pectore ferunt. Beati, qui horum memoriam in corde semper, et in pectore gerunt. Utinam beati Benedicti nomen, et memoriam semper in corde habeamus; quatenus dum ejus memores sumus, ejus vitam, et sanctam conversationem imitari semper, et tenere possimus. Quod autem in quatuor ordinibus terni lapides per singulos ordines dispositi erant, quid aliud significat, nisi quod quatuor Evangeliorum libri Trinitatis mysterium laudare non cessant, sed simul concorditer una voce, sine intermissione die noctequ clamant et dicunt : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, plena est omnis terra gloria ejus (*Isa.* LXI). » Qui vivit, et regnat, etc.

CAPUT III.

SERMO I. DE QUOVIS SANCTO.

« Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas; inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit universa, quæ habuit, et emit eam (*Matth.* III, 45). »

In exemplo et similitudine unius negotiatoris docet nos Dominus, et Salvator noster quales Ecclesiæ negotiatores fieri debeant. Dicit enim unum negotiatorem fuisse, qui in emendis margaritis operam dabat, cumque una pretiosa margarita multum ei laudata fuisset, et provinciam ubi eam quæreret, et hominem a quo eam emere didicisset; abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. Talis margarita non invenitur ubique; proprium enim locum habet, in quo sine labore non reperitur. Via quoque longa et difficilis est, qua ad eam pervenitur. Multi latrones, multa pericula, loca deserta, bestiæ diversi generis sunt in itinere, **581** et ipsa via angustissima est, quæ negotiatores ad eam perducit. Sed beatus ille, qui ad eam pervenire et eam habere potest. Non est magna quæstio de magno, vel parvo pretio, quo comparatur; divites namque et pauperes emere eam possunt; et multoties pauperes melius quam divites eam acquirunt. Magis affectu, et animo, quam pretio adipiscitur. Tantum valet, quantum habes. Ille digne eam emere, et possidere meretur, qui venditis omnibus eam emit. Ne timeas omnia dare; ipsa tibi sola sufficiet; nihil tibi deerit, si eam habueris. Omnia in illa possidebis, quæcunque tibi in desiderio fuerint, hypocritas fugit, avaros respuit. Qui vel ficte eam quærunt, vel plus quam ipsam; qui aliud cum ea diligunt, eam habere non possunt. Sponte se offert ex amore quærentibus eam, et qui multum eam diligit, nunquam in itinere ad eam veniendo errare potest. Et quod valde laudabile in ea est, ipsa a periculo eos defendit, qui eam amore et desiderio emere veniunt. Neque magnopere curat si corpore occidantur; quia facile ipsi est eos a mortuis suscitare. Hostes visibiles parvi pendit, qui in solo corpore potestatem habent. At vero invisibiles hostes magnum impedimentum faciunt negotiatoribus quærentibus eam. Insidiantes enim in itinere diversi generis bestias post eam mittunt. Alios avaritia, alios luxuria, alios superbia, alios invidia, alios vana gloria, alios ingluvies, atque alios inobedientia retardant. Sunt et multæ aliæ bestiæ, quas maligni spiritus negotiatoribus opponunt, ne ad hanc desiderabilem margaritam pervenire valeant. Hic est ille calculus, quem Dominus se dare promittit. Hoc enim in Apocalypsi Joannes apostolus ait : « Vincenti dabo calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum est, quod nemo scit, nisi qui accipit (*Apoc.* II, 27). » Datur ergo vincentibus hæc margarita, et nisi vincentibus non datur; ibi victoria, ubi pugna : « Nemo enim coronatur nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » Sic pugnavit hæc virgo, cujus hodie festivitas colitur, et ideo calculum candidum accipere meruit. Hæc igitur margarita, vita æterna, beatitudo, summum bonum intelligi potest, quod utique quale sit, nemo scit, nisi qui accipit. Unde Apostolus ait : « Quoniam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II, 9). » Nemo id scire potest, quod in cor hominis non ascendit. Tales sunt negotiatores Ecclesiæ Dei, qualis iste negotiator est; quem Dominus ad exemplum proposuit, qui inventa una pretiosa margarita vendidit omnia bona sua, et comparavit eam. Sic Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes, quos de piscatione vocavit; mox relictis retibus secuti sunt eum. Sic et cæteri apostoli, sic martyres, et confessores, sic et monachorum ordo, qui non solum sua relinquunt, verum etiam seipsos hujus margaritæ desiderio servituti subjiciunt. Hic est ille thesaurus in agro absconditus, quem qui invenit homo, abscondit, et venditis omnibus eum emit. De quo et Salvator noster cuidam se interroganti respondit : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo (*Matth.* XIX, 12). » Quid est enim habebis thesaurum in cœlo, nisi habebis margaritam illam pretiosam, habebis vitam æternam, beatitudinem, summum bonum, calculum candidum, et in eo nomen scriptum est, quod nemo scit, nisi qui accipit? His verbis apertissime docemur, quod Salvator noster ipse est, qui et margaritam, et locum ejus, et pretium ejus, et vitam per quam ad eam veniretur negotiatoribus ostendit. Nam et ipse negotiator est, et tales margaritas vendere solet. Unde et in Apocalypsi Laodiciæ episcopo dicit : « Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum ut locuples fias (*Apoc.* III, 28). » Sed iste

Digitized by Google

bonus negotiator omni pietate, et misericordia plenus, contra aliorum consuetudinem vilius vendit, et charius emit. Vili pretio vendit sua, magno aliena. Unde, et nobis, qui ejus sanguine empti sumus, Apostolus loquitur dicens : « Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI, 20). » Si enim in hac commutatione, quæ inter ejus sanguinem et nostram redemptionem facta est, considerare velis, quid datum, et quid acceptum sit, facile intelliges maxima pro minimis eum dedisse. Venit igitur iste nobilis negotiator, afferens secum maximas merces, quibus mundus perditus redimeretur. Sed quid emit? Res vilissimas, oves debiles et infirmas. Non quod ei necessariæ essent, sed ut eas sanaret, recrearet, et in loco pascuæ collocaret. Ipse enim est ille pastor bonus, qui posuit animam suam pro ovibus suis; qui relictis nonaginta novem in deserto, unam venit quærere, quæ perierat. Unde et ejus nativitas primum pastoribus nuntiata est. Decebat enim, ut homines ejusdem officii primi venienti occurrerent. Talis est enim hominum consuetudo, ut ad loca extranea venientes primum sui officii homines quærant. Dato igitur magno pretio, paucas oves emit, sed bonas et fecundas, et ex quibus multi greges ovium nati sunt. De qualibus in Canticis canticorum dicitur : « Dentes tui sicut greges tonsarum ovium, quæ ascenderunt de lavacro omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis (*Cant.* IV, 2). » Bonæ oves, quæ baptizatæ et super nivem dealbatæ sunt. Bonæ oves, quæ tonsæ et exspoliatæ, omnia propter Deum relinquentes, nihil proprium habere volunt. Bonæ oves, inter quas nulla sterilis est, **582** quarum unaquæque gemellis fetibus, doctrina scilicet, et operatione decoratur. Et tales quidem debent esse Ecclesiæ dentes; tales debent esse episcopi et sacerdotes, et quicunque in Ecclesia dentium officium suscipiunt, et qui cibis spiritualibus aliis nutriunt, ita candidi, ita mundi, ita fecundi, ita omni sarcina superflua, et nociva exspoliati esse debent; omnes enim ad illarum ovium pulchritudinem formandi sunt, quæ primæ de lavacro ascenderunt, per quas videlicet sanctos apostolos intelligimus, et cæteros, qui illis temporibus crediderunt, « quibus omnibus erat cor unum et anima una, et (1019) nemo dicebat aliquid esse suum, sed erant illis omnia communia (*Act.* IV, 32); » unde et Apostolus ait : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (*I Cor.* XI, 1). » Has igitur oves imitari debemus, quia ex illis geniti sumus. « In Christo enim Jesu, ait Apostolus, per Evangelium ego vos genui (*I Cor.* IV, 15); » in grege enim Dei, in populo Dei, non nisi oves sunt. Esto patiens, et innocens; esto humilis, et mansuetus; lacte tuo nutriantur infantes, et lanis tuis vestiantur pauperes Bona ovis beatus Paulus, qui lupus fuerat, nata de tribu Benjamin, qui lupus rapax interpretatur. Duo sunt propter quæ Salvator noster in mundum venit: unum videlicet, ut oves emeret, alterum ut negotiandi artem doceret. Utrumque factum est, quia illæ emptæ, et redemptæ sunt, et isti docti, et instructi sunt. Iste est, qui « peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua, dicens (*Matth.* XXV, 14) : »—« Negotiamini dum venio (*Luc.* XIX, 13). » Docuit eos, quid debeant, et ubi veras divitias inveniant. Dedit pretium, viam ostendit, et ubi margarita tam pretiosa inveniatur, edocuit illam quærendam, illam emendam, illam tenendam, illam cunctis divitiis et honoribus præferendam docuit, quia illa sola est, quæ possessores suos beatos et æternos facere potest. Illa ducit homines ad summum bonum, supra quod non est aliud bonum, quo habentur, et possidentur omnia bona. Hoc bonum in hoc mundo inveniri non potest. Nemo enim in hac vita tam dives, et tam felix, et tam potens aliquando fuit, cui aliquid non deesset, quod habere voluisset. Cui vero aliquid deest, et cui sua non sufficiunt, nondum ad ultimum, et summum bonum pervenit. Si enim ad ultimum bonum pervenisset, nullum bonum esset, quod desiderare potuisset. O quanta bona sunt, quæ ditissimi, et potentissimi hujus mundi ardentissime concupiscunt, et habere non possunt! Aut enim sanitatem, aut sapientiam, aut aliquid aliud, quod enumerare longum est, semper hi tales minus habent. Non sunt igitur beati, neque ad summum et ultimum bonum pervenire valent, qui in talibus bonis, tantisque deficiunt. Soli itaque nostri negotiatores regni cœlorum sunt sapientes, qui caduca, transitoria et fugitiva bona despicientes, mundi hujus honores et dignitates pro nihilo ducentes, ad illud solummodo bonum tendunt, quod est summum, et supra quod non est aliud bonum, in quo se possidere confidunt omnia bona. Quod nobis, etc.

SERMO II. DE APOSTOLIS, ET EVANGELISTIS ET DOCTORIBUS.

« Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt, etc. (*Matth.* XIII, 47). » Quære in lib. De novo mundo, et sermone qui de mari et piscatoribus novis inscribitur. Cui titulus : *Hoc est mare magnum.*

SERMO III DE EVANGELICÆ LEGIS PRÆDICATIONE.

« Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, et vetera (*Matth.* XIII, 52). »

Regnum cœlorum, regnum angelorum, regnum apostolorum sancta Ecclesia est; quoniam cœlis munitur, cœlis clauditur, cœlis regitur, et defenditur. De quibus scriptum est : « Cœli enarrant gloriam Dei. » Omnis igitur scriba doctus, omnis Ecclesiæ prædicator, qui in regno cœlorum, in regno

(1919) Cod. Vat. : *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, dicebat*, etc.

Digitized by Google

sanctorum apostolorum prædicandi, et docendi officium suscipit, similis debet esse homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo, de secreto pectoris sui, de secretario cordis sui nova, et vetera. Considerare debet ubi sit, in quo regno et in qua domo sermonem facit. Aliter enim in regno cœlorum, et aliter in Synagoga Judæorum loquendum est; aliter in palatiis imperatorum, et aliter in tuguriis pauperum divitiæ dispensandæ sunt. Cogitet, qui magistri, qui principes, qui dispensatores in illo regno, et **583** in illa familia fuerint ante se. Illos imitetur, illorum mores, et vitam sequatur; illorum lingua, et sermone loquatur. « Non sunt, inquit, loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum (*Psal.* XVIII). » Proferebant igitur de thesauris suis nova et vetera, sed de omni lingua, et sermone loquebantur. Modo Novi, modo Veteris Testamenti divitias proferebant. Inde igitur est quod sponsa ad sponsum loquitur dicens : « Omnia poma nova et vetera servavi tibi (*Cant.* VII, 13). » Si nova poma et vetera sunt, novas quoque et veteres arbores esse necesse est. Veteres arbores patriarchæ et prophetæ, novæ vero apostoli et doctores intelliguntur. Habent illi sua poma, habent isti et sua. Utraque bona sunt, et hæc et illa servanda et custodienda sunt. Sicut arbores diversæ, ita et poma diversi generis inveniuntur. Quædam enim sunt, quæ cruda, et simul cum cortice manducari possunt; quædam vero nisi cocta et cortice exspoliata fuerint, ad comedendum idonea, et suavia non sunt. Hoc autem in arboribus nostris, et in arboribus utriusque Testamenti reperire non est difficile; quorum quidem poma sermones sunt, et sententiæ. Lege in libris Moysi, et diversi generis poma invenies, quæ neque ab omnibus, neque uno modo comedi possunt. Quædam enim ibi sunt, quæ ipsi quoque infantes sine difficultate suscipiunt; qualia sunt : « Honora patrem et matrem; non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui (*Luc.* XVIII, 20). » Hæc enim, quia secundum litteram intelliguntur, nulli ad comedendum difficilia sunt. Ipsum autem intelligere, comedere est. Quædam vero ibi reperies, quæ vix ipsi juvenes rodere possunt, et paucorum est ea coquere, et cortice exspoliare. Hoc enim episcoporum et sacerdotum officium est. Velut cum legitur de domo leprosa, de arboribus circumcidendis, de agris non diverso semine serendis, et multis aliis, quæ si ad litteram intelligantur, vana esse videntur; si autem spiritualiter, infirmis mentibus sunt proficua. Dat legem Moyses in quodam loco (*Levit.* XXV), ut si quis in civitate, quæ muros habet, domum suam vendiderit, usque ad completum annum, redimendi habeat potestatem. Finito vero anno nec redimere, nec in jubilæo recuperare poterat. Hæc litteraliter a Judæis observabatur; sed spiritualis sensus in ea continetur. Est enim hæc civitas Ecclesia, cujus murus ex lapidibus pretiosis est. Unde etiam scriptum est : « Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus, et antemurale (*Isai.* XXVI 1). » Hanc autem suam domum vendit, qui criminalia peccata committit. In cujus etiam persona Apostolus ait : « Lex quidem spiritualis est : ego autem carnalis venundatus sub peccato. Qui enim facit peccatum servus est peccati (*Rom.* VII, 14). » Annus autem, in quo redimendi potestas datur, tota uniuscujusque vita præsens intelligere est. Potest igitur homo redimere domum suam, carnem suam, seipsum totum quanto tempore in hac vita est. Hac vero vita finita, jam redimendi potestatem non habet. Redemptio autem in sola pœnitentia est, et ideo qui sine pœnitentia moriuntur, nulla eis redemptio manet, nec in ipso quidem Jubilæo; quoniam ultima sententia suscepta, ad æternæ festivitatis gloriam transferentur sancti. Huic autem sententiæ simile illud esse videtur, quod in Evangelio Dominus ait : « Ambulate, dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant (*Joan.* XII, 35). » Et Apostolus : « Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes (*Gal.* VI, 10). » Et alibi : « Secundum duritiam tuam, et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* II, 5). » Ecce ista nova, et illa vetera sunt. Sed si velimus videre diligentissimum patremfamilias de thesauro suo nova, et vetera proferre, audiamus Salvatorem nostrum de cœlo dicentem : « Audistis quia dictum est antiquis : Non occides, qui autem occidit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia is qui irascitur fratri suo, reus erit judicio : qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio ; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis (*Matth.* VII, 21). » Et illa quidem, quæ antiquis dicta sunt, vetera sunt; quæ autem ipse dixit, nova sunt. Vetera præcepta homicidium interdicunt; nova vero non solum homicidium, verum etiam iram et omnem injuriam prohibent. Et quicunque fratrem suum offenderit, et contra se commotum et indignatum intellexerit, si in sua malitia et superbia perseveraverit, et fratri suo reconciliari despexerit, quia charitatis pacisque vinculum solvit, sine qua, ut Apostolus ait, nemo Deum videbit, reus erit non solum judicio, vel concilio, verum etiam gehennæ ignis. Hoc enim ipse Dominus manifestat cum dicit : « Si offeras munus tuam ad altare, et recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum (*Matth.* V, 23). » Qui enim peccant, et pœnitere nolunt, eorum munera abominatur Deus. Itemque audistis, quia « dictum est antiquis, oculum pro oculo ; ego autem dico vobis non resistere malo, sed quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi et alteram (*ibid.*, 39). » Dic ergo, cui non licet resistere, quomodo injuriam facere licet? « Audistis, quia dictum est antiquis, diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benedicite his qui oderunt vos (*ib.*,

Digitized by Google

44). » Hæc autem, et his similia Salvator noster cum diceret, de nobili illo sui **584** cordis thesauro nova et vetera proferebat, et scribas doctus in regno cœlorum sibi similes esse volebat. Proferamus igitur et nos nova, et vetera, non autem de thesauro nostro, sed dato nobis a Domino Deo nostro. Duos magnos thesauros habemus, alter novus, alter vetus; de his et aliis necessaria nobis suscipiamus; de his nova, et vetera proferamus, quibus Dei familiam nutriamus, vestiamus, regamus, doceamus, simul cum ea ad æternam beatitudinem pervenire valeamus; ipso adjuvante, etc.

SERMO IV. DE VIRGINIBUS.

« Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum : prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus, etc. (*Matth.* xv, 1). »

Regnum cœlorum Ecclesia est, cujus omnes filii, et si peccatores sint. ad comparationem aliarum gentium virgines sunt, quoniam ipsi Christi sanguine soli redempti, et ex aqua et Spiritu sancto regenerati, a prima illa corruptione mundati sunt, quia omnis humana natura suam virginitatem amisit. Cum autem omnes istæ virgines non sunt plures, quam quinque, et quinque decem esse probantur, et non plures. Quinque enim sunt corporis sensus, qui per istas virgines significantur; visus videlicet, auditus, gustus, odoratus, et tactus. Sed quia in duas partes isti dividuntur, id est in fatuos, et prudentes, in denarium numerum eum conscendere non dubium est. Omnis igitur homo quinque virgines habet, sive fatuæ, sive prudentes sint. Prudentes autem illæ sunt, quæ peccare timent, et bona agere concupiscunt. Ubi enim prudentia est, ibi peccatum locum non habet. Unde et philosophi dixerunt, quod sapientes non pœnitebit. Quem enim pœniteat, qui pœnitentiæ opus non agit? Hac enim sapientia præditus erat ille, qui dicebat : « In omni vita mea non reprehendit me cor meum (*Joan.* xxvii, 6). » Sapientes sunt illi, de quibus dicitur : « Oculi mei semper ad Dominum (*Psal.* xxiv, 15); » et ille de quo scriptum est : « Defecerunt oculi mei in eloquium tuum (*Psal.* lxviii, 4). » Et, « ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis (*Psal.* cxxii, 1). » Beatus quoque Martinus sapientes oculos habebat; de quo legitur. Oculis ac manibus in cœlum semper intentus erat. Tales habebat, qui ait : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de virgine (*Joan.* xxxi, 1). » Sapientes quoque aures vaniloquiis, mendaciis, detractionibus, et verbis otiosis non delectantur. Et tales quidem aures requirebat Dominus cum diceret : « Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* viii, 8). » Unde et amici beati Job omnes ei inaurem auream unam, et ovem unam dedisse leguntur. Servus quoque Abrahæ inveniens Rebeccam, inaures aureas et armillas ei dedisse narratur. Boni et illi, qui Domini diligentes aures perforatas habent. Similiter autem et gustus ille sapiens est, cui non crapula, et ebrietas, sed jejunium, et abstinentia delectabilis est. Qui non cibos superfluos, et delicatos, sed mensuratos, salubres et necessarios quærit. Ille quoque odoratus sapiens est, qui non trahit animam ad peccandum, neque illicitis odoribus delectatur. Et ego quidem nullum corpori sensum esse puto, in quo minus homo delinquat. Manus quoque illæ sapientes sunt, de quibus dicitur : « Manus suas aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem (*Prov.* xxxi, 20). » De quibus et Psalmista ait : « Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, et bene tibi erit (*Psal.* cxxvii, 2). » Et Apostolus : « Qui furabatur non furetur, magis autem laboret manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti (*Ephes.* vi, 28). » Manus sapientes non sunt otiosæ, sed semper in aliquo opere utili volunt esse occupatæ. Hæc autem de virginibus sapientibus dicta sunt; quas qui cognoscit, fatuas quoque ignorare non potest, quia enim tales non sunt, fatuas esse necesse est. Unusquisque homo suam virginem cognoscit; alienas cognoscere, difficile est. Multæ enim fatuæ sunt, quæ sapientes esse putantur. Sed hæc fatuitas in judicio manifestabitur; quia quæ prudentes, et quæ fatuæ sunt, tunc omnibus innotescet. Hoc autem in lampadibus cognoscetur, quæ vel cum lumine, vel sine lumine apparebunt. Quæ autem virgines in hac vita non corriguntur, nec de fatuitate ad prudentiam transferuntur, quales de hac vita exibunt, tales, et nihil in melius commutatæ in æternum supplicium ibunt. Cum enim dixerint ipsæ sapientibus, « Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur (*Matth.* xxv, 8), » dignam suis meritis responsionem accipient, neque pœnitentiæ fructum recipient, quia pœnitere noluerunt, ne forte inquiunt illæ, « non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes et emite vobis (*ibid.*, 9). » Hæc verba non compassionis, sed irrisionis esse videntur. Bonum tamen consilium esset, si hoc illæ facere possent. Noluerunt hoc facere, quando potuerunt; volunt modo, sed non possunt. Sed quid mirum si irrideantur **585** a membris Christi, quas, ut Psalmista ait, irridet et subsannat ipse Christus. « Qui habitat, inquit, in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos (*Psal.* ii, 4). » Suscipiunt illæ consilium, sed sine utilitate suscipiunt. Bonum quidem esse sciunt, sibi tamen serum et inutile esse cognoscunt. Pergunt ad olei venditores, non autem pedibus, sed desiderio pergunt. Quid est autem desiderio pergere, nisi pigre desiderare? Sic omnes, qui in inferno sunt, quotidie ad nos revertuntur, quoniam hoc solo desiderio fatigantur, ut eis revertendi licentia, id est commeatus detur. O si licentiam habere potuissent, quanto studio virgines suas vanitates et sensus suos ab illa prima fatuitate ad prudentiam revocare laborassent? Quomodo oculos a vanitatibus averterent, aures detractionibus et

Digitized by Google

malis consiliis clauderent, gustum a crapula et ebrietate compescerent? Quomodo nares ab illicitis odoribus amoverent, et manus eleemosynæ et misericordiæ operibus præpararent? Non ultra despicerent olei venditores, non ultra despicerent episcopos et sacerdotes. Isti enim sunt, qui oleum vendunt; isti sunt, qui nos misericordiæ opera facere docent; quæ videlicet opera, quicunque non habuerit, lampades quidem habebit, oleum et luminis nutrimentum in judicio non habebit. « Dum autem irent emere, venit sponsus, et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua (*Matth.* xxv, 10). » Nunquam hoc iter finietur eis, quia nunquam hoc desiderium recedet ab eis. Sed dum illæ in hoc desiderio laborant, dum miseri homines scipsos accusant, et sua facta reprehendunt, subito veniet Dominus, qui reddet unicuique secundum opera sua. Et tunc quidem janua cœli aperietur bonis, et claudetur malis. Ibunt illi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Quod ipse præstare dignetur.

SERMO V. DE SANCTO MICHAELE ARCHANGELO.

« Factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus, et non prævaluerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo (*Apoc.* xii, 7 et 8). » Et projectus est in terram serpens ille antiquus, qui est diabolus, et Satanas, et omnes angeli ejus in terram missi sunt. Magnum prælium, in quo Michael princeps angelorum pugnat cum diabolo principe dæmoniorum. Hoc prælium quotidie fit in Ecclesia; quoniam Ecclesia cœlum vocatur. Lege in Evangelio, et ubicunque Dominus dicit: Simile est regnum cœlorum illi, et illi specialiter et proprie de S. Ecclesia intelligitur. Similiter autem et in Apocalypsi frequenter Ecclesia cœlum vocatur. De Ecclesia igitur hoc intelligitur, quamvis etiam si de alio cœlo hoc intelligatur, non omnino inconveniens esse videtur. Manifestum enim est quod inde propter superbiam suam draco projectus est. De quo et Propheta ait: « Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris: qui dicebas in corde tuo. In cœlum ascendam, super astra cœli ponam solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, et ero similis Altissimo (*Isai.* xiv 12-14). » De quo in Evangelio Joannis Dominus ait: « Quoniam ab initio mendax fuit, et in veritate non stetit (*Joan.* viii, 44). » De quo et Dominus alio in Evangelio: « Videbam, inquit, Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* x, 18). » Constat igitur quod inde cecidit, sive angelorum virtute et potestate, sive sola Dei voluntate eum ad inferiora præcipitante. Multa enim angelorum ministerio operatus est Deus; qui si voluisset, solo nutu facere potuisset. Quid enim est quod ipse non possit? Omnia in ejus voluntate sunt posita, et nihil est quod ejus voluntati resistere possit. Quomodo enim ibi malignus spiritus præliari et resistere sanctis angelis potuisset, nisi forte præliandi desiderio et prava voluntate? Non facile patet. At vero in Ecclesia manifestum est, talia quotidie prælia fieri. Est autem inter bonos et malos angelos iste mundus divisus, et aliquando boni angeli super malos, aliquando mali super bonos prædam, et rapinas non modicas faciunt. Unde infinitæ lites et implacabiles, et magna quotidie prælia sunt inter eos. Unde et quidam angelus ad Danielem loquitur, dicens: « Noli timere, Daniel, quia exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos. Princeps regni Persarum restitit mihi viginti uno diebus: et ecce Michael, unus de principibus, primus venit in adjutorium meum (*Dan.* x, 12-13). » Princeps autem iste regni Persarum unus aliquis de malignis spiritibus intelligitur, qui Persarum regno et populo præsidebat, et ad suæ voluntatis et iniquitatis opera concitabat, et Dei populo, qui captivus ibi detinebatur, magnum impedimentum faciebat. Sed Michaelis archangeli auxilio, et Danielis orationibus, quas auditas dicit, princeps iste iniquitatis superatus esse ostenditur. Ecce quomodo inter se boni et mali angeli præliantur. Ecce quomodo regna et provincias, quibus præpositi sunt defendere et expugnare contendunt. Sunt enim quidam gradus inter bonos angelos et 596 inter malos, quibus nimirum præferuntur; unde et beatus Dionysius Areopagita in libro De hierarchia tres angelorum dispositiones esse dicit (1920). Et in prima quidem dispositione cherubim et seraphim, et thronos. In secunda autem potestates, virtutes et dominationes. In tertia autem, quæ ultima est, angelos, archangelos et principatus. Et sicut ipse ait, quædam secreta divini consilii aliquando revelantur illis qui in prima dispositione sunt, quæ tamen inferiores dispositiones ignorant. Quæ vero inferioribus revelantur, superiores ignorare non possunt. Qua in re non parva inter eos differentia esse monstratur. Et spiritus quidem omnes vocantur, angelorum vero nomen officii est, non naturæ. Unde scriptum est: « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis (*Psal.* ciii, 4). » Qui enim ibi spiritus solummodo sunt, quando mittuntur angeli fiunt. Isti igitur vero nomine angeli vocantur, qui ad hujus mundi regimina et custodiam nobis a Deo missi sunt, inter quos beatus Michael obtinet principatum, qui non solum angelus et archangelus, verum etiam angelorum et archangelorum princeps vocatur. Multos enim angelos et archangelos habet ipse sub se, et per regna, et provincias, et per civitates ordinatos. Sicut enim in mundi hujus potestatibus videmus; ita isti alii super multos, alii super paucos, alii super nullos obtinent principatum. Et isti quidem ab his qui majores sunt, ad singularem custodiam dati sunt; sicut Dominus in Evangelio ait: « Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident

(1920) Lib. i, cap. 6, 7, 8, 9. Vid. dissert. Nicolai de Nourry, de operibus S. Dion. Areopag. iterum editam a D. Placido Sprengher, tom. I Thesaur., pag. 235, edit. Wirceburgi an. 1784.

Digitized by Google

faciem Patris mei, qui in cœlis est (*Matth.* XVIII, 10). » Et Apostolus : « Omnes, inquit, sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14). » Sunt igitur principatus, qui archangelis præsunt; archangeli vero sunt, qui solis angelis dominantur. Vide ergo quantas gratias beato Michaeli archangelo debeamus, a quo angelos accepimus nobis ministros ad custodiam ordinatos. De quo et Danieli idem, qui modo superius angelus ait : « Nunc annuntio tibi, quod expressum est in Scriptura veritatis; et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael archangelus princeps vester (*Dan.* X, 21). » Iste igitur cum angelis suis non cessat die ac nocte præliari contra draconem illum, qui est diabolus, et Satanas, qui quoniam in cœlo, id est in sanctis hominibus habitare non potest, in terram projectus est, per quam peccatores significantur, ut eam comedat et devoret, et disperdat omnibus diebus vitæ suæ (1921). De quo et Psalmista ait : « Draco iste, quem formasti ad illudendum ei (*Psal.* CIII, 26). » De quo et ipse Dominus ad beatum Job loquitur, dicens : « Et nunquid poteris extrahere Leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus (1922)? » (*Job* XL, 20.) Nunquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis suis? Non est potestas super terram, quæ ei comparari possit, qui factus est, ut neminem timeat; omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiæ. Absorbebit fluvios, et non mirabitur, et habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus. Considera modo qualis est iste, quam fortis et quam potens, cum quo Michael archangelus prælietur. Sed quia Michael, qui *sicut Deus* interpretatur, ipso suo nomine nos ad prælium confortat, qui quoniam Deo similis esse voluit (1923), præcipitatus est. Adhuc tamen non quiescit, et qui sua superbia talis factus est, ut timere nesciat, et nisi potestates quæ super cœlos sunt, quæ a cœlestibus veniunt, ejus superbiæ et fortitudini resisterent, nulla super terram potestas est, quæ ei resistere potuisset. Nemo enim in suis viribus glorietur; quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui draconis hujus sævitiam et fortitudinem evadere potuisset, nisi suorum nos Dominus custodia angelorum munivisset? Absorbebit enim fluvios, et non mirabitur; pro nihilo ducit, quod omnes mundi hujus populos et nationes devorat et perdit, nisi et Jordanis ipse influat in os ejus. Sunt enim escæ ejus electæ, non vulgus et populum indisciplinatum; sed optimos quosque persequitur : ipsos quoque episcopos et sacerdotes multoties invadit (1924). Nullum alium fluvium sic absorbere desiderat, sicuti illum in quo Dominus baptizatus est, per quem videlicet baptizatorum populus figuratur. Aquæ multæ populi multi; multi fluvii multæ gentes sunt. Unus vero fluvius Jordanis, unus est solus populus Christianus. Hunc persequitur draco iste, et propter hunc cum angelis prælietur, qui aliquando, sicut scriptum est, tracturus est caudam, et separabit tertiam partem stellarum cœli. Cauda draconis Antichristus erit; ipse ultimus et maximus filius perditionis dabit signa et prodigia multa; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. « Quem, sicut Apostolus ait, Dominus **587** Jesus interficiet spiritu oris sui, et auferet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 8). » Et tunc quidem, sicut in Daniele scriptum est : « Consurget Michael archangelus princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui; et veniet tempus, quale non fuit, ex eo quo homines esse cœperunt usque ad tempus illud (*Daniel.* XII, 1). » In tempore illo, ut dicitur Danieli, « salvabitur omnis populus tuus, qui inventus fuerit scriptus in libro vitæ. » Et multi de iis qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut vivant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (*ibid.*, 1-3). » Ecce totum prælium factum est, et draco iste magnus superatus est, et simul cum omni exercitu suo in tenebras præcipitatus est. Restat ut bonis et malis veniat tempus, ex quo homines esse cœperunt. « Væ mundo a scandalis (*Matth.* XVIII, 7); » sed bonis necesse multumque utile est ut veniant scandala; « verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit (*ibid.*). » Si ergo manus tua, vel pes tuus scandalizat te, si pater, vel mater, vel frater, vel aliquis alius, qui quasi propria membra tibi sunt, et quos quasi pedes, manus et oculos diligis, aliquo malo consilio, vel prava conversatione te a Deo separare voluerit, hunc a te separa, et quasi hostem fuge. Melius enim est tibi ut solus vivas, quam cum parentibus et propinquis pereas. « Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quod angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est (*ibid.*, 10). » Qui vivit, et regnat, etc.

(1921) Cod. Vat. et edit. cit. : *Behemoth, quem feci tecum, fenum quasi bos comedet.* Et nunquid, etc.

(1922) *Nunquid illudes ei quasi avi, et ligabis eum ancillis tuis?*

(1923) Cod. Vat. et editio. : *Nos ad prælium confortat, et ne illum timere debeamus hortatur. Qui quoniam Deo similis esse voluit*, etc.

(1924) Cod. Vat. : *Sed meliores quosque persequitur, ipsos quoque episcopos*, etc.

Digitized by Google

INCIPIUNT TRACTATUS
S. BRUNONIS ASTENSIS.

TRACTATUS PRIMUS.

DE INCARNATIONE DOMINI ET EJUS SEPULTURA.

Verbum Dei sicut in principio in sexta feria creavit hominem, ita in fine temporum, sexta hora sextæ feriæ, sexta quoque ætate redemit eumdem. Sed in hac præcipua et admirabili redemptione, quatuor esse consideranda videntur : Quare Filius Dei incarnatus sit, et non alius. De requie sepulturæ, quibus etiam auctoribus credatur ipse descendisse in infernum, et quantum spatii in sepulcro jacuisse. Homo a Deo quasi mane est conditus, quia retinens Dei similitudinem veræ luci proximus videbatur. Poterat enim de propinquo Deum cernere, scilicet in se et per se, nulla re extrinseca interveniente. Sed et propinquitatem pariter et similitudinem amisit, dum se inobedientiæ malo subjecit. Solet enim sol et humorem propinquus contrahere, et recedendo relaxare. Sic et verus sol, id est Dominus noster, « qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9), » fragilitatem, id est contagionem, quæ inhæret homini de limo plasmato, sicut sua præsentia desiccaverat, sic recedendo relaxarat. Unde post culpam a Domino audire meruit : « Adam, ubi es? » (*Gen.* III, 9.) quasi et longinquus propinquitate, et diversus similitudine. Occiderat enim et sol justitiæ, incumbente peccati nocte. Verum omnipotens et misericors Deus, ne ad impotentiam, vel insipientiam sua facta redirent, quoniam ipse vere potens et perfecte est sapiens, angelicum ordinem per malitiam lapsum, quopiam de homine justo jam restaurare non poterat, de injusto, quod erat difficile, stabilivit redimere. Igitur prius ipsum hominem a potestate diaboli eripere, et sic demum ipsam naturam angelicam recuperare disposuit (1925); et hoc non sine immolatione. Sed quia in unoquoque **588** sacrificio, quatuor videntur convenientia, scilicet, cui offeratur, a quo, et quid, et pro quibus, in hoc quoque, quod pro salute totius generis humani fieri oportebat, eadem competentia non immerito aderant. Nam si horum aliquid in qualibet immolatione defuerit, non solum idipsum sacrificium non A proderit, verum etiam sæpissime obesse manifestatur, velut etiam in Veteri Testamento multotiis declaratur. Cum Moyses montem ascenderet, et pro lege accipienda quadraginta diebus cum Domino loqueretur, suaque visione jucundissime frueretur, Israeliticus populus non Deo, sed conflatili vitulo sacrificia immolabat (*Exod.* XXII, 4), eique insultans, ab ipso Domino legitur perculsus, et valida morte damnatus; tantum ut ex illo peccato amisit viginti tria millia hominum. Quod denotat Psalmista, dicens : « Et fecerunt vitulum in Oreb, et adoraverunt sculptile (*Psal.* CV, 19), » etc. Deinde sequitur : « Et dixit, ut disperderet eos (*ibid.*). » Propter peccatum enim illud a serpentibus sunt dispersi. Unde diligentissime hæc hostia, cui immolaretur, oportebat perscrutari. Quidquid est, aut creatura aut Creator est. Videamus utrum Creatori an creaturæ dignum fuerat immolari. Justum vero et rationabile videtur, et habetur ab omnibus, ut non creaturæ, sed Creatori debeatur oblatio. Restabat igitur ut cum magna dispensatione creatura Creatori immolaret. Sed quoniam creaturarum magna est differentia, quia alia sensata, alia insensata creatura habetur, subtiliter pensandum est, si a sensata, vel ab insensata offeretur hoc sacrificium : quoniam sæpissime accidit, ut si sacrificium ab indigno oblatum fuerit, revera et ipsum sacrificium non acceptum, et illum qui obtulerit invenimus condemnatum. Sicut in Numeris legitur (*Num.* XVI, 32) Dathan et Abiron contra Dei voluntatem adversus Aaron, et ejus filios insultasse, et sacrificium in tabernaculo Dei obtulisse. Verum quoniam eidem sacrificio indigni aderant, aperta terra, obruti sunt, et illos qui ibi aderant ab igne devoratos esse manifestatur : sicut in Psalmo dicitur : « Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super Synagogam Abiron. Exarsit ignis in Synagoga eorum, et flamma combussit peccatores (*Psal.* CV, 17). » Quoniam idem ignis, quo putabatur puniri peccata, ab ara elatus ad injuste immolatos

(1925) Contra est doctrina D. Thomæ docentis I p., q. 64, art. 1, irremissibile fuisse peccatum angelorum, non ex gravitate culpæ, sed ex conditione naturæ, seu status, ubi affert illam Damasceni sententiam : « Hoc est hominibus mors, quod angelis casus. » Si vero illis verbis; « ipsam naturam angelicam recuperare disposuit, » intellexit S. Bruno cogitasse Deum salvare tot homines, quot angeli in superbiæ peccatum prolapsi perierant, consonans est cum cæteris Patribus ejus doctrina.

Digitized by Google

pervenit, eosque cremavit. Ergo indignum erat ut ab insensata hoc sacrificium offerretur. Restabat ergo ut a sensata immolatio fieret : sed quia inter sensata plurimum distat, quoniam cum alia rationalis, alia irrationalis creatura habeatur, videndum est utrum si ab irrationali creatura hoc sacrificium offerri debeat. Sed incongruum et nimis absurdum est, ut ab irrationali pro rationali ut quid immoletur. Constat ergo ut hæc immolatio a rationali fiat. Verum quoniam adhuc et inter rationales distat plurimum, si ab angelica creatura hæc immolatio fieri oporteret. Immolatio vero visibilis esse constat; angeli autem invisibiles sunt : verum visibile aliquid nequit offerri ab invisibili (1926). Constabat igitur ut ab homine hæc fieret oblatio. Duabus autem partibus consummatis, agendum est de reliquis, scilicet quid immolandum sit, et pro quibus. In auctoritate vero compertum est, ut hoc sacrificium par, aut exuberans esse debeat, pro quo offertur, et hoc sacrificium quod, ut diximus, aderat pro salute humani generis, æquale, et non minus debebat offerre. Ergo insensatum excludendum est et irrationale, sed rationale pro rationali condecens hostia aderat. Inter rationale vero, quoniam adhuc differt nimium, animadvertendum est, si aut de homine, aut de angelo immolari oporteat, uterque etenim ratione viget. Homo vero tanta hostia nullus inveniebatur dignus, quoniam omnes homines et originali, etiam et actuali peccato non erant immunes; velut ait Propheta : « Omnis homo mendax (*Psal.* CXV, 11). » Et sicut per beatum Evangelistam Joannem dicitur : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8). » Unus ergo homo, et idem peccator indecens hostia fuerat pro totius humani generis redemptione. Ergo solus homo ab hoc sacrificio expellebatur. Angelus vero in sui natura admitti nequiverat; quia quod est invisibile, nec teneri, nec pati, nec etiam occidi potest. Et forsan per assumptam naturam posset immolari, angelica charitas pro injusto puniri frigeret : et hoc non immerito; quia aliquis justus vix pro justo moritur, ne dum pro injusto damnetur. Et etiam ante adventum Christi homines propter peccatum ab angelis odio habebantur. Et forte si idem homo ab angelo esset redemptus, eumdem angelum pro Deo venerarentur, quod ne cui impossibile videatur, dum pro certo prædicti homines sæpissime inveniantur, lapides, ligna, et æramenta pro Deo adorare. His igitur et aliis plurimis hujuscemodi rationibus angelica victima excludebatur. Qua proinde solus restabat Creator, qui sua miseratione, et solita benignitate humano compatiens generi, supralictum hominem liberaret, et a diabolica fauce perplexum eriperet; et hoc non in sua natura, sed per assumptum hominem, ut qui solum hominem redimere venerat, Deus et homo immolaretur. In divinitate vero, quia personarum distinctionem catholica credit adesse Ecclesia, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, non immerito considerandum est hæc assumptio cui conveniebat. Pater autem, si intra virginalem uterum assumeret hominem, et ab eodem nasceretur, idem essent Pater et Filius. Pater secundum divinitatem, Filius vero secundum humanitatem; quod et credere et dicere nefas est. Aliud quoque majus esset nefarium, quoniam duo filii adessent in divinitate, scilicet Pater filius secundum humanitatem. et Filius Dei filius secundum divinitatem. Tanto ergo errore vitato, prædicta assumptio Patri non conveniebat. Adhuc restat agere, si Spiritus sanctus competens esset ad immolandum. Si autem idem Spiritus hominem acciperet, et pro eo vellet immolari, supradictus error in divinitatem caderet; revera etenim duo filii et crederentur, et haberentur in ea. Filius Dei secundum divinitatem, quemadmodum diximus, filius et Spiritus sanctus secundum humanitatem filius. Ergo utrique, Patri scilicet, et Spiritui sancto prælata assumptio non congruebat; quoniam neuter horum in tali negotio admitti valebat. Igitur solus Filius ad hoc agendum condecens aderat, cui et per justitiam inerat hominem per se creatum salvare, et diabolo suam potestatem petenti obviare, eumque ipsum hominem decipientem decipere, et ablato totius orbis imperio, perpetuo in inferno religare (1927). Legitur namque in Evangelio beati Joannis, quod « omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I, 3) : » ergo et ipse homo. Ad hæc si ab alio quam ab ipso, per quem creatus fuerat homo, redimeretur, impotentia eidem Filio revera posset ascribi, quod per ipsum creatus, et per eumdem non esset redemptus. Si vero Pater, cui potentia attribuitur, incarnaretur, duo filii essent, quod sacris Scripturis de uno Dei Filio loquentibus repugnat. Idem quoque et de Spiritu sancto, qui benignitas est. Sed hoc soli sapientiæ, scilicet Dei Filio conveniebat, ut sapienter diabolus deciperetur. Quæ autem causa hac rectior, quæve justior? Ut Verbo plasmatus homo, a Verbo scilicet, et a Dei Filio per assumptam carnem in pristino reverteretur statu. Igitur jure factum est, et justo ordine confirmatum, ut non a Patre, nec a Spiritu sancto, sed a Dei Filio, qui in divinitate et humanitate Filius vocaretur, homo redimendus fuisset, et in pristinam beatitudinem, unde prævaricando corruit, ingrederetur. His ita apte et convenienter expositis, restat de requie sepulturæ tractare.

Quia Dei Filius, Verbum Patris, splendor gloriæ, hominum Creator, condolens mundum in præcipitium euntem, Patre, et Spiritu sancto cum ipso cooperante, descendit ad nostram accipiendo humanitatem, « homo factus est, et cum hominibus con-

(1926) Docet S. Thom., III p., q. 4, art. 2, Deum potuisse novam producendo angelicam naturam, copulare eam sibi in unitate personæ.

(1927) Vid. D. Thom., III p., q. 3, art. 8, ubi probat pluribus rationibus, convenientissimum fuisse personam Filii incarnari. Apertius autem mens S. doct. declaratur a cardinali Gotti tom. XII, q. 3, De conven. et necessit. Incarnat., lib. I, § 2.

Digitized by Google

versatus est (*Bar.* III, 38): » comedit, bibit, esurivit, flevit, et cætera quæ hominibus conveniebant, egit, præter peccatum, quia qui hominem venerat ad salvandum, et illi peccata dimittendum sine peccato esse condecebat. Unde de illo dictum est: « Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*1 Petr.* II, 22). » Si vero pro homine natus, cætera superiora narrata ordinative peregit, conveniens erat ut moreretur, quia quis homo non visurus mortem, et humanius sepeliretur? Et quia rationabile erat. Itaque mortuo sepulturæ summa cum vigilanti diligentia, ut evangelistæ narrant, Joseph ab Arimathæa corpus Dominicum petendo habuit, et in monumento suo novo sepelivit, propheta David attestante, qui ait: « In pace in idipsum dormiam, et requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me (*Psal.* IV, 9). » Vere singulariter; quia moriendo et in sepulcro quiescendo vicit diabolum. Quis alius moriendo in prælio vincere posuit, nisi ille qui omnia potest? Igitur singulariter a Patre in spe constitutus fuit. Et iterum Propheta: « Caro mea requiescet in spe (*Psal.* XV, 4), » tertio die resurrectionis. Multis aliis habemus confirmatum auctoribus, qualiter Dominus Jesus in sepulcro quievit. Sed ista de pluribus nostræ fidei sufficiant, scilicet evangelistarum, ac David auctoritates, qui verissime illum in sepulcro jacuisse et requievisse in ipso mausolæo in pace. Qui in pace dormit, maximam habet fiduciam speratam surgendi. Unde ipse obdormire se dixit.

De sepulturæ requie tractatum est. Instat nobis, quibus auctoribus credatur descendisse in infernum. Salvator enim mundi, sapientia Patris, manna pascens, petra dulcissima, ac abundanter aqua manans, mortem nostram pro salute accipiendo, sepultus est, et a Nicodemo interlitus myrrha et aloe ut adimpleretur illud Salomonis: « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi (*Cant.* I, 13). » Vere fasciculus fuit myrrhæ Dominus, et non maxima sarcina, quæ quamvis amara videbatur B. Virgini et discipulis ejus passio; tamen fasciculus, quia momentanea. Sed non licet nobis nimium per ambages decurrere; sed diligentissime advertendum est, quibus credendum sit auctoribus, ipsum Dominum **590** ad inferna descendisse, et sua benedicta potentia fideles suos abstraxisse. Dicit de ipsa descensione David propheta: « Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV, 10). » Et alibi, propheta attestante Osea, dicitur: « O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne (*Ose.* XIII, 15). » Vere Dominus mors fuit morti, quia in perpetua morte eam dimisit (1928). Morsus fuit etiam inferni Salvator, et Dominus Jesus Christus, qui non omnes, sed suos tantum inde extraxit (1929); si enim omnes inde abstraxisset, non esset morsus, sed conglutinans

(1928) « Teneamus firmissime quod fides habet fundatissima auctoritate firmata quia Christus.... apud inferos fuit. » D. Aug. Ep. 164, al. 99, c. 5, n. 24.

A hominum; qui vero morsum in aliquod dat, non totum, sed partem accipit. Sic Christus morsum inferni fuit, quia partem redemit, partemque reliquit. In alio autem loco David dicit: « Domine, abstraxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum (*Psal.* XXIX, 4); » id est ab illis qui æterno igne cremabuntur.

Quot horas fuerit in descensione, et ascensione.

Expeditis quibus auctoribus in infernum Dominum descendisse credatur; expetit adhuc quantum spatii in sepulcro jacuisse scribere indagando. Plenissime ac vere apertissimum est, quia Dominus ex illa hora suæ expirationis, Joseph ejus Dominicum petens corpus, habitum suo in sarcophago collocavit, « in quo nondum quisquam positus fuerat (*Luc.* XXIII, B 53), » et jacuit ab illa hora usque mane Dominici diei. Opponunt alii: si ab illa hora usque Dominicum diem Dominus in sepulcro quievit, ergo non tres dies, sicut ipse prædixerat. Solvitur hac probabili ratione: Veritas, quæ Christus est, nunquam mendacium protulit, dicens: « Solvite templum hoc, et in triduo excitabo illud (*Joan.* II, 19); » et: « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; ita et Filius hominis (*Matth.* XII, 40), » qui est Christus. Verum dicens, et verissime confirmavit, quia per tres dies et tres noctes in corde terræ fuit, et post triduum excitatus. Revera ex illa hora, qua Dominus apprehensus fuit, et morte damnatus, jacuit in corde terræ, id est in corde terrenorum, perfidorumque, dicentium: ubi sunt verba ejus, C quibus dicebat: « Antequam Abraham fieret, ego sum (*Joan.* VIII, 58), » et multa alia. Jacuit etiam in corde terræ, id est in corde apostolorum, qui adhuc terreni erant, et dubitabant de ejus resurrectione; et illum morti traditum videndo fugerunt, tristissime manentes; sic jacuit in corde illorum, quia illum Dominum in mente retinebant. Vel aliter, jacuit in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus, quia sero, qua apprehensus fuit, tota illa nocte, et die parasceve, et nocte Sabbati, et Sabbato, ac Dominica nocte, et usque mane Dominici diei, revera in sepulcro quievit, quia ex quo damnatus fuit mortis, quasi jam in sepultura jacebat. Dicunt, quia et sic tres dies non fuere impletæ. Ad quod dicimus, id esse figuram synecdoche, id est pars pro toto, qua D mane Dominici diei pro tota die habetur. Nunc evidentissime, prout nostra adfuit possibilitas, propositæ quæstiones solutæ sunt. Sed ille, qui hæc omnia pro pro nostra placuit salute, nos suos redemptos adoptivos filios habeat in pace, scilicet in se et ejus sancta incarnatione, et morte ab omni peccato emundet, et in suo sanctissimo regno collocet, ut post hujus vitæ transitum hilari vultu prospicere illum queamus regnantem cum Patre et Spiritu sancto per infinita sæculorum sæcula. Amen. Deo gratias, qui nos de tuis tu nos [*fort.* destitutos] satias.

(1929) Ita sensit idem S. Aug. qui « quod scriptum est, solutis doloribus inferni non in omnibus, sed in quibusdam accipi potest, quos ille dignos ista liberatione judicabat. » Ead. ep. c. n. 1, 5.

Digitized by Google

591 TRACTATUS SECUNDUS.

DE SACRIFICIO AZYMO, AD LEONEM MONACHUM.

Hortaris sæpissime, charissime, magisque nostram A percogis humilitatem, frater Leo, atque venerabilis monache, ut dominis spiritualibus fratribus monachis in Constantinopolitana urbe constitutis, qui crebro a Græcorum superflua loquacitate, immodcrato zelo arguuntur, aliquid de sacrificii observatione summatim breviterque describerem. Ex tuo, taque aliorumque multorum recitatum est ore, quod ab episcopo ejusdem sedis, vel ab ipsius clericis frequenter blanda suasione, sæpe furibunda locutione indiscrete decipiantur, ut ritus nostri sacrificii azymi derelinquatis, et more Græcorum fermentatum sacrificium Deo offeratis. Quibus ad hæc imperterriti non ex nostra insolentia, sed sanctorum authentica theologorum Patrum scientia, e contra respondeamus. Licet illorum religiosis? Patres ac doctores tuduerunt ex fermentato pane Deo omnipotenti sacrificium offerre, tamen nunquam invenimus illos nostram oblationem evacuantes ac deridentes. Quid d hæc dicimus? « Nunquid divisus est Christus in orpore suo (*I Cor.* I, 13), » ut alius sit in Romano acrificio, alius in Constantinopolitano? Quis hoc apiens dixerit? Nisi ille qui Dominicam novit scinere vestem, ut Arius et alii hæretici. Nos vero eraciter tenemus, imo firmiter credimus, quia uamvis sint diversi mores ecclesiarum, tamen una st fides quam indissolubiliter unitur capiti suo, id st Christo : et ipse unus, idemque permanet in suo orpore, quod pro nostra salute Deo Patri sponte btulit. Resipiscant ergo ab hac chacheton famosa ltercatione, Latinæ munditiæ detrahere desinant. iam si ipsi obturatis auribus nostræ veritati non onsentire volunt, sine omni dubitatione ostendimus ostrum sacrificium, quod prius sinceriusque sit lorum sacrificio, non solum ex Evangelica, apostocaque auctoritate, sed etiam ex legali Veteris estamenti institutione præfiguratum. Legimus namue in libro Exodi (*cap.* XI, 1), ubi præcipiente Deo oysi sancto, ut quarta decima luna primi mensis l vesperam filii Israel immolarent agnum Domino ne macula, et manducarent carnes illius assas igni m azymis panibus. Interea si vobis responderint, ia illud vetus præceptum fuit, jam defecit, jam ertransiit, confidenter illis beati Pauli apostoli objte sententiam, qua dicitur : « Omnia in figura D ntingebant illis; scripta sunt autem ad correptiom nostram, in quos fines sæculorum devenerunt *Cor.* I, 11). » Notate dilecti. Si veteris testamenti figura fuit, ergo nostra tempora portendebant, et quod in umbra latebat, in luce novi testamenti jam præfulgebat, ac propterea scripta erant, et ab ipsis etiam fidelibus observanda. Nam quomodo in agni immolatione passio nostri figurabatur Redemptoris, in mari Rubro baptismus, in columna nubis Spiritus sanctus, in manna cœlesti gratiæ donum : in petra, quæ eos consequebatur Christus; ita in azymo pane nostri temporis monstrabatur sacrificium. Ipse Creator atque Redemptor hominum veniens in hunc mundum indutus nostram mortalitatem, non amittens suam divinitatem, postquam universa, quæ de eo fuerant prædicta, essent impleta, et paterno censuisset consilio, ut mundum sua redimeret morte, B ipsumque mundissimum atque sacratissimum, quod de immaculata Virgine susceperat corpus, præfinito tempore voluisset nostra pro vita Deo Patri offerre in illa tunc sacrosancta cœna, quando Pascha cum suis discipulis celebravit, panemque accipiens in suis sanctis manibus fregit et dedit eis, dicens : « Accipite et comedite : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem (*I Cor.* XI, 14). » Dicant, obsecro, fratres, qualis fuerit panis ille; azymus fuit, an fermentatus? Si dixerint, fermentatus, ergo falsa est Domini sententia dicentis : « Non veni solvere legem, sed adimplere (*Matth.* V, 17). » Quomodo ille, qui legem dedit, benedictionem usque nobis inferret, si ea quæ legis sunt, non observasset (1930)? Si hoc fecisset, C ut transgressor legis juste puniretur, nec pro nostra omnium redemptione moreretur. Cum ipse Dominus Jesus per Moysen dicat, ut quarta decima die primi mensis, **592** quod phase occidebatur, usque ad vigesimam secundam diem ejusdem mensis, quicunque inventus esset in populo Israel, qui fermentum haberet in domo sua, periret de cœtu filiorum Israel, quia pactum Dei irritum fecisset. Sufficiat nobis jam ex legali observatione mandati testimonia proferre; ad Evangelii gratiam, et novi testamenti lumen subsequens sermo percurrat. Neque enim aliter illo tempore solus sine omnibus Pascha illud celebrare potuisset, quod commune omnibus erat datum, et tamen utrumque Testamentum in se adimpleret. Sancti quoque evangelistæ de ipsius celebritate Pa- D schæ, atque panis observatione ita locuti sunt. Unus ait : « Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha (*Luc.* XXII, 1); » alter idipsum replicat, dicens : « Erat Pascha, et azyma post biduum

(1930) « Cum legitur de Domino, quando corpus um de pane fecit, quia accepit panem, et benexit, non additur azymum vel fermentatum. Cerm tamen est quia azymum benedixit, forsitan non quia res quæ fiebat hoc exigebat, sed quoniam cœna in qua hoc factum, hoc exigebat. » Anselmus Cantuar. tract. De azymo et fermentato, cap. 1.

Digitized by Google

(*Marc.* XIV, 1). » Iterumque : « Prima autem die azymorum accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? » (*Matth.* XXVI, 17.) « Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo (*Joan.* XIII, 1). » Ergo si Pascha, quod Hebraice dicitur phase, a transitu nomen accepit, et non a passione, ut plerique male interpretantur; profecto Dominus Jesus in suo transitu, id est in morte sua, non alium panem tradidit discipulis suis, nisi illum quem paterna traditio præceperat custodiendum. Non tantum ante passionem suam hoc egit, quantum et post resurrectionem hæc eadem repetens (*Luc.* XXIV, 31), in Emmaus non valentibus eum cognoscere discipulis, nisi in fractione panis, coactus, ut cum ipsis maneret, eumdem panem azymum eisdem fregit, deditque ad manducandum. In tota Judæa certe fermentum deerat, quia adhuc Pascha celebrabant, nisi ut apertius cognoscatis, quia illum panem post resurrectionem eis dedit, quem jam similem, et ante passionem dederat. Satis sit huc usque ex evangelica lectione vobis accommodasse sententiam. Nunc autem ad beati Pauli apostoli nos oportet Epistolam flectere animum, ubi nos de ipso sacrificio, quod azymum, et non fermentum sit, vigilanter hortatur dicens : « Fratres, expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* V, 7, 8). » Sed cur hoc, fratres charissimi, sanctus prædicavit Apostolus? Ut ostenderet quia in fermento, id est, ut nullo dogmate hæreticorum sive schismaticorum panis Christi exsecrabilis et abominabilis corruptionis contaminaretur; sed in puritate et simplicitate catholicæ fidei illibatæ semper custodiretur, non indigne ab aliquo comesto pereat anima ejus de conventu digne filiorum Israel, hoc est salvandorum. Item Dominus per Amos loquitur dicens : « Venite in Bethel, et impie agite, et sacrificate de fermentato laudem (*Amos* IV, 4). » Quid per Bethel, nisi idolum, nisi corruptio sacrilegii exprimitur? Ex quo Dominus in Evangelio admonet dicens : « Cavete a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis (*Luc.* XII, 1); » id est a doctrina carnali eorum, et inflata scientia, de quo Apostolus ait : « Scientia inflat, charitas vero ædificat (*I Cor.* VIII, 1). » Et iterum : « Modicum fermentum totam massam corrumpit (*Galat.* V, 9). » Sufficiant pauca de pluribus prolata testimonia. An adhuc irreverenti fronte audebunt contra nos obire sententiam, dicendo ut astruant nos cum Hæbreis Judaico more azymum comedere. Cui insanæ objectioni cum sano respondemus intellectu (1931) : Absit hoc ab catholica, atque apostolica Romana A Ecclesia, quæ caput, et fundamentum, ac speculum dicitur, et probatur esse omnium Ecclesiarum, quam Deus et Dominus noster Jesus Christus per semetipsum ædificare dignatus est, ac promittens specialiter suo dilecto discipulo Petro apostolo, dicens : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI, 17). » Atque iterum : « Ego rogavi pro te Patrem, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (*Luc.* XXII, 32). » Absit a totius mundi Domino, ut idcirco cum Hebræis judaizes, eo quod de azymo pane sacrificium Domino dicitur offerre. Absit, ut pro tali re sancta hoc agat Romana Ecclesia, ut suis ostendat per B orbem fidelibus constitutis, agnum, qui abstulit peccata mundi, sine omni corruptione, pollutione, atque contagione culpæ, sinceram sanctamque ex immaculata Virgine suscepisse carnem, testante angelo, qui ipsius Domini incarnationem eidem Virgini venerabili annuntiat, dicens : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur, Filius Dei (*Luc.* I, 35). » Illa obumbratio, quæ virginalem uterum dicitur obumbrare, non aliter intelligenda est, quam ut ab omni æstu concupiscentiæ vel corruptione alicujus facinoris illud castissimum Domini templum, in quo habitare dignatus est, intactum, purumque, quod est azyma, semper custodierit, dicente Salomone : « Sapientia ædificavit sibi C **593** domum (*Prov.* IX, 1). » Nam, ut ea quæ superius diximus repetamus, cur non nobis sacrificium de veteri præcepto tenendum est? Cur ea, quæ illis carnalia sunt imperata, in nobis spiritualiter videamus adimpleta? Nunquid ex ipsis non tenemus templum, sacerdotium, unctionem, incensum, sacerdotalia indumenta, et quadragesimam? Si hæc cuncta prius ipsa Israelitica plebs tenuit, et potuit Domino cooperante, nobis concessa sunt; quare non azymum etiam inter reliqua præcepta sacrificium Domino offerendum est? Cum, ut sæpe jam testati sumus, puritatem, simplicitatem, atque mundiciam significet. Et ipsum principium, caputque omnium apostolorum, post Domini ascensionem primum obtulisse invenimus sacrificium, non aliter, quam ei a Domino, et magistro suo jussum est offerri. Post ipsum beatus Clemens, cui beatus Petrus tradidit pontificatum, in Epistola sua (1932) ad Jacobum, qui Hierosolymam regebat Ecclesiam de ejusdem sacrificii observatione taliter admonet agendum, dicens : « Cum mihi dominus, et magister meus Petrus summi pontificatus traderet dignitatem, et inter multa hortamenta, quibus ab ipso adhortabar, cum ad Domini sacrificium pervenisset, ita de eo mihi dixit : Vide, Clemens, ne aliter agas de consecratione panem in corpus ejus, divina virtute sacrificemus, neqnaquam in hoc legis vetustatem servamus, sed Evangelii veritatem celebramus. »

(1931) Hanc eamdem objectionem diluit S. Anselmus cap. 3. « Cum ergo, inquit, nos panem azymum sacrificamus, non ut per azymi figuram talem Dominum Jesum futurum significemus; sed ut ipsum

(1932) Hanc ut genuinam non agnoscunt eruditi

Digitized by Google

ore Domini, quam quod ego tibi præcipio, quia ego non hoc a me ipso, sed qualiter ex ore Domini, et magistri mei Jesu Christi audivi, taliter illud loquor : similiter et tuis successoribus, qui post te in hanc apostolicam successuri sunt sedem, in perpetuum hoc exemplum relinque. » Sicque post ipsum S. Silvester, qui inclitum Augustum, atque perfectum Ecclesiæ filium Constantinum Romæ baptizavit, eadem jussa perfecte adimplens, etiam in posteros custodire mandavit. Denique S. Gregorius, eximius doctor, qui Eutychium Constantinopolitanum episcopum cum suis fautoribus in præsentia Mauritii imperatoris, mira cum ratione exsuperavit, alio modo non celebravit, atque nobis celebrandum sacrificium præcepit, quam illud, quod omnes sui præcessores sanctissimi papæ, quos enumerare longum est, in sanctissima sede apostolica jussi sunt celebrare. Quapropter, amantissimi fratres, state A viriliter in soliditate; ac firmamento orthodoxæ columnæ, et nemo cum suasoribus verbis a sanctæ fidei catholicæ, et apostolicæ præfatæ sedis, matris Ecclesiæ Romanæ consuetudine vos separet; quia, teste Augustino luculentissimo doctore, ac episcopo Africano, non est alia sedes in cœlo aut in terra dignior, sive prior, nisi illa quam Romana tenet Ecclesia. Hanc tenete, hanc puro corde diligite, et ab ejus unitate non recedite, cum scriptum sit : « Terminum, quem antiqui posuerunt Patres, ne transgrediaris (*Prov.* XXII, 28) ; » et « qui dissipat sepem, mordebit eum coluber (*Eccle.* X, 8). » Serpens ille scilicet, qui ejecit Adam de paradiso, ex cujus pestifero ore Dominus per intercessionem apostolorum, atque sanctorum omnium vos semper eruat, largiente Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria cum Patre, Flamine sancto, in omnibus sæculis. Amen. B

594 AD TRACTATUM SEQUENTEM ADMONITIO.

Sapientissime, piissimeque exaratum hoc opusculum ex eo evincitur quod non tam editum fuerit Venetiis a Mauro Marchesio an. 1651 *inter reliqua S. Brunonis Opera, sed iterum excusum ab editoribus Bibl. Max. Vet. typis Lugdun.* 1677, *Tom. XX, p.* 1725, *reperitur, iterumque a D. Luca Dacherio, tom. XII, edit. Paris.* 1725, *in Spicilegio, et Taurini in separato parvo volumine, absque nota anni. Sed multo ejus existimationem auget editor Codicis Liturgici clar. Philippus Zazzera, quem inter mss. Bibl. Vaticanæ comperit, iisque doctis adnotationibus illustratum, et sanctissimo pontifici D. N. Pio VI dicatum Romæ publici juris fecit an.* 1784. *Cum autem quidquid ad perfectionem hujusce S. Brunonis elucubrationis novam editionem sibi comparare proposuissem, non piguit Florentiæ codicem ms. Bibl. S. Marci O. P. Sæc.* XIII, *alterumve Codicem archivi Vaticani ejusdem circiter ævi exaratum consulere. Ex his igitur tum codicibus, cum editionibus plures variantes lectiones deprompsi, quæ quamplurima errata præsertim in Marchesio, et in editione Taurinensi corrigunt, et nitidiorem completioremque lectionem reddunt. Peropportunus hic mihi datus patet notitiam prævendi, ubi ignoratur, præclari operis, cui inscriptus est titulus S. Ecclesiæ Rituum, ierumorumque Officiorum explicatio, cujus autographum, ut dixi, in Bibl. Vatic. asservatur, deque Ecclesiasticis institutionibus maxime meritus cl. Philippus Zazzera habendus est, qui eum copiosis eruditisque commentariis exornatum publicavit. In fronte, adnotatur, explicationem illam ab Anonymo sæculo* XII. *scriptore elucubratam fuisse, et ex Vaticano Codice num.* 5046, *tunc primum erutam. Unum admonendum ipse restat, scilicet, quod auctor Anonymus suam rituum explanationem ab hoc Brunonis opusculo auspicatur; et quo inferri potest, magno illud in pretio jam tunc haberi ab Ecclesiasticis viris, ut cæteris de sacris ritibus scriptoribus præponeretur, quasi ipse ductor chorus cæterorum fuerit.*

595 TRACTATUS TERTIUS.

DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ, MYSTERIIS ATQUE ECCLESIASTICIS RITIBUS.

(Ex editione Taurinensi.)

(1933) Dilectissimo fratri GALTERIO, Magalonensi episcopo, Bruno Signiensis episcopus, salutem. Cum Romæ quondam in Insula in domo episcopi portuensis simul essemus; cumque in libro Exodi de tabernaculo testimonii, et de vestibus Aaron, typica quædam, et magni mysterii significativa legeremus, cœpisti mirari tu, cœpi mirari et ego, quod aliqua illis similia adhuc in Ecclesia fieri videamus, cum jam vetera transierint, et facta sint omnia nova. Multa enim fiunt in ecclesiarum dedicationibus, multa et in aliis Ecclesiæ sacramentis, quæ non minus quam illa, sub umbra, et figura fieri v. C

(1933) Hanc inscriptionem secundum clarissimum Carolum Sebastianum Berardi tradimus, qui part. , tom II, p. 116, emend. Grat. ejus episcopi mentionem habet, non secundum erratam editionem Taurinensem, ferentem : *Dilectissimo fratri Galterio Magalensi episcopo;* quæ etiam in Marchesio, aliisque editoribus legitur.

Digitized by Google

dentur. Petisti igitur a me, ut sicut illa exposueram, ita et ista exponere tentarem. Promisi me facturum, sed aliis negotiis impeditus; et tuæ petitionis, et meæ promissionis jam pene oblitus eram : cum Helbertus eremita, et presbyter venerabilis, a vobis ad nos veniens, id, quod promiseram, quasi debitum exigebat. Memor igitur tuæ dilectionis, quamvis multum impeditus, facere aggressus sum quod facere jussisti.

596 *De consecratione ecclesiæ.*

(1934) De sacramentis Ecclesiæ locuturi, prius sacramenta ipsa ponamus; postea vero quid significant, prout Dominus dederit, exponamus (1935). Quando enim ecclesia consecratur, solus diaconus eam ingreditur, januas claudens (1936), ibidem exspectat episcopo responsurus. Tunc episcopus deforis aquas benedicit, non sine sale, acceptoque fasciculo hyssopi ex aquis, quas modo sanctificaverat ecclesiæ parietes ter circumeundo aspergit : ter quoque cum virga pastorali januas percutiens dicit : « Tollite portas, principes vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ (*Psal.* XXIII, 8). » Cui diaconus de intus respondet dicens : « Quis est iste Rex gloriæ? (*ibid.*) » Et ille : « Dominus fortis, et potens, Dominus potens in prælio (*ibid.*, 9). » Post tertiam percussionem, paucos ex ministris secum ducens ecclesiam ingreditur, cætera multitudine foris exspectante. Tunc episcopus totum alphabetum in modum crucis bis in pavimento describit; ac deinde sicut prius alias aquas sanctificat, quibus non tantum sal, sed et cinerem quoque miscet et vinum. His autem altare, et ecclesia aspergitur, et consecratur. Postea vero super altare oleo, et chrismate fusis, lapidem ipsum episcopus ungit. (1937) Et tunc tandem ibidem reliquias ponit, atque componit. His igitur expeditis, significationes videamus. Sed prius quærendum est, cur aqua benedicatur? Quare lapides et parietes aspergantur? Cur etiam potius lapides, et ipsi parietes per se non benedicantur? Cur sine aqua non sanctificantur? Cur eadem ipsa benedictio, quæ aqua datur, lapidibus non datur? Hoc totum habet significationem (1938), Audi igitur quid Dominus dicat : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum (*Joan.* III, 5). » Aqua enim lavandis corporibus idonea est : tantam virtutem accipere meruit, ut sicut corpora lavat a sordibus, ita et animas mundet a peccatis.

Quid aqua significet.

Manifestum est itaque quod hæc aqua baptismum significet, cujus aspersione ecclesia consecratur, et quodammodo baptizatur.

Quid significet ecclesia.

Ipsa vero ecclesia eam utique Ecclesiam designat, quæ in ea continetur, id est multitudinem : unde et ipsa ecclesia vocatur, eo quod Ecclesiam contineat. Hæc enim figura a grammaticis metonymia dicitur, quando id quod continet, ponitur pro eo quod continetur. Quale est illud, quod in Evangelio Dominus ait : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas (*Matth.* XXIII, 31) : » cum utique non ipsa Jerusalem, sed ejus habitatores prophetas occiderint. Sic etiam dicere solemus : Illa domus bona est, eo quod bonos habeat habitatores; et illa mala est, eo quod mali habitatores habitent in ea. Secundum hanc igitur significationem, hæc ecclesia ex ligatis lapidibusque constructa, eam Ecclesiam designat, quæ ex vivis lapidibus ædificatur; cujus lapides non calce, sed charitate junguntur et uniuntur; cujus fundamentum Christus est; cujus portæ apostoli sunt; cujus columnæ episcopi sunt et doctores, in quo unusquisque lapis tanto amplius rutilat, quanto fidelior et melior est.

Quid sal significet.

Quia igitur dictum est quid aqua, et quid domus significet, dicamus etiam cur hæc aqua sale misceatur. Cum enim Salvator noster de baptismo loqueretur, nullam salis fecit mentionem; non enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua salsa, vel sale mixta, vel aliquid hujus modi; sed quid dixit? « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei (*Joan.* III, 5). » Idipsum autem et de oleo, et de chrismate dici potest; sed de his alias : interim de sale dicamus. **597** Sal enim in divino eloquio frequenter pro sapientia ponitur; unde est illud : « Sermo vester sale sit conditus (*Coloss.* IV, 6). » Et Dominus discipulis : « Habete, inquit, sal in vobis, et pacem habete inter vos (*Marc.* IX, 43). » Itemque : « Vos estis sal terræ; quod si sal infatuatum fuerit, in quo condietur? » (*Matth.* V, 13.) Hinc etiam secundum legem (*Levit.* II, 13) nulla hostia sine sale offertur, sed in omni sacrificio ponitur. Unde manifestum est, quod sal (1939) pro sapientia ponitur. Sic est enim sapientia condimentum omnium virtutum, sicut sal est condimentum omnium ciborum. Sed quæ sapientia? Non utique

(1934) In edit. Taurin. deest hic titulus, quem codd. et edit. Rom. afferunt. Apud Dacherium legitur expositio *De consecratione ecclesiæ*. D. Philippus Zazzera epistolam S. Brunonis ad episcopum Magalonensem omisit.

(1935) Lucas Dacherius habet : *Postea vero quid significent, exponemus.*

(1936) Idem auctor, *januas claudit.*

(1937) Hæc periocha deest in edit. Venet. Lugd. et Taurin.

(1938) Alia est cod. Vatic. lectio : *Sed prius quærendum est cur aqua benedicatur, qua lapides et parietes aspergantur, cur etiam potius lapides et parietes ipsi per se non benedicuntur; cur sine aqua non sanctificantur; cur eadem ipsa benedictio, quæ aqua datur, lapidibus non datur? Hoc totum significatio est.*

In aliquibus differt Dacherius : *Sed prius, sal, quærendum est cur aqua benedicatur, qua lapides et parietes aspergantur? Cur enim potius lapides isti et parietes prece non benedicuntur? cur sine aqua non sanctificantur.* In reliquis concordat.

(1939) Edit. Rom. addit *sal*, quod deest in aliis editionibus.

Digitized by Google

sapientia mundi; quæ « stultitia est apud Deum (*I Cor.* III, 19), » sed illa sapientia, de qua Dominus ait : « Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Luc.* X, 11). » Sed vis audire quæ sit ista sapientia, quam simplex, quam facilis ad discendum? Veniat modo aliquis ad hanc aquam; veniat nunc aliquis ad baptismum, audiat hanc sapientiam, gustet de hoc sale, neque enim prius baptizatur aliquis, quam sale cibetur; hoc enim omnibus notum est; ad litteram dico. Infantibus ad fidem venientibus statim in ore ponitur sal : (1940) ut quod actu habere non possunt, habeant vel significatione sacramenti. Interrogo igitur modo aliquem hominem baptizandum : « Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem omnium visibilium et invisibilium? » dicit : « Credo. — Credis et in Jesum Christum Filium ejus, unicum Dominum nostrum natum et passum? » Inquit : « Credo — Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, carnis resurrectionem, et vitam æternam? » Ait ille : « Credo. » Bene instructus est iste, sapiens est, et sufficienter sale cibatus. Hoc est igitur sal, quod miscetur aquæ; hæc sunt prima fidei rudimenta : sine his non valet baptismus (1941). Sive enim tollas aquam, sive tollas hæc verba, non est baptismus. Hoc autem dum dico, nullum præjudicium facio infantibus, et nondum intelligentibus, qui non sua, sed aliorum fide baptizantur et salvantur. Salvantur utique, si vel prius crediderint, vel ad ætatem venientes fidem pro eis promissam fideliter crediderint, et custodierint; alioquin non valet baptismatis aqua, quia non est concepta (1942). Dictum est itaque quid aqua, quid sal, et quid domus dedicanda significet. Nunc autem superest ut de hyssopo dicamus, cum quo ecclesiæ parietes supradicti aqua asperguntur.

Quid hyssopus significet.

Hyssopus naturaliter in petra nascitur : « Petra autem, ait Apostolus, erat Christus (*I Cor.* X, 4). » Bona herba hyssopus, quæ nascitur, et renascitur, et radicatur in Christo. Per hanc enim etsi tota fidelium multitudo intelligi possit, præcipue tamen illi per hyssopum figurantur, qui in Christi fide radicati et fundati, ab ejus amore divelli et separari non possunt. Per quod quid melius, quam episcopos et presbyteros intelligere possumus, qui (1943) quanto majorem in Ecclesia obtinent dignitatem, tanto firmius Christi fidei inhærere debent? Et per hos quidem spargitur aqua : per hos et ab his baptizantur fideles : his datum est perficere baptismatis sacramenta. Nec illud quidem prætereundum est, quod ter episcopus ecclesiam circumit, et ter parietes aqua aspergit.

Quid in circuitu eundo significet.

Apparet etiam in hoc figura baptismatis. Audi igitur quid suis discipulis Dominus dicat : « Ite, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). » Hinc est igitur quod sacri canones ter in aquam mergi præcipiunt eos qui baptizantur (1944). Quia itaque Ecclesia non potest mergi in aquas, ter ab episcopo circumeunte aspergitur aqua Vides ergo, quam bene omnia, quæ superius dicta sunt, baptismi conveniant sacramentis? Hinc autem illud quoque videamus, quod ter cum virga pastorali ecclesiæ januas episcopus percutit.

598 *Quid virga significet.*

Quid enim virga pastoralis, nisi sermo divinus, et prædicatio evangelica intelligitur? Quod autem sermo virga vocetur, propheta de Domino testatur dicens : quia « percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium (*Isa.* XI, 4). » Virga oris sermo est. Virga igitur januas percutere, est aures audientium prædicationis voce ferire : aures enim portæ sunt, per quas ad corda audientium sanctæ prædicationis verba introducimus. Unde Psalmista ait : « Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion (*Psal.* IX, 15). » Quid est enim in portis filiæ Sion, nisi in auribus et auditu fidelium? Illud quoque non vacat a mysterio, quod ter episcopus januas percutit. Numerus iste et notissimus et sacratissimus est. In omni enim dedicatione ter semper episcopus januas percutere debet; quia sine invocatione Trinitatis nullum in Ecclesia fit sacramentum. Percutiamus igitur ecclesiæ januas, et prædicationi instemus, quatenus usque ad cordis secretarium accedere, et Christi fidem adducere valeamus.

Quid litteræ.

Expositis igitur omnibus, quæ in ecclesiæ dedicatione exterius episcopus agit, hinc etiam quid interius faciat, videamus. Ingressus enim in ecclesiam, bis totum alphabetum scribit in pavimento. Per quod vel utrumque Testamentum, vel duplex sanctarum Scripturarum intelligentia figuratur. In his

(1940) Videndus Theodulphus in libello De ordine baptismi cap. 5 apud Menardum in notl. ad Sacramentarium S. Gregorii M. col. 364, et ipse Menardus ad illud cap. 377, et seqq.

(1941) In hunc locum optime hæc adnotavit clar. Philippus Zazzera : « Non quod validus, inquit, non sit baptismus, ubi materia, formaque a Christo præscripta administretur, sed quod, si justitiæ et salutis rationem spectemus, frustra suscipitur ab adulto, qui præter baptismi voluntatem, et fidem, male ante actæ vitæ pœnitentiam, et firmum abstinendi a peccatis propositum non afferat. » Vid. Catech. Rom. de sac. bapt. n. 35 et seqq., et D. Thom., III p., q. 68, art. 6 et seqq.

(1942) Nempe, et si baptismum susceperint, ad æternam vitam minime perveniunt, ex defectu operum, quæ fidem consequi debent.

(1943) Cod. Arch. Vat., *quia*.

(1944) Utrum trina immersio sit de necessitate baptismi agit D. Thom., III p., q. 66, art. 8, et ex auctoritate S. Gregorii docet non esse necessarium, sed simplicem aquæ ablutionem sufficere : « Quia unica immersione significatur unitas mortis Christi, et unitas deitatis; per trinam autem immersionem significatur triduum sepultura Christi; et etiam Trinitas personarum. »

Digitized by Google

etiam paucis litteris omnis scientia continetur, quæ semel in synagoga, et bis in ecclesiæ pavimento scribuntur; Judæi enim unum (1945) tantummodo recipiunt Testamentum; quod non dupliciter, ut nos, sed simpliciter tantum, et ad solam litteram interpretantur. At vero Ecclesiæ filii, et utrumque recipiunt, et utrumque dupliciter, id est ad litteram, et spiritualiter intelligunt. Bis igitur in pavimento corporis nostri alphabetum scribitur, si utrumque Testamentum suscipimus, et utrumque dupliciter intelligimus. Hinc est enim, quod illa animalia immunda dicuntur, quæ neque ruminant, neque ungulam findunt : illa enim animalia, quæ ruminant (notum est valde quod dico) bis eumdem cibum comedunt. Cibus animæ est lectio sacra; hanc autem bis comedimus, quia semel ad litteram, et iterum spiritualiter eam exponimus et intelligimus. Ungulam quoque findere, est sacram Scripturam dupliciter interpretari : quæ ideo quidem ungula dicitur, quia in via bonorum operum pedes nostros firmat et munit.

Quid quod in modum crucis scribitur.

Sed quid est, quod non in directum, sed in obliquum, et in modum crucis hæ litteræ scribuntur? nisi quia sacrarum Scripturarum intelligentiam pertingere non valet, qui crucis mysterium non recipit, et Christi passione non credit se esse salvatum. Soli enim Christiani hanc intelligentiam habent, qui crucis signaculo insigniti sunt : quibus « vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, et solvere septem signacula ejus (*Apoc.* v, 5). » In Christi namque passione (1946) verum templi scissum est, et revelata sunt Sancta sanctorum (1947). Cætera videamus.

Quid aqua interius benedicta.

Post hæc autem episcopus aliam item aquam benedicit, cui non tantum sal, sicut priori, de quo supra diximus, sed vinum quoque cum cinere (1948) miscet. Hæc autem aqua Spiritum sanctum significat, sine cujus afflatione nihil unquam sanctificatur, et sine cujus gratia non fit remissio peccatorum. Quod autem Spiritus sanctus *aqua* vocetur, ipsa Veritas ostendit, dicens : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 38). » Quod quid significet, mox Evangelista exponens ait : « Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum (*ibid.*, 39). » Aqua igitur Spiritus sanctus. Et vide ordinem sacramenti : exterius aqua, interius Spiritu sancto consecratur. Hoc est enim, quod Dominus ait : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto (*Joan.* III, 5). » Ecce aqua, ecce Spiritus. In baptismatis igitur sacramento nec aqua sine Spiritu, nec Spiritus sine aqua, quod quidem ipse Spiritus significabat, qui in prima mundi creatione « ferebatur super aquas (*Gen.* I). » Hac igitur aqua et ipsum altare, et totum interius templum aspergitur. De sale autem, quod ei additur, superius dictum est. Diximus enim, quod prima fidei rudimenta significet. Poterant ista sola sufficere ad baptismi sacramentum; sed sancti Patres nostri, qui Spiritu 599 Dei ista constituerant, voluerunt nobis satisfacere, non solum in his quæ pertinent ad virtutem sacramenti, verum etiam in illis quæ pertinent ad significationem : sufficit enim aqua, et Spiritus ad baptismi perfectionem : cætera vero, quæ adduntur, ad significationem pertinent. Non enim oleum, vel chrisma habuit Philippus apostolus, quando eunuchum baptizavit. Hæc tamen jam nunc prætermittenda non sunt, quæ ad significandum aliquid, sanctorum diligenti expositione, addita sunt (1949).

Quid vinum significet.

Dicamus igitur quid vinum significet. Vinum enim in hoc loco majorem, et spiritualem divinæ legis intelligentiam designat. Unde ad nuptias vocatus Salvator noster in vinum aquas convertit, quatenus majori intelligentia nos erudiret, et spiritualis novæque doctrinæ nectare satiaret. Divina namque Scriptura, ad litteram intellecta, aqua est sine sapore et jucunditate; quæ si spiritualiter intelligitur, vinum fit, et quidem miri saporis, magnæque suavitatis. Quod enim interest inter aquam et vinum, hoc interest inter litteram et spiritum; unde Apostolus inquit : « Littera occidit, spiritus autem vivificat (*I Cor.* III, 6). » Hoc autem vinum Psalmista olim promittens ait : « Inebriabuntur ab uberiate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV, 9). » Itemque : « Calix tuus inebrians, quam præclarus est! » (*Psal.* XXII, 5.) Et iterum : « Hunc humiliat, et hunc exaltat, quia calix Domini vini meri plenus misto (*Psal.* LXXIV, 8, 9). » Humiliat enim Dominus Judæum, exaltat gentilem. Quare? quia ille litteram sequitur, quæ occidit : hic merum vinum et spiritualem intelligentiam bibit. Tota enim perditio Judæorum in hoc est, quod litteræ creduli spiritualem intelligentiam recipere nolunt. Unde Psalmista : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum, obscurentur oculi eorum, et dorsum eorum semper incurva (*Psal.* LXVIII, 23). » Hæc enim mensa divina Scriptura est : de cujus deliciis animæ nutriuntur, de quibus quodcunque animal comederit, vel biberit, nisi ruminaverit, non vivet. Bonum est igitur hoc vinum, sed illis bonum, qui bene, et fideliter Deo utuntur. Ad hoc enim bibendum in Canticis canticorum ipse Dominus nos invitat, dicens : « Comedite, amici mei, et inebriamini, charissimi. Ego dormio, et cor meum vigilat (*Cant.* V, 1, 2). » Nunc igitur nos inebriari Dominus jubet, cum alibi de ebrietate fugienda dicat : « Videte ne corda vestra graventur in crapula et ebrietate (*Luc.* XXI, 34). » Est igitur et bona, et mala ebrietas.

(1945) Dacherius habet, *vetus*.
(1946) Cod. archiv. Vatic. : *In Christi enim morte*.
(1947) Cod. Vat., *revelata sanctorum corpora*.
(1948) Cod. archiv. Vat., *et cinerem*.

(1949) Ita definivit Tridentina synodus sess. VII de Sacramentis, can. 13, Ecclesiæ ritus in sacramentorum administratione omnino esse observandos.

Digitized by Google

as; neque enim potest esse nisi bonum, quod Dominus jubet; et iterum non potest esse nisi malum, quod Dominus prohibet. Bona est enim ebrietas mentis (1950). Et de vino quidem quid significet, sufficienter dictum est.

Quid cinis significet.

Restat nunc ut de cinere dicamus. Sed quid cinis, nisi pœnitentia? Sedere namque in cinere, cilicio indui, pœnitentium est. Hinc est enim quod de Ninivitis pœnitentibus dicitur : « Quia rex ipse surrexit de solio suo, et indutus est sacco, et sedit in cinere (*Jon.* III, 6). » Hinc et David : « Quia cinerem, inquit, tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu temperabam (*Psal.* CI, 10). » Hinc et Abraham : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen.* XVIII, 27). » Hinc et peccanti homini dicitur : « Quid superbis, terra et cinis? » (*Eccli.* X, 9.) Babyloniæ quoque Dominus per prophetam loquitur (1951) : « Descende, inquit, sede in pulvere, virgo filia Babylonis, non est solium ultra tibi (*Isa.* XLVII, 1). » Unde et consuetudo in Ecclesia inolevit, ut per singulos annos in initio quadragesimæ capita nobis cinere aspergamus. His autem et similibus facile ostenditur, quia per cinerem pœnitentia designatur. Quia igitur dictum est, quid aqua, quid sal, quid vinum, et quid cinis significet, dicamus modo quare simul misceantur, ut eorum aspersione ecclesia consecretur. Puto enim, quod sine his, quod si vel unum defuerit, populus Domini, quod est Ecclesia, neque sanctificatur, neque solvitur a peccatis. Et de aqua quidem manifestum est : Quia « nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum (*Joan.* III, 5). » De sale quoque non dubium est, quia sine fidei condimento, quod in sale significatur, nemo unquam salvari poterit, etiamsi aqua baptismatis aspergatur. Sed quid dicam de vino, per quod spiritualis intelligentia designatur. Quo qui aspersus non fuerit, quicunque de eo non biberit, vel propinantibus non crediderit, ad vitæ æternæ beatitudinem non perveniet. Cineris quoque aspersio, per quam pœnitentia intelligitur, **600** tam necessaria est, ut sine ea non fiat remissio peccatorum (1952) : per ipsam enim pervenitur ad baptismum, ipsa est unicum et singulare refugium peccatoribus post baptismum. Unde et non immerito baptismus vocatur, dicente Evangelio de Joanne : « Quia venit in universam regionem Galilææ prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum (*Luc.* III, 3). » Dicebat enim : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* III, 2). » Sic cœpit prædicatio Joannis, sic cœpit prædicatio Christi. In his autem omnibus soli parvuli excipiuntur, et cæteri, qui intelligentiam non habent. Hæc est igitur causa, quare hæc omnia, id est aqua, sal, vinum, et cinis simul misceantur, quia, ut diximus, si vel unum defuerit parvulis, nihil cætera prosunt (1953). Quibus ita permistis accedit episcopus ad altare, et accepto fasciculo hyssopi, hac supradicta aqua aspergit, atque sanctificat ecclesiam, et altare.

Quid altare.

Sed quid altare in templo significat? Apostolus enim dicit : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III, 17). » Si ergo templum Dei sumus, et altare habemus; altare cor nostrum est : hoc enim cor in homine, quod est altare in templo. In hoc enim altare fit sacrificium laudis, et jubilationis (1954); unde Psalmista : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19). » In hoc altari fit commemoratio corporis et sanguinis Christi. Hinc preces ascendunt in cœlum, quia ad cor respicit Deus. Hoc igitur altare aspergitur aqua, quando corda hominum evangelica prædicatione mundantur a peccatis.

Aqua est prædicatio.

Nam et prædicatio aqua est, secundum illud : « Omnes sitientes, venite ad aquas (*Isa.* LV, 2). » Itemque : « Aqua profunda verba ex ore viri (*Prov.* XVIII, 4). » Et item (1955) : « Reputetur ut pluvia eloquium tuum (*Deut.* XXXII, 2). » Hac igitur aqua, id est evangelica prædicatione, et a S. Spiritus sanctificatione cordis altare, et totus homo mundatur et sanctificatur. Ecce altare aspersum est, aquis baptizatum est. Restat igitur ut confirmetur, et chrismate liniatur. Hoc enim in hominibus ipsis fieri videmus. Prius enim baptizantur, et sic postea chrismate confirmantur.

Quid oleum.

Dicamus igitur quid oleum, et chrisma significet. Non enim sine causa jam baptizati, et a peccatorum sorde mundati oleo unguntur, et chrismate. Oleum enim misericordiam designat quam qui non habet, id ipsum amisit, quod baptizatus est. Unde ipsa (1956) Veritas ait : « Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* VI, 15). » Hinc est quod servus ille damnatus, qui centos denarios conservo suo dimittere noluit, dicente Domino : « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te mise-

(1950) In editionibus desunt quæ habet Cod. Vat., *mala est ebrietas ventris.*

(1951) Hæc in Cod. Vat. desunt, non autem in Cod. Archiv. Vat.

(1952) Hic intelligendus est S. Bruno loqui de adultis, quibus ad baptismum accedentibus necessaria est pœnitentia, quemadmodum etiam docet D. Thom. 3 p. q. 68, art. IV et V., et Catechis. Rom. *De sacram. bapt.* n. 40.

(1953) Cod. Vat. legit *parum vel nihil.* Editiones omnes, *nihil cætera prosunt.*

(1954) Dacherius, *sacrificium laudis et tribulationis.*

(1955) Cod. Vat. et Cod. Arch. Vat. habent : *Expectetur.* Vulgata tamen ex vers. LXX legit : *Fluat ut ros eloquium tuum.*

(1956) In Codd. Vaticanis *ipsa* non legitur.

Digitized by Google

reri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? » (*Matth.* XVIII, 32.). Bene autem oleum misericordiam significat, quia sicut illud in liquoribus, ita et misericordia in bonis operibus superior est. Quemcunque enim liquorem in oleum fundas, oleum semper desuper natat. De misericordia quoque scriptum est: « Suavis Dominus universis, et misericordia ejus super omnia opera ejus (*Psal.* XIV, 5). » — « Superexaltat enim misericordia judicium (*Jac.* II, 13). » Hinc est etiam quod Dominus ait: « Misericordiam volo, et non sacrificium (*Matth.* IX, 13). » Multa sunt, quæ de misericordia dici possunt. Siquidem « Misericordia Domini plena est terra (*Psal.* XXXII, 5). » — « Sed quis sapiens, et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini? » (*Psal.* CVI, 43.) Hac igitur ungatur, hoc oleo liniatur altare cordis nostri, ut semper misericordiæ memores, aquæ aspersionem, et baptismi regenerationem non amittamus. Quid enim prodest, quod hyssopo aspersi, et a sacerdotibus baptizati sumus, si Pater noster, qui in cœlis est, non dimiserit nobis peccata nostra (1957)? Semper igitur in misericordiæ oleo natent corda nostra, quatenus nobis dimittantur peccata nostra. Hæc autem de oleo.

601 *Quid balsamum*

Si huic balsamum addamus, fit chrisma quo reges unguntur et sacerdotes, balsamum enim tunc jungitur oleo, quando bonus odor additur misericordiæ. Sed quid est bonus odor? Lætitia spiritualis et bona voluntas. Unde Apostolus ait: « Qui miseretur in hilaritate (*Rom.* XII, 8). » — « Hilarem enim datorem diligit Deus (*II Cor.* IX, 7). » Tali igitur chrismate ungantur Christiani, ut vero nomine vocentur Christiani, quoniam Christianus a Christo, et Christus a chrismate dicitur. Ille enim tali chrismate unctus est, qui vitæ honestate et merito sanctæ conversationis longe circumquaque suæ bonæ famæ spargit odorem. Unde Apostolus: « Christi, inquit, bonus odor sumus Deo, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco (*II Cor.* XIV, 15). » Sic igitur Ecclesia consecratur; sic Dei populus innovatur, benedicitur et sanctificatur.

Quid significet consecratio chrismatis et olei.

Nunc autem dicendum est cur in olei et chrismatis consecratione ter super eam episcopus halat. Legimus enim in Evangelio quod Dominus in discipulos insufflaverat, dicens: « Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* XX, 22). » Hic igitur halitus illam insufflationem significat, qui ideo ter quidem fit, quia Spiritus sanctus a Patre Filioque procedit, et a seipso non venit. Poterat enim Salvator noster sine omni insufflatione dare Spiritum sanctum, quem ideo insufflando dedit, ut ab ipso quoque, sicut et a patre ejus procedere intelligamus. Quamvis enim nesciamus, quomodo Spiritus sanctus a Patre Filioque procedat (hoc enim in hac vita, in qua non videmus nisi per speculum et in ænigmate, nulli revelatur), certissime tamen scimus, et nullatenus dubitamus eum procedere a Patre et Filio, id est de substantia Patris et Filii. Hoc enim ei proprium est et de nulla alia substantia procedit, a nullo alio mittitur et a nullo alio datur Spiritus sanctus. Datur enim officio sacerdotum, sed non a sacerdotibus: sic enim adest virtus Christi per insufflationem, quæ fit a sacerdotibus in honorem significationis Spiritus sancti, per verba quæ dicuntur in nomine suo (1958).

Quid cerei.

Duodecim autem cerei duodecim apostoli sunt, quorum doctrina fugatæ sunt tenebræ, quorumque prædicatione illuminatus est mundus. Lapis autem altaris non solum Christum, sed Christi quoque membra significat. De quo lapide scriptum est: « Erexit Jacob lapidem in titulum fundens oleum desuper (*Genes.* XXVIII, 18). » De quo et Psalmista: « Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV, 3). » Ergo non solum ipse, sed et consortes ejus per ipsum oleo lætitiæ uncti sunt. Unde manifestum est, quia in illo lapide et ipse significatur et membra ejus.

Quia vero sanctorum reliquiæ in altari ponuntur, altare quoque cordis nostri sine sanctorum reliquiis esse non debet, sanctorum namque reliquias in corde gestamus, si eos in mente habemus; si eorum dicta et exempla tenemus, et eorum verba memoriæ commendamus. Beata illa altaria, beata illa corda, quæ tales reliquias suscipere meruerunt. Quantas nobis beatus Paulus reliquias reliquit, quantas et alii sancti reliquerunt? Quibus ultimum nostri cordis altare repleatur et condiatur. Hæc autem de consecratione ecclesiæ dicta sufficiant.

De ritu in conferendo baptismate.

His igitur ita dispositis, dicendum est qualiter hæc sacramenta suscipiet qui ad fidem noviter venit; is enim, qui ad Ecclesiam venit, prius de fide interrogatur. Qui postquam se credere respondet, sacerdos ei in faciem insufflat, ut Spiritus sanctus ingrediatur et a Spiritu sancto malignus spiritus ejiciatur (1959). Adest enim, ut modo diximus, Spiritus sanctus, non solum verbis, quæ dicuntur in nomine suo, verum etiam significationibus quæ fiunt in honore suo. Deinde in Ecclesiam introducitur et fidelium populo sociatur; ac sacerdos ei salem ponit in ore, per quod quid significetur superius diximus. Hoc enim sal prima fidei documenta significat, sine quorum condimento insulsus est omnis homo. Postmodum vero ejus nares et aures

(1957) Hæc quæ in utroque Cod. Vat. habentur in Bacherio desunt.

(1958) Cod. Vat. editus a cl. Zazzera habet: *Quæ fit a sacerdotibus in honore et Spiritus sui sanctificatione, sicuti per verba quæ dicuntur in honore suo.*

(1959) Cod. Vat.: *Ut spiritus superbus pellatur, et a S. Spiritu*, etc.

Digitized by Google

cum saliva tangit, quod ipse Dominus et Salvator noster tunc nobis exposuit, quando exiens de finibus Tyri et veniens per Sidonem ad mare Galilææ sanavit hominem surdum et mutum : expuens enim tetigit linguam ejus, et ponens digitos suos in auricula ejus dicit : « Epheta, quod est adaperire, et statim, » ut ait evangelista, « apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte (*Marc.* VII, 35). » Saliva igitur Christi, dulce do est verborum defluentium ex ore Christi, et ipsa divinitas Christi non sanat. Nares itaque ei tanguntur, ut divinam veritatem suscipiat, qua bonum a malo discernat, odorem et sanam doctrinam separare valeat a fetore hæreticæ pravitatis. Hinc enim Ecclesiæ dicitur : « Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum (*Cant.* VII, 4). » Tanguntur autem et aures, ut verbis evangelicis pateant, et vanas, et inutiles fabellas a se repellant. « Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava (*I Cor.* XV, 35). » Deinde ad baptismum veniens prius in pectore, et inter scapulas oleo ungitur, quatenus intelligat, sine misericordiæ oleo, etiamsi baptizatur, se tamen Deo placere non posse. Et de oleo quidem superius diximus. Bene autem quidem in pectore ungitur, ubi est cor, memoria, et ratio, et intellectus : quatenus semper misericordiam in corde habeat et nunquam pietatis et misericordiæ obliviscatur. Sed quia non sufficit ut misericordia in mente solummodo habeatur, nisi et corpore exerceatur, ungitur etiam et inter scapulas, ut audiat Apostolum dicentem : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Galat.* VI, 2). » In scapulis, et super humeros feruntur onera. Hoc enim ipse Dominus ostendit, dicens de Pharisæis : « Qui alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum (*Matth.* XXIII, 4). » Oleum igitur a corde transfertur ad scapulas, quando misericordia, quæ mente concipitur, opere perficitur. De baptismo autem satis superius dictum est.

Postquam autem baptizatus est homo, suscipit vestem candidam, per quam interioris et exterioris hominis castitas et puritas signatur, audiatque Scripturam dicentem : « Omni tempore sint vestimenta tua candida (*Eccli.* IX, 8). « Ungitur autem et chrismate a sacerdote in vertice, in quo simul nomen Christi et humilitatem suscipiat. Utrumque enim et Christus, et Christianus a chrismate nominatur. Et bene quidem signum crucis, et nomen humilitatis in vertice describitur, ubi ipsa superbia sedere videbatur; semper enim superbia superiora appetit. Unde inclinato capite humiles, et recta cervice superbos stare videmus. Hos humilitas inclinat, illos superbia erigit. Sed quid dicit Scriptura? Verumtamen « Deus conquassabit capita inimicorum suorum, super verticem capilli perambulantium in delictis suis (*Psal.* LXVII, 22). » Hac igitur unctione superbia tollitur et humilitas commendatur.

De confirmatione.

Nunc autem sola confirmatio restat, quæ ab episcopis fieri jubetur, in qua totius Christianorum religionis mysterii plenitudo completur. In baptismo namque per Spiritum sanctum datur remissio peccatorum. Hic autem ipse Spiritus invitatur ut veniat, et domum ipsam quam sanctificavit, defendere et habitare dignetur. Nam et ipsi apostoli post baptismum acceperunt Spiritum sanctum, quem utique in ipso baptismo jam acceperant in remissionem peccatorum. Neque enim credendum est eos baptizatos non fuisse (1960), qui et alios baptizabant, et ipsum Dominum dixisse audierant : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei (*Joan.* III, 5). » Acceperunt autem iterum Spiritum sanctum, quo ligarent et solverent a peccatis. « Insufflavit enim Dominus in eos, » ut ait evangelista, « et dixit : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* XX, 22). » Receperunt et iterum in die Pentecostes, ad totius virtutis et scientiæ perfectionem. Ad cujus utique similitudinem et significationem hæc ultima confirmatio fieri jubetur. In quo manifestum est quod hoc sacramentum non iteratur, siquidem propter aliud, et aliud datur. (1961) Quamvis enim prius in vertice et postea in fronte chrismate ungatur, non tamen iteratur chrismatis sacramentum, quia ut superius ostendimus propter aliud, et aliud fit, sicut et baptismum iterari non dicimus cum toties aqua asperganur. Ibi enim reiteratur sacramentum, ubi idipsum datur propter idem ipsum. Veluti si quis baptizatus iterum in aquis baptismatis mergeretur, quatenus ab originali et aliis peccatis solveretur; aliter enim non rebaptizatur, etsi multoties aliquis baptismatis aquis mergatur. Hæc autem ultima consignatio (1962) ideo quidem in fronte fit, quia perfectorum est, non in occulto, sed palam, et in manifesto Christi nomen semper habere (1963). Hinc est, quod Joannes apostolus ait : « Vidi supra montem Sion agnum stantem, et cum eo centum-

(1960) S. Aug. in epist. 265 al. 108, ad Selencianam de baptismo et pœnit. Petri n. 4, tom. II, col. 897, edit. Paris. hæc habet : *Scriptum est, quando baptizatus sit apostolus Paulus, et scriptum non est, quando baptizati sint alii apostoli : verumtamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus, quemadmodum scriptum est, quando baptizatæ sint plebes Ecclesiarum in Jerusalem et Samaria, quando autem baptizatæ sint aliæ plebes gentium, quibus apostoli epistolas miserunt, non est utique scriptum, et tamen etiam ipsas baptizatas utique minime dubitamus propter illam sententiam :* « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto non intrabit in regnum cœlorum. »

(1961) D. Thom. III, p. q. 72. art. 1, ita confirmationem a baptismo distinguit : *Vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio. In confirmatione autem homo accipit quasi quamdam perfectam ætatem spiritualis vitæ.*

(1962) Cod. Vat., *confirmatio.*

(1963) Quare in administranda confirmatione unctio chrismatis fiat ab episcopo in fronte, vid. D. Thom. III, p. q. 72, art. 9, in corp.

Digitized by Google

quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis (*Apoc.* XVI, 1). » Stare enim, et in monte stare, et cum agno stare perfectorum est. Ipsi enim apostoli, antequam ungerentur, nondum stabant, nondum perfecti erant, adhuc timebant et nondum Christi nomen in fronte gerebant (1964).

De vestibus episcopalibus : quid significent vestimenta episcopalia (1965).

Expositis omnibus, quæ superius dicta sunt, de vestibus sacerdotalibus, et quid sandalia, quid amictus et ephod, quid cinctorium et subcinctorium, quid orarium et tunica, quid dalmatica et planeta, quid pallium et acus, quid mitra, quid manipulus significent, videamus. Leginus in Evangelio Christi discipulos sandaliis calceatos a Domino missos (*Marc.* VI, 9) : calceatos utique in præparatione Evangelii pacis. Si enim calceati non essent, quomodo supra serpentes et super scorpiones calcare potuissent. Respiciant igitur sandalia episcopi, respiciant calceamenta apostolica, cogitent cur ita calceati sint, imitentur eorum exempla, quorum imitantur calceamenta ; instent prædicationi, quatenus et ipsi calceati sint in præparatione Evangelii pacis. Hæc calceamenta non sunt honoris, sed laboris ; non ad quiescendum, sed ad iter agendum calceantur, qui calceantur. Hæc est igitur causa cur sandaliis episcopi utantur.

De amictu et ephod.

Amictus autem, et ephod, et cætera indumenta sacerdotalia, quæ ex lino conficiuntur, pene eamdem significationem habent. Significant enim, utriusque hominis castitatem et puritatem, quæ quia præ cæteris candida sunt et frequentius abluuntur. Eamdem significationem habent in Novo, quam habuerunt in Veteri Testamento. Et amictus quidem, quo et collum stringitur et pectus tegitur, interioris hominis castitatem designat ; tegit enim eor, ne cogitet vanitates ; stringit collum, ne inde ad linguam transeat mendacium. Ilis enim duobus, id est cogitationibus et mendacio corrumpitur anima ; his amittit castitatem et incipit fornicari. Unde ipse Dominus ait : « Quæ autem ex corde exeunt, hæc sunt, quæ coinquinant hominem ; ex corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, perjuria, homicidia, et similia : hæc sunt, quæ coinquinant hominem : non lotis manibus manducare non coinquinat hominem (*Matth.* XV, 18-20). » Sentiat igitur cor lineum amictum et candidum indumentum, quo premitur et intelligat quod in eo significatur ; et sic semper castitatis, et munditiæ amor luxuriosis, et iniquis cogitationibus non corrumpatur ; quod si aliquando corruptum fuerit, ne male tamen cogitata foris erumpere valeant, lineus amictus collum cingit et stringit. Semper igitur collum episcopi lineo stringatur amictu, quatenus eloquia ejus sint eloquia casta, et inde mendacium transire non valeat. Similiter autem et per ephod castitas corporis figuratur ; quod in renibus quidem cinctorio stringitur, quia ibi præcipue luxuria dominatur (1966). Unde ipsa Veritas ait : « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII, 15). » Lumbos enim præcingere est luxuriæ impetus castitatis imperio refrenare. Hinc et de diabolo dicitur : « Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo illius in umbilico ventris sui (*Job* XL, 11). » Necesse est igitur, et ephod, id est virtus, et fortitudo castitatis illis in locis stringatur, et figuratur, in quibus maxima luxuria dominatur. Cinctorium enim significat legem et justitiam, quia sicut cinctorium substentat vestes, ne a stercore terræ tangantur ; sic lex et justitia constringunt fideles, ne vergant 605 animam ad mundi hujus delicias. Ab hoc autem cingulo, sive cinctorio duplex subcinctorium pendet, quia duo sunt, quibus castitas roboratur et sine quibus difficile conservatur, id est oratio et jejunium. Attendant igitur ad subcinctorium episcopi, instent jejunio et orationi : his armis se defendant ab impetu libidinis et spiritu fornicationis : « Hoc etenim genus non ejicitur, nisi in oratione, et jejunio (*Matth.* XVII, 11), » Domini verba sunt.

De orario.

Sed quid per orarium intelligimus, nisi id quod Dominus ait : « Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris ; jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* XI, 29). » Orarium itaque simul jugum, simul et onus est : unde fit ut sacerdotibus circa collum et supra pectus in modum crucis, ut semper memoriam Crucifixi habeant, et diaconibus supra humeros ponatur ; ut enim collo portatur jugum, sic et humeris onera portantur. Lege in Levitico, et videbis solos Levitas ferendis oneribus destinatos (*Levit.* I *et* II). Vocatur autem orarium, quia quamvis sine aliis indumentis sacerdotalibus et baptizare, et consignare, et alia multa orando facere liceat, sine orario tamen, nisi magna necessitate cogente, nihil horum agere licet. Et quod extenditur usque ad pedes, virtus humilitatis et perseverantiæ exprimitur.

De tunica.

Tunica autem in Veteri Testamento hyacinthina solummodo erat et alterius coloris non erat, per quam

(1964) Id. cod. Vat. perfectiorem lectionem habet : « Ipsi enim apostoli antequam ungerentur, antequam, Spiritu sancto confirmarentur, nondum stabant, nondum perfecti erant ; adhuc timebant, et nondum Christi nomen in frontibus gerebant. Hæc autem confirmatio septem diebus observari debet, propter septiformem gratiam Spiritus sancti. »

(1965) Post S. Brunonem Signiensem plures sunt scriptores, qui de vestibus pontificalibus, seu sacerdotalibus egerunt, quos Philippus Zazzera recensuit pag. 379. S. episcopus ergo lumen cæteris præfulsit, ut quæ in ritu sacrorum vestimentorum mystice continentur, explicarent.

(1966) Ephod significat indumentum sacerdotale, quod in Exodo et in Levitico dicitur superhumerale, quasi sit indumentum.

Digitized by Google

ngelica vita et cœlestis conversatio designatur. Cœli namque colorem habent hyacinthi (1967). Et tali quidem tunica Apostolus indutus dicebat : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20). » Ad hanc igitur tunicam respiciat episcopus, totusque mente et desiderio ad cœlestia transferatur. Si enim candida fuerit, significat, quod omnes, qui Scripturarum cibos Ecclesiæ subministrant, candidi esse debent et immaculati. Si autem alterius coloris tunica fuerit, sit et alterius significationis.

De dalmatica.

Dalmatica (1968) vero magis ad ornatum quam ad significationem pertinere videtur, quæ et post alia indumenta sacerdotalia inventa esse probatur. Fimbriæ tamen, quæ in dalmaticis a sinistro latere pendent, hujus vitæ impedimenta, superfluitates et sollicitudines significare possunt; quæ, quoniam in altera vita non sunt, merito neque fimbriæ in dextero latere ponuntur : per dexteram namque, et sinistram utramque vitam significari usitatissimum est, unde et illud : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (*Cant.* II, 6). » Qui igitur dalmatica induitur, utriusque vitæ recordetur, eligat meliorem, illam videlicet quæ impedimenta, superfluitates, curas et sollicitudines non habet.

De planeta.

Sed quid planeta, quæ et *casula* vocatur, nisi charitatem significat (1969) ? Unde et merito superior est. Siquidem Deus charitas est. Hæc enim vestis omnia alia vestimenta intra se claudit et continet, sicut et in charitate omnia legis et prophetarum mandata continentur, dicente Apostolo : « Plenitudo legis charitas est (*Rom.* XIII, 10) (1970) », et Dominus in Evangelio : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum, sicut teipsum : in his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ (*Matth.* XXII, 37 *et seqq*). » Quia igitur planeta omnia alia vestimenta continet intra se, merito illam virtutem significat, quæ omnia legis et prophetarum mandata continet in se.

Quid pallium significet.

Restat nunc ut de pallio dicamus, per quod simul utrumque et superhumerale et rationale (1971) intelligimus. Quia enim super utrumque pontificis humerum jacet, superhumerale dicitur. Quia vero inde descendens in ipso pontificis pectore jungitur, rationale vocatur. Habebat enim Aaron superhumerale et rationale, quæ catenulis aureis simul jungebantur; et superhumerale quidem ab humero usque **605** ad humerum extendebatur. Rationale vero quadrangulum erat et duplex, sicut et pallium duplex est. Habebat autem mensuram palmi tam in longitudine quam in latitudine, quæ mensura pectori pontificis ornando et operiendo sufficeret. Habet igitur pallium eamdem cum superhumerali et rationali significationem, quamvis eamdem non habeat compositionem. Dicamus itaque quid superhumerale et quid rationale significet, et hoc breviter, quia de his sufficienter in Exodo diximus. Quid enim superhumerale, quo humeri episcopi ornantur et onerantur, nisi episcopalis dignitatis onus significat? Magnum onus est dignitas episcopalis : isti humeri totius Ecclesiæ onera ferre, et oves languidas et populi peccata ferre debent. Illi episcopi superhumerale non habent, qui aliorum onera ferre recusant : quales erant illi de quibus Dominus ait : « Alligant onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeris hominum, digito autem suo nolunt ea movere (*Matth.* XXIII, 4). » Summus autem Pontifex ille noster tali superhumerali ornatus erat, qui relictis ovibus nonaginta novem, unam, quæ perierat, quærere venit, quam inventam propriis humeris imposuit et ad pascua reduxit. Rationale vero quid significet, et nomine ipso et loco super quem ponitur, intelligi potest. Ponitur enim super pectus pontificis, ad cordis thesaurum et sapientiæ secretarium custodiendum. Hoc enim rationale super pectus habet ille, qui dicebat : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (*Psal.* CXVIII, 2). » Ubi est enim rationale, ibi est ratio, et sapientia, et scientia; hoc enim rationale significat. In quo igitur pectore et corde ista non fuerint, ibi rationale poni non debet : si enim ponitur, inutile est et quasi sigillum nihil custodiens. Dicitur autem rationale judicii ; ut qui eo utitur rationabiliter judicet, sapienter judicet, vera judicet, nihil temere, nihil incaute, nihil inordinate judicet. Hæc autem de rationali et superhumerali dicimus, quatenus per hæc, quid pallium significet intelligatur. Est autem pallium in sinistra duplex, quia quandiu in hac vita sumus, quæ per sinistram significatur, duplicitate carere non possumus, siquidem nunc prosperis extollimur, nunc adversis frangimur; nunc terrena petimus, nunc cœlestibus adhæremus; nunc carni, nunc menti servimus. In dextera vero pallium duplex non est, quia in altera vita duplicitas nulla est; ibi enim est prosperitas sine adversitate, gaudium sine tristitia, felicitas sine miseria; illa igitur vita caret duplicitate, non habens maculam neque rugam. Fit autem pallium ex lana, vili scilicet materia, ut habeat pretium non a se, sed in eo quod significatur in se, ut non oculis, sed mente spectabile sit, ut non ad ornandum, sed ad aliquid significandum indui intelligatur.

De vittis.

Vittas autem, quæ in pallio positæ ante, et retro, rationale et superhumerale ad inferiora trahunt, hu-

(1967) Cod. Vat., *hyacinthinum*.

(1968) Cod. Vat. his incipit hujusmodi explicatio-em : « Per dalmaticam, quæ candida duabus lineis ocineis ante, et retro, a summo usque deorsum coratur, mentis munditia cum utriusque Testamenti edicatione, et Dei, et proximi designatur dilec-one, quibus fulgere debet sacerdos et diaconus. Fimbriæ, » etc.

(1969) Edit. Venet. Lugdu. et Dacherius habent *designat*.

(1970) *Plenitudo ergo legis est dilectio*. Ita D. Paulus ad Rom. XIII, 10.

(1971) Cod. Vat., *significatur*.

Digitized by Google

jus vitæ curas et sollicitudines significare putamus, quibus et cor et humeri pontificis sic sæpissime gravantur et impediuntur, ut a proprio statu eum avertant, et vana quædam et transitoria eum cogitare et portare compellant. Has igitur vittas inspiciat episcopus, et earum iniquo gravamine cor humerosque excutiat.

De acu.

Acus autem non ad pungendum, id est non propter vitæ hujus punctiones, ut quidam putant, sed ad planetam palliumque jungendum inventæ sunt. Quædam ansulæ antiquitus in planeta positæ erant, quibus acus inferebantur et pallium simul cum planeta firmabant, ne a suo loco pallium moveretur. Possumus autem per acus, quia tres sunt, fidem, spem et charitatem intelligere, sine quibus pallium ab episcopo teneri non potest. Qui igitur habet pallium, habeat et acus, quibus liget et stringat, et teneat pallium. Et de pallio quidem tantum nos dixisse sufficiat.

De mitra.

Mitra autem, quia linea est (1972), castitatis candorem munditiamque significat, sicut et amictus et ephod, de quibus superius dictum est. Bene autem totus a capite usque ad pedes lino **606** episcopus operitur, quia omnis ejus honor et gloria, castitas et munditia est. Hoc autem ornamentum multum erat capiti necessarium, quia ibi sunt quinque corporis sensus, quibus corruptis facile castitas violatur. Unde Psalmista : « Averte, inquit, oculos meos, ne videant vanitatem (*Psal.* CXVIII, 37). » Et beatus Job: «Pepigi,» inquit, «fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de virgine (*Job* XXXI, 1). » Ne igitur sensus episcopi violentur, merito mitra castitatis ejus caput ornatur et operitur.

De manipulo.

Sed quid per manipulum, nisi bona opera intelligamus? Unde et illud: « Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos (*Psal.* CXXV, 6). » Cogitet igitur episcopus quid in ejus manu sinistra manipulus significet, ne quando bonæ operationis in præsenti vita, quæ per sinistram significatur, obliviscatur. Nisi enim aliquid significaret, ridiculum quoddam videretur esse in manu manipulum ferre. « Est igitur hoc, sicut scriptum est, signum aliquod de manu nostra, et quasi appensum quid ante oculos nostros (*Exod.* XIII, 16) (1973). »

De chirotecis.

Quæris fortasse cur manus quoque chirotecis induantur? Breviter respondeo : ut castæ sint, mundæ sint, et ab omni sorditate immunes et nitidæ sint.

De annulo.

Annulus quoque in digito episcopi quoddam signum esse videtur, per quod Christi vicarius esse intelligitur, ut ejus sponsam, quæ est Ecclesia, regat et custodiat. De hoc enim sponso et sponsa Joannes loquitur, dicens : « Qui habet sponsam sponsus est (*Joan.* III, 29) ; » amicus autem sponsi quis?... Est igitur episcopus et amicus, et vicarius sponsi : quod si vicarius est, et ipse quodammodo sponsus est.

De summo pontifice.

Summus autem pontifex propter hæc et regnum portat (sic enim vocatur) et purpura utitur, non pro significatione, ut puto, sed quia Constantinus imperator olim beato Silvestro omnia Romani imperii insignia tradidit (1974). Unde et in magnis processionibus omnis ille apparatus pontifici exhibetur, qui quondam imperatoribus fieri solebat. Hæc autem de vestibus sacerdotalibus dicta sint.

De consecrationibus episcoporum.

Nunc autem dicendum est quid in episcoporum consecrationibus Evangeliorum liber humeris impositus, et capitis, et manuum unctio designet. Fiunt enim sub figura fieri videntur; non autem ad sortes quærendas, ut stulti opinantur. Evangeliorum liber ejus, qui conseeratur humeris imponitur, ut per hoc intelligatur cui labori et oneri subjicitur (1975), et ut pondus prædicationis eum circumquaque ferre non pigeat. Et quia non solum episcopus, sed et rex in Ecclesia constituitur, secundum antiquorum consuetudinem, ejus caput ungitur ejusque corona chrismate consecratur. De hoc enim unguento scriptum est : « Sicut unguentum in capite, quod descendit in

(1972) De *Mitra linea* Josephus Catalanus in Prolegom. in Pont. Rom. cap. 19, de Mitra tom. I, pag. 24. *Mitræ usus*, inquit Cæremoniale episcoporum, lib. I, cap. 17, § 1, *antiquissimus est, ut ejus species triplex est; una quæ pretiosa dicitur, quia gemmis, et lapidibus pretiosis, vel lamnis aureis, vel argenteis contexta esse solet, altera auriphrygiata sine gemmis et sine laminis aureis, vel argenteis*, « sed vel ex aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermisto, vel ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis. Tertia simplex vocatur sine auro, ex simplici serico Damasceno, vel alio; aut etiam linea, ex tela alba confecta rubeis lacinlis, seu frangiis et vittis pendentibus. » Vid. plura loco cit. art. 13. Hiis locum hunc illustravit cl. Zazzera pag. 396.

(1973) « Priscis temporibus sudarium quoque appellabatur : tunc enim sudarium seu linteolum in læva gestabant ad sudorem vel lacrymas extergendas, et præcipue ad vasa polienda. » Ita Zazzera.

(1974) His, quæ ex Brunone decerpsit auctor explicationis divinorum officiorum a Philippo Zazzera editus, hanc idem apponit adnotationem pag. 396. Dominicus Georgius de Liturgia Roman. pontif. cap. 27, tom. I, pag. 240, hæc habet : « Vulgus scriptorum originem hujus regni gestandi deducens ab mentita Constantini donatione putat, adeoque primum S. Silvestrum usum fuisse. Daniel Papebrochius hanc originem minime referendam esse suspicatur Constantini donationi acriter contendit, licet exordia deferendæ tiaræ S. Silvestro adscribat, qui propria electione pileum sumpserit Romano more, seu libertatis symbolum eumque auro phrygio, seu diademate exornavit, qua ad caput accedit ad regale *sacerdotium;* sacerdotum omnium maximo collatum a Christo significandum. A Bonifacio vero VIII aliam coronam additam, ut regni spiritualis ac temporalis prærogativam exprimeret; tertiam vero mystici numeri causa ab Urbano V additam. »

(1975) Cod. Vat., *ut per hoc intelligat cui labori et oneri subjiciatur.*

Digitized by Google

barbam, barbam Aaron (*Psal.* CXXXII, 2). » Firmissime autem credendum est, quod hac unctione, et Christi benedictionem et Spiritus sancti majorem gratiam suscipiat. Unguntur autem et manus, ut quæcunque benedixerint benedicantur, et quæcunque sanctificaverint, sanctificentur. Hæc autem unctio in episcopo otiosa esse non debet. Ungitur exterius, ungatur et interius : **607** ungitur in capite, ungatur et in mente; nam et mens caput est; caput utique, sed melioris et interioris hominis. De hoc enim capite Dominus ait : Tu autem cum jejunas, unge caput tuum (*Matth.* VI, 17). » Unge, inquit, sed quo oleo? non olivæ, sed misericordiæ. Ungatur igitur mens pietatis et misericordiæ oleo, ut bonæ vitæ et sanctæ conversationis longe circumquaque cunctis suavem et detectabilem spargat odorem. Quæ enim mens tali olec unctа fuerit, omnium miserebitur et super omnes cordis compassione movebitur. Sed quia non sufficit mente tantum et voluntate misereri, unguntur et manus, ut misericordia, quæ mente concipitur, manibus quoque exerceatur. Ungantur igitur manus episcopi pietatis et misericordiæ oleo; nemini claudantur, omnibus aperiantur. Audiat quid de Ecclesia dicitur : « Manum suam aperuit inopi, et brachium suum extendit ad pauperem (*Prov.* XXXI, 20). » Manus arida, manus avara, manus tenacitate contracta non potest aperiri. Ungatur igitur et sanetur; ungatur et aperiatur, et indigentibus eleemosynas largiatur.

S. LEONIS PAPÆ IX VITA

AUCTORE S. BRUNONE.

Bruno Signiensis episcopus omnibus fidelibus et catholicis universis.

Gratia (1976) vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Deo nostro Jesu Christo. Psalmista loquitur, dicens: Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum (*Psal.* XXXIII, 4). » Qua in re manifestissime docet, ut nos quoque ad Dei laudem magnificentiam, quoscunque possumus, invitemus. Omnis enim laus, omnis virtus et gloria sanctorum ad illum refertur, qui est mirabilis in sanctis suis; qui suis quoque discipulis ait : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV, 7). » Ipse in singulis coronatur et in omnibus honoratur, ipse in eis loquitur, ipse in eis pugnat et vincit. Unde et isti fideles, et servi ejus non immerito dicunt : In Deo faciemus virtutem (*Psal.* CVII, 14), et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Laudemus ergo sanctos Dei, honoremus amicos Dei : siquidem ipse laudatur, et magnificatur in eis, qui hanc tantam gloriam, virtutes et magnificentiam dedit eis. Rogo itaque, magnificate Dominum mecum, et in hac tanta solemnitate Beati Leonis summi pontificis et universalis papæ exaltemus nomen ejus in idipsum.

Mundus (1977) totus in maligno positus erat; defecerat sanctitas, justitia perierat et veritas sepulta erat : regnabat iniquitas, avaritia dominabatur; Simon Magus Ecclesiam possidebat, episcopi et sacerdotes voluptatibus et fornicationi dediti erant. Non erubescebant sacerdotes uxores ducere, palam nuptias faciebant, nefanda matrimonia contrahebant, **608** et legibus eas dotabant, cum quibus secundum leges, nec in una domo simul habitare debebant. Sacri namque canones nullas alias mulieres simul cum hoc ordine habitare permittunt, nisi eas solas quæ omni careant suspicione. Sed, quod his omnibus deterius est, vix aliquis inveniebatur, qui vel Simoniacus non esset, vel a Simoniacis ordinatus non fuisset (1978). Unde etiam usque hodie inveniuntur quidam, qui male argumentantes ab illo jam tempore sacerdotium in Ecclesia defecisse conten-

(1976) De hac S. Leonis papæ IX Vita, a S. Brune Signiensi episcopo exarata, mentionem faciunt Bollandiani ad diem 19 mensis Aprilis, pluribusque locis ejus testimonio utuntur. Eruditissimus etiam Pesul Stephanus Borgia, nunc S. R. E. cardinalis splissimus ejusdem Vitæ meminit tom. II Hist. Benevent. pag. 293, 311 et 313. Eamdem in commendat præclara in defensione dominii temporalis apostolicæ sedis in utraque Sicilia, anno proxime elapso typis edita : ubi plures refert scriptores laudibus Brunonis consentientes.

Vibertus Eccl. Tullensis archidiaconus gesta Leonis publicavit. Huic additur anonymus scriptor, cujus vitam sancti pontificis ex cod. ms. Sessoriano primus in lucem protulit idem eminentissimus Borgia in cit. Histor. Benevent. tom. II, pag. 299 et seq. Leo similiter cardinalis Ostiensis in Chronico Casinensi insignia ejusdem pontificis acta persæpe summa cum laude commemorat.

Clariss. Ludovicus Ant. Muratori part. II, tom. III, Rerum Italicarum Brunonis Vitam S. Leonis reliqua inter monumenta memoriæ dignissima retulit.

(1977). Mirum esse non debet, si Bruno plenus zelo domus Dei hujusmodi locutionibus utatur, quæ videntur per se universum orbem Christianum vitiis multis deformatum, præcipue vero Simoniæ crimine infectum ostendere. Verum quamvis error ille, et corruptio late pateret, attamen ex historia ecclesiastica satis compertum fit plures episcopos, aliosque ecclesiasticos viros illo ævo vitæ integritate coruscare, et sacrarum ac canonicarum legum custodes optimos se præbere. Alii quoque Patres similibus in circumstantiis simili usi sunt loquendi more.

(1978) Primas inter curas Leonis IX, cum ad Ro-

Digitized by Google

dant. Aiunt enim : Si omnes tales erant, id est, si omnes Simoniaci erant, vel a Simoniacis ordinati, vos qui nunc estis, unde huc venistis? Per quos, nisi per illos transistis? Non fuit via aliunde. Ergo illi, qui vos ordinaverunt, ab illis et non ab aliis suos ordines susceperunt qui vel Simoniaci erant vel a Simoniacis ordinati erant. Ilis autem postea respondebimus, quoniam hæc quæstio non parvam quærit disputationem. Nunc interimea, quæ cœpimus, prosequamur.

Talis erat Ecclesia, tales erant episcopi et sacerdotes, tales fuerant aliqui ex Romanis pontificibus, qui omnes illuminare debebant : omne sal erat infatuatum, neque erat aliquid in quo condideretur. Et nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus. In hac igitur tanta tempestate beatus Leo spostolici culminis cathedram ascendit (1979), ut hæc talis tantaque lucerna, universali candelabro superposita, luceret omnibus, qui in domo sunt.

Erat enim hic Tullensis episcopus Bruno nomine, nobilis genere, forma speciosus; sed speciosior sanctitate, litteris instructus, doctrina potens, moribus ornatus et quæcunque huic ordini necessaria sunt, simul in eo omnia convenerant. Et talis quidem magister necessarius erat, qui tali tempore, et tales discipulos habiturus erat.

A Convenerunt itaque viri religiosi simul cum Henrico imperatore (1980), viro per omnia prudentissimo, et legatis Romanorum, qui tunc temporis ibi erant, præfatum episcopum multum deprecantes, ut pro amore principum apostolorum Petri et Pauli, Romanæ Ecclesiæ subveniret, seseque pro fide et religione christiana periculis tradere non timeret (1981). Timebat enim gens illa hujus nostræ terræ habitationem, utpote quæ de locis sanissimis ad loca infirma transmearet.

Beatus autem ille episcopus, non loci infirmitatem, sed tantæ Ecclesiæ sublimitatem ascendere metuebat. Sic enim et Moyses fecisse legitur; quem cum Dominus Israelitico populo præponere voluisset, ait : « Obsecro Domine, mitte B quem missurus es (*Exod.* IV, 13).» Victus tandem eorum precibus, quod illi postulabant, se sub hac conditione facturum esse promisit. «Ego, inquit, **609** Romam vado; ibique si clerus et populus ita sponte me sibi in pontificem elegerit, faciam quod rogatis : aliter electionem nullam suscipiam (1982).» At illi gavisi confirmant sententiam, et laudant conditionem. Illis autem diebus, erat ibi monachus quidam Romanus, Ildebrandus nomine, nobilis indolis adolescens, clari ingenii, sanctæque religionis (1983). Inerat autem ille, tum discendi gratia, tum etiam ut in aliquo religioso loco sub beati Benedicti Re-

manam sedem ascendit, hæc fuit ut Romæ concilium episcoporum haberet, in quo de eorum ordinationibus per quam diligenter perquisitum est et plures C episcopi immunes a Simonia reperti sunt; aliqui ad pœnitentiam revocati, alii contumaces ab exercitio ordinis interdicti. Hujusce S. Leonis sollicitudinis fit mentio in canone I concilii Rom. ab Alexandro II, an. 1063, coacti, in quo iterum Simonia damnata fuit. Hic ergo canon ita se habet apud clariss. Carolum Berardi part. II, tom. II, pag. 401 : *Primo namque inspectore Deo, sicut a S. papa Leone et a S. memor. Nicolao primum statutum est, erga Simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus; sed juxta sanctiones et decreta SS. Patrum, eos omnino damnamus, ac in Ecclesia non præesse apostolica auctoritate decernimus.* Cum etiam ad rem nostram faciat canon. II, qui de illis Simoniacis agit, qui gratis ab episcopis Simonia infectis ordinati sunt, cum eisdem pro circumstantia temporum indulgendum esse dicit; proindeque ait : *Eos, qui usque modo gratis sunt a Simoniacis ordinati, non tam obtentu justitiæ, quam intuitu misericordiæ, in acceptis ordinibus manere permittimus; nisi forte alia culpa ex vita eorum secundum canones eis obsistat. Tanta quippe talium multitudo est, ut rigorem canonum super eos servare non possumus, necesse sit, ut dispensatione ad piæ condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus*, etc.

(1979) Successit in pontificatu Romano Damaso II, qui Romanam sedem 23 diebus solum tenuerat, datusque fuerat successor Benedicti IX, post ejus recessum ad agendam suorum peccatorum pœnitentiam. De hoc pontifice scriptores illius temporis referunt, potentia comitum Tusculanorum ad S. Petri cathedram evectum semel, et iterum depulsum, tertio eam occupasse. Ita Spondanus ad an. 1045 et Fleurius lib. LIX, post Leonem Ostiensem, aliosque plures idem asserentes. Dissentit ab his clarissimus Carolus Sebastianus Berardi in part. II, tom. II. Correct. Gratiani pag. 375, qui Leonis II electionem collocat anno 1048.

(1980) Fuit Henricus II, anno regni ejus III.

(1981) Defuncto igitur (ut dictum est) Damaso, et Benedicto sedem rursum sibi vindicare niteute; ne tale monstrum iterum subire sancta Ecclesia cogeretur, necessaria missa est a Romanis in Germaniam legatio ad Henricum imperatorem, qua petierunt pontificem ab eo dari. Sed hujusmodi legatio a cardinalibus missa fuit, non ut ipse imperator papam eligeret, sed quem sibi utilem fore putaret, Romam mitteret, ut ex more consilio cardinalium in ipsa Urbe pontifex eligeretur. Spondanus ad an. 1049.

Splendorem autem pristinum apostolicæ cathedræ reddidit S. Leo IX antea Bruno Tullensis episcopus, electus in conventu Vormatiensi. Qui Simoniacis pluries damnatis, Berengarii proscripti hæresi, amoto a sacerdotii honore Gregorio Vercellensi reo adulterii, ac perjurii, devictisque hostibus, religione potius, quam armis, dum ageret sextum D pontificii muneris annum, ad cœleste regnum migravit an. 1054 die 19 Aprilis. Berti Histor. Eccl. tom. II, pag. 6.

In nota hæc addit : Leonis IX electio contigit an. 1048, sed ea conditione, ut ejus electio approbaretur a clero, populoque Romano. Advenienti itaque Romam omnium consensu, plausuque throno pontificium conscendit proximo anno 1049, pridie Idus Februarii. Fuit filius comitis Daspurgensis, natus anno 1002. Creatus est Tullensis episcopus et monacho Ord. S. Benedicti anno 1026. Plura de illo Richerius in Chronico abbatiæ Senoniensis, edito a D. Dacherio tom. II Spicilegii.

(1982) Item confirmant Wibertus cap. 2, lib. cit. et anonymus Beneventanus, qui pompam Urbis, celebritatemque eo die quo Leo publicis suffragiis et acclamationibus pontificatum Rom. assumpsit, describit.

(1983) Hic natione Tuscus, patria Suanensis disci-

Digitized by Google

gula militaret. Hunc igitur beatus episcopus vocavit ad se, cujus propositum, voluntatem et religionem mox ut cognovit, rogatus eum ut simul cum eo Romam rediret. Cui ille: «Non facio,» inquit. Respondit episcopus: «Quare non?» At ille: «Quia non secundum canonicam institutionem, sed per sæcularem et regiam potestatem Romanam Ecclesiam accipere vadis.» Ille autem, ut erat natura simplex atque mitissimus, patienter ei satisfecit, reddita de omnibus, sicut ille voluerat, ratione. Quo nimirum in facto beati Petri apostoli, cujus successor mox ipse futurus erat, imitatorem se gessit. Cum enim Cornelium baptizasset, hominem scilicet gentilem, et a religione Judæorum extraneum, ab aliis apostolis reprehensum, quod ad hominem intravit præputium habentem, non dedignatus est de omnibus reddere rationem (*Act.* x).

Et tunc episcopus Romam veniens prædictum monachum secum adduxit, multum in hoc ipso B. Petro apostolo serviens, quod illum hominem secum reducebat, cujus consilio et sapientia Romana Ecclesia aliquando regenda et gubernanda erat. Hic est enim Gregorius VII papa, cujus prudentiam, constantiam et fortitudinem, cujus pugnas et labores enarrari alterius temporis et operis est (1984). Et secundum Romanam consuetudinem cum magnis laudibus a clero et populo in pontificem electus est. Deinde vero in B. Petri apostoli cathedram elevatus, divina, ut opinor, operante providentia, mutato nomine, Leo vocatus est. Vicerat enim Leo de tribu Juda, a qua iste Leo originem ducens, factis fortissimis, bestiarum ad nullius timeret incursum. Cujus quidem rugitus mox terram commovit, terruit sacrilegos, turbavit, et conjugatorum exercitum vulneravit. (1985) Iste enim beatificus pontifex, sancti Spiritus igne inflammatus maxime contra Simoniacos exarsit, et ut clericorum ordo caste et religiose viveret, antiquos canones confirmavit, multum hoc ipso, ubi necessarium fuit, dispensatorie condescendens, et parva indicta pœnitentia, apostolica auctoritate, de præteritis parcens, ne tale ulterius committerent admonebat. Hoc autem in exemplum suscipi non oportet, quod pontifex non voluntate, sed necessitate agebat, nisi et causa fortasse et similis sit, quia multoties Ecclesiæ rectores ea tolerare cogit, quæ corrigi non possunt. Quanta ei benignitas circa omnes, quanta humilitas, quanta mansuetudo, quam largus, quam affabilis, quam omnibus compatiens fuerit, quis dicere valeat? Omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret (*I Cor.* IX). Sermo ejus sale conditus, et mulcebat pios, et terrebat impios (1986).

Sed jam nunc ad ea veniamus, quæ per eum Dominus operatus est; non quod omnia scribere velimus, quæ de eo audivimus, vel etiam scripta reperimus (1987). Multa nobis beatus Gregorius papa, cujus superius mentionem fecimus, de hoc viro narrare solebat, a quo et ea, quæ usque modo dixi, magna ex parte me audisse memini. Qui cum nobis audientibus aliquando de ipso loqueretur, cœpit nos increpare, et me præcipue, ut mihi videbatur (siquidem in me oculos intentos habebat), quoniam beati Leonis facta silentio perire pateremur, et quod ea non scriberemus, quæ Romanæ Ecclesiæ 610 ad gloriam, et multis audientibus forent ad humilitatis exemplum. Sed quoniam in commune verba fundebat, et nulli nostrum specialiter hoc agere jubebatur, nemo fuit qui ea scriberet quæ omnibus scribenda mandabat. Nec ego quidem nunc ea scripsissem, nisi quodammodo, ut ea scribere coactus essem, sicut in sequentibus manifestabo. Pareat mihi uterque pontifex, quoniam utrumque me in hoc offendisse cognosco. Hoc igitur primum dicamus, quod in partibus Galliæ, admirabili Dei providentia per eum factum audivimus. Cum enim beatus Leo ibi concilia celebraret, multique ibi episcopi de Simoniaca hæresi accusarentur, inter cæteros accusatus est quidam, qui præ cæteris suspectus amplius habebatur: sed cum ejus accusatio certis indiciis probari non posset, adjuravit eum pontifex, ut ipse de seipso diceret veritatem; qui cum veritatem dicere nollet, et suam iniquitatem modis omnibus celare conaretur, ait ad eum beatus Leo: «Si ergo, ut asseris, Simoniacus non es, et si in Spiritum sanctum non peccasti, dic mihi, si potes: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.» Cumque ille dixisset «Gloria Patri, et Filio,» quamvis multum conaretur, nullo modo et Spiritui sancto dicere valebat, atque ita-

nulus fuerat Gregorii VI pontificis, ab eoque ductus in Germaniam, cucullum S. Benedicti in monasterio Cluniacensi acceperat.

(1984) Hic patet Brunonis voluntas S. Gregorii VII Gesta scribendi; quod utinam perfecisset! nemo enim diutius et familiarius cum eo conversatus est. Sed hæc pauca, quæ de eo tradidit, et quæ ab aliis scriptoribus sunt exarata, de invidia et de temeritate eos omnes satis evincunt heterodoxos præclaro ejus nomini obtrectatores. Confundunt etiam levitatem illorum, qui nostris diebus celebritatem diei ejus festi abrogarunt.

(1985) Duas synodos pontificatus sui anno I habuit Leo, primam Romæ, alteram Papiæ, in quibus plures canones pro restauranda Ecclesiæ disciplina facti sunt: præcipue contra Simoniacos et incontinentes clericos. Romanam synodum Leonem statim congregasse anonymus Beneventanus pariter retulit. «Nam facta, inquit, primum synodo, quomodo Ecclesiarum pastores in suis se ordinibus haberent, sollicite perquisivit. Et quos catholicos reperit, magis ac magis deprecabatur verbis, ut unusquisque super gregem suum studiosius vigilaret. Quos vero Simoniacos, seu Simoniacorum participes invenit; vel indicta pœnitentia, quam debuit, in gradum pristinum revocavit, sive prorsus ordine irrevocabiliter privavit.»

(1986) Hoc in testimonio eximias Bruno S. Leonis virtutes complexus est, præcipue vero prudentiam et liberalitatem, quibus omnium animos sibi mirifice conciliavit. Nonne admiranda est ac summopere commendanda divina providentia, quæ talem pontificem suæ reparandæ Ecclesiæ dedit?

(1987) Omittere nolumus finitam a Leone controversiam a pluribus diu agitatam de reordinandis a Simoniacis ordinatis, de qua Petrus Damiani scripserat, et asserentes iterandam ordinationem refu-

Digitized by Google

ipsum sæpius repetens cum aperto ore Spiritum sanctum nullatenus nominare potuisset, omnibus, qui aderant, manifestum apparuit, in Spiritum sanctum eum deliquisse, cujus nomen dicere non valebat (1988). Omnes igitur in commune Deo gratias agebant, qui tam novum signum, tamque inauditum miraculum eis ostendere dignatus fuerat. Hujus itaque judicio nonnulli perterriti, ipsi per se ad pontificem veniebant, seque ipsos accusantes suas conscientias ei revelabant. Tunc quoque Cluniacensis abbas, bonæ spei adolescens, cum a beato Leone interrogaretur si de illa suâ tanti cœnobii prælatura aliquando ambitionem habuisset, ut veritatis discipulus, id quod erat respondit, dicens : « Secundum carnem quidem habui, secundum spiritum non habui. » Quæ responsio tam grata, tamque laudabilis omnibus fuit, ut statim præ nimio gaudio in omnium corde scriberetur; seque vicissim, quid responderit interrogabant, et eadem ipsa verba tenere valuissent. Ipse autem non senex, et plenus dierum, cunctis venerabilis, cunctisque amabilis, idem ipsum monasterium venerabile sapientissime regit adhuc, vir per omnia laudabilis, difficilis comparationis et singularis religionis. Aliud quoque miraculum de eodem pontifice beatum Gregorium dicentem audivi; quod ego quidem nullatenus prætermittendum puto. Habuerat, inquit, beatus Leo magistrum quemdam, virum sapientem, et bene religiosum, qui unum scyphum ligneum ei mandavit, postquam Romanæ Ecclesiæ pontificatum suscepit. Hunc autem scyphum pontifex venerabiliter charum habebat, et pro beati Remigii veneratione, cujus ille scyphus dicebatur, libentius in illo, quam in vasis aureis et argenteis bibere solebat. Factum est autem, ut incante positus in terram cadens, in duas partes divideretur. Cum autem secundum consuetudinem beatus pontifex vinum sibi afferri jussisset, stabat pincerna facie turbatus, sibique conscius de damno, quod sibi acciderat. Cui pontifex : « Quid habes ? » At ille : « Quia scyphus fractus est. » Dixitque beatus Leo : « Vere fractus ? » Et pincerna : « Fractus, mi domine. » Cui ipse : « Affer, inquit, illum ad me. » Qui cum attulisset, suscepit eum pontifex in manus suas, et coaptans particulas ad se secundum convenientias, quibus prius ad invicem sibi hærere videbatur, tenuit eum paulisper in manibus; deinde vero sanum et integrum reddidit ministro, et ait : « Vade, et misce » Huic autem miraculo beatus Gregorius interfuit, nobisque narravit. Cui alius quidam non tantæ auctoritatis vir, se nihilominus interfuisse et vidisse, postea mihi dixit.

Cum autem beatus Leo Romæ esset, et sedem apostolicam in pace rexisset, multi ex Apuliæ finibus veniebant, oculis effossis, naribus abscissis, manibus pedibusque truncatis, de Northmannorum crudelitate miserabiliter conquerentes. Unde factum est, ut vir mitissimus, pietate et misericordia plenus, illi tam immensæ miserorum afflictioni compatiens, illius gentis superbiam conaretur humiliare (1989). Collecto igitur modico quidem, sed fortium militum suæ gentis exercitu, super Northmannos prælaturus vadit (1990); zelum quidem Dei habens, sed non fortasse secundum scientiam. Utinam non **611** ipse per se illuc ivisset (1991). Sed quid multa? Conveniunt utriusque partis exercitus, multi cum paucis pugnaturi (1992). Fit cædes immensa, multus hinc et inde sanguis effunditur; isti fortitudine, illi multitudine instant. Poterant isti dicere in morte sua, quod Salvatorem nostrum dixisse legimus in passione sua : Non haberent in nos potestatem, nisi datum eis fuisset desuper. Sed quid est hoc, quod boni vincuntur, et mali vincunt? « O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » (*Rom.* XI, 33.) Superantur illi, qui pro justitia pugnant; superant illi, qui justitiam impugnant. De talibus tamen Apostolus nos consolatur, dicens : « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia coope-

taverat. Statuit igitur S. Leo, ut refert Gregorius VII ep. 45, valide esse ordinatos quibus Simoniaci episcopi manus imposuissent.

(1988) Manifesto portento episcopum de Simonia convicit, qui ejus reatum confiteri noluerat. In synodo Romana coacta ab eodem papa Leone IX an. 1049, Kilianus Sutrinus episcopus negans jurejurando admissum a se crimen Simoniæ cum omnium terrore divinitus percussus est. Idem Berti Brev. tom. II, pag. 11.

(1989) Redux fuerat Leo ex Germania anno 1053, pontificatus V, ubi inter alia Bambergam ab Henrico I imperatore S. Romanæ Ecclesiæ donatam flagitante Henrico II cum Benevento ejusque comitatu commutavit, ab eoque exercitum obtinuit contra Northmannos Apuliam aliasque terras Romanæ ditionis hostiliter occupantes.

(1990) Refert Leo Ostiensis de Gebehardo, tunc episcopo Aristetensi, qui Leonem pontificem redeuntem in Italiam comitabatur, doloso consilio, cum jam multum itineris confecisset cum maximam exercitus partem ad defectionem impulisse; cujus reatus toto vitæ suæ tempore creatus pontifex sub nomine Victoris II pœnitentiam egit. Ita Spondanus.

(1991) Brunonem Signien. hic loci profectionem ad bellum contra Northmannos S. Leonis non probasse pridem animadvertit clariss. Stephanus cardinalis Borgia in tom. II. Histor. Beneventi § VII, p. 25 in not., ejusdemque sententiæ sectatores præcessisse Petrum Damiani et Hermannum Contractum : sed ipse doctissimus historiographus, ut sui moris est, copiose et erudite S. Leonem ab omni crimine defendit, ostenditque licitum esse Romanis pontificibus, quemadmodum sæcularibus principibus cogere exercitus, instruere agmina, vique armorum uti ad ecclesiastica, suæque sedis dominia, vel vindicanda ab usurpatoribus, vel ab inimicis defendenda. In exemplum enim adducit fortissimos Machabæos summos sacerdotes et principes, qui contra idololatras et regem Antiochum pro tuendis patriis legibus longa prælia iniverunt. Memorat etiam Moysen, qui Amorrhæos aliasque gentes Israeliticum populum vexantes armis suis compescuit ac profligavit. Sed constat ante Leonem IX, S. Leonem IV et Joannem X contra Saracenos, uti plures successores pontifices, ad repellendos hostes bona temporalia Ecclesiæ suæ invadentes propriis adscitisque viribus usos fuisse.

(1992) Commissum fuit hoc prælium die 18 Junii. Constabat Ecclesiæ exercitus partim ex Germanis

Digitized by Google

rantur in bonum (*Rom.* VIII, 28); » sive moriantur, A sive vivant, quidquid eis accidat bonum est illis; omnia cooperantur in bonum. Et quidem melior est mors quam vita iis de quibus dicitur : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV, 6) : » quod omnes, qui pro justitia moriuntur inter martyres computantur : « Collocet eos Dominus cum principibus populi sui (*Psal.* CXII, 8). » Multa præterimus, et ex multis pauca colligimus; quoniam non totum, sed partem de toto scribere jussi sumus. Ecce subito fama volat, repletur terra, narratur ubique prælium esse factum, Christi milites et sanctorum exercitum esse superatum. Tunc vero miserandus pontifex Beneventum petit civitatem utique beato Petro fidelem et familiarem (1993). Audito itaque adventu pontificis, tota civitas obviam ivit, viri et B mulieres, juvenes et virgines, senes cum junioribus, non quasi ad processionem, sed velut ad lacrymas et ploralionem; stant attoniti, spectant de longe venientes; et jam pontifex appropinquabat, episcopis et clericis tristi vultu et inclinata facie procedentibus (1994). Postquam autem papa venerabilis venit inter eos, et elevata manu eis benedixit, clamor et ululatus tollitur in cœlum, tota terra resonat fletu atque plangore. Tali itaque processione civitatem ingreditur, talique psalmodia ad ecclesiam venit. Aliquanto autem tempore ibi commoratus, Romam revertitur, atque per singulas civitates fletus et lacrymæ innovantur (1995). Quis enim se a lacrymis cohibere poterat, qui eum cum tali exercitu euntem C viderat; postea vero illa tam nobili militia desolatum, cum solis clericis redire videbat?

Veniens igitur Romam, ad beati Petri apostoli ecclesiam quantocius festinavit, suppliciter multumque devote eorum animas ei commendans, qui pro ejus amore, sibi usque ad mortem obedientes, pro defendenda justitia, proprium sanguinem fundere non timuerunt. Cumque ibi moraretur, per revelationem in somnis ostensum est illi quod cito de hoc mundo exire debuisset. Jussit igitur episcopos et cardinales, aliosque clericos vocari ad se, et benigne satis hortatus est eos ut caste viverent, et contra Simoniacam hæresim viriliter pugnarent, et ait eis : « Sciatis, fratres mei, quod post paucos dies ego de hoc sæculo exiturus sum; hac enim nocte ego infelix, et D hujus Ecclesiæ sede indignus, per visionem fui in alia vita, pro qua jam tædet me habitare in ista. Gaudeo vero vehementer, quod vidi ibi inter martyres Christi illos fratres, et amicos meos, qui me in Apuliam secuti pro defensione justitiæ mortui sunt. Erant autem bene ornati, palmas in manibus habentes, ut per hoc eos victores esse intelligant, qui eos victos 612 esse putabant. Et revera « omne «enim, quod natum est ex Deo, vincit mundum, et «hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra «(*Joan.* V, 4).» Clamabant autem omnes magna voce ad me dicentes : « Veni, dilecte nobis, et mane nobiscum; quia hanc tantam gloriam per te consecuti «sumus.» Audivi autem ex adversa parte alios quosdam dicentes : «Nequaquam, sed die tertia venies ad «nos.» Si ergo post diem tertium in hac vita fuero, sciatis, hoc non fuisse verum, quod vidi.» Nemo autem miretur, si maligni spiritus eum, cui tam læta nuntiabantur, in visione terræ oblectari voluerunt, qui ipsum Dominum et Salvatorem nostrum quondam adire ausi fuerunt. Sic enim ipse Dominus ait : « Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV, 30). » Deinde vero ait : «Ite, fratres mei, unusquisque in domum vestram, crastina autem die revertimini ad me.» Tota autem illa nocte oravit ad Dominum procumbens super genua sua. Mane autem facto, tumulum sibi parari jussit. Convenerunt iterum episcopi et sacerdotes, sicut besterna die vir ille beatissimus eis præceperat; quibus in ecclesia residentibus, ipse in lecto sedens, ait : «Audite me, fratres, et coepiscopi nostri, simulque omnes, qui huc convenistis : ante omnia præcipio vobis ut terras Ecclesiæ, vineas, castella, domos, cæterasque res Ecclesiæ non vendatis, nullusque sibi per possessionem eas defendere velit. Non habeatis usum jurandi : cavete a consanguineis vestris. Servis B. Petri, qui huc veniunt, injuriam non faciatis, nec eos in negotiis decipiatis. Date decimas libenter de omnibus quæ possidetis.» Deinde conversus ad crucem, magnas preces pro omnibus fudit ad Dominum, suppliciter rogans, et deprecans, ut omnia eorum peccata eis dimittere dignaretur. Et cum hoc fecisset, iterum aspiciens in cœlum, dixit : «Domine Jesu Christe, Pastor bone, qui pro nobis servilem formam induisti, et ad conversionem gentium duodecim apostolos elegisti, et beato Petro apostolo tuo dixisti : « Quodcunque ligaveris super « terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque « solveris super terram, erit solutum et in cœlis

partim ex Italis; primi valide pugnarunt; sed cum tali post primos impetus terga vertissent. Northmanni plenam victoriam retulerunt, captivo facto eodem pontifice, qui præsens pugnæ non fuerat, sed in quodam proximo castro se receperat.

(1993) Hoc S. Brunonis testimonium de subjectione civitatis Beneventanæ S. Petro, Romanæ nempe sedi apostolicæ, ejusque fidelitate erga pontifices, plurimi penditur a scriptoribus, qui temporale dominium, et pervetustam illius provinciæ possessionem Romanis pontificibus asserunt, ac jure defendunt. Vid. clariss. Borgiam Histor. Benevent., tom. II, pag. 35 et seqq. Item de dominio temporali S. sedis in utramque Siciliam pag. 112. Ipse S. pontifex Leo IX primus fuit, qui urbem Beneventi cum pertinentiis suis, etc. Humfredo Northmannorum principi ejusque successoribus concessit in feudum. Vid. Borgiam locis citatis.

(1994) A Northmannis victoribus Leo Beneventum deductus fuit, sed humanissime cum eo actum, sanctitatem tanti viri admirantibus. Statim curam egit pontifex, ut interemptorum militum cadavera sepultura, et precibus Ecclesiæ fruerentur, et opitulatus est singulis, qui vel captivi, vel vulnerati a certamine supererant.

(1995) Ab exitu mensis Junii an. 1053 usque ad diem 12 mensis Martii an. 1054 in potestate Northmannorum remansit Leo papa, a quibus tandem libertate donatus Urbem remeavit.

Digitized by Google

« (*Matth.* XVI, 19); » ego indignus vicarius ejus deprecor immensam clementiam tuam, ut illos servos fratres meos, qui pro amore justitiæ interfecti sunt, ab omnibus eorum peccatis absolvas, et in beatorum requiem introducas. Hos enim, Domine, quos ego excommunicavi, tu absolve, et ad veritatem converte : Simoniacam hæresim ac omnem hæreticam pravitatem destrue : fideles tuos Beneventanos, qui in tuo nomine tam honeste me susceperunt tamque affluenter mihi servierunt, et cæteros omnes tuos fideles benedicere, et custodire dignare; quoniam tu es Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen. » Postquam autem a locutione quievit pontifex, paululum ibi commorati, redierunt omnes unusquisque in domum suam. Tota autem illa nocte, sicut et in superiori, in vigiliis, et oratione permansit. Altera autem die, tertia videlicet, quæ beati Leonis summi pontificis in hac vita ultima erat, multo majori frequentia convenerunt omnes. Surgens autem beatus pontifex perrexit ante altare, et quasi unius horæ spatio multum lacrymans perstitit in oratione; inde vero ad lectum rediens, brevem sermonem fecit eis. Quo peracto, vocavit episcopos ad se, et facta confessione, suscepit corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Tunc reclinavit se ad lectulum, et paulo post obdormivit in Domino. Surgens autem unus de episcopis tetigit eum, putans quod adhuc viveret et dormiret. Cumque eum jam obiisse cognoscerent, mox undique convenerunt, et fecerunt planctum magnum super eum. Obiit autem beatus pontifex XIII Kal. Maii (1996), regnante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre, et Spiritu sancto est honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Altera autem die post excessum beati Leonis, advenit mulier quædam de Tusciæ partibus : quæ cum per gradus sursum ascenderet, cœpit vexari a dæmonio, et diras voces magnosque ululatus emittere. Cumque beatum Leonem nominasset, ad tumulum ejus ab his qui ibi erant, tracta est. Unus autem episcoporum interrogavit dæmonem qui eam vexabat, dicens : « Adjuro te per viventem et regnantem in sæcula ut dicas nobis si Leo papa inter sanctos habet potestatem. » At ille respondens, ait : « Vere inter sanctos est Leo de quo interrogas, et magnam inter eos habet potestatem, et ipse maleficus hodie me de hac domo ejicit, quam ego jam per novem annos, et menses duos in mea habui possessione.

Tunc autem mulier alia quædam infelix, quæ ibi erat, cœpit beato Leoni derogare et dicere : « Leo papa fugabit dæmonia, qui tot homines occidere fecit? Illa namque hora, qua ipse dæmonia fugabit, ego utique ero regina et omnes eos resurgere faciam, quos ipse suo facinore interemit. » Vix autem illa verba finierat, et statim a dæmonio arrepta, mirabiliter vexari cœpit. Mox autem illa alia mulier liberata est, quam de Tusciæ partibus convenisse dixi-

A mus. Tunc omnes **613** qui aderant, in stuporem et admirationem conversi, cœperunt clamare et dicere : « Sancte Leo, parce nobis; sancte Leo, indulge nobis; et quia multum peccavimus, miserere nobis. » Eadem autem hora duo quoque contracti sanati sunt, qui per se ambulare non poterant. Ipsa autem eadem die jam circa vesperam, venit ad tumulum beati viri homo quidam surdus et mutus, qui etiam ad cumulum tanti mali paralysi gravissima tenebatur. Statim autem ut ad tumulum accessit, sanus et incolumis factus, loquelam pariter et auditum recepit. Multa quidam et alia miracula eisdem ipsis diebus per beatum Leonem Christus Dominus operatus est, et cujus meritis esset nobis suis fidelibus revelaret. Illud quoque miraculum prætereundum non est, quod B Joannes, vir egregius, Portuensis episcopus, mihi narravit. Dicebat enim quod de partibus Transalpinis curiæ civitatis episcopus, eisdem fere diebus Romam venerat, in cujus comitatu erat quidam homunculus, qui ab infantia mutus unquam locutus fuerat. Hunc autem servientes episcopi inter sarcinarios secum ferebant, quoniam ad sarcinas custodiendas fidelis valde et idoneus erat. Die autem quadam, cum adhuc prædictus episcopus in Urbe moraretur, mutus ille, de quo diximus, beati Petri ecclesiam ingressus est; qui cum ad beati Leonis sepulcrum turbas omnium undique confluere conspexisset, ipse quoque accessit illuc. Tunc vero circumstantes intelligentes quod mutus esset, ut talibus C hominibus facere solent, signis ei quibusdam innuere cœperunt, ut se ad beati viri sepulcrum humiliaret, et pro sua salute Salvatorem omnium exoraret, significantes ei hoc esse sepulcrum, in quo beatus Leo quiescebat. Palam enim illius virtutis fama ubique divulgata erat, et multi undique illuc venientes a variis ægritudinibus sanabantur. Cumque diutius ibi jaceret, somno gravatus obdormivit. Post paululum vero expergefactus surrexit, tamque absolute loqui cœpit, ac si nullum linguæ impedimentum aliquin passus fuisset. Stupent omnes, gaudent et exsultant, nec eum semel audivisse sufficit : juvat enim interrogare, et eum loquentem et respondentem audire. Tandem ad socios revertitur : qui postquam D eum loquentem audiunt, læti valde, cum magna admiratione ante episcopum eum ducunt. Interrogat eum episcopus qualiter hæc ei omnia evenissent? Narrat ille cuncta per ordinem, et dicit : se vidisse beatum Leonem; et cum ante ejus tumulum obdormisset, ille veniens, in ore illius digitos posuit, et diu ligatam linguam absolvit.

Nunc autem tempus admonet, ut quod superius promisi, exponam; videlicet quod ego non sine imperio ista dictaverim. Hac enim præterita Quadragesima cum Romæ essemus, vir valde venerabilis, Joannes Tusculanensis episcopus, quodam die cum ad Ecclesiam convenissemus, venit ad me ubi ego

(1996) Differt Bruno ab aliquibus aliis scriptoribus qui obitum S. Leonis collocant die 19 Aprilis anni 1054. Vid. eruditiss. Borgiam Histor. Benevent., tom. II, p. 59.

Digitized by Google

stabam, præsente Ubaldo, viro religiosissimo, Sabinensi episcopo, et aliis quibusdam, et dixit mihi : «Ego ad te nuntius missus sum.» Stabam autem ego attentus quid mihi dicere voluisset. Tunc ille : «Mandat, inquit, tibi Leo papa ut des illi centum millia solidorum.» At ego : «Quid narras, inquam?» Et ait : «Verum dico tibi, sic tibi mandat.» Et tunc ea quæ viderat mihi per ordinem narrare cœpit. «Hac, inquit, nocte, cum ego dormissem, beatus Leo cum pontificali apparatu mihi in somnis apparuit, dicens : «Vade, et dic Signiensi episcopo ut det mihi centum «millia solidorum.» Cumque ego intra me cogitarem te tam divitem non esse ut tantam pecuniam ei dare potuisses, ille meam cogitationem intelligens, ait : «Vade, et dic ei ut det mihi centum millia aut quin«quaginta millia.» Hæc mandat tibi; vide ergo quid ei respondeas.» Tunc ego sollicitus cogitare cœpi quid hæc talis visio mihi significaret. Et post paululum interrogavi episcopum, si beatus Leo me illam pecuniam dare, aut mutuari, aut reddere jussisset? Et ille respondit : «Non, sed dare.» Tum ego aliquantulum confortatus sum : multum enim distat an dare, an reddere aliquid debeamus. Timebam enim ne forte in aliquo eum offendissem, quod ex debito solvere et necessario reddere debuissem. Memineram præterea quod ejus festivitas olim in nostra ecclesia celebraretur; in qua, quoniam ego me negligenter habui, tota ibi festivitas ipsa cessavit. Parcat ipse mihi, quoniam non parum me in hoc peccasse cognosco. Cum autem ab ecclesia domum redirem, et hanc visionem nostris clericis narrassem, eadem mihi exposuerunt quæ jam ego ipse mente conceperam. Dixerunt enim : «Nos nullam aliam pecuniam hanc esse putamus, quam beatus Leo a te requirit, nisi ut de eo aliquid scribas, quod ejus memoriæ A conveniat : hæc est enim pecunia tua, neque ipse alia pecunia indigere videtur. Placuit mihi quod meo intellectui aliorum quoque intellectus concordabat. Et scientia in pecunia significatur, quod in Evangelio quoque eo loco intelligitur, ubi Salvator noster servis suis talenta partitur. Sed quare centum millia, vel quinquaginta millia requirit? Horum enim duorum numerorum alter est perfectus, alter imperfectus. Centies namque mille, vel millies centum fiunt centum millia, qui uterque numerus, id est centum et mille, ideo perfectus est, quia non habet ubi crescat. Omnis enim res tandiu imperfecta est, quandiu in aliquo crescere potest : centenarius autem, vel millenarius 614 numerus replicari quidem potest, crescere autem non potest. Est igitur perB fectus : omnis enim qui numerat, postquam venit ad centum vel ad mille, ibi finem facit, iterumque ab uno numerare incipit. Quinquagenarius autem numerus imperfectus est, quia in medio centenario positus est, neque finem facit, et ultra se tendere potest. Quod igitur vir beatissimus mandavit mihi ut darem sibi quinquaginta millia solidorum, quoniam, ut sibi videbatur, et ei, cui ipse loquebatur, centum millia dare non poteram, quid aliud significat, nisi ea quæ ad ipsius laudem et gloriam pertinent perfecte narrare inciperem? Dedi igitur ei solidorum quinquaginta millia, quia dare non potui centum millia, id est quia perfecte omnia narrare non potui. Precor autem, beatissime pontifex, ut grata habeas hæc munuscula mea; tuisque sanctis precibus obtineas apud Jesum Christum Salvatorem C nostrum, ut dimittat mihi delicta mea. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

RESPONSIO

Ad eam questionem : *Cur corruptus tunc temporis Ecclesiæ status*

Restat autem ut nunc ad eam quæstionem respondeamus, ad quam nos superius responsuros fore promisimus. Diximus enim : Jam nunc a temporibus beati Leonis sic Ecclesiam fuisse corruptam, ut ix aliquis inveniretur qui vel Simoniacus non esset, el a Simoniacis ordinatus non esset (1997). Unde iam usque hodie inveniuntur quidam qui, male rgumentantes et Ecclesiæ dispensationem non bene ntelligentes, ab illo jam tempore sacerdotium in rclesia defecisse contendant. Aiunt enim : Si omes tales erant, id est si omnes vel Simoniaci, vel a imoniacis ordinati erant, vos, qui nunc estis? aut nde venistis? Per quos nisi per illos intrastis? Non fuit via aliunde : ergo illi, qui vos ordinaverunt, ab illis et non ab aliis suos ordines susceperunt, qui vel Simoniaci erant, vel a Simoniacis ordinati erant. Hæc est igitur quæstio cui nos respondere debemus.

Sed prius, quid sint Simoniaci et unde dicantur, dicere oportet; deinde vero, quia multum distat inter Simoniacos et eos qui ordinantur a Simoniacis : si tamen non eos Simoniacos esse cognoscunt, quis enim episcopum aliquem Simoniacum esse non dubitat, si ab eo ordinatur, parum quid in ordine distat ab eo a quo ordinatur (1998). Scit enim eum furem esse et latronem, nihilque aliud in sua ordi-

(1997) Idem testatur Fleurius lib. LXII, num. 65. Gregorium VII S. Ugoni Cluniacensi abbati scripsisse et am eo de infelicissimo Eccles.æ statu quæs um esse.

(1998) Clariss. Petrus de Marca docet sub Gothorum regno, et tempore Theodorici regis invectam Simoniam in sacris ordinationibus, quod ab electis

Digitized by Google

natione susceperint, nisi maledictionem et maledicendi potestatem (1999). Sic enim Simoniaci omnes ordinantur, sicut ipse Simon ordinatus est, cui in ipsa ordinatione beatus Petrus ait : « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri : Non enim est tibi pars neque sors in sermone isto (*Act.* VIII, 20). »

Sunt igitur Simoniaci, qui donum Dei, id est gratiam Spiritus sancti, emere contendant : sive enim emant, sive non emant, si tantum pecuniam offerant et aliquid pro hac gratia dare promittant, Simoniaci sunt. Nam neque ipse Simon aliquid emit : non enim fuit, qui venderet ; sed tamen quia emere voluit, maledictus est ; quam utique maledictionem omnibus suis discipulis hæreditariam reliquit. Ab hoc autem Simone Simoniaci dicuntur, quicunque in hoc facto imitantur. Hic enim Simon baptizatus a Philippo adhærebat ei. Qui cum vidisset ab apostolis multas virtutes et miracula fieri per manus impositionem, obtulit eis pecuniam, dicens : « Date vos hanc potestatem mihi, ut cuicunque manum imposuero, accipiat Spiritum sanctum (*Ibid.*, 19). » Cui, ut modo superius diximus, beatus Petrus ait : « Pecunia tua tecum sit in perditionem ; quia **615** existimasti donum Dei pecunia possideri. Non est enim tibi neque pars, neque sors in sermone isto. » Hæc est igitur ordinatio Simonis. Sic ordinantur Simoniaci, qui pecuniam offerunt. Quare ? Quia existimant donum Dei pecunia possideri. Sed quam benedictionem suscipiunt ? Dicat beatus Petrus, cujus vox efficacissima est, cujus maledictio interiora penetrat : « Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem. » Hæc benedictio datur eis ; hæc oratio eorum nefandis capitibus imprecatur : sic benedicuntur, sic consecrantur, sic ordinantur (2000). Statim enim ut pecuniam offerunt, cuique offerant, adest apostolus eorum consecrator. Nam etsi a catholicis sacrentur episcopis quod quidem sæpe contingit), adest tamen apostolus inter eos : dicant illi quidquid velint ; [illegible] capita eorum, Simon tamen Petrus non mittit tentiam ; quia non ignorat quid sibi [illegible] benedicunt, iste maledicit ; decipiuntur illi, hic autem decipi non potest. Putant illi eos esse catholicos, putant canonice electos, ac per hoc eis benedicunt : si enim eos cognoscerent, qui quique eos apostolo dixissent : « Pecunia tua tecum sit in perditionem. » Merito igitur eorum benedictio in maledictionem convertitur ; quia non ad hanc, sed ad cor respicit Deus. Hoc enim tunebat Jacob, cum a matre ad patrem mitteretur ut ei benedictionem auferret, ait : « Nosti, quod frater meus Esau pilosus sit, et ego lenis. Si tetigerit me pater meus et senserit, timeo ne putet me sibi velle illudere, et inducat super me maledictionem pro benedictione (*Gen.* XXVII, 11). » Sed non est timendum, quia a matre mittuntur. Isti autem mittuntur a matre, isti non mittuntur ab Ecclesia, qui Isaac illudunt, qui episcopos decipiunt, qui scilicet et per latrocinium patris benedictionem sæpere volunt. Unde (et non immerito) inducitur super eos maledictio pro benedictione. Illi enim si abtuntur a matre, illi mittuntur ab Ecclesia, qui non per pecuniam, non per aliquam promissionem, non per sæcularem potestatem, sed sola divina electione (2001), et ipsa pura et sine pravitate, mittuntur ad patres, mittuntur ad episcopos ut ab eis benedicantur et consecrentur.

Diximus igitur de consecratione Simoniacorum quomodo ordinantur, quomodo consecrantur, quomodo apostolus Petrus eis maledixit, quomodo episcoporum benedictio in maledictionem convertatur. Sic igitur ordinati, sic consecrati, sic maledicti, sic lucro infecti ad sibi commissas Ecclesias veniunt : ubi, si tamen manifeste tales sint, præter baptismum et sana consilia, quæ ipsi quoque sæpe dant, quidquid agunt, vanum et inutile est (2002). Hæc autem qualiter intelligantur, [illegible]modo dissera-

ad episcopatus pro confirmatione electionis certa auri quantitas expetebatur. Monet autem jam a constitutione 30 inter canones apostolicos sub pœna depositionis fuisse damnatam, itemque ex canone 2 concilii Chalcedonensis. Vid. De concord. sacerd. et imperii lib. VIII, cap. 13, colum. 1159.

(1999) Hic habenda est ratio temporis, quo S. Bruno hæc scripsit ; nempe illis diebus, quibus Simoniaca pestis late per Ecclesiam sacrorum ministros labefaciebat. Ad eos itaque deterrendos adeo ejus pravitatis vim efferre studuit, ut Simoniace collatos ordines, irritos, nullos et sola maledictione plenos dixerit. Verum Ecclesiæ doctrina est, ordinationes a Simoniacis episcopis factas, vel Simoniace receptas validas quidem esse, sed illicitas ; proindeque ordinatores et ordinatos subjici pœnis suspensionis, excommunicationis, privationis beneficiorum atque irregularitatis a concilis statutis. Vid. Berar. De Sim., dissert., p. 1. c. 2, et in canon. Gratiani. ; Concina De Sim., diss. 2, c. 3 ; Venespen. tit. 2, tit. 3 De Sim. ; Lazzarius in comment. Brunonis super cap. X Joan., p. 459.

(2000) De defectu gratiæ sanctificantis hæc sunt intelligenda, non de defectu characteris ordinis, qui etiam in peccatore imprimitur ad majorem sui damnationem, si non resipiscitur.

(2001) Id est approbatione, tanquam testimonio morum, non proprie dicta electione.

(2002) Sacramenta a Simoniacis facta et collata rata quidem habentur, sed effectu gratiæ prorsus carent, nisi ea recipientes ad ministrum Simoniacum ignoranter, bonaque fide accessissent. Quamvis plures ex theologis hanc sententiam tueantur, non desunt tamen quidam alii de ecclesiasticis doctrinis optime meriti, qui juxta conciliorum definitiones, et decreta pontificum docent Simoniacas ordinationes irritas ac nullas prorsus esse ; inniti præcipue canon. 4 concil. Rom. V sub pontif. Greg. VII, an. 1078. Morinus certe De sacris ordinationibus p. 3, exercit. 5, cap. 9, p. 82, hanc admittit in Ecclesia potestatem, aliquas in sacramentis conficiendis ponendi conditiones ; quæ si desint, materia eorum inepta reddatur et ad effectum ineffica. Ita concilium Tridentinum matrimonia clandestina prohibuit non solum, sed nulla atque irrita declarat. Eodem ergo modo, inquiunt, potuit Ecclesia in ordinatione personas Simoniaca labe infectas ab ordinibus excludere, et incapaces ordinationum decernere ; ita ut nihil ab eis recipiant, nisi divinum, ut ait S. Bruno, maledictionem. « Quædam, ait Morinus, sunt ecclesiasticæ institutionis, quæ licite mutari possint, et pro temporum, et regionum varietate

Digitized by Google

Baptismus namque a quocunque detur, bonus est; quia non in fide dantis, sed in suscipientium fide consistit. Ubi autem fides catholica non est, ibi baptismus non operatur. Unde et qui extra Ecclesiam baptizatur, non solvitur a peccatis. Nusquam enim, nisi in Ecclesia fit remissio peccatorum, sic tamen, si corpore quoque et conversatione ad eam redeat, a qua mente non recesserat; alioquin si extra Ecclesiam baptizatur et extra maneat, **616** et cum baptizatur, redeundi voluntatem non habeat, huic tali homini nec ad momentum quidem fit remissio peccatorum. Sed quid mirum? Cum illi quoque, qui intus baptizantur (qui etiam absque dubio a peccatis omnibus emundantur) si inde exeant, et priusquam moriantur, ad eum non redeant, pereant in æternum. Hoc autem significavit illa arca, in qua intus posita, salvata sunt omnia, extra vero inventa, perierunt omnia. Audi etiam quid Dominus dicat: « Ego sum vitis, et vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet (*Joan.* xv, 5). » Si ergo Christus vitis est, palmites vero Christiani: sicut palmites vivere non possunt, si separentur a vite, ita neque Christiani si separentur a corpore Christi. Corpus Christi Ecclesia est: qui ergo non vult separari a Christo, maneat in corpore Christi, ut possit esse membrum Christi. Si enim non manserit in corpore Christi, si non manserit in Ecclesiæ unitate, « mittetur foras, sicut palmes, et arescet. » Et quid amplius? « Et colligent eum maligni spiritus. » Illis enim traditur, qui ab Ecclesia separatur. Sed quid illi facient? « Et in ignem mittent. » Ad quid? « Ut ardeat. » Verba Christi sunt, alios canones non quæramus.

Manifestum est itaque quod ab Ecclesia divisus, nemo salvabitur, sive in ea, sive extra eam baptizatus fuerit. Unde hoc? Dicat iterum ipse Dominus: Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent et ardet. » Si ergo ille perit qui aliquando in Christo fuit, sed in eo non manet, quomodo ille non pereat, qui nunquam in eo fuit, nec in eo mansit? Qui enim extra Ecclesiam baptizatur, nisi priusquam de hac vita exeat, Ecclesiæ societur, hic nunquam fuit, vel erit in Christo; quia nunquam fuit, vel erit in corpore Christi (2003). Membrum namque Christi non est, nisi in corpore Christi. Si enim separetur a corpore Christi, non est membrum Christi. Corpus autem Christi extra Ecclesiam non est, alioquin ipsa Ecclesia esset extra seipsam (si quidem ipsa Ecclesia est corpus Christi); quod est inconveniens. Baptismus igitur extra Ecclesiam dari potest, prodesse autem non potest. Baptismus enim, qui extra Ecclesiam datur, formam quidem sacramenti habet, virtutem autem sacramenti non habet. Formam quidem habet, quia fit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Virtutem autem non habet, quia remissionem peccatorum non operatur (2004).

Quare ergo non rebaptizantur, qui ab hæreticis veniunt? Vis audire quare? Quia formam baptismi habent, id est, quia jam ad invocationem Trinitatis ex aqua regenerati sunt. Restat nunc ut et Spiritu sancto regenerentur, qui operetur in eis remissionem peccatorum, quod illa forma visibilis dare non potuit: « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei (*Joan.* III, 5). » Utrumque ibi necessarium est, et forma sacramenti, et virtus sacramenti. Utrumque necessarium est, et aqua, et Spiritus: nam neque aqua sine Spiritu, neque Spiritus sine aqua solvit hominem a peccatis. Forma sacramenti et intus et extra dari potest; virtus autem sacramenti nonnisi intra Ecclesiam datur (2005). Unde SS. Romani pontifices, Spiritu Dei pleni, admirabili providentia constituerunt, ut hi qui ab hæreticis veniunt, quoniam formam baptismi habent, non rebaptizentur; quia vero virtutem hujus sacramenti non habent, ad invocationem sancti Spiritus, qui ab hæreticis dari

liter atque aliter observari, tanti tamen sunt momenti, quandiu ab Ecclesia revocata, aut abrogata non sunt, ut eorum omissio ordinationem non modo inhonestam et illicitam, sed etiam irritam et nullam omnique effectu et gratia cassam reddat. Illa autem omnia ejusmodi conditiones sunt, materiam sacramenti sic afficientes et determinantes, ut earum defectu materia reddatur ordinationi inepta. Illæ autem non spectare possunt ordinantem quam ordinandum. Ecclesia enim, meo judicio, definire potest quibus conditionibus ordinans episcopus auctoritate sua uti debeat, quibusve cum donis et qualibus ordinandus sese ordinanti sistere, ut valide et efficienter ordinationem ab eo recipiat; ita ut si ordinans aut ordinandus definitionem hanc neglexerint contraque egerint, actio sit nulla et irrita, atque ut effectus producantur iteranda. Idem de hoc sacramento analogice dicendum quod de matrimonio et pœnitentia, quorum materias videmus Ecclesiam sæpe sub interminatione irriti sacramenti restrinxisse, dilatasse, vario tempore, variis modis determinasse. » Corino consentit Berardi in correct. Gratian., I p. 22; Dupinius in defensione Brunonis Astensis, et nuperrime eruditus Bergomensis Jo. Bapt. Locatelli Zucchala in op. De potestate presbyterorum in adminis. sac. pœnit., p. 224, edit. Bergomi 1787 in 8. Hæc autem dicta sint, non ut recedamus a sententia, quam paulo ante adamavimus, sed ut S. Brunonis opinionem excusemus.

(2003) Quomodo intelligendus sit hic Brunonis locus infra explicabitur. Non enim de parvulis baptizatis vel intra, vel extra Ecclesiam accipi potest; sed de adultis (de quibus loqui se S. Bruno superiori § declaravit), qui si absque necessaria dispositione baptismum suscipiunt, corpori quidem Christi per characterem sacramenti uniuntur, non autem effectum gratiæ consequuntur.

(2004) S. Brunonis mens hic quoque est aperienda. Ex superius dictis satis constat, eum de adultorum baptismate loqui, in quibus asserit sacramentum virtutem non habere, id est gratiam sanctificationis illos minime consequi, quoties sunt ab Ecclesia sejuncti, ejusque membra fieri per fidem et pœnitentiam negligunt.

(2005) Extra Ecclesiam rite collatus parvulis baptismus eos regenerat ad vitam æternam. Sicut etiam

Digitized by Google

non potest, per manus impositionem, sacrosancto chrismate confirmentur (2006). Quæris fortasse auctoritatem ? Dabitur tibi; et hoc quidem necessarium est, quoniam in hac sententia non omnes concordare videntur; videlicet, ut quia ab hæreticis veniunt, rebaptizari quidem non debeant, sacro autem chrismate confirmari iterum debeant; præsertim cum beatus Augustinus dicat, 617 quod « nulli sacramento injuria facienda sit; » in qua re multum ab aliis dissentire videtur. Quid est enim injuria sacramenti, nisi sacramenti reiteratio? Quod autem quædam sacramenta reiterentur, et exemplo abundamus et auctoritatibus: quædam autem dixi; quia baptismi et sacrorum ordinum reiterationem fieri non licet; unde et in conciliis Africanis legitur : « Non licet fieri rebaptizationem et episcoporum translationes. » At vero in concilio Nicæno præcipitur de Paulianistis ut ad Ecclesiam venientes iterum baptizentur, quia ut Sabelliani realem divinarum personarum distinctionem negabant. Et eorum clerici, si digni fuerint, iterum ordinentur. In quo manifeste ostenditur hoc in his tantum, et non in aliis fieri debere. Isti enim non secundum Ecclesiæ formam baptizabantur. Si enim secundum hanc formam, quam modo diximus, baptizati fuissent, non utique talis lex de eis specialiter promulgata esset; præsertim cum de aliis omnibus hæreticis dicatur, ut ad Ecclesiam venientes, nec rebaptizentur, nec reordinentur sed sola episcopalis manus impositione Ecclesiæ reconcilientur. Quod autem hæc duo sacramenta, id est baptismus et ordines sacri, reiterari non debeant, tota Ecclesia id sentit, nullaque inter sanctos dissensio est (2007). Unde et beatus Augustinus ait : « Manus autem impositio, sicut et baptismus reiterari non debet; » de illa manus impositione loquens, de qua ad Timotheum Apostolus dicit : « Manum cito nemini imposueris (*I Tim.* v, 22); » nam et chrismatis consignatio et pœnitentium reconciliatio, manus impositio dicitur. Unde et sacri canones prohibent ne inter alios pœnitentes manus ab episcopis clericis imponatur.

Quod vero quædam sacramenta reiterari liceat (2008), et frequens usus Ecclesiæ, et unum beati Gregorii exemplum apertissime manifestat. Quotidie namque ecclesiarum consecrationes, non solum pro necessitate, verum etiam pro episcoporum voluntate reiterari videmus. Unde et quidem canones de ecclesiis præcipiunt, ut si altare motum fuerit, denuo consecretur. Beatus quoque Gregorius, sicut ipse testatur, consecravit Romæ quamdam ecclesiam in Suburra, quoniam longo tempore ab Arianis possessa fuerat : cujus consecratio, vel reiteratio, quantum Deo accepta fuerit, virtutes et miracula ostendunt, quæ ipsis diebus, quibus consecrata fuerat, ibidem Dominus operatus est. Quomodo ergo verum est, quod nullo sacramento injuria facienda sit? Similiter autem, quod chrismatis consignatio in hæreticis reiterari debeat, subsequenti sanctorum auctoritate probatur. De qua videlicet consignatione Eusebius papa sic ait : « Hæreticos omnes, quicumque Dei gratia convertantur, et in sanctæ Trinitatis nomine baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ regulam tenentes, per manus impositionem reconciliari præcipimus : manus quoque impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quæ ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus. Nec tempore apostolorum ab aliis, quam ab ipsis apostolis legitur, aut scitur peractam esse; neque ab aliis, sicut jam dictum est, quam ab illis, qui eorum loca tenent, perfici potest aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta (2009). » Audiamus etiam, quid tempore beati Sylvestri Romæ de hac re in concilio statutum est (2010) : « Eodem, inquit, tempore XIII Kalend. Juliarum die, quando memoratum magnum concilium in Nicæa congregatum est, canonica jam facta a papa vocatione in urbem Romam, et ipse cum consilio Constantini Augusti, congregavit ducentos septuaginta septem episcopos, et damnavit iterum tam Calixtum quam Arium atque Sabellium, et constituit ut episcopum Arianum resipiscentem non aliter

adulti Christiani fiunt, non tamen justi, nisi per fidem corporis Ecclesiæ catholicæ uniantur.

(2006) Fuit enim hæc olim opinio Cypriani qui, ep. 70, ad Januarium hæc habet : « Quis autem dare potest, quod ipse non habeat, aut quomodo potest spiritualia agere, qui ipse amiserit Spiritum sanctum? » Quia S. Bruno totus erat in impugnanda validitate Simoniacæ ordinationis, paritatem veluti sumpsit a confirmatione, quam ab hæreticis collatam, nullam aliqui voluere, hoc fulti principio, quod nemo dare valeat quod non habet. Verum, ut nemo nescit Cypriano sese opposuit S. Stephanus pontifex, cui universa consensit Ecclesia; unde S. Augst., lib. III De bapt. inquit : « Sacramenta, si eadem sunt, ubique integra sunt, etiamsi prave intelligantur, et discordiose tractentur, » etc. Ad opportunitatem causæ suæ hæc meminisse Bruno dicendus est, non quod confirmationem inter sacramenta reiterabilia habuerit.

(2007) Hic clarius S. antistes mentem suam expressit, quatenus docet, exceptis Paulinianistis, ab hæreticis quibuscunque ad Ecclesiam venientes nec sacro renovari lavacro, nec iterato ordines recipere debere. Nemo autem juxta canones ad ordines admittitur, nisi prius confirmatus fuerit. Quod si, manus impositio tum in chrismatis consignatione, cum in pœnitentiam reconciliatione fiat, apertissime fatetur Bruno illam reiterandam non esse.

(2008) Sacramenti vocem late sumi hac in dissertatione a Brunone clare patet; cum ecclesiarum consecrationi sacramenti nomen ascribat. Proprie namque illa sola sunt sacramenta, quæ a Christo instituta sunt, et annexam habent sanctificantem gratiam; cætera sacramentis affinia, sacramentalia vocantur, et quo eis opus fuerit reiterantur. Quibus de causis ecclesiarum consecrationes iterari possint, vid. Berardi in emendatione canonum Gratiani part. I, cap. 7, pag. 97 et seqq.

(2009) Apocryphum esse hunc canonem a Gratiano allatum, et est 5 De cons. diss. 5, et Isidori Mercatoris inventum probat Carolus Sebast. Berardi p. II, t. I, p. 171.

(2010) Eodem vitio laborat hic alter canon Sylvestro attributus. Verba Berardi hæc sunt : « Satis mihi videtur judicare hoc concilium apparuisse primum in collectione Isidoris Mercatoris, ut statim

Digitized by Google

quis susciperet, nisi episcopus ejusdem loci eum reconciliaret, et sacrosancto chrismate per episcopalis manus impositionem S. Spiritus **618** gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, eum confirmaret (2011). » Quid apertius, quid manifestius dici potuit? Nunquid nam hoc sacramentum non reiteratur? Demus adhuc et alia exempla, quatenus hæc sententia, cui a pluribus contradicitur, manifestior et certior fiat. Dicat igitur papa Siricius : « Prima igitur paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos plurimos ab impiis Arianis ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle, quod non licet; cum hoc et Apostolus vetet, et canones contradicant, et post cassatum Ariminense concilium, missa ad provincias a prædecessore nostro Liberio, venerandæ memoriæ, generalia decreta prohibeant : quos eos cum Novatianis, aliisque hæreticis sicut in synodo constitutum est, per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit (2012). » Videamus etiam quid Leo dicat, qui fidem jam perituram sua constantia et fortitudine corroboravit, cujus sententiæ contradicere, ut opinor, nemo audebit. « Illi autem, de quibus scripsisti, non se baptizatos nesciunt, sed cujus fidei sint, qui eos baptizaverint, se nescire profitentur. Unde quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt, sed per manus impositionem virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt (2013). » Item idem ipse : « Nam hi, qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati ante non fuissent, sola S. Spiritus invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine S. Spiritus virtute sumpserunt. Et hanc regulam, ut scitis, servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla reiteratione violetur, dicente Apostolo : Unus Deus, una fides, unum baptisma, cujus ablutio nulla iteratione temeranda est; sed ut diximus : Sola sanctificatio S. Spiritus invocanda, et quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur. » In Laodicensi quoque concilio sic scriptum est : « De his, qui ab hæreticis convertuntur, id est Novatianis et Photinianis, sive baptizati sint illi, sive catechumeni, non ante suscipiantur quam omnes hæreses anathematizassent, et præcipue illam, qua detinebantur, et tunc demum hi, qui apud eos dicebantur fideles, nostræ fidei symbolo imbuantur, et uncti sancto chrismate sic mysteriis communicent sacrosanctis (2014). » Possemus de his alias adhuc auctoritates dare, sed, ut puto, istæ sufficiun

Dubitari autem potest de eo quod beatus Augustinus ait : « Nulli sacramento injuria facienda est. » Tum idem ipse dicat : « Hos, qui ab hæreticis veniunt, ideo per manus impositionem episcoporum in Ecclesiam recipi, ne forte sibi ab Ecclesia nihil collatum putarent, quod extra Ecclesiam non habuerunt. » Quid autem sit manus impositio, ipse quoque definiens, ait : « Quid, inquit, est manus impositio, nisi oratio super hominem, et ipsa manus impositio reiteratur. » Siquidem nihil aliud est manus impositio, quam oratio super hominem. Non igitur reiteretur oratio super hominem in illis sacramentis, quæ reiterari non licet. Dictum est autem, quod quædam sacramenta reiterare licet, quædam autem non licet, et hoc quidem auctoritatibus probatum est. Dictum est etiam, quod ab hæreticis venientes non nisi per manus impositionem suscipi debeant. Et illud quidem dictum est, quod omnia sacramenta extra Ecclesiam formam quidem habeant, virtutem autem non habeant. Illud autem diximus, quod extra Ecclesiam nemo salvetur. Diximus et de Simoniacis, quando consecrantur, quod omnis benedictio in maledictionem eis convertitur. De parvulis autem hæreticorum si quis interroget, quare pereant, cum baptizati sint (2015)? respondeo : Quia **619** in Ecclesia non sunt. Quod si dicat, quid illi peccaverunt, ut paganorum et Judæorum parvuli peccaverunt, ut

alis suboriatur suspicio; ex qua inter apocrypha otius monumenta recensentur, » p. 1, c. 6 De Rom. oncilii sub Sylvestro, p. 62.

(2011) Arianorum baptisma quorumdam, qui in omine Patris, per Filium in Spiritu sancto baptizabant, reprobavit Ecclesia, ideoque ab hæresi hujusmodi recedentes, et probari ab episcopis, et iterum baptizari atque confirmari debuere. Non item venientes ab aliis hæreticis recte de SS. Trinitate sentientes, seu rectam baptismi formam usurpantes.

(2012) Hoc est cap. 1, epist. Siricii papæ ad Hilerium Tarracon. episcopum, qui Damaso Siricii prædecessore scripserat, et refertur in cod. canonum, et constitut. Eccl. Rom. Quid autem ex eo inferri potest, nisi, quod supposito, quod Ariani et Novatiani, aliique hæretici debita forma in collatione baptismi utantur, non esse venientibus ad Ecclesiam iterandum sacramentum, sed oportere ipsis administrari confirmationem, quæ ab episcopis per manus impositionem datur.

(2013) Hoc est cap. 7, epist. Leonis papæ I, ad Nicetam episc. Aquileien.; quæ in ordine est 129. Quod supra producitur hac in epist. non reperitur, nec alibi mihi occurrit. Quid ergo statuit S. Leo? 1° Baptizatos debita forma ab hæreticis non esse rebaptizandos; 2° eos sola manus impositione indigere, vel quia ab ipsis chrismatio non fiebat, vel quia ipse Leo sentiret illos virtutem Spiritus sancti conferre non posse. Non reiterabatur ergo in sensu Leonis confirmatio : sed tunc primum ab episcopis catholicis conferebatur.

(2014) Est canon. 7, ex quo tamen nihil inferri potest pro stabilienda confirmationis reiteratione.

(2015) Cyprianicam opinionem de invaliditate baptismatis ab hæreticis collati hic iterum producit Bruno; qui tamen supra dixerat : « Baptismus a quocunque detur bonus est; quia non in fide dantis sed in suscipientium fide consistit. » Pro infantibus supplet fides Ecclesiæ, alias invalidus et illicitus esset eorum baptismus, quod est contra praxim et doctrinam Ecclesiæ. Per baptismum Christo regenerati sunt, in Ecclesia sunt, et hæredes facti regni Dei.

Digitized by Google

baptizari non mererentur (2016)? Ipse tamen Dominus ait : « Ego scio, quos elegerim (*Joan.* III, 18). » Excommunicatorum autem filii, si in Ecclesia baptizantur, nihil eis nocet parentum excommunicatio : « Filius non portabit iniquitatem patris (2017) (*Ezech.* XVIII, 20). » Postquam tamen ad ætatem veniunt, ut jam sua peccata cognoscere valeant, ulterius a peccatis vindicari nequeunt. Quod si extra Ecclesiam baptizantur, sunt extra Ecclesiam omnes excommunicati ; nisi priusquam de hac vita exeant per episcopos reconcilientur, in magno periculo mihi esse videntur. His ergo sic expeditis, de illis nunc dicere debemus, qui, quamvis non Simoniace, a Simoniacis tamen ordinati sunt. De Simoniacis namque manifestum est quod nullo modo in suis ordinibus aliquando suscipi debeant. « Non est enim eis neque pars, neque sors in sermone Dei (*Act.* VIII, 21). » Apostolus est, qui loquitur. Sed dicis : Quare ergo alii hæretici in suis ordinationibus suscipiuntur, et Simoniaci non suscipiuntur? Nunquid Simoniaci sunt pejores quam Ariani, quam Novatiani, quam Donatistæ, quam Nestoriani et Eutychiani? Ex his enim in ordinibus suis omnibus et episcopos, et presbyteros susceptos legimus, nec propria dignitate privatos. Dico ergo : Utrum Simoniaci pejores sint, nescio. Unum tamen scio, quia magnum scelus est vendere, vel emere Spiritum sanctum. Si enim magnum peccatum fuit vendere vel emere Christum, magnum utique peccatum est vendere vel emere Spiritum sanctum. Æquales enim sunt et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Judas est, qui vendit ; Judæus est, qui emit ; utrumque autem et vendentem, et ementem de templo Dominus ejecit. Et multa quidem dispensatorie in Ecclesia fiunt pro temporis necessitate et negotii qualitate, quæ utique non fierent, si districto canonicoque judicio fierent (2018). Cum de frumento et zizania Dominus loqueretur, ait : « Sinite utraque crescere usque ad messem (*Matth.* XIII, 30). » Magna tamen consideratione hæc talis dispensatio fieri debet. Et alii quidem hæretici in suscipiendis ordinibus non errabant ; sed alia causa erat atque doctrina, quæ eorum fidem impediebat. Simoniacorum vero hæresis (2019) et peccatum, ipsa eorum ordinatio est. Si ergo suæ ordinationi reconciliantur, quæ utique, ut superius ostendimus, nihil aliud quam maledictio est, cui, nisi suæ hæresi suoque peccato, et ei, quam acceperant maledictioni reconciliantur? Non quærant igitur reconciliationem, ne forte incurrant maledictionem. Quærant gratiam Spiritus sancti, non ad episcopalem dignitatem, sed ad delendam iniquitatem. Merito ergo Simoniaci in suis ordinibus non suscipiuntur, quoniam in ipsis ordinibus peccaverunt. Ariani vero non in episcopali dignitate, sed in fide Trinitatis errabant, et peccabant, et alii hæretici similiter, unusquisque in sua hæresi. Soli autem Simoniaci in emendis sacris ordinibus peccant ; unde et merito ipsi soli nulla ecclesiastica dispensatione in his, quibus peccaverant, suscipiuntur. Alios autem præter hos hæresiarchas multis locis ecclesiasticæ historiæ in suis ordinibus susceptos legimus. Nam et Nicænum concilium Catharos, sive Novatianos per manus impositionem suscepit et eorum clericos in suis ordinibus manere præcepit.

De hac autem manus impositione, sine qua hæretici non suscipiuntur, satis superius diximus. Beatus quoque Gregorius Hiberis episcopis de Nestorianis scribens, ait : « Hanc igitur veritatem Nativitatis Christi, quicunque a perverso errore Nestorii convertuntur, coram sancta fraternitatis vestræ congregatione fateantur, eumdem Nestorium cum omnibus suis sequacibus, ac reliquas hæreses anathematizantes ; venerandas quoque synodos, quas universalis Ecclesia recipit, se recipere et venerari promittant, et absque ulla dubitatione sanctitas vestra, servatis eis propriis ordinibus, in suo cœtu eos recipiat, ut dum et per sollicitudinem occulta mentis eorum discernitis, atque eos per scientiam veræ rectæ, quæ tenere debeant, docetis, et per mansuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de propriis ordinibus facitis, eos ab iniqui hostis ore rapiatis. » Sunt autem et multa alia, quibus hoc ipsum probari potest. Sed de suscipiendis quidem hæreticis, et de propriis honoribus non privandis hæc duo exempla sufficiant.

Multum digressi sumus : nunc ad propositum revertamur, et de his dicamus, qui a Simoniacis ordinati sunt. Qui enim a Simoniacis ordinantur, aut sciunt esse Simoniacos, aut putant esse catholicos. Si sciunt eos esse Simoniacos, et se ab eis ordinari permittunt, nulla venia digni sunt, ut propriis servatis ordinibus suscipiantur (2020). Nam

(2016) Pereunt autem paganorum et hebræorum filii, qui baptismo caruerunt, sed adversa eorum sors a libera, et non injusta Dei electione est repetenda. De validitate baptismi parvulorum, quamvis desit fides et voluntas offerentium, si rite administretur agit Berardi dissert. II, p. IV, p. 56.

(2017) Ipse etiam Bruno tract. De sacram, ait : « Hoc autem dum dico, nullum præjudicium facio infantibus, qui non sua, sed aliorum fide baptizantur, et salvantur. »

(2018) Ita canon concilii Rom. sub Alexandro II, supra.

(2019) Vid. Berardi p. I, diss. III, c. 2, De Simonia, ubi ait in sacris canonibus Simoniam, hæresim passim appellari, atque ea infectum hæreticum habendum esse « qui non tam facit, quam fieri posse putat detestabilem rerum sacrarum, aut sacris celebrantium mercaturam. » Quare sic accipiendo Simoniam Innocentius III, cap. 52 De Simonia scribere non dubitavit, tantam esse « immanitatem hæresis Simoniacæ, ut ad ejus comparationem cætera crimina pro nihilo reputentur. »

(2020) In concilio IV Rom. sub Gregorio VI, quod an. 1048 fertur celebratum, interfuere centum fere episcopi, præter abbates aliosque ex clericis laicisque quamplurimos. In eo primum damnati sunt episcopi quidam atque a gradu suo dejecti, quod Simoniace ordinati fuissent, aliosque etiam Simoniace ordinavissent. Hi fuerunt Thealdus Mediolanensis, Guibertus Ravennas, Rolandus Tarvisinus, Hugo cardinalis, et Gaufredus Narbonensis.

Digitized by Google

enim ambitiosi esse probantur, qui alicujus honoris gratia ab illis se sacrari permittunt, a quibus se maledici non dubitant. Quis enim dubitat Simoniacos esse hæreticos (2021)? Quis igitur ei parcat, qui se ab illo ordinari permittit, quem hæreticum esse non dubitat? Si vero Catholicus esse putatur, et simul cum Catholicis in Ecclesia conversatur, ratum debet esse quod agit; quoniam non ad ipsum, sed ad illius devotionem et fidem respicit Deus; qui se illius manibus subjecit, quasi catholico episcopo propter Deum. Respicit etiam ad Ecclesiam, suos filios ei simplici corde offerentem. Quia enim intra Ecclesiam est, adest utique Spiritus sanctus, qui etiam per malum hominem sacros ordines operatur. Homo est, qui loquitur; sed Spiritus sanctus est, qui sanctificat. Hoc autem totum suscipientis et offerentis fides facit. Multis enim ipsum Dominum dixisse legimus ut secundum eorum fidem fieret illis. Si ergo illi sua fide sanabantur, quare isti sua fide non consecrantur? Nihil enim hic contra fidem agitur, sed fidele est totum, quod agitur. Si enim temere vel contra fidem facerent, merito abesset Spiritus sanctus; siquidem Spiritus sanctus disciplinæ fugiet fictum (*Sap.* I, 5). Diximus superius de Simoniaco; quia dum se Catholicum esse fingit, a catholicis episcopis consecratur, tota illa benedictio in maledictionem ei vertitur; quoniam non ad labia, sed ad cor respicit Deus: non enim est in corda eorum, ut Simoniaco benedicant. Similiter igitur econtra dicere possumus, dum Simoniacus Catholicum se esse fingens, Catholico benedicit, quamvis ejus benedictio maledictio sit, omnis tamen ejus maledictio in benedictionem convertitur: adest enim Spiritus sanctus, qui non ad loquentis et consecrantis hæretici petitiones, sed ad suscipientis mentem et devotionem respicit. Quod si extra Ecclesiam tale aliquid contingat, non debet hæc ratio ei subvenire, qui extra Ecclesiam a Simoniaco ordinatur, quamvis non Simoniacum esse putet; quoniam neque a matre Ecclesia offertur, neque ejus devotio bona est, qui extra Ecclesiam a quocunque ordinatur (2022). Manifestum est itaque de his, qui intra Ecclesiam a Simoniacis, quos tamen Catholicos esse putant, non Simoniace ordinantur, quod eorum ordinatio rata esse debet.

Taceant igitur, qui a temporibus beati Leonis (2023) papæ jam sacerdotium in Ecclesia defecisse garriunt, eo quod omnes aut Simoniaci essent, aut a Simoniacis ordinati: similiter autem et de aliis hæreticis intelligendum est; quia si intra Ecclesiam ordinati sunt, et Catholici esse putantur, quandiu ibi sunt, sacramenta quæ agunt, rata esse debent.

Nunc autem illis respondendum est, qui quoniam ipsos sacros ordines non emerunt, se Simoniacos non esse contendunt, quamvis ecclesias vel ecclesiarum partes emissent. Sed velim respondeant; Si per illam emptionem et venditionem ad sacros ordines pervenerunt: vel si in illis ecclesiis, quas emerunt, per illam emptionem sacra mysteria celebrandi potestatem susceperunt. Si enim ita est, vix se defendere poterunt, se Simoniacos non esse. Simoniacus enim est qui per pretium ad sacros ordines venire contendit. Simoniacus est et ille, qui eam potestatem emere nititur, per quam sancti Spiritus dona parantur. Hic autem episcopus quasi canonicam electionem, vel consecrationem, non pro sacris ordinibus, ut ipse fingit, sed pro terris et vineis, pro castellis et villis pretium dedit vel promisit. Si hoc tali modo episcopus fieri disponebat, per pretium utique ad sacros ordines venire contendebat. Neque enim ideo hoc faciebat, ut ea solummodo quasi laicus possideret, sed potius ut episcopalem dignitatem aliquando pro ea haberet. Multo instantius hos tales, qui canonice eliguntur, post hanc talem invasionem instare videmus, ut quantocius ad **621** sacros ordines pervenire valeant. Qua in re suam intentionem apertissime manifestant, et quod illa emptio significaverit, ostendunt. Quocunque igitur tempore ad consecrationem veniant, aderit ibi beatus Petrus, qui eis more solito dicat: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri (*Act.* VIII, 20). » Quod si ad consecrationem non venerint, sed prius pœnituerint, et illa tam prava existimatione caruerint, dubitari quidem potest an in aliis Ecclesiis præponi aliquando debeant. Considerari tamen convenit id quod beatus Petrus dixit ad Simonem: « Pœnitentiam, inquit, age ab hac tua nequitia, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui (*ibid.*, 22). » Si enim pœnituisset fortasse, gratis postea habuisset, quod prius pretio habere non potuit; quamvis in his verbis apostoli sola peccati remissio significetur.

Quod autem de toto episcopatu diximus, id de singulis ecclesiis, vel earum partibus intelligimus: simile namque peccatum est et cum divite, et cum paupere fornicari. Qui enim unam ecclesiam, vel ejus partem emit, quanto libentius, si posset, totum emeret episcopatum? Qui enim aliquam ecclesiam emit, illam utique potestatem emit, de qua Simon Magus apostolo dicebat: « Date vos mihi hanc potestatem, ut cuicunque manum imposuero accipiat Spiritum sanctum (*ibid.*, 19). » Ille enim, qui ecclesiam emit, priusquam eam emeret, liberam potestatem in ea non habebat vel baptizandi, vel sacrificandi, vel alia quælibet celebrandi mysteria; quæ quidem omnia et dona sunt, et operationes Spiritus

(2021) In sensu supra exposito; nam ut tradit ipse Bernardi, « qui pro certo habet, res sacras emi vendive non posse, interea tamen aliud agit, et res sacras pretio emit aut vendit, non vitio intellectus sed voluntatis, gravissime quidem peccat, sed non ut hæreticus. At Simoniacam hæresim nominabimus, cum quis non tam facit, quam fieri posse putat detestabilem rerum sacrarum, aut sacris conærentium mercaturam. »

(2022) Valida habetur, sed non licita ordinatio schismaticorum et hæreticorum episcoporum, dummodo tamen eam ipsi rite et valide acceperint.

(2023) Hic loquitur de B. Leone IX, qui paulo ante Brunonem floruit.

Digitized by Google

sancti. Emit igitur illam potestatem : siquidem A baptizandi vel sacrificandi potestatem emit, quam utique in illa ecclesia non habebat, priusquam emeret. Sicut enim impium est existimare quod Spiritus sanctus pecunia possideatur, ita et illud existimare impium est quod ejus dona et operationes pretio dari et exerceri debeant.

Sed dicis : Ego hanc potestatem (scilicet baptizandi et similia agendi) habebam, prius etiam quam ecclesiam emissem. Cur ergo emisti? Quia non concedebatur mihi hæc agere in ea, priusquam emissem. Jam cognosco intentionem tuam, et video intentioni Simonis quam maxime convenire. Habebas quidem potestatem, sed nolebas habere otiosam; quoniam aut parum, aut nihil tibi conferebat, nisi ubicunque eam exerceres : nunquam eam emeres, B nisi lucrum inde sperares. Hæc igitur est intentio Simonis, sic ille faciebat : volebat emere, quod multum se vendere posse sperabat. Neque enim dixit : Date mihi hanc potestatem ut habeam Spiritum sanctum, sed quid dixit? « Date mihi hanc potestatem, ut cuicunque manum imposuero, accipiat Spiritum sanctum. » Nulla enim lucrandi spes ei remansisset, si eam solummodo habuisset, et dare aliis non potuisset. Similiter autem et tu si hanc potestatem solummodo habeas; ubi eam lucrative non exerceas, nihil tibi videtur esse quod habes : quomodo ergo Simoniacus non es? Si in hoc tanto malo Simoni similis es. Hæc autem de illis dicta sunt, qui post ordinationes ecclesias emunt. Si enim ante ordinationes eas emunt, et per illam emptionem ad ordines veniant, Simoniaci utique sunt, et maxime illi, qui ecclesiam emendo ad sacros ordines venire contendunt. Si autem non ad ordines ipsos, sed ad ecclesiarum beneficia per pecuniam venire desiderant (multos enim tales videmus, qui postquam ecclesias emunt, ordinari omnino despiciunt, hi quidem non tantum Simoniaci, quantum fures et latrones dici videntur. « Qui enim non intrat per ostium, ille fur est et latro (*Joan.* x, 1). » Qui vero per pecuniam intrat per ostium non intrat; fur igitur est et latro. Sed sive hoc nomine, sive illo alio vocentur, Ecclesiam tamen tenere non debent : omnes enim vendentes et ementes Dominus templi ejecit de templo. In magno quoque Chalcedonensi concilio constitutum est : « Ut si quis quemlibet clericum, vel Ecclesiæ dispensatorem, sive ministrum per pecuniam ordinaverit, uterque et dans, et accipiens deponatur, consentientes vero, anathemate feriantur. » Vide igitur, quia non solum clerici, verum etiam dispensatores de Ecclesia ejiciuntur omnes, qui sacros ordines, et qui ipsas ecclesias earumque partes emunt vel vendunt. Cum ergo pœna similis sit, cur de nomine contentio fiat? Sive enim Simoniaci dicantur, sive non, pœna tamen eadem est.

Hæc autem ad illam quæstionem nos respondisse sufficiat, ad quam superius nos responsuros esse promisimus.

VITA SANCTI PETRI

EPISCOPI ANAGNINI

Ex ea quam S. Bruno episcopus Signinus composuit, per reverendum dominum Gasparem Vivianum Urbinatem, episcopumque Anagnignæ ejusdem Ecclesiæ breviter descripta.

ADMONITIO.

622 *Omnes auctores consentiunt Vitam S. Petri Anagnini ab episcopo Brunone Signiensi conscriptam esse, quinimo idipsum in supradicto canonizationis privilegio seu diplomate affirmatur. At oportet eam omnino raram esse, cum Maurus Marchesius inter opera S. Brunonis Signiensis, quæ an.* 1631 *Venetiis edidit, illam omittere coactus fuerit, et ejus loco compendium reverendissimi Gasparis Viviani, qui ab an.* 1579 *ad an.* 1605 *Anagninus episcopus fuit, exhibuerit. Præterea Mabillonius in Annalibus Benedictinis testatur, eam nec dum integram typis vulgatam esse. Nos quidam integra, ni fallimur, acta S. Petri habemus; propterea tamen S. Brunoni Signiensi illa certo ascribere nondum audemus; ut enim parachronismos et alia interpolationis argumenta prætermittamus, in iis de hoc ipso Brunone narrantur nonnulla quæ verosimiliter S. Bruno de se ipso non scripsit.*

Et si igitur Baronius in Annalibus ecclesiasticis sub nomine Brunonis Signiensis licet utique hujus Vitæ fragmenta, quæ cum nostro textu fere ad verbum conveniunt, nihilominus Acta nostra ab aliquo aucta et interpolata esse existimamus. Optandum sane esset ut scriptores Benedictini S. Brunonis Signiensis lucubrationem invenirent. Nos interim Vitam hujus sancti edimus, ut quimus, dum ut volumus, non licet. Denique cum amanuensis veterum characterum, et forte etiam linguæ Latinæ imperitus, Acta illa misere luxaverit, ut supra monuimus, malumus ea sine certo auctoris nomine vulgare, quam docto Brunoni Signiensi temere attribuere. Nunc tantummodo superest, ut hanc ipsam S. Petri Vitam, hinc inde uncis suppletam, et ex conjectura nostra emendatam, prælo et lectoris judicio subjiciamus. In Vita de qua habetur cap. 3, *n.* 34, *Bruno vero Signiensis episcopus prælibatus, dum in ecclesia S. Petri suæ civitatis nocturnis silentiis orationibus excuberet, ex specula cernens accensam lucem super civitatem, et Ecclesiam Anagninam, et cœlestem in aere audiens cantilenam, præsagiens obitum S. Petri, clientelam sollicitat, et subvectionibus præparatis Anagniam properat : post piæ compassionis lacrymas obitum B. Petri præsulis Salvatori omnium dignis commendavit exequiis, infra ecclesiam suis, et sacerdotum manibus honorifice tradidit sepulturæ. Deinde disertissimam orationem in ejus laudem habuit, etc.* (2024).

(2024) Hæc ex Bollandianis sub die 3 M. Augusti hausimus; nec lectores monere omittimus D. Jo. Baptistam Federicium archivi Casinensis præfectum, rogatu nostro nihil fecisse reliqui, ut Vitam S. Petri Anagnini episcopi a S. Brunone Signiensi, ut ferunt scriptores non pauci exaratam, compararet; sed frustra impensi sunt labores omnes.

Digitized by Google

COMPENDIUM VITÆ S. PETRI EPISCOPI ANAGNINI.

623 Petrus Salerni, ex illustrissima principum familia natus, a parentibus patrui ejusdemque abbatis cœnobii Salernitani S. Benedicti tutelæ fideique committitur. Puerulus utroque orbatus parente, a religioso quodam proboque sane eruditus : deinde adolescens optimis moribus ac litteris præditus, suas facultates eidem monasterio tradidit, et S. Benedicti disciplinam amplexus, se ipse quoque Domino dicavit. Suave igitur Christi jugum ab adolescentia ferens, et erga omnes humanus erat ac mitis, et religiosæ vitæ cultor egregius ; quippe qui monasticas B. Benedicti leges, quas et memoriæ mandaret accurate servaret, atque in jejuniis, precibus, sacris lectionibus tempus omne consumeret, ut juris quoque scientiam ad rerum divinarum cognitionem adjunxerit ; cum ita illum Dominus nec opinantem ad episcopalis officii munus instrueret. Quare cum aliquando Salernum Aldebrandus S. R. E. cardinalis ac legatus venisset, sancti viri fama permotus, eum ab abbbate patruo impetrat, Romamque ad Alexandrum II pontificem perduxit ; a quo primum ecclesiasticis negotiis præpositus, deinde Anagninæ Ecclesiæ, licet invitus, creatur episcopus magna cleri populique lætitia. Pastorali igitur munere suscepto, cum de sacris ædibus instaurandis ac de recuperandis Ecclesiæ possessionibus cogitare cœpit, tum de sanctorum reliquiis conquirendis ; præsertim vero de sacro B. Magni corpore, cujus præsentia decorari Anagnina ecclesia dicebatur, nec tamen satis constare videbatur. Verum Deus ita omnem sustulit dubitationem. Petrus enim paralyticam quamdam per id tempus ad se perductam ab ipsius viro, cui nomen Franco, jubet ad sepulcrum, in quo S. Magni corpus recondi putabatur, preces effundere. Cumque mulier ibi cum Francone viro suo profusis lacrymis in precatione pernoctasset, ac tristes ambo domum rediissent, postero die beatus Magnus eidem mulieri visus est, pontificio splendidoque vestitu, qui eam valetudini restitutam jussit episcopo denuntiare, ne amplius de sui corporis in Ecclesia quiescentis præsentia dubitaret. Paruit illa, et læta cum beato Petro, ac frequentissimo populo excito tanti fama miraculi ad sancti Magni sepulcrum Deo beneguissimo de acceptis beneficiis gratias egit. Petrus interea nonnullis ecclesiæ bonis recuperatis, cum et suo clero et egentibus paterna charitate prospiceret, nocte quadam in templo de more orans, Magnum episcopum, magno splendore fulgentem, ad se cum Dei matre venientem conspexisset, qui ei prædixit fore ut in Orientem ad imperatorem missus, ab eodem morbum diuturnum propulsaret, et ad templum instaurandum quæcunque vellet impetraret. Non ita multo post ad Michaelem imperatorem Petrus Constantinopolim legatus apostolicus mittitur. Cumque suo jam functus officio ea quoque exponeret quæ in templo Anagniæ noctu vidisset, imperator primo respondit, se quis beatus Magnus et quænam Anagnina esset ecclesia penitus ignorare. Deinde vero ea nocte imperatori gravissime laboranti, ut jam prope mortuus putaretur, beatus Magnus pontificiis valetus insulis, et sacratissima Dei Genetrix astiterunt, monentes ut, si salvus esse velit, legato apostolico morem gerat. Imperator, statim ut loquendi facultatem recepit, episcopum conqueri jubet. Cui advenienti, catena (ut erat temporibus illis usitatum) obducta, in aula regia ita repente effracta est, ut si fragilis materia scinderetur. Ergo, imperator supplex ab episcopo per Dei Parentem ac S. Magnum valetudinis beneficium flagitare, ac simul visa narrare cœpit. Tum sanctus ac vere clemens episcopus, implorato sanctissimæ Trinitatis auxilio, beatissimæ Virginis, sancti Magni, sanctorumque omnium, quorum sacra ossa in Anagnino templo asservantur, contractisque leviter male affectis membris : Surge, inquit, præclarissime princeps, et perpetua incolumitate lætare. Surgit illico imperator, et ad episcopi pedes procidens, patrem illum appellat, quem pridie, ut externum hominem prope repulerat. Ad extremum fabris, et magna vi auri, vasisque inauratis eidem liberaliter attributis, pollicetur se et alios sumptus ad basilicam absolvendam suppeditaturum : quod et reipsa præstitit. Beatus vero Petrus, cum tres circiter annos et quadraginta suam optime rexisset Ecclesiam, tertio Nonas Augusti migravit in cœlum, Paschali II pontifice a quo etiam est in sanctorum numerum ascriptus (2025).

PRIVILEGIUM CANONIZATIONIS BEATI PETRI EPISCOPI ANAGNINI.

624 Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Anagninis, et aliis per Campaniam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Dominum excelsum habentes præ oculis, qui in amicis suis laudatur et benedicitur, et considerantes propterea strenuæ probataque vitæ merita, quibus vir sanctus Petrus, quondam Anagninus episcopus, de regula monachali assumptus in pastorali

(2025) Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad a. Christi 1105, adnotavit Vitam S. Petri Anagnini episcopi, quam scripsit S. Bruno Signiensis non integram typis vulgatam esse. Vid. Acta apud Bollandianos sub die 3 Augusti. Dicitur Petrus annos 43 Anagninam Ecclesiam administrasse.

Digitized by Google

officio pure, simpliciter, solerti vigilantia et exemplo Deo deservivit; admirantes etiam miraculorum insignia quibus sanctum suum ante et post obitum divina gratia decoravit, prout per Brunonem Signiensem episcopum fideliter adnotatur, et usque ad nostra tempora decorare non desinit; auctoritate præsentium nobis licere volumus et mandamus, quatenus A tertio Nonas Augusti diem natalis memorandi ejusdem confessoris et præsulis numerandi sanctorum catalogo congrue celebrem recolatis, quatenus in præsenti gratiam et in futuro, opitulante divina clementia, piis ejus intercessionibus mereamur gloriam sempiternam. Data Signiæ secundo Nonas Junii, pontificatus nostri anno undecimo. Anno D. 1109.

EPISTOLÆ S. BRUNONIS

I.

625

AD PETRUM PORTUENSEM EPISCOPUM.

PETRO venerabili Portuensi episcopo BRUNO peccator episcopus B. Benedicti servus, salutem.

Audivimus quod quidam de fratribus nostris non solum non damnant ea quæ modo contra Ecclesiam facta sunt, verum etiam imprudenter defendere conantur. Omnis autem qui hæresim defendit, hæreticus est. Nemo autem hanc non esse hæresim dicere potest, quia sancta et apostolica Ecclesia in multis conciliis hæresim nominavit, et excommunicavit. Sed illæ quidem specialiter dicuntur esse hæreses quæ in conciliis judicatæ et damnatæ sunt. Unde Guibertus non immerito hæresiarcha dictus est, simulque cum suis sequacibus damnatus et excommunicatus. Quicunque igitur catholicam Ecclesiam relinquentes, ad partem Guiberti transierunt, et ejus impiam hæresim defendunt et tenent, eos hæreticos, excommunicatos, et apostolicis vinculis ligatos esse non dubium est. Qui vero excommunicati, et legati sunt, neque seipsos, neque alios ligare vel solvere possunt (2026).

II.

AD EPISCOPOS ET CARDINALES S. R. E.

Episcopis et cardinalibus S. R. E. BRUNO Signiensis episcopus salutem.

Jam pridem misi litteras Portuensi episcopo, dilectissimo amico meo, in quibus eos qui hæresim defendunt hæreticos esse dixi. Dixi propterea omnes illos hæreticos esse, qui catholicam Ecclesiam relinquentes, ad partem Guiberti transierunt, et ejus impiam hæresim defendunt, et tenent. Neque vero ad partem Guiberti eos transisse intelligo, qui ejus hæresim nunquam laudaverunt, neque defenderunt, et si cogente necessitate, vel aliqua alia ratione ad horam consentire visi fuerint. Hæc autem hæresis, quæ est de investitura, ideo Guiberti et Henrici specialiter esse dicitur, quia ad hoc Guibertus ab Henrico rege, imo ab ipso diabolo papa B ordinatus est, ut rex per eum obtinere potuisset quod sibi a parentibus suis relictum esse dicebat; investituram scilicet, et Ecclesiarum ordinationes. Hoc enim erat quod ipse quærebat, hoc erat quod per Guibertum obtinere sperabat. In aliis enim non multum a nobis differre videbantur. Damnabant enim et ipsi Simoniacos, sed et alia vitia asperabantur, sicut et nos. Sed ipsi servitutem, nos Ecclesiæ **626** libertatem quærebamus. Quicunque igitur dicit Guibertum hæreticum non fuisse, negat nos catholicos esse. Catholici enim sunt, qui catholicæ Ecclesiæ fidem et doctrinam laudant et defendunt: sicut econtra hæretici, qui catholicæ Ecclesiæ fidei et doctrinæ obstinato animo contradicunt. Quomodo autem contra fidem et doctrinam catholicæ C Ecclesiæ ibi malitiose pugnaverunt, in sequentibus ostendemus. Erat inter nos et illos de investitura quæstio non parva. De Simoniaca namque hæresi, ut jam superius diximus, nulla inter nos et illos quæstio erat, et quia a nobis. et ab ipsis pariter illa hæresis damnabatur....

(Desunt reliqua in codice Riccardiano a quo epistolam hanc exscripsimus.)

III.

AD PASCHALEM SUMMUM PONTIFICEM.

PASCHALI summo pontifici BRUNO peccator episcopus B. Benedicti servus quod tanto domino et Patri.

Inimici mei dicunt tibi quia non te non diligo, et quia de te male loquor, sed mentiuntur. Ego enim sic te diligo, sicut Patrem et dominum diligere debeo, etc. *Vide in Paschali II, supra ad an.* 1118. D

IV.

AD B. PRÆPOSITUM ET CUNCTOS FRATRES S. GEORGII.

(Ex eodem codice Riccardiano.)

627 Dilectissimo fratri B. præposito S. Georgii, et cunctis fratribus qui cum eo sunt salutem et benedictionem.

Significastis nobis per litteras vestras, quod S. et venerabilis episcopus Lucensis et Parmensis. et se-

(2026) Huic epistolæ sequentia addidit S. Bruno a Baronio et Marchesio relata. Has litteras misi ego Portuensi episcopo, in quibus nullum alium hæreticum esse dixi, nisi eos tantum qui hæresim defendunt et tenent, et eos quidem fugiendos esse judicavi, etiam si affectu parentum et oculorum, et manuum

eos diligamus. Dictum namque fuerat nobis quod illi qui impii regis proditione capti fuerant, omnes præter paucissimos, una et consona voce dicebant quod prædicavimus, prædicamus, et quod damnavimus, damnamus. Hos autem qui hoc dicunt, quis dubitat esse catholicos?

Digitized by Google

crarum congregationum ministri Camaldunensis et Vallisumbrosæ nostram voluntatem cognoscere volunt de hæresi, quæ dicitur de investitura, et an dominus papa nostrum consilium suscepit, et susceperturus est. Primum autem hoc sciatis, quia dominus papa neque me diligit, neque consilium meum. Voluntas autem bona mutari non debet. Et ego quidem quod dixi, hoc dico, et in Gregorii et Urbani sententia firmissime maneo, et spero de omnipotentis Dei misericordia, quia in hac voluntate usque in finem permanebo. Misi autem vobis hunc parvum libellum, et rogo vos ut, sicut alias litteras nostras supradictis venerabilibus episcopis, cæterisque Christi fidelibus ostendistis, ita istas quoque ostendatis, etc.

ODDONIS ASTENSIS

MONACHI BENEDICTINI

IN PSALMOS EXPOSITIO

Per contemplationem exarata

AD BRUNONEM EPISCOPUM SIGNINUM

(Opp. S. Brunonis edit. Venet. 1651. cur. D. Mauro Marchesio)

Brunoni episcopo Oddo monachus.

Quoniam quidem tuæ jussionis dulcisque admonitionis opus inchoatum imperfectum omisi (quod non superbiæ quidem, imo nostræ ætatis mutabilitati otioque imputandum est), in hoc multo diligentius composito, me satisfacere tibique placere arbitratus sum, præsertim cum, et secundum velle tuum, compendiose scripserim, et, juxta mei ingenii paupertatem, quadam providentia ordinaverim. Sic enim versuum fere omnium vitavi confusionem, ut sententiarum nusquam interrumperem perpetuitatem. Pluribus denique in locis et sine obelo nocitura subtraxi, et absque asterisco profutura apposui. In propriorum præterea sedem me aliquoties sola æquipollentia posuisse non sum oblitus; nec sine labore quidem: sciebam enim quia quanto labor gravior, tanto actus gratior. Quocirca non verbis adulatoriis (quæ in me quidem novit Dominus, nulla sunt), verum enim vero in tuorum obedientia mandatorum tibi me commendare studui. Unde factum est ut tantum tam fugientem tamque labentem persequerer cervum, qui nunc sui cursus velocitate, meum penitus frustrabatur intuitum, nunc sese petenti cervino more ultro repræsentans, tandem captus victusque quievit. Suscipe igitur Davidicam omnium orationum dignissimam prædam; quam ego quidem legati inopia, tardius tibi quam debui offero. Si quis autem meas scapulas tanti ponderis non esse, objiciat Matth. XI: « Jugum Domini esse suave, ejusque onus leve, » respondebo: Quod si consilium tutoremve subsannando quæsierit (vix enim sine rugosa cujuslibet subsannatione, aliqua vel parva componi possunt), tali tu, præsul venerabilis, quæstioni facilis mihi solutio fueris. Si quis autem venenato dente, Psalterium tuum rodere præsumpserit, pastoralis piissima cura resistat, neque te incolume, vim aliquando innocens patiatur. Si quid autem absurdum, superfluum, minusve continens in eo invenitur, tua tuique Oddonis pudica diligentia corrigat, abradat, et apponat. Ego autem non tantum ædificantis, verum etiam in unum lapides undique deferentis officiosus sum. Titulos autem ideo præposui, ut Psalmorum voluntas facilius breviusque comprehendatur.

EXPOSITIO TITULORUM.

Psalm. III. « Domine, quid multiplicati sunt. Cum fugeret David a facie filii sui Absalon. » David *manu fortis* interpretatur. Significat autem Christum, cujus manus adeo semper fortis fuit, ut diabolum vinceret, infirmitates repelleret solo tactu, cæcos illuminaret, tetigit denique loculum et mortuum suscitavit. Absalon, qui *patris pax* dicitur, Judam significat: hic autem arboris ramis suspensus interiit; Judas vero laqueo se suspendit. Illo mortuo pacem habuit David; mortuo Juda, pacem habet Christus. Hoc autem ipse manifestabat, quoties post passionem suam, pacem discipulis commendabat, dicens Lucæ XXIV: « Pax vobis; » ac si diceret: Mortuus est qui nos contristabat. Itemque

Digitized by Google

Joan. XIV : « Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. » Hoc enim ipse non dixisset, nisi pacem habuisset.

Psalm. IV. « Cum invocarem. In finem, in carminibus. » In finem, inquit, iste psalmus referendus est ad Rom. X : « Finis autem legis, ut ait Apostolus, Christus est. » Ipse enim et legem omnino complevit, et in eo littera finem fecit. Cessavit enim immolatio, vero Agno immolato. Ipse est alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis. « In carminibus, » id est in laudibus, quoniam ipsius laudes hic nuntiantur.

Psalm. V. « Verba mea. Pro ea quæ hæreditatem consequitur. » Synagogæ quidem promisit Dominus hæreditatem, sed quia venientem hæredem interfecit, Matth. XXI : « Malos male perdit Dominus, et vineam suam locavit aliis agricolis. » Consequitur igitur Ecclesia hæreditatem duce Jesu, sicut in hoc psalmo dicitur : « Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam. »

Psalm. VI. « Domine, ne in furore tuo. Pro octava. » Hac enim finita vita, hoc septenario transacto, sequitur illa dies octava in qua ad judicium Dominus veniet. Pro hac igitur octava die dicit Ecclesia : « Miserere mei, Deus, quoniam infirmus sum. » Valde enim in hac die ei timendum erit, cujus ipse non miserebitur.

Psalm. VII. « Domine Deus meus, in te speravi. » In finem, psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini. Finem semper ad Christum intendit, sed modo passionem illius, modo resurrectionem designat ; cum psalmus dicitur David, Christo appropriatur. Chusi *silentium* interpretatur ; Jemini, *dextera*. Sunt autem Chusi, quicunque ori suo custodiam ponunt, qui inutilia et otiosa verba non fundunt : qui enim custodit linguam suam, custodit animam suam. Hi autem sunt filii Jemini, sunt filii dextræ, psal. CXVII ; « Dextera Domini fecit virtutem. » Hic igitur psalmus pro perfectis et a perfectis canitur, qui non solum facere, verum etiam dicere, male non noverunt, quorum consilium utile, quorum fides est firmissima.

Psal. VIII. « Domine Dominus noster. In finem, pro torcularibus. » In hoc autem verbo, et torcularia, et torculares intelligi posse, et legi putandum est, ut torculares doctores, torcularia vero Ecclesiam dicamus. In hoc autem psalmo de Ecclesiæ doctoribus locutio fit, qui infantes et lactentes appellantur.

Psal. IX. « Confitebor tibi, Domine. In finem, pro filii occultis. » Occulta Filii Dei Antichristi adventum et diem judicii intelligimus, quem a discipulis interrogatus, aperire noluit. Sunt igitur ista occulta, si quidem nec apostolis manifesta fuerunt. Dei namque Filius, qui cætera aperuit omnia, istum diem occultum esse voluit.

Psal. XI. « Salvum me fac, Domine. In finem, pro octava. » Hoc autem superius dictum est, quod dies octava dies judicii intelligitur, in qua in circuitu impii ambulabunt, quibus cœlestis civitatis janua claudetur. Est autem et dies octava Domini resurrectio.

Psal. XV. « Conserva me. In tituli inscriptione, ipsi David. » Tituli namque inscriptio fuit Lucæ XXIII : « Hic est Jesus Nazarenus rex Judæorum. » Qui Græcis, Latinis et Hebraicis litteris scriptus, omnium gentium advocationem significat. Sed quia Judæi dixerunt : « Noli scribere rex Judæorum, » ideo in hoc psalmo dicitur : « Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, » quod de illis intelligitur, qui prophetas occiderunt. Sive de sanguinibus, id est ex his ex quorum stirpe secundum carnem natus est. De gentibus autem sic dicitur : « Funes ceciderunt mihi in præclaris. »

Psal. XVI. « Exaudi, Domine, justitiam meam. » Oratio David, illius videlicet de quo superius locuti sumus, qui diabolum fortissima manu superavit.

Psal. XVII. « Diligam te, Domine. In finem, puero Domini David, quæ locutus est Domino verba cantici hujus, die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit. » In finem, inquit, referenda sunt, scilicet puero Domini David. Hic autem est, de quo dicitur Isaiæ IX : « Parvulus natus est nobis. » Verba cantici hujus, « quæ ipse David locutus est Domino ; » sed quo tempore ? in die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum ejus, id est de potestate Judæorum, et de manu Saul. » Saul *appetitus* vel *terrenum regnum* interpretatur ; sub cujus nomine diabolus intelligitur, cujus regnum terrenum est, imo terra, caro et sanguis, quæ regnum Dei non possidebunt, qui a pluribus appetitus sequitur, qui Christum Dominum usque ad crucem dolis et insidiis persecuti sunt.

Psal. XXI. « Deus Deus meus, respice in me. » In finem, pro assumptione matutina, quod Hebraice, *pro cervo matutino* dicitur (*Marc.* XVI). Assumptio matutina, resurrectio fuit, quæ valde mane una Sabbatorum facta est, qua Christus immortalitatem assumpsit. Idem ipse, et cervus matutinus dicitur, quia quosdam saltus maximus dedit de cœlo in Virginem, de Virgine in præsepe, de præsepi in crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro in infernum, inde ad Patrem remeavit (*Greg. pap.* hom. 29).

Psal. XXIII. « Domini est terra. » Prima Sabbati. Prima namque Sabbati dies Dominicus accipitur, quo Christo Domino a mortuis resurgente, ab apostolis et angelis et hominibus pro triumpho et victoria canitur. Domini est terra, resurrexit Dominus, victus est inimicus, regnat Conditor et Salvator.

Psal. XXVI. « Dominus illuminatio mea. Psalmus David, priusquam liniretur. » Hic psalmus in finem, in titulo non habet, quia de primo David intelligitur, quem ipse David ad Dei laudem cecinit in mente

Digitized by Google

habens qualis esset priusquam liniretur. Erat enim fratrum suorum minimus, ovium que pastor. Videns ergo sese a Saule cæterisque persecutum inimicis, ait : « A quo trepidabo? quem timebo, cum Dominus mihi protector sit, et illuminatio, qui me de post fetantes accepit? »

Psal. XXVIII. « Afferte Domino. In consummatione tabernaculi. » Iste, inquit, psalmus in tabernaculi consummatione referendus est. Tabernaculum istud sancta Ecclesia intelligitur, cujus Christus est fundamentum, qui eam in seipso beatificavit, quando arca de Philisthinorum captivitate reducta est, id est ipsa Ecclesia de potestate diaboli. Sed quia verum sacrificium extra Ecclesiam non fit, ideo ea consummata dicitur : « Afferte Domino. »

Psal. XXIX. « Exaltabo te, Domine. Psalmus cantici, in dedicatione domus David. » Christus Ecclesia, vel caro assumpta. Hanc autem ipse dedicavit confirmavitque, quando conciso sacco lætitiæ circumdatus est.

Psal. XXX. « In te, Domine, speravi. In exstasi. » Hic autem psalmus de passione loquitur, ideo in exstasi titulatur, quod mentis excessum significat. Unde et sequitur : « Ego dixi in excessu mentis meæ. »

Psal. XXXI. « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, Intellectus David. » David, ut jam sæpe diximus, Christus est, cujus intellectus in hoc psalmo scribitur. Quicunque igitur non ex suis meritis, sed ex fide, et misericordia, peccatorumque confessione se salvari intelligit, suum intellectum non humanum, sed divinum esse cognoscat, ejusque qui in hoc psalmo dicit : « Intellectum dabo tibi, et instruam te. »

Psal. XXXIII. « Benedicam Dominum in omni tempore. Psalmus David, cum immutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum et abiit. » Abimelech, *regnum patris* interpretatur ; Judæa vero et Jerusalem illius antiquitus regnum fuit, qui omnium Pater et Dominus est. Ibi autem Christus vultum suum mutavit, servilem suscipiens formam, sive quia in passione sine specie et decore, mortuusque apparuit. « Et dimisit eum et abiit. » — « Iterum, inquit Dominus, relinquo mundum et vado ad Patrem (*Joan.* XVI). »

Psalm. XXXV. « Dixit injustus. In finem, puero Domini ipsi David. » De illo, inquit, puero Domini David ista intelliguntur, qui de virginali utero natus, et homines, et jumenta salvavit. Vel, « in finem, servo Domini ipsi David, » quia cum in forma Dei esset, formam servi accepit.

Psal. XXXVII. « Domine, ne in furore tuo. Psalmus David, in rememoratione diei Sabbati. » Sabbatum *requies* interpretatur. Hunc igitur psalmum cantant quicunque illius requiei, illius pacis, illius felicitatis quam in paradiso amisimus recordantur, semperque Dei misericordiam postulant, ut hac vita finita sabbatismum inveniant.

Psal. XXXVIII. « Dixi : Custodiam vias meas. In finem, pro Idithun canticum David. » Hoc canticum David in finem referendum est, id est in Ecclesiam, in ultimam ætatem Cor. X : « Nos enim sumus, inquit Apostolus, in quos fines sæculorum devenerunt. » Idithun *transiliens eos* interpretatur. Hi autem sunt viri perfecti, qui cæteros virtute et sanctitate transcendunt, quique in cœlis thezaurizantes dicunt : « Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus, et substantia mea apud te est? »

Psal. XLI. « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes æquarum. In finem, intellectus filiis Core. » Core quippe *decalvatio* dicitur. Christus autem in monte Calvariæ crucifixus fuit : hic igitur intellectus filiis Core attribuendus est, id est filiis Christi, qui eos in Calvariæ loco genuit, et redemit. De his ergo intelligitur : « Quoniam transibunt in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exsultationis et confessionis. »

Psal. XLIII. « Deus, auribus nostris audivimus. In finem, pro filiis Core ad intellectum. » Non vobis, inquit, qui litteram sectamini, sed Christi filiis ad intelligentiam, spiritualiter hic psalmus componitur. Opera enim, quæ in diebus antiquis Dominus operatus est, in figura illis contigisse, sibi autem ad correctionem scripta esse non dubitatur.

Psal. XLIV. « Eructavit cor meum verbum bonum. In finem, pro aliis filiis Core, qui commutabuntur ad intellectum, canticum pro dilecto. » Hoc autem canticum pro eo et de eo dilecto cantatur, de quo scriptum est. Matth. III : « Hic est Filius dilectus, in quo mihi complacui. » Sic autem est pro Ecclesia, quæ suum populum suique patris domum oblita, ad fidem et intellectum commutata est.

Psal. XLV. « Deus, nostrum refugium. In finem, filiis Core pro arcanis, » Vere utique pro arcanis, quia Christi nativitatis continet mysterium. Unde et « Dominus virtutum nobiscum » hic dicitur, id est Emmanuel, qui *nobiscum Dominus* interpretatur. Hic autem psalmus filiis Core ad prædicandum datur.

Psal. XLVI. « Omnes gentes, plaudite manibus. Pro filiis Core, » id est apostolis, de quibus dicitur : « Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. »

Psal. XLVII. « Magnus Dominus. Psalmus cantici filiis Core secunda Sabbati. » Prima Sabbati resurrexit Dominus; secunda vero Sabbati, filiis Core, id est sancti apostoli jamconfortati et de resurrectione creduli, dixerunt : « Magnus Dominus et laudabilis nimis. »

Psal. XLVIII. « Audite hæc, omnes gentes. In finem, filiis Core. » Subauditur, credite, et obedite.

Psal. XLIX. « Deus deorum Dominus. Psalmus Asaph, » qui *congregatio* vel *synagoga* interpretatur. Hic autem psalmus dicit : « Congregate illi sanctos ejus. » Vides igitur quoniam Asaph suum officium complet.

Digitized by Google

Psal. L. « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. In finem, psalmus David, cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee. » Quia in finem dixit, suam nos pœnitentiam docere voluit, ut quotiescunque vel a Domino, vel a sacerdote, vicario suo, pro quolibet crimine redarguimur, simili modo pœnitentiam agamus.

Psal. LI. « Quid gloriaris in malitia. In finem, intellectus David, cum venit Doeg Idumæus, et annuntiavit Sauli et dixit : Venit David in domum Abimelech. » Doeg *motus ;* Idumæus *terrenus* vel *sanguineus* interpretatur ; Saul, *terrenum regnum ;* Abimelech, *regnum Patris.* Dominus autem iste est qui dixit Joan. XI : « Eamus in Judæam iterum, » id est in domum Abimelech : siquidem Patris sui regnum, Judæa erat. Doeg autem Idumæus, motus sanguineus, operator iniquitatis, proditor magistri, pessimus mercator cucurrit ad Saulem, cucurrit ad Pilatum, cucurrit ad principes terræ, et dixit : Ecce Christus adest, Matth. XXVI : « Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam ? » Sed quia intellectus David proponitur Christus, nihil ignorans ait Matth. ibidem : « Unus ex vobis me traditurus est. » Hic autem erat, cui dicitur : « Quid gloriaris in malitia. »

Psal. LII. « Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. In finem, pro Maeleth, intelligentia David. » Maeleth *parturiens* interpretatur ; idem ipse David qui composuit pro Maeleth hunc psalmum canit, id est pro invenientibus et parturientibus iniquitatem ; qui de Christo Dei Filio dixerunt : « Non est Deus. »

Psal. LIII. « Deus, in nomine tuo salvum me fac. In finem, in carminibus, intellectus David, cum venissent Ziphæi et dixissent ad Saul : Nonne David latitat apud nos ? » Ziphæi, qui *florentes* interpretantur, Judæi sunt, qui omnium divitiarum copiis florebant, terram lacte et melle fluentem inhabitantes. Hi autem, cum audissent Christum in domum Simonis leprosi venisse, sacerdotibus terræque principibus hoc nuntiaverunt. Ipse autem hoc intelligens ait : « Deus, in nomine tuo salvum me fac. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me. »

Psal. LIV. « Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam. In finem, in carminibus, intellectus David. » Consilium inter se Judæi faciebant, proditioni Judas instabat. Christus autem omnia intelligens ait : « Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, » meam mortem machinaris.

Psal. LV. « Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo. In finem, pro populo, qui a sanctis longe factus est, in tituli inscriptione David, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. » In tituli namque inscriptione, Judæorum populus a sanctis longe factus est, damnans titulum, non debere dicere regem Judæorum illum, quem omnes sancti se regem habere gaudent Allophyli, qui *sine capite* interpretantur, eosdem ipsos Judæos designant qui, omnium virorum caput, Christum, spernentes, sine rege vivunt et sacerdotio. Hi autem eodem in tempore tenuerunt Christum in Geth, id est in terra propriæ habitationis. Geth enim Græce, *terra* Latine, sive *torcular.*

Psal. LVI. « Miserere mei, Deus, miserere mei. In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptionem cum fugeret a facie Saul in speluncam. » — « In finem, » inquit, et ad Christum hæc referenda sunt in cujus tituli inscriptione dixit Pilatus : « Ne disperdas, » id est, Joan. XIX, « Quod scripsi, scripsi. » Tunc autem David, id est Salvator noster fugit a facie Judæorum, clausus in spelunca sepulcri.

Psal. LVII. « Si vere utique justitiam loquimini. In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptione. » Non enim Pilatus disperdere potuit, quod toties sanctus Spiritus disperdere contradicit

Psal. LVIII. « Eripe me de inimicis meis, Deus meus. In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptione, quando misit Saul, et custodivit ejus domum; ut eum interficeret. » Tacete Judæi, nihil proficitis, non corrumpetur titulus, aliud excogitate, mittite custodes, qui sepulcrum custodiant.

Psal. LIX. « Deus, repulisti nos. In finem, pro iis qui commutabuntur, in tituli inscriptione ipsi David in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syria et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia. » — « In finem, » inquit, id est, « ipsi David » iste psalmus attribuatur, Compositus pro his, qui « in tituli inscriptione, » id est, per Christi passionem, in doctrinam sanctam et apostolicam commutabuntur. Hoc autem erit eo tempore quo Dominus Lucæ XII : « Qui ignem in terram mittere venit, » succendet Mesopotamiam Syriæ, id est elationem, inflationem, malaque consilia superborum. Mesopotamia quippe *elatio*, Syria vero *sublimitas* interpretatur. Et Syriam Sobal, hoc est elevationem vanæ vetustatis, ut qui in superbiam et vanitatem, erroneamque philosophorum doctrinam antiquorum eriguntur, sancto Spiritu accensi, non plus sapiant quam sapere oportet. Sobal quippe *vana vetustas* dicitur. « Et convertet Joab, » id est inimicorum exercitum. Joab enim *inimicus* interpretatur. Et percutiet Edon, id est terrenos, ut divino amore percussi et compuncti, non terræ et carni, sed animæ obediant. Sed ubi convertetur ? « In valle Salinarum, » id est in sancta Ecclesia, in humilitatem saporiferam ; ubi apostoli habitant, qui *sal terræ* appellantur. « Duodecim millia, » finitum pro infinito, unde et ex omni tribu, « duodecim millia signati » dicuntur Apoc. VII.

Psal. LX. « Exaudi, Deus, deprecationem. In finem, in hymnis David. » Qui psalmus per omnia Christum personat.

Psal. LXI. « Nonne Deo subdita erit anima mea ! In finem, pro Idithun. » Ubi Idithun ponitur, qui

Digitized by Google

transiliens cæteros interpretatur, id est, amatores Dei perfecti intelliguntur. Est igitur psalmus iste perfectorum, qui se Deo subjectos, ab eo amplius non moveri, non parietes inclinatos esse dicunt.

Psal. LXII. « Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ. » Idumæa *sanguinea* vel *terrena* interpretatur. Ex eo igitur tempore, quo in deserto Idumææ Christus fuit, id est in mundo isto, vigilat Ecclesia, prius enim dormiebat, quia in nocte erat, sed veniente luce dixit : « Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. »

Psal. LXIV. « Te decet hymnus, Deus, in Sion. In finem canticum Jeremiæ et Ezechielis, vel Aggæi, de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci. » Jeremias *excelsus*, Ezechiel *fortitudo Domini* interpretatur. Illis igitur iste psalmus convenit, qui ad cœlos exaltantur, et Domini fortitudine victis inimicis, corona accepturi sunt. Cum autem de mundi hujus peregrinatione, ad supernam Jerusalem proficisci incipiunt, hoc suæ peregrinationis verbum dicunt.

Psal. LXV. « Jubilate Deo omnis terra. In finem, canticum psalmi resurrectionis. » Gaudeat mundus, lætetur Ecclesia, « jubilate Deo omnis terra, » quia mirabiliter amator tuus resurrexit.

Psal. LXVIII. « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ. In finem, pro iis qui commutabuntur ipsi David. » Pro iis, inquit, qui ab infidelitate ad fidem et David commutabuntur. Dicit in hoc psalmo Salvator noster : « Non erubescant in me qui exspectant te, Domine, Domine virtutum ; non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel. »

Psal. LXXI. « Deus, judicium tuum regi da. In Salomonem, psalmus David. » Salomon *pacificus* interpretatur ; « ipse autem est pax nostra qui fecit utraque unum (*Ephes.* II). » De quo in hoc psalmo dicitur. « Descendet sicut pluvia in vellus ; » et : « Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis ; » et : « Dominabitur a mari usque ad mare. » Et, Isaiæ XLV : « Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei. » Quod de primo Salomone falsum est, de Christo autem scimus quoniam omne genu sibi curvabitur.

Psal. LXXII. « Quam bonus Israel Deus. Defecerunt hymni vel laudes David filii Jesse : Psalmus Asaph. » Non ideo « defecerunt » dixit, quin amplius non sit locuturus, sed quoniam hic secundus liber explicit. « Psalmus Asaph » hic autem hujus psalmi titulus est. Asaph loquitur hic, qui *congregatio* vel *synagoga* interpretatur. Significat autem doctores, qui in hujus psalmi fine dicunt : « Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. »

Psal. LXXIII. « Ut quid, Deus, repulisti in finem. Intellectus Asaph. » Hoc enim doctores intelliguntur, et, quod Deus « in medio terræ sit salutem operatus. »

Psal. LXXIV. « Confitebimur tibi, Deus. In finem, ne corrumpas, psalmus cantici Asaph. » De Christo iste psalmus intelligatur, de quo dicitur. Joan. XIX : « Os non comminuetis ex eo »—« Psalmus Asaph, » hoc enim apostoli et doctores in principio dicunt : « Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum, narrabimus mirabilia tua. »

Psal. LXXVI. « Voce mea. In finem, pro Idithun, psalmus Asaph. » Perfecti enim sunt qui hoc in psalmo loquuntur.

Psal. LXXVII. « Attendite, populo meus, legem meam. Intellectus Asaph. In finem, pro arcanis Core. » Non simplex sicut, inquit, videtur, narratur historia, verum magna eorum in hoc psalmo continetur intelligentia, qui Dei populum congregantes et pascentes, recte Asaph appellantur.

Psal. LXXX. « Exsultate Deo adjutori nostro. In finem, pro torcularibus, psalmus ipsi Asaph in quinta Sabbati. » Torculares et torcularia apostoli sunt et Ecclesiæ ; calcant apostoli uvas in Ecclesiis, ne vini inopia dehiscant torcularia Isai LXIII : « Torcular, inquit Dominus, calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. »

Psal. LXXXIII. « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum. In finem, pro torcularibus ; filiis Core. » Filii Core, filii Calvariæ, filii Christi, torculares et torcularia sunt. Christus, primus torcularis, discipulos suos torculares fecit. Hi autem, Novi Veterisque Testamenti racemos exprimentes, exponentesque nostris pectoribus infuderunt.

Psal. LXXXIV. « Benedixisti, Domine, terram tuam. In finem, psalmus filiis Core. » Lætantur filii Core, quia « veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit. »

Psal. LXXXVI. « Fundamenta ejus in montibus sanctis. Filiis Core, psalmus cantici. » Ubi psalmus est et canticum, ibi laus et operatio.

Psal. LXXXIX. « Domine, refugium factus es nobis. Oratio Moysi hominis Dei. » Merito enim hujus psalmi narratio Moysi dicitur, ut qui nos hominis docuit constitutionem, miserias quoque doceat et interitum.

Psal. XCI. « Bonum est confiteri Domino. Psalmus cantici in die Sabbati. » Sabbatum *requies* interpretatur, in quo servilia facere opera interdictum est. Quicunque ergo hunc psalmum canit, ab operibus mundi quiescat, servilia non exerceat, sed quasi miles strenuissimus Domino famuletur.

Psal. XCIII. « Deus ultionum Dominus. Psalmus ipsi David, quarta Sabbati. » Quarta namque Sabbati fecit Deus cœli luminaria, solem, lunam, et stellas. Hic autem psalmus contra eos loquitur qui, Dei populum affligentes, dicunt : « Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. » Sint igitur isti memores quartæ Sabbati, in qua Deus tanta luminaria fecit, ut et videre omnia eum intelligant, et interiore homine illuminentur.

Psal. XCV. « Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Canticum ipsi David, quando domus ædificabatur post captivitatem. » Fuimus in Babylonia, fuimus in captivitate, sed jam domus nostræ, quas antiquus hostis destruxerat,

Digitized by Google

aqua baptismatis sunt reædificatæ. Canteimus ergo Domino canticum novum, tollamus, eique offeramus hostias jubilationis.

Psal. CVII. « Paratum cor meum, Deus. Canticum psalmi. » Laus operum.

Psal. CVIII. « Deus laudem meam. In finem, psalmus David. » In Christum.

Psal. CX. « Confitemini Domino quoniam bonus. Quis loquetur potentias Domini ? alleluia, alleluia, » Quod *laudate Dominum* interpretatur. Alleluia in Novo, alleluia in Veteri Testamento. Primum alleluia præcedentis psalmi est, sequens sequentis.

Psal. CXIX. « Ad Dominum cum tribularer. Canticum graduum. » Ascensionisque ad cœlos.

A Psal. CXLI. « Voce mea. Intellectus David, cum esset in spelunca. » Hujus psalmi intellectum non Judæi, non cæteri, qui litteram sequuntur, habent, verum David et alii, qui Spiritu sancto simili modo imbuti et repleti sunt. Speluncam, sepulcrum Domini intelligimus. Unde hic dicitur : « Educ de custodia animam meam. »

Psal. CXLV. « Lauda, anima mea, Dominum. Alleluia psalmus Aggæi et Zachariæ. » Aggæus *festinus*, Zacharias autem *memoria Domini* interpretatur. Illi igitur hunc psalmum cantant qui Domini semper memores, summa cum festinatione ei serviunt.

ODDONIS ASTENSIS
EXPOSITIO IN PSALMOS.

EXPOSITIO PSALMI PRIMI

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. » Quid est ambulare in consilio impiorum, nisi iniquis assentire consiliis?

« Et in via peccatorum non stetit. » In via autem peccatorum stare, est in malis operibus perseverare.

« Et in cathedra pestilentiæ non sedit. » In cathedra quidem pestilentiæ sedent qui mala quæ agunt alios facere docent. Dicat impius consilium suum. Occide, inquit, furare, fac sacrilegium, et similia. Hoc autem consilium malum est, huic tamen quam plures assentiunt; quapropter beati non erunt. Hæc eadem, quæ diximus, via sunt, per quam peccatores ad perditionem vadunt. Hanc autem viam multi ingrediuntur, qui non in ea stant, sed pœnitentiam agentes, convertuntur retrorsum. Hi equidem beatitudine non privantur; qui vero in ea steterunt, vel perseveraverunt, procul dubio beati esse non poterunt. Sciendum est autem quoniam alia cathedra est pestilentiæ, alia vero salutis. Cathedra enim Petri et Pauli apostolorum pastorumque salutis est; hæreticorum, non nisi mortis et pestilentiæ. Hæc enim mortem; illa vero salutem affert. Ergo illi beati, isti vero miseri erunt. Sed hæc quæ dicta sunt cui convenientius quam Christo applicari possunt, de quo scriptum est, I Petri II : « Qui peccatum non fecit? « Si enim, quod verum est, peccatum non fecit, in consilio utique impiorum non abiit, in via peccatorum non stetit, neque in cathedra pestilentiæ sedit. » Opposita sententia.

« Sed in lege Domini fuit voluntas ejus. » Est autem lex Domini immaculata convertens animas; psal XVIII. Est equidem lex Domini dimittere dimittentibus, quinimo declinare a malo et facere bonum.

B Hanc autem voluit Christus, hanc docuit, in hac cathedra sedit.

« Et in lege ejus scilicet in ista meditabitur die ac nocte. » Namque et in die, e in nocte prædicavit Christus. In die enim turbas, in nocte autem discipulos docebat. Unde scriptum est, Matth. X : « Quod in cubilibus auditis, prædicate super tecta, » vel, in die ac nocte, id est in omni tempore. Aliter autem, per diem et noctem, prospera et adversa intelligimus. In prosperis enim erat, quando ex quinque panibus quinque millia hominum saliavit (Matth. XIV). Omnes enim ei obsequebantur. In adversis autem, cum Judæi persequebantur et quando abscondit se, et exivit de templo. Joann. VIII.

« Et erit tanquam lignum quod plantatum est C secus decursus aquarum. » Quod nunquam viriditate, nunquam humore caret. Cui quamvis Christus comparari possit, eo tem ipso dicente Luc. XXIII « Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? » Est tamen aliud lignum, cui convenientius assimilari potest. Legimus enim, Genes. II, in paradiso esse lignum vitæ, ubi est etiam decursus quatuor aquarum, quæ sunt, Gehon, Phison, Tigris, et Euphrates. De hoc autem ligno dictum est Gen. III : « Videte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum. » Si ergo de hoc ligno sumentes in æternum vivent, merito huic ligno Christus comparatur Joan. VI, qui est panis vivus, cui quicunque adhæret, vita vivet, et non morietur.

« Quod fructum suum dabit in tempore suo. » D Iste quidem fructus præmium erit atque corona, quæ dabantur justis in die judicii. Dedit etiam fructus prædicationis et virtutis. Dat præterea fructus, quo homines et cuncta animalia pascuntur quæ omnia discretis et congruis temporibus evenire non dubium est.

Digitized by Google

« Et folium ejus non defluet. » Quid per folia, nisi verba intelligimus? « Cœlum enim, inquit, et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt (*Matth.* XXIV). » Si ergo folia verba sunt, et verba non transibunt, nec folia quidem defluent.

« Et omni uæcunque faciet, prosperabuntur. » Quibus? sanctis quidem. Quod enim natus, quod circumcisus, quod baptizatus, quod passus, quod prædicavit, quod resurrexit, quod cœlos ascendit, omnia sanctis prospera sunt.

Non sic impii, non sic. » Non erunt, inquit, impii beati, non meditabuntur in lege Dei, non prosperabuntur. « Sed erunt tanquam pulvis » miseri, omnibus subjecti, instabiles, qui omni vento doctrinæ circumferuntur; quos ventus et inflatio superbiæ separavit a terra viventium, illatio.

« Ideo non resurgent impii in judicio. » Ideo, quia tales sunt, non resurgent impii in judicio, jam enim judicati sunt, non ergo judicabuntur, at vero nec judicabunt, quomodo denique resurgent, qui in omni tempore morientur? « Neque peccatores in concilio justorum. » Dicet aliquis : Quis in tanta hominum multitudine, justos a peccatoribus discernet. Dominus quidem. Sequitur :

« Quoniam novit Dominus viam justorum. » Novit Dominus qui sunt ejus, ut ipse ait (*II Tim.* II). » — « Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas *Joan.* X). »

« Et iter impiorum peribit. » Impii quidem semper erunt : neque ita peribunt ut non sint ; iter vero illorum omnino non erit, quia jam peccare non poterunt. Melior est ergo via justorum, quæ semper erit, quam iter impiorum, quod prorsus detruetur.

Potest autem, et de unoquoque justo intelligi, ut sic dicatur : Omnis vir erit beatus, qui non cogitavit, non fecit, non docuit mala; cujus voluntas, et meditatio in lege Domini fuit. Hic ligno vitæ comparatur quod spiritualiter Christus intelligitur. Merito enim Christo comparatur, qui ad ejus imaginem vectus ejus similitudinem non amisit, sed semper unctus fuit cum sancto, et immaculatus cum immaculato.

EXPOSITIO PSALMI II.

« Quare fremuerunt gentes. » Cum, inquit, talis esset, ut superius dictum est, quare contra eum gentes fremuerunt, dicentes : « Crucifige? » — « Et quare populi meditati sunt inania » putantes occidere immortalem? « Quare astiterunt reges terræ? » Herodes videlicet et Pilatus, et principes Anna et Caiphas convenerunt in unum locum adque consilium adversus Dominum Patrem, et adversus Christum filium ejus, dicentes : « Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum. » Hoc autem tale est, ac si dicerent : Hic homo cum his discipulis ligavit nos, jugum cervici nostræ imposuit, putat vinctos post se trahere et in novam gentem nos inducere. Quod ne fiat, dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

O miseri, cur non intellexistis eumdem ipsum dicentem : « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* II). »

« Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. » Quia jugum Christi spreverunt et diabolicum sumpserunt, dignos irrisione, et subsannatione ostendet eos Dominus in die judicii.

« Tunc loquetur ad eos in ira sua. » Illis autem irrisis et subsannatis loquetur ad eos in ira sua. Cum enim tot millibus hominum dicet Matth. XXV : Ite, maledicti, in ignem æternum, quamvis iratus non sit, iratus tamen esse videbitur.

« Et in furore suo conturbabit eos. » Qui enim inferno positi erunt, ubi non est nisi fletus et stridor dentium (*Matth.* XIII), procul dubio conturbabuntur.

« Ego autem constitutus sum rex ab eo. » Tunc tandem « Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit, » sed dicet : Ego quem crucifixistis, quem Dei Filium et regem esse negastis, constitutus sum rex ab eo. Ubi? « Super Sion montem sanctum ejus. » Sion *speculatio* interpretatur ; significat autem sanctam Ecclesiam, quæ non in imis, non in tenebris jacet, sed in monte, et in alta mentis specula posita, nunquam ab hostibus incurrentibus quasi incauta præoccupari potest. In hac autem Christus rex constitutus præcepta Domini prædicavit.

« Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Ac si dicat : Dominus, qui ante tempora genuit me, temporaliter quoque per Spiritum sanctum de Virgine me nasci voluit : hodie enim tempus significat.

« Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam. » Quia Filius meus es tu, inquit Pater, postula hæreditatem, et dabo tibi gentes; Judæi enim spreverunt te et possessionem tuam, non unam, vel duas provincias, quinimo terminos terræ.

« Reges eos in virga ferrea, » id est forti, invisibili, insuperabili imperio, cui nemo resistere poterit.

« Tanquam vas figuli confringes eos. » Ac si dicat : Si qui autem te regem esse negaverint, si qui tuo contraire imperio conati fuerint, tanquam fragiles, et virtute vacuos confringes, vel tali modo occides et disperdes, ut nunquam amplius vivificari possint, vas enim figuli semel confractum, redintegrari impossibile est.

« Et nunc, reges, intelligite. » Intelligite, o reges, et ab hoc uno Rege reges esse discite, et nolite superbire; habetis enim vos quoque Regem. Sed quid intelligere debetis? Sequitur :

« Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. » Timor animæ tremor vero corporis est. Nullus igitur intellectus tantum prodest, quantum ut anima et corpore serviamus Domino.

« Erudimini, qui judicatis terram, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus. » Hic evidentissime apparet quod nemo ad Ecclesiæ regi-

Digitized by Google

mina accedere debet, nisi prius disciplinam apprehenderit. Unde, et in episcoporum constitutione, tales eos Apostolus ordinare jubet, qui bene sciant providere domui suæ (*I Tim.* III). Quomodo enim Ecclesiam Dei judicabit, et alios edocebit, qui indisciplinatus est et seipsum regere nescit? Hujusmodi ergo iratus est Dominus. Ideoque « peribit de via justa, » id est de via justorum aberrantes, procul dubio in æternum peribunt. « Quia cum exarserit Dominus in brevi ira sua, » quæ in momento (*I Cor.* XV) et ictu oculi finietur, « beati omnes, et soli qui confidunt in eo. » Unde miseros fore non dubitamus qui de justorum via egredientes in Domino non confidunt.

EXPOSITIO PSALMI III.

« Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me. » Multiplicatos ideo dixit, quia non solum Judæi et gentiles, verum etiam et discipulus suus levavit contra eum calcaneum suum.

« Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus. » Multi mihi et vitæ meæ mortem promittunt, neque aliquem esse putant, qui de manibus eorum eam eripere possit. Sed mentiuntur, quoniam « tu, Domine, susceptor meus es, » quia me suscipiendo ab inimicis liberabis. « Et gloria mea, » quia me glorificabis. « Et exaltans caput meum, » quoniam die tertia me suscitabis (partem pro toto posuit). Hinc totam passionem et resurrectionem ex ordine pronuntiat, et præterito pro futuro utitur, dicens :

« Voce mea ad Dominum clamavi. » In cruce, inquit, positus, clamabo ad Dominum, ut non tradat me in animas tribulantium me. « Et exaudivit me de monte sancto suo, » id est de secreto suæ divinitatis. Vel etiam clamavit cum dixit : « Pater, clarifica me in hac hora, » et Pater audivit, imo, et exaudivit eum dicens : « Clarificavi et iterum clarificabo (*Joan.* XII). »

« Ego dormivi et soporatus sum. » Dormiam, quia pro carne assumpta moriar, in sepulcro quasi soporatus quiescam, tertia die resurgam, « quia Dominus suscepit me. Ergo non timebo millia populi circumdantis, et affligentis me. » Tu enim, Domine, exsurges mihi in adjutorium et salvabis me, scio quoniam tu percussisti, et æternæ morti damnasti « omnes adversantes mihi sine causa. » Vere sine causa, siquidem et frustra faciebant, et ei cui minime deberent. Unde ipse ait Joan. XVIII : « Si male locutus sum testimonium perhibe de malo; sin autem bene, cur me cædis : » — « Dentes peccatorum contrivisti, » contrivit Dominus dentes peccatorum quia Scribæ et Pharisæi, multique falsi testes, sententiolis quibus Christum corrodere conabantur incassum emissis, victi recesserunt.

« Domini est salus. » Dixerunt Judæi superius de Christo. « Non est salus ipsi in Deo ejus; » ipse autem econtra se exauditum, resuscitatum a Domino, salvatum, in cœlos assumptum testatus est. Mentiti sunt ergo Judæi. Unde ipse concludens, ait : « Ergo Domini est salus. » Et se salvato, benedicit suis, dum dicit : « Et super populum tuum benedictio tua. »

EXPOSITIO PSALMI IV.

VOX CHRISTI.

« Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ. » Mediator Dei et hominum, Dominus noster Jesus Christus, in hoc psalmo nunc Patri, nunc hominibus loquitur. Loquitur autem Patri cum dicit : Deus, conscius amoris semperque memor justitiæ, cum invocarem te, exaudisti me.

« In tribulatione dilatasti mihi. » Id est dilatatum, amplificatum et lætum cor mihi dedisti; dilatatum enim et coangustatum, quasi contraria sunt. Merito ergo se dilatatum dicit, qui de tribulatione et angustiis liberatur. Cum, inquam, invocarem te, exaudisti me. Sed quid invocavi?

« Miserere mei. » Namque ex ea parte qua erat homo fragilis, mortalis erat atque passibilis, ideo misericordiam quærebat, quia misericordia indigebat. « Et exaudi orationem meam, » exaudi, inquit, meam orationem, quam, et pro me, et pro meis ad te fundo. Hucusque Patri locutus, nunc autem conversus hominibus loquitur.

« Filii hominum, usquequo gravi corde. » Ac si dicat : Ego quidem pro vobis oro, vos autem filii hominum, et non Dei (quia non Dei, sed hominum opera facitis), usquequo eritis gravi corde? Quod enim lapideum est, grave est; lapidea autem corda sunt, in quibus Deus, et amor, et verba salutis imprimi nequeunt; sunt igitur gravia. « Ut quid diligitis vanitatem, » id est quare idola surda, muta et vana adoratis? « Et quæritis mendacium, » et non verbum Domini.

« Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum. » Quasi dicat : Intelligite quas retributiones reddat Dominus, omittentibus vanitatem et quærentibus se, quoniam mirificavit eos, mirificos eos facit, et virtutibus et sanctitate exornat. Ne ergo quæratis mendacium, sed veritatem Domini, ut et vos quoque sancti et mirifici sitis, quod si facere volueritis. Ego quidem pro vobis orabo, et « Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum » pro vobis.

« Ergo irascimini, » vitiis, inquit, et diabolo principi; ejus hucusque amici fuistis. Quibus, ne mea oratio frustra fiat, nunc irascimini, « et nolite deinceps peccare. »

De his autem « quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini. » Est enim cor cubile cogitationum. « Ex corde enim cogitationes exeunt (*Matth.* XV), » siquidem ibi jacent; ex quibus compungi, et pœnitentiam nos admonet Dominus agere. Post compunctionem autem.

« Sacrificate, inquit, sacrificium justitiæ. » Non hircorum nec taurorum, sed sacrificium laudis et jubilationis, hostiam vivam et immaculatam. Et inde « sperate in Domino, » meritum recipere, bona

Digitized by Google

scilicet æterna. « Sed multi » stulti, increduli sine A spedicunt: « Quis ostendit nobis bona? » quis inde certus nuntius venit. Hoc stulti. Sancti autem et catholici viri quidem dicunt :

« Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Ac si dicant : Hactenus cæcitas et diabolicæ tenebræ nobis impressæ oculos nostros caligaverant, nunc autem lumen, claritas, intellectus, imago et pulchritudo vultus tui signata sunt super nos, quia jam non transitoria, sed æterna quærimus. « Dedisti lætitiam in corde meo. » Catholica, inquit, congregatio, quia me illuminasti, de tenebris extraxisti, magnam quidem cordi meo dedisti lætitiam.

« A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt. » Ac si dicat : Ego quidem illuminata, et in B æternorum bonorum spem inducta, omnia temporalia parvipendo; illi autem, qui, ut diximus, spem non habent, neque bona æterna esse credunt, sola temporalia amplectentes, a fructu frumenti, vini et olei multiplicati et divites facti sunt, quæ quia caduca sunt, ipsi quoque cum eis cadent.

« In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Ego, inquit, currens et festinans, non ad caduca, vel mutabilia, imo in idipsum, ad Deum, qui non mutatur, dormiam et requiescam cum ipso in æterna pace, et merito.

« Quia tu, Domine, singulariter in spe constituisti me, » id est ego solus et singularis et speravi, et sperata recipiam; illi autem, ut diximus, non speraverunt. Quid ergo recipient? C

EXPOSITIO PSALMI V.

« Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum. » Vox cujuslibet justi : Quod autem est, verba mea auribus percipe, Domine, id est intellige clamorem meum, a quo non differt : « Intende voci orationis meæ. » Hoc autem cur facere debeat, subjungit causam. Tu enim « rex meus et Deus meus. » Ipsemet qui hanc orationem fecit, quare non exaudiatur, et quo tempore exaudiri debeat adnectit. Ait enim : In nocte oravi, non sum exauditus, ergo mane, id est nocte transacta orabo.

« Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. » In nocte quidem sumus, dum in vitiorum tenebris jacemus, postquam autem in mane sumus, confidenter orare possumus.

« Mane astabo tibi et videbo. » Noctem relinquam, diabolum fugiam, ad mane veniam, in mane autem ut fuero, non jacebo, non otiosus ero, sed astabo, cum vitiis dimicabo, in bonis operibus perseverabo. Et hoc, tibi, id est ad honorem tui. Et videbo « quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, » quia æquus et justus es, iniquitatem non vis.

« Quoniam non est in ore eorum veritas. » Propter inimicos dixit, quorum deceptio valde timenda est; veritas enim in eis non est. Quid mirum? nam cor eorum vanum est, » et quia a vanitate veritas quidem progredi non potest.

« Sepulcrum patens est guttur eorum. » Guttur pro verbis posuit. Sepulcrum vero patens infernum significat, quia morti dedito nemini clauditur. Cum igitur hæreticorum verba, peccatorum animas in infernum perducant (quem sepulcrum patens esse diximus), quid aliud sunt ipsa verba, nisi infernus et sepulcrum patens? Sic enim diabolum mortem vocamus, quia ad mortem animas perducit. « Linguis suis dolose agebant, » id est dolose proferebant. « Judica illos Deus, » id est, æterno damna supplicio. « Nisi decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, » hoc est, nisi a perversis suis cessaverint cogitationibus, a consortio sanctorum expelle eos in tenebras exteriores, propter eorum multas impietates. « Quoniam irritaverunt te, Domine, » id est ad iram provocaverunt.

« Et lætentur omnes qui sperant in te. » Omnes, inquit, qui sperant in te, lætentur de te. « In æternum exsultabunt, » quia semper tecum erunt, qui illorum es gaudium et exsultatio. « Et habitabis in eis; » sancti enim templum Dei sunt. Unde Apostolus I Cor. III : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? »

« Et gloriabuntur omnes qui diligunt nomen tuum. » Alii in curribus et equis, in divitiis, sæculique honoribus gloriantur; illi vero qui nomen tuum diligunt, non nisi in te gloriabuntur. « Quoniam tu benedices justo, » id est eorum justitiæ.

« Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. » Coronam pro victoria posuit, quia post victoriam sequitur corona. Et sic est intelligendum, Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, id est, protectione tua nos coronas, quia non ex meritis nostris, sed ex Dei protectione coronam acquirimus.

EXPOSITIO PSALMI VI.

VOX ECCLESIÆ.

« Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. » Ac si dicat : Volo equidem, Domine, ut me arguas et corripias, sed non in ira vel furore, argue me ut pater, corripe me ut magister. Arguitur enim latro, quando suspenditur; corripitur adulter, dum excæcatur. Hoc autem modo ne me corripias, Domine, imo in misericordia et pietate, hoc est quod sequitur : D

« Miserere mei, Domine. » Namque tua indiges misericordia. « Infirmus enim sum, sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, » habet enim corpus ossa, habet et anima. Animæ autem ossa sunt memoria, intellectus, spes, patientia, abstinentia, bona voluntas; his autem infirmatis, anima stare non potest. Cadit igitur, est ergo corripienda. Qui enim peccat, corripi debet. Animæ autem, dum quatiuntur et a vitiis conturbantur, quibus resistere debuissent, ipsa anima jam stare non valens, cadens peccat et infirmatur, hoc est quod dicit :

« Et anima mea turbata est valde. » Ac si dicat : Capta est civitas, intus fit conturbatio inimicorum,

Digitized by Google

expulsi sunt habitatores. Sic ergo capta est anima, regnant vitia, pelluntur virtutes. Quid igitur? Suspendetur ut latro? absit! ait enim : « Sed tu, Domine, usquequo? » Subauditur, differes medicinam.

« Convertere, Domine, et eripe animam meam. » Ac si dicat : Longe factus a me, quia « longe est a peccatoribus salus (*Psal.* cxviii). » Sed convertere, Domine, ad me, et eripe animam meam, quæ ab inimicis detinetur ; « salvum me fac, » non ex meritis meis, sed propter multam misericordiam tuam

« Quoniam non est in morte, qui memor sit tui. » Est autem mors, corporis animæque disjunctio. Moritur tamen, qui a mundo ejusque concupiscentiis se separat. Moritur etiam, qui a Domino sequestratur. Unde hic dicitur, quoniam non est in morte qui memor sit tui. Quasi dicat : In vitiis sum, diabolo sum conjunctus, a te divisus, tibi mortuus, tuique immemor : ergo justifica me, ut tui sim memor. « Non enim mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. In inferno autem quis confitebitur tibi? » Omnis enim qui diaboli catena constringitur, in inferno est ; qui autem in vitiis est, diabolicis catenis constringitur. Est ergo in inferno. Deum ergo laudare non potest.

« Laboravi in gemitu meo. » Peccavi, inquit, in peccatis tamen non persevero, sed pœnitentiam ago, in gemitu laboro. Quocirca miserere mei. « Lavabo per singulas noctes lectum meum : » lectus animæ, corpus est ; hoc autem, quia multas noctes, vitiaque et tenebras sibi attraxit, pro unoquoque lavari oportet. Repetitio : « Lacrymis meis stratum meum rigabo. »

« Turbatus est a furore oculus meus. » Oculus, pro mente ponitur, quæ nisi constans fuerit, furore et vitiorum impetu conturbatur. « Inveteravi inter omnes inimicos meos ; » ac si dicat : Mirum non est quod oculus meus conturbatur, inveteravi enim inter omnes inimicos meos ; longo enim tempore ab inimicis obsessus et incitatus sum.

« Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem. » Gemitu, inquit, et lacrymis Domino, et æquitati conjunctus sum. Quapropter discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem, ego enim amodo eam non operabor. Simile autem simile quærat. « Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei, » pro æquitate flevi, cui me jungere desiderabam, exauditus sum ; ab ea ergo non movebor amplius.

« Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei. » Conturbentur vel æterna damnatione, vel contra vitia, et fiant boni. Convertantur in infernum, sive ad bonum. Et erubescant pro peccatis, valde velociter.

EXPOSITIO PSALMI VII.

VOX PERFECTORUM.

« Dominus Deus meus, in te speravi. » Non enim in arcu meo speravi, non in auro, vel argento, non in meis viribus, sed in te speravi, qui es Deus, et Dominus meus, ideoque « salvum me fac. » Tu Jesus, tu Salvator, tu salva, quia salvare potes. Gladius enim meus non salvabit me. « Ex omnibus persequentibus me libera me. » Persequitur avaritia, superbia, luxuria, perfidia, discordia, et his omnibus libera me. Quare?

« Nequando rapiat ut leo animam meam. » Inimicus noster « diabolus tanquam leo rugiens, circumit quærens quem devoret (*I Petr.* v), » cujus retia sunt vitia supradicta. Ipse autem pessimus venator, animas persequens, alias in avaritia, alias in superbia, alias in luxuria irretitas deprehendit. « Dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat, » tu redime, qui redimere potes, quia alius non est, qui possit redimere, vel salvare.

« Domine, Deus meus, si feci istud. » Hoc est, « si est iniquitas in manibus meis. » Quid per manus, nisi opera intelligimus? manibus enim operamur : « Si reddidi retribuentibus mihi mala. » O quanta viri perfectio, qui nedum facere, sed nec etiam mala sibi pro bonis retribuentibus, mala reddere nescivit, Lucæ VI : non oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu abstulit, sed ex una maxilla percussus alteram præbuit. Si, inquam, hoc feci vel illud, « decidam. » non sursum ascendam, non ad te veniam, sed cum peccatoribus in infernum cadam. Et hoc merito, quia talis, vel tale feci peccatum, « ab inimicis meis inanis, » et imbellis et inanis, ut viribus vacuus, ut ab inimicis devictus cadam.

« Persequatur inimicus animam meam. » Jam retia tetendit, jam prædam venator invenit ; hanc persequatur, hanc comprehendat. « Et conculcet in terram vitam meam, » conculcet in carnales cupiditates, et cum terrenis, et peccatoribus eam occidat. « Et gloriam meam in pulverem deducat, » quid per gloriam, nisi resurrectionem? quid per pulverem nisi carnis resurrectionem? Cujus ergo gloria in pulverem deducitur, cum justis ad gloriam non resurgit.

« Exsurge, Domine, » Quia peccata prædicta non feci, exsurge, Deus, mihi in adjutorium ; adjutorium enim, non sedere, sed stare est. « In ira tua, » ostende te iratum, si enim te pro nobis iratum inimicis nostris ostenderis, non amplius lædere nos audebunt. « Exaltare in finibus inimicorum meorum, » omnes, inquit, fines terræ inimici nostri hactenus possederunt, nunc Domine exsurge, carnem sume, humano generi succurre, præpara te ad bellum, ostende te iratum, et exaltare per omnes terras. Corrigas et regas quos diabolus premebat :

« Exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti. » Judæis enim præcepisti : « Solvite templum hoc, et in triduo reædificabo illud (*Joan.* II). » Et : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis (*Joan.* III). » Salvatur ergo templum hoc, exaltetur Filius hominis

Digitized by Google

exsurgat, et crucem ascendat Dominus Deus meus in præcepto suo; aliter in apostolis prædicare præcepisti, ergo illorum prædicatio præceptum tuum fuit, in hoc autem præcepto resurrexit, crevit et exaltata sunt regnum, imperium et potentia tua. « Et synagoga populorum circumdabit te, » id est omnes gentes credent in te.

« Et propter hanc in altum regredere. » Propter hanc congregationem (synagoga enim *congregatio* interpretatur), in altum regredere, cœlos ascende, quia cum a terris fueris exaltatus, omnia post te trahes (*Joan.* II). Regredere igitur in altum, « et trahe nos post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I). » — « Dominus judicans populos. »—« Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V). » Est igitur Filius Dominus judicans populos. « Judica me, Domine, secundum justitiam meam, » quia judex es, judica me, et quia justus, juste judica justum. « Et secundum innocentiam meam super me, » id est secundum innocentiam super me consideratam.

« Consumetur nequitia peccatorum. » Quoniam quidem judex es, justos judicabis et peccatores. Peccatores autem quomodo? quia in nequitia sua consummabuntur. Judicium autem justorum quale erit? Sequitur : « Et diriges justos. » Ubi? ad te quidem. Quid igitur est justorum judicium, nisi electio? « Scrutans corda et renes Deus; » in corde enim, et renibus sunt cogitationes. Quia ergo non solum facta, verum etiam cogitationes scrutatur Deus (*Sap.* VI). Ideo verus est judex, quia et de factis judicat et de cogitationibus.

« Justum adjutorium meum a Domino. » Quia ad se dirigit Dominus justos, justum est justorum judicium. Vocabo judicium, an adjutorium? non judicium, sed adjutorium; quippe quo et miseria fugatur et beatitudo acquiritur.

« Qui salvos facit rectos corde. » Qui enim corde rectus est, tortum quidem, nec facere, nec cogitare potest. Si enim cogitat, rectus non est; si autem facit, camelus est.

« Deus judex justus. » Vere utique justus, qui et justos salvat, et peccatores damnat. « Fortis et patiens. » Fortis, quia nemo sibi resistere potest; patiens, quia non statim punit. « Nunquid irascitur per singulos dies? » Vere patiens est, quia quamvis omni die, imo omni hora eum offendamus, ipse tamen omni die non irascitur

« Nisi conversi fueritis, » peribitis. Et tale est ac si diceret : Quamvis patiens sit, tamen nisi conversi fueritis, peribitis. Et merito. Nam gladium suum vibravit. Quid per gladium, nisi Christum? iste enim gladius diabolum trucidavit. Ergo quia gladium vibravit, et Filium suum in mundum misit, qui conversus non fuerit, peribit. Unde ipse ait Joan. XV : « Nisi venissem, et locutus fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent. »

« Arcum suum tetendit. » Quid est arcus ejus? Vetus Testamentum. Hic autem arcus ante Christi incarnationem tensus non erat. Christus autem ut venit, eum tetendit, chordam adhibuit; Novum enim Testamentum chorda, veteris legis austeritatem Novum Testamentum mitigavit. Dicebat enim lex Exod. XXXI : Si quis hoc fecerit vel illud, moriatur : Hic autem sermo nimium durus et rigidus est, sed quomodo mitigatur? Vis audire quomodo? Si quis hoc, vel illud fecerit, tot annis pœniteat, et salvabitur. Hoc habet Novum Testamentum, hoc habent canones, hic sermo est dulcis, qui non desperare, sed sperare facit (*II Cor.* VII).

« Et paravit illum. » Paravit, quia intelligibilem fecit; paravit, quia obscuritatem et tenebras ademit. « Et in eo paravit vasa mortis. » Per vasa mortis apostolos intelligimus, qui viva aqua pleni erant. Hanc autem aquam alii bibebant ad salutem; alii vero quasi toxicum et venenum. Unde Apostolus II Cor. II : « Aliis sumus odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis in mortem. »—« Sagittas suas ardentibus effecit, » quod enim per vasa idem per sagittas significatur. Sagittæ enim sunt apostoli, quia occulte diabolum et vitia destruunt. Has autem sagittas perfecit Dominus, et composuit eorum utilitati, qui amore spiritus et igne accensi sunt.

« Ecce parturivit injustitiam. » Hic versus ei conjungitur, qui ait : « Ne quando rapiat ut leo animam meam, » quia valde timeo. Est enim iniquus, dolosus et injustus, hoc est quod dicit : « Ecce parturivit injustitiam. » Iste malignus pater cum animabus jungitur, filios procreat, sed quos filios? injustitiam quidem dolorem et iniquitatem.

« Lacum aperuit. » Quo enim tempore primum hominem peccare fecit, infernum quidem et lacum aperuit. Aperit etiam omni die, dum miseros in peccata inducit. Non tamen solum aperire ei sufficit, sed insuper « effodit eum, » aliis enim minorem, aliis vero majorem foveam præparat, quia qui plus peccat in majora tormenta cadit.

« Et incidit in foveam quam fecit. » Æternus enim ignis, et diabolo et angelis ejus paratus est, nullique major pœna quam pœnarum principi debetur. « Convertetur dolor ejus in caput ejus, » non enim sine dolore erit, qui doloris auctor fuit. « Et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet. » Postquam enim nullus erit, qui peccet vel peccare velit, omnis iniquitas in eum convertetur, eritque ei non parva pœna, ipsa mala voluntas, quam exercere non poterit

« Ego autem confitebor et laudabo Dominum, secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi. »

EXPOSITIO PSALMI VIII.

« Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. » Vox prophetæ. de Christi ascensione gratulantis. Magnificentia Dei, Christus est, quia per eum magnificatur Deus. Namque ante Christi ascensionem in sola Judæa notus erat

Digitized by Google

Deus, « in Israel magnum nomen ejus (*Psal.* LXXV). » Nunc autem, quando Filius ejus super cœlos elevatus est (*Act.* I), valde admirabile est nomen suum, non in sola Judæa, sed in universa terra.

« Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. » Hoc de Hebræorum pueris intelligi potest. Possumus etiam, per infantes et lactentes, apostolos intelligere. Infantes quidem erant, quia ut rustici et indocti, vix fari noverant; lactentes autem, quia Novum et Vetus Testamentum quasi duo ubera suxerunt. Ex ore autem istorum laudem suam perfecit Dominus, quia horum prædicatione crevit Ecclesia. « Propter inimicos tuos. » Inimici Dei, Judæi sunt, qui, postquam Filium Dei crucifixerunt, nomen quoque ejus omnino delere conati sunt. Propter hos igitur inimicos, ex ore infantium et lactentium se Deus laudari fecit. « Ut destruat inimicum et ultorem, » ultores et defensores Scripturarum erant Judæi, ne aliquis super Christo eas intelligeret. Apostoli autem econtra Christum laudabant, et in eum Scripturas interpretabantur. Ergo, quia apostolorum sententia prævaluit, a Deo inimici et ultores destructi sunt, ut nec unus quidem adversus Christum jam loqui audeat.

« Quoniam videbo cœlos tuos. » Ac si diceret Propheta : Gaudeo, Deus, quoniam scio me visurum « opera digitorum tuorum, » quæ in filiis tuis fidem « fundasti, » videlicet cœlos, « lunam et stellas; » per cœlos, apostolos, per lunam, Ecclesiam, per stellas autem, doctores intelligimus?

« Quid est homo quod memor es ejus? » Hoc autem, quamvis de unoquoque justo intelligi possit, de Christo tamen in Epistola ad Hebræos Apostolus interpretatus est. « Quid est homo quod memor es ejus? » ac si diceret : Magnificentia tua elevata est, homo, et Filius hominis exaltatus est (*Hebr.* II). Sed nunquid homo tantum? Si enim simplex homo esset, non sic illius memor fuisses. « Aut Filius hominis, quoniam visitas eum, » vere Filius hominis, quia filius virginis visitas eum, quia nunquam derelinquis.

« Minuisti eum paulo minus ab angelis. » Namque quia mortalis fuit, ab angelis est diminutus. « Gloria et honore coronasti eum, » gloria quidem, quia resurrexit; honore vero, quia vicit, imperium sumpsit, et cœlos ascendit (*Act.* I).

« Et constituisti eum super opera manuum tuarum. » Quia « in nomine Jesu omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II). »

« Omnia subjecisti sub pedibus ejus. » Quæ? « Oves et boves universas, insuper et pecora a campi, volucres cœli et pisces maris, qui perambulant semitas maris. » Per oves, simplices homines; per boves doctores; per pecora campi, bonos conjugatos; per volucres cœli, philosophos et sapientes; per pisces maris, divites negotiisque sæcularibus implicitos intelligimus. Ergo quia omnia tibi sunt subjecta, « Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! »

EXPOSITIO PSALMI IX.

« Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. » Confitebor, inquit Ecclesia, tibi, Domine, non labiis tantum; non ut illi de quibus dicitur Matth. XV : « Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me, » sed in toto corde meo te adorabo, te laudabo, tibi peccata mea confitebor. « Narrabo omnia mirabilia tua, » omnia quidem enarrabo, quæ in Novo et in Veteri Testamento scripta inveniam.

« Lætabor, et exsultabo in te. » In te lætabor, in te exsultabo, sicut scriptum est Psal. XXXI : « Lætamini in Domino. » Itemque II Cor. X : « Qui gloriatur, in Domino glorietur. » — « Et psallam nomini tuo, Altissime. » Hactenus enim quæcunque feci, in nomine Jovis, Mercurii, Saturni, cæterorumque feci, deinceps autem quæ faciam, in nomine tuo faciam.

« In convertendo inimicum meum retrorsum. » Dum, inquam, inimicum meum retrorsum convertam, in nomine tuo psallam, quia non meas vires, sed te de triumpho laudabo. Bene autem dixit, dum convertam, quia ante Christi incarnationem, quasi princeps et dux itineris nos diabolus præcedebat; nunc autem velut latro et pessimus canis, retro serpens, calcaneo nostro insidiatur.

« Infirmabuntur et peribunt a facie tua. » Quem enim superius inimicum dixit, non unam, sed totam inimicorum congregationem intellexit. Unde pluraliter hic dicitur : Infirmabuntur et peribunt. Infirmati sunt inimici nostri, qui virtutem, imperium et potentiam amiserunt; peribunt autem in die judicii a facie Domini fugientes, quia cum satellitibus suis, æterno damnabuntur supplicio.

« Quoniam fecisti judicium meum et causam meam. » Vere inimicum retrorsum convertam, qui ad hoc mortuus es, ut ego viverem; ad hoc præstitus es ut ego vincam; judicium tuum, esse meum, et causam tuam, meam esse fecisti, quia ob meam salutem et utilitatem a Judæis judicatus es. Nunc sedes super thronum, quia angeli et archangeli, throni et dominationes tibi sunt subjecti. « Quoniam fecisti justitiam; » justitiam quidem semper judicas, qui superbos semper humilias et exaltas humiles.

« Increpasti gentes, et periit impius. » Increpavit enim Dominus gentes apostolica prædicatione. Dicebant enim apostoli Luc. XIII : « Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. » Itemque Matth. III : « Jam securis ad radicem arborum posita est. » His et similibus increpavit Dominus gentes, unde factum est ut periret impius, id est impietas. « Nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi, » delevit enim Dominus nomina impiorum, quia qui prius impii, idololatriæ et filii diaboli vocabantur, nunc et sancti et justi et filii Dei vocati sunt.

« Inimici defecerunt. » Quomodo? « Framea. » Quæ est ista framea? Christus Jesus, qui eos interfecit. « In finem, » id est ex toto. « Et civitates eorum destruxisti, » multas quidem civitates et cor-

Digitized by Google

gregationes habuit, et habet malignus spiritus, quas Dominus quotidie destruere non cessat; omnis enim hæreticorum, latronum, paganorum, et superborum congregatio, diaboli civitas est, hæc autem, dum Domino associamur secundum priorem statum, destruuntur.

« Periit memoria eorum cum sonitu. » Magna, enim erat memoria, laus et fama malignorum spirituum in prædictis civitatibus quæ apostolorum sonitu omnino deleta est (*Psal.* XVIII). Prædicatione namque apostolorum, et idola fracta sunt, et templa destructa, et deorum religio abominata. « Et Dominus in æternum permanet, » in quibus diabolus regnabat, in eisdem Dominus quidem rex in æternum permanebit. Sed qui Dominus? Sequitur:

« Qui paravit in judicio thronum suum. » Thronus Dei apostoli sunt, quia in eis sedet et habitat. Hos autem ad judicium paravit, quia cum ad judicandum venerit super duodecim sedes sedebunt, duodecim tribus Israel judicantes (*Matth.* XIX). « Et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia. » Nunquid ipse solus judicabit? nonne et apostoli judicabunt? Dictum est enim, quoniam ipsi judicaturi sunt (*I Cor.* VI). Judicabunt utique apostoli, judicabit et Dominus : Dominus quidem ut judex, apostoli autem ut lex.

« Et factus est Dominus refugium pauperi. » Judicabit, inquam, Dominus orbem terræ; interim autem factus est refugium pauperi, cui pauperi? nihil quidem habenti, et omnia possidenti (*II Cor.* VI), quoniam quæ habuit vendidit et pauperibus distribuit, quique terrenorum factus est inops, ut cœlestium dives fiat. « Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, » nihil aliud quidem est, in opportunitatibus, in tribulatione, quam in opportuna tribulatione; sanctorum quippe tribulatio opportuna est, qua vita perpetua adipiscitur.

« Et sperent in te qui noverunt nomen tuum. » Quia adjutor illorum factus es, qui nomen tuum noverunt, et qui Christiani vocantur, ideo tum in tribulationibus et angustiis fuerint, in te sperent, tu enim eos liberabis, « quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. »

« Psallite Domino qui habitat in Sion. » Quoniam quidem quærentes se non derelinquit, vos apostoli et doctores, qui eum quæritis, psallite Domino. « Annuntiate inter gentes studia ejus, » in gentibus annuntiate studium, amorem et dilectionem quam erga vos habuit, quoniam « proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus illum morti tradidit (*Rom.* VIII). »

« Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est. » Item, apostoli, annuntiate Dominum, prædicate Evangelium, ne timeatis mortem, quoniam requirens sanguinem eorum, qui pro eo moriuntur, recordatus est, non quod oblitus esset, sed quia oblitus esse videbatur. « Non est oblitus clamorem pauperum » dicentium : « Miserere mei, Domine, vide humilitatem » et afflictionem meam habitam « de inimicis meis. »

« Qui exaltas me de portis mortis. » Portæ mortis vitia sunt, hæretici et peccatores, quia per eos, quasi per quasdam portas, mors atque pœna hominibus inducitur. Ex his autem exaltantur sancti, dum erudiuntur, quomodo eos evitare possint. Bene autem dixit, exaltas, quia quicunque ab his sejungitur cœlestia regna petit.

« Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. » Sion, quæ, ut diximus, *speculatio* interpretatur, Ecclesiam significat; filiæ autem Sion, quicunque fideles intelliguntur. Portæ autem aures sunt, per quas verba Divina mentes nostras ingrediuntur. Nuntiant ergo apostoli laudationes Dei in portis filiæ Sion, dum in auditu fidelium Evangelium prædicant.

« Exsultabo in salutari tuo. » In salute et in filio tuo exsultabo, neminem timebo, pro morte non tacebo, quoniam « infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. »

« In laqueo quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. » Mihi quidem vitam præstant, sibi autem supplicium et interitum, me de laqueis expeditum, seipsos autem in laqueos inextricabiles involvunt.

« Cognoscetur Dominus judicia faciens. » Hoc quippe tempore peccatores Dominum suum neque cognoscunt, neque cognoscere voluerunt; cognoscetur tamen ab omnibus, cum ad judicandum venerit. Et tunc tandem « in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, » comprehendentur utique peccatores in operibus suis, quando hanc regalem censuram super se intonare audient : « Convertantur peccatores in infernum. » Et : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » Pulchre dixit, convertantur, quia nunc in inferno sine corporibus sunt, in tempore justi judicii carne recepta in infernum convertentur, « omnes gentes, quæ obliviscuntur Dominum. »

« Quoniam non in finem oblivio erit pauperis. » Ac si dicat : Scio quoniam peccatores, qui Domini et creatoris sui obliti sunt, a Domino obliviscentur; pauperis autem supra memorati, qui bona sua omnia vendidit et pauperibus tribuit, in æternum non erit oblivio.

« Patientia pauperum non peribit in finem. » Non ut aliquid patiantur, sed quia semper de patientia gratulabuntur. Hucusque in persona Ecclesiæ Propheta locutus est : hic autem in propria persona Antichristi adventum ejusque dominationem et mortem denuntiat.

EXPOSITIO PSALMI IX.

« Exsurge, Domine, non confortetur homo. » Quasi dicat : Quis est, Domine, homo iste qui tanto fastu, tanta pompa tantaque superbia consurgit? Quis est hic filius perditionis, qui supra omne quod colitur se extollit, ostentans se tanquam sit Deus? (*II Thess.* II.) Quis est hic judex, ante cujus conspectum omnes gentes judicentur? Exsurge, Domine, succurre sanctis tuis, neque qui peccatoribus præ-

Digitized by Google

valuit, justis quoque prævaleat homo, « judicentur gentes in conspectu tuo. »

« Constitue, Domine, legislatorem super eos. » Justis, inquam, auxiliare, inque sanctorum adjutorium exsurge; super eos autem qui eum exspectant, quique de illius adventu lætantur, hunc legislatorem constituas. Legis quidem lator erit, quia ipse quoque suam legem prædicavit.

« Ut sciant gentes quoniam homines sunt. » Homines enim pro stultis et peccatoribus, in divino eloquio frequenter inveniuntur. Unde Apostolus I Cor. 1 : « Cum alius, inquit, dicit : Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ, nonne homines estis? » Sic igitur et isti, cum ad judicium venerint, stultos se et peccatores esse cognoscunt, qui hominem et non Deum adoraverunt.

« Utquid, Domine, recessisti longe? » Videns Propheta, per Spiritum sanctum, nimis duram justorum afflictionem, exclamat : « Utquid recessisti longe? » quare sanctos tuos dereliquisti? cur sic eos affligi permittis? Scio equidem, scio, « despicis » et nos curas eos liberare in tam opportuna tribulatione.

« Dum superbit impius, incenditur pauper. » Vere opportuna est tribulatio, quæ igne spiritus in Dei dilectionem sanctos accendit. Unde scriptum est Apoc. XXII : « Ut justus justificetur adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc. » Cum enim adversus justos superbit impius, dubium non est quin magis sordescat. Pauper vero dum accenditur, justus quidem justificabitur. « Comprehendentur in consiliis, in quibus cogitant, » mala quidem cogitant, et in malo comprehendentur.

« Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ. » Desiderat peccator semper male agere; laudatur etiam a peccatoribus semper de male actis. Unde fit ut nunquam resipiscat. In malis ergo consiliis comprehendetur. « Et iniquus benedicitur. » A quibus? ab adulatoribus quidem et iniquis. Iniquus est enim qui de iniquitate benedicit iniquum.

« Exacerbavit Dominum peccator. » Non cessavit, inquit, a malo, sed omnibus modis Dominum offendit. « Secundum multitudinem iræ suæ non quæret, » nonne quæret, inquit, Dominus illius perditionem, quæret utique secundum multitudinem iræ suæ.

« Non est Deus in conspectu ejus. » Si enim in conspectu ejus Deus fuisset, nunquam eum exacerbasset. « Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, » quia Deum non cognovit, omni tempore sese vitiis coinquinavit.

« Auferuntur judicia tua a facie ejus. » Apostrophe. Judicia tua, Domine, omnia vera et æqua sunt, vera autem judicia ab eo auferuntur.

« Omnium inimicorum suorum dominabitur. » Inimici quippe illius erunt, qui nunquam quiquam amici esse poterunt, vitia scilicet, malignique spiritus. His autem omnibus dominabitur Antichristus, quia tales servientes secum semper habebit, et quasi famulis eis imperabit. Per ejus quoque inimicos, sanctos intelligere possumus.

« Dixit enim in corde suo : Non movebor a generatione in generationem sine malo. » Quanta ejus fuerit iniquitas, quamque perversa ejus erit cogitatio, in his verbis deprehenditur; nunquam de gente in gentem, de regno in regnum, de generatione virorum in generationem mortuorum sine malo transibit.

« Cujus maledictione os plenum est. » Quia omnia verba illius maledicta sunt; « et amaritudine, » quia toxicata, et mortifera sunt; « et dolo, » quia cum deceptione fiunt. « Sub lingua ejus labor et dolor, » quia admonitiones linguæ ipsius ad labores et dolores homines perducunt.

« Sedet in insidiis. » Quid est sedet? id est perseverat. Cum quibus? « Cum divitibus. » Væ vobis, divites, qui cum diabolo sedetis. In quibus insidiis! « In occultis. » Ad quid? « Ut interficiat innocentem, » quia nocentes diligit, innocentes odio habet.

« Oculi ejus in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. » Sicut enim leo in spelunca sua mitibus animalibus, ita et iste in abscondito cordis sui innocentibus insidiabitur.

« Insidiatur, ut rapiat pauperem. » Quid est rapere pauperem? « rapere pauperem » est, « dum attrahit eum, » attrahit autem, si quando decipit.

« In laqueo suo humiliabit eum. » Prius, inquit, insidiabitur, deinde vero rapiet; raptum autem in laqueo suo humiliabit, multos enim fame, ferro, carcere, aliisque tormentis affliget. « Inclinabit se, et cadet cum dominatus fuerit pauperum. » Sancti quidem humiliati et afflicti super cœlos exaltabuntur; ipse vero inclinatus in infernum cadet, et merito.

« Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem. » Quia Dominum oblitum esse dixit, sanctorumque finem, et mortem non inspicere, ideo juste in infernum cadet, et illi suæ iniquitatis meritum recipiens Dominum non oblitum fuisse cognoscat. Possumus etiam pro hac, terram intelligere.

« Exsurge, Domine Deus. » Antichristus quidem cadet, tu autem, Deus, exsurge. « Exaltetur manus tua, » id est virtus, potentia et gloria tua. Vel « manus tua, » id est Ecclesia. « Ne obliviscaris pauperum, » ut iste iniquus putavit.

« Propter quid irritavit impius Deum. » Exprobratio. Videns casum ejus, dicit hoc merito sibi accidisse, quia Dominum irritavit. Quomodo irritavit? « Dixit enim in corde suo : Non requiret. » Quid? mortem sanctorum, quia de sanctorum afflictione nullam pœnam se a Domino recipere opinatus est. In hoc, inquit, Dominum irritavit.

« Vides? » quid vides? quod iste quoque te non videre putabat, sanctorum videlicet afflictionem. Quare? « quoniam laborem et dolorem considerasti, » quem pro te ab iniquis patiuntur. Ad quid considerasti? « Ut tradas eos in manus tuas, » id est in potestatem tuam, vel in sanctorum congregationem, et hoc merito.

Digitized by Google

« Tibi enim derelictus est pauper. » A quo? a diabolo quidem, a quo prius detinebatur. Quamobrem « orphano tu eris adjutor. » O nimium beati qui tali patre viduati, Domini adjutorium promerentur!

« Conteres brachium peccatoris, et maligni, » id est virtutem, potentiam et dominationem supra dictos homines. « Quæretur peccatum illius, et non invenietur. » Quid est peccatum illius? superbia, regnique exaltatio; hanc autem si quæras, invenire non poteris, quia cum eo destruetur.

« Dominus regnavit in æternum et in sæculum sæculi. » Vere peccatum et regnum istius cito peribit; Dominus autem regnabit in æternum. Cum quibus? cum sanctis quidem. De malis autem quid fiet? Sequitur : « Peribitis gentes de terra illius, » quia nullus illorum terram viventium ingredietur. Tunc tandem : « Exaudiet Dominus desiderium pauperis. » Qui pauper melius hic quam Apostolus intelligi potest, qui se dissolvi desiderare dicit et esse cum Christo? (*Philip.* I.) Hoc autem desiderium tunc erit exauditum. « Præparationem cordis eorum audivit auris tua, » id est, corda eorum præparata vitiisque mundata. Quando fient ista? cum judex quidem universalis venerit, « Judicare pupillo et humili. » Hæc autem dicta sunt, « ut non apponat ultra magnificare se homo super terram. » — « Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (*Matth.* XXIII). »

EXPOSITIO PSALMI X.

« In Domino confido. » Responsio bonorum contra Judæos et hæreticos : Quare me, o hæretici, subvertere nitimini? quare deceptionis similitudines mihi narratis, dicentes : « Transmigra in montem sicut passer? » Passer enim in convallibus positus, si quem versus se sagittarium venire præsenserit, in montem advolat. Vos autem, qui homines et rationales estis, cum perversos sagittarios super vos venire conspicitis, quare ad nos, qui ingenio alti, et sapientia muniti sumus, et ad insuperabiles sententias nostras non confugitis? Hoc enim, inquit vir sanctus, sine intermissione mihi narratis : Ego autem in Domino confidens fabulationes vestras non timeo.

« Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum. » Peccatores etiam eos vocatis qui sancti et justi sunt, arcum deceptionis eos intendisse dicitis qui pro universali salute semper laborant. « Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. » Sagittas, utique paratas, præclaras et utiles in cordibus habent sed non ad hoc, ut rectos corde occulte decipiant, quod vos dicitis. « Quoniam quæ perfecisti destruxerunt. » Apostrophe. Vides, Domine, quia verum et sanum Scripturarum intellectum, quem in sanctis tuis perfecisti, jam fere destruxerunt et ubique errorem prædicando Ecclesiam destruunt, et ad se imperfectos convertunt. Hoc, inquit Propheta, dicent justi : Justus autem quid fecit

« Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus, » subauditur, constituitur. Sed quæ sunt sedes ejus? Sancti quidem, in quibus sedet et habitat. Has autem in suo sancto templo constituet, in quo sine fine secum gaudebunt.

« Et oculi ejus in pauperem respiciunt. » Dei namque respicere misereri est. « Palpebræ ejus interrogant filios hominum, » id est solo intuitu justos cognoscit et peccatores. Vel palpebræ ejus, id est divinæ Scripturæ, quæ sicut palpebra, aliquando clauduntur, aliquando aperiuntur. Interrogant autem filios hominum, quia quasi in speculo se quilibet in eis cognoscere potest.

« Dominus interrogat justum et impium. » Dei quippe interrogatio, cognitio est, ut sic dicatur : Dominus cognoscit justum et impium. Sed quis est impius? « Qui diligit iniquitatem, » impius est, et « odit animam suam, » odit quidem, quia occidit.

« Pluet super peccatores laqueos. » Justis cognitis et peccatoribus, sanctos, quidem in cœlestibus regnis secum constituet : super peccatores autem laqueos pluet. Quare dixit, « pluet? » quia innumerabilia tormentorum genera in judicio super peccatores effundet, a quibus semel detenti, nunquam amplius expediri poterunt. Pluit etiam in hoc sæculo, quia diversis vitiis, quæ diaboli laquei sunt, illigari eos permittit. « Ignis, sulphur, et spiritus procellarum erunt pars calicis eorum. » Per calicem mortem intelligas. Unde in Evangelio Dominus ait : « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste (*Joan.* XXVI), » ignis inextinguibilis, sulphur, et fetor intolerabilis. Spiritus procellarum, id est impetus plurium tormentorum erit pars mortis eorum. Possumus autem, et pro qualitate operis hoc figurare, ut qui irascibilis et invidus fuit, in igne, qui luxuriosus et adulter, in sulphure, quique in omnibus promiscue peccavit, in spiritu procellarum mori dicamus. Sed si hæc omnia, ut ait Propheta, « eorum pars mortis » erunt, manifestum est quoniam alia et forsitan pejora eos exspectant.

« Quoniam justus Dominus, et justitiam dilexit. » Justitiam quidem diligit, quia unicuique digna operibus merita tribuit : repetitio, æquitatem vidit vultus ejus.

EXPOSITIO PSALMI XI.

« Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus. » Vox justorum ante Christi incarnationem : Salvum me fac, Domine, ne ab iniquorum vanitate decipiar. Quoniam defecit sanctus, id est sanctitas in omnibus.

« Quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. » Diminuta est veritas, quia crevit mendacium. « Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, » quia omnes loquuntur vana, ideo pereunt veritates, habentes labia dolosa, id est deceptione repleta. « In corde, et corde locuti sunt, » id est in duplici corde, quia aliud dicit, et aliud intelligit. Unde quidem historiographus ait : « Aliud habet clausum in pectore, aliud depromptum in lingua. »

« Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam. » Id est magna de se loquentem. Horum qui dixerunt : « Linguam nostram

Digitized by Google

magnificabimus. » Hoc fecit Arius, hoc Sabellius, hoc Simon Magus, loquacitatem suam super Ecclesiam magnificantes. « Labia nostra nobis sunt, » id est sententias, quas proferimus, nosipsi invenimus. « Quis est noster Dominus? » hic nimium magnificatur.

« Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus. » Audivit Dominus justorum vocem superius clamantium. Salvum me fac, Domine, nunc autem in adjutorium illis exsurgere sese promittit.

« Ponam in salutari, » id est, hoc officium mei adjutorii, ponam in Filio meo. « Fiducialiter agam in eo, » id est, prælium vestræ salutationis eo duce facere « non timebo. »

« Eloquia Domini eloquia casta. » Lætantur sancti de Domini promissione, quia sciunt, se revera accipere quod promisit, quoniam eloquia et promissa Domini casta sunt, neque ulla falsitate corrupta, quasi « argentum igne examinatum, probatum terræ, » id est quod probatum et ratum est, nulla terrena admistione plumbi vel æris corruptum. « Purgatum septuplum, » id est multoties : finitum pro infinito. Aliter probatum terræ, id est a terrenis hominibus, ab Abraham videlicet, Isaac, et Jacob cæterisque, quibus promisit quia in nullo eis mentitus est. Purgatum septuplum, id est septiformis gratia Spiritus. Namque per Spiritus sancti gratias, quas habuerunt apostoli, erroris intelligentiam a Novo Veterique Testamento purgaverunt, quæ sine dubio sunt eloquia Domini. Ergo quia sic verax est Dominus, qui Filii sui incarnationem nobis promisit, quod Christus veniat, dubitandum non est.

« Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum. » Ac si dicat : Te, Christe, desideravimus, te diu exspectavimus. Tandem venisti, tu salvabis nos, tu custodies nos ab hac præsenti generatione in sæcula sæculorum. Impiis autem quid fiet? Sequitur :

« In circuitu impii ambulant. » Quia etiam nunc circa Ecclesiam vagantes in eam intrare nolunt; vel in circuitu, terrena negotia exercentes. Vel, quia in circuitu Scripturarum laborantes, solam superficiem, et ea quæ circa sunt, considerant, medullam autem, et ea quæ interius latent, penitus ignorantes. Vel ideo in circuitu, quia, quasi canes circumcirca obambulantes, in illam æternam civitatem intrare non poterant.

« Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. » Quod filii hominum et peccatores sancti et Dei filiis superabundant, hoc secundum altam et inenarrabilem scientiam factum est. Vel secundum altitudinem tuam, id est per exaltationem crucis, multiplicasti, et crescere fecisti Ecclesiam. Vel etiam multiplicasti filios hominum virtutibus et sanctitate.

EXPOSITIO PSALMI XII.

« Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem, » id est, omnino? Vel usquequo oblivisceris me tendentem in finem? id est, ad te, qui es alpha et omega, principium et finis. « Usquequo avertis faciem tuam a me? » Usquequo, inquit, meis indignatus peccatis, dedignaberis me videre?

« Quandiu ponam consilium in animam meam, » id est, tandiu iratus mihi eris, quandiu meam, et non tuam faciam voluntatem, quandiu humanum, et non divinum consilium sequar. « Dolorem in corde meo per diem, » id est, quandiu de amissis rebus vel de miseria supervenienti dolebo? Aliter : Quandiu ponam consilium in animam meam, id est, nisi in animam, et non in carnem consilium ponam, ut non corporis, sed animæ faciam voluntates, omni tempore mihi eris iratus. « Dolorem in corde meo per diem, » id est, nisi pœnitenti doleam et plangam, quia Christum, et diem amisi, et diabolum et noctem sum imitatus.

« Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? » Usquequo ab inimico meo diabolo, et a vitiis superabor? « Respice et exaudi me, Domine Deus meus; » quia meis viribus inimico resistere nequeo, tu, Domine, ne avertas faciem tuam a me, sed respice, et exaudi me.

« Illumina oculos meos. » Quos diabolus, ne te cognoscerem excæcaverat. « Ne unquam obdormiam in morte, » id est, ne in peccatis moriar, vel, ne in morte, id est in diabolo delecter, vel ne dormitio mea, mors, ad impiorum similitudinem fiat, sed perpetua quies ad bonorum imaginem. « Ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum. » Quod utique faceret, si vita finita, me in peccatis inveniret.

« Qui tribulant me, exsultabunt, si mortuus fuero, » id est inimici mei, qui me in has miserias et ærumnas de paradisi gaudiis impulerunt, si a te et a fide tua motus fuero, exsultabunt : « Ego autem in misericordia tua sperabo. » Tu me, inquit, a supra dictis inimicis defende, ego quidem non in meis viribus, sed in tua misericordia sperabo.

« Exsultavit cor meum in salutari tuo, » id est de salute tua. Scio quidem quia in te speravi, quoniam salvabis me. « Cantabo Domino qui bona tribuit mihi; » quia bona et salutem tribuit mihi Dominus, hominis interioris et exterioris voce cantabo. « Et psallam nomini Domini altissimi, » id est, bona operabor, et sine intermissione nomen ejus, quo ab inimicis defendor, laudabo.

EXPOSITIO PSALMI XIII.

« Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. » Insipiens Judæorum populus, videns Christum tectum carne humana, Deum non esse cogitavit. Vel etiam gentiles alium Deum non esse affirmaverunt, nisi fortunam et animum. Unde « corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis, » id est, a tam perversis cogitationibus coinquinati et corrupti sunt, et in lege et cæremoniis, in quibus maxime studebant, Deo abominabiles facti sunt. « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Merito quidem abominati sunt, quia nemo illorum bona

Digitized by Google

agit, quilibet nec aliquis usque ad unum, id est usque ad illos, qui unum Deum, unam fidem, unum baptisma colunt, quibusque est cor unum et anima una.

« Dominus de cœlo prospexit super filios hominum ut videat, si est intelligens aut requirens Deum. » Probatio est a divina auctoritate, quod nemo ab Ecclesia separatus, ullo in loco bona operetur, quia Dominus super filium hominum aspiciens nullum intelligentem aut requirentem Deum vidit. Quales igitur invenit. Sequitur

« Omnes declinaverunt simul, » id est uno modo ab excelso Dei imperio decidentes, diaboli jugo se submiserunt. Unde « inutiles facti sunt, » Inutiles facti sunt Deo, quia filii placita non operantur. « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Quod divina probavit auctoritate, cui nemo refellere audet. Hoc jam quasi ratum concludens, ait. Ergo non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

« Sepulcrum patens est guttur eorum. » Quamdam divisionem videtur hic facere, ac si dicat : Malorum alii sunt sepulcrum patens, id est hæretici. Alii « veloces ad effundendum sanguinem, » id est tyranni; alii autem qui « viam pacis non cognoverunt, » id est Judæi. Horum autem nemo bonus est. Unde constat quod nulli ab Ecclesia separato inest bonitas. Sepulcrum patens est guttur eorum, quia extrinsecus dulcia et dolo dealbata sunt illorum verba. Vel, ut superius diximus, sepulcrum patens, id est infernus, est lingua eorum, quia in infernum, qui nemini claudituir, animas inducit. « Linguis suis dolose agebant, » id est dolosa verba proferebant. « Venenum aspidum sub labiis eorum, » quia mel et dulcedinem labiis pronuntiant. In cordibus autem et intellectu venenum latet et amaritudo, qua, qui semel imbutus fuerit, vix amplius mederi poterit.

« Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, » Maledictione quidem, quia omnia illorum verba a Deo sunt maledicta. Amaritudine autem, quia, quasi toxicum et venenum, animas mortificant. « Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. » Hoc de tyrannis dicitur qui sanctorum sanguinem sitientes, prompti et veloces sunt ad effundendum. « Contritio et infelicitas in viis eorum. » Hoc de Judæis videtur esse dictum, quia ad contritionem et summam infelicitatem, pro suæ iniquitatis opera devenient. « Et viam pacis non cognoverunt, » via pacis Christus est, hanc autem non cognoverunt Judæi, « quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » — « Non est timor Dei ante oculos eorum, » non utique timuerunt, quando Filium suum crucifixerunt, nec nunc quidem timent, cum de tanto scelere non pœniteant. Increpatio.

« Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem? » Hic vox Patris inducitur loquentis et minantis : « Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, » id est hæretici? « Et qui devorant plebem meam sicut escam panis, » id est tyranni. Et illi qui videntes Christum « Dominum non invocaverunt, sed illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor, » quia nisi Christum occiderent, et locum et gentem sese amittere putabant (*Joan.* XI). Vel, quia aliquando idola adorantes, quasi Deum ea timebant, quæ utique timenda non erant. Vel, quia adhuc legem et prophetas legentes, spiritualem intelligentiam eis apponere non audent.

« Consilium inopis confudisti, quoniam Dominus spes ejus est. » Hucusque Deus Pater. Nunc Ecclesia loquitur, dicens : Vos Judæi, consilium inopis, id est Christi, qui, « cum omnium dives esset, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* VIII), » confudistis, id est, cæteris consiliis commiscuistis, neque prætulistis vestis, imo vilius habuistis. « Quoniam Dominus spes ejus est, » quia in Domino speravit, ut quod verum est Matth. XXVII, se Dei Filium confitebatur, ideo nec verbis ejus credidistis, sed, quod nequius est, morti eum adjudicastis.

« Quis dabit ex Sion salutare Israel? » Quandoquidem Christum interemistis, quis alius veniet ex Sion, ut aiunt vestri prophetæ, et dabit salutare Israel? Legitur enim in prophetis quoniam ex Sion veniet, qui auferet et avertet captivitatem a Jacob. Quod fiet, « cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ. » Hoc autem jam ex parte factum est, quia redempta est Ecclesia, quæ a diabolo captiva detinebatur. In quo alio? « Exsultabit Jacob, et lætabitur Israel. » Aliter, per Sion Ecclesiam animarum, quæ jam in cœlis positæ sunt, per Jacob autem, et plebem suam terrenam, Ecclesiamque, quam adhuc vitia supplantant. Per Israel vero, quoscunque sanctos et Deum videntes intelligimus. Quis igitur alius in die judicii veniens ex Sion, id est ex cœlesti congregatione sanctorum animarum dabit salutem Israel? Et quando Dominus converterit captivitatem a populo suo, qui eodem in tempore fiet, Apoc. XXI, quia « neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor amplius erit. » In quo, inquam, alio tunc temporis « exsultavit Jacob » id est Ecclesia « et lætabitur » idem ipse? jam factus « Israel, » quia Deum videbit? Nullo alio. Decepti sunt igitur Judæi.

EXPOSITIO PSALMI XIV.

« Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? » Tabernaculum Dei est Ecclesia quæ in hoc mundo peregrinatur. In hoc autem habitant qui in bonis operibus perseverant, multi enim in Ecclesia sunt, qui non in ea habitant, sed in diversis vitiis, quasi in diversis civitatibus stationem faciunt. Vel tabernaculum Dei, Christus est, in Christo autem habitat qui in eo delectatur. Vel, « in tabernaculo tuo, » id est in cœlesti Jerusalem. Repetitio. « Aut quis requiescet in monte sancto tuo? » id est, in excelso cœlorum habitaculo, sive de quo scriptum est, in Christo : « Venite, ascendamus in montem Domini (*Isai.* II). » Responsio. Qui ingreditur sine macula. Maculam pro criminali peccato posuit, nam sine ali qua

macula nullus esse potest, nec unius diei infans, « et operatur justitiam ; » non enim sufficit alicui esse sine macula, nisi et justitiam operetur. Justitiam qui Jem operatur qui nec se, nec alium injuste corrumpit, quique se et alium pro iniquitate dominarit.

« Qui loquitur veritatem in corde suo. » Qui non deceptionis mendacia cogitat, sed ædificationis veritatem compensat. « Qui non egit dolum in lingua sua, » dolum quidem in lingua agit qui verborum duplicitate alios decipit.

« Nec fecit proximo suo malum. » Proximus noster, quicunque fidelis est. « Et opprobrium non accepit. » Quod fieret adversus proximos suos, non accepit, non mente concepit, non acceptabile habuit opprobrium proximorum. « Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, » quia pro nihilo apud eum reputatur. Vel, quia pro nihilo habuit eos a quibus ipsemet occidebatur. Sive, in die judicii, cum ante conspectum ejus venerint, « ad nihilum, et ad mortem reducentur. Timentes autem Dominum glorificat Dominus, » glorificat quidem quia, et coronat, et de inimicis vindicat.

« Qui jurat proximo suo, et non decipit. » Promissio namque justi, juramentum est. « Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, » hoc ad litteram intelligi potest. Dant tamen, et prædicatores pecuniam suam ad usuram, si pro munere vel favore aliquo Evangelium prædicant. Dant et illi pecuniam ad usuram, qui ideo eleemosynas faciunt ut ab hominibus videantur. Quia, sicut scriptum est, « receperunt mercedem suam (*Matth.* VI), » id est usuram. « Et munera super innocentem non accepit. » Super innocentem munera accepit qui vel pro munere rectum detorquet judicium ut faciat « bonum malum et malum bonum, et album nigrum et nigrum album » ut ait propheta (*Isa.* V). Vel, qui pro munere et lucro terreno, innocentem deprædatur atque occidit. « Qui facit hac, » videlicet, qui ingreditur sine macula, qui operatur justitiam, qui loquitur veritatem, qui non agit dolum, « non movebitur in æternum, » quia in montes prædicto, sine fine cum Domino manebit.

EXPOSITIO PSALMI XV.

« Conserva me, Domine. » Vox Mediatoris pro Ecclesia loquentis. Ut enim pro servis loquitur dominus, et lingua pro unoquoque membro, ita pro tota Ecclesia loquitur Christus. « Conserva me, Domine, » id est conserva eos quos mihi dedisti, quoniam in te speravi, ideo enim in te speravi, et ab angelis me minoravi (*Psal.* VIII), ut eos conservares. Prius enim quam homo fieret in nullo se majore sperare poterat : ergo quia carnem sumpsit, in Domino speravit. Nihil igitur aliud est, quoniam in te speravi, nisi quia in tui obedientia carnem assumpsi. Vel, in te speravi, id est eos in te sperare feci, qui prius in homine sperabant atque principibus. « Dixi tibi, Domine, Deus meus es tu, » quia te Deum et Dominum vocavi, ideo conserva eos. « Quoniam bonorum meorum non eges, » conserva, nec dicas, non sunt digni, non mihi servierunt, non enim tu eorum indiges servitio, sed ipsi potius tuo beneficio.

« Sancti qui sunt in terra ejus mirificavi omnes voluntates meas in eis. » Quæ fuerunt voluntates ejus ? incarnatio, nativitas, passio et resurrectio, et similia. De his autem non solum infideles, sed etiam sancti admirantur. Infideles quidem admirantur et negant, sancti autem admirantur et credunt. Tale est igitur ac si diceret : Conserva eos, Domine; nolo enim amittere. Adeo enim eos diligo ut tanta pro eis passus sim, quod non solum de passione, verum etiam de passionis voluntate admirentur.

« Multiplicatæ sunt infirmitates eorum. » Ac si dicat : Conserva eos, omnino enim tua indigent conservatione. Et est antipophora redditiva. Indigent enim medico, quia multas habent infirmitates ; indigent, quia multa peccata fecerunt ; indigent, quia a multis tribulantur ; indigent, quia multa idola coluerunt. In Hebræo enim, pro infirmitates, hoc in loco, idola scriptum est. Aliter : Conserva eos, quia suas cognoscunt et confitentur infirmitates.

« Postea acceleraverunt. » Prius, inquit, peccaverunt, idola coluerunt, et infirmati sunt, postea acceleraverunt, et festinanter ad me verum medicum concurrerunt. Vel postea acceleraverunt justi, videlicet ad præmium ; injusti autem ad supplicium. Quia priusquam medicus venisset, et justi et injusti ad infernum ibant. Sive postea acceleraverunt, quia pristinam vitam deflentes, omnes ad Dei servitium se accinxerunt.

« Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus. » Quia, inquit, hoc fecerunt, et illud et illud, de sanguinibus et peccatis eorum conventicula, vel judicium non tenebo. Vel, congregationes eorum tales erunt, quæ « non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt (*Joan.* I). »

« Nec memor ero nominum eorum per labia mea. » Hoc etiam ad litteram observandum est, namque et Simonem Petrum (*Joan.* I), et Saulum Paulum (*Act.* XIII), vocavit. Spiritualiter autem sic intelligitur. Non vocabo peccatores, non idololatras, nec semen Chananæi, sed justos, et sanctos, et filios charissimos.

« Dominus pars hæreditatis meæ. » Hæreditas Dei Ecclesia est ; hujus autem pars Dominus est, quia de duobus, sibi in partem elegit. Alii vero elegerunt diabolum. Namque Deus et diabolus ita a cunctis necessario dividuntur, ut sine altero istorum nullus esse possit. Ergo quia talem sibi partem sancti elegerunt, merito filii Dei vocabuntur. « Et calicis mei, » id est meorum ; mortis namque sanctorum est Dominus pars, quia partim pro eo, partim pro acquirenda beatitudine moriuntur. Vel, calicis mei, quia cibus et potus, et summa bonorum refectio est. « Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi, » quia pro Judæorum amissione, gentiles mihi

Digitized by Google

subjicies, vel restitues in die judicii, quia corporibus animabus conjunctis, dicam sanctis : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* xxv), » vel, quia mihi eam claritatem reddes, quam priusquam mundus fieret, tecum habui (*Joan.* xvii).

« Funes ceciderunt mihi in præclaris. » Ad eorum similitudinem loquitur, quibus, prædia dividentibus, aliis in bonas terras. aliis in lapidosas, funes et perticæ cadunt, quibus eæ dividentur. Et lætatur, quia, amissis Judæis, tam præclaram gentium sortitus est hæreditatem. « Etenim hæreditas mea præclara est mihi, » mihi quidem præclara est, etsi aliis fortasse vilis videatur. Vel, hæredibus meorum, id est in terra viventium præclara est in eis,

« Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. » Ex hoc, inquit, Dominum benedico, quia fidelibus meis intellectum, qui prius indocti erant, et manuum suarum opera stulte colebant. « Insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei. » Insuper ex hoc quoque benedicam Dominum, quod renes mei, id est Judæi (ex quorum renibus patres mei, et ex quorum carne natus sum), me increpando et blasphemando usque ad mortem, et infernum ire compulerunt. Vel ex hoc benedicam Dominum, quod renes mei, id est, intellectus et cogitationes meorum, usque ad mortem pro fide conservanda eos ire docuerunt.

« Providebam Dominum in conspectu meo semper. » Ac si dicat : Quamvis in mortis passione, et ego, et mei fuissemus, tamen in conspectu meo et meorum, Deum adjutorem semper inspexi. Et « quoniam a dextris est mihi ne commovear, propter hoc lætatum est cor meum. » Propter hoc, inquit, lætatur cor meum, quia Pater, et divina pietas mihi a dextris astitit, ne commoverer, et ob mortis dolorem irascerer, sicque omnes gentes interficerem. Vel etiam inde lætor quod Dominus a dextris, et in adjutorium est sanctis, ne aliqua tribulatione ab ipsius fide commoveantur. « Et exsultavit lingua mea, » id est præstoli in prædicatione. « Insuper et caro mea requiescat in spe, » videlicet resurrectionis.

« Quoniam non derelinques animam meam in inferno. » Vere resurgam (*Matth.* xxvii), neque cum peccatoribus ab inferno et morte detinebor (*Ephes.* iv), sed gaudens, et triumphans, capta præda cœlos ascendam (*Marc.* xvi). « Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Quia neque Christus anima nec corpore corruptus est. Neque sancti, etsi corporis detrimenta patiantur, animæ tamen non corrumpuntur.

« Notas mihi fecisti vias vitæ. » Ideo, inquit, non detinebor a morte, quia cognita est mihi via vitæ, non errabo in via, sed recto itinere ad Patrem ibo. Vel etiam, meis fecisti notas vias vitæ, id est operibus itur ad vitam.

« Adimplebis me, lætitia cum vultu tuo. » Quia, inquit, viam novi, sine impedimento aliquo ad te veniam. Cum autem tecum fuero, de vultu et claritate summa lætabor Expositio. « Delectationes etiam mihi A in dextera tua usque in finem » delectationum, id est infinitæ delectationes. Hoc quoque de sanctis intelligi potest quia vias vitæ noverant, et de vultu et claritate Dei lætabuntur, et a dextris ejus positi, æternas suscipient delectationes.

EXPOSITIO PSALMI XVI.

« Exaudi, Domine, justitiam meam. » Hoc repetit, « Intende deprecationem meam. » Hæc vox Domini, ut hominis est, pro se et pro suis loquentis. « Auribus percipe orationem meam, » factam, « non in labiis dolosis, » ut aliud dicamus et aliud cogitemus. Quod hæretici faciunt et adulatores.

« De vultu tuo judicium meum prodeat. » Prodeat et manifestetur judicium, quo ante Pilatum judicatus sum (*Luc.* xxiii). De vultu tuo, id est, secun- B dum voluntatem tuam factum esse, ne hoc aliquis illorum viribus, vel meæ imbecillitati deputet, verum tuæ voluntati, cui nemo resistere valet, quia non haberent in me potestatem nisi hoc a te sibi datum fuisset (*Joan.* xix). Aliter de vultu tuo judicium meum prodeat, id est secundum voluntatem tuam judica meos; sic tamen ut « oculi tui videant æquitatem. »

« Probasti cor meum, et visitasti nocte. » Merito, inquit, me atque meos exaudire debes, quia et me et illos, cum etiam in ipsa nocte, tribulationum adversitate visitasti, tibi fideles, et per omnia obedientes nos esse probasti. « Et non est inventa in me iniquitas; » æquum enim est ut filius patri, et servus domino obediat, ideoque et Christus, qui Filius C est, « factus est obediens usque ad mortem (*Philip.* ii), » et nos qui servi sumus obedire debemus, quo fit ut iniquitas in nobis non inveniatur. Alia causa,

« Ut non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. » Labia Dei sunt prophetæ, apostoli et doctores, quia per eos loquitur. Propter istorum autem verba, inquit Ecclesia, ego custodivi vias duras, quoniam quæ isti ore dixerunt, ego opere implere conatus sum. « Ut non loquatur os meum opera hominum, » id est ea quæ loquor, non me jactando, vel te incusando, loquor, sed ut meam orationem exaudias, quasi ad memoriam reduco. Aliter, adeo equidem custodivi vias duras, ut non solum facere, D sed nec etiam ore opera hominum pronuntiare voluerim : neque sermo temporis, vel verbum otiosum ex ore meo processit. Hoc autem de se quoque Christus dicere potest, qui legis et prophetarum complens mandata, duram et asperam a Judæis pertulit passionem. Deprecatio :

« Perfice gressus meos in semitis tuis. » Quia, inquit, jam incœpi, ut usque in finem perseverare possim, perfice gressus meos in semitis tuis. Justitia namque pax, patientia, majestas, concordia semitæ sunt, per quas ad Dominum itur. In his autem perficiuntur pedes nostri, quando ab eis divelli nequeunt. Hoc est quod sequitur : « Ut non moveantur vestigia mea. »

« Ego clamavi. » Ego, inquit, homo Dominicus,

Digitized by Google

in cruce positus ad te, Pater, clamavi (*Luc.* xxiii). Tu autem « exaudisti me, Deus; inclina aurem tuam mihi; et exaudi verba mea, » id est meorum : Neque enim profuit me exaudisse, nisi et eos pro quibus sum passus exaudias. Pulchre autem dixit : Inclina ; omne enim quod inclinatur, ei qui se inclinat appropinquatur. « Mirifica misericordias tuas. » Fac, inquit, misericordias tuas miserabiles esse, dando servis eamdem quam Dominus habet potestatem. Vel mirifica, id est, charas fac et acceptabiles; quod enim miramur, quodammodo extollimus. Mirantur ergo Dei misericordias, qui nativitatem, passionem et resurrectionem dilgunt : « A resistentibus dexteræ tuæ custodi me ut pupillam oculi. » Dextera Dei Christus est; resistentes autem, quicunque infideles. Rogat igitur Filius Patrem, ut a sibi resistentibus eum defendat, quasi pupillam oculi existentem. Pupilla oculi dicitur Christus (*Zach.* ii), quia, et in omnibus clarior est, et lumen quo omnes homines illuminantur. Aliter, custodi, Pater, membra mea ab his qui mihi resistunt, quia, quasi oculi pupilla, cito frangi possunt. Hoc etiam in perfectorum Ecclesia dicere potest, ut sic eam ab hæreticis Deus defendat, quemadmodum pupillam oculi, id est apostolos, in quibus totum Ecclesiæ corpus illuminatur.

« Sub umbra alarum protege me. » Dilectio Dei et proximi, et Novum et Vetus Testamentum. Itemque justitia, charitas cæteræque virtutes alæ Dei sunt, quia sine his nemo ad eum volare potest. Unde hic dici. Christus : Protege me, Domine, sub alarum tuarum umbra positum. Si enim vitia et concupiscentiæ exurunt, merito umbram et refrigerium ista præbere dicuntur. Vel sub umbra alarum tuarum, id est sub protectione tua protege me a facie impiorum qui me afflixerunt, id est in præsentia Judæorum. Hoc quoque super Ecclesia intelligi potest; namque et sub eisdem aliis constat Ecclesia, et ab inimicis ipsa quoque persecuta est.

« Inimici mei animam meam circumdederunt. » Judæi videlicet in passione. « Adipem suum concluserunt, » id est superbiam vitiorumque copiam amplexati sunt, quibus verus medicus eos curare volebat. Vel adipem suum concluserunt, quia Christum occidentes, et in sepulcro claudentes (*Luc.* xxiii) omnes illius terræ, lacte et melle fluentis, divitias amiserunt. « Os meum locutum est superbiam, » quia « reus est mortis, » et « crucifige, crucifige » dixerunt (*Matth.* xxvii). « Projicientes me nunc circumdederunt me, » quondam, inquit, me extra civitatem projecerunt, nunc quoque projiciunt, dum non se nisi cæsarem regem habere dicunt (*Joan.* xix). Sed non sicut olim; olim enim projicientes me, in columnem abire permiserunt, nunc autem projicientes, etiam circumdederunt, « oculos suos statuerunt declinare in terram, » non utique ea quæ sursum aspexerunt, sed ad sola terrena oculos flectentes, quia et locum et gentem (*Joan.* xi) et terrenas divitias se se amittere putabant, Christum occidere maluerunt. Vel oculos in terra statuerunt, quia terram et purum hominem Christum esse opinati sunt.

« Susceperunt me, sicut leo paratus ad prædam. » Me, inquit, quem, ut Deum, honorifice, summaque cum reverentia suscipere debuerunt, quasi leones leonumque catuli ad prædam parati, cruentis faucibus susceperunt. In abditis quidem habitant, quia « omnis qui male agit lucem fugit et odit (*Joan.* iii) »

« Exsurge, Domine, » etc. Mihi in adjutorium exsurge. Illum autem populum Judaicum præveni; qui semper incautus est, quique nihil timet. « Et supplanta eum » id est, da gentibus hæreditatem, quam iste sibi promittebat. « Eripe animam meam ab impio, » videlicet a supradicto Judæorum populo. « Et eripe frameam tuam ab inimicis manus tuæ. » Me, inquit, eripe, qui sum tua framea, qui antiquum inimicum trucidavi, quique justos a peccatoribus in judicio dividam. « Domine, a paucis de terra divide eos. » Pauci enim sunt boni ad malorum comparationem. Unde etiam dicitur : « Multi sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* xx). » Ac si dicat : « Divide, Domine, hos inimicos manu potentiæ tuæ, » a sanctis qui in Ecclesia habitant. Magna enim erit divisio et separatio, cum illi infernum, isti vero cœlestia regna petent (*Matth.* xxv). « In vita eorum de absconditis tuis adimpletus est venter eorum, » quandiu, inquit, sancti vixerunt, cœlesti pane, et secreta Scripturarum intelligentia impleri cupierunt. Illi autem (Judæi scilicet) « saturati sunt filiis, » id est vitiis et peccatis, quæ ipsimet sibi genuerunt. « Et dimiserunt reliquias suas parvulis suis, » noluerunt enim crucis delictum in se esse finitum, sed clamantes : « Sanguis ejus super nos et filios nostros (*Matth.* xxvii). » In posteros miserunt. Aliter, saturati sunt filiis, id est sicut divitiis, ita et prolixa fecunditate repleti sunt. Et dimiserunt reliquias suas parvulis suis, quia panem vivum et Christi corpus fastidientes, humili gentium populo ad manducandum reliquerunt. « Ego autem, dicit Ecclesia, in justitia, apparebo conspectui tuo, » illi quidem filii saturati, ego autem secretis tuis repleta, ante conspectum tuum manifestabor, et tunc tandem « satiabor cum » Filii tui « gloria apparuerit. » Vel etiam hoc Christus dicere potest. Me Judæi injustum et peccatorem vocantes, cum injustis et peccatoribus ab inferno detineri opinati sunt. Ego autem cum justitia cœlos ascendens, tuo conspectui, Pater, apparebo. Cum autem gloria tua sanctis manifestabitur, tunc æterna beatitudine cum eis sociabor.

EXPOSITIO PSALMI XVII.

« Diligam te, Domine, » etc. Hoc autem in psalmo aliquando Ecclesia, aliquando loquitur Christus. « Fortitudo mea, » quia per te fortis sum. « Dominus firmamentum meum, » quia secundum carnem fragilis sum. « Et refugium meum, » quia in aliis armis vel munitionibus non confido. « Et liberator meus, » quia a Judæis me liberabis, Deus meus, secundum hoc quod homo sum. « Adjutor meus, » in tempore

Digitized by Google

tribulationis. « Et sperabo in eum. » In talem, inquit, sperabo, non in alium adjutorem. « Protector meus, » quia me protegit, et defendit. « Et cornu salutis meæ » id est fortis et alta defensio. « Et susceptor meus, » quia die tertia me suscitavit.

« Laudans invocabo Dominum. » Propter prædictas causas; in tempore crucis laudando invocabo te, « et ab inimicis meis salvus ero. » Habesne inimicos? Sequitur :

« Circumdederunt me dolores mortis. » Præteritum pro futuro posuit, ac si dicat : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis (*Matth.* xx). » Circumdederunt dolores mortis, id est Judæi, dolores mortis inferentes, vel dolores, qui in morte habentur. « Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me, » quia ecce turba, et qui vocabatur Judas, venit. Venit torrens, et iniquorum impetus ad discipulorum gregem conturbandum, quia, pastore percusso, dispergentur oves gregis (*Marc.* xiv).

« Dolores inferni circumdederunt me, » id est illi, quos infernales dolores exspectant. « Præoccupabant me laquei mortis, » quia cum gladiis et fustibus undique supervenient. Laquei mortis ideo dicuntur, quia diabolicæ fraudis deceptiones in eis erant. « In tribulatione invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi. » Clamavit Christus in cruce positus, dicens : « Eloi (*Marc.* xv) ; » et : « Deus meus, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* xxiii).» « Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam. » Per templum sanctum ejus suæ divinitatis secretum, vel, ipsum corpus Dominicum intelligimus. « Et clamor meus, semper existens in conspectu ejus, introivit in aures ejus. »

Post hæc, inquit Ecclesia : « Commota est et contremuit terra. » Hoc etiam secundum litteram factum est, quia in Christi passione omnis terra tremuit (*Matth.* xxvii). Spiritualiter autem commota est et contremuit terra quia illi simplex terra erant, quique de anima nihil curabant, ab infidelitate ad fidem commoti, cum timore et tremore, Domino servire cœperunt. « Fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, » sicut enim Christus, apostoli et prophetæ Ecclesiæ sunt fundamentum, ita divitum et superborum, qui per montes intelliguntur, ipse ma ignus spiritus, superbia cæteraque vitia fundamentum sunt. Hæc autem sunt commota et conturbata, quia baptismo et pœnitentia sunt confusa. Vel etiam, tunc fuerunt commota et conturbata, quando Christus tartara spoliavit (*Ephes.* iv) : « Quoniam iratus est eis, » id est quoniam se iratum illis ostendet ; nisi enim suam iram Christus propalaret, malignus quidem, vitiaque prædicta, plus solito non conturbarentur.

« Ascendit fumus in ira ejus. » Quia fumo excitantur lacrymæ, pro lacrymis fumum posuit, et est causa pro effectu, ac si dicat : Domino irascente, vitiisque expulsis et conturbatis, homines jam emundati, lacrymosa compunctione flere cœperunt. « Et ignis a facie ejus exarsit, » ignis namque et fervor Spiritus sancti a facie Domini procedens, in omnibus exarsit, quia et vitia excussit, et sanctos illuminavit.

« Carbones succensi sunt ab eo, » carbones quidem exstincti erant, quia primos homo quando peccavit, lumen, fervorem et claritatem humano generi abstulit, eique cæcitatem, mortem et nigredinem intulit. Erant igitur homines sic exstincti, quos Spiritus sancti gratia ardere fecit.

« Inclinavit cœlos et descendit. » Prius, inquit Ecclesia, inclinavit Dominus cœlos, id est misit prophetas et angelos, qui suum adventum mundo nuntiarent. Isaias enim dixit : « Ecce virgo concipiet (*Isa.* vii). » Gabriel autem ad Mariam : « Paries, inquit, filium, et vocabis nomen ejus Jesum (*Matth.* i). » Deinde descendit, et carnem assumpsit. « Et caligo sub pedibus ejus. » — « Cœlum, inquit, mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum (*Act.* vii). » Ergo quia terra est scabellum, sub pedibus ejus est ; per terram autem, quam sub pedibus ejus esse diximus, corpus Dominicum intelligimus. In hoc autem tanta caligo fuit ut vix pauci in eo divinitatem latitantem cognoscere possent. Fuit etiam caligo in hoc corpore, quia omnis Scripturarum profunditas, omnis sapientiæ et scientiæ plenitudo in Christo permansit (*Joan.* i). Aliter : Sicut per cœlos, apostolos, ita per peccatores, infernum intelligas. Inclinavit Dominus igitur cœlos, quando inter peccatores ad prædicandum apostolos misit (*Marc.* xvi). Quid enim magis inclinatur quam qui de cœlo infernum descendit. Et descendit, quomodo descendit? apostolica prædicatione. Ubi descendit? in omnes terras. Unde alibi dicitur : « Descendit sicut pluvia in vellus (*Psal.* lxxi). »—« Et caligo sub pedibus ejus ; » iidem enim apostoli pedes ejus sunt, in quibus caligo et Scripturarum omnium profunditas. Vel, quia diabolum, et vitia et principum minas sub pedibus conculcaverunt, ideo sub ejus pedibus caligo esse dicitur. Unde Apostolus : « Deus autem pacis, inquit, conteret Satanam sub pedibus vestris velociter (*Rom.* xvi). » Hic autem merito caligo dicitur, siquidem « tenebrarum princeps est (*Ephes.* vi). » — « Et ascendit super cherubim ; » cherubim *scientiæ plenitudo* interpretatur, significat autem eosdem apostolos, qui omnis scientiæ fonte inebriati erant. Inclinavit igitur Dominus cœlos, præparavit ad itinera equos, ascendit super cherubim, ascendit super equos suos. « Et volavit. » Ubi? « Super pennas ventorum, » id est, super instabiles et superbos, quia in eis non invenit habitationis locum. Possumus etiam per ventos, animas intelligere ; per pennas autem virtutes. Volavit igitur super pennas ventorum, quia omnes animas sanctitate transcendit. Super ascensionem quoque iste versus intelligi potest quia ab angelis super cœlos exaltatus est, ubi venti ascendere nequeant. « Et posuit tenebras latibulum suum. » Per tenebras, obscura

Digitized by Google

doctorum et prophetarum verba intelligimus. Hæc autem latibulum Dei sunt, quia in his verissime deprehenditur. « In circuitu ejus tabernaculum ejus » id est, Dei Ecclesia. Hoc autem tabernaculum circa Dei latibulum manet, quando nos circa Psalterium sumus, vel quicunque fideles in Scripturis se exercent. « Tenebrosa aqua in nubibus aeris, » quia tenebrosa et obscura est Scriptura prophetarum, quos nubes significant, inde cognoscitur quod suum latibulum Dominus tenebras posuit. Possumus etiam per tenebrosam aquam, erroneam hæreticorum sapientiam intelligere. Aliter : « Posuit tenebras latibulum suum, » quia carnis indumento assumpto non ab omnibus cognitus est. « In circuitu ejus tabernaculum ejus, » id est apostolica congregatio, vel ipsa caro assumpta. Objectio. Quare cognitus non est, cum ab omnibus prophetis esset annuntiatus? (*Jer.* II.) Cui ipse : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris, » id est, quia non omnes prophetarum dicta intelligunt.

« Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt. » Præ fulgore, una pars est, ut sic dicatur : « Præ fulgore, » id est præclaræ et splendidæ nubes in conspectu Domini semper existentes, apostoli scilicet, ad gentes transierunt, sicut scriptum est : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » « Grando et carbones ignis, » ac si dicat : Transierunt nubes, sed quomodo transierunt? clamando, minando, futurum judicium prædicando, ignem ubique mittendo, humana corda fidei ardore accendendo. Hoc est quod sequitur : « Et intonuit de cœlo Dominus, » quia apostolica voce docuit gentes, ut ipse ait : « Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* X). » Repetitio. « Et Altissimus dedit vocem suam, » ex qua, ut supra, præcesserunt grando et carbones ignis.

« Et misit sagittas suas et dissipavit eos. » Quid per sagittas, nisi doctores intelligimus? Mittens igitur Dominus doctores, « dissipavit eos, » id est vitia in eis. « Fulgura multiplicavit, » id est miracula et suæ potentiæ claritatem. « Et conturbavit eos, » quia quid facerent nesciebant. Ut illi qui dixerunt ad Petrum : « Quid faciemus, viri fratres, » Quibus ipse ait : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum (*Act.* II). »

« Et apparuerunt fontes aquarum, » quia ex paucis prædicatoribus multi exorti, ubique terrarum orbe prædicare cœperunt. Vel, quia Novum et Vetus Testamentum multarum aquarum sunt fontes, tunc primitus intellecta et manifesta fuerunt. Expositio. « Et revelata sunt fundamenta orbis terrarum; » fundamenta terræ sunt hæc duo testamenta, et apostoli et prophetæ, quia super fundamentum apostolorum et prophetarum fundata est Ecclesia (*Ephes.* II). Sed quo ordine revelata sunt? Sequitur : « Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ. » Qui dicebas : Nisi pœnitentiam egeritis, moriemini. Hic Dominus, inquit Ecclesia, « misit de summo, » quia de seipso. Sed quid misit? misericordiam suam, Salvatorem et propugnatorem qui a Patre exivit, et in mundum venit (*Joan.* XVI). « Et accepit me, et assumpsit me de aquis multis, » quia ex multis populis me constituit, vel, quia ex multis vitiis me extersit, sive, quia ex multis tribulationibus me liberavit. « Eripuit me de inimicis meis fortissimis, » id est, a persecutoribus vel malignis spiritibus. « Ab his qui oderunt me. » Et fortissimi quidem erant, et penitus me odio habebant. « Quoniam confortati sunt super me, » quia, quasi victores, super me confortati sunt, inde fortissimi comprobantur. « Prævenerunt me in die afflictionis meæ, » id est, in tempore quo me afflixerunt insidiis, adulationibus et opprobriis me occupaverunt. « Et factus est Dominus protector meus, » in necessitate probatur amicus.

« Et eduxit me in latitudinem. » Qui enim in latitudinem deducitur, de angustiis trahitur. « Salvum me fecit, quoniam voluit me, » quia amittere noluit, ideo salvum me fecit. « Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, » quia justus, inquit, fui, justitiæ meritum recipiam. Repetitio. « Secundum puritatem manuum mearum, » id est, juxta puritatem operum meorum, quæ vitiis non sunt admista, « retribuet mihi. » Et hoc merito, « quia custodivi vias Domini, » id est, in mandatis ejus non erravi, « nec impie gessi a Deo meo. » Quid mirum? « Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, » sciebam, inquit, judicia ejus, quibus, secundum opera, merita retribuet. « Et justitias ejus non repuli a me, » quia judicem cognovi, justitiam observavi. « Et ero immaculatus cum eo, » ac si dicat : Et feci, et faciam, et semper ero immaculatus cum eo, qui maculam non habet. « Et ab iniquitate mea observabo. » Nec absque. Scio enim quoniam « retribuet mihi Dominus, secundum justitiam meam et secundum puritatem manuum mearum, » existentium « in conspectu oculorum ejus; » bonorum namque opera semper in conspectu Dei sunt, malorum autem non respicit, sicut scriptum est : « Respexit Dominus ad munera Abel, ad munera vero Cain non aspexit (*Gen.* IV). » Apostrophe.

« Cum sancto sanctus eris. » Tu, inquit, sanctus eris cum sancto, « et innocens cum innocente » habitabis. « Neque enim habitabit juxta te malignus (*Psal.* V). »—« Et cum electo electus eris, » prius Ecclesiam elegisti, deinde ipsa elegit te; tu autem electus semper eris cum ea electa : et cum perverso perverteris. »

« Quoniam tu illuminas lucernam meam, Deus meus, illumina tenebras meas. » Quia, inquit, in his quæ scio, me illuminasti; in his quoque quæ ignoro me illumina. Vel quia apostolos illuminasti et perfectos, illumina idiotas et imperfectos. Sive, quia illuminasti justos, illumina et peccatores. « Quoniam in te eripiar a tentatione, » ideo, inquit, te deprecor

Digitized by Google

et non alium, quia apud te solum a vitiorum tentatione liberabor. « Et in Deo meo transgredlar murum, » id est peccatorum obstaculum, quod ne ad te venire possem, inimicus mihi opposuit. Vel, viam quæ cæteris arduus murus, nimisque difficilis esse videtur, tuo adjutorio suffultus, facile pertransibo.

« Deus meus impolluta via ejus. » Dei commendatio, ac si dicat : Hic Deus meus, non est, sicut cæteri ; namque et viæ illius impollutæ sunt, et verba ejus vera. « Eloquia Domini igne examinata, » id est, in ipsis tribulationibus, sunt verba probata, quia non deserit sperantes in se. Hoc est quod sequitur : « Protector est omnium sperantium in se. » Et in eo quidem sperare debemus. « Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum ? » Unde ipse ait : « Ego Dominus, et non est amplius, extra me non est Deus (*Isa.* XLV). » Et iste est ille « Deus qui præcinxit me virtute » id est fide, spe et charitate. « Et posuit immaculatam viam meam, » id est opera mea. « Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, » ad currendum agiles, et qui in bonorum operum cursu non cito deficerent, quique persequentium oculis se ultro inferrent. « Et super excelsa statuens me, » id est in cœlestibus regnis, ubi sanctorum est habitatio. Ideo psalmi graves sunt, quia persona cito mutatur; namque modo in secundam, nunc in tertiam conversus, Domino loquitur, ejusque beneficia enumerat.

« Qui docet manus meas ad prælium. » Justitia namque pax, patientia, cæteræque virtutes, quasi manus nobis sunt, quibus diabolum expugnamus. Unde Apostolus : « Induite vos armaturam Dei (*Ephes.* VI). » — « Et posuisti arcum æreum brachia mea, » dilectio Dei et proximi, duo brachia nobis sunt qui Deum et hominem his amplectimur quibus etiam quasi forti et insuperabili arcu vitia superamus. « Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, » id est Filii tui. « Et dextera tua suscepit me, » quia mundum in morte jacentem ad se traxit.

« Et disciplina tua correxit me in finem, » id est ad plenum. « Et disciplina tua ipsa me docebit. » Qui enim sacras Scripturas legit, in quibus Dei disciplina continetur, et a vitiis corripitur, et de virtute in virtutem ad finem ire docetur.

« Dilatasti gressus meos subtus me. » Ego, inquit, in arcto persequi vitia cœpi, tu autem dilatasti et agiles fecisti pedes meos, vigoremque eis dedisti, ne in tali cursu fatigentur. « Persequar igitur inimicos meos, » id est vitia et malignos spiritus ; « et comprehendam illos, » comprehendam et ligabo, ne fugiendo crescant. « Et non convertar donec deficiant, » id est, non cessabo carnem affligere, donec omnes concupiscentiæ interimantur. « Confringam illos, nec potuerunt stare, » contra me, sed « cadent subtus pedes meos, » quia bonis operibus mortificantur. Quomodo starent? Ego enim virtute præcinctus sum, illi autem jam supplantati fugiunt et disperduntur. Hoc est quod dicit : « Et præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me, et inimicos meos dedisti mihi dorsum, » quia in fugam conversis sola posteriora destruimus et vulneramus. Vox capitis.

« Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret. » Hucusque Ecclesia, nunc Christus loquitur, et ab eo versu incipit, quo loquendi finem superius fecit, ab hoc videlicet : « Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : » Ego quidem clamavi, inquit, et exauditus sum; illi autem clamaverunt, « nec exaudivit eos » Dominus. Clamabunt, inquit, ad Dominum, Judæi et peccatores in die judicii, dicentes : « Domine, Domine, aperi nobis (*Matth.* XXV), » nec erit qui salvos eos faciat, quia Salvatorem non receperunt, nec exaudiet eos Dominus.

« Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti. » Non salvabo, inquit, sed contritos et comminutos, magno quidem turbine in infernum dejiciam. « Ut lutum platearum delebo eos, » quod cito siccatum, non comparet.

« Eripies me de contradictionibus populi. » Quia alii dicebant : « Bonus est; » alii vero : « Non, sed seducit turbas (*Joan.* VII). » Vel, de contradicentibus. Unde scriptum est : « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi (*Rom.* X). » — « Constitues me in caput gentium, » quia Judæis amissis, gentibus imperabo. « Populus quem non cognovi, servivit mihi, » cognoscere namque Dei, diligere est. Unde peccatoribus dicturus est : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* XXV). » Ut sic dicatur : Populus gentium, quem minime dilexeram, servivit mihi. « In auditu auris obedivit mihi, » quia apostolica voce audito Evangelio credidit.

« Filii alieni mentiti sunt mihi. » Filii Dei fuerunt Judæi, sed Christum interficientes, filii diaboli facti sunt. « Mentiti sunt, » quia in veritate non permanserunt. « Filii alieni inveterati sunt, » in primi hominis peccato inveterati sunt, quia novum hominem recipere noluerunt. « Et claudicaverunt a semitis suis, » id est a lege et prophetis, sive in suis intellectibus; vel in fide, in uno solo pede nitentes, id est Patrem et non Filium adorantes ; vel Vetus et non Novum Testamentum sequentes ; sive etiam, litteram et non spiritum. His enim pedibus graditur Ecclesia.

« Vivit Dominus. » Qui me de illis vindicavit. « Et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meæ » jam demum ad illos perdendum. Apostrophe.

« Deus, qui das vindictas mihi. » De iniquis Judæis. « Et subdis populos » gentium « sub me; » qui es « liberator meus de inimicis meis iracundis, » tu, inquam, qui hoc facis et facies. Qui sequitur :

« Et ab insurgentibus in me exaltabis me. » Quia resurgens cœlos ascendam. « Et a viro iniquo eripies me, » id est a prædicto populo. « Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine, » id est per meos fideles ubique terrarum te laudabo, « et nomini tuo

Digitized by Google

psalmum dicam, » quia in tuo nomine bona agent. Vox Patris.

« Magnificans salutem regis ejus. » Magnificans, inquit, magnificabo salutem regis ejus, populi supradicti, ac si diceret : Quoniam populi solo auris auditu suo regi obediunt, et regis et populi salutem magnificabo. « Et faciens, » faciam « misericordiam christo suo David, » quia die tertia eum a mortuis suscitabo. « Et semini ejus, » id est Ecclesiæ, mansuræ « usque in sæculum. »

EXPOSITIO PSALMI XVIII.

« Cœli enarrant gloriam Dei, » id est, apostoli annuntiant gentibus nativitatem, resurrectionem, et ascensionem, in quibus Deus glorificatur. Confirmatio.

« Et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. » Idem enim est firmamentum, quod et cœlum.

« Dies diei eructat verbum, » id est, Deus Pater misit Filium suum apostolis. « Et nox nocti indicat scientiam, » id est, Judas Christum Judæis tradidit. Indicavit autem, cum dixit : « Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum (*Matth.* XXVI). » Aliter : « Dies diei eructat verbum, » id est doctores annuntiant Evangelium Ecclesiæ. « Et nox nocti indicat scientiam, » quando hæreticus errorem hæreticis insimulat. Vel etiam, « dies diei eructat verbum, » quando Verbi incarnationem, et altam Scripturarum intelligentiam, sapientibus et perfectis apostoli manifestant. Unde Apostolus ait : « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* I). » — « Et nox nocti indicat scientiam, » quando idem apostoli, qui abyssus erant, et alta profunditas, qualemcunque mediocrem scientiam imperfectis annuntiabant. Sicut scriptum est : « Lac potum dedi vobis, non escam (*I Cor.* III). »

Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum. » Quia et omnibus linguis loquebantur, et omnem scientiam prædicabant, debiles parvo lacte cibantes, validos pane. « In omnem terram exivit sonus eorum. » Dixit superius qui prædicarent, et quid et quomodo, nunc autem dicit ubi : Quia in omnem terram exivit illorum prædicatio. Repetitio. « Et in fines orbis terræ verba eorum, » dicentium :

« In sole posuit tabernaculum. » Quia carnem, qua Deo Patri militavit, omnibus visibilem præbuit. Vel tabernaculum suum, id est uterum Virginis; Maria namque *stella maris* interpretatur. Posuit igitur tabernaculum suum in solem, quia de hac stella fecit solem. Omnibus enim hæc margarita preclarior est. « Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, » quia divinitate carni conjuncta, de virginali utero Christus processit. « Exsultavit ut gigas ad currendam viam. » De utero, inquit, procedens exsultavit, factus ut gigas, fortis et insuperabilis. Sed ad quid exsultavit? « ad currendam viam, » id est ad omnes mundanas adversitates tolerandas. Unde ipse ait : « Desiderio desideravi hoc Pascha (*Luc* XXII). »—« A summo cœlo egressio ejus, » quia a Patre exivit, et venit in mundum (*Joan.* XVI). « Et occursus ejus usque ad summum ejus, » quia iterum reliquit mundum, et ivit ad Patrem (*ibid.*). A summo ad summum est occursus ejus, quia deitate et potentia æqualis est Patri. Unde alibi dicitur : « O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem (*Sap.* VIII). » « Nec est qui se abscondat a calore ejus, » cum alii igne spiritus, alii vero igne gehennæ comburantur. Vel, ut quidam volunt, ab aliqua Spiritus sancti gratia cum omnes intellectum habeant et rationem.

« Lex Domini immaculata. » Alia prædicatio apostolorum : Legem Domini custodite, quia lex Dei justos, sanctos et immaculatos vos reddat. « Convertens animas. » Unde et quo? ab iniquitate ad justitiam. « Testimonium Domini fidele, » ideoque tenendum est. Fidele quidem, quia non mentitur. Sunt autem testimonia Domini : « Date et dabitur vobis, dimittite et dimittetur vobis (*Luc.* VI), » et similia. « Sapientiam præstans parvulis, » id est humilibus, unde scriptum est : « Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum (*Marc.* X). » Et alibi : « Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Luc.* X). » — « Justitiæ Domini rectæ, » quia « reddet unicuique juxta opera sua (*Rom.* II). » — « Lætificantes corda, » bonorum. « Præceptum Domini, » id est Novum Testamentum lucidum; quod nullo velamine tegitur. « Illuminans oculos, » cordis videlicet. « Timor Domini sanctus, » quia sanctos facit, ideoque timendus est. « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX). »—« Permanens in sæculum sæculi, » quia cum dilectione fit, quæ semper erit.

« Judicia Domini, vera, justificata in semetipsa. » Non ab alio. Nam quia naturaliter justus est Deus, naturaliter justa sunt judicia ejus. « Desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum multum, » id est, in omnibus sæcularibus divitiis, præferenda sunt judicia Dei. « Et dulciora super mel et favum, » quia ad ineffabilem delectationem atque dulcedinem sanctos perducunt. Sed quibus sunt dulcia? sanctis quidem. Unde hoc? « Etenim servus tuus custodiet ea, » ac si dicat : Nisi dulcia quidem essent, sancti tui ea non custodirent. « In custodiendis illis retributio multa. »—« Si custodieritis, inquit Dominus, præcepta mea, manebitis in mea dilectione (*Joan.* XV), » qua major retributio esse non potest.

« Delicta quis intelligit? » Quis se, inquit, peccatorem esse cognoscit? quis sua peccata Domino confitetur, nisi ille qui dicit : « Ab occultis meis munda me, Domine, » id est ab his quæ in secreto cordis, vel alio nesciente, peregi? Et ab alienis parce servo tuo, id est ab his quæ publice fiunt, vel quæ nondum feci.

« Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero. » Si, inquit, ista peccata non fuerint mei dominati. Tunc enim nostra sunt peccata, quando ab eis dominati et devicti fuerimus, aliter essent aliena. Tunc immaculatus ero, « et emundabor a delicto maximo, » quod est superbia, quæ etiam in bene actis

Digitized by Google

cavenda est. « Et erunt ut complaceant eloquia oris mei. » Si, inquit, peccatis mundatus fuero, tunc mea eloquia talia erunt quæ tibi placere possint, quia « non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* xv).»—« Et meditatio cordis mei, » postea semper erit in conspectu tuo, Domine, adjutor meus et redemptor meus.

EXPOSITIO PSALMI XIX.

« Exaudiat te Dominus in die tribulationis. » Vox Prophetæ : Veni, Christe, venisti Salvator, vadis pro nobis ad immolandum, homo es, auxilio indiges, deprecare Patrem, et Dominus exaudiet te in die tribulationis, id est in tempore passionis. « Protegat te nomen Dei Jacob. » Quia tu in nomine Domini venisti. Unde ipse ait : « Ego a meipso non loquor (*Joan.* xiv).»

« Mittat tibi auxilium de sancto, » id est de seipso. « Et de Sion tueatur te. » Sion, *specula* interpretatur. Significat autem, et Ecclesiam, et cœlestem Jerusalem. Et de Sion tueatur te, id est de excelsa cœlorum specula, in qua residet te defendat.

« Memor sit omnis » et universalis « sacrificii tui, » quia pro omnium salute oblatus est.

« Et holocaustum tuum pingue fiat, » id est lætum et acceptabile. Vel pingue fiat, hoc est omnes in te credentes redimat et salvet, sive Judæi fuerint, sive gentiles.

« Tribuat tibi secundum cor tuum, » id est desiderium tuum, et voluntatem tuam. « Et omne consilium tuum confirmet. » Petat aliquis consilium a Christo : « Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum, sicut teipsum (*Luc.* x). » Hoc est consilium Christi, quod in pluribus quidem adeo confirmatum est ut pro Dei dilectione morerentur.

« Lætabimur in salutari tuo. » Ideo, inquit Propheta, tibi salutem deprecor, quia et ego, et cæteri, qui tuum adventum exspectamus de tua salute lætabimur. Hanc autem et transitive et intransitive intelligere possumus. « Et in nomine Domini Dei nostri magnificabimur, » quia « quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Act.* ii), » vel per nomen Christi, quia Christiani vocabimur.

« Impleat te Dominus omnes petitiones tuas. » Audi petitiones Filii : « Clarifica me, Pater, apud temetipsum. » Cui Pater : « Clarificavi, inquit, et iterum clarificabo (*Joan.* xii). » Itemque : « Pater, serva eos quos mihi dedisti (*Joan.* xvii). » Hæ autem petitiones sunt impletæ, quia et ipse est clarificatus, et isti conservati.

« Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus christum suum. » Providens, per Spiritum sanctum, resurrectionem et ascensionem. Et præterito pro futuro utitur. « Exaudiet illum de cœlo sancto suo, » id est mittet illi auxilium de sancto.

« In potentatibus salus dexteræ ejus. » Quia et per hanc omnes gentes credent, « et mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* vi). » Vel quoniam quos ipse salvabit, potentes erunt.

« Ili in curribus, et hi in equis. » Peccatores, inquit, in divitiis sæculique honoribus lætantur, et in fortuna quæ in rotis describitur. Partem illam quæ dignior est, præ cæteris posuit.

« Nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus, » per Dominum nostrum Jesum Christum; semper dicentes.

« Ipsi obligati sunt, et ceciderunt, » Obligati vitiis et divitiis, sæculique honoribus et compede mortis. Et ideo in pœnam et in mortem cadunt. « Nos autem surreximus, » ab infidelitate, de limo profundi. « Et erecti sumus, » ad cœlestia et divina contemplandum, ea quæ sursum sunt, aspicientes.

« Domine, salvum fac regem nostrum, et exaudi nos in die qua invocaverimus te, » in nomine ipsius, quia ipse ait : « Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis (*Joan.* xv). »

EXPOSITIO PSALMI XX.

VOX PROPHETÆ.

« Domine, in virtute tua lætabitur rex, » id est, in divina virtute qua diabolum superavit. « Et super salutari tuo exsultavit vehementer, » id est de salute sibi vel suis per se attributa. « Desiderium cordis ejus tribuisti ei, » quia super velle suum resurrexit, infernum spoliavit, et mundum redemit. « Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum, » labia Dei; prophetæ et apostoli sunt; volebant prophetæ, ut Christus carnem sumeret eosque de inferno eriperet; apostoli vero resurrectionem desiderabant. Hæc omnia facta sunt.

« Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. » Ac si dicat : Omnes ejus voluntates complevisti, quia multum et ultra omnes dilexisti; dilexisti quidem, quia in benedictionibus illum prævenisti. Prius enim quam homo fieret ab omnibus patriarchis et prophetis benedictus est. « Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. » Diabolum quidem vicit, regnum abstulit, cœlos coronatus ascendit. Ecclesiam autem coronam vocavit, quia apostoli, martyres, confessores, virgines et episcopi in ea fulgent quasi lapides pretiosi.

« Vitam petiit a te, » id est resurrectionem. « Et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi, » quia « quod mortuus est peccato mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo (*Rom.* vi). »—« Magna est gloria ejus in salutari tuo. » Magna est, inquit, gloria in te, quia resurrexit, cœlos ascendit, et a dextris tuis sedet. « Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum. » Gloriosos et decoros super eum qui Ecclesiæ est fundamentum ædificasti; fundamentum enim aliud, ut ait Apostolus, nemo potest ponere, præter Christum (*I Cor.* iii). Vel gloriam, quia resurrexit. Honore autem, quia ab omnibus honoratur.

« Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi. » Et hoc, inquit, scio quia ab omnibus

Digitized by Google

honorabitur et venerabitur, quia in æternum omnes eum benedicent. Nulla namque dies est, in qua in Ecclesia Dominus Deus Israel, et benedictus qui venit in nomine Domini non decantatur. Vel, dabis eum gentibus in benedictionem, quia « in eo benedicentur omnes gentes (*Gal.* III). » — « Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. » Lætabitur Christus in die judicii, cum vultus et gloria Dei, quam in se credentibus promisit, Ecclesiæ manifestabitur. « Quoniam rex speravit in Domino. » Merito, inquit, eum, lætificabis, quoniam in te speravit, secundum humanitatem.

« Et in misericordia Altissimi non commovebitur, » quia nunquam sine misericordia est, vel erit.

« Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis. » Hic convertit se, ad ipsum regem, atque ita fatur : Inveniatur, o rex, virtus, potentia, et majestas tua ab his qui te humilem recipere noluerunt. Vel etiam, inveniant et cognoscant, et te Deum esse credant. Repetitio. « Dextera tua inveniat omnes qui te oderunt, » ad salvandum vel perdendum. « Pones eos ut clibanum ignis, » quia æterno comburentur igne. Quando? « In tempore vultus tui, » id est in die judicii, cum facie ad faciem eum videbunt, et tunc revelabitur vultus et gloria Domini, « et videbit omnis caro salutare Dei (*Luc.* III). » — « Dominus in ira sua conturbabit eos, » dicens : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » Ignis autem quid faciet? Vis audire quid? « Et devorabit eos ignis. »

« Fructum eorum de terra perdes. » Quia cum operibus suis eos destruet. Vel imitatores illorum a consortio sanctorum et a terra viventium separabit. Confirmatio. « Et semen eorum a filiis hominum, » id est a sanctis. Et merito. « Quoniam declinaverunt in te mala. » Quæ sibi videlicet futura videbant, neque occidere maluerunt quam locum et gentem amittere. Vel in te mala declinaverunt, quia omnem furorem, omnemque nequitiam suam te crucifigendo tibi ingesserunt. Vel quia mortem et pœnam, quam primus homo promeruit, te pati et solvere compulerunt. « Cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire, » cogitaverunt enim nomen tuum de terra auferre, et sepulcrum, ne forte resurgeres custodire. Hoc autem non potuerunt stabilire, quia et resurrexisti, et nomen tuum ubique manifestatur. Unde scio quia « pones eos deorsum, » id est in fugam, ut neque resipiscant neque salventur. Vel dorsum, ut in omnibus sint subjecti. Vel dorsum, ut sola terrena et transitoria diligant.

« In reliquiis tuis preparabis vultum eorum. » Quia ad ea quæ tu omnino derelinquis, et non vis, illi præparati et voluntarii sunt. Quod enim tu vis illi nolunt. Aliter. In reliquiis tuis præparabis vultum eorum. Quia Elias et Enoch, quos Dominus ad prælidendum cum Antichristo, vivos reliquit, errorem et maculas a vultibus eorum abstergent, et Ecclesiæ conjungent, quæ nec maculam habet, nec rugam. Et ut hoc fiat.

« Exaltare, Domine, in virtute tua, » id est resurge, et mane in æqualitate Patris. Vel ostende potentiam et majestatem, qui prius venisti in humilitate. Nos autem « cantabimus, et psallemus virtutes tuas. »

EXPOSITIO PSALMI XXI.

« Deus, Deus meus, respice in me. » Vox Domini ici hominis in cruce pendentis. Respice, inquit, Pater, et vide humilitatem meam; respice quæ, et quanta in cui obedientiam mundique redemptionem mala patiar, respice Filium tuum in cruce pendentem, respice clavos, respice coronam, respice servos in dominum insultantes. « Quare me dereliquisti? » Nunquid Pater derelinquere Filium potuit? Nonne semper Filius est in Patre, et Pater in Filio est? Utique. Quomodo eum dereliquit? Ipsemet dicat, qui solus verax est, cui maxime credendum est. « Longe a salute mea. » Audis quid dicit. Se derelictum conquerebatur, salutem superius postulabat; hoc enim prædicta verba sonare videntur. Nunc autem, superius factam orationem a sua salute longe esse dicit. Quid igitur erat quod postulabat, quandoquidem non sibi salutem quærebat? Sequitur : « Verba delictorum meorum. » Ac si dicat : Quod me derelictum dico, quod salutem deprecor, non mereo, sed hæc verba delictorum meorum sunt, id est præ delictis meorum.

« Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies. » Quasi dicat vere meos dereliquisse videris, quoniam clamantes eos non exaudis. « Deus, clamabo per diem et noctem, » id est mei sine intermissione omni tempore clamabunt. « Et non exaudies. » Vel clamabant per diem, id est pro prosperitate amissa, ut ea rehabeatur, et non exaudies. « Et nocte, » id est, pro imminente adversitate, ut ab ea liberentur, « et non exaudies. Et non ad insipientiam mihi. » Quod non exaudiuntur, inquit, hoc non ad insipientiam, sed ad maximam sapientiam eis continget, quia, dum hujus sæculi prospera petentes non exaudiuntur, scient se in mundanis quidem et transitoriis, vitæque hujus blanditiis tibi placere non posse. Itemque, dum pro adversitate, ut ab ea liberentur, oraverint, et non exaudies. Per multas quidem tribulationes esse in regnum cœlorum oportere intrare (*Act.* XIV) cognoscent, quod solum est sapere.

« Tu autem in Sancto habitas, laus Israel. » Quis superius dixit, quare me dereliquisti, me in hujus verbi ambiguitate qui, erraret? Adjecit : Tu autem in Sancto habitas : Non me, inquit dereliquisti, et Judæi putabant, dicentes : « Deus dereliquit eum, (*Psal.* LXX). » Sed semper mecum fuisti, a quo nihil in deitate differs. « Laus Israel, » id est, quem laudat, vel per quem laudatur Ecclesia. « In te speraverunt patres nostri, » patriarchæ et prophetæ « speraverunt et liberasti eos » ab inimicis et adversariis suis. « Ad te clamaverunt, in tempore tribulationis, et salvi facti sunt; in te speraverunt, et non sunt confusi. »

« Ego autem sum vermis, et non homo, » id est vilis et despectibilis. Quid enim vermine vilius? Alios illos salvasti qui in peccatis nati fuerunt: ego autem, qui vermis sum, et non simpliciter homo, sed fa-

Digitized by Google

ctus « opprobrium hominum et abjectio plebis. » Ut enim vermis ex solo ligno sine patre nascitur, ita et Christus ex sola Virgine, sine virili semine natus est. Unde Isaias ait : « Noli timere, vermis Jacob (*Isa.* XLI). » Opprobrium hominum factus est, propter crucem et spineam coronam. Et « abjectio plebis, » quia Barabbam elegerunt. Omnes videntes me deriserunt me, dicentes: « Vah, qui destruis templum Dei, » et : « Si Filius Dei es, descende nunc de cruce (*Marc.* XV). »—« Locuti sunt labiis, » id est cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, « et moverunt caput, » quia prætereuntes illudebant ei, moventes capita sua. Vel moverunt caput, quia Christum respuerunt, et sibi aliud caput fecerunt, diabolum scilicet, vel Cæsarem. « Speravit in Domino, eripiat eum, » de manibus nostris. « Salvum faciat, quoniam vult, eum, » ut ipse dicit. Ironice de Christo dicebant Judæi, et verum tamen dicebant.

« Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre. » Extraxit quidem, quia contra legem naturæ de virginali utero eum deduxit. Vel de Synagoga eum extraxit; quæ turpitudinis et iniquitatis est reconditio, et Ecclesiæ conjunxit, in qua cœlestes thesauri reponuntur. « Spes mea ab uberibus matris meæ, » id est, ex quo homo fui; prius enim quam homo fuisset, in nullo se majore sperare poterat. « In te projectus sum ex utero, » id est in tuam tutelam, ex quo ex utero processi; a divinitate namque fluebatur humanitas. « De ventre matris meæ, Deus meus es tu, » et ideo « ne discesseris a me, » quia semper mecum eris. Quod oportet, « quoniam tribulatio proxima est. » Unde in Evangelio : « Surgite, eamus. ecce appropinquavit qui me tradet (*Matth.* XXVI). » —« Et non est qui adjuvet, » neque angelus, neque homo, nisi tu solus.

« Circumdederunt me vituli multi. » Judæi pingues, luxuriantes, indomitæ cervicis, « tauri pingues obsederunt me. » Anna et Caiphas, cæterique majores, tauri quidem, quia superbi; pingues autem, quia malitia pleni erant. « Aperuerunt super me os suum, » palam et alta voce me blasphemantes. Vel, os suum, id est intentionem et affectum, quo me occiderunt. « Sicut leo rapiens, et rugiens, sicut aqua effusus sum, » ad totius videlicet gentis purgationem. Quia sanguine ejus mundati sumus. Sicut aqua effusus sum ad ruinam et mortem multorum; aqua enim effusa, pedibus labentibus, homines multoties cadere facit. Vel, sicut aqua effusus, quia doctrina Evangelii, a me quasi ab uno fonte procedens, ubique terrarum mecum gentium corda germinare facit. « Et dispersa sunt omnia ossa mea. » Ossa Christi apostoli sunt, quibus corpus ejus, quod est Ecclesia, sustinetur et roboratur. Hæc autem dispersa sunt quia, « relicto eo, omnes fugerunt (*Marc.* XIV). » Vel etiam dispersi sunt ad prædicandum.

« Factum est cor meum tanquam cera liquescens. » Pro mortis dolore intelligi potest, quia dixit : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). » Vel, cor Christi apostoli sunt : venter ejus, Ecclesia. A Apostoli autem in medio Ecclesiæ quasi cera liquescens erant, quia alios illuminabant, et seipsos jejuniis et orationibus affligebant, et ab impiis tribulabantur. Vel cor suum, id est tota Ecclesia, quam præ omnibus dilexit, cui suum consilium dedit, quam divina sapientia imbuit, prius lapidea et dura, nunc est humilis et pia, omnique misericordia plena.

« Aruit tanquam testa virtus mea. » Quia prius mortalis et corruptibilis erat, postea vero immortalis et incorruptibilis factus est. Vel etiam aruit, quia se mortuum et sine vigore ostendit, neque seipsum defendit, qui aliis auxiliari solebat. « Et lingua mea adhæsit faucibus meis. » Quia « quasi ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum B (*Isa.* LIII). »—« Et in pulverem mortis deduxisti me, » id est in locum sepulturæ, vel in infernum. « Quoniam circumdederunt me canes multi, » id est Judæi sine causa latrantes, neque a perigrinis latrones decernentes quique Barabbam latronem congaudebant, et contra me custodem et amicum latrabant. « Consilium malignantium » Judæorum « obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, » hoc ad litteram. « Dinumeraverunt omnia ossa mea, » id est dinumerabilia fecerunt, me in cruce extenso. Vel omnia ossa mea numeraverunt, quia numerantes discipulos, dixerunt : Tot sunt, videte ut omnes capiantur.

« Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me. » Idem ipsi, et non mutati ab iniquitatis proposito, C considerabant qualis essem, et solum corpus videntes, purum hominem esse putabant. « Diviserunt sibi vestimenta mea, » secundum litteram. « Et super vestem meam miserunt sortem. » Quod autem vestimenta diviserunt, suam discordiam et errorem regnique divisionem significabant. Quod vero inconsutilem et meliorem vestem non diviserunt, Ecclesiæ concordiam significabant, quæ macula caret et ruga. « Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me, » quia die tertia resurgam. « Ad defensionem meam aspice, » ne mihi inimici prævaleant.

« Erue a framea, Deus, animam meam. » Erue, inquit, animam meam, vel sanctam Ecclesiam, pro dilectione quam erga me habet, a framea, a morte, D a diabolo, ab insidiis hæreticorum. « Et de manu canis unicam meam, » anima ejus unica, quia sola sine peccato est; Ecclesia unica, quia sola credit. Canis infernus intelligitur, qui more canino avide cuncta vorat. Vel, erue de manu canis, id est potestate Judæi populi sine causa latrantis.

« Salva me ex ore leonis. » Per leonem, eumdem populum significamus qui omnibus nequitia præeminet. « Et a cornibus unicornium humilitatem meam. » Unicornis erat populus Judaicus, quia solus uno cornu erigebatur, id est de lege et testamento superbiebat, quo cæteras gentes ventilabat atque vincebat. Quod si feceris, « Narrabo nomen tuum fratribus meis. » Hoc fecit Christus post resurrectionem, quia apostolorum sensus aperuit, ut Scripturas

Digitized by Google

intelligerent (*Luc.* XXIV). « In medio Ecclesiæ laudabo te, » quia in omnem terram apostolos prædicare mittam. Vel, in congregatione apostolorum laudabo te, quæ est primitiva Ecclesia, dicens : « Qui timetis Dominum laudate eum; » vos, inquit, apostoli, laudate Dominum, qui eum timetis. « Universum semen Jacob, glorificate eum. » Jacob, qui vitiorum supplantator, Ecclesiam significat, quæ quotidie pœnitendo diabolum supplantat. Universum autem semen Ecclesiæ, apostoli sunt, quia ex his, quasi A paucis granis exorta, totum mundum implevit. Hi autem glorificaverunt Dominum, quia ubique eum prædicaverunt. « Timete eum, omne semen Israel, » idem est Israel semen quod semen Jacob. « Quoniam non sprevit neque despexit deprecationem pauperis, » cujus pauperis? de quo scriptum est : « Qui, B cum omnium dives esset, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* VIII). » — « Nec avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum exaudivit me. » Hic evidentissime apparet quoniam non de se superius dixit: Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies; contraria enim sunt exaudiri, et non exaudiri. Hic enim se exauditum dicit : ibi vero non exaudies.

« Apud te laus mea in Ecclesia magna. » Mutatio personæ, quod ego, inquit, in magna et universali Ecclesia laudor, a te est. Vel, laus quæ in Ecclesia est, de te quidem fit. Unde Apostolus : « Qui gloriatur in Domino glorietur (*II Cor* X). » — « Vota mea reddam in conspectu timentium eum. » Nunc, inquit, in conspectu Judæorum oblatus sum, dehinc autem in conspectu sanctorum qui Deum timent, in Ecclesia C quotidie immolabor. « Edent pauperes, et saturabuntur, » de quibus dicitur: « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V). » Hi pauperes edent corpus Christi, et saturabuntur pane, neque amplius famem patientur. « Et laudabunt Dominum qui requirunt eum. Vivent corda eorum in sæculum sæculi, » quia vivum panem comedent, idcirco in æternum vivent ; unde etiam dictum est : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI). » « Reminiscentur et convertentur ad Dominum. » Obliti, inquit, diaboli, reminiscentur Domini, cujus per lignum vetitum obliti fuerant. Et convertentur ad Dominum, relictis vitiis, « universæ fines terræ. » « Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium, » quia in nomine Jesu omne genu flectetur (*Phil.* II.). « Quoniam Domini est regnum, » quia, devicto diabolo, regnum accepit. « Et ipse dominabitur omnium gentium. »

« Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ. » De supradicto, inquit, sacrificio, manducabunt omnes sancti, qui montes sunt coagulati et pingues. Et adorabunt Dominum.

« In conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram. » Nullus enim nascitur, nullus in hunc mundum venit, nullus in terram cadit qui aliquo tempore Deum non adoret; vel, omnes qui a superbiæ elatione in humilitatem et Ecclesiam descendunt, in conspectu Domini simpliciter cadunt; sive omnes A qui in terram descendunt, qui sola terrena concupiscunt, qui cœlestia non contemplantur, in conspectu Domini, et eo vidente, in die judicii in infernum cadent. « Et anima mea illi vivet, » quam Judæi mortuam esse putabant. Vel anima mea, id est Ecclesia, pro qua passus sum, quia omnia quæ habet homo dabit pro anima sua; nihil enim hominis habuit Christus quod pro Ecclesia non dedit. Illi vivet, quia, non sua quæret, sed quæ Jesu Christi, quæ omnibus sunt ad salutem. Repetitio. « Et semen meum serviet ipsi, » id est, filiis promissionis.

« Annuntiabitur Domino generatio ventura. » Namque, etsi apostoli prædicarent, sibi tamen vel seipsos non prædicabant, sed Dominum et Domino Evangelium nuntiabant. Sive generatio per fidem et B baptismum ventura Domino annuntiabitur, et decebitur ab apostolis. Confirmatio. « Et annuntiabunt cœli, » id est apostoli, « justitiam ejus. » Quibus? « populo qui nascetur, » et fonte baptismatis regenerabitur. « Quem fecit Dominus » esse suum, et ante sæcula prædestinavit.

EXPOSITIO PSALMI XXII.

« Dominus regit me. » Vox Ecclesiæ : Hactenus, inquit, dum diabolus regnavit, misera fui, omnibus indigens; nunc autem, eo devicto, quia Dominus regnat, qui dives est, et omnium copiosus, « nihil mihi deerit. In loco pascuæ ibi me collocavit, » qui, inquit, modo mihi aliquid deesse poterit, cum in loco pascuæ, inque omnibus divitiis sim collocata? In Ecclesia enim, et Novum et Vetus Testamentum C est, et Deus ipse qui est panis vivus, quibus sanctorum animæ reficiuntur. « Super aqua refectionis educavit me, » quia divina sapientia pascitur Ecclesia. Unde dicitur : « Omnes sitientes, venite ad aquam (*Isa.* LV). » Vel super aqua refectionis, id est in baptismo abluendo peccata. « Animam meam convertit. » Ad se, inquit, convertit animam meam, quæ pondere peccati gravata erat.

« Deduxit me super semitas justitiæ. » Super semitas me deduxit, per quas ad cœlestia justi gradiuntur. « Propter nomen suum, » non ex meis meritis, ideoque jam nihil timeo. « Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? » (*Rom.* VIII.) « Nam, et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo D mala. » Quamvis, inquit, ingerantur mihi passiones mortis, quæ aliud non sunt quam mortis umbra, cum non mortem, sed potius vitam præstent, tamen nihil timebo : vel per umbram mortis, id est per medios peccatores, quibus mors et diabolus præeminet. « Quoniam tu mecum es, » sicut scriptum est : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). »

« Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. » Per virgam regimen et sceptrum, per baculum autem sustentationem et adjutorium intelligimus. Ergo quia Dominus regit et sustentat defenditque Ecclesiam, nullum timet inimicum tam adjutore consolata. Possumus autem, per virgam et baculum, disciplinæ correctionem intelligere.

Digitized by Google

« Impinguasti in oleo caput meum. » Per caput mentem, per oleum vero sancti Spiritus gratiam, vel misericordiam, figuramus, ut sic dicat : Impinguasti in oleo caput meum, quia in tua misericordia, vel sancti Spiritus gratia, mentem lætificasti. « Et calix tuus inebrians quam præclarus est! » Calix Dei divinæ Scripturæ intelligitur. His autem spirituales viri inebriantur : qui enim patrem et matrem fugit, domumque propriam, aurum, argentum, agros et vineas dereliquit, et vilissimis indutus vestimentis in eremum fugit, nonne ebrius his esse videtur? Hoc enim multi sanctorum fecerunt, tali calice inebriati.

« Et misericordia tua subsequetur me. » Subsequitur nos misericordia Dei, quasi custos et pastor, ne a lupo et diabolo rapiamur. « Omnibus diebus vitæ meæ, » id est, usque ad sæculi consummationem. Et hoc ideo fit, « ut inhabitem in domo Domini, » id est in cœlesti Jerusalem. « In longitudinem dierum. » Quandiu, inquit, super me diabolus regnavit, cum eo quidem habitavi in inferno; nunc autem quia « Dominus regit me », in admirabili domo sua in æternum manebo.

EXPOSITIO PSALMI XXIII.

« Domini est terra et plenitudo ejus. » Dominus, inquit Ecclesia, rex est, ipse regnet; sua est terra, nullus in terreno regimine glorietur. Vel, « Domini est terra, » id est, caro humana in baptismo innovata, quia jam « non regnat peccatum in nostro mortali corpore (*Rom.* VI.) » — « Orbis terrarum et universi qui habitant in eo, » id est totus mundus cum habitatoribus suis. Vel, Domini est terra, id est, universalis Ecclesia, quæ, quasi in medio maris posita, undique adversitatibus concutitur. « Quia ipse super maria fundavit eum. » Super maria fundata est Ecclesia, quia juxta amaras hujus sæculi fluctuationes sita est. Sive, super maria, et non sub mari fundata est; quia nullis impiorum tormentis superatur. Vel, quia non ei vitia, sed ipsa vitiis dominatur. « Et super flumina præparavit eam. » Præparavit utique Dominus Ecclesiam super flumina, quia super multos populos doctores constituit et episcopos. Possumus etiam, per maria et flumina, prophetas et apostolos intelligere, qui Ecclesiæ sunt fundamentum.

« Quis ascendet in montem Domini? » Constituta est Ecclesia, præparatus est mons domus Domini in vertice montium. Sed quis, inquit, in hunc montem ascendet? Quis se Ecclesiæ associabit? « Aut quis, (postquam ascenderit), stabit in loco sancto ejus? » Ascendere namque cujuslibet est; stare autem, prudentium et perfectorum. Ascendit enim Judas, sed minime stetit. Ascenderunt multi alii, sed conversi abierunt retrorsum. Quis igitur stabit? Sequitur :

« Innocens manibus, et mundo corde, » id est, qui neque operatur neque cogitat mala : in manibus enim, opera; in corde autem, cogitationes intelligimus. « Qui non accepit in vanum animam suam, » baptismatis fonte purgatam. In vanum namque animam puram recipit, qui eam postea vitiis commaculat. « Nec juravit in dolo proximo suo, » quomodo eum decipere posset. Hic qui talis est? « Accipiet benedictionem a Domino, » quia inter illos erit quibus in die judicii dicturus est Dominus : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV). » — « Et misericordiam a Deo, salutari suo; » quia misericors fuit, misericordiam invenit. « Hæc est generatio quærentium Dominum. » Ex talibus, inquit, constituitur Ecclesia; hi sunt qui Dominum quærunt, qui faciem Dei Jacob videre cupiunt. Diapsalma.

« Attollite portas, principes, vestras. » Unusquisque homo quinque portas habet; habet enim visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum. Hæ autem portæ, nisi singulis virtutibus, quasi singulis custodibus, custodiantur, per eas diabolus frequenter ingreditur et regreditur : sed, quoniam prædicta generatio jam Dominum quærit, et diabolus et ejus portæ ab hominibus fugerunt, portæque æternales levatæ sunt, quia soli æterno Regi prædicti sensus aperiuntur. Aliter. Postquam primum hominem de paradiso antiquus hostis extraxit, quibus in infernum prorumperet, portas ei aperuit : alii enim per avaritiam, alii per superbiam, alii per luxuriam mortem et pœnam ingrediuntur : hæc sunt illæ portæ quas malignus spiritus nobis aperuit; hæ sunt, quæ hic auferri præcipiuntur. « Et elevamini, portæ æternales, » fides, spes, charitas, cæteræque virtutes, quæ æterni regni januæ sunt, unde et æternales dicimus. Hæ autem apertæ sunt, quia per has, et Deus in nos, et in cœlestem patriam nos introducimur. Itemque. « Tollite portas, principes, vestras, » id est, vos, maligni spiritus, auferte potestatem et retinacula, quibus hactenus in inferno sanctos detinuistis; vos autem, patriarchæ et prophetæ, æternales portæ, elevamini, cœlos ascendite. « Et introibit rex gloriæ » vobiscum in gloriam.

« Quis est iste rex gloriæ? » Vis audire qualis? « Dominus » qui omnibus dominatur, « fortis » quia diabolum vicit, « potens, » imo et omnipotens Sed ubi potens? « in prælio, » ubi quales fuerint vires cujusque manifestantur.

EXPOSITIO PSALMI XXIV.

« Ad te, Domine, levavi animam meam. » Vox Ecclesiæ. Tunc ad Dominum animam elevamus, quando in bonis operibus perseveramus. Recipe, inquit, Domine, animam meam, quam ad te elevavi, tibique obtuli. « Deus meus, in te confido, » non in me, non in homine, non in meis viribus, sed in te confido. Ideoque, « non erubescam, » sicut illi qui idola coluerunt, de quibus dicitur : « Quem igitur fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis? » (*Rom.* VI.)

« Neque irrideant me inimici mei. » Irridebant namque gentiles sanctos, et idola sua digito monstrantes dicebant, dicentes : Ubi est Deus vester quem creditis, quem exspectatis, et hoc frustra? « Etenim universi qui te exspectant non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue. » Omnes quidem inique agunt, non tamen omnes su-

Digitized by Google

pervacue. Qui enim mentitur, inique agit. « Omnis autem homo mendax (*Rom.* III). » Omnis igitur homo inique agit. Ergone omnes confundentur? Absit! Quis igitur? Qui hæc supervacue quidem agit, id est qui in malo perseverat.

« Vias tuas, Domine, demonstra mihi. » Quia, inquit, inique agens peribit, monstra mihi vias tuas, ne erroris via deceptus, ego quoque confundar et peream. « Et semitas tuas edoce me. » Vias dixi, nunc autem semitas voco, quia « arcta via est quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII). »

« Dirige me in veritate tua. » Tu, inquit, rectus et verax es, ego autem mendax et tortuosus; dirige me ergo, Domine, ut secundum veritatem tuam incedere valeam; edoce me evitare malum et eligere bonum. « Quia tu es, Deus, salvator meus, et quia te sustinui tota die. » Te ex antiquis temporibus in mundum venturum esse prophetæ prædixerant, te, Christe, exspectavi. Tu, me dirige et doce.

« Reminiscere miserationum tuarum, et misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt. » Semper, inquit, misericors fuisti, et adeo misericors ut carnem sumeres et crucem pro nobis subires. Hujus igitur tantæ misericordiæ ne obliviscaris.

« Delicta juventutis meæ, » quæ per ignorantiam commisi, « et ignorantias meas ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei, » quia merita nulla sunt, « propter bonitatem tuam, Domine. Dulcis et rectus Dominus. » Dulcis quidem, quia felle et amaritudine caret, vel quia omnibus bona promittit. Rectus autem, quia, « reddet unicuique juxta opera sua (*Rom.* II). » — « Propter hoc legem dabit delinquentibus. » In via mandatorum suorum positi sumus, per hoc iter ambulare debemus. Multi tamen, deviantes et per vitiorum prærupta se præcipitantes, delinquunt. Sed, quia Dominus noster dulcis est et rectus, in hac via delinquentibus legem dedit dulcissimam. Hæc enim lex delinquentibus attributa est, ut pœniteant, convertantur et salventur. « Diriget mansuetos in judicio, » eum, inquit, in judicio universali mansuetis annuntiandum fuerit, eos ad se Dominus diriget. Sive, illi qui eum in hoc sæculo ab infidelibus injuste judicantur, in patientia et mansuetudine tamen persistunt, nec adversitatibus frangantur, recto itinere ad Dominum vadunt. Dirigit etiam mansuetos in judicio, quia recte judicandi eis tribuit discretionem. « Docebit mites vias suas, » quibus ad se pervenire possint. Sed quæ sunt viæ ejus? Sequitur:

« Universæ viæ Domini, misericordia et veritas. » Nullus enim a Deo eligitur, nisi vel sola misericordia, ut Jacob, vel misericordia et veritate, ut Job. Sed quibus sunt hæ viæ præparatæ? Sequitur: « Requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus. » Testamentum Domini requirunt qui ea quæ dicunt spiritualiter intelligunt. Vel, qui ad hoc laborant, ut testamento et adoptione Dei digni fiant. Et testimonia ejus, in psalmis, et prophetis cæteris-

A que Scripturis. « Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo; » quia, inquit, duæ sunt viæ per quas itur ad te, altera autem solummodo perfectorum est, id est, veritas, propter nomen et misericordiam tuam mihi propitiare, « multa enim sunt peccata mea. »

« Quis est homo qui timet Dominum? » Gaudens Ecclesia de Dei dulcedine et bonitate, dicit: « Quis est homo qui timet Dominum? » Lætetur, nihil timeat; si peccator est, non desperet, sed pœniteat; convertatur, et salvabitur. Hanc enim « legem statuit ei Dominus in via quam elegit: » justitia enim, pax, patientia, charitas, benignitas, viæ sunt per quas incedere debemus. Hæc est illa via quam Dominus elegit. Sed si quis ab hac via quandoque de-
B viaverit, legem sibi positam recognoscat.

« Anima ejus in bonis demorabitur, » hujus qui per hanc viam ingredietur. « Et semen ejus hæreditabit terram, » quia et ipse per opera quæ fecit, et imitatores ejus, terram viventium inhabitabunt. « Firmamentum est Dominus timentibus eum, » per nos enim fragiles sumus. Sed quia supra firmam petram sumus firmati, minas æquoris non timemus. « Et testamentum ipsius, » et ipse quidem nostrum firmamentum, et testamentum ipsius, quo bonis exemplis corroboramur, datum ad hoc « ut manifestetur illis » qui Deum timent; per hoc enim testamentum manifestatur et cognoscitur Dominus.

« Oculi mei semper ad Dominum. » Solet fieri ut
C aliquis ad aliquid intuendum, intentius non considerans ubi pedem ponat, in foveam cadat. Quod iste omnino non timens ait: « Oculi mei semper ad Dominum, » nec laqueum timebo, « quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Respice in me. » Respice, inquit, in me, quia ego quidem non respicio nisi ad te. « Et miserere mei, » quod debes, « quia unicus et pauper sum ego. » Unicus quidem, quia solus, et te solum adoro; pauper vero, quia nihil habens omnia possideo. Hoc autem et de Christo aptissime intelligi potest.

« Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, » quia multis modis affligor. « De necessitatibus meis erue me, » ducens ad illud regnum in quo necessitates non patiar.

D « Vide humilitatem meam et laborem meum. » Vide, inquit, quia in magna tribulatione et labore sum, unde fieri potest quin aliquando fractus in peccata cadam, et ideo « dimitte universa delicta mea. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, » et multi quidem sunt. « Et odio iniquo oderunt me, » quia non vitia in me, sed ipsam naturam odio habent. « Custodi (ergo) animam meam » ab illorum fraudibus, « et erue me, ut non erubescam, quoniam speravi in te. Innocentes et recti adhæserunt mihi, » aliter enim innocentes non essent nisi Ecclesiæ adhærerent, « quia sustinui te. Libera, Deus, Israel, » id est Ecclesiam; ac si quasi de alio loquitur, « ex omnibus tribulationibus suis, » quas et a vitiis et ab hominibus patitur.

Digitized by Google

EXPOSITIO PSALMI XXV.

A

« Judica me, Domine. » Vox perfectorum. Non enim judicium timet qui se judicari rogat. « Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. » Ideo inquit, judicium non timeo, quia innocenter vitam egi. « Et in Domino sperans non infirmabor. » Non infirmabor in opere, sed, sicut incœpi, usque in finem operabor.

« Proba me, Domine, et tenta me. » Proba me, inquit, cognosce an verum sit quod me innocenter vitam egisse dixi. Et tenta, ut probes qualis et quantæ constantiæ sim, quoniam quidem promisi, et me non infirmaturum esse spopondi. Quod, postquam feceris, « ure renes meos et cor meum. » Postquam, inquit, me probaveris, si quam in me vitiorum maculam inveneris, hanc exure, hanc sancti Spiritus igne destrue; sin vero nihil repereris, ad majorem me dilectionem accende.

« Quoniam misericordia tua ante oculos meos est. » Quia neque ego misericordiæ, neque misericordia mei obliviscitur. « Et » quoniam « complacui » tibi « in veritate tua. » Quod enim verum dico, tuum est; quod autem mentior, meum est: tua est igitur veritas, meum autem mendacium. Tua ea ergo veritas, in qua tibi complacui. Et quoniam « non sedi cum concilio vanitatis, » id est cum consiliantibus vanitatem; et quoniam « cum iniqua gerentibus non introibo. » Quid est non introibo? id est, eamdem iniquitatem facere non aggrediar. Sive mortem et pœnam non introibo, quam illi procul dubio ingressi sunt. Et quoniam « odivi ecclesiam malignantium, » id est, congregationem malorum. « Et cum impiis non sedebo, » id est, ad eorum similitudinem, in impietate non perseverabo. Vel etiam, in tormentis cum illis non ero; quoniam hoc feci vel illud, ideo judicium non timeo, quia confidenter dicam: « Judica me, Domine. » Et quoniam « lavabo inter innocentes manus meas. » Cum innocentibus, inquit; habito, quia malignantium odivi ecclesiam, inter quos positus, a cunctis vitiorum sordibus opera mea lavabo; manus enim opera significant. Et quoniam « circumdabo altare tuum, Domine. » Altare Dei Ecclesia est, sive Novum et Vetus Testamentum, quia in his fit commemoratio nativitatis, passionis, resurrectionis, corporis et sanguinis Domini. Hoc autem altare circumdant sancti; sed cur circumdant? ut laudis Dei vocem audiant, hoc est quod sequitur. « Ut audiam vocem laudis tuæ, » Quicunque laudes Dei audire desiderant, ad hoc altare concurrant, hæc duo Testamenta circumdent: hic enim apostolos, patriarchas et prophetas Deum laudantes invenient. « Ut enarrem universa mirabilia tua. » Hic Domini sui pecuniam abscondere non vult; iste peram non portat ubi thesaurum recondat, sed quæ gratis accepit, gratis cunctis impertire desiderat. Quoniam, inquit, et hæc et illa faciam, ideo in Domino sperans non infirmabor.

« Domine, dilexi decorem domus tuæ, » id est animam virtutibus ornatam, mentis et corporis castitatem. Confirmatio. « Et locum habitationis gloriæ tuæ. »—« Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis (*I Cor.* III). »

« In quorum manibus iniquitates sunt. » Quia omnia illorum opera injusta et iniqua sunt. « Dextera eorum repleta est muneribus, » quibus decipiant innocentes. « Ego autem in innocentia mea ingressus sum, » quia innocenter vitam egi. « Redime me, » ab omnibus inimicis, « et miserere mei. Pes meus stetit in directo, » quia a recto tramite non claudicavi. Et quandiu ero, « in ecclesiis » et sanctis congregationibus « benedicam te, Domine. »

B

EXPOSITIO PSALMI XXVI.

« Dominus illuminatio mea. » Vox Ecclesiæ. In tenebris quondam eram, in cæcitate jacebam, sed veniente Christo, « populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam (*Isa.* IX). » Venit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). « Et salus mea, » ipse me illuminavit, ipse me salvavit: « quem » igitur « timebo? Dominus protector vitæ meæ. » Redemit inquit, Dominus animam meam, illuminavit, salvabit et proteget eam, ne amittat. « A quo (ergo) trepidabo? » Video hostes, video malignos spiritus, video incurrentes tyrannos, sed neminem timeo, Dominica admonitus consolatione; ait enim: « Nolite timere eos qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere (*Matth.* X). »

C

« Dum appropiant super me nocentes. » Appropinquant nocentes, invadunt me hostes, obsident me inimici. Ad quid? « Ut edant carnes meas, » ut me lacerent et occidant, ut carnales et imperfectos decipiant, et nefario corpori suo conjungant; animæ enim et ossibus nihil officere possunt. Vel etiam, quia appropinquant, inde fit ut carnem edant, carnisque concupiscentias secum auferant, animam autem puram et probatam mihi relinquant. « Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt. » Subjungit causam cur ei timendum non sit: Infirmati sunt inimici persecutores, vel maligni spiritus devicti sunt, mortuo Christo. Et ceciderunt ab imperio et potentia, quia Christus resurrexit. Ideoque « si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. » Si, inquit, impiorum exercitus, si vitiorum impetus, si dæmoniorum cœtus mihi adversentur, nihil tamen timebo; Dominus enim mecum est tanquam bellator fortis. « Si exsurgat adversum me prælium » a prædictis inimicis meis, « in hoc » adjutore « ego sperabo. »

D

« Unam petii a Domino. » Unam, inquit, petitionem feci, unam rem a Domino petivi, « hanc requiram, » huic petitioni insistam. Sed quæ est ista petitio? « Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, » id est, ut, corpore mortificato, in cœlesti Jerusalem perpetuo requiescam. Unde Apostolus ait: « Scimus enim quoniam, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, habebimus domum non manufactam æternam in cœlis (*II Cor.* V). »—« Ut videam voluptatem Domini. » Hoc

Digitized by Google

inquit, in domo Domini habitare volo, ut ejus voluptatem perfecte videam et cognoscam. Video enim nunc « per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc ex parte cognosco, tunc autem, sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII). » — « Et visitem templum ejus, » illud scilicet inenarrabile, illud clarissimum Divinitatis secretum, quod ab humano ingenio, quale sit, perscrutari non potest.

« Quoniam abscondit me in tabernaculo suo. » Ordo est : « Circuibo et immolabo in tabernaculo ejus. » Quid circuibo? me ipsum et animam meam. Illorum similitudinem sequitur, qui castra vel civitates custodientes, die noctuque circumeunt, ne aliqua ex parte inimici furtim subintrent. Similiter et iste : Circuibo, inquit, domum mihi commissam, ejus portis custodes ponam, qui avaritiam, luxuriam, superbiam cæterosque inimicos ab ea longe repellant. Et immolabo in tabernaculo ejus : tabernaculum Dei unusquisque fidelis est. Sed quid immolabo? « hostiam vociferationis. » Quia, inquit, Dei sum tabernaculum, in me ipso sibi hostiam immolabo, non hircorum, non vitulorum, imo laudis et jubilationis, hostiam vivam et immaculatam. « Cantabo, psalmum dicam Domino. » Cantabo inquit, prædicabo, laudes illius annuntiabo. Et psalmum dicam, quia factis verba complebo. Et hoc merito, « quoniam abscondit me in tabernaculo suo. » Tabernaculum quidem non abscondit, sed me in tabernaculo occuluit, quia exteriorem hominem cunctis visibilem præbuit, et a cunctis affligi permisit. Vidit enim Decius Laurentium, vidit Dei tabernaculum, templum Dei violavit, domum ejus combussit. Sed, sicut ait Apostolus, « si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus (*I Cor.* III). » Interiorem tamen hominem non vidit, quem Deus in tali tabernaculo absconderat. In talibus tabernaculis absconditi sancti, a vitiis vel malignis spiritibus inveniri non possunt. « In die malorum protexit me, in abscondito tabernaculi sui. » Dies malorum vocantur illi in quibus mali nequitiam suam exercent. Unde Apostolus : « Quoniam dies mali sunt (*Ephes.* V). » In his autem diebus, etsi tabernaculum caperent, corpus affligerent, me tamen, id est animam meam, invenire non poterunt.

Et quoniam « in petra exaltavit me, » id est, in Christo et per Christum a terrenis cupiditatibus me sublimavit. « Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. » Tunc caput nostrum super inimicos nostros exaltatur, quando meus, suam considerans dignitatem, nullis adversitatibus succumbit. « Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi. » Exaudi, inquit, meam orationem, redde prædictam petitionem qua dixi: « Unam petii a Domino. » Confirmatio. « Miserere mei, et exaudi me. Tibi dixit cor meum. » Ac si dicat : Oratio illa qua me clamasse, non in labiis sed in corde fuit. « Exquisivit te facies mea. » Expositio petitionis. Nihil, inquit, aliud peto, nisi ut faciem tuam videam, utque tuam voluptatem cognoscam, et in tua præsentia consistam. « Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo. » Quia ego, inquit, servus tuus faciem tuam requiro, noli eam mihi abscondere, noli quasi iratus a me separari, sed fac quod sequitur : « Adjutor meus esto, ne derelinquas me, » neque hic neque in futuro, « neque despicias me, Deus, » quia, quamvis homo et corruptibilis sim, cœlestia tamen et divina quæro.

« Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me. » Prius, inquit, quam carnem assumeres, diabolus mihi pater erat, mater vero gentilitas, Babylon et confusio. Hi autem, postquam credidi et eorum actus dereliqui, de mea salute dolentes, dereliquerunt me. « Deus autem, » qui verus est pater, « assumpsit me. » — « Legem pone mihi in via tua. » Quia, inquit, assumpsisti me, da mihi legem vivendi, ut in via tua firmiter persistens, neque ad dextram neque ad sinistram declinem. « Et dirige me in semitam rectam, » ne a Judæis et hæreticis decipiar. » — « Propter inimicos meos, » qui me decipere conantur, « ne tradideris me in animas tribulantium me, » ut ex toto animum et desiderium suum faciant, quia, quamvis corpus, animam tamen non superabunt. « Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui. » Multoties enim falsi testes Judæorum contra apostolos insurgebant, et prævaricatores legis eos vocabant.

« Et mentita est iniquitas sibi. » Sibi quidem iniquitas mentita est, quia in verticem ipsorum iniquitas eorum descendit. Hoc etiam de Christo intelligi potest, in quem iniqui testes insurgentes dicebant : « Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et in triduo reædificare (*Matth.* XXVI). » — « Credo videre bona Domini in terra viventium. » Unde scio quia non trades me in animas tribulantium me : jam Mediator ascendit; jam mihi locum præparat Salvator, quia, etiam in sanctis Scripturis, quotidie me admonet, dicens : « Exspecta Dominum, » qui et laboris merita retribuet, et de inimicis te vindicabit. « Viriliter age, » confortaro et esto robustus, hoc est quod dicit. « Confortetur cor tuum, » in operibus bonis. « Et sustine Dominum, » id est, exspecta donec veniat.

EXPOSITIO PSALMI XXVII.

« Ad te, Domine, clamabo, Deus meus. » Vox Christi, vel Ecclesiæ. Clamavit Christus in cruce, quando dixit : « Eloi, Eloi (*Matth.* XXVII). » Clamat et Ecclesia, quia non cessat quotidie laudare nomen Domini. « Ne sileas a me, » id est non tacebis a me, quia semper laudabo te. Vel, ne sileas a me, id est, responde mihi, et exaudi orationem meam. « Ne quando taceas a me, » confirmatio est. « Et assimilabor descendentibus in lacum. » Si, inquit Ecclesia, non laudavero te, similis ero impiis et peccatoribus, qui in lacum et in infernum descendent. Christus autem : Si me, inquit, non exaudieris, inter impios et morti deditos computabor. Quod ne fiat, « Exaudi vocem deprecationis meæ, dum

Digitized by Google

oro ad te, » pro universali totius mundi salute. « Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum, » id est, manus in cruce exalto, ut tuum sanctum templum, quod est Ecclesia, ædificem. Ecclesia autem Dominus exorans manus suas ad templum Dei elevat, quia bona opera sua ad Dominum mittit, vel. quia seipsam gradibus virtutum usque ad templum Dei exaltat; vel, quia elevatis manibus Dominum deprecatur.

« Ne simul tradas me cum peccatoribus. » Ne me, inquit Ecclesia, simul cum peccatoribus, tortoribus tradas, quia omnia quæ debui solvi, neque conservum pro denariis afflixi. « Et cum operantibus iniquitatem ne perdas me, » quia iniquitatem ego operatus non sum. « Qui loquuntur pacem cum proximo suo, » quia verbis amicitiam et pacem simulant, « mala autem in cordibus eorum. » In cordibus inquit, latent mala, insidiæ, doli et proditiones. « Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum; secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis, » id est, prout meriti sunt recipiant. « Quoniam non intellexerunt opera Domini, » ut facerent ea, « et in opera manuum eorum destrue illos, » id est secundum opera quæ operati sunt, pereant, « et non ædificabis eos. » Cum, inquit, supernam civitatem Jerusalem ex vivis lapidibus construes, noli eos in ejus muris ædificare.

« Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ. » Sciens ea evenire quæ postulavit, quasi jam exauditus benedicit, et gratias Domino refert, quia Dominus est « adjutor meus et protector meus, » adjutor, ut vincamus, protector, ne vulnerati deficiamus. « Et in ipso speravit cor meum et adjutus sum. Et refloruit caro mea. » Refloruit quidem, quia in baptismo amissa vetustate nova et juvenis facta est. Vel reflorebit in die judicii, quando « corruptibile hoc induerit incorruptionem (*I Cor.* xv). » — « Et ex voluntate mea confitebor illi. » Confitebor, inquit, et ex voluntate confitebor, quia nulla servitia diligit Deus, nisi quæ voluntarie fiunt « Quia Dominus est fortitudo plebis suæ, » quia per eum fortis est, « et protector salvationum christi sui est. » Salutare dicitur qui dat salutem vel cui datur. Est igitur Deus salvationum christi sui protector, quia eos protegit quos Christus salvavit.

« Salvum fac populum tuum, Domine. » Quoniam, inquit, Deus protegit, tu, Christe, salvum fac populum tuum, ut ipse protector, tu vero Jesus et Salvator voceris.

« Et benedic hæreditati tuæ. » Hæreditas Dei Ecclesia est, de qua dicitur: « Et dabo gentes hæreditatem tuam. » — « Et rege eos in virga ferrea (*Psal.* II). » — « Et extolle illos, » de virtute in virtutem, « usque in æternum, » id est donec ad æternitatem perveniant.

EXPOSITIO PSALMI XXVIII.

« Afferte Domino, filii Dei. » Vox Prophetæ exhortantis gentes ad laudem Dei. Jam, inquit, filii Dei estis, et in adoptionem vocati. Ergo « afferte Domino. » Sed quid afferre debetis? Sequitur: « Afferte Domino filios arietum. » Arietes apostoli dicuntur, quia totius Ecclesiæ sunt doctores. Vel, quia Novo et Veteri Testamento quasi duobus cornibus sunt muniti. Filii autem arietum, animæ fidelium sunt, quos apostoli in baptismo Domino genuerunt. Unde Apostolus ait: « Nam in Christo Jesu ego vos genui (*I Cor.* IV). » Itemque: « Filioli mei, quos iterum parturio (*Galat.* IV). » Hos igitur filios arietum, id est animas nostras, Domino afferamus, quia nihil majus Deo afferre possumus: afferimus autem, quando eas virtutibus exaltamus.

B « Afferte Domino gloriam et honorem, » id est, tales vos exhibete, in quibus Deus honoretur et glorificetur. Unde dictum est: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* V). » — « Afferte Domino gloriam nomini ejus, » id est glorificate Deum, quia Christiani vocamini, et nomen ejus recepistis. Unde in Canticis canticorum dicitur: « Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis (*Cant.* I). » Vel, gloriam nomini ejus, id est ad honorem nominis ejus. « Adorate Dominum in atrio sancto ejus, » hoc est in Ecclesia noviter ædificata. Vel, in cordibus et conscientiis vestris, sicut scriptum est. « Intra in C cubiculum, et clauso ostio, ora Patrem tuum (*Matth.* VI).

« Vox Domini super aquas. » Dixit superius: « Afferte Domino filios arietum; » et: « Afferte Domino gloriam et honorem. » Hæc autem vox Domini est super aquas intonantis. Quid per aquas nisi populos? sicut scriptum est: « Aquæ multæ multiplicatæ sunt. » Intonabat igitur vox Domini super multas aquas, quando sequentibus turbis Evangelium Apostolus annuntiabat; vel quando apostoli per omnes terras prædicabant. Intonuit etiam vox Domini super aquas: quia in Jordane super Christum vox Patris audita est: « Hic est Filius meus (*Matth.* XVII). » Intonat nunc quoque super aquas baptismatis, quia in nomine Patris, et Filii, et Spi- D ritus sancti baptizant sacerdotes. « Deus majestatis intonuit. » Ille, inquit, per se ipsum prædicavit, qui Deus majestatis, potestatis, et excelsæ virtutis intonuit. « Dominus super aquas multas, » quia ipse et per se, et per discipulos, universo mundo Evangelium annuntiavit. « Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia. » Hæc, inquit, vox Domini esse comprobatur per virtutem et magnificentiam. Tanta enim hujus vocis virtus erat, quod et mortuos suscitabat, cæcos illuminabat, leprosos mundabat (*Matth.* II), paralyticos curabat (*Marc.* II). Constat igitur quoniam hujusmodi vox Domini est. Sed cujus Domini? Sequitur:

« Vox Domini confringentis cedros. » Per cedros, superbos, divites et potentes intelligimus. Hos au-

Digitized by Google

tem confregit vox Domini, quia multi sub jugo Christi humiliati sunt, sicut scriptum est : « Montes et colles humiliabuntur (*Luc.* III). » Fregit igitur vox Domini cedros, quia superbos et divites Evangelium humiliavit. Frangit etiam in judicio; nam vox illa Domini erit, quæ dicit : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » Hac autem voce quanti frangantur dici non potest. Constat igitur quia cedros franget. Sed cujus cedros? Sequitur :

« Et confringet Dominus cedros Libani, » quia in sæculi divitiis, mundique candore et felicitate natos partim ad se convertet, partim æterno supplicio tradet. « Et comminuet eas tanquam vitulum Libani. » Nulla terra, secundum hujus nominis interpretationem, convenientius quam terra Judæorum, Libanus vocari potest, quæ omnium divitiarum pulchritudine florebat, et lacte et melle manabat (*Deut.* VI). Vitulus autem pro sacrificio ponitur, quia de vitulo sacrificium fiebat (*Lev.* IV). Comminuit ergo Dominus vitulum Libani, quia sacrificium Judæorum adeo destruxit, ut nullo in loco esse dicatur. Ad hujus ergo similitudinem comminuentur mali, quoniam alii omnino peribunt, ut hoc sacrificium; alii vero a superbia et iniquitate cessabunt, ut hæc terra a sacrificio.

« Et dilectus quemadmodum filius unicornium. » Hoc autem, sicut et superiora, et ad bonam et ad malam partem converti potest : ad bonam autem hoc modo. Apostolos filios unicornium intelligimus, quia ex Judæis processerunt. Hi autem adeo pauperes et diminuti fuerunt, ut nihil proprii eis remanserit, iisdem testantibus : « Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te (*Matth.* XIX). » Ad horum comparationem, multi sæcularium commutati sunt, quia alii monachi, alii eremitæ, alii vero peregrini efficiuntur, Dominica voce admoniti; ait enim : « Quicunque reliquerit patrem et matrem, agros, servos et ancillas, centuplum accipiet (*ibid.*). » Hæc autem est vox illa nostri Redemptoris, quæ cedros confringit. In malorum autem parte sic intelligitur. Judæi Judæorumque filii, qui Christum crucifixerunt, unicornes vocantur : hos autem non parva pœna et conditio exspectat. Quicunque ergo æternæ mortis damnantur, eos dilectus Dei Filius, quemadmodum filios unicornium comminuet. In quibusdam autem codicibus invenitur : « Et dilectus quemadmodum filius unicornium. » Hoc autem sic interpretatur : Dilectus Dei Filius, qui adhuc Patri, inquit Propheta, per omnia æqualis est, in tempore præfinito in tantum comminuetur, ut, quemadmodum unus ex filiis Judæorum, penitus purus homo esse credatur.

« Vox Domini intercidentis flammam ignis. » Hæc, inquit, vox est illius Domini, qui flammas ignis intercidit. Omnes enim infernales flammas ignemque inexstinguibilem ingrederentur, nisi quia Christus carnem sumens, et infernum a nobis, et nos ab inferno separavit. Intercidit etiam vox Domini flammas ignis, quia vitia carnisque concupiscentias Evangelii annuntiatio ab audientibus resecat.

« Vox Domini concutientis solitudinem, et commovebit Dominus desertum Cades. » Cades *commotio tineæ* interpretatur; significat autem hunc mundum, qui prior a Domino derelictus erat, sed veniens Dei Filius, mundum concussit; desertum Cades commovit, quem tinea et malignus spiritus commoverat atque corruperat, excussit tineas, commovit vitia, fugavit peccata. Aliter, Cades legem et Vetus Testamentum significat; quidam enim Cades *sancta* interpretatur. Veniens ergo Christus commovit desertum Cades, quia sanctam legem et prophetas ob nimiam obscuritatem a cunctis fere derelictos concussit, aperuit, litteram amovit et intelligibiles fecit (*Luc.* XXIV).

« Vox Domini præparantis cervos. » Cervi apostolos designant, quia fragiles erant ad currendum, et Evangelium nuntiandum, quique mortifera diaboli venena parvi pendebant. « Et revelabit condensa, » quia et Scripturas illis aperuit, et divina mysteria manifestavit. Unde Apostolus : « Audivi, inquit, arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII). » « Et in templo ejus omnes dicent gloriam, » quia omnes in Ecclesia Dominum laudant.

« Dominus diluvium inhabitare facit. » In templo Dei habitat diluvium, quia in sancta Ecclesia, prophetæ, apostoli, episcopi et doctores inveniuntur. Hi autem diluvium dicuntur, quia affluentia sancti Spiritus et omnium Scripturarum plenitudine redundant. Vel etiam, quia homines abluunt a peccatis. « Et sedebit Dominus rex in æternum, » quia semper in Ecclesia regnavit, et in sanctis suis sedebit: sunt enim sancti sedes Dei. « Dominus virtutem populo suo dabit, » ne ab inimicis et vitiis superetur. « Dominus benedicet populo suo, » tendenti « in pacem, » id est ad semetipsum, quia, « ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II). »

EXPOSITIO PSALMI XXIX.

« Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me. » Vox Christi : Exaltabo te, inquit, Pater, quoniam de hoc mundo me suscepisti, et ad dexteram tuam residere fecisti (*Marc.* XIV). Exaltat Filius Patrem, quia per Filium laudatur Pater. « Nec delectasti inimicos meos super me. » Inimici Christi Judæi sunt, vel maligni spiritus. Judæi quidem, non sunt delectati de morte Christi, quia et contra eorum voluntatem resurrexit, et, ob hoc facinus, gentem et locum amiserunt. Maligni vero spiritus et regnum perdiderunt, et animas quas captivas detinebant. « Domine Deus meus, clamavi ad te. » Clamavit autem, cum dixit : « Pater, clarifica Filium tuum. » « Et sanasti me; » erat enim infirmus pro parte carnis. Sanavit igitur eum Pater, quia resuscitando ipsam carnem immortalem et incorruptibilem fecit. « Domine, eduxisti ab inferno animam meam. » Exspoliavit infernum, et animas sanctorum secum in cœlos devexit. « Salvasti me a descendentibus in

Digitized by Google

lacum, » id est, ex manibus Judæorum me liberasti, quia sua sponte in infernum, et mortem, et fauces diaboli descendunt.

« Psallite Domino, sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus. » Vos, inquit, sancti ejus, laudate Dominum et suæ sanctitatis memoriam, quia vestri recordatus, me Filium suum in mundum misit (*Gal.* IV), et pro vestra et omnium salute mori permisit. « Quoniam ira in indignatione ejus. » Laudate, inquit, Dominum, et nolite inobedientes esse, ne indignatus vobis irascatur; ira namque et mors in Dei indignatione fit. « Et vita in voluntate ejus, » quia quicunque ejus voluntatem fecerit, vivet in æternum.

« Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. » Apostrophe ad apostolos. O apostoli! ad vesperum demorabitur fletus; pro morte namque Salvatoris, qui circa horam nonam spiritum emisit (*Matth.* XXVI), tristantes flebant apostoli; sed mane, orto jam sole, Christo resurgente, immensa inter illos est nata lætitia. Aliter. Per vesperum Adam, per mane autem Christum intelligamus. Adam namque diem et lucem fugavit, et noctem et tenebras mundo intulit, quod vesperi proprium est. Christus autem noctem ademit, et verum diem hominibus dedit. His igitur qui ad vesperum convertuntur et primum hominem imitabuntur, fletus erit atque tristitia; his autem qui ad mane confugerint et Christum sequentur, gaudium erit atque lætitia. Possumus etiam, per vesperum et mane, diem judicii figurare. Dies namque judicii et vesperum erit malis, et mane bonis. Tunc enim mali noctem et dolorem, boni vero diem et æternitatem recipient. Ad vesperum ergo tunc venientibus erit fletus, et ad matutinum gaudium erit et lætitia.

Ego autem in abundantia mea non movebor in æternum. » Adam, inquit, in æternorum bonorum abundantia positus de paradiso miser exivit; ego autem ad Patris dexteram reversus non movebor in æternum, et dicam :

« Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, » id est, secundum voluntatem tuam dedisti mihi virtutem, qua ipsam mortem superarem, quod ad decus mihi contigit. « Avertisti faciem tuam a me. » Mihi, inquit, virtutem dedisti, a meis autem faciem avertisti, quia in eadem non constantia perseveraverunt, sed, me relicto, fugerunt omnes (*Matth.* XXVI). « Et factus sum conturbatus. » Hoc quoque de apostolis dicitur : « Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor. » Clamabo, inquit, et deprecabor Dominum, ut eorum tristitiam in gaudium vertat. Nam « quæ utilitas mea, dum descendo in corruptionem? » Quæ, inquit, in mei sanguinis effusione utilitas erit, si illi quos redemi iterum corrumpantur? Hanc vocem « audivit Dominus, et misertus est mei, » id est meorum. « Factus est adjutor meus, » id est meorum. Conversio personæ : « Convertisti planctum meum in gaudium mihi, » propter resurrectionem. « Conscidisti saccum meum, » id est carnem qua anima erat involuta. « Et circumdedisti me lætitia et æternitate. » Unde fit « ut cantet tibi gloria mea. » Quæ est gloria Domini, nisi resurrectio et ascensio? Hæc autem cantet Domino, quæ in his glorificatur. « Et non compungar » aliqua tribulatione, quia « mors illi non dominabitur (*Rom.* VI). » Vel etiam, sancti jam non compungantur, quia stimulus diaboli confractus est. Unde Apostolus : « Ubi est, mors, inquit, stimulus tuus? » (*I Cor.* XV.) « Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi. »

EXPOSITIO PSALMI XXX.

« In te, Domine, speravi. » Vox Dominici hominis : Quia in te, inquit, speravi, qui optimus es auxiliator, vide ne ego et mei aliquando confundantur. « In justitia tua libera me. » Libera me, inquit, ab impiorum iniquitate, quia tu justus es, et ego a justitia non discedo. « Inclina ad me aurem tuam, » id est exaudi orationem meam; « Accelera ut eruas me, » id est cito mihi succurre. « Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias. » Sis, inquit, mihi Dominus protector et domus ad quam confugiam, quia in nulla alia protectione confido.

« Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu. » Tu solus mea fortitudo, tu solus es meum refugium, tu solus ergo libera me et protege me. « Et propter nomen tuum deduces me. » In nomine tuo in mundum, in nomine Domini, veni; nomen Domini annuntiavi, propter nomen tuum quod invocabo, me revertentem ad te deduces. Vel, deduces me per apostolos, ut tuum nomen in universa terra annuntietur. Et enutries me, dulcedine videlicet summi boni, non fellis amaritudine, sicut Judæi (*Matth.* XXVII). Vel, enutries me eodem cibo spirituali, corpore ac sanguine meo. « Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi. » Multi fuerunt laquei multæ fuerunt deceptiones, quas Christo Judæi absconderunt; sed semper divinitate munitus a nullo decipi potuit. « Quoniam tu es protector meus. »

« In manus tuas commendo spiritum meum. » Hoc autem completum fuit, quando in cruce positus dixit : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII). » — « Redemisti me, Domine Deus veritatis. » Prophetica interpositio. Videns Propheta Christi passionem, quia mundus redimendus erat in ipso exitu vitæ nostri Salvatoris, gratulabundus, inquit : « Redemisti me, Domine Deus veritatis, » jam crucifixus es, jam spiritum Patri commendasti, mundumque redemisti. Unde verax Deus esse comprobaris, quia complesti ea quæ promisisti.

« Odisti observantes vanitates supervacue. » Vox Christi. Supervacue observabant Judæi vanitates, quia, ne Christus resurgeret, sepulcrum custodiebant (*Matth.* XXVII). Illi quoque supervacue custodiunt vanitates, qui sic terrenis inhærent, ut cœlestia obliviscantur. « Ego autem in Domino speravi, » ideoque sine timore de sepulcro exivi, et secundum meum velle resurrexi (*ibid.*). « Exsultabor et læta-

Digitized by Google

bor in misericordia tua. » Quæ fuit illa misericordia? Sequitur : « Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam. » Necesse est enim hominem mori. Ex hac autem necessitate liberatus est Christus, quia « mors illi non dominabitur (*Rom.* VI). »

« Nec conclusisti me in manibus inimici, » quia neque ab his qui sepulcrum custodiebant, neque a malignis spiritibus in inferno detentus est. « Statuisti in loco spatioso pedes meos, » quia non in sola Judæa, sed per omnia regna mundi, apostoli prædicant (*Matth.* XVI), quibus in sola Judæa prius prædicare præceptum fuerat. ,

« Miserere mei, Domine, quoniam tribulor. » Ego, inquit, a Judæis; apostoli vero a gentibus quibus prædicant, tribulantur. Idcirco tu, Domine, miserere mei et meorum. « Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus, » quia et perfecti et imperfecti in ira malorum affligebantur. Unde superius dixit : « Dum superbit impius, incenditur pauper (*Psal.* IX). » Oculus enim et anima, perfectos; venter vero, qui corporis melior pars est, imperfectos significat.

« Quoniam defecit in dolore vita mea. » Christi namque vita in cruce finit : de homine enim loquor; apostolorum vero, et in cruce et in aliis tormentis defecit, in dolore igitur. « Et anni mei in gemitibus, » qui usque ad exitum vitæ in adversitatibus fuerunt. Sive etiam, pro peccatis suis et aliorum plorabant. « Infirmata est in paupertate virtus mea. » Virtus Christi Evangelium est. Unde Apostolus : « Non enim erubesco Evangelium, virtus enim Dei est ad salutem omni credenti (*Rom.* I). » Hoc autem in paupertate credentium infirmabatur, quia tædebat ipsos doctores evangelizare, sicut scriptum est : « Domine, quis credidit auditui nostro? » (*Isa.* LIII.) Vel, virtus Christi in paupertate infirmata est, quia Deus in homine, qui per se quidem pauper est et omnibus indiget, virtutem suam non manifestavit, sed derideri se et affligi permisit. « Et ossa mea conturbata sunt, » id est apostoli, qui Ecclesiæ sunt firmamentum. « Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde, et timor notis meis. » quia, nisi me occiderent, se victuros non putabant (*Joan.* XI). Vel, notis meis, id est apostolis factus sum timor, quia jam nomen meum confiteri timent, ut ipse princeps apostolorum, qui ad unius ancillæ vocem Christum negavit (*Joan.* XVIII.). « Qui videbant me foras, fugiebant a me. » videbant enim apostoli Judæos capere Christum, et, relicto eo, omnes fugerunt (*Matth.* XXVI). « Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde. » Sic, inquit, a corde Judæorum oblitus sum, ac si mortuus essem, atque de illis vindicari non debuissem. « Factus sum tanquam vas perditum » et nulli utilitati idoneum : vasa perdita erant latrones, quia et a Deo et ab hominibus odio habebantur. Factus est ergo Christus tanquam vas perditum, quia inter iniquos computatus est (*Matth.* XV). « Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu; » nam sicut latrones, ita et Christus a circumstantibus vituperatur. « In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt. » Dum simul, inquit, adversum me iniqui Judæi convenirent, in eo conventi nihil aliud consiliati sunt, nisi ut animam meam perderent. « Ego autem in te speravi, Domine; dixu: Deus meus es tu. in manibus tuis sortes meæ, » id est, in potestate tua sunt quæcunque, vel bona, vel mala, mihi sunt futura. « Non enim haberent in me potestatem, nisi a te datum illis fuisset (*Joan.* XIX). » Quapropter, « eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me. Illustra faciem tuam super servum tuum, » id est, clarifica et manifesta divinitatem in Filio tuo, ne semper tantum homo intelligatur, de quo scriptum est : « Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus (*Hebr.* III). » — « Et salvum me fac in misericordia tua. Domine, non confundar, quoniam invocavi te. Erubescant impii, » Judæi scilicet, qui Dominum suum crucifixerunt; vel gentiles, qui idola coluerunt; erubescent enim in judicio, quia ad nuptias intrare volentes non permittentur, sed pœna clausa deducentur in infernum, quem in hoc sæculo sibi paraverunt. Tunc tandem : « Muta fiant labia dolosa, quæ modo adversus justum loquuntur iniquitatem in superbia, et in abusione. » Superbe enim, et abusive, id est, contra servorum usum loquebantur Judæi adversus Dominum, dum « Reus est mortis (*Matth.* XXVI), » et : « Crucifige, crucifige (*Luc.* XXIII) » dicebant. Prophetica interpositio. Videns per Spiritum sanctum hos ita miseros et dejectos, vidensque sanctos in beatitudine tanta collocatos, exclamat : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, » qui tantam beatitudinem, tantam gloriam, tam magna præmia sanctis tuis præparasti, eisque bona dedisti, quæ neque dici, neque cogitari possunt! (*I Cor.* II.)

« Quam abscondisti timentibus te. » Nondum enim videmus quid erimus. Abscondere etiam pro reservari ponitur, ut sic dicatur: Quam reservasti timentibus te. « Quam perfecistis eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. » Hanc, inquit, beatitudinem perfecit Dominus, id est, perfectam fecit eis quidem qui in hoc sæculo non sperant, et in conspectu filiorum impiorum eum confessi sunt. Unde ipse ait : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* X). » — « Abscondes eis in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum. » Jam, inquit, a peccatoribus non turbabuntur, sed ante faciem tuam læti persistent. « Proteges eos in tabernaculo tuo, » id est in cœlesti Jerusalem, « a contradictione linguarum, » jam subauditur, ereptos.

« Benedictus Dominus. » Quoniam quidem tanta divina secreta vidit Propheta, gratias agimus Domino, inquit. Benedictus sit Dominus, « quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita. » Satis enim mirabiles habere potuit mise-

Digitized by Google

ricordias Dei, quando homines et peccatores jam justificatos, in cœlesti Jerusalem residere vidit. Habuit etiam mirabiles misericordias Dei, quando in Jerusalem, quæ satis fortis et munita erat, pro humana Christum salute passum inspexit. Hucusque Propheta. Nunc autem loquitur Christus :

« Ego autem dixi in excessu mentis meæ ; Projectus sum a vultu oculorum meorum. » Judæi, inquit, contra me superbe et abusive loquebantur; ego autem in exstasi, et in excessu mentis videns illorum dispersionem et incredulitatem dixi : Projectus sum a facie oculorum meorum, derelictus sum a meis ; vocabo ergo non plebem meam, plebem meam, qui a Judæis spretus, a gentibus sum electus. « Ideo exaudisti vocem deprecationis meæ, dum clamarem ad te. » Derelictus sum, inquit, a Judæis, pro gentibus exoravi, et exauditus sum. « Diligite Dominum, omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, » qui, inquit, verus est : qui eum dilexerit vere salvabitur. « Et retribuet abundanter facientibus superbiam. Viriliter agite » ea quæ incœpistis. « Et confortetur cor vestrum, » ut mortem non timeatis, « omnes qui speratis in Domino » vitam recipere æternam.

EXPOSITIO PSALMI XXXI.

« Beati quorum remissæ sunt iniquitates. » Vox Ecclesiæ, de laude confessionis : Beati illi qui peccata Domino confitentes remissionem recipere meruerunt. Illi quoque sunt beati « quorum » per dilectionem « peccata tecta sunt, » et a Domino oblita. « Charitas enim multitudinem operit peccatorum (*I Petr.* IV). » — « Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus. » Nulli enim aqua baptismatis regenerato imputatur originale peccatum; omnis baptizatus erit beatus, sic tamen, si in vita ipsius dolus non fuerit.

« Quoniam tacui, inveteraverunt omnia ossa mea. » Ac si dicat : Confiteatur unusquisque peccata sua, crescunt enim peccata sine confessione, experto credatur. Ego quidem tacui, neque ut debui peccata confessus sum, ideoque in peccatis inveteraverunt ossa mea, id est tota virtus et fortitudo mea istorum mole fuit depressa atque gravata. « Dum clamarem tota die, » nullus clamor, nullaque oratio prodest nisi confessio præcedat.

« Sed, quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. » Quia, inquit, tacui, ideo manus, baculus, et correctio tua gravata est super me; nam « qui parcit virgæ, odit filium (*Prov.* XIII). » Ego autem statim in ipsa ærumna vel miseria ad te conversus sum, dum mihi spinas aspera correptio imprimeret. « Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non abscondi. » Postquam te, inquit, mihi iratum comperii, non ulterius tacui, sed quasi coactus dixi : « Confitebor adversum me injustitiam meam, Domino. » Peccavi, Domine, nimis, confiteor peccatum meum, cesset jam manus tua. Hoc dixi. Tu vero « remisisti impietatem peccati mei, » quia vere confessus fui, misericordiam indulsisti. Vere enim confitetur qui seipsum damnat, et adversum se loquitur. « Pro hac (remissione) orabit ad te omnis sanctus. » Nullus enim sanctorum est, qui assidue non dicat : « Dimitte nobis debita nostra (*Matth.* VI). » — « In tempore opportuno, » id est in hac vita ; unde dicitur : « Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes (*Gal.* V). »

« Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt. » Orant quidem assidue sancti pro remissione peccatorum; tamen quia in diluvio aquarum multarum sunt, a quibus purgantur et abluuntur, ad eos peccata appropinquare non possunt : purgantur enim eleemosynis, orationibus, jejuniis, lacrymis et monitu Scripturarum. Quare igitur orant? ne a diabolo tententur; unde Dominus discipulis ait : « Orate ne intretis in tentationem (*Matth.* XXVI). » — « Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me, » de hujus sæculi adversitatibus loquitur. Exsultatio mea, quia de te gaudeo. « Erue me a circumdantibus me, » id est a vitiis et malis omnibus. Responsio Dominica.

« Intellectum tibi dabo. » Noli, inquit, timere, intellectum tibi dabo, quo consoleris et inimicos devincas. « Instruam te, » in operibus bonis. « In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos, » ne aliquis tibi nocere possit. « Nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus ; » equus enim superbos significat, et luxuriosos, sicut scriptum est : « Computruerunt jumenta in stercore suo (*Joel.* I). » Mulus autem pigros et infecundos significat. Tale est igitur ac si dicat : Noli esse superbus, et luxuriosus, noli esse piger, quia propter frigus piger arare noluit. Noli esse vacuus virtutibus et sterilis.

« In chamo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. » Si, inquit, aliqui fuerint qui Evangelium recipere et ad te appropinquare noluerint, eos in chamo et freno legis, in duris et minantibus Scripturarum sententiis constringe, ut vel sic Ecclesiæ conjungantur. « Multa flagella peccatoris. » Ideoque cessa peccare, et noli fieri sicut equus et mulus, sed spera in Domino. Quia « sperantem in Domino misericordia circumdabit. Lætamini in Domino, » non in mundo, non in rebus transitoriis, « et exsultate, justi » de promissa misericordia; « et gloriamini, omnes recti corde, » quia « qui gloriatur, in Domino glorietur (*II Cor.* X). »

EXPOSITIO PSALMI XXXII.

« Exsultate, justi, in Domino. » Vox Ecclesiæ : Hactenus, inquit, in auro et argento sæculique honoribus exsultastis ; nunc autem, quia justi estis, in Domino et in justitia exsultate. « Rectos decet collaudatio. » Ideo, inquit, vos exsultate, et laudate Dominum, quia talium laudem diligit Dominus. « Confitemini Domino in cithara, » id est in dulciloquio, ut Saulem placare possitis. « In psalterio decem chordarum psallite illi, » in decem chordis decem præcepta legis intelligimus. Ergo in psalterio

Digitized by Google

decem chordarum psallite Domino, quia in his decem præceptis ei servitur.

« Cantate ei canticum novum. » Novus homo venit in mundum, novam legem tulit mundo (*Greg. hom.* 32). Cantate ergo canticum novum, videlicet nativitatem, passionem, resurrectionem et ascensionem; hæc enim omnia nova sunt et a prioribus inaudita.

« Bene psallite ei in vociferatione, » id est in verbis prædicationum. Bene autem in prædicatione psallunt qui verbis opera conjungunt. « Quia rectum est verbum Domini. » Ideo, inquit, cantate canticum novum, quia rectum est verbum Domini. Et bene psallite ei in vociferatione, quia « omnia opera ejus sunt in fide. » Recta quidem sunt verba divina, quia veritatem cunctis annuntiant. Opera vero ipsius fidelia sunt, quia neminem fallunt. « Diligit misericordiam et judicium. » Cantate, inquit, et dicite quoniam et misericors, et justus est Dominus. Et quia misericors est, nullus desperet; quia vero justus, omnes bona operentur, « reddet enim unicuique juxta opera sua (*Matth.* XVI). » « Misericordia Domini plena est terra. » Per terram Ecclesiam intelligimus, cujus in tantum misertus est Dominus, ut etiam Filium suum pro ea morti traderet. « Verbo Domini cœli firmati sunt. » Hoc quoque nuntiate quoniam Verbo Domini facti sunt apostoli, et in Trinitatis fide supra firmam petram firmati. Vel etiam ipsum firmamentum, quoniam « omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I). » « Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Quod enim apostoli vitia superabant, quod mortuos suscitabant, quod cæcos illuminabant, non viribus eorum, sed Spiritus sancti gratia fiebant.

« Congregans sicut in utre aquas maris. » Et cœlos, inquit, firmavit, et quasi aquas in utrem, hujus sæculi peccatores in Ecclesiam congregavit. Vel etiam, quasi aquas in utre, ita impios et peccatores in sua potestate constringit ut, nisi quando ipse permittit, in sanctos sævire non possint.

« Ponens in thesauris abyssos. » Quia in sanctorum numero, et in Ecclesia peccatores adunat, quia abyssus sunt, et in vitiorum profunditates submersi. Ponit etiam in thesauris abyssos, quando in cœlis collocat sanctos; ibi enim est sanctorum thesaurus, quia in cœlis thesaurizant. « Timeat Dominum omnis terra. » Quia talis, inquit, est Dominus, ideo omnis terra eum timeat.

« Ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. » Jam enim ex parte commoti sunt, quia ejus monitis ab infidelitate ad fidem transierunt; movebuntur autem in die judicii, quia alios ad se vocabit, alios autem in infernum mittet (*Matth.* XXV). « Quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. » Quia ipse omnia fecit (*Joan.* I), omnia ejus sequuntur imperium.

« Dominus dissipat consilia gentium, » quibus Ecclesiam destruere putabant. « Reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum. » Consilium namque eorum fuit, ut Ecclesiam destruerent, et deorum templa ædificarent. « Consilium autem Domini in æternum manet, » quia semper erunt sancti, qui ipsius consilio liberati sunt. Confirmatio. « Cogitationes cordis ejus in generationem et generationem. » Quia quidquid ipse dixit et cogitavit, et in hoc sæculo fiet, et in futuro. « Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, » et beatus populus gentium, quem iste Dominus « elegit in hæreditatem sibi. De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. » Repetitio. « De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. » Respexit, inquit Dominus, de sua divinitatis secreto, viditque genus humanum graviter a latronibus vulneratum, quem nec sacerdos adjuvit neque levita. Misit ergo Filium suum, misitque Samaritanum, qui illius misereretur (*Luc.* X). Respicere namque Dei, misereri est. Veniens igitur Dei Filius in hæreditatem populum gentium sibi elegit.

« Qui finxit singillatim corda eorum. » Quia alii dedit sermonem sapientiæ, alii interpretationem sermonum, aliis vero genera linguarum (*I Cor.* XII). Finxit etiam singulariter in hoc corda sanctorum, quorum alii monachi fieri desiderant, alii eremum, alii humilitatem custodire nituntur, alii vero castitatem. « Qui intelligit omnia opera eorum. » Scit enim Dominus qui puro corde, quique pro vana gloria bona operentur. Qui enim pro vana gloria castus et humilis apparet, potius hypocrita quam castus et humilis dicendus est. « Non salvabitur rex per multas virtutes. » Populus, inquit, gentium salvabitur, quem sibi in hæreditatem Dominus elegit, qui non in suis viribus, sed in misericordia confidit. Terreni vero reges, superbi gigantes, potentes, in se suaque fortitudine confidentes, non salvabuntur. Quis rege potentior? quis gigante fortior? Cum igitur isti sua potentia et fortitudine non salventur, nemo nisi Dei misericordia ad salutem quærat pervenire.

« Fallax equus ad salutem, in abundantia virtutis suæ non salvabitur. » Equus animæ corpus intelligitur, hoc autem fallax est ad damnum salutem, quia salus, et lætitia carnis, mors est animæ atque tristitia, refrenandus est igitur equus, ne laxatis habenis in foveam cadat. Possumus etiam, per equos, superbos et recalcitrantes intelligere. « Ecce oculi Domini super timentes eum, » ac si dicat: Nec rex per virtutem, nec gigas per fortitudinem, nec ab equo quidem salvabitur quilibet. Quis igitur, et per quem salvabitur? Sequitur: « Ecce oculi Domini, » id est ipsius misericordiæ respectus super timentes eum, « et in eis qui sperant, » non in suis viribus, sed « in misericordia ejus. » Ad quid? « Ut eruat a morte animas eorum, » id est a perpetua damnatione. « Et alat eos in fame, » quia, et in hac vita spiritali doctrina reficiet, et in futuro, summa eos beatitudine replebit. Unde dicitur: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* V). » Ideoque « anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est, et quia in eo lætabi-

Digitized by Google

tur cor nostrum, » cum pro operibus merita recipiemus. Et in timore, « in nomine sancto ejus sperabimus. » Spes autem non confundet. « Fiat, Domine, misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te, » id est, quia speravimus, sicut speravimus, miserere nostri.

EXPOSITIO PSALMI XXXIII.

« Benedicam Dominum in omni tempore. » Vox doctorum : « Semper laus ejus in ore meo. » Omni, inquit, tempore benedicam et prædicabo Dominum, semper laudabo eum, nec præ timore aliquid tacebo. « In Domino laudabitur anima mea. » Non laudabitur in se, non in sapientia mundi, non in sublimitate verborum, sed in Domino a quo et virtutem et potentiam sumpsit. « Audiant mansueti, et lætentur. » Audiant, inquit, mansueti laudem Domini, et lætentur in beneficiis ejus. R

« Magnificate Dominum mecum. » Vobis dico, mansueti, qui laudem Domini et bono sermoni auditis : Magnificate Dominum mecum, id est ad mei similitudinem eum laudate. « Et exaltemus nomen ejus in idipsum, » ut concorditer, una voce, et greges et pastores Dominum laudent atque magnificent. « Exquisivi Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. » Ac si dicat : Mei exemplo discite quam utile sit vobis magnificare et quærere Dominum. Ego quidem quæsivi, et exauditus sum, et ex omnibus tribulationibus ereptus. « Accedite » ergo et vos « ad eum, et illuminamini. » Accedite, inquit, ad lucem ut illuminemini vero lumine. « Et facies vestræ non confundentur. » Confundentur enim qui illuminati non fuerint, quia, exstinctis lampadibus suis, oleum quærentes, diguam repulsam patientur.

« Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum. » Sic de seipso, quasi de alio loquitur : Ego quidem clamavi, et Dominus exaudivit me; clamate ergo et vos, ut exaudiamini.

« Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. » Persuasio timoris et accessionis ad Dominum. Cum, inquit, timentes se adeo Dominus diligat ut angelus, præsidiis eos custodiens, ab omnibus inimicis eripiat, merito quidem ad eum accedere, ipsumque timere debetis. Quod enim ab angelis custodiantur sancti, manifestum est; namque ipsa Veritas ait : « Amen dico vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est (*Matth.* xviii). » — « Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus. » Multis namque modis multisque blanditiis debent pastores subditos admonere. Unde Apostolus : « Argue, obsecra, increpa, insta opportune, importune (*II Tim.* iv). » Quod genus locutionis satis aperte in hoc psalmo dignoscitur. Gustate, tentate, videte, et cognoscite dulcedinem et suavitatem Domini, qua « non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat (*Ezech.* xxxiii). » — « Beatus vir qui sperat in eo, » et non in incerto divitiarum. « Timete Dominum, omnes sancti ejus. » Initium sapientiæ, timor Domini (*Psal.* cx). »

« Quia non est inopia timentibus eum. Divites egenerunt, et esurierunt, » ex quibus ille fuit qui guttam aquæ a Lazaro petebat (*Luc.* xvi). « Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. » Non enim aliquo bono indigebunt qui summum et universale bonum habebunt, a quo bona sunt omnia, et sine quo nihil est.

« Venite ergo, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. » Quia, ut jam dictum est, initium sapientiæ timor Domini, ut filios suos in sapientiam Ecclesiæ doctores introducere possint, a timore Domini doctrinam incipiant.

« Quis est homo qui vult vitam. » Jam quasi omnibus coadunatis, quibus superius dixit : Venite, alloquitur eos, et dicit : « Quis est homo qui vult vitam, et diligit videre dies bonos? » Aliquis tali interrogationi respondens, inquit : Ego. Cui ipse loquitur : « Prohibe ergo linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum, » quia scriptum est : « Mors, et vita in manibus linguæ (*Prov.* xviii). » Qui enim custodit linguam suam, custodit et animam suam. Itemque : « Cultus justitiæ, silentium (*Isa.* iii). » Et alibi : « Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio (*Jac.* i). » — « Diverte a malo, et fac bonum. » Non enim satis est a malo abstinere, nisi etiam bona operentur. « Inquire pacem, » id est Christum : « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* ii). » — « Et sequere eam. » Sequi namque Dominum, imitari est. Unde ipse ait : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (*Matth.* xvi). » C Et alibi : « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris (*Joan.* viii). » — « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. » Superius dixit : « Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum; » nunc autem dicit, quia ipse timentes respicit atque custodit. Ecce quantus fructus redditur illis qui mala fugiunt et recte faciunt! Vultus autem Domini super facientes mala. Ad quid? « Ut perdat de terra memoriam eorum. » Dissuasione, quia mala facientes de libro vitæ delebuntur, neque in terra viventium de eis memoria fiet. « Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos. » Probatione, quia aures ejus semper sunt in preces eorum : quoniam quotiescunque clamant justi, semper a Domino exaudiantur. « Et ex D omnibus tribulationibus eorum liberabit eos, » quia carne dissoluta in cœlestibus regnis collocantur. Sed quid mirum si eos Dominus exaudivit? « Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. » Quia semper juxta est nec unquam eos derelinquit, idcirco clamantes exaudit; et quia « cor contritum et humiliatum Deus non despicit (*Psal.* l). » Corde enim tribulantur quos conscientia remordet, ut de peccatis pœniteant. « Et humiles spiritu salvabit. » « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v), » pauperes enim spiritu sunt qui de nihil præsumunt. « Multæ tribulationes justorum, et de his omnibus liberavit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, » id est omnia re-

Digitized by Google

bora virtutum, quia neque humilitas ab ira, neque castitas a luxuria superatur. « Unum ex his non conteretur, » quia « omni habenti dabitur, et abundabit (*Matth.* xxv). »

« Mors peccatorum pessima, » quia nunquam deficient, sed semper moriendo vivent. « Et qui oderunt justum, » id est Christum, qui justificat impium, vel unumquemque justorum. In justo enim nihil est quod odiendum sit, quoniam et hominis natura, et ipsa justitia bona est; in peccatore autem, sola vitia odienda sunt. « Delinquent, » quia super iniquitatem apponent iniquitatem, ut qui sordidus est semper sordescat. « Redimet Dominus animas servorum suorum. » Jam enim redemit sanguine suo, redimit etiam omni die, dum eas a vitiis et carnis liberat necessitatibus; redimet etiam in futuro, quia a secunda morte eripiet. « Et non delinquent omnes qui sperant in eo, » quia semper de virtute in virtutem conscendentes, omnia vitia sub pedibus conculcabunt.

EXPOSITIO PSALMI XXXIV.

« Judica, Domine, nocentes me. » Vox Christi in passione: Judica, inquit, Domine, nocentes me, redde illis juxta opera sua. « Expugna impugnantes me, » ne semper in fortitudine sua glorientur. « Apprehende arma » ad me defendendum et illos perdendum. « Et exsurge in adjutorium mihi. »

« Effunde frameam et conclude. » Effunde, inquit, framea, Titum et Vespasianum, meritam vindictam, et gladios quibus perdantur. « Adversus eos qui persequuntur me, » et conclude eos ab hostium multitudine, ut nec unus quidem de civitate egredi vel ingredi possit. « Dic animæ meæ » Salus tua ego sum. » De qua ipsi dicebant: « Non est salus ipsi in Deo ejus (*Psal.* III). » Possumus etiam per frameam animam Dominicam intelligere, cujus effusione conclusi sunt Judæi, quia garrulitas et disputatio eorum omnino cessavit. « Confundantur et revereantur. » Confundantur, inquit, de mendacio, cum me viderint resuscitatum. « Et revereantur, » non enim erat in rem quod timerent Romanos, nisi Christum interficerent; sed postea revera timuerunt, cum incurrentium hostium conspicerent gladios. Vel confundantur et erubescant de peccatis. Unde Apostolus: « Quem ergo fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? » (*Rom.* VI.) Et revereantur, non dæmonem, sed Dominum. « Avertantur retrorsum et confundantur. » Avertantur, inquit, retrorsum, ut sequantur Dominum, qui nunc diabolum imitantur. Sive retrorsum convertantur, ut nunquam de futuris cogitent, sed sola præsentia et transitoria concupiscant, et confundantur, vel in melius, vel æterna confusione, « cogitantes mihi mala. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, » ut sicut nec pulvis vento, ita nec hostibus ipsi resistere possint. « Et angelus Domini » malus sit « persequens eos, » ut ubicunque Judæi fuerint, eis diabolus dominetur. Sive angelus Domini, id est Titus et Vespasianus, quos supra memoravimus, « Fiant viæ illorum tenebræ, » ut non videant quo fugere possint. « Et lubricum, » ut fugientes cadant. « Et angelus Domini persequens eos, » ut facile capiantur, et hoc merito. « Quoniam gratis, » id est sine causa, ipso eodem Pilato teste (*Luc.* XXIII), « absconderunt mihi interitum. » Absconderunt utique, quia cum proditione eum occiderunt. « Supervacue exprobraverunt animam meam, » id est sine omni illorum utilitate probaverunt quoniam Christus resurgere posset; vel etiam exprobraverunt, quia multa ei opprobria inferebant, dicentes: « Ave, Rabbi, (*Matth.* XXVI). » Et: « Dæmonium habes (*Joan.* VIII). »

« Veniat illi laqueus, quem ignorat, » Ego quidem non ignoravi illorum laqueos et deceptiones, ipsi autem, quæ pœna, qui laquei eis futuri sint, omnino ignorant. « Et captio, quam abscondit, » ad me capiendum, « comprehendat illum, » — « unicuique enim secundum mensuram, qua mensus fuerit, remetitur (*Matth.* VII). » — « Et in laqueum cadat in ipsum, » quem mihi paravit. Unde dicitur: « Foveam, quam fratri tuo parabis, in eam cades (*Prov.* XXVI). » « Anima autem mea, » ex illorum exemplo instituta, « exsultabit in Domino, » et delectabitur de salute sua. Tunc tandem « omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tui? » Per ossa, fortiora membra, id est apostolos intelligimus, qui, postquam Christus resurrexit, ubique terrarum Dominum laudare et prædicare cœperunt. « Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, » id est, Christum de manibus et potestate Judæorum; inops enim in hoc mundo fuit Christus, quia nihil proprii habuit. Unde ipse ait: « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet (*Matth.* XVI). » Et Apostolus: « Qui cum omnium dives esset, pro nobis pauper factus est, ut illius inopia nos divites faceret (*II Cor.* VIII). » « Egenum et pauperem a diripientibus eum, » id est, a Judæis, vel a principibus tenebrarum. Fortiores autem dixit, quia omnis qui verberat, eo qui verberatur fortior esse videtur.

« Surgentes testes iniqui, quæ ignorabant, interrogabant me. » Testes iniqui dicuntur principes sacerdotum, qui interrogantes dicebant: « Adjuramus te per Deum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. « Christo autem respondente: Ego me, clamaverunt dicentes: Ipsi audistis blasphemiam (*Matth.* XXVI). » Quæ utique non blasphemia, sed veritas erat. Fuerunt igitur testes iniqui, quia veritatem blasphemiam esse testantur. Ignorabant autem an esset Filius Dei, quia Spiritus sanctus in eis non erat, qui hoc illis revelaret. « Retribuebant mihi mala pro bonis, » quia ego de illorum salute, ipsi vero, quomodo me perderent, cogitabant. « Sterilitatem animæ meæ, » id est penuriam vitæ, qua me interfecerunt. Vel, quia cum deberent dare frumentum, exorta est zizania. Præterea semen quod super eos seminavi, quasi in duros lapides versum, nullum mihi protulit fructum. O vinea mea electa, ego te plantavi, quomodo conversa es in amaritu-

Digitized by Google

dinem, pro uvis abruscas, pro vino acetum Domino dedisti!

« Ego autem, cum mihi molesti essent, » flagellando, conspuendo, « induebar cilicio, » quia non divinitatis potentiam, sed solius carnis fragilitatem eis manifestabam. Nam quasi cilicio indutus, carne quia tectus, inter peccatores reputabatur; cilicium enim peccatoribus convenit. Unde Apostolus ait: « Ut de peccato peccatum damnaret in carne (*Rom.* VIII). » — « Humiliabam in jejunio animam meam. » In jejunio, inquit, affligebam meipsum, quia neminem illorum, nisi unum ex latronibus, mihi incorporare potui. « Et oratio mea in sinu meo convertetur, » in sinu namque convertitur oratio, quando eadem deprecatio frequenter in corde revolvitur. Vel etiam, ideo oratio, quam Christus in sui cordis secreto faciebat, conversa est, quia, sicut prius pro Judæorum salute, ita et pro confusione postea Deum rogare cœpit, et merito.

« Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum sic complacebam. » Sic, inquit, diligebam Judæos ut fratrem, et secundum carnem, proximum. « Majorem enim dilectionem nemo habet quam ut animam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV). » — « Quasi lugens et contristatus sic humiliabar, » vel ab ipsis, vel pro ipsis. « Et adversum me lætati sunt, » id est de his quæ mihi contraria et adversa fuerunt. « Et convenerunt. » Convenerunt utique pontifices et Pharisæi in unam voluntatem atque « consilium ut Christum caperent et occiderent (*Marc.* XIV). » « Congregata sunt super me flagella, » quia « cum gladiis et fustibus super eum venerunt (*Matth.* XXVI). » « Et ignoravi, » nulla enim causa fuit cur eum crucifigerent (*Luc.* XXIII). Unde ipse ait: « Quia odio habuerunt me gratis (*Joan.* XV). »

« Et ideo dissipati sunt. » id est. ubique dispersi. Vel, secundum interiorem hominem distracti. Vel etiam a charitatis vinculo divisi. « Nec compuncti, » quia nec pœnitent, neque credunt. « Tentaverunt me, » multis modis tentaverunt Judæi Christum. Unde ipse ait: « Quid me tentatis, hypocritæ? » (*Matth.* XXII). « Subsannaverunt me subsannatione: » — « Vah! qui destruis templum Dei (*Matth.* XXVI). » — « Frenduerunt super me dentibus suis, » « Crucifige, crucifige, dicentes (*Luc.* XXIII). » — « Domine, quando respicies » iniquitatem illorum? « Restitue animam meam » pristino gradui et tuæ claritati. « A leonibus unicam meam » auferens a superbia et violentia Judæorum. Quod si feceris, « confitebor tibi in Ecclesia magna, » id est in Ecclesia catholica per orbem terrarum diffusa, consona omnium sanctorum te voce laudabo. Confirmatio. « In populo gravi laudabo te, » id est in gentibus: quem nullus ventus, nullaque doctrina a te divellere potest; non in his qui leves sunt et faciles ad peccandum, quos velut pulverem « ventus projicit a facie terræ (*Psal.* I), » nunquam humilia, sed semper superba cogitantes.

« Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique. » Supergauderent namque adversarii Christi, si mortuus non resurgeret. « Qui oderunt me gratis, » id est sine culpa. « Et annuunt oculis, » alteri enim alter oculis ut feriret innuens, Christo Domino colaphizato dicebant: « Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? » (*Matth.* XXVI.) Innuebant etiam oculis, quando se in facie amicos monstrabant, hoc est quod sequitur:

« Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur. » Dicentes: « Magister bone (*Matth.* XIX). » Et: « Scimus quia verax es (*Matth.* XXII). » Et: « Non respiciens personam hominum (*ibid.*). » Hæc enim et similia, pacifica verba sunt sub adulationis figura. « Et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant, » loquebantur utique Pharisæi et sacerdotes in iracundia terræ, quia seditionis verba fundentes, terrenos et peccatores ad iracundiam provocabant, ut ille qui dicebat: « Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat (*Joan.* XI). » Hoc autem nulla alia de causa dicebant, nisi ut Christum dolo tenerent et occiderent (*Marc.* XIV). « Et dilataverunt super me os suum, » omnes palam blasphemantes « dixerunt: Euge, euge, » insultatoria laus est. « Viderunt oculi nostri, » vidimus qualis esset, et tandem cognovimus: ubi sunt virtutes quas faciebat? cur qui alios salvavit, seipsum non salvat? (*Matth.* XXVII.) Cur qui Lazarum suscitavit, seipsum non suscitat? « Vidisti, Domine, » insultationes, et opprobria eorum, « Domine, ne discedas a me, intende judicium meum, » id est, diffunde et manifesta cunctis gentibus judicium quo judicatus sum, ut nullus amplius desperet, tali sacrificio immolato. « Deus meus et Dominus meus, in causam meam, » veni, id est, discerne meam justitiam, et illorum iniquitatem. « Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, » id est, quia justus es, discerne me injuste condemnatum, et fac quod justum est « Et non supergaudeant mihi, » quod utique facerent, nisi Christus a morte resorgeret.

« Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, » Lætæ « animæ nostræ; nec dicant: Devoravimus eum, » id est omnino delevimus; quod equidem nec facere potuerunt, cum audirent eum resurrexisse. « Erubescant, et revereantur simul, qui gratulantur malis meis. » Ecce hic convertitur oratio; non enim jam rogat ut Pater illis ignoscat, sed erubescant et revereantur. Erubescant, inquit, de mendacio suo, et revereantur pœnam suique confusionem, et repentinum interitum qui gratulantur malis meis, id est non solum qui faciunt, sed qui facientibus consentiunt, ut ipse Pilatus, qui dicebat: « Innocens ego sum a sanguine justi hujus (*Matth.* XXVII.). » — « Induantur confusione et reverentia, qui maligna loquuntur super me, » confusione quidem et verecundia induti fuerunt, quia invitis custodibus resurrexit; induentur et in judicio, cum Judicem videbunt, quem ut hominem flagellarunt. Hinc pro Ecclesia loquitur. « Exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam. »

Digitized by Google

Judæi, inquit, induantur confusione; illi autem exsultent et lætentur qui justitiam meam sequi volunt, vel, qui me justum dicunt. « Et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus. » Semper enim Ecclesia Dominum magnificat, quæ utique eamdem pacem habere desiderat quam et Christus habet, qui, pro parte carnis, servus est Patris. « Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, » id est apostoli et doctores, per quos, quasi propria lingua, meas Ecclesiæ denuntio voluntates. « Et tota die laudem tuam, » donec enim tempus fuerit, semper Ecclesia Dominum laudabit.

EXPOSITIO PSALMI XXXV.

« Dixit injustus, ut delinquat in semetipso. » « In semetipso, inquit, in corde, in cogitationibus; dixit iniquus: Delinquam, furabor, occidam, innocentes et proximos accusabo, et sic dives efficiar. Vel, in semetipso, id est contra seipsum; omnis enim qui peccat, sibi contraria operatur. « Non est timor Dei ante oculos ejus. » Quid mirum, si se peccare promittit, qui ante oculos cordis Dei timorem non habet? timor namque Dei, frenum est peccati.

« Quoniam dolose egit in conspectu ejus, » id est in interiori homine, quem Deus videt et cognoscit, vel etiam, Judæi in præsentia Christi. Unde fit « ut inveniatur iniquitas ejus ad odium, » quia semper, inquit, dolose agit, sine odio quidem iniquitas illius inveniri non potest. « Verba oris ejus iniquitas et dolus, » verba namque eorum dolo et mendacio plena sunt, quia aliud ore dicunt, et aliud corde volutant. « Noluit intelligere ut bene ageret. » Multi enim bona et Scripturas intelligunt, sed non ad hoc ut eas custodiant. Unde Apostolus: « Non auditores, inquit, legis justificabuntur apud Deum, sed factores (*Rom.* II). » Itemque: « Si vis perfectus esse, serva mandata (*Matth.* XIX). »

« Iniquitatem meditatus est in cubili suo, » id est, in secretario cordis sui. « Astitit omni viæ non bonæ, » quia in omni malitia perseveravit: hoc est quod sequitur: « Malitiam autem non odivit. » Qui malitiam non odit, misericordiam non amat.

« Domine, in cœlo misericordia tua. » In supradictis, inquit, iniquis, non est nisi dolus, iniquitas et malitia; in sanctis autem, quos per cœlum intelligimus, misericordia et veritas. Misericordia quidem est in sanctis, quia a magistri jussione non discedunt, qui ait: « Estote misericordes, sicut et ego misericors sum (*Luc.* VI). » Et alibi: « Jucundus homo qui miseretur et commodat (*Psal.* CXI). » Veritas quidem, quia neminem fallunt, ut ille de quo superius diximus: « Verba oris ejus iniquitas et dolus. » In talibus enim veritas non est. « Usque ad nubes, » subintelligitur, perveniens. Quid per nubes, nisi apostolos, doctores et prophetas? ut enim nubes pluviam, ita et isti doctrinam distillant. Usque ad hos ergo pervenit veritas Dei, quia nullus ad plenum divina secreta cognovit, nisi cui sanctus Spiritus revelavit. Unde ipsa Veritas ait: « Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare (*Matth.* XI). »

« Justitia tua sicut montes Dei, » subaudiatur, homines facit. Omnes enim qui Dei justitiam imitantur et colunt, quasi montes efficiuntur; ut enim montes a sole, ita sancti semper a Christo illuminantur. Quacunque enim ex parte volvatur sol, montes quidem semper illuminat. « Judicia tua abyssus multa, » id est, alta et obscura profunditas. « Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? (*Rom.* II) » Vel, « incomprehensibilia sunt judicia ejus (*ibid.*). » Quia alios elegit misericordia, alios damnat veritate, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau odio habui (*Rom.* IX). »

« Homines et jumenta salvabis, Domine. » Quamvis, inquit, in cœlo sit misericordia tua, tamen et homines, et jumenta salvabis, id est sapientes et rationabiles, et brutos et idiotas, sive, homines et jumenta, id est justos et peccatores. Vel, etiam homines, id est, carnales: et imperfectos, et jumenta hominum, id est apostolos, qui totius Ecclesiæ sarcinam sustinent. « Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus. » Videns quod homines et jumenta, et justos et peccatores salvavit Dominus, tantam admirans misericordiam, exclamat: Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.

« Filii autem hominum, » id est tota ecclesiæ continuatio usque ad finem sæculi, « in tegmine alarum tuarum sperabunt, » id est in tua protectione. Vel, duas alas, duo crucis cornua intelligimus, quia signo crucis muniti inimicum a nobis repellimus. Sive, duæ alæ duo sunt Testamenta, quibus eruditi hæreticos superamus. Possumus etiam per duas alas, Dei et proximi dilectionem significare, quibus quicunque caret, non habet unde volet ad regna cœlorum.

« Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, » id est, affluentia gratiarum Spiritus sancti, sive plenitudine Scripturarum: namque Spiritu sancto pleni erant apostoli, quando musto madere a Judæis dicebantur (*Act.* II). « Et torrente voluptatis tuæ potabis eos, » id est impetu misericordiæ tuæ, summique et ineffabilis boni felicitate. Quod facere quidem potest, « quoniam apud te est fons vitæ, » id est Christus apud Patrem, ut in Evangelio dicitur: « Et Verbum erat apud Deum (*Joan.* I). » Fons vitæ Christus est, ut ipse ait: « Aqua quam ego do, qui biberit ex ea, non sitiet ultra (*Joan.* IV). » — « Et in lumine tuo videbimus lumen. » Lumen de lumine Christus est, qui « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). » In hoc autem lumine videbimus lumen, quia ipse est lucerna pedibus nostris, lucens ante Patris faciem et claritatem. Quod ut fiat, hoc quod sequitur: « Prætende misericordiam tuam scientibus te, » id est Filium tuum. Confirmato. « Et justitiam tuam his qui recto sunt corde, » ut justi et misericordes ad te perveniant. « Non veniat mihi pes superbiæ, » pes enim principium et sustentamentum superbiæ diabolus est. « Et manus peccatorum non moveat me, » id est suggestio et diabo-

Digitized by Google

lica tentatio non separet me a charitate Dei. « Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, » iidem maligni spiritus, qui iniquitatem operari non cessant; nam propter superbiam de cœlorum sedibus ejecti sunt. « Expulsi sunt a te, nec potuerunt stare. »

EXPOSITIO PSALMI XXXVI.

« Noli æmulari in malignantibus. » Vox doctorum ad Ecclesiam : Æmulari, multas habet significationes. Aliquando enim pro diligere ponitur, ut : « Æmulor enim vos Dei æmulatione (*II Cor.* XI). » Aliquando autem pro imitari, ut : « Æmulamini charismata meliora (*I Cor.* XII). » Aliquando vero pro invidere, ut in hoc loco : « Noli æmulari in malignantibus, » id est, noli habere invidiam in male agentibus, ut idem facias. « Neque zelaveris facientes iniquitatem. » Dilige, inquit, hominem, noli diligere latronem; dilige hominis naturam, sed non diligas adulterium : malum enim ubique repudiandum est.

« Quoniam tanquam fenum velociter arescent. » Ad tempus enim lætantur et florent, sed cito siccantur et in pulverem rediguntur. « Et quemadmodum olera herbarum, » id est viriditates, « cito decident. » Unde Isaias : « Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni. Siccatum est fenum, et cecidit flos (*Isa.* XL). » — « Spera in Domino, et fac bonitatem. » Noli, inquit, malignantibus invidere, ne et tu tam cito pereas. Sed spera in Domino, non in divitiis, non in pulchritudine, non in mundi flore. Et fac bonitatem, id est misericordiam in omnibus. « Inhabita terram, » id est sanctam Ecclesiam, « et pasceris in divitiis ejus, » id est in sacris voluminibus. Vel, inhabita terram, id est dominare carni, neque secundum suas concupiscentias eam vagari permittas, et pasceris in divitiis ejus. « Delectare in Domino, » non in concupiscentiis carnis, non in momentaneis bonis. « Et dabit tibi » quæ ista quidem dare non possunt, scilicet « petitiones cordis tui. » Si enim, quod verum est, « spiritus concupiscit adversus carnem, et caro adversus spiritum (*Gal.* V), » aliæ quidem sunt petitiones carnis, aliæ vero spiritus, id est cordis.

« Revela Domino viam tuam. » O quam salutifera mandata! Non invidere malis, non diligere iniquitatem, in Domino sperare, in Domino delectari, vias et opera nostra Domino confiteri, admonent nos sapientissimi, et misericordes Ecclesiæ doctores. « Et spera in eum, et ipse faciet. » Quid faciet? Sequitur : « Et educet quasi lumen justitiam tuam, » ut nunquam in tenebris et vitiis obscuretur; non enim a tenebris comprehenditur lux. Vel, quasi lumen justitiam educet, quia de hac obscuritate elevans, angelis eam et hominibus manifestam faciet. « Fulgebunt enim sancti sicut sol in regno Dei (*Matth.* XIII). » Confirmatio. « Judicium tuum tanquam meridiem, » omni obscuritate tenebrisque elucidatum faciet judicium illud quo Dominum imitari, et fidem sequi, et operationem decrevisti. Hoc autem erit in die judicii, quando « sancti stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt (*Sap.* V). » Quos mali in tanta gloria videntes dicent : « Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam (*ibid.*). » — « Subditus esto Domino, et ora eum. » — « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (*Matth.* IV). »

« Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, » id est in homine faciente injustitias; multi enim in dolo, multi in furto, multi in perjurio, multique in rapina prosperantur; hæc autem non Dei, sed hominis, viæ sunt.

« Desine ab ira. » — « Ira enim viri justitiam Dei non operatur (*Jac.* I). » Et : « Sol non occidat super iracundiam vestram (*Ephes.* IV). » Repetitio. « Et derelinque furorem. » Vel etiam, ira animi, furor vero corporis est; furor enim est, qui homines in adulterium rapit. « Noli æmulari, ut maligneris, » sed potius ut bona agas.

« Quoniam qui malignantur, exterminabuntur. » Exterminabuntur quidem, qui extra hæreditatis terminos permanebunt, sive, cito de corporibus ejicientur. « Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram; » qui enim Dominum exspectant, terram viventium hæreditabunt, vel etiam carni suæ imperitabunt.

« Et adhuc pusillum, et non erit peccator. » Adhuc, inquit, pusillum temporis erit, et postea non erit peccator, quia omnino destruetur. « Et quæres locum ejus, et non invenies, » id est si forte locum ejus quæsieris, invenire non poteris. Quod enim non est, locum habere non potest. « Mansueti autem hæreditabunt terram. » — « Beati mites, » et mansueti, « quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V), » eorum namque erit hæreditas. Possident etiam carnem suam, ne in vitiis delectentur : « Et delectabuntur in multitudine pacis. » Nulla enim ibi seditio, nullaque discordia erit, qua et spiritus carni, et caro spiritui consentiet.

Interim autem, « observabit peccator justum. » Ut eum capiat et perdat; ad hunc namque modum in Evangelio legitur : « Et ipsi observabant eum (*Luc.* XIV). » — « Et stridebit super eum dentibus suis, » stridebit super eum dentibus nequitiæ et impietatis, quibus eum devorare nititur; per corporis namque motum, affectum animi intelligimus. « Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniant dies ejus; » irridet namque Dominus peccatorum gaudium et exsultationem, quia quando, et quæ de eis pœna sumatur, agnoscit.

« Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum. » Per gladium, apertam et manifestam persecutionem intelligimus, per arcum vero, occultam et dolosam deceptionem, qua sanctis insidiantur. « Ut decipiant pauperem et inopem, ut trucident rectos corde. » Arcu namque decipiunt, gladio vero trucidant. Est autem pauper, qui nihil habet; inops vero, qui, quamvis sine opibus sit, aliquid tamen possidet. « Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur. » Om

Digitized by Google

nis enim quicunque alium lædere molitur, primum A seipsum proprio jaculo percutit; arcus autem confringitur, quando dolus et mala voluntas non invenit effectum. « Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas, » ac si dicat : Melior est justorum paupertas quam divitiæ peccatorum; iste enim paucis abundat, ille autem plenus sitit; iste animam salvat, ille autem corpus et animam odit. Sed « quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? (*Matth.* XVI.) » Melior est enim huic fides, quæ grano sinapi comparatur, quam illi perfidia quæ ubique vagatur. « Quoniam brachia peccatorum conterentur, » id est, virtutes, potentiæ divitiæque in quibus confidunt. « Confirmat autem justos Dominus, » ne ab injustitia vincantur. « Novit Dominus dies B immaculatorum, » novit enim quòmodo vixerint, et quibus vitam finierint. Vel novit, quia dilexit. Unde econtra malis dicturus est : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* XXV). » — « Omnis enim qui ignorat, ignorabitur (*I Cor.* XIV). » — « Hæreditas eorum in æternum erit, » id est in Christo, vel in vita perpetua. « Non confundentur in tempore malo, » quia reprobis dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum. » « Et in diebus famis saturabuntur, » dies namque famis eodem in tempore fient, quia, omnes sive boni, sive mali, æternum suscipere gaudium desiderabunt; sed, malis omnibus expulsis, solis bonis prandium et nuptiæ parabuntur, quando econtra soli « peccatores peribunt. Inimici namque Domini mox ut honorati fuerint, » inani et temporali gloria, « et exaltati » in opes et divitias, « quemadmodum fumus deficient, » quia nusquam apparebunt. Peribunt igitur peccatores. Vel ideo, ut fumus peribunt, quia quanto altius ascendent, tanto magis evanescent, et merito.

« Mutuabitur peccator, et non solvet. » Nihil enim habet homo quod mutuo non acceperit, sicut scriptum est : « Quid enim habes quod non accepisti? (*I Cor.* IV), » nudos enim nos natura creavit. Nihil ergo habet homo quod mutuo non acceperit. Unde, et in Evangelio Dominus dicit : « Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua; et uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum (*Matth.* XXV). » Ecce pecuniam D domini mutuo servi acceperunt; qui autem in hoc fideliter eam dispensaverit, et cum usura domino revertenti solvere poterit, hoc ei a domino dicetur : « Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium domini tui (*ibid.*). » Fideliter namque dispensant divites, qui de divitiis eleemosynas faciunt; fideliter autem dispensant doctores, qui nec sacculum nec peram portant. Peccatores autem, divitias, et sapientiam, virtutes, et intellectum a Domino mutuantes, neque ei gratiam referunt, neque pauperibus suppeditant, neque cum lucro pecuniam solvunt; merito igitur ut fumus deficient. « Justus autem miseretur, et tribuet. » Miseretur, inquit, aliis, ut et Dominus sui misereatur, misericordiæque retribuat meritum. « Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, » Hanc retributionem recipiunt justi, quia terram viventium hæreditabunt. « Maledicentes autem ei disperibunt. » Vere utique disperibunt, quia et anima et corpore morientur. « Apud Dominum gressus hominis » (timentis se) dirigentur, quia de virtute in virtutem ad Deum ibit. « Et viam ejus volet, » quia secundum justitiam graditur.

« Cum ceciderit, non collidetur, » quia statim ut peccat, pœnitet, et ipsa pœnitentia corroboratur. Sive, cum in aliquas hujus sæculi ceciderint adversitates, in interiori tamen homine non collidentur. Quare? « Quia Dominus supponit manum suam, » neque a justis aliquando separatur. « Junior fui, etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. » Non vidi, inquit, justum a meæ ætatis principio a Domino derelictum, nec semen ejus indigens pane. Qui enim quærit indiget; justus autem non quærit, quia non indiget. Semina namque, id est imitatores justi, non indigent pane, quia et carnali et spirituali semper abundant; paucis enim et minimis natura contenta est. Unde et in Evangelio Dominus ait : « Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus? (*Matth.* VI.) »

« Tota die miseretur et commodat. » Quia aliorum miseretur et commodat, inde comprobatur non indigere. Qui enim non habet, quomodo dare potest? Habet igitur justus, siquidem dare potest, misereturC et commodat. « Et semen ejus in benedictione erit, » quia et opera, et imitatores, et exhortatio ipsius a Domino benedicuntur. « Declina ergo a malo et fac bonum, » ut et tibi idem contingat. Declina a malo, diverte a peccato, fuge diabolum, sequere bonum, imitare Deum. « Et inhabita in sæculum sæculi. » Ubi? in Ecclesia, in unitate fidei, in cœlesti Jerusalem, in judicio recto, ut nunquam devies a veritate. « Quia Dominus amat judicium, » id est veritatem. « Et non derelinquet sanctos suos, » probatio est quis veritatem diligat. Non autem derelinquit, quia in æternum eos conservat. « Injusti punientur, » id est, æternaliter damnabuntur, « et semen impiorum peribit, » id est opera, vel sequaces. « Justi autem hæreditabunt terram » vivorum, non mortuorum, vel incorruptibilia corpora sua. « Et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. Os justi meditabitur sapientiam, » et in hoc sæculo et in futuro. Non meditabitur injustitiam, non dolum, quo fratres decipiat, sed soli semper sapientiæ vacabit. « Et lingua ejus loquetur judicium, » id est, non superbiam, sed ratam veritatem. « Lex Dei ejus in corde ipsius, » quæ et peccare vetat, et bona facere docet. « Et » ideo « non supplantabuntur gressus ejus, » ab iniquis et peccatoribus. « Considerat » namque « peccator justum, » ut eum supplantet, ejusque detorqueat gressus. « Et quærit mortificare eum, » quod utique non faciet. « Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, » quia quam-

Digitized by Google

vis corpus, animam tamen capere non poterit (*Matth.* x).

« Nec damnabit eum, cum judicabitur illi, » id est ad ipsius gloriam et honorem : quod in judicio fiet. « Exspecta » igitur « Dominum, » qui te vindicabit. Unde Apostolus : « Mihi, inquit, vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus (*Rom.* XII). »—« Et custodi viam ejus, » id est serva mandata. « Et exaltabit te, » ad cœlestia. « Ut hæreditatem capias terræ, » illius scilicet quam nullus hostilis turbo tibi auferre poterit. « Cum perierint peccatores, videbis, » non peribis, sed pereuntes videbis.

« Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi et ecce non erat. » Satis, inquit, magnos, et excelsos, et terrenis honoribus præditos impios ad tempus vidi, et statim æterna cogitans, ad ipsorum vitæ exitum transivi, et ecce non erat. Si quis enim ad intellectum transeat, et cogitando dicat : Ubi nunc est Cæsar? Ubi Pompeius? Ubi Octavianus? Ubi potentia Neronis? non utique eos inveniet. « Et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus, » qui enim non est, locum non habet. « Custodi » ergo « innocentiam, et vide æquitatem, » ne ad impiorum similitudinem pereas, « quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. » Sed quæ reliquiæ? Vita post mortem. Possumus autem, per homines pacificos, apostolos intelligere, quorum doctrina peccatus est mundus. His autem sunt reliquiæ et æterna retributio. Unde Apostolus : « Si cujus, inquit, opus manserit, quod superædificatum fuerit, mercedem recipiet (*I Cor.* III). » — « Injusti disperibunt, simul reliquiæ impiorum interibunt, » quia non relinquitur eis vita post mortem. « Salus autem justorum » erit « a Domino, » qui vere salvare potest. « Et » Dominus erit « protector eorum in tempore tribulationis. Et adjuvabit eos Dominus, » in sæculi tentationibus. « Et eruet eos, a peccatoribus, et salvabit eos, » in die judicii, « quia speraverunt in eum. »

EXPOSITIO PSALMI XXXVII.

« Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. » Argue me, inquit, sed non in ira vel furore, quinimo in misericordia et pietate. Vox cujuslibet pœnitentis.

« Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. » Quid per sagittas nisi correctionis verba intelligimus? « Et confirmasti super me manum tuam, » quia magistrali verbere me castigasti. Noli igitur me in ira et furore amplius flagellare, quia doctrinæ tuæ non sum oblitus, sed quasi acutissima sagitta cordi meo infixa est. More discipuli loquitur, magistri misericordiam implorantis. Possumus etiam, per sagittas, hujus sæculi ærumnas intelligere, ut sit vox humani generis de tot miseriis conquerentis, quasi dicat : Ne irascaris, Domine, populo tuo, qui tantis undique miseriis et angustiis obsitus est; hinc enim sagittæ tuæ debita vindicta, morbi, pestilentiæ, fames, aliæque hujus sæculi adversitates nos vulnerant et affligunt. Hinc vitiorum impetus dæmoniorumque insidiæ nos conturbant. Restat igitur, si nobis iratus fueris, ut non omnino pereamus.

« Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ. » In prima, inquit, radice peccavimus, immortalitatem amisimus, iram tuam cognovimus, mortalesque facti sumus : quæ igitur sanitas, vel constantia in nobis esse potest? « Non est pax ossibus meis. » Perterrita sunt ossa mea. Idcirco pacem habere non possunt. Quis enim inter hostes pacem habebit? Per ossa, memoriam, intellectum et rationem intelligimus; hæc autem quia a vitiis conturbantur, multoties pacem amittunt. Hoc autem etiam de pœnitentibus intelligi potest, qui, Dei iram suaque recognoscentes peccata, jejuniis semper et vigiliis vacantes, vix ossibus hærent.

« Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. » Ideo, inquit, pax non est ossibus, quia iniquitates præsunt, et dominantur menti; caput enim pro mente ponitur, quæ animæ principalior pars est. Unde in Evangelio legitur : « Levate capita vestra (*Luc.* XXI). »—« Sicut onus grave gravatæ sunt super me, » illos enim gravant peccata qui ea deponere volunt, sicut econtra illis levia sunt qui in eis delectantur.

« Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ. » Olim, inquit, pro suavi odore vitiorum putredine usus sum, sed jam nunc quidem peccata mea mihi fetere incipiunt. Quod ideo quidem fit, quia cicatrices corruptæ sunt. Tunc enim corrumpuntur ulcera et cicatrices, quando peccata manifestantur. « A facie insipientiæ meæ, » putruerunt vitia incisa, et aperta sunt ulcera, quia meam cognovi insipientiam. Quis enim nisi sapiens insipientiam cognoscit?

« Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem. » Miserum enim se Apostolus esse sciebat cum diceret : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*Rom.* VII.) » Usque in finem curvantur qui, ex toto se sub jugo Christi humiliantes, in cinere et cilicio pœnitentiam agunt. « Tota die contristatus ingrediebar, » quia semper pro peccatis flebam. Quid mirum? « Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. » Partem pro toto posuit. Quia dæmonum, inquit, illusionibus plena erat caro mea, ideo sine tristitia esse non poteram; « Et » quoniam « non est sanitas in carne mea, » quæ semper a vitiis vulneratur. Unde, « afflictus sum et humiliatus sum nimis, » sciens quod « per multas tribulationes in regnum cœlorum » me « intrare necesse sit (*Act.* XIV). »—« Rugiebam a gemitu cordis mei. » Rugiunt namque et amare defient sancti, quia semper corda eorum pro peccatorum conscientia gemunt; quod tu quidem nosti. « Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. » Scis igitur quia humiliatus fui, et pro peccatis gemui. « Cor meum conturbatum est in me, » id est anima mea. Sed quare conturbatum est? Quia « dereliquit me virtus mea, » id est Deus ipse, sive immortalitas. « Et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum, »

Digitized by Google

quia, via veritatis amissa, diabolum et errorem sum secutus.

« Amici mei et proximi mei, adversum me appropinquaverunt, et steterunt. » Vox capitis, quasi dicat : Nihil est, o homo, quod quereris, nihil est quod de miseriis lamenteris : vide me afflictum, vide me crucifixum, vide me peccata tua portantem, vide mundi miseras ferentem, et auferentem. Consolare igitur, spem habeto, non frangaris adversis. « Amici mei » (ironia est. Sic enim, et Judam amicum vocavit : « Amice, ad quid venisti? [*Matth.* XXVI] » cum utique amicus non esset), « et proximi mei, » secundum carnem, « adversum me appropinquaverunt, et steterunt ; » non enim appropinquaverunt ut crederent, sed potius ut occiderent.

« Et qui juxta me erant, de longe steterunt, » id est, discipuli, quia « relicto eo omnes fugerunt (*ibid.*), » sicut in Evangelio dicitur : « Cum autem apprehendissent, stabant omnes noti ejus a longe (*Luc.* XXIII). » — « Et vim faciebant qui quærebant animam meam, » quia et me post se trahebant, et Jacobum, relicta sindone, nudum fugere compulerunt (*Marc.* XIV). Petrus quoque in tantum sibi constrictus, ter negavit (*Matth.* XXVI).

« Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, » quia falsis testimoniis me vincere putabant. « Et dolos tota die meditabantur, » quibus me ante Pilatum accusare possent. « Ego autem, tanquam surdus, non audiebam, » quia nemini ullum responsum dabam. Unde quidam eorum ait : « Nonne audis quanta adversum te dicunt testimonia? (*Matth.* XXVII). » — « Et sicut mutus non aperiens os suum, » sicut scriptum est : « Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum (*Isa.* LIII). » « Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones. » Expositio est præcedentis versus « Quoniam in te Domine, speravi. » Ideo, inquit, non me defendi, quia non in me, sed in te speravi. Unde etiam quasi improperantes dicebant Judæi : « Confidit in Deum, liberet eum si vult (*Matth.* XXVII). » — « Et tu exaudies me, Domine Deus meus. » Sed unde exaudies? Sequitur :

« Quia dixi : Nequando supergaudeant mihi inimici mei, » Quod utique facerent nisi resurgerem. « Et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt, » quia, discipulis in fugam commotis, eum deridere cœperunt. Quid mirum?

« Quoniam ego in flagella paratus sum. » Ut Petrus ait : « Cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur (*I Petr.* II). » — « Et dolor meus in conspectu meo semper, » non pro me tantum, sed et pro meis.

« Quoniam iniquitatem meam annuntiabo. » Non quod iniquitatem fecisset, sed quia in eum iniquitas facta est. « Et cogitabo pro peccato meo, » id est, sollicitus ero pro peccato quod in me Judæi fecerunt. Sic enim dicimus, aggressum urbis, non quod ipsa aliquem aggrediatur, sed quia ab aliquo aggressa est.

« Inimici autem mei vivunt. » Non utique vivent, sed morte morientur. « Et confirmati sunt super me, » ipsi namque Judæi testes sunt quoniam, ex quo Christus passus est, semper viles et debiles, sine honore et fortitudine fuerunt. « Et multiplicati sunt qui oderunt me inique, » non equidem multiplicati, sed et prole et divitiis minorati sunt, et merito. Sunt « qui retribuunt mihi mala pro bonis, detrahebant mihi. » Quis enim omnia bona enumerare potest quæ Judaico populo Dominus fecit? Quis derisiones et opprobria explicare valeat, quæ Filio suo Domino nostro Jesu Christo Judæi intulerunt? « Quoniam sequebar bonitatem. » Hæc enim major et præpalior causa fuit, ut moreretur, quia « Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX), et quia Sabbato curabat (*Luc.* IX). » Quod nihil aliud quam bonitas erat. Et ideo « non derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me. » Cum, inquit, infernum expoliaveris, ne derelinquas me, sed « intende in adjutorium meum, » ut victor cum triumpho ad te veniam, « Domine, Deus salutis meæ. »

EXPOSITIO PSALMI XXXVIII.

« Dixi : Custodiam vias meas. » Vox Ecclesiæ : Vias suas custodivit, qui a vitiis bona opera dedidit. « Ut non delinquam in lingua mea. » In lingua namque peccant qui sanctum dant canibus, et margaritas ante porcos mittunt (*Matth.* VII); iste autem opera sua sic custodire promittit, ut neque in opere, neque in sermone delinquat.

« Posui ori meo custodiam. » Non improperantibus respondi, non maledicentibus maledixi, sed ori meo custodiam posui, secundum illud : Pecuniam et æs rum tuum alliga bene, et fac ori tuo ostium et seram. « Cum consisteret peccator adversum me, » qui non ædificationis causa, verum ut mecum disputaret, meque reprehenderet, audiebat. « Obmutui et humiliatus sum, » quia, quasi victor, eorum petuli garrulitatem. « Et silui a bonis, » quia verbis obedire nolebant. Huic autem simile quiddam in Ezechiele legitur, qui cum Judæis prædicare vellet, ait ei Dominus : « Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exasperans est (*Ezech.* III). — « Et dolor meus renovatus est, » id est, amplius et intolerabilius crevit. « Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis; » Ira namque ira, et Isaias accensus erat, quando dicebat : « Domine, quis credit auditui nostro? (*Isa.* LIII). »

« Locutus sum in lingua mea, » id est, in fragilitate cordis, in cogitatione, quam peccator redarguere non valet. Sed quid dixi? « Notum fac mihi, Domine, finem meum. » Nullus enim in hac vita finem suum cognoscere potest, finem namque suum videre desiderabat Apostolus, cum diceret : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Phil.* I). » — « Et numerum dierum meorum quis est ; » illi quippe dies vere dicuntur esse, qui semper sunt, et nullum finem habent. « Et scio quid desit mihi. » Nemo enim in hoc seculo

Digitized by Google

positus ad plenum scire valet quid ei desit ; sed cum illam supernam et ineffabilem beatitudinem perenerit, tunc se miserum et bonis cunctis egentem hoc sæculo fuisse cognoscet. « Ecce mensurabiles posuisti dies meos. » Singula singulis respondent : los, inquit dies mihi demonstra, quia isti quidem anseunt, et nullius numeri sunt. Ut sciam quid sit mihi, quia hæc mea quidem substantia mihi t, sed a te pro nihilo reputatur. Unde scriptum st : « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram » (*Isa.* XL). » Vel etiam, tanquam nihilum est substantia et esse sanctorum, ad illius essentiæ comparationem, quam ante Dominum habebunt; « fulgebunt » namque « sicut sol in regno Dei (*Matth.* III). »

« Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens : verumtamen in imagine pertransit homo, sed t frustra conturbatur. » Isti duo versus proximo superiori versui respondent. Quamvis dies, inquit, mensurabiles et transitorii sint, humana tamen fragilitas nihilominus in vanitate persistit. Hominem n hoc loco pro peccatore posuit, et quamvis hæc substantia nulla sit, verumtamen in imagine pertransit homo, quia, ut imaginaria et falsa bona conreget, de regno in regnum, maria, et cuncta pericula homo pertransit, et vere homo, quia non arlum, sed humum et pulverem petit. Sive, ad imaginem Dei factus homo (*Gen.* I) pertransiit, quia non Dei, sed diaboli similitudinem imitatur. Sed et frustra conturbatur.

« Thesaurizat » enim, « et ignorat cui congregabit ea. » Ideo, inquit, frustra conturbatur, quia, quamvis multa summis periculis ipsaque morte bona conquireret, cui tamen ea congregasset ignorat, utrum furibus, hostibus, an privignis.

« Et nunc quæ est exspectatio mea? » Non aurum vel argentum, non prædictæ divitiæ, in quibus acquirendis homines desudant. « Nonne Dominus? » Vere Dominus, quo quidem accepto nihil defuerit. « Et substantia mea apud te est, » quam nec tinea demolitur, nec fures effodiunt vel furantur (*Matth.* VI). « Ab omnibus ergo iniquitatibus meis erue me, » quod debes, nam « opprobrium insipienti dedisti me. » Cum enim ad prædicandum discipulos misit, tunc eos insipientibus in opprobrium dedit. Unde ipse ait : « Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum *Joan.* XV). »

« Obmutui, et non aperui os meum, » sed cum patientia et silentio cuncta inimicorum pertuli tormenta ; Magistrum sequens, qui sicut ovis ad victimam ductus est, et non aperuit os suum (*Isa.* LIII). « Quoniam tu fecisti, amove a me plagas tuas. » Tua factura sum, tuum plasma sum, tu me fecisti, miserere mei.

« A fortitudine manus tuæ ego defeci. » Sicut aurum in fornace probat Dominus electos suos (*Sap.* III). Flagellat enim omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII), unde fit ut a fortitudine potentiæ suæ deficiant, et carnis robur amittant. Unde Apostolus : « Crucifixus, inquit, sum mundo (*Gal.* VI). » Confirmatio. « In increpationibus, propter iniquitatem corripuisti hominem, » quod enim homo corripitur, non sine causa fit.

« Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, » quia indumentum justitiæ sibi texendo atque filando, pro operis studio atque instantia ab omni vitiorum pinguedine defecit. Hæc enim est illa vestis nuptialis, qua qui indutus non fuerit, Christi prandium non merebitur. Unde Salomon ait : « Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum (*Prov.* XXXI). » Itemque : « Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum (*ibid.*). » Hanc autem lanam et linum, ejus viri, qui loquitur, anima, sibi filando, ab omnibus carnis concupiscentiis defecit. « Verumtamen vane conturbatur omnis homo, » quia pauci sunt qui bonorum exempla imitantes, a sæculi vanitate separentur. « Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam; auribus percipe lacrymas meas : ne sileas, » sed responde mihi, « quoniam advena ego sum, » in hoc mundo manens. « Apud te, » quia a voluntate tua non discedo. « Et peregrinus sicut omnes patres mei, » quia « dum in corpore sumus, a Domino peregrinamur (*II Cor.* V). » Nam pro transeuntibus fit iste psalmus, qui, de hujus mundi peregrinatione ad patriam transeuntes, merito peregrini vocantur.

« Dimitte mihi, ut refrigerer, prinsquam abeam. » Prius, inquit, quam moriar, dimitte mihi peccata mea, ut in illa cœlesti beatitudine refrigerium habeam. « Et amplius non ero, » quia in inferno nulla est redemptio; siquidem non dimissis peccatis illuc, inquit, si pervenero, scio quia amplius non ero Melius enim est non esse quam infeliciter esse.

EXPOSITIO PSALMI XXXIX.

« Exspectans exspectavi Dominum. » Vox Ecclesiæ : Diu, inquit, exspectavi Dominum qui de hujus sæculi miseriis me liberaret. Hoc enim Abraham, Isaac et Jacob, hoc Isaias, Jeremias, hoc ipse David, hujus dictaminis compositor, exspectavit. « Et intendit mihi, » id est, ad meum gaudium et utilitatem in mundum venit. Unde ipse Dominus ait : « Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt (*Luc.* X). » Itemque : « Abraham, pater vester, exsultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est (*Joan.* VIII). » — « Et exaudivit preces meas. » Venit, inquit, et exaudivit me. Nullus enim Christum deprecatus est, qui misericordiam non invenisset. « Et eduxit me de lacu miseriæ, » id est de inferno, vel de vitiorum profunditate. Confirmatio. « Et de luto fecis, » id est, de errore litteræ, vel gentilitatis.

« Et statuit supra petram pedes meos. » Pedes, inquit, meos, sensus meos, opera mea statuit, et firmavit in seipsum, et in fidem suam, ne in lacum et in lutum fecis immergerentur « Et direxit gressus meos. » Neque enim me supra petram positum,

Digitized by Google

otiosum esse permisit, sed ad Evangelium prædicandum pedes meos direxit. Sive, opera mea, quæ prava et aspera erant, in directa et vias planas convertit, « Et immisit in os meum canticum novum. » Gressus quidem ad evangelizandum direxit, neque os vacuum, mutuum, et elingue esse voluit, sed novum canticum mihi dedit, quia novus homo venit in mundum, et novam legem dedit mundo (GREG. hom. 32). « Carmen Deo nostro. » Carmen, inquit, mihi dedit quod Deo nostro acceptabile est, non vanam philosophiam, aut comicorum scurrilitatem.

« Videbunt multi, et timebunt. » Qui enim cæci erant, et de Deo nihil intelligebant, hoc quidem audientes illuminati sunt. Vos igitur apostoli, lux estis mundi (*Matth.* v), quandoquidem cæcos illuminatis. Et timebunt. Quid timebunt? non utique pristinam vanitatem, sed Dominum ipsum, cujus « timor est initium sapientiæ (*Psal.* cx). » — « Et sperabunt in Domino, » non in incerto divitiarum, quæ hodie habentur, et cras non invenies.

« Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus. » In Domino quidem sperabunt, et beatus ille vir, cujus spes erit nomen Domini. Nomen autem Domini est Jesus, qui *Salvator* interpretatur. Beatus ergo ille qui se a Jesu salvari sperat.

« Et non respexit in vanitates, et insanias falsas, » ut idola adoraret et avaritiæ deserviret, vel divitias sæculique honores, quæ homines insanos faciunt, concupisceret. « Multa fecisti, tu Domine Deus, mirabilia tua. » Videntes prædicatores hodie multos credentes, qui heri idola adorabant, exclamabant : Multa fecisti, tu Domine Deus, mirabilia tua, « et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. » Ecce attende.

« Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. » Annuntiaverunt apostoli, crediderunt gentes, nata est illa soboles, quæ stellis cœli comparatur, quarum præ multitudine nullus est numerus.

« Sacrificium et oblationem noluisti, » Quia non Judæos, sed gentium populum elegisti. Unde ipse Dominus Judæos interrogans ait : « Quid est, misericordiam volo et non sacrificium? (*Matth.* IX.) » In quibus verbis non Judæos, qui hircorum et taurorum sacrificium faciebant (*Levit.* XVI), sed gentiles, qui sola misericordia salvantur, se voluisse insinuat. « Aures autem perfecisti mihi, » quia solo auditu crediderunt apostolis (*Marc.* I). Legerunt namque in prophetis Judæi, audierunt et viderunt Christum, non tamen crediderunt (*Joan.* X). Gentes autem non viderunt, sed Evangelium audientes credidere (*Act.* XIII). « Holocaustum, et pro peccato non postulasti, » quia nec etiam pro peccatis tale sacrificium offerri debet. Possumus etiam sic intelligere, neque holocaustum voluisti, neque hostiam pro peccato, « tunc dixi : Ecce venio. » Hucusque Ecclesia, nunc autem loquitur Christus, et priori hujus psalmi versui respondet :

A Tu, inquit, me exspectans exspectasti, ego autem nunc dixi : Ecce venio, carnem assumo, teque de infernis expedio. Apostrophe ad Patrem : Venio, Pater, sicut præcepisti mihi : « ut facerem voluntatem tuam. Et legem tuam in medio cordis mei, » quod equidem Deus meus, volui, sicut « in capite libri scriptum est de me. » Sic enim se habet ordo. Nunc autem intelligentiam expediamus : in capite namque legis libri scriptum est : « Sed in lege Domini voluntas ejus (*Psal.* I). » Hoc autem est quod hic dicitur, « ut facerem voluntatem tuam, « Et in lege ejus meditabitur die, ac nocte. (*Ibid.*). » Hic autem scriptum est : « Et legem tuam in medio cordis mei. » Hæ autem satis æquipollentia sunt.

« Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna, B quia et per se, et per apostolos, universalem Ecclesiam docuit (*Marc.* XVI), quæ ex omnibus mundi partibus collecta est. « Ecce labia mea non prohibebo. » Labia Dei, apostoli sunt, quia per eos loquitur; hos autem ad tempus prohibuit dicens : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis (*Matth.* X). » Postea vero non solum [non] prohibuit, sed etiam omnibus gentibus prædicare præcepit. Ait enim : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI). » — « Domine, tu scisti. » Testem et hic Deum invocat, quia in omnibus gentibus apostolos prædicare jussit, ut nulla in judicio possit fieri excusatio.

« Justitiam tuam non abscondi in corde meo, » C Unde ipse discipulis ait : « Quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis (*Joan.* XV). » Ideoque et apostolis præcepit, ut neque sacculum neque peram secum deferrent (*Luc.* X). Sacculum namque portat, qui verba divina in corde celat. « Veritatem tuam et salutare tuum dixi, » quia me tuum esse Filium confessus fui (*Marc.* XIV). « Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio multo, » quia coram Judæis, coram Pilato, et ante principes et sacerdotes se Christum esse dicebat (*Matth.* XVI). « Tu autem, ne longe facias miserationes tuas a me. » Hoc autem secundum hominem loquitur. « Misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me. » præteritum pro futuro posuit. « Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus, » qui D pro totius mundi delictis mortuus est (*II Cor.* V). Sed quis omnium delictorum numerus esse potest? « Comprehenderunt me iniquitates meæ, » id est iniquitates mihi illatæ, Judæi videlicet, qui tanta nequitia pleni erant ut non solum iniqui, verum etiam ipsa iniquitas rite vocentur. « Et non potui ut viderem. » Non, inquit, aperui oculos, neque aperire potui, ut aliquos viderem, nisi inimicos et mihi adversos.

« Multiplicati sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me. » Nam quia et mei me dereliquerunt, et inimici innumerabiles erant, idcirco nisi inimicos videre non potui. Cor Christi vocat apostoli, quia omnes sapientiæ et scientiæ thesauros

Digitized by Google

» eos recondidit, utque seipsum eos dilexit (*Joan.* A v). « Complaceat tibi, Domine, ut eruas me. Domine, ad adjuvandum me respice.» Rogat humanitas ivinitatem, ut eam ab inimicis eripiat, quia ipsa ecundum se infirma et debilis erat. « Confundantur t revereantur simul qui quærunt animam meam, t auferant eam. Avertantur retrorsum, » vel, a eccato ad justitiam, vel, ab his quæ sursum sunt, t semper infima petant, vel etiam, quia in faciem uam ceciderunt (*Joan.* xviii). « Et revereantur, ui volunt mihi mala. » Quid revereantur? Vel Deum, vel pœnam, quæ illis subito superveniet.

« Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt nihi : Euge Euge, » sive, ut de peccatis erubescentes pœniteant, sen, quia cito ab hostibus subvertentur. « Exsultent, et lætentur super te omnes quærentes te. » Omnes, inquit, qui per fidem et dilectionem te quærunt, exsultent non in se, sed in te; ut «qui gloriatur in Domino glorietur (*I Cor.* i). »—«Et dicant semper : Magnificetur Dominus, » id est, imperium, et potentia, et credentes in eum. « Qui diligunt salutare tuum, » id est Christum Filium tuum, per quem universorum salutem operaris. « Ego autem mendicus sum et pauper. » Merito, inquit, me diligere debent, quia, cum omnium dives essem, pro eis pauper factus sum (*II Cor.* viii). « Sed Dominus sollicitus est mei, » quia omnibus superabundat. « Adjutor meus et protector meus tu es : Deus meus, ne tardaveris, » sed cito subveniens auxilium præsta.

EXPOSITIO PSALMI XL.

« Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. » Vox Prophetæ : Ego quidem psalmos compono, super me tamen intelligendi non sunt. Beatus ille erit, qui non ad litteram, sed spiritualiter, et psalmos et cæteros prophetas super egenum, et pauperem intelligit. Per egenum autem, et pauperem, Christum designat, qui cum omnium dives esset, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* viii). « In die malo liberabit eum Dominus ; » dies namque judicii, et malus erit malis, et bonis bonus. In hoc autem die liberabitur Ecclesia, quæ Christum credidit et intellexit. Vos autem perfidi Judæi, malum diem exspectate, qui super antichristum psalmos intelligitis.

« Dominus autem conservet eum, et vivificet eum. » Video, inquit, egenum et pauperem. Jam carnem sumit, ecce venit. Sed quænam est illa malorum multitudo, qui ei adversantur? O nefas, servi in Dominum insurgunt, hæredem agricolæ interficere cupiunt (*Marc.* xii), pontifices et sacerdotes illudentes circumstant (*Matth.* xxvii). Dominus autem conservet eum, ne ab his canibus mitis Agnus diripiatur; et vivificet eum die tertia. «Et beatum faciat eum in terra » viventium, eam sibi claritatem reddens, quam priusquam mundus fieret secum habuit (*Joan.* xvii). « Non tradat eum in animam inimicorum ejus. » Quod equidem esset, nisi a mortuis resurrexisset.

« Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. » Lectus doloris, caro est, secundum quam Christus affligebatur. « Universum stratum ejus versasti in infirmitate. » Ideo, inquit, ut in lecto doloris ei auxilieris te deprecor, quia totus in infirmitate versatur. Unde Isaias : « A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas (*Isa.* i). » Totum igitur corporis ejus in infirmitate erat dicens :

« Ego dixi : Domine, miserere mei, » id est meorum. « Sana animam meam, quia peccavi tibi. » Nunquid Christus peccatum fecit? absit. Sed animam suam Ecclesiam dicit, quam præ omnibus dilexit. Unde scriptum est : « Pellem pro pelle, et omnia quæ habet homo dabit pro anima sua (*Job* ii). » Nihil B enim hominis habuit, quod pro hac anima non dedisset. Pellem quoque pro pelle dedit, quia pro carne nostra, suam morti tradidit. Rogat igitur Patrem ut Ecclesiam sanet, quæ a peccatorum multudine infirmata est.

« Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur?» Hæc enim mala cogitabant et dicebant Judæi de Christo : Quando morietur iste, qui miraculorum operatione totum post se mundum trahit, et quando « peribit nomen ejus, » ut nullus eum confiteatur? Unde in Evangelio dicitur : « Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur, extra Synagogam fieret (*Joan.* ix). »

« Et si ingrediebatur, ut videret vana. » Nunc ad ipsum capitalem convertitur inimicum, qui eum C pessima proditione tradidit. Et si, inquit, aliquando ingrediebatur in prætorium, inter inimicos, et Judæorum consilium, ille pessimus omnium inimicorum Judæorum Judas, ut videret vana, quæ ab ipsis machinabantur, « loquebatur cor ejus, » id est cogitabat quid diceret et responderet. « Congregavit iniquitatem sibi. » Sibi quidem, id est ad perditionem sui congregavit iniquitatem, quia « bonum illi erat si natus non fuisset (*Matth.* xxvi). »—« Et egrediebatur foras, » quia audito consilio, de prætorio exibat. « Et loquebatur in idipsum, » id est, de eadem re.

« Adversum me susurrabant omnes inimici mei, » id est, in meæ mortis consilio exercebantur. « Ad- D versum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum constituerunt adversum me, » dicentes, « Crucifige, crucifige (*Joan.* xix), » sicut scriptum est : « Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium (*Isa.* xv). » Sed « nunquid qui dormit, non adjicit ut resurgat? » Vere surget. « Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me, supplantationem, » quia eum osculo tradidit (*Luc.* xxii). « Tu autem, miserere mei, et resuscita me, » a mortuis. « Et retribuam eis : » hoc erit in judicio, quando eos in infernum præcipitabit.

« In hoc cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. » Nam neque Judæi, neque maligni spiritus de morte Christi

Digitized by Google

gavisi sunt : illi enim et locum et gentem amiserunt ; isti vero prædam, quam captivam detinebant.

« Me autem propter innocentiam suscepisti. » Illos autem propter illorum multas iniquitates omnino perdes. « Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum, » quia ad Patris dextram sedet. Unde « Benedictus sit Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum. » Nos autem « Amen, Amen » respondeamus.

Hic primus Psalterii liber finit.

EXPOSITIO PSALMI XLI.

« Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. » Vox Ecclesiæ : Quemadmodum, inquit, cervus aliquo veneno contactus ad aquarum fontes venire desiderat, ita anima mea ad te, Deus ; quam serpens antiquus mortifero veneno percussit. « Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei ? » Ante Dei faciem venire desiderabat Apostolus quando dicebat : « Cupio dissolvi et esse cum Christo (*Phil.* I). » Nulla enim alia de causa laborabant sancti, nisi ut ante Dei faciem læti pervenirent.

« Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. » Toxicatus fui, aquam sitivi, ad te venire desideravi, hoc desiderio flevi, die noctuque lacrymavi, et pro dulcissimo pane lacrymas habui. Sed nunquid lacrymæ panes fiunt ? fiunt equidem : ut enim pane satiatur corpus, ita compunctionis lacrymis reficitur anima. « Dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ? »

Ordo est. « Dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus, quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ? Hæc recordatus sum, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis, et effudi in me animam meam, dicens : Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. » Sic enim se habet ordo. Significatum videamus. Pagani namque, deos suos digito demonstrantes, olim sanctis dicere solebant : Vides deos nostros ? Vides Jovem, Saturnum, Mercurium, Venerem, et Dianam ? Tu autem dic nobis ubi est Deus tuus ? Hæc audiens vir sanctus, paulisper commotus ait : « Quare tristis es anima mea ? » Atilla : Quia Deum meum videre non possum, et « quare conturbas me ? » Nunquid illorum persuasio prævaluit ? nunquid ea quæ dicunt vera esse arbitraris ? Recordare, quæso, quoniam transibis « in locum tabernaculi admirabilis, » et usque « in domum Dei, » et tunc tandem Deum tuum videbis. Sed quomodo transibis ? « in voce exsultationis, » et ineffabilis gaudii, « et confessionis, » et laudis, quæ vox nihil aliud erit, quam « sonus epulantis » nihilo indigentis, semperque gaudentis. « Hæc, inquit, recordatus sum, et effudi in me animam meam. » Nunquid anima sua extra eum erat ? Nunquid jam eum dereliquerat ? Vere dereliquerat, quia prædicta suasione decepta, jam post deos alienos A ire volebat. In se igitur animam suam effudit, quia a prava voluntate eam retraxit, dicens : « Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi. » Hæc autem quæ dicta sunt, non ita sunt accipienda, quasi alteri alter loquatur, sed ipsa anima seipsam hortatur, et in Dei servitio confortat. Apostrophe : « O salutare vultus mei, et Deus meus ! » vide quia ad meipsum anima mea conturbata est, propterea ut eam consoleris, memor ero tui, venientis « de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico. » Hoc autem ad litteram. Spiritualiter sic intelligitur Jordanis *descensio*, vel *humiliatio* ; Hermon autem, *anathema* interpretatur. Memor est ergo Domini de terra Jordanis qui in humilitate carnis, vel in corpore baptizato Domino servit. Qui vero diabolum anathematizat, vel a vitiis B separatur, de terra Hermoniim Domini recordatur. In monte autem modico erat Apostolus, quando dicebat : « Ego autem sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus (*I Cor.* XV). »

« Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. » Ac si dicat : Tui quidem semper memor ero, pro quo abyssus abyssum invocat, id est, Novum Testamentum Vetus Testamentum trahit, quæ ob intelligentiæ profunditatem, utraque abyssus vocantur. Et hoc quidem in voce cataractarum tuarum. Namque cataractæ, fenestræ cœli esse dicuntur. Apostoli autem cœli sunt. Sunt ergo ora apostolorum cataractæ cœli. Per hos autem abyssus invocat abyssum, quia evangelica prædicatio a Veteri Testamento per apostolos confirmatur. Vel etiam C abyssus abyssum invocat, quando pœnam et infernum peccatoribus apostoli denuntiant. Utrumque enim diversis de causis abyssus dicitur. Quibus prædicantibus, « omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt, » quia etiam invisibilia illius creatura mundi apostolorum prædicatione aperta sunt. De his autem fluctibus et alibi dicitur : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* LXXXVI). » Transierunt ergo excelsa et fluctus Dei super Ecclesiam, quia et invisibilia vidit, et sancti Spiritus inundationem recepit.

« In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus. » Quid est misericordia sua ? Christus. Quibus mandavit in die ? nobis quidem. Quibus autem in nocte ? Judæis. Judæis D namque, nisi in nebula et caligine, nunquam apparuit (*Exod.* III, XIII, XIX, XXIV), significans quia carne sumpta ab eis cognoscendus non erat : nobis autem in die mandavit, qui in eum credimus, eum cognoscimus et veneramur. Unde dictum est : Vobis autem credentibus Filium, « nomen meum timentibus, orietur sol justitiæ (*Mal.* IV). » Si igitur sol in die, et nocte canticum ejus, quid autem est quod in die misericordiam, in nocte vero canticum mandavit, nisi quia... credentibus autem, legem et prophetas dederat ? Aliter : In die mandavit misericordiam, in nocte cantaverunt sancti. Quid cantaverunt sancti ? Quid cantaverunt ? Canticum ejus. Quid est autem in nocte, nisi inter peccatores, in carceribus et in

Digitized by Google

adversis. Ideoque « apud me » est « oratio » in corde, in homine interiore, quam debeo « Deo vitæ meæ, » qui me jam mortuum vivificavit. « Dicam Deo : Susceptor meus es, » quia nunquam in te sperantes derelinquis.

Et dicam : « Quare oblitus es mei? » Non sum, inquit, oblitus. At ille : « Quare ergo contristatus incedo, dum affligit me inimicus. » Quod æquipollens est ac si diceret : Quare ergo me inimicus malignus spiritus, vel terrenus persecutor affligit? quamobrem non sine dolore atque tristitia vitam ago.

Apostrophe ad seipsum : « Dum confringuntur ossa mea. » Hoc ad litteram. Et dum « exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei. Et dum dicitur mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus? Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? » Noli, inquit, conturbari, sed « spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, » qui est « salutare vultus mei, et Deus meus. » Vultus pro voluntate ponitur, quia in vultu voluntas dignoscitur. Est igitur salutare voluntatis illius, quia eum, ut supra diximus, a bona voluntate separari non permisit.

EXPOSITIO PSALMI XLII.

« Judica me, Deus, et discerne causam meam. » Vox fidelis animæ : Non me, inquit, judicet inimicus, non falsa hominum opinio, quæ bonum malum, et e converso malum bonum facit, sed tu me judica, qui justus es atque misericors. Et discerne causam meam ; quam si justam comperieris, « eripe me de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso, quia tu es Deus et fortitudo mea. » Tu me, inquit, ab inimicis libera, qui mea virtus es et fortitudo. « Sed quare me repulisti? » Non te, inquit Dominus repuli. « Quare » ergo « tristis incedo dum affligit me inimicus, » ac si dicat : Nisi tu me repulisses, neque me quidem inimicus affligeret, neque ego etiam afflictus constristarer. Quod ne amplius fiat, fac quod sequitur :

« Emitte lucem tuam, et veritatem tuam. » Auferi tenebras et da lucem ; aufer errorem, da veritatem, ut et illuminati sequamur lucem, et credentes veritatem teneamus. « Ipsa me deduxerunt. » Unde? ab errore, ab iniquitate ; nam lata et spatiosa via, quæ ducit ad mortem. « Et adduxerunt » ubi? « in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua, » id est in Ecclesia, in consilio justorum et congregatione.

« Et introibo ad altare Dei. » Non idolis amplius sacrificabo, non eorum altaria venerabor, sed introibo ad altare Dei, ibique hostiam vivam et immaculatam ei immolabo. Altare Dei, Ecclesia est, vel fides, id est Novum et Vetus Testamentum, sive anima uniuscujusque ; in his enim omnibus, corporis et sanguinis Domini commemoratio fit.

« Ad Dominum, qui lætificat juventutem meam. » Quia, vetere exuto, novo homine indutus sum. « Confitebor tibi in cithara, » id est in dulciloquio, in carnis tortura et afflictione, in concinnantibus. « Quare ergo tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, » et in cithara, et in psalterio, cæterisque musicorum instrumentis, qui est « salutare vultus mei, et Deus meus. »

EXPOSITIO PSALMI XLIII.

« Deus, auribus nostris audivimus. » Vox martyrum : Deus, auribus nostris audivimus. A quibus? « Patres nostri annuntiaverunt nobis. » Quid nuntiaverunt? « Opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis. » Quid est illud? « Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos, » patres nostros, in hæreditatem. « Afflixisti populos, » gentium. « Et expulisti eos » a terra lacte et melle fluente. Qualiter de Pharaonis potestate Judaicus populus exierit, maximus nos prophetarum Moyses docuit ; per agni namque immolationem exisse denuntiavit (*Exod.* XII). Sic igitur et nos per Christi passionem de diaboli potestate erepti sumus (*Col.* I). Illi quidem mare Rubrum transierunt (*Exod.* XIV). Nobis autem dictum est : « Nisi qui renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III). » Illi per quadraginta annos in deserto fuerunt (*Exod.* XVI), nos autem procul a patria, in hujus seculi peregrinatione degimus (*Hebr.* XIII). Illi manna (*Exod.* XVI), illi aquam de petra sumpserunt (*Exod.* XVII) ; nos autem vivum panem, nos Dei Filii carnem (*Joan.* VI), nos vivam aquam de petra recepimus. Petra autem erat Christus (*I Cor.* X). Illis lex in monte Sinai (*Exod.* XX), nobis autem Evangelium in monte Sion datum est (*Matth.* V). Illi arca fœderis destruunt urbes (*Jos.* VI) ; nos autem cruce Domini, qua pacatus est mundus, vincimus inimicos. Illi Hethæum, Amorrhæum, Pherezæum, Jebusæum, Chananæumque populum destruxerunt (*Jos.* II) ; nos autem superbiam, luxuriam, et avaritiam, et discordiam supplantamus. Illi, cunctis hostibus devictis, terram promissionis ingressi sunt ; nos autem, omnibus vitiis superatis, terram viventium intrabimus. Hoc autem est quod audivimus. Hoc apostoli, hoc prophetæ, hoc patres nostri annuntiaverunt nobis. Hoc opus in antiquis temporibus fecit ; hoc in nostris temporibus Dominus operatur. « Non enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis. » Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Nullus igitur terram suam, carnem suam, corpus suum, se suis viribus a vitiis defendere arbitretur, sed dextera Dei, brachio Dei, et illuminatione vultus ejus. Unde Apostolus : « Qui cum sit, inquit, splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus (*Hebr.* I). » — « Tu es ipse rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob. » Tu ipse, inquit, per quem patres nostri inimicos destruxerunt, es rex meus, quia non jam peccatum, non diabolus, non superbia mihi dominatur. Et Deus meus, quia alium non adoro. Quia mandas salutes Jacob. Quid per Jacob nisi Ecclesiam? Quid per salutem nisi Christum? Mandavit igitur Dominus salutem Jacob, quia per Filium suum salvavit Ecclesiam.

« In te inimicos nostros ventilabimus cornu. »

Digitized by Google

Ergo, quia rex noster es, per te inimicos nostros A cornu, minanti voce, bellico timore, ventilabimus et concutiemus. « Et in nomine tuo » confidentes, « spernemus insurgentes in nobis, » id est vitia, perseratores, speculatores, et malignos spiritus. « Non enim in arcu meo sperabo, » siquidem Jacob est, merito cum arcu describitur; Jacob enim *supplantator* interpretatur. « Et gladius meus non salvabit me, » non meus, sed tuus, tuo namque gladio pugno, tuoque gladio tibi vinco. Tuus est gladius, spiritus siquidem est verbum Domini (*Ephes.* VI).

« Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti, » ideoque, « in Deo laudabimur tota die, » ut « qui gloriatur in Domino glorietur (*II Cor.* X). »—« Et in nomine tuo confitebimur B in sæculum sæculi, » quia a Christo Christiani vocamur.

« Nunc autem repulisti et confudisti nos. » Quid est autem quod superius se salvatum, nunc vero repulsum atque confusum esse dicit? Pro temporum diversitate loquitur, quia aliquando in prosperis, aliquando autem in adversis erant sancti; aliquando a populis venerabantur, aliquando a tyrannis affligebantur. Quod autem se repulsum dicit, secundum malorum reputationem loquitur. « Et non egredieris in virtutibus nostris, » id est non videris egredi, cum nos tribulari permittis.

« Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, » ut catenis vinctos nos post se traherent. Unde C Apostolus dicit : « Obsecro vos ego vinctus in Domino (*Ephes.* IV). » Vel quia multi, mortis timore, a via veritatis retrorsum conversi sunt. Sive etiam, ante, et non post eos, erant inimici, quia non jam occulte, sed in facies et manifeste eos occidebant. « Et qui oderunt nos diripiebant sibi, » alios flagellantes, alios, occidentes, alios in carcerem tradentes.

« Dedisti nos tanquam oves escarum, » et soli morti destinatos, vel quia crucem Domini deferentes ejusque exemplum observantes, sicut oves ad victimam ducti sunt, non reclamantes, non se ipsos defendentes. « Et in gentibus dispersisti nos; » namque et Petrus Romæ est crucifixus, et Thomas in India occisus; et, ne longe petantur exempla, D B. auctor libri fuit Astensis : B. Secundus, in hac nostra Astensi civitate interemptus.

« Vendidisti populum tuum sine pretio. » Namque sine pretio vendebantur sancti, cum, pro aliorum salute quibus prædicabant morientes, nulli, in illorum morte, ad Dominum convertebantur. Laurentius autem non sine pretio venditus est, quia et Romanum, et Hippolytum, et Lucillum multosque alios in ipsa passione Domino acquisivit. « Et non fuit multitudo in commutationibus eorum. » Commutabantur sancti, quia de morte ad vitam transibant : in hac autem mutatione, nulla aliquando credentium erat multitudo. Hoc autem et de Judæis intelligi potest.

« Posuisti nos in opprobrium vicinis. » Repetitio: « Subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro. »

« Posuisti nos in similitudinem gentibus. » In hoc, inquit, similitudinem nos gentibus dedisti, quia, si te persecuti sunt, et nos persequentur (*Joan.* XV), si te interfecerunt, et nos interficient. Vel in similitudinem gentibus sanctos suos dedit, quia ad tantum quodam tempore miseriam pervenerunt, ut si quis alicui mala contingere vellet, sibi Christianorum calamitatem irrogaret. « Et commotionem capitis in populis. » Quis enim paganorum ligatos, afflictos, nudos, decorticatos sanctos vidit, et non continuo cum derisione caput concussit? Hoc enim et a Christi passione Judæi fecisse legantur (*Matth.* XXVII). Sive etiam, cum a superbia, luxuria, et avaritia, quæ multorum caput et domini erant, quamplures apostoli liberarent, quid aliud erat quam capitis commotio?

« Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me. » Vox Christi : Quid est, martyres, quod plangitis? Quid mihi vestras miserias nuntiatis? nunquid et vos meas audire vultis? Tota namque die, toto passionis tempore, verecundia mea, clavi, crux, verbera, spinea corona, Judæi insultantes, capita moventes, genu flexo salutantes coram me sunt (*Matth.* XXVII). Et confusio faciei meæ, non vos tantum, sed et me cooperuit. « A voce exprobrantis, et obloquentis, » Judaici populi. « A facie inimici, et persequentis, » Judæi.

« Hæc omnia venerunt super nos. » Hæc omnia, dicunt martyres, quæ tibi accidisse dixisti, super nos quoque venerunt. « Nec obliti sumus te, » sed in his omnibus superamus. « Et inique non egimus » mortis timore « in testamento tuo, » sed semper veritatem annuntiavimus. « Et non recessit retro cor nostrum, » sed semper ad ea, quæ ante sunt, nos extendimus, ad promissum bravium festinantes. « Nec declinasti semitas nostras a via tua, » id est opera nostra de via tua exire non permisisti. Sed dico : Quid est ergo quod querimur? Sequitur :

« Quoniam humiliasti nos in afflictionibus, » id est in hoc sæculo, in corpore nostræ peregrinationis. « Et cooperuit nos umbra mortis, » id est carnales tribulationes, quæ non mors, sed quædam mortuis significatio sunt. « Si tamen obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nonne Deus requiret ista? » Requiret utique; « ipse enim novit occulta cordis. » Sed quoniam propter te mortificamur tota die, et æstimati sumus sicut oves occisionis, « exsurge, » nos oves, tu pastor; ecce canes, ecce lupos; exsurge igitur pastor, custodi oves : quare igitur dormis? « exsurge et ne repellas in finem, » id est omnino. Vel ne repellas ad te venientes, qui principium et atque finis (*Apoc.* I).

« Quare faciem tuam » a nobis « avertis? » aut « oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis, » quam pro te perferimus? « Exsurge, adjuva nos, et redime

Digitized by Google

nos propter nomen tuum, » id est, gratis, non ex meritis nostris. « Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, » id est ab impiis et peccatoribus gravati sumus. « Conglutinatus est in terra venter noster, » quia in terrenis rebus molliores, et Ecclesiæ imperfectiores facti sumus. Vel etiam, terræ conglutinatur venter, cum sancti non solum genibus, sed toto corpore in orationibus prosternuntur.

EXPOSITIO PSALMI XLIV.

« Eructavit cor meum verbum bonum. » Vox doctorum. Quid per verbum bonum, nisi Evangelium? namque *bonum nuntium* interpretatur. Est igitur verbum bonum, siquidem bonum nuntium. Hoc autem eructant, i. affluenter significanterque prædicant doctores. « Dico ego opera mea regi. » Siquidem Evangelii operarii sunt doctores, non immerito eorum opus Evangelium dicitur. Sed nisi operarii quidem essent, nunquam de eis diceretur : « Dignus est operarius mercede sua (*Luc.* x). » Hoc autem opus dicant regi, hoc annuntiant ad laudem Dei. Unde Apostolus : « Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Dominum Jesum (*II Cor.* iv). »

« Lingua mea calamus scribæ. » Cujus scribæ? « velociter scribentis. » Si igitur apostolorum linguæ scriptoris calami sunt, quæ erunt tabulæ et chartæ ubi scribuntur, nisi fidelium pectora? Quid est ergo quod scribunt? vel quo atramento hoc faciunt? Evangelium quidem, et hoc spiritu divino. Unde Apostolus : « Epistola nostra vos estis, non atramento in tabulis lapideis scripta, sed spiritu Dei vivi in cordibus carnis (*II Cor.* iii). » Velociter autem scribebant, quia, ut in Actibus apostolorum secundo legitur, circiter tria millia una die crediderunt.

« Speciosus forma præ filiis hominum. » Conversio personæ. O Christe, qui præ filiis hominum forma es speciosus! « accingere gladio tuo. » Præ filiis namque hominum ipse forma speciosus est, quia nulla vitiorum macula eum decoloravit. « Diffusa est gratia in labiis tuis. » Tanta quippe gratia illius labiis fuit, ut dictum ejus pro factis haberetur. Præcepit namque Lazaro ut resurgeret, et resurrexit (*Joan.* ii). Præcepit cæco ut videret, et vidit (*Joan.* ix). Præcepit leproso mundari, et mundatus est (*Matth.* viii). « Propterea benedixit te Deus in æternum; » namque et in cœlis, et in terra, semper Christus laudatur et benedicitur.

« Accingere gladio tuo super femur tuum. » Per gladium, Evangelium intelligitur. Unde Apostolus : « Et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* vi). » Per femur vero, corpus Domini, eum intelligimus. Accinxit igitur gladium super femur, quia in carne assumpta Evangelium prædicavit. Et hoc « potentissime, » quia, sicut in Evangelio dicitur non ut Pharisæi, sed quasi potestatem habens prædicabat. Accinxit etiam gladium super femur, quia virtutum constantiam sanctis attribuit, qua et luxuriam, quæ in lumbis est et circa femur dominatur, et cætera vitia resecarent. Christus enim caput est, unde Apostolus : « Omnis, inquit, viri caput Christus (*I Cor.* ii). » Corpus autem est Ecclesia. Est igitur manus ejus, pes ejus, venter ejus, femur ejus, et ad hunc modum cætera.

« Specie tua et pulchritudine tua intende, » id est in specie et pulchritudine cresce. Sed nunquid intendi, aut remitti potest? Potest utique. Quo pacto? Secundum nos qui, ut dictum est, corpus ejus sumus. Nobis igitur, in specie et pulchritudine crescentibus, intenditur et corpus ejus, quocirca et ipse. Possumus autem et sic intelligere : Intende in specie et pulchritudine tua, ut imaginem et similitudinem, quam primo nostro parenti dedisti (*Gen.* i), in filiis eam renovare et reformare digneris. « Prospere procede. » Prospere, inquit, a Patre procede, prospere ex utero virginali progredere, prospere de sepulcro consurge, prospere ab inferis ad Patrem revertere; hæc enim omnia nobis prospera et felicia sunt. « Et regna, » totius mundi imperio pretioso sanguine tuo redempto.

« Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. » Hæc enim omnia regem decent : tu igitur regna, qui verus es, et mansuetus, et justus. « Et deducet te mirabiliter dextera tua, » id est fortitudo, virtus et potentia tua. Sed ubi deducet? ad Patrem. Quare mirabiliter? quia mortuus diabolum superasti. Aliter, propter veritatem Evangelii, et prædicantium mansuetudinem, et justitiam quam operantur, deducent te per omnes gentes, ut tuum nomen ubique annuntietur. Mirabiliter dextera tua, id est apostoli tui, qui prædicti corporis principalior pars inveniuntur, a quibus etiam Ecclesia est fabricata.

« Sagittæ tuæ acutæ. » Jam mittuntur apostoli, jam adornantur equi, ut regem Regum ubique deducant, jam acuuntur sagittæ, jam fides in bello cum idololatria comminiscebitur. Sed quoniam tui apostoli, tuæ sententiæ, tuæque sagittæ acutæ sunt, ideo « populi » devicti « sub te cadent, » te adorabunt, tibique humiliabuntur. Vel, populi, id est vitia, sub te cadent, de quibus alibi dixit : « Cadent subtus pedes meos (*Psal.* xvii). » Infixæ « in corde inimicorum regis; » adeo enim istæ sagittæ acutæ faciunt, ut dura et lapidea gentium corda penetrarent, vitiisque expulsis, regis inimicos amicos facerent.

« Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. » O quanta Dei pietas et misericordia! qui modo inimici, etc. *Reliqua desunt.*

EXPOSITIO PSALMI LXXXVI.

« Fundamenta ejus in montibus sanctis. » Vox Prophetæ. Cujus, ejus? neque enim cujus præposuit, et tamen ejus dixit. Quid est autem quod ejus tam absolute posuit, nisi quia prophetarum est cogitationibus verba conjungere? Tale est ergo ac si diceret : Fundamenta illius civitatis, de qua semper cogito, cujus pulchritudinem admiror, cujus turres ad cœlum sublevantur, cujus fundamenta non in vallibus, sed potius in montibus stabilita sunt. Hæc autem civitas sancta Ecclesia intelligitur, quæ super fundamentum apostolorum et prophetarum, in ipso summo angulari lapide, Christo Jesu, sita est. Hi

Digitized by Google

sancti montes excelsi et sancti, quorum fide et exemplis est Ecclesia constituta. « Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. » Portæ quippe Sion doctores sunt, qui in Ecclesiam alios introducunt. Vel etiam virtutes, quibus de Sion intratur in Hierusalem. Has autem diligit Dominus super omnia tabernacula Jacob, id est præ omnibus Judæorum conventiculis. Apostrophe : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. » Hoc enim dicit Dominus : « Memor ero Raab et Babylonis. » Raab quippe, *superbia;* Babylon, *confusio* interpretatur. Quid est ergo quod Raab et Babylonis se memorem fore promittit? Præsertim cum hæc meretrix, illa vero semper populo Dei adversata fuerit? Audi quod sequitur : « Scientium me. » Ergo non scientium immemor est. Si quis ergo Raab vel Babylon est, nihil desperet, quinimo det operam ut Dominum cognoscat; est enim memor scientium se. Peccator fuisti, adulter et fornicator, recordare Dei tui, ut et ipse tui misereatur. Babylon eras, confuse et indiscrete vivebas, habeas ergo rationem, ut tui Dominus recordetur. Sed quid his gloriosius invenitur? Si enim peccatores hujus civitatis eliguntur, quid fiet lapidibus pretiosis? Ubi non virgines erunt sanctissimæ, quando quidem meretricum memor est Dominus?

« Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic. » Nonne et iste versus quiddam gloriosissimum ponit? Sunt enim in Ecclesia non soli Judæi et indigenæ, verum etiam alienigenæ, Tyri et Æthiopes : « Non est personarum acceptio apud Dominum (*Rom.* II), » qui nigros vocat, et contristatos. « Populus enim qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam (*Isa.* IX). »

« Nunquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. » Non enim sola Sion hoc dicit, sed et ipse Dominus hoc narrat in scripturis populorum. Vera sunt ergo et credibilia apostolorum verba, non ficta et inventitia, ut Judæi putant. Quod enim apostoli prædicant hoc ipse Dominus in utroque asserit Testamento. Non ergo sola Sion dicit : Homo, et homo natus est in ea. Duo quippe hominum genera orta sunt in Ecclesia, Judæorum videlicet et gentilium. Unde Apostolus ait : « Num Judæorum Deus tantum? imo, et gentium (*Rom.* III). » Sive, homo et homo natus est in Sion, id est homo qui simpliciter est homo, et homo qui et Deus est, nempe homo Christus Jesus Dominus noster. Et ipse fundavit eam Altissimus. Ipse homo qui natus est in ea, ipse idem Altissimus est qui fundavit et fecit eam. Hoc enim in scripturis gentium, id est in Novo Testamento, hoc in principum et prophetarum, qui prius in hac venerabili civitate fuerunt, voluminibus comprobatur. « Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te. » Hujus, inquit, civitatis habitatio, non lætantium, sed sicut lætantium est. Nunc enim sola spe et solius promissi desiderio lætantur. Hæc autem non perfecte lætitia, sed quasi lætitia est; cum autem bravium sum pserit, tunc ineffabiliter gratulabitur.

EXPOSITIO PSALMI LXXXVII.

« Domine, Deus salutis meæ. » Vox capitis. Mentiuntur ergo qui dicunt : « Non est salus ipsi in Deo ejus (*Psal.* III), » siquidem tu es Deus salutis meæ. « In die clamavi, et nocte coram te. » Prædicatio, inquit, mea in die ac nocte, in prosperis et adversis in conspectu tuo fuit. « Intret in conspectu tuo oratio mea. » Olim, inquit, clamavi, nunc autem oro. « Inclina » ergo « aurem tuam ad precem meam. Quia repleta est malis anima mea, » id est passionis dolore mortisque amaritudine, sicut ipse ait : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). » « Et vita mea inferno appropinquavit, » non mortuis, quia ad infernum ivit, et unius [*f.* exuviis] eum exspoliavit (*Ephes.* IV). »

« Æstimatus sum cum descendentibus in lacum. » Putaverunt namque Judæi, ut sicut cæteri homines, ita et Christus ab inferno detineretur. « Factus sum sicut homo sine adjutorio. » Omnes enim : « Deus dereliquit eum (*Psal.* LXX) » clamabant; nullus ei ex tanta hominum multitudine subveniebat. « Inter mortuos liber, » quia liber ipse, qui fuit ligatus, liberos fecit; non est ligatus a morte, sed ipse ligavit mortem. De quo Joannes ait : « Et post mille annos solvetur Satanas (*Apoc.* XX); » cum enim solveretur dixit, ligatum esse probavit.

« Sicut vulnerati dormientes in sepulcris. » Sine Dei, subaudi, adjutorio esse creduntur, ita et ego. « Quorum non es memor amplius. » Cujus enim anima, a diabolo vulnerata, jam quasi mortua in dealbata carnis sepultura dormit, hujus merito Dominus oblitus esse dicitur. « Et ipsi de manu tua repulsi sunt; » repulsi sunt de manu Dei, ut manu diabolica constringantur. « Posuerunt me in lacu inferiori, » quoniam inferno et morti eum subjacere arbitrabantur. « In tenebrosis, et in umbra mortis, » in locis tartareis, quos mors obscurat et obumbrat.

« Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me. » Hoc autem est quod alibi dicit : « Quæ non rapui, tunc exsolvebam (*Psal.* LXVIII). » Humano quippe generi erat Deus iratus, qui ob unius noxam pessumdaturus erat; sed maluit Filium suum crucis mortem subire, quam omnes gentes interire. Unde propheta ait : « Propter peccata populi mei percussi eum (*Isa.* LIII). » — « Longe fecisti notos meos a me, » apostolos, sive Judæos. Apostoli enim a longe stabant; Judæi autem penitus ab eo longe facti sunt. « Posuerunt me abominationem sibi, » Judæi scilicet, qui necdum nomen ejus audire volebant.

« Traditus sum, et non egrediebar. » Proditore captus sum (*Matth.* XXVI), quamvis neminem fugiens, coram eis in Synagoga prædicarem (*Matth.* IV, IX, XIII).

« Oculi mei languerunt præ inopia. » O quantus oculus Petrus erat, qui a Deo languit, ut eum negaret! (*Matth.* XXVI.) Languerant et alii, qui eo relicto fugerunt (*Matth.* XXVI). Sed præ inopia, nondum enim intelligebant Scripturam, quia adhuc carnales

Digitized by Google

erant, et inopes divinitatis. Languisti et tu, Thoma, qui eum resurrexisse minime credebas (*Joan.* xx). Hos autem ex inopia occidisse ex eo comprobatur, quia, Spiritu sancto accepto (*Act.* II), nullo modo superari potuerunt. « Clamavi ad te, Domine. » Clamavit etenim, cum dixit, « Eli, Eli! (*Matth.* xxvii.) » — « Tota die expandi ad te manus meas, » in cruce affixas. Unde, et alibi dicitur : « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem mihi (*Rom.* x). »

« Nunquid mortuis facies mirabilia? » Quare, Judæi, me mortuum esse opinamini? Si enim, sicut cæteri, mortuus essem, non utique hæc miracula facere possem. « Aut medici suscitabunt, » quos ego non suscitavi? « Et confitebuntur tibi, » qui mihi non confitentur?

« Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione? » — « Pater, conserva eos quos dedisti mihi (*Joan.* xvii), » illumina oculos qui præ inopia languerunt. Isti enim sunt qui misericordiam tuam, veritatem tuam, et mirabilia quæ operaris, per omnes terras nuntiare debent; qui enim in sepulcris dormiunt, et inter perditos computantur, opera tua narrare non possunt.

« Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia, tua, et justitia tua in terra oblivionis? » Nam in Christi passione, et tenebræ in Judæa factæ sunt, et multa alia mirabilia (*Luc.* xxiii). Verumtamen Judæorum cæcitas non est diminuta. Notandum quod in passionis tempore, tenebræ factæ sunt, monumenta aperta, et multa sanctorum corpora surrexerunt (*ibid.*). Hoc enim isti tres versus prophetasse videntur : « Nunquid mortuis facies mirabilia? Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam? Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua? » ac si dicat : Quid prodest te mortuos resuscitasse, monumenta aperuisse, tenebras fecisse, cum dura Judæorum pectora non compungantur? « Et ego ad te, Domine, clamavi, » ut me pristina claritate clarificares. « Et mane oratio mea præveniet te, » me die tertia resurgente. « Ut quid, Deus, repellis orationem meam, et avertisti faciem tuam a me? » Ait enim : « Pater, si possibile est transeat a me calix iste (*Matth.* xxvi). » Hanc autem orationem repulit Pater, quoniam pro carnis timore ab homine fiebat; potuissent enim martyres fortasse mortis calicem timere, nisi ipse primitus eam gustasset.

« Pauper sum ego, » pro tui obedientia. « Et in laboribus a juventute mea, » id est ex quo homo fui. « Exaltatus autem, » in crucem, « humiliatus sum, » in sepulcrum, « et conturbatus sum, » in morte. « In me transierunt iræ tuæ, » quoniam pro cæteris passus, iras tuas mitigavi. « Et terrores tui conturbaverunt me, » quos humano generi indidisti. Nisi enim peccasset Adam, hos terrores non pateremur.

« Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul. Elongasti a me amicum et proximum. » Apostolorum cœtum, et Judæorum consanguinitatem. « Et notos meos a miseria, » quoniam, percusso pastore, dispersæ sunt oves gregis. Ipse autem solus miseriam pertulit, qui cæteros a miseria liberare potuit.

EXPOSITIO PSALMI LXXXVIII.

« Misericordias Domini in æternum cantabo. » Vox Ecclesiæ : In æternum, inquit, cantabo misericordias Domini, quas adeo magnificavit, ut proprio Filio non parceret, sed pro nobis omnibus eum morti traderet (*Rom.* viii). « In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. » Donec enim generationi generatio succedet, semper in Ecclesia Christus laudabitur.

« Quoniam dixisti : In æternum misericordia ædificabitur in cœlis. » Semper enim in sanctis, qui cœli nuncupantur, misericordia ædificatur, qui nunquam a misericordia separantur, Domini sui præceptum custodientes, qui ait : « Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est (*Luc.* vi). » — « Præparabitur veritas tua in eis. » Erat enim veritas Dei in psalmis et prophetis, sed aspera et investigabilis. Hanc autem apostoli præparaverunt, quia, spiritualiter exponendo, intelligibilem reddiderunt.

« Et disposui testamentum electis meis. » Hoc quoque Dominus Testamentum sanctis suis Novum ordinavit, in quo non malum pro malo, imo pro malo bonum reddi præcipitur (*Matth.* v). « Juravi David servo meo : Usque in æternum præparabo semen tuum. » Quod autem hæ non primo David, imo secundo, id est Christo, promissiones fiant, certissimis in sequentibus argumentis approbabitur : semen namque quod iste David seminavit, nunquam veterascet, sed usque in sæculi consummationem in Ecclesia præparabitur, siquidem Evangelium semper legetur. « Et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam. » Christi namque sedes, Ecclesia est. Hæc autem omni tempore melius ædificabitur, per prædicationem, baptismum, et pœnitentiam; non enim ejus ædificatio ab apostolis completa fuit, nec equidem fuerit, « donec auferatur luna (*Psal.* lxxi). »

« Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine. » Quia hæc beneficia cœlis, id est sanctis promisisti, ideo tua mirabilia cœli confitebuntur. « Et veritatem tuam, » id est verbum prædicationis, vel Christum Filium tuum, qui ait : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* x). » — « In Ecclesia sanctorum, » id est in congregatione justorum; et hoc merito, quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? Multi enim Joannem Baptistam Christum esse putaverunt (*Joan.* i), sed nec iste, nec aliquis prophetarum, qui per nubes intelliguntur, ei coæquari potuit, sicut ipse præcursor Domini ait : « Non sum ego Christus, nec ejus calceamenti corrigiam solvere dignus (*ibid.*). » Nullus tamen inter natos mulierum major eo fuit (*Matth.* ii). Quis ergo in nubibus æquabitur Domino? aut quis « similis erit Domino in filiis Dei? »

Digitized by Google

Omnes enim adoptionis filii sumus (*Rom.* VIII). Ipse tamen primogenitus fratrum (*ibid.*); fratrem enim confidenter eum vocabo, ut naturalis filius omnes præcellit.

Hic est autem ille Deus, « qui glorificatur in concilio sanctorum magnus, » quia Dominus omnium, « et terribilis, » quia judex omnium, « super omnes qui in circuitu ejus sunt, » sive a dextris sive a sinistris collocati. Apostrophe :

« Domine, Deus virtutum, quis similis tibi! » Nullus quidem. « Potens es, Domine, » quoniam potentem diabolum superasti. « Et veritas tua in circuitu tuo, » id est apostoli prædicatores veritatis, de quibus ipsa Veritas ait : « Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum (*Joan.* XVII). »

« Tu dominaris potestati maris, » id est, principibus hujus sæculi. « Motum autem fluctuum ejus tu mitigas, » impetus iratum, quibus in sanctos insurgent. « Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. » Vulneratus est superbus, et gladio spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI), trucidatur diabolus; in tenebris exterioribus humiliatus vinctusque jacet. « In brachio justitiæ tuæ, dispersisti inimicos tuos; » in fortitudine namque virtutis Dei, sunt per orbem terrarum dispersi Judæi. « Tui sunt cœli, et tua est terra. » Tui sunt apostoli et Ecclesia, justi et peccatores, perfecti et imperfecti. « Orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti; » hoc autem ad litteram. Sive, orbem terræ, id est humani corporis soliditatem. Et plenitudinem ejus, id est virtutum constantiam. « Aquilonem et mare tu creasti, » Antichristum, imitatores; quamvis enim se creatorem fingat, creatura tamen erit : de quo scriptum est : « Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ (*Jer.* I). »

« Thabor, et Hermon in nomine tuo exsultabunt. » Thabor, *lumen veniens;* Hermon autem *anathema*, interpretatur. Sed quid per Thabor, nisi apostoli, qui sunt lumen veniens, quibus Dominus ait : « Vos estis lux mundi (*Matth.* V). » Quid vero per Hermon, nisi Ecclesia, quæ in suæ fidei principio, diabolo et omnibus pompis ejus abreuntians, anathema et divisionem confitetur? Hi autem in nomine Domini exsultant, quoniam utique Christiani vocantur. « Tuum brachium cum potentia, » id est fortitudo, quam diabolo alligasti. « Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua. » Apostolorum enim manu cœtuque confirmato, Christus Dominus cœlos ascendit. « Justitia et judicium præparatio sedis tuæ; » qui enim seipsum judicat et justitiam sequitur, hic sine dubio sedem Domino præparat. Est enim anima justi, sedes sapientiæ (GREG. hom. 33). Quod autem nos ipsos judicare debeamus, audi Apostolum: « Si, inquit, nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI). »

« Misericordia et veritas præcedent faciem tuam. » Quicunque, inquit, faciem suam habere et videre desiderat, eum misericordiam veritatemque sequi oportet; sic enim misericordia et veritas semper in Christo præcedunt, ut nulla ipsius opera his duobus vacent. « Beatus populus qui scit jubilationem, » quæ non in voce vel multiloquio fit, quinimo in jocundis cordisque conscientia.

« Domine, in lumine vultus tui ambulabunt. » Qui enim hunc facem sequitur, in tenebris ambulare non potest. Ambulemus ergo in lumine imaginis Filii Dei, quatenus domum cœlestem ingrediamur. « Et in nomine tuo exsultabunt tota die. » Quis enim a tanto patrono non glorietur? de hoc autem in Canticis canticorum dicitur : « Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te (*Cant.* I). » — « Et in justitia tua exaltabuntur. » Taceant ergo Judæi, qui se sua justitia exaltari arbitrantur. « Quoniam gloria virtutis eorum tu es. » Non enim in suis viribus Ecclesia gloriatur, apostolica instructa doctrina, ut « qui gloriatur in Domino glorietur (*II Cor.* X). » — « Et in bene placito » filio « tuo exaltabitur cornu nostrum, » id virtus est et potentia dimicandi. « Quia Domini est assumptio nostra. O ineffabile mysterium quod mundi Conditor et Dominus carnem servi sumere dignatus est (*Phil.* II). » « Et sancti Israel regis nostri. » Hic rex virtutis æternum, nec in nostro mortali corpore peccatum regnare permittat.

« Tunc locutus es in visione sanctis tuis. » In tempore namque assumptæ carnis est Dominus locutus sanctis suis, in visione Spiritus sancti, sicut Zachariæ et Simeoni (*Luc.* I, II), qui consolationem Israel annuntiabant et exspectabant. — Anna quoque prophetissa hoc idem confitebatur (*Luc.* II). « Dixisti : Posui adjutorium in potentem, » ac si dicat: Nulli amodo timendum est, quoniam non jam in prophetas, verum in proprium Filium, qui omnia potest, liberationis adjutorium posui. « Et exaltavi electum de plebe mea, » id est, Christum Dominum, qui de Judaica plebe carnem sumens (*ibid.*) in crucem regnique imperium, denique et in cœlum exaltatus est (*Marc.* XVI).

« Inveni David servum meum. » Multos, inquit, adjutores et defensores dedi, nemo tamen illorum fuit qui a primitiva captivitate vos solvere potuit. Nunc autem David, servum meum, ad hoc patrandum idoneum inveni, qui in brachio extento mundum liberavit. Servus autem pro parte carnis dicitur. « Oleo sancto meo unxi eum, » hic enim est ille Jesse, in quo septem Spiritus sancti gratiæ requieverunt. « Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum; » semper enim divinitas humanitati conjuncta, eam in omnibus consolabatur. « Nihil proficiet inimicus in eo : » tribus enim vicibus antiquus hostis Dominum tentavit (*Matth.* IV), nil tamen profecit, quia victus abiit. « Et filius iniquitatis, » Judas mercator pessimus, non « apponet nocere ei, » quia rejectis nummis laqueo se suspendit (*Matth.* XXVII). « Et concidam a facie ipsius inimicos ejus. » Hoc autem erit in judicio, quando ultionis gladio inimici Dei trucidati æterno tradentur supplicio. « Et odientes eum in fugam conver-

Digitized by Google

tam. » Fugient ergo Judæi, nunquam victores existent. Fugiebant namque et dæmones ab obsessis corporibus, quando, jubente Domino, exire cogebantur (*Matth.* VIII). « Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso; » nunquam enim non vera dicere, nunquam in aliquo mentiri potuit; nunquam sine misericordia fuit. « Et in nomine meo exaltabitur cornu ejus, » quando mundum vicit inimicum.

« Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus. » Merito quippe pro operibus manus et dextra ponitur, siquidem manibus opera fiunt. Nos autem mare et flumina fuimus, quibus ventus superbiæ dominabatur; nunc autem virtutem et opera Dei cognoscimus. « Ipse invocabit me, » dicens: « Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ. » Confundantur ergo Judæi, qui eum ideo arguebant, quoniam Patrem Deum vocabat (*Matth.* X).

« Et primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ. » Hic enim est primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ (*Apoc.* I). Huic autem omnia regna mundi subjiciuntur. « In æternum servabo illi misericordiam meam. » Misericordiam suam Ecclesiam dicit, quæ in sola Dei misericordia fidit. Hanc autem conservabit Dominus in æternum, propter Filii sui orationem qui ait: «Pater, conserva eos quos mihi dedisti (*Joan.* XVII). »

« Et testamentum meum fidele ipsi. » Nos sumus testamentum Dei, si tamen fideles inveniamur. « Et ponam in sæculum sæculi sedem ejus; » semper enim Ecclesia erit. « Et thronus ejus erit sicut dies cœli, » fulgebunt namque sancti sicut sol in regno Dei (*Matth.* XIII): erit autem sicut dies cœli, ut claritas angelorum, ut per cœlos, angelos, per dies autem eorumdem claritatem intelligamus.

« Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, » et ad tempus « in judiciis meis non ambulaverint si justificationes meas profanaverint » aliquo erroris mendacio, « et mandata mea non custodierint, » non utique occidam eos, sed « visitabo in virga iniquitates eorum, » id est, in pœnitentiæ correctione, « et in verberibus peccata eorum. » O clementissimum Patrem, qui, non mortificans, facili nos virga castigat!

« Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo. » Non enim nocere, sed adjuvare novit Dominus, « et in veritate mea » pœniteant peccatores, nullus unquam desperet. Ecce enim non solum se misereri Dominus dicit, sed et « neque profanabo testamentum meum. » Expositio: « Et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita; » profanaret enim testamentum suum, si aliqua in Novo, vel Veteri falsitas inveniretur Testamento. Sed, ut ipse Dominus ait: « Cœlum et terra transibunt, verba autem » ipsius transire non possunt (*Matth.* XXIV).

« Semel juravi in sancto meo. » Semel enim et firmum juramentum audivimus, quod in veritate sua, in sancto suo et in dilecto Filio fecit. Quod enim charius habuit, hoc in juramentum posuit. « Si David mentiar; » non enim mentietur, qui mentiri non potest. Credamus igitur, et fortissime credamus, quod tam constanter promittitur. Sed quid promittitur? Sequitur: « Semen ejus in æternum manebit. » Semen est verbum Dei; hoc autem manebit in æternum, quoniam « nec unum iota, aut unus apex præteribit ex lege, donec omnia fiant (*Matth.* V). »—« Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo. » Gaudeat iste thronus, qui solis claritatem recipere debet. Gaudeant apostoli, qui ante Domini conspectum statuendi sunt. « Et sicut luna perfecta in æternum, » quæ jam minui non potest, at vero nec crescere. Qui autem perfecte beatus est, in quo, inquam, augeri potest? « Et testis in cœlo fidelis. » Hic enim thronus, hæc beatissima sedes, in vero testimonio mundum judicabit. Vox Ecclesiæ:

« Tu vero repulisti, et despexisti. » Quid est, inquit, Domine, quod tanta servo tuo David beneficia promisisti? quid est quod sub juramento ejus, filiorumque ipsius, te superius misereri dixisti, cum jam repulsum et a cæteris gentibus despectum eum videamus? (*Matth.* XXVII.) Nunquid in te falsitas esse potuit? absit! « Distulisti enim Christum tuum, » cui in temporis plenitudine hæc omnia daturus eras. Illinc primi David subversionem describit, ne quis supradicta super eo intelligat.

« Evertisti testamentum servi tui. » Nusquam enim nunc taurus, et hircus, et agnus immolatur. « Profanasti in omni terra sanctuarium ejus; » ubique enim Synagogam abominatur. « Destruxisti omnes sepes ejus, » quoniam nullis munitionibus confirmatur.

« Posuisti sibi firmamentum ejus formidinem, » quoniam nec in Jerusalem, nec in arce Sion defendi potuerunt. Sive, quia Christum mundi firmamentum vivere timuerunt (*Joan.* XI).

« Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, » id est, terminum fidei. « Factus est opprobrium vicinis suis, » id est, gentibus, quæ in circuitu habitabant. « Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos ejus; avertisti adjutorium gladii ejus. » Expositio: « Et non es auxiliatus ei in bello. »

« Destruxisti eum ab emundatione. » Emundationis enim sacrificium faciebant Judæi, hircum pro peccatis immolantes. Hoc autem evacuatum et destructum est. « Et sedem ejus in terra collisisti, » illam pontificalem cathedram, super quam Scribæ et Pharisæi sedebant.

« Minorasti dies temporum ejus, » quia horum opinione frustrata, sine rege et sacerdote vivunt (*Ose.* III). « Perfudisti eum confusione, » temporali et æterna.

« Usquequo, Domine, avertis in finem? » Usque, inquit, in sæculi consummationem Judæis Dominus erit iratus? Cum autem plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet; sed usque ad illud temporis, « exardescet velut ignis ira ejus. »

« Memorare quæ mea est substantia. » Nunc au

Digitized by Google

tem pro se loquitur Ecclesia, et de suis miseriis Domino conqueritur: Memorare, inquit, Deus, quia fragilis et permutabilis sum, neque supra id quod possum me tentari permittas. « Nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum. » Si enim omnes vincimur, et diabolicis tentationibus subjacemus, nihil nisi vanitas est hominum constitutio. « Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem, et eruet animam suam de manu inferi? » Nullus, inquit, mortem evadet, nullus ex inferno liberabitur, nisi tu nostræ imbecillitatis memor ab inimicis nos tuearis.

« Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, sicut jurasti David in veritate tua? » Decollatur Paulus, crucifigitur Petrus, undique Ecclesia tua percutitur, cui æternam misericordiam nuper promittebas: ubi ergo sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Deus? nobis enim non est Deus recens. « Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo, multarum gentium. » Illius, inquam opprobrii sis memor, quod, a multis gentibus servis tuis illatum, a memoria mea lavari non potest.

« Quod exprobraverunt inimici tui, Deus, quod exprobraverunt commutationem Christi tui, » id est mortem Filii tui. Hoc enim inimici Dei sanctis improperabant, quod hominem mortuum et commutabilem adorarent. « Benedictus Dominus in æternum. » Illi derideant et maledicant, illi nobis crucifixum improperent, nos autem gratulabundi dicamus: « Benedictus Dominus in æternum. Fiat, fiat. »

EXPOSITIO PSALMI LXXXIX.

« Domine, refugium factus es nobis. » Vox Ecclesiæ: Victi, inquit, eramus ligati ab hostibus, in carceres tradebamur; sed tu, summæ misericordiæ Dominus, nobis refugium factus es, ab hac tuæ incarnationis generatione, usque in generationem sempiternam.

« Priusquam montes fierent, et formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus, » ac si dicat: Tu qui ex virgine temporaliter carnem sumens, humano generi factus es refugium, ante tempora et per omnia sæcula permanes Deus. « Ne avertas hominem in humilitatem. » Tu, inquit, qui talis es, sustine et confirma hominem, ne in mortem et pœnam humilietur, sed tua potenti dextra super cœlos exaltetur. Nam dixisti: « Convertimini filii hominum, et ego sanabo contritiones vestras. » Sanetur igitur, siquidem contritus est homo.

« Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit, et tanquam custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt; cum mane sicut herba transeat, mane floreat, et pertranseat, vespere decidat induret, et arescat. » Non immerito connectitur homo; cum enim finiti ad infinitum nulla sit comparatio, non solum dies vel hora mille nostri anni dicendi non sunt, sed et omnino non esse, cum pœnitus pereant: cito enim, velut herba, de non esse ad esse transit homo, cito fieret in juventute, quia flos ætatis translative dicitur; cito ad vesperam, id est, ad senectutem transit. Vespere autem decidit, quia occasus vitæ senectus dicitur: tunc indurat, totus asper hispidusque efficitur; denique et arescit, et pulvis in pulverem convertitur. Merito hæc oratio Moysi perhibetur, ut qui de arida hominem facturam dixit, in aridam conversam arescere fateatur (*Gen.* III).

Sed « quia defecimus in ira tua, et in furore tuo conturbati sumus; » et quia « posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, et sæculum nostrum in illuminatione vultus tui, » et « quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus, anni nostri sicut aranea meditabuntur. » Recte anni nostri araneæ comparantur, quoniam toto tempore vitæ nostræ in vanitatibus desudando, tandem inutiles, nec nobis ipsis profuturæ, et, ut ita dicam, aranez telam texisse videmur. Hoc autem, tu Adam, totius humani generis radix, fecisti nobis, quia cum tantis talisque esses, Dominicum præceptum transgrediens (*Gen.* III) iram incurrens, defectum filiis inulsisti. Hoc autem est quod dicit: Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo conturbati sumus: deficimus carne, turbamur infirmitate. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo. Expositio: Sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. Vidit enim Dominus sæculum nostrum, vitam quam agimus, et quidquid in oculis operamur. « Dies annorum nostrorum » non multi, quoniam, ut jam dictum est, omnes celeri cursu deficiunt; « in ipsis » fortasse erunt « septuaginta anni, » hoc enim sæpe contingit. « Si autem in potentatibus octoginta anni, » alicui evenerint, « et amplius eorum labor et dolor. » In tantum, inquit, contracta et brevista est vita nostra, ut jam supra octoginta annos in lætitia, qualiscunque sit, carnisque blanditiis vivere non possimus, sed quidquid superabundat labor est et dolor, tussis et anxietas, præsertim cum ipsa senectus infirmitas sit.

« Quoniam supervenit mansuetudo. » Quod enim olim impatiens fortisque fuisti, velis nolisve, jam te senectus mansuetum et humilem facit, non jam superbum erigis, sed curvus terram inspicere cogeris. « Et corripiemur. » Qui, inquit, in adolescentia superbus fuit, saltem in senectute corripiatur. « Quis novit potestatem iræ tuæ. » Qui enim potestatem iræ Dei cognovit, ipsam iram incurrere pertimescit. « Et præ timore iram tuam dinumerare? quis curavit? Sancti enim, Deum timentes, ipsam iram dinumerant; intelligunt enim quanto plura vitia sequuntur, tanto majori irarum multitudine damnandi sunt, ideoque tales iras devitant.

« Dexteram tuam sic notam fac, » sicut, subditur, transgressionis ira fecisti, ut, qui per Adam mortem cognovimus, per Christum vitam suscipiamus. Jam nunc dextram cognoscamus, qui hactenus sinistram secuti sumus. « Et eruditos corde in sapientia. » Hi autem sunt prophetæ, quando vana philosophia decepti, sed Spiritu sancto repleti fuerunt. Hos autem notificavit Dominus nobis quoniam

Digitized by Google

eorum voluntates, et obscura cordis, mysteria propalavit (*Luc.* XXIV). « Convertere, Domine, usquequo, et deprecabilis esto super servos tuos, » omnino, inquit, converteris, omnino perituræ gentis misereris, exaudi orationes nostras, Christo pro nobis interpellante. « Repleti sumus mane misericordia tua. » — « Nox, inquit, præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII). » Gratias igitur Domino agimus, quoniam ipsius misericordia ab hujus lucis tempore repleti sumus. « Et exsultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris. » Hoc autem sequens versus exponit.

« Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, et pro annis quibus vidimus mala; » non jam de mortalitate, dierumque brevitate, deque infelicitate conquerimur, quia misericordia tua repleti sumus; ubi enim abundavit delictum, superabundat et gratia (*Rom.* V). « Respice in servos tuos, » ne aliquo peccato ab assumpta misericordia privari possint. « Et in opera tua, dirige filios eorum, » id est ipsorum animas, vel, sequentem posteritatem. « Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, » quatenus diabolicæ imaginis obscuritate fugata, in pristinam figuram et imaginem reformemur, ne si tortuosa fuerint, nos per devia claudicare faciant. « Et opera manuum nostrarum dirige, » sanctorum namque opera, et multa sunt, et unum, quæcunque enim faciunt, unum opus sunt, quia in bonitate non differunt, sed ad unum idemque propositum tendunt.

EXPOSITIO PSALMI XC.

« Qui habitat in adjutorio Altissimi. » Vox Prophetæ: Video, inquit, Christum nasciturum, video diabolum et satellites ejus, qui ei astute insidiabuntur; sed quoniam ipse in civitate sua carneque assumpta non sine divino adjutorio habitavit, et quoniam «in» cœlesti «Dei protectione commorabitur,» eorum insidias parvipendet. « Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus, » non timeat inimicum qui Domini refugium habet, non timeat ponere carnem qui suscipiendus est a Patre, dicat in cruce: « Deus meus, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII). » — « Ego autem, inquit Propheta, sperabo in eum, quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero. » In Christum se sperare dicit, quoniam per eum mundum salvari intellexit. Hic autem et a venatoribus liberavit, et a verbo aspero liberaturus est. Venatores isti maligni spiritus intelliguntur, qui peccatores persequentes, alios in superbia, alios in avaritia, alios in luxuria, quasi in singulis laqueis comprehendunt. Verbum autem asperum illud erit, quod in judicio dicturus est Dominus: « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » Ab hoc autem liberati sumus, quoniam illud dulcissimum audire debemus: « Venite, benedicti Patris mei (*ibid.*). » Apostropha.

« Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. » Securus, inquit, esto, Salvator, quia paterna virtute protectus, nullius adversitatis te æstus exuret, pennæ Patris te sustinebunt, quibus, quando volueris, ad cœlestia regna volabis; una enim eademque potestas est ei cum Patre (*Joan.* XVI), qua et impossibilia facere potest. « Scuto circumdabit te veritas ejus. » Nulla, inquit, mendacii tela tibi prævalebunt, nulla te falsorum testium testimonia superabunt, quia naturalis veritas insuperabilis scuti munimine undique te vallabit. « Non timebis a timore nocturno, » quando Judas proditor veniet, et cum eo turba multa cum facibus, et lateruis et fustibus, quo discipuli tui timore perterriti, omnes te relicto fugient (*Matth.* XXVI), tu autem non fugies, sed ultro impavidus ibis.

« A sagitta volante in die. » Multæ in die, multæ coram, et manifeste sagittæ volabunt. Multi: « Crucifige, crucifige, » clamabunt (*Luc.* XXIII). « A negotio perambulante in tenebris, » in tenebris quidem principum et sacerdotum, Scribarum et Pharisæorum, negotia et prava consilia ambulabant, sive, quia sectæ fiebant, sive (quod credibilius est), quia in eorum cordibus, quæ diaboli latebræ sunt, machinabantur. « Ab incursu et dæmonio meridiano. » Non enim illud quoque Ecclesiæ absurdum est, quod in Christi passione, sicut angelorum, ita et malignorum spirituum multitudo adfuerit, cum enim jejunantem eum tentassent (*Matth.* IV) fortasse morientem, et in cruce cum latronibus pendentem, aliquod, sicut nefarii, nefas cogitare præsumpserunt. Hoc autem ipse non timuit, quia timoris opera nulla fecit, sicut ipse ait: « Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV). » Potest autem, et de futuro judicio hoc intelligi, quando dæmonum incursus, quasi leones ad prædam parati, peccatores in foveam præcipitabunt. Meridianum autem dicit, propter nimis æstuantem afflictionem. « Cadent a latere tuo mille. » Finitum pro infinito posuit. « Et decem millia a dextris tuis. » Potuissemus enim et dextram et sinistram in latere intelligere, nisi ipse, de quo latere loqueretur, determinasset. Innumerabiles ergo erunt, qui tua virtute præcipitabuntur. Dextera tua inveniet omnes qui te oderant (*Psal.* XX). Quicunque enim hac dextra impelletur, nulla fortitudine, quin cadat, stare valebit. « Ad te autem non appropinquabit, » — « neque enim habitabit juxta te malignus (*Psal.* V). » Quis ergo? « omnes qui recto sunt corde (*Psal.* XCIII). »

« Veruntamen oculis tuis considerabis. » Confirmatio: « Et retributionem peccatorum videbis, » quam sibi in hoc sæculo pravis operibus acquirunt. « Quoniam tu es, Domine, spes mea. » Et quoniam « Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, » singulis singula referuntur. Tibi, inquit, timendum non est, ad te malum accedere non valebit, quoniam in Altissimum tuum refugium posuisti. At vero nec tabernaculo tuo, quod nos sumus, flagellum appropinquabit, quoniam

Digitized by Google

spes omnium nostrum tu es, cui nemo resistere po- A
terit (*Esther* XIII).

« Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. » Hoc et ipse maligmus spiritus intellexit, quod malum ad Christum accedere nequit. Ait enim : « Si Filius Dei es, mitte te deorsum, quoniam angelis suis mandavit de te (*Matth.* IV). » — « In manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. » Te, inquit, quia humana forma tegeris, non cognosco, sed de unigenito Dei Filio hæc verba prædico, quod nulla ei adversitas unquam nocebit. Quapropter si te Dei Filium esse fateris, mitte te deorsum, quoniam ab angelis sustentatus in lapidem non offendes.

« Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. » Quare hunc quoque B
versum, diabole, non dixisti? sciebas enim adversum te esse. Tu enim es aspis, cujus venenum est insanabile. Tu es basiliscus omnium vitiorum, omnisque nequitiæ rex et princeps. Tu es ille leo, qui semper rugiens quæris, quem devores (*I Petr.* V). Tu es ille draco qui tertiam partem stellarum de cœlo cauda traxisti (*Apoc.* XII). Pereat hic filius perditionis, qui, in fine sæculi nasciturus, cauda diaboli nuncupatur. Cum hoc, diabole, tacuisti, non hoc tibi tamen tacuisse profuit, siquidem conculcatus et in baptismo contritus es.

« Quoniam in me speravit, liberabo eum. » Tibi, inquit, dicetur a Patre : Quoniam in me speravit, liberabo eum, « et protegam eum, » scuto divinitatis, « quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, » in cruce positus; « et ego exaudiam eum, » reddens illam claritatem quam mihi quæsivit (*Joan.* XVII). « Cum ipso sum in tribulatione, » erubescant ergo, qui Deum eum dereliquisse dicunt. « Longitudine dierum replebo eum, » quoniam in æternum vivet, nec ei mors ultra dominabitur. « Et ostendam illi salutare meum, » id est, salutem meam, ut qui alios salvavit, ipse quoque salutem et immortalitatem suscipiat.

EXPOSITIO PSALMI XCI.

« Bonum est confiteri Domino. » Vox Ecclesiæ : Bonum est ut Domino confiteamur, laudemus et prædicemus, quoniam « beati sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Rom.* X) » D
« Et psallere nomini tuo, Altissime, » id est, in corde jubilare : « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X). »

« Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. In decachordo psalterio cum cantico in cithara, » et hoc ideo, « quia delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo. » De aliis quomodo sit, inquit, ego quidem misericordiam, et veritatem annuntians, in te solo exsultabo. In mane Dei misericordiam apostoli nuntiabant, plena luce, manifeste et palam omnibus passionem prædicabant. Veritatem autem dicebant, quando in carceribus et tormen-

tis Christum confitebantur. Is autem in
et cithara Deum laudat, quia quod ore pro
decem legis mandatis adimplet. Hoc autem
debet, quoniam in factura Dei delectamur.
in cœlo et in terra, sole et luna et stellis, cæ
que rerum concordi ordinatione non de
Bonum est ergo laudare Factorem, qui tan
bilis in factura declaratur; « invisibilia ejus
ut ait Apostolus, a creatione mundi, per
facta sunt, intellecta conspiciuntur (Ro
« Quam magnificata sunt opera tua, Domi
operibus Domini, quæ modo subtili con
scrutabatur, delectatus est. Sed, quoniam
qualiter vel unde sint, invenire non potest,
exclamatione Creatorem laudat. Cur enim
non auris videat; cur autem auris et non
diat? solvat qui potest. Magnificantur ergo
si a quolibet singulariter inquisita fuerint
ergo os suum in cœlum ponat, quandoqu
terra rationem reddere nescit. « Nimis
factæ sunt cogitationes tuæ. » — « Quis enim
sensum Domini? (*Rom.* XI). » Altæ sunt ig
tationes, siquidem ab aliquo sciri non po

« Vir insipiens non cognoscet, et stultus
liget hæc, cum exorti fuerint peccatores
num, et apparuerint omnes qui operantur
tem, ut intereant in sæculum sæculi. »
sol, sed quasi fenum oriuntur peccatores,
qualicunque æstu vel pruina contacti, cito
C qui enim heri florebat hodie mortuus est,
lætabatur nunc plorat, qui heri currebat
dicat. Hoc autem insipiens non cognoscit, h
non intelligit, ideoque operatur iniquitate
multum in hoc flore vivere putat, interea
lum sæculi. « Tu autem Altissimus in
Domine, » sumens, subauditur, vindictam
« Quoniam ecce inimici tui, Domine, quon
inimici tui peribunt, » et, te vindictam
« dispergentur omnes qui operantur iniqui

« Et exaltabitur sicut unicornis cornu
Unum enim cornu habebat Ecclesia, quo s
nes inimicos exaltabatur, de quo Apostol
« Sancti per fidem vicerunt regna (*Hebr.* X
ctorum enim cornu, fides est, quæ semper
cunctis adversis supereminet. « Et senectus
misericordia uberi; » cum enim ad se
Ecclesia venit, ut in æternam juventatem re
cumque homo dies temporales finierit, ut
suscipiat, tunc in uberi misericordia super
exaltabitur.

« Et despexit oculus meus inimicos meos
tos, inquit, me circumstantes inimicos vid
quia prædicto corona munitus eram, sicut
omnes despexi. « Et ab insurgentibus in
liguantibus audiet auris mea, » quoniam
ut palma florebit. » Non maligmantium,
deceptiones clamoresque et minas audivi,
quoniam justus quacunque hora pro Domino
ditur, sicut palma florere incipit, tunc ea

Digitized by Google

et pulchritudinem, decorem et viriditatem recipit.

« Sicut cedrus libani multiplicabitur, » quando enim mori videntur, tunc crescere incipiunt sancti; non enim putrescere et perire possunt, sicut cedrus, qui imputribilis est naturæ. « Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. » Modo, inquit, in domo Domini plantantur, modo super Ecclesiæ fundamentum ædificantur. Hujus enim plantationis sapiens Apostolus ait : « Ego plantavi (*I Cor.* III). » In atriis domus Dei nostri florebunt. Quia enim quasi sicca arbor in hoc sæculo conspiciuntur, ibi quidem florentes; et sicut sol fulgentes apparebunt.

« Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi. » Prius, inquit, quam ibi floreant, uberi senecta et virtutum severitate multiplicabuntur. Sanctus enim, quamvis malitia puer, sensibus tamen omni tempore senex est. « Et bene sapientes erunt, » sunt enim et latrones patientes, sed non bene; qui enim patiuntur, non pro amore, sed nequitia patiuntur. « Ut annuntient, quoniam rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo. » Ad hoc, inquit, in corporibus sancti detinentur, ut Christum in Ecclesia laudent et annuntient.

EXPOSITIO PSALMI XCII.

« Dominus regnavit, decorem indutus est. » Vox Ecclesiæ : Victi sunt inimici, de regno diabolus expulsus est (*Apoc.* V). Dominus autem regnavit, vexillo crucis ante aciem sublimato. Decorem indutus est, quoniam resurgens a mortuis, immortalisque factus (*Rom.* VI), in pristina atque paterna claritate refulgens. « Indutus est Dominus fortitudinem, » quæ jam corrumpi non potest. « Et præcinxit se » virtute, quoniam non corruptibilem, sed fortem, et immortalem carnem de sepulcro super cœlos evexit (*Marc.* XVI).

« Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur. » Jam enim firmus orbis terræ, et super firmam petram fundatus, nullo ventorum flamine, nullo iniquorum turbine a fidei proposito commovetur. « Parata sedes tua extunc. » Apostropha : Ex quo, inquit, orbem terræ firmasti, sedes tua parata est; « est autem anima justi sedes sapientiæ (*Greg.* hom. 38). » — « A sæculo tu es. » Quamvis enim propter hujus sedis præparationem de Virgine nasceretur (*Isa.* VII) tamen in principio, et ante sæcula. Deus erat (*Joan.* I).

« Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam. » Per flumina doctores intelliguntur, in quibus Spiritus sancti gratiæ redundant. Hi autem levaverunt vocem suam, Christum Dominum prædicando, et sitientibus potum salutis propinando.

Sed econtra « elevaverunt flumina fluctus suos. » Ecce fluminibus flumina adversantur. Quatuor sunt flumina paradisi (*Gen.* II), innumerabilia sunt flumina mundi. Quatuor sunt Evangelia, sine numero sunt philosophi et hæretici. Hi autem argumentis, quæstionibus et inundanti garrulitate in sanctos insurgunt. « A vocibus aquarum multarum, mirabiles elationes maris. » Aquæ multæ, populi multi. Cum enim magna gentium multitudo, tres vel quatuor prædicatores viderent, qui veterum deorum culturam destruere volebant, magno fremitu in eos insurgentes, maris hujus procellas cunctasque afflictionum tempestates super eos inducebant. Tunc autem « mirabilis in altis Dominus, » videbantur, tot et tanta, tam alta tamque magnifica per sanctos suos faciens mirabilia; templa namque ruebant, idola confringebantur, tyranni denique amittebant jus suum, etc.

« Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. » Permiseras enim quod opera, quæ tu fecisti, ipsi quoque facturi essent (*Joan.* XIV). Hoc autem verius nihil esse potuit. Vera sunt ergo, et credibilia testimonia tua. « Domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum. » Decet enim ut Ecclesia semper sancta et munda sit, siquidem et tu sanctus es : qui eam semper inhabitas. Unde scriptum est : « Sancti estote, quoniam ego sanctus sum (*I Petr.* I). »

EXPOSITIO PSALMI XCIII.

« Deus ultionum Dominus. » Vox Ecclesiæ : Quamvis terram suam ad tempus populari Deus permitteret, quamvis dura nos aliquando comprimi servitute pateretur, tamen de Virgine natus (*Luc.* II) ultro apparuit, et libertatem in populo fecit. « Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis. » Tu, inquit, qui terram judicaturus es, exaltare, et in excelsa tuæ divinitatis apparens majestate, redde unicuique juxta opera (*Psal.* LXI).

« Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur ? » Non eis peccare sufficit, quinimo in peccatis, nempe sanctorum nece gloriantur. Usquequo « effabuntur et loquentur iniquitatem ? » semper ne « loquentur omnes, qui operantur injustitiam ? Populum tuum, Domine, » in diversis tormentorum generibus « humiliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt. » Hoc autem injustitia est. « Viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt. » Hoc enim ad litteram verum est. Spiritualiter, vidua intelligitur, quicunque per aliquam seductionem Domino moritur ; advena autem, qui non firmiter Ecclesiam inhabitat : Pupilli vero, qui, per baptismum filii, per pravam operationem orphani fiunt. Tales autem ab hæreticis et peccatoribus occidi dicuntur, quando eorum inventionibus facile acquiescunt.

« Et dixerunt : Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. » In factis quidem dignoscitur quod in corde et ore ipsi pronuntiant. Sed quid eis respondetur ? « Intelligite, insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. » Nisi enim insipientes et stulti fuissent, nequaquam visu et intelligentia Deum privarent. « Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat ? » Non audiet justum et peccatorem qui eis et aurem, et auditum præbuit ; non videbit qui fecit visum ?

Digitized by Google

« Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam? » Qui sanctos, inquit, corripit, docet et emendat, vos de iniquitate arguere non valebit? Hoc ergo homines jam cogitare desinant. « Dominus enim scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. » Hoc autem, utrum verum sit, non extra me exemplum quæsierim, multa enim cogitavi quæ aliter evenerunt. Conversio personæ:

« Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. » Miseri enim sunt qui seipsos docent suarumque cogitationum vanitatibus credunt. Qui vero tali magistro eruditur legisque uberibus nutritur, summa beatitudine beatur. « Ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea. » Qui enim in hoc sæculo corripitur et docetur, neque sæculi sapientia decipitur, mitissimumque sibi is Dominum inveniet, quando mali dies iniquos exurent. Donec fodiatur peccatori fovea, donec enim fovea, et debita pœna paratur peccatori, legis institutis omnibus sancti erudiuntur.

« Quia non repellet Dominus plebem suam. » Mitis, inquit, erit in diebus malis, populum suum a se non repellet, « et hæreditatem suam non derelinquet. Quoadusque justitia convertatur in judicium, et qui juxta illam omnes, qui recto sunt corde. Quis consurget mihi adversus malignantes? » Tu solus, qui optimus es auxiliator. Probatum est ergo, quoniam hæreditatem suam non derelinquet. « Aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? » tu quidem stabis, si quidem adjuvabis; stare enim adjuvantis est (*Greg.*, hom., 29). Unde et sequitur:

« Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. » Sed, eo adjuvante, sicut ipse resurrexit (*Matth.* xxviii), et ego quoque resurgam. « Si dicebam motus est pes meus, » et malorum impetu a pristina firmitate casurus sum, succurre cadenti, retine labentem. « Misericordia tua, Domine, adjuvabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » Quis igitur in hoc sæculo multos dolores multasque tribulationes non desideret, siquidem, secundum dolorum numerum, consolationum multitudinem recepturus est?

« Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis. » Sicut enim in sanctis æquitatis, ita in peccatoribus sedes est iniquitatis. Illi autem Domino non adhærebunt, quoniam soli recto corde stabunt juxta illud: « Qui fingis laborem in præcepto. » — « Qui vult, inquit Dominus, venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me (*Luc.* ix). » Habemus ergo præceptum, consideremus et laborem. Quid est sequi Dominum, nisi ipsius opera imitari? Hoc autem non sine labore fit. Denique seipsum abnegare, crucem portare, magnus labor est. Seipsum namque abnegabat Paulus, cum diceret: « Mortuus sum mundo (*Rom.* vii), » id est non sum qui fui, non sum Saulus, sed Paulus. Crucem autem portat qui et carnem mortificat et pro Christi nomine mori non dubitat.

« Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt. » Hæc, inquit, sedes iniquitatis, semper contra justorum animas facere desiderant, et sanguinem innocentem morti condemnant. « Sed factus est mihi, » inquit justus, « Dominus in refugium, et Deus meus in auxilium spei meæ. Et reddet illis iniquitatem ipsorum, » id est meritum iniquitatis. « Et in malitia eorum disperdet illos Dominus Deus noster. »

EXPOSITIO PSALMI XCIV.

« Venite, exsultemus Domino. » Vox Ecclesiæ: Fugite, gentes, idolorum culturam, relinquite opera mundi, discedite ab iniquitate, festinate ad vitam. Quid statis? Venite exsultemus Domino, « jubilemus Deo salutari nostro, » hunc humiliter adoremus, qui mundum sua morte redemit (Gal. iii).

« Præoccupemus faciem ejus in confessione, » ne imparati inveniamur. Quæramus eum intuitu mentis, quem « facie ad faciem » visuri sumus (I Cor. xiii), ut cum venerit ad judicandum, non quasi ignoti ei occurramus. « Et in psalmis, » hymnis, laudibus et canticis spiritualibus, « jubilemus ei. Quoniam » hic est « Deus » noster, « magnus Dominus, » in universa terra. « Et Rex magnus super omnes deos. » Relinquantur ergo cæteri dii, et iste, qui solus ubique est, et sua magnitudine omnia continet, ab omnibus veneretur. « Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ. » In manu namque, et potestate ipsius omnia regna mundi concludentur. « Et altitudines montium ipsius sunt. » Apostolorum namque virtutes, altaque eorum Scripturarum omnium intelligentia, illius est qui fons vivus recte vocatur. « Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam manus ejus formaverunt, » nihil enim est quod ipse non fecit. « Venite » ergo « adoremus et procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster: » « Beati qui nunc fletis quia ridebitis (*Luc.* vi): » « Et nos populus pascuæ ejus, » quoniam in loco pascuæ, et inter divitias Scripturarum collocati sumus. « Et oves manus ejus, » quas una eademque manu et fecit, et redemit cujus ejus? qui dicit: « Hodie si vocem ejus. » Cujus oves estis, illum « audieritis, nolite obdurare corda vestra, » sed cognoscite vocem pastoris. « Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea. »

« Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi semper hi errant corde, et isti non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam. » Hoc autem exponit Apostolus in Epistola ad Hebræos, et [illegible] vera in deserto prostrata dixit [illegible] terram promissionis intrare [illegible]

Digitized by Google

igitur aures nostras, ut vocem ejus, quos quotidie in Ecclesia admonet, intelligamus. Neque tentemus eum, ne nobis quandoque iratus, a terra viventium nos repellat.

EXPOSITIO PSALMI XCV.

« Cantate Domino canticum novum. » Vox Prophetæ : Novus homo venit in mundum, novam legem dedit mundo (Greg. P. hom. 32). Hanc ergo novam legem, hoc novum canticum cantate, prædicate, et ad ipsius laudem cunctis gentibus nuntiate. « Cantate Domino, omnis terra, » Judæi et gentiles, justi et peccatores. « Cantate Domino, et benedicite nomini ejus. » Nomen ejus Verbum est (*Joan.* I), sermo ejus Christus est. Hunc autem omni tempore nos benedicere, et laudare debemus, hic est enim de quo dicitur : « Ecce nomen Domini venit de longinquo (*Isa.* XXX). » — « Annuntiate de die in diem salutare ejus, » de die in diem, per singulos dies, de virtute in virtutem, de Novo in Vetus, de Veteri in Novum Testamentum transeuntem, nuntiemus salutare ejus. Ilis enim duobus pedibus prædicatio incedere debet, et hac gemina luce subditorum corda illuminare. « Annuntiate inter gentes gloriam ejus. » Illam, inquit, gloriam gentibus nuntiate, quam Judæi recipere noluerunt. « In omnibus populis mirabilia ejus. » Nativitatem videlicet inenarrabilem, resurrectionem et ascensionem, dicentes : « Quoniam magnus Dominus, » siquidem omnium Dominus. « Et laudabilis nimis, » in cunctis quæ fecit. « Terribilis est super omnes deos, » quoniam ejus injussu nihil facere possunt. Sunt enim « omnes diligentium dæmonia ; Dominus autem cœlos fecit. »

« Confessio et pulchritudo in conspectu ejus. » Si quis, inquit, cum Domino habitare desiderat, confiteatur peccata sua, cunctisque criminibus mundet corpus et animam suam. Est enim sola confessio et pulchritudo in conspectu ejus. « Sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus. » Qui enim ab eo sanctificatur, et castitate præcipuus et virtute magnificus invenitur.

Afferte Domino patriæ gentium. » Quasi diceret : « Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus, » qui a Christo Christiani vocamini. « Tollite hostias, et introite in atria ejus. » Non enim sine hostiis plenisque lapidibus in atria Domini intrare possumus. Sed quæ sunt ista atria ? In domo Domini, inquit Dominus, Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). In multas autem mansiones multis hostiis intratur ; alii enim hostia pietatis, alii hostia humilitatis, alii oblatione largitatis, alii vero sacrificio charitatis, has pretiosas domus ingrediuntur. Sed, sicut hostiæ, ita et domus diversæ sunt ; alia est enim claritas solis, alia lunæ. « Adorate Dominum in atrio sancto ejus. » Interim, inquit, in Ecclesia Dominum adorate, donec ad eum venientes, manipulos in manibus ei offeratis. « Commoveatur a facie ejus universa terra. » Vos enim, ac si dicat : Dei facies, imago et similitudo estis, tollite ergo a vobis, si quid terrenæ corruptionis habetis, ut toti cœlici et spirituales efficiamini. « Et dicite in gentibus : Quia Dominus regnavit, » hujusmodi principe devicto, infernoque exspoliato (*Ephes.* IV).

« Etenim correxit orbem terræ. » Quem, inquit, diabolus tortuosum et pravum mortis fecerat blandimentis, hunc iste magistrali severitate correxit. « Qui non commovebitur, » nec ab ipsius fide amplius separabitur. « Judicabit populos in æquitate, » qui orbem correxit, idem ipse populos judicabit. « Lætentur cœli, et exsultet terra. » Lætentur apostoli, lætetur et Ecclesia. « Commoveatur mare, et plenitudo ejus, » ut nullus in eo pisciculus invenatur, qui in tanto gurgite baptizatus Domino suo lætus non occurrat. « Gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt ; » gaudebunt animæ, et corpora sanctorum, a quibus spinis et tribulis eradicatis, ipsa quidem uberi messe florumque pulchritudine decorabuntur. « Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum, » quæ quando fructum bonum reddiderint, non excisa in ignem mittentur sed in cœlestis Jerusalem parietibus ædificabuntur. « Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* III). » — « A facie Domini, » in præsentia Salvatoris. « Quia venit, » tempus redimere. Et « quoniam venit, » secundo « judicare terram. » Sed quomodo judicabit ?

Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua, » superbos humiliando, et humiles exaltando.

EXPOSITIO PSALMI XCVI.

« Dominus regnavit, exsultet terra. » Vox Prophetæ : Exsultet jam terra, lætetur humanitas, in qua non peccatum, sed Dominus regnat. « Lætentur insulæ multæ. » Multæ sunt insulæ, multæ sunt Ecclesiæ quæ in hujus sæculi mari sunt dispertitæ. Lætentur ergo, quoniam, etsi loco dividantur, sub unius tamen Imperatoris regimine colliguntur. « Nubes, et caligo in circuitu ejus. » Nubes enim, quæ Christum circumdedit, sive caro in qua latebat, sive apostoli sapientiæ aqua pleni, sive et nubes illa quæ ab eorum oculis eum suscepit (*Act.* I), intelligi possunt. Uterum quoque tuum, beata Virgo, solius Dei gratia madefactum, hanc nubem vocaverim. Tu enim es illa nubes levis, super quam Dominus venit in Ægyptum (*Luc.* II). Et caligo in circuitu ejus, Dominus est in caligine (*Exod.* XXIV), « lux in tenebris lucet (*Joan.* I) ; » et Salvator noster in Judæa prædicat (*Matth.* XIX), sed tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* I), nec Dominum suum Judæi cognoverunt. « Justitia, et judicium, correctio sedis ejus. » Qui enim justitiam sequitur et seipsum judicat, hic sedem Dei corrigit. « Ignis ante ipsum præcedet. » Qui, inquit, in primo adventu in nube venit atque caligine, in secundo quidem in igne veniet et luce manifesta. Ilic autem ignis et malos comburet et bonos illuminabit. Hoc est quod se-

Digitized by Google

quitur : « Et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

« Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ. » Ipsa quoque temporum permutatio insinuat quod nunc de primo, nunc de secundo adventu loquatur. Quia, inquit, tunc in igne veniet, olim fulgura multa præmisit. Fulgura quippe in terrarum orbe lucebant, quando apostolorum miracula ubique declarabantur. Hoc « vidit terra, et commota est; » alii namque ad fidem, alii contra sanctos commoti sunt.

« Montes, sicut cera, fluxerunt a facie Domini. » Divites, superbi et elati qui prius duri et lapidei erant, apostolica prædicatione emolliti, evangelica verba in suis pectoribus divino stylo scripta receperant. « A facie Domini omnis terra, » hoc, inquit, facies et cognitio Domini omni terræ fecit, ut marmor in ceram converteretur. « Annuntiaverunt cœli justitiam ejus. » — « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII). » Apostoli prædicant Christum (*Act.* II).

« Et viderunt omnes populi gloriam ejus, » intellexerunt jam venisse, qui et mundum salvavit, et gloriam daturus est. « Confundantur ergo omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis. » Vos autem « adorate eum omnes angeli ejus » omnes Evangelii prædicatores, quem, vobis prædicantibus, audiverunt. Et in quo « lætata est Sion, » id est sancta Ecclesia. « Et exsultaverunt filiæ Judæ. » Et Sion, inquit, lætata est, et filiæ Judæ, id est confessorum animæ exsultaverunt, « propter judicia tua, Domine, » quibus custoditis, se salvari sperant. « Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos. » Tu solus laude omnique veneratione es dignus, qui homines, dæmones et angelos superexcellis.

« Qui diligitis Dominum, odite malum. » Quicunque Dei vult esse amicus, inimicorum ejus fiat inimicus. « Custodit Dominus animas servorum, suorum de manu peccatoris liberabit eos. » — « Fidelis autem, secundum Apostolum Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis (*I Cor.* X). » — « Lux orta est justo, » id est Christus Dominus, ad Ecclesiæ salutem. « Et rectis corde lætitia, » quem diu desideratis, ecce venit. « Lætamini » ergo « justi in Domino, » non in hujus sæculi dignitatibus. « Et confitemini memoriæ sanctificationis ejus, » eum confitemini atque laudate, qui vestri memor vos sanctificavit.

EXPOSITIO PSALMI XCVII.

« Cantate Domino canticum novum. » Vox Prophetæ : Qui novum canticum cantare desiderat, sequentia legat, ut nova reperiat. « Quia fecit, » nunquid hoc novum est? Quid enim fecit Dominus quod mirabile non sit? Non est ergo novum, quia mirabilia fecit, nisi aliud apponatur. Sed vide quid sequitur : « Salvabit sibi dextera ejus. » Hoc autem novum est et ante Christi resurrectionem penitus inauditum. Quid est autem salvabit sibi dextera ejus, nisi ad sui laudem et honorem filium suum resurgere fecit? (*Marc.* XVI.) Confirmatio : « Et brachium sanctum ejus. » De hoc autem brachio dicitur. Et brachium Domini cui revelatum est? « Notum fecit Dominus salutare suum. » Filius quippe Dei, qui olim omnino, ignotus erat, nunc notus, et pre omnibus notus Ecclesiæ factus est. Hunc enim Apostolus bene noverat qui ait : « Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (*I Cor.* II). » — « In conspectu gentium revelavit justitiam suam. » Justitia Dei Christus dicitur, quoniam sine hac justitia nemo justificari potest. « Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ, » quam promisit domui Israel. Ait enim : « In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter (*Jer.* XXXIII). » Memor ergo Dominus hujus veritatis promissæ, magna sua misericordia mundum, redemit. « Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri, » tota præfata cautio nova jam completa est; hæc autem est quæ adhuc futura exspectatur. Multi enim in primo adventu Christum viderunt, non omnes tamen, cum autem secundo ad judicandum venerit, tunc omnis oculus eum videbit (*Luc.* XXI). Jubilate ergo Domino, omnis terra, cantate et exsultate, et psallite. Jubilemus corde, contemus ore, exsultemus in Domino cunctis motibus corporis; psallant manus, pedes, oculi, servientes Domino in officiis suis. « Psallite Domino in cithara, in cithara. » Duas enim citharas habent doctores, alteram in corde alteram vero in ore, quæ autem in corde consistit, ineffabili harmonia soli Domino citharizat; quæ vero in ore superbos et irascibiles, et quemlibet Sauli similem suavi Scripturarum modulatione mitissimum reddit. Et voce psalmi, psalterium namque vox, non nisi in psalterio fit, qui autem in psalterio cantat, in decem quidem legalibus præceptis Domino servit.

« In tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ. » Ductiles tubæ de argento fiebant, quibus in unum Israeliticus populus veniebat, sed neque sine argenteis corneæ, nec absque corneis argenteæ canunt; in argenteis sermonum puritas, in corneis vero virtutum robora manifestantur. Non fit ergo in sermone mendax, nec contra hæreticos sine cornibus prædicatur : Hos veris sermonibus mitiget, illos autem duris cornibus terreat. « Jubilate in conspectu regis Domini. » Quod autem non in ore, sed in corde jubilatio fiat, in hoc loco declaratur; « homo autem in facie, Deus autem in corde videt (*I Reg.* XVI). » Fit ergo in solius Dei conspectu jubilatio, siquidem in corde.

« Moveatur mare et plenitudo ejus, orbis terrarum et qui habitant in eo. » Omnes, inquit, commoveantur, omnes ex se, tineis omnibus excussis, ad Dominum confugiant.

« Flumina plaudent manibus simul. » — « Si quis sitit, ait Dominus, veniat, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vitæ (*Joan.* VII). » Sancti sunt ergo flumina, quando quidem ex eorum ventre aquæ decurrunt. Manibus autem plaudere, est in Domino lætari. Mos enim erat antiquorum ut præ lætitia manibus plauderent. Vel etiam, bonis operibus sine intermissione

Digitized by Google

sione opera bona conjungerent. « Montes exsultabunt in conspectu Domini, quoniam venit judicare terram. » Tunc enim gaudebunt sancti, tunc exsultabunt montes, quando : Cadite super nos, eis dicetur (*Luc.* XXIII). Super quos enim isti montes ceciderint, hi a ventura ira inveniri non poterunt. « Judicabit orbem terræ in justitia. »

EXPOSITIO PSALMI XCVIII.

« Dominus regnavit. » Vox Prophetæ vel Ecclesiæ : Dixi semel, dixi iterum, dico tertio : Dominus regnavit, ut « in medio duorum vel trium testium stet omne verbum (*Deut.* XVII). » Vos autem increduli Judæi, hoc negatis quod vester Propheta constanter affirmat.

« Irascantur populi. » Irascantur Judæi, confundantur dolore, quoniam, velint, nolint, Dominus regnavit : irascantur et Christiani qui cum occidebant, cui quondam serviebant, receptoque alio rege jam in se peccatum regnare non patiantur. Sed quo Dominus regnavit? Sequitur : « Qui sedet super cherubim, » Cherubim *scientiæ plenitudo* interpretatur. Sedet igitur Dominus non solum in angelis, qui hoc nomine nuncupantur, verum etiam in sanctis sapientiæ, et scientiæ spiritu repletis. « Moveatur terra, » id est irascantur populi. Hic autem « Dominus est in Sion, magnus, » quoniam per singulos dies in sancta Ecclesia laudatur, et magnificatur. « Et excelsus super omnes populos, » quem semper suam Judæi in sepulcro dormire putabant (*Matth.* XXVII). Apostrophe :

« Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est. » Nomen Domini semper laudetur, eique occulta et manifesta confiteantur, quoniam et malis est terribile, et justis sanctum et delectabile. « Et honor regis judicium diligit. » Quicunque Regem regum vult honorare, seipsum prius dijudicet, et furtum, adulterium, perjurium et homicidium, cæterosque sui corporis malefactores occidat mortique condemnet, sic autem in sui pectoris sedem cum honore et pace venientem suscipiet hospitem.

« Tu parasti directiones judicium. » Quandoquidem omnia judicia Dei directione et æquitate præparantur, dirigantur et judicia nostra. Non enim recte ille dijudicat qui superbiam vivificans in se occidit humilitatem. « Et justitiam in Jacob tu fecisti. » Cum enim judicat Jacob supplantat (*Gen.* XXVII), justitiam operatur. Hanc tamen justitiam facit Dominus, quando supplantationis astutiam præstat. Conversio personæ :

« Exaltate Dominum Deum nostrum. » Ut qui naturaliter est magnus in vestris cordibus excelsus quoque habeatur. « Et adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est. » Quid per scabellum, nisi corpus Dominicum intelligamus ? In hoc autem, quasi scabello, sedet divinitas. Hoc autem omnes adorabunt, sicut ipse ait : « Vivo ego dicit Dominus, quoniam mihi curvabitur omne genu (*Isa.* XLV). » Potest autem et de cruce intelligi, in qua Salvator hanc vitam finivit (*Matth.* XXVII). « Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus : et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. » Illum, inquit, quem nos in scabello residentem adoramus, Moyses, Aaron, Samuel omnesque prophetæ prophetarunt et adoraverunt. « Invocabant Dominum, » ipsum quidem quasi Dominum invocabant. « Ipse autem exaudiebat eos. Et in columna nubis loquebatur ad eos. » In nube quidem atque caligine loquebatur eis, quia, in carne venturus, latibulum suum tenebras facturus erat. « Custodiebant testimonia ejus, et præceptum quod dedit illis. » Hoc autem ad vestram confusionem, Judæi, dicitur, qui ei, quem patres vestri adoraverunt (*Joan.* IV) insultantes dicebatis : « Tu de teipso testimonium dicis. Testimonium tuum non est verum (*Joan.* VIII). » Quare ergo Moyses, et Aaron ejus testimonium custodierunt? « Domine, Deus noster, tu exaudiebas eos. » Tu, inquit, qui nunc homo factus scabellum diceres eos quondam exaudiebas. « Deus, tu propitius fuisti eis, » in omnibus quæ cum fide et dilectione postulabant. « Et ulciscens in omnes adinventiones eorum, » sicut in vitulum quem in deserto coluerunt. « Exaltate Dominum Deum nostrum. » O quanta unius verbi lætitia, qui omnium Deus et Dominus est, noster Deus et Dominus principaliter appellatur!

« Et adorate in monte sancto ejus, » id est, in Ecclesia, vel in cordibus vestris, quæ a terrena vanitate sublimata, non immerito montis vocabulum acquirunt. Et dicite : « Quoniam sanctus Dominus Deus noster. »

EXPOSITIO PSALMI XCIX.

« Jubilate Deo, omnis terra. » Vox doctorum : Jubilate Deo omnis terra. Hoc autem et Paulus dicebat : « Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete (*Phil.* IV). »— « Servite Domino in lætitia. » Serviebant namque Judæi non in lætitia, sed ex necessitate ; nisi enim servirent, legis maledictionibus subjacerent, nos autem non timore, sed benedictionis amore serviamus. « Intrate in conspectu ejus in exsultatione, » semper enim in conspectu Dei sumus, quando digna visionis ipsius opera facimus. Qui enim eleemosynam facit, qui orat, quique aliis prædicat, ante Dei conspectum existit ; hæc autem, nisi in exsultatione fiant, ingrata esse videntur. « Scitote quoniam ipse est Deus, » non sol, non luna, non cœlum vel terra, non alia quælibet creatura Deus est, sed ille est Deus qui omnia fecit (*Joan.* I). « Ipse » enim « fecit nos, et non ipsi nos. »

« Populus ejus et oves pascuæ ejus. » Ipsius enim oves sunt, quicunque ejus vocem audiunt (*Joan.* X). « Introite portas ejus in confessione, » ut enim hoc breviter dicam, illum ipsius et meam portam vocabo, qui me aqua baptismatis lavit. Hanc autem ego quidem intrare non potui, donec Dominum confessus diabolo abrenuntiavi. « Atria ejus in hymnis. » Et ut hoc totum in mei exemplo exponam, supra dictam, Dei gratia, ego portam ingressus, jam

Digitized by Google

in ejus atriis, hymnos qualescunque depromo. « Confitemini illi. » Videte quam recto incedat ordine : Oves dixit, pascua posuit, portas adhibuit. Ovis ergo esse debet, qui hanc pascuam ingreditur; ingredi autem, nisi per portam, nemini licet; qui enim aliunde intraverit, fur appellabitur (*Joan.* x) : ingressus autem, laudibus vacet, et confessionibus. « Laudate nomen ejus. » Quicunque Christianus vocatur, talem se exhibeat, ut in eo Christi nomen glorificetur. « Quoniam suavis est Dominus, » sicut enim mitibus est suavis, ita et superbis asperus erit.

« In æternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus. » Æterna misericordia, æterna est et veritas, semper enim erunt sancti, qui misericordia salvi fiunt, semper erunt et peccatores, qui veritate damnantur.

EXPOSITIO PSALMI C.

« Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. » Vox perfectorum. Tibi Deus et redemptionis misericordiam, et veritatis cantabo judicium. Misericors est, nullus desperet; verus est, nemo superbiat. « Psallam et intelligam, » multi enim psallunt, qui non intelligunt, sed aliud in lingua dicunt, aliud in corde cogitant. Lingua psalmos cantat, mens autem denariorum numerum computat. « In via immaculata, » psallam, inquit, sic tamen ut intelligam, ambulans in via immaculata. Multæ sunt sanctorum viæ, omnes quidem immaculatæ. « Quando venies ad me. » Cur venies dicit, qui cum eo semper est? Venies igitur, ad secundum refertur adventum, qui tanto desiderio a sanctis exspectatur, ut semper veni, veni, dicere credantur.

« Perambulabam in innocentia cordis mei. » Quia se in via immaculata superius ipse dicebat, quæ esset illa via, hoc in loco manifestat. Perambulabam, inquit, in innocentia cordis mei, existentis « in medio domus meæ, » id est corporis mei. Hæc autem via penitus est immaculata; cordis enim innocentia, si cum ratione fuerit, totius hominis est perfectio. « Facientes prævaricationes odivi. » Neque ego, inquit, prævaricatus fui, neque prævaricatoribus consensi. « Non adhæsit mihi cor pravum. » Sed, sicut cor meum in omnibus rectum erat, ita rectis corde solummodo adhærebat. « Declinantem a me malignum non cognoscebam. » Non cognoscebam malignum, ut sibi in malitia assentirem, sed sicut ipse a viis meis, sic et ego ab ipso declinabam. « Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar, » spe correctionis, non consensu malignitatis.

« Superbo oculo. » In oculis namque et supercilio facile cujuslibet superbia deprehenditur. « Et insatiabili corde. » Hoc autem titulo avarus prænotatur. « Cum hoc non edebam. » Sic enim et Apostolus ait : « Si quis frater nominatur inter vos fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere (I *Cor.* v). » Divina responsio :

« Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum. » Non te, inquit Dominus, hoc fecisse pœniteat. Vidi opera tua, cognovi fidem tuam, veniam ad te, et cum cæteris fidelibus in cœlestem sedem te collocabo. « Ambulans in via immaculata, » quod te fecisse confessus es, « hic, » et non alius, « mihi ministrabat. Non habitavit in medio domus meæ, » id est in cœlesti Jerusalem, « qui facit superbiam, » et destruit humilitatem. « Qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum, » ut sit dignus meam faciem videre.

« In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. » Matutinum autem diem judicii appellavit, in quo omnes peccatores perdendi sunt. Matutinum autem ideo dicitur, quia huic nostræ vitæ succedit, quæ recto vocabulo nox appellatur. Denique ille dies sanctis lucere incipiet, quem nulla noctis caligo interrumpere valebit (*Apoc.* xxi). « Ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. »

EXPOSITIO PSALMI CI.

« Domine, exaudi orationem meam. » In hoc psalmo, prius Ecclesia, deinde Christus, postmodum vero Propheta loquitur. Domine, exaudi orationem meam, « et clamor meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam a me; in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam, in quacunque die invocavero te, velociter exaudi me. » Quanto animi affectu Dominum Ecclesia ipsa deprecetur, ipsa verborum replicatio manifestat, in qua unum idemque totiens dicitur : « Quia defecerunt, sicut fumus dies mei; » præsens enim vita cito dilabitur et evanescit, præteritus namque dies, ut fumus deficiens, jam inveniri non potest. Deficiunt, ut fumus, dies sanctorum, quoniam sine lacrymis non poterunt. Summopere ergo deprecandus est Dominus, ut æternos nobis tribuat, quandoquidem, ad fumi similitudinem, tam cito nostri deficiunt. « Et ossa mea sicut cremium aruerunt. » Ecclesiæ namque ossa, apostoli dicuntur, qui in multarum tribulationum frixorio secundum carnem aruerunt. Hoc autem qui non intelligit, craticulæ Laurentii recordetur.

« Percussus sum ut fenum. » Olim, inquit, in me juventus florebat, sed senectute veniente, flos juventutis mox excisus decidit. « Et aruit cor meum, » quoniam simul cum juventute omnes corporis vires amisi. « Quia oblitus sum comedere panem meum. » Dati, inquit, panis oblitus, interdictum manducavi, quoniam cæteris paradisi lignis omissis, solum vetitum comedi (*Gen.* III); nisi enim Adam, qui corporis hujus ecclesiastici principium fuit (*Gen.* I) proprii panis oblitus fuisset, neque primo flore privaretur homo, neque in viribus ullis deficeret.

« A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ. » Cum, inquit, dierum æternitatem, florisque pulchritudinem, et virium robur amisissem, quid nihil aliud quam dolor et gemitus remansit? Oblii

Digitized by Google

ergo panis, memor pristinæque felicitatis, pœnitere et gemere cœpi, soliusque Dei misericordiam implorare. Ad hunc autem gemitum et caro spiritui, et spiritus carni adhæsit, et quæ sibi invicem prius adversabantur, jam concordiam habere cœperunt. Et quoniam, sicut in Evangelio legitur, duo in me consenserant, omnes meas petitiones exaudivit Dominus. Vox Christi ·

« Similis factus sum pelicano solitudinis. » Una, inquit, eademque culpa, et tu dierum æternitatem, Deique imaginem, et similitudinem amisisti, et ego, restaurationis causa, pelicano similis factus sum, qui nullo alio medicamine, nisi proprio sanguine, natos meos vivificavi. Præterea idololatras immundos, et peccatores in corpus meum, quod est Ecclesia, induxi. Pelicanorum duo genera esse dicuntur : alterum in aquis, alterum in solitudine. Qui vero solitudinem inhabitant, hanc naturam habere perhibentur, ut immundis animalibus, utpote ranis et lacertis, vivant, natosque suos interficiant, et per triduum dolentes seque ipsos vulnerantes, sui sanguinis aspersione, eos iterum ad vitam reducant. Hæc autem similitudo satis congrue nostro convenit Salvatori, qui nobis ob primi parentis transgressionem, immortalitatem auferens, et de paradiso ejiciens (*Gen.* III) mortis nos legibus subdidit. Sed hic noster Pelicanus, natos suos revisitans, per triduum mortis dolore contristatus, (mortis autem non tantum suæ quantum nostræ) proprii sanguinis effusione vivificavit. Vide ergo quam pulchre hæc similitudo conveniat superioribus. Conquerebatur Ecclesia, omneque genus humanum, et de paradisi expulsione, dierumque brevitate, et virium imbecillitate. Cui sic Salvator dulcissima consolatione respondet : Similis sum Pelicano; ego occidi, et vivere faciam, percussi, et ego sanabo (*Deut.* XXXII). Ne timeas igitur, homo, quia te iterum ad vitam reducam.

« Factus sum sicut nicticorax in domicilio. » Omnibus quidem notum est quod nicticorax sive noctua a cæteris avibus odio habeatur, quam etiam garrulitate quadam persequuntur, donec in aliquo reponatur loco : Huic autem comparatur Christus, quem usque ad crucem cum magno fremitu Judæi persecuti sunt (*Joan.* XVIII, XIX). Merito autem crux Christi, domicilium appellatur, quæ nobis in frontibus nostrique corporis imprimitur domicilio. Nec mirum, si noctuæ assimilatur, qui se etiam vermem vocavit (*Psal.* XXI).

« Vigilavi. » Quia die tertia resurrexi (*I Cor.* XV). « Et factus sum sicut passer, » agilis ad volandum « solitarius in tecto, » quoniam nullus mecum in carne cœlos ascendit. « Tota die exprobrabant mihi inimici mei, » Judæi videlicet, qui quasi nicticoracem eum persequebantur. « Et qui laudabant me, » manifesta adulatione. « Adversum me jurabant, » id est in ejus interitum conjurationem faciebant. Sed qua ratione?

« Quia cinerem tanquam panem manducabam, » id est, ad pelicani similitudinem, immundos et flagitiosos meo corpori associabam. Unde quidam vini potatorem, et amicum publicanorum (*Matth.* XI) eum esse dicebant. « Et poculum meum cum fletu miscebam, » quia et pro natorum nece dolebat, et cum illis divinum humanumque cibum communicabat, qui pro peccatis suis assidue flebant. Ex quibus mulier illa peccatrix una fuit, quæ pedes ejus lacrymis rigavit (*Luc.* VII). Vox Ecclesiæ :

« A facie iræ indignationis tuæ, quia elevans allisisti me. Dies mei sicut umbra declinaverunt. » Me, inquit, de limo terræ fecisti (*Gen.* II), et in angelorum elevans dignitatem, quasi Dominum constitueras, sed præceptum transgrediendo, tuæ indignationis iram incurrens (*Gen.* III), in terrenam illius sum debilitatem. Sic ergo a facie iræ indignationis tuæ, « dies mei sicut umbra declinaverunt, » id est, summa cum festinatione, immortalitate amissa evanuerunt. « Et ego sicut fenum arui. » Vere fenum est populus, « siccatum est fenum, et cecidit flos (*Isa.* XL), » amisimus florem, redigimur in pulverem. « Tu autem, Domine, in æternum permanes, et memoriale tuum in generationem, et generationem. Tu exsurgens, » sicut promisisti, « miscreberis Sion, » quia pelicani sumpta similitudine, proprio nos sanguine vivificabit (*Hebr.* IX). « Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. » Venit, inquit, nostræ redemptionis, tuæque incarnationis tempus.

« Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus. » Lapides vivi volvuntur super terram ; hi autem sunt, de quibus dicitur : « Tempus lapides colligendi, tempus spargendi (*Eccle.* III). » Prius enim Dominus apostolos collegit (*Luc.* VI), postea vero ad prædicandum divisit (*Marc.* XVI). Placeant nobis lapides isti, eorumque soliditatem imitemur. « Et terræ ejus miserabuntur, » terræ namque suæ ille miseretur, qui carni suæ æternum præparat habitaculum. « Et timebunt gentes nomen tuum, Domine. » Quod non in vanum jurare audebunt. « Et omnes reges terræ gloriam tuam, » id est, Filium tuum. « Quia ædificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua. » Quoniam, sicut ait Apostolus, « cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria (*Col.* III). » —« Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum. » Hujus autem expositio in superficie est. Vox Prophetæ :

« Scribantur hæc in generatione altera. » In futura scilicet, quam sua Dominus incarnatione respiciet, et visitabit. « Et populus qui creabitur, » aqua baptismatis et Spiritu sancto, « laudabit Dominum. Quia respexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram prospexit, » ut ejus sua visitatione misereretur. « Ut audiret gemitus compeditorum. » Patriarchæ namque, et prophetæ in inferno compediti tenebantur, quorum gemitus sunt exauditi. Erant et illi compediti qui vitiorum catenis ligati diabolum sequebantur. « Ut solveret filios interemptorum. » Non ergo solummodo patres no-

Digitized by Google

stri, qui interempti et mortui sunt, compediti erant, sed nos quoque ipsorum vincti eramus. Quis enim solvitur nisi ligatus? vincti ergo eramus siquidem a Domino soluti sumus (*Psal.* CXXIII). « Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem. » Ad hoc, inquit, ex diabolicis laqueis soluti sumus, ut laudem Domini in Ecclesia decantemus.

« In conveniendo populos in unum, » id est, dum in unius fidei unitatem omnes gentes congregabuntur. « Et reges, ut serviant Domino. Respondit ei in via virtutis suæ, » id est in opere prædicationis quæ, secundum Apostolum, Dei virtus appellatur (*Rom.* I). « Paucitatem dierum meorum nuntia mihi. » Cui respondit : Jerusalem. Nam cum appropinquaret Dominus Jerusalem, quasi dierum paucitatem ab eo interrogaret, sic flendo respondit : « Quia si cognovisses, et tu, quoniam venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo etc.,» (*Luc.* XIX). Sic ergo suorum dierum paucitatem ei prænuntiant. Apostropha :

« Ne revoces me in dimidio dierum meorum. » Sed permitte me, non tantum mediare, verum etiam in tuo servitio continuare. Sive, ne revoces me de hac vita, præoccupatum aliquo judicio, ante terminum prædestinatum. Quod quidem pertimescens ait: « Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi (*Isa.* XXXVIII).» — «In generationem, et generationem anni tui. » Tui, inquit, sunt anni, dies, et tempora, et menses, cunctaque tuæ voluntati obsequuntur. « Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. » Hoc autem secundum litteram verum est. Quod et super Ecclesia et apostolis intelligi potest. « Ipsi peribunt, » quoniam in melius mutabuntur, « tu autem permanebis, » qui mutari non potes. « Et omnes ut vestimentum veterascent, » carne dissoluta. « Et sicut opertorium mutabis eos, » ut a vitiorum sorde mundati, pulchriores fiant. « Et mutabuntur, » ad æternitatem. « Tu autem idem ipse es, » penitus incommutabilis. « Et anni tui non deficient. Filii servorum tuorum habitabunt, » Ecclesiam, jam cœlis quodammodo commutatis. « Et semen eorum in sæcula dirigetur, » nunquam enim sanctorum opera depravantur.

EXPOSITIO PSALMI CII.

« Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. » Vox Ecclesiæ : Non enim labiis tantum, verum etiam anima et corde, mente s. intellectu, cunctisque viribus Dominum benedicere, et laudare debemus. « Benedic, anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. » Quis enim Dei beneficia numerare potest? Solem namque et lunam, ignem et aquam, et cæteras creaturas in obsequium nostrum creavit. Hæc tamen nihil sunt, si futuris bonis comparentur. « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. » Expositio : « Qui sanat omnes infirmitates tuas, » quibus vel corpus, vel anima debilitatur. « Qui redimit de interitu vitam tuam, » quam diabolus comprimebat. « Qui coronat te in misericordia, » dans prius misericordiæ fortitudinem, ut demum tribuat et coronam. « Qui replet in bonis desiderium tuum, » pravis cogitationibus evacuatum.

« Renovabitur, ut aquilæ, juventus tua. » Aquila namque ad senectutem deveniens, a solis caloribus plumis amissis, in frontem aliquem dilapsa, in juventutem reparatur. Sic autem et sancta Ecclesia, solis justitiæ accensa caloribus, in fonte baptismatis submersa, veterem hominem exuta, novi indet juventutem. Renovabitur autem, et in judicio, primitiva resumpta imagine.

« Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus : notas fecit vias suas Moysi, et filiis Israel voluntates suas. » Misericordia quidem fecit, quod mundum redemit (*Gal.* III); judicium autem fecit, quia innocentes vindicabit. Unde Apostolus. « Mihi, inquit, vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus (*Rom.* XII). » Ejus vias cognovit Moyses, id est apostoli, qui aquatici piscatores et baptizatores fuerunt. Filii autem Israel ejus voluntates cognoscunt, hoc est viri sancti, qui eam mentis oculis contemplantur. « Non in perpetuum irascetur? Quoniam miserator, et misericors et patiens et multum misericors. Neque in æternum comminabitur, » quoniam sicut scriptum est: « cum pateretur, non comminabatur (*I Petr.* II). » — « Non secundum peccata nostra fecit nobis. » Cum enim digni essemus morte, pro nobis subiit mortem. « Neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, » ad meliora conversi fuerimus.

« Quoniam secundum altitudinem cœli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. » A Deo namque confirmata est in sanctis misericordia Dei, ut super cœlos delati, angelis associentur. « Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras, » ut enim mortuus a vivo, sic justus differt ab iniquo. « Quomodo miseretur pater filiorum misertus est Dominus timentibus se, » verberibus castigando, non tamen mortificando. « Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, » quod figuli, vasis recta comparatur. Cognovit quidem, quoniam servi formam recepit (*Phil.* II). « Recordatus est, quoniam pulvis sumus, » quem nisi suæ misericordiæ aquis irrigasset, a quolibet ventorum flamine projiceretur. Homo sicut fenum, qui facile privatur floribus : « Dies ejus tanquam flos agri, sic efflorebit, » non longo temporis spatio. « Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, non cognoscet amplius locum suum, » simul enim cum spiritu, et vigor amittitur et possessio. « Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum, super timentes eum, et justitia in filios filiorum in his qui servant testamentum ejus. » Filiorum quippe Dei filii sunt quicunque apostolos imitantur. Unde Apostolus ait : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (*Gal.* IV). » — « Et memores sint mandato-

Digitized by Google

rum ipsius, » non ad legendum, sed ad faciendum, quoniam, ut Apostolus ait : « Non auditores legis justificabuntur apud Deum, sed factores (*Rom.* II). »

« Dominus in cœlo paravit sedem suam. » Quia resurgens a mortuis cœlos ascendit (*Marc.* XVI). Sive in cœlo, hoc est in apostolis, quoniam « anima justi, sedes est sapientiæ (GREG. hom. 33). » — « Et Regnum ipsius omnibus dominabitur. » Principes namque regni ipsius, quod est Ecclesia, apostoli sunt, qui cæteras gentes judicabunt. « Benedicite Dominum, omnes angeli ejus, » doctores, qui eum annuntiatis. « Potentes virtute, » quia nos confirmant, « Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum, » qui ad hoc prædicatis, ut ipsius præcepta custodiantur.

« Benedicite Dominum, omnes virtutes ejus, » angelorum et hominum. « Ministri ejus qui facitis voluntatem ejus. » Hic autem iniquorum benedictio refutatur. « Benedicite Domino omnia opera ejus. » Nunquid lapides, et ligna Dominum benedicere possunt? possunt utique. Lapides namque benedicunt Dominum, quando nos in hac creatura benedicimus Dominum. « In omni loco dominationis ejus, » immensus est Dominus (*Psal.* CXII), immensa ergo sit laus, et benedictio. « Benedic, » et tu « anima mea Domino, » ut et ipse te æterna benedictione remuneret.

EXPOSITIO PSALMI CIII.

« Benedic, anima mea, Domino. Domine, Deus meus, magnificatus es vehementer. » Vox Prophetæ : Quoniam quidem vehementer magnificatus est Dominus, vehementer laudetur ab omnibus.

« Confessionem, et decorem induisti. » Qui enim Judæorum vituperatione carnisque infirmitate quondam circumdatus fuit (*Matth.* XXVII), nunc angelorum et hominum laude stipatur, æternoque decore et claritate illucescit. « Amictus lumine, sicut vestimento. » Cum enim sicut sol in regno Dei sancti refulgeant (*Matth.* XIII), quis ipsius Salvatoris claritatem verbis aperiat?

« Extendens cœlum sicut pellem. » Facile namque, et sine omni difficultate, altam cœli rotunditatem ipse extendit, atque peregit. Ejus enim dicere, facere est. « Qui tegis aquis superiora ejus. » Unde scriptum est : « Et divisit aquas quæ erant super firmamentum ab his quæ erant sub firmamento (*Gen.* I). » Hoc autem, si mystice intelligatur, cœli apostolos figurabant, qui, quoniam novi utres erant, ad novum vinum capiendum in tantum extenti sunt ut totius vineæ vindemiam ipsi reciperent (*Marc.* XVI). Quidquid enim novæ et veteris legis habemus, eis propinantibus, potavimus. Per horum superiora prophetas signavit, qui, altiori tempore nati fuerant. Illi autem tanta aquarum tegebantur profunditate ut nullus super eos navigare posset, sed quia Petrus, sicut piscator (*Matth.* IV) aquarum omnium peritus fuerat, transfretandi nobis iter aperuit. « Qui ponis nubem ascensum tuum. » Sicut scriptum est : « Et cum hoc dixisset, videntibus illis elevatus est, et A nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Act.* I). » — « Qui ambulas super pennas ventorum, » nullus enim ventorum ibi unquam ascendit, ubi Christus delatus est.

« Qui facis angelos tuos spiritus. » Quando enim ad Mariam Gabrielem misit, de spiritu quidem angelum fecit. « Et ministros tuos ignem urentem. » Ministri quippe Dei, non solum angeli, verum etiam omnes doctores dici possunt. Qui ideo ignis vocantur, quoniam alios illuminant. « Qui fundasti terram super stabilitatem suam. » Stabilitas quidem, et fundamentum Ecclesiæ Christus est (*Psal.* LXXXVI), super quem fundata, non inclinabitur in sæculum sæculi, sed semper ad altiora virtutum conscendet.

« Abyssus sicut vestimentum amictus ejus. » Quid B per abyssum nisi Novi Veterisque Testamenti intelligentia? Tali autem veste Ecclesia circumdata, in nullum latus cadere potest; hæc enim lorica nullis adversariorum telis perforari valet (*Matth.* XVI). « Super montes stabunt aquæ. » Quid per montes, nisi doctores; quid vero per aquas, nisi pecatores intelligimus? Stabant igitur supra montes aquæ, quando iniquorum turbulenta commotio, diabolico turbine exagitata in sanctos insurgebat; illi autem utriusque abyssi scuto muniti, clara tuba personantes, omnes æquoris minas mitigabant. Hoc est quod sequitur :

« Ab increpatione tua fugient. » Dicebant enim : « Pœnitentiam agite (*Matth.* III). » Itemque : « Nisi pœnitentiam egeritis, moriemini (*Luc.* XIII). » Et C rursum : « Jam securis ad radicem arboris posita est (*Matth.* III). » Ab hac autem increpatione fugiebant aquæ, quando vana deorum religione omissa sese Domino gentes subjiciebant. « A voce tonitrui tui formidabunt. » Vox autem tonitrui apostolorum est prædicatio, quæ simul cum sono fulgorem humanis pectoribus inferens et timorem, ipsum diabolum gladio spiritus interficiebat.

« Ascendunt montes. » Decrescentibus aquis. Credentibus namque turbis, crescebant Ecclesiæ. « Et descendunt campi, » quoniam vanis sæculi dignitatibus derelictis, sub Christo jugo populi humiliantur. « In locum quem fundasti eis. Terminum posuisti quem non transgredientur. » Qui enim furatur terminum illum transgreditur, quo dictum est : « Non D furtum feceris (*Exod.* XX). » Unde et transgressores dicuntur. Est autem, alius terminus quem nullo modo transgredi licet, unitatis videlicet trinitatisque fides. Hoc autem etiam de uniuscujusque oblitu intelligi potest. « Neque convertentur operire terram, » ut corruptibilis carnis sequantur voluptates, sed solas nuptiales vestes sibi parabant.

« Qui emittis fontes in convallibus, » baptismum, et doctores in Ecclesiis. « Inter medium montium pertransibunt aquæ. » Per medium Ecclesiarum, quatuor Evangeliorum flumina discurrent. « Potabunt omnes bestiæ agri; » quippe Dei nos omnes bestiæ sumus. Ad hanc ergo aquam curramus, quæ sine pretio cunctis tribuitur. « Exspectabunt onagri

Digitized by Google

in siti sua, » non enim solis sapientibus, verum etiam insipientibus hæc aqua ministratur. Unde Apostolus : « Judæis, inquit, et gentibus, Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum (*Rom.* I). »

« Super ea volucres cœli habitabunt. » Volucres cœli apostoli sunt, qui virtutum pennis cæteros volare docent. Hi autem super montes et valles habitant, quoniam in omnibus Ecclesiis tenent principatum. « De medio petrarum dabunt voces. » In medio Ecclesiæ aperient os suum (*Eccli.* XV), ut Paulus in Corintho, Petrus in Roma.

« Rigamus montes de superioribus suis. » — « Repleti sunt omnes Spiritu sancto (*Act.* II). » — « De fructu operum tuorum satiabitur terra. » Divinis namque beneficiis pascitur Ecclesia. « Producens fenum jumentis. » Tu, inquit, terram satias, ipsa autem jumentis tuis fenum producit, quoniam, et cibo corporali apostolos pascit, et florum pulchritudine eos delectat. Unde Apostolus ait : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus (*I Cor.* IX). » Confirmatio : « Et herbam servituti hominum. » Quos jumenta dixit, hominum servitutem appellat. Hæc enim jumenta, nobis ad serviendum data, viaticum, peregrinantibus cibum, plenasque de quinque panibus et duobus piscibus cistellas asportant. Dignum est ergo ut jumenta conducat qui absque jumentis vivere nequeunt. « Ut educas panem de terra. » Terra namque de terra panem eduxit, quando fidei corroborationem, ipsumque panem vivum, qui de cœlo descendit (*Joan.* VI), ab apostolis quidem Ecclesia recepit. « Et vinum quod lætificat cor hominis, » Scripturarum profunda mysteria, ipsiusque Salvatoris sanguinem apostolicis manibus divina benedictione consecratum significat.

« Ut exhilaret faciem in oleo. » Ecclesiæ namque facies, et pulchritudo, spirituali oleo et salubri unctione lætificatur, quia apostolorum credidit verbis. « Et panis cor hominis confirmet. » Ideo enim quotidianum panem semper deposcimus ; ut mens nostra firmata, nullis succumbat tentationibus. « Saturabuntur ligna campi. » Campus iste Ecclesia intelligitur, quem apostoli colentes, multa arborum genera in eo plantaverunt quæ supradicto pane reficiuntur. In hoc autem deficiunt, qui litteræ sunt amatores. « Et cedri Libani, quas plantavit, » id est illi qui meritis altiores sunt, sive reges et principes sæculi dignitatibus prædicti.

« Illic passeres nidificabunt. » Per passeres, fidelium pauperum multitudo designantur. Hi autem ædificant in cedris, quando in divitum possessionibus cellulas suas inhabitant. Quod de monachis quidem apertissime intelligi potest.

« Herodii domus dux est eorum. » Herodius, avis quædam est. Hujus autem domus petra est ; atque petra Christus est (*I Cor.* X), quem ducem » qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII). » — « Montes excelsi » sunt refugium cervis, cervi apostoli, agiles ad currendum et Evangelium nuntiandum, qui serpentes tollant, quibusque nunquam mortifera nocebunt (*Marc.* XVI). Hi autem montes, Novum et Vetus Testamentum, et ipsi cœli refugium sunt. « Petra refugium herinacis, herinaceus, animal quoddam est spinarum densitate circumdatum ; his autem illa Petra refugium est, quæ ait : « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Matth.* IX). »

« Fecit lunam in tempore, sol cognovit occasum. » Eo namque tempore, quo sol justitiæ pro totius mundi salute in cruce obdormivit (*I Joan.* II), de latere ipsius fabricata est Ecclesia, quem Adam præfiguravit, de cujus latere dormientis una costa subtracta, formata est Eva (*Gen.* II). Apostrophe : « Posuisti tenebras, et facta est nox. » In Christi namque passione tenebræ factæ sunt, quando verum lumen in Judæa occidit (*Matth.* XXVII). Et facta est nox, quæ Judæorum populorum excæcavit. « In ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ, » transeunt ergo, per Judæam, quoniam illa Judæorum nox nondum est illuminata, « et catuli leonum, » bestiæ silvæ, id est leonumque catuli, Beelzebub dæmoniorum principe (*Matth.* XII) cum omnibus subjectis ; hi autem per eos transeunt, qui, Christo resurgente in nocte perstiterunt. « Rugientes, et rapiant, » sicut scriptum est : « Inimicus noster diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (*I Petr.* V). » « Et quærant a Deo escam sibi, » id est suæ voluntatis effectum. Quæsierunt Job (*Job* I), sed minime devorare potuerunt. Væ tibi Juda, qui eorum esca fuisti (*Matth.* XXVII). Potest autem et de apostolis hoc intelligi, qui, Christo Domino crucifixo, multis modis ab inimicis tentati fuerunt, in tantum ut ille, qui fortior videbatur et cæteros confirmare debebat, ter eum negaret (*Matth.* XXVI). Ortus est sol, resurrexit Dominus (*Marc.* VI), et congregati sunt undecim discipuli in Galilæa.

« Et in cubilibus suis collocabuntur. » Petrus in Roma, Joannes in Epheso, Thomas in India. Sic etiam, in cœlestibus habitaculis, non in foveis quas eis diabolus apparabat. « Exibit homo ad opus suum. » Quoniam quidem nox præcessit, justitiæque sol exortus est, præcingant se apostoli ad prædicationis operationem, ut per omnes fines terræ sonus eorum audiatur (*Marc.* XVI). « Et ad operationem suam usque ad vesperam, » id est usque ad terminum vitæ, sive sæculi consummationem. Exclamatio :

« Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! » Homo, inquit, ad opus suum exiit ; a piscatoribus capiuntur urbes ; a rusticano exercitu superantur reges. « Omnia in sapientia fecisti, » non armis sæcularibus, non tyrannorum multitudine, sed morte Filii tui, « per quem omnia facta sunt (*Joan.* I), » mundum convertisti. « Impleta est terra possessione tua, » quæ nuper ab inimicis possidebatur.

« Hoc mare magnum, et spatiosum manibus. » Tibi soli deservit. Manibus quidem est mundus spatiosus, id est gentium diversitatibus ; alia est enim

Digitized by Google

Græcorum, alia Latinorum. « Illic reptilia, quorum non est numerus, » ubi sunt « animalia pusilla cum magnis. » Hoc enim secundum litteram verum est. Animalia tamen pusilla et magna, perfecti et imperfecti, sapientes et insipientes, divites et pauperes intelligi possunt. « Illic naves pertransibunt; » hic enim Petrus, et Andreas, et filii Zebedæi navigarunt. Navis in hoc loco humana caro intelligitur. Necnon, et « draco, iste, quem formasti ad illudendum ei. » Hic autem draco, malignus spiritus est, qui de paradiso in hunc mundum dejectus (*Apoc.* XII), et decipit et decipitur, illudit et illuditur : Evam decepit (*Gen.* III), sed a Maria illusus est (*Luc.* I). Præterea, quicunque Jacob fuerit ei multis modis illudere poterit. « Omnia a te exspectant, ut des illi escam in tempore. » Omnes enim ille pascit, « qui super bonos et malos solem suum oriri facit, et super justos et injustos pluit (*Matth.* V). » Quod autem hoc ordine discretisque temporibus faciat omnibus notum est. Dabit etiam escam in tempore, quia fructum suum reddet in tempore suo. « Dante te illis colligent. » — « Omni enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est (*Jac.* I). » — « Aperiente te manum tuam, » id est copiam plenitudinis tuæ, « omnia implebuntur bonitate, » quibus tanta manus aperta fuerit. « Avertente autem te turbabuntur, » illi videlicet, quibus aversus fueris. « Auferes spiritum eorum, et deficient, » spiritus hominum vita est, qua ablata sit eclipsis. « Et in pulverem suum revertentur, » sicut scriptum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III). » — « Emitte Spiritum tuum, » qui auferri non potest, « et creabuntur » in fidei firmitatem. « Et renovabis faciem terræ, » id est hominis imaginem, quæ in Adam deperierat. Ego autem dicam : « Sit gloria Domini in sæculum. Lætabitur Dominus in operibus suis. » Quæ jam sibi servire incipiunt. « Qui respicit terram, et facit eam tremere. » Beatus ille qui sic respicere, ut peccata sua compunctus, tremiscat. Qui tangit montes, et fumigat calidum est. Fumigant ergo montes, qui sancti Spiritus ardore ebulliunt. « Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo, quandiu sum jucundum, et acceptabile est ei eloquium meum. Deficiant peccatores a terra, » id est a terrenis cupiditatibus, et spiritui deserviant. « Et iniqui, ab iniquitate sua. Ita « ut non sint » iniqui, sed justi. « Benedic, anima mea, Domino. » Omni tempore hic psalmus cantetur, quoniam quidem finiri non potest. Ubi enim finis putatur, ubi principium repetitur, revolvatur ergo Dei benedictio, et nunquam ad finem perducatur.

EXPOSITIO PSALMI CIV.

« Confitemini Domino. » Vox Prophetæ : Confitemini Domino peccata vestra. « Et invocate nomen ejus, » ut vobis misereatur. « Annuntiate inter gentes opera ejus, » quia non Judæorum Deus tantum. « Cantate ei, » ore, et corde. « Et psallite ei, » in operatione. « Narrate omnia mirabilia ejus, » vobis manifesta. « Laudamini in nomine sancto ejus, » non in operibus vestris. Lætabitur, in Domino, « cor quærentium Dominum. Quærite Dominum » non sæculi honores. « Et confirmamini, » in fide et dilectione. « Quærite faciem ejus semper, » quomodo eum videre possitis. « Mementote mirabilium ejus, quæ fecit, » in Ægypto. « Et prodigia, et judicia oris ejus » quæ nunquam mentiuntur, mementote quia estis, semen Abrahæ servi ejus, sic tamen si ejus opera facitis. « Filii Jacob electi ejus, » secundum illud : « Jacob dilexi, Esau odio habui (*Malac.* I). » « Ipse autem est Dominus Deus noster, » quia non nullum alium adoramus. « In universa terra judicia ejus, » ipse enim, et vivos et mortuos judicabit (*II Tim.* IV). Hic autem, qui talis est, « memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi scilicet, quod mandavit in mille generationes. » Quis hujus versiculi cognoscit sacramentum? forsitan idcirco mille dixit, quod in millesima Abraham generatione, quæ per maxime distat, hujus sæculi finis misit constitutus. « Quod disposuit ad Abraham, » dicens ei : « Patrem multorum gentium te constituam (*Gen.* XVII). » « Et juramentum suum ad Isaac. » — « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXVI). » — « Et statuit illud Jacob in præceptum, et Israel in testamentum æternum, dicens : Tibi dabo terram Chanaan, » hoc autem est quod disposuisti ad Abraham. « Funiculum hæreditatis vestræ, » loci temporisque quantitatem. « Cum essent numero brevi paucissimi, et incolæ ejus, » etsi pauci et inquilini essent, tantæ tamen promissioni crediderunt. « Et pertransferunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis, » ut Pharaonem in Saram. « Et corripuit pro eis reges, » dicens : « Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari. » Similiter autem, et illi a Domino custodiuntur, qui in terram viventium per multas tribulationes proficiscuntur. « Et vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit. » « Hoc autem fuit in tempore Jacob (*Gen.* XLII). » « Misit ante eos virum, » priusquam in Ægyptum pervenirent (*Gen.* XLVI). » — « In servum venundatus est Joseph, » Ismaelitis a fratribus suis (*Gen.* XXXVII). « Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, » quoniam adulterium perpetrare noluit, « ferrum pertransiit animam ejus, » id est dolor mortisque timor. « Donec veniret verbum ejus, » quo somnia exposuit. « Eloquium Domini inflammavit eum, » id est spiritus prophetiæ. « Misit rex, » ministros suos. « Et solvit eum, » de carcere in quo tenebatur. « Princeps populorum, et dimisit eum. Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Ut erudiret principes ejus, sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham. Et auxit Dominus populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus, » in multis plagis verberans Ægyptum. « Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum faceret in servos ejus. » Hæc autem ideo facta sunt, ut tanta amaritudine delibata beneficia, quæ sequuntur, sint nobis

Digitized by Google

dulciora. « Misit Dominus Moysen servum suum, et Aaron quem elegit ipsum. Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigia eorum in terra Cham. » Moyses, et Aaron apostolos designant, quos ad nostræ servitutis solutionem Dominus misit, qui signis multis atque prodigiis in universo mundo claruerunt. « Misit tenebras, et obscuravit eos, » ut oculorum lumine amisso, suæ mentis cognoscerent cæcitatem; hoc autem eis occidebat, qui ab apostolis prædicati, se errasse confitebantur. « Et non exacerbavit sermones suos, » sed veritati acquievit. « Convertit aquas eorum in sanguinem, » quoniam hujus sæculi sapientia, quasi venenum et peccatum a sanctis reputatur (*I Cor.* III). « Et occidit pisces eorum, » ut mortui mundo Domino viverent. « Edidit terra eorum ranas, » id est hæreticorum loquacitatem, qui sola voce sine ratione sanctis resistebant. In penetralibus regum ipsorum, in quibus, uti nos est, oblectaminis gratia confabulabantur.

« Dixit et venit cœnomyia, et ciniphes in omnibus finibus eorum. » Nam qui veritati credere noluerunt, tradidit eos Dominus in reprobum sensum. Cœnomyia, et ciniphes eos persequitur, qui semper a luxuria et curiositate stimulantur. « Posuit pluvias eorum grandinem, » quoniam poetarum doctrina potius mortem quam salutem inferebat. « Ignem comburentem in terra ipsorum. » Ut enim apostolorum ignis illuminat ita hæreticorum exurit. « Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit lignum finium eorum. Dixit, et venit locusta, et bruchus cujus non erat numerus, et comedit omne fenum in terra eorum, et comedit omnem fructum in terra eorum. Et percussit omne primogenitum in terra eorum primitias omnis laboris eorum. » Hoc autem ideo scripta sunt, ut quicunque Dei voluntati resistit, se multis doloribus periturum cognoscat.

« Et eduxit eos cum argento et auro. » Quamvis enim Ægyptum fugiamus, aurum tamen et argentum oblivisci non debemus. Habent enim et quidam pagani aurum et argentum, quia humiles, veraces, et casti inveniuntur; hi autem, quoniam Dei cognitionem non habentes idola colunt, evitandi a nobis sunt; humilitas tamen, veritas, et castitas spernenda non est. « Et non erat in tribubus eorum infirmus. » Videamus ergo et nos, qui Ægyptum fugientes ad nostræ promissionis terram festinamus, ne infirmitate gravati in itinere moriamur. « Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos. » Hoc autem maxime de Judæorum sacerdotibus intelligitur, qui usque adeo populum incitabant, donec de civitatibus apostoli pellerentur, quos ideo metuebant, quoniam si populus converteretur, omne oblationis lucrum sese amittere sciebant. « Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem, » per ignem, et nubem, Spiritum sanctum demonstrat, qui eos, et a vitiorum æstu defendebat, et in interiori homine illuminabat. « Petierunt, et venit coturnix, et pane cœli saturavit eos. » Habemus autem et nos coturnices, carnem videlicet nostri Salvatoris, habemus et panem vivum, qui de cœlo descendit (*Joan.* VI). « Diripuit petram, et fluxerunt aquæ. » Nostra quoque petra, lancea percussa, sanguinem nobis profudit et aquam (*Joan.* XIX).

« Abierunt in sicco flumina. » Similiter autem et per aridas gentes, baptismus et Evangelium. Sed cur hoc ? « Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum. » — « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII). » Unde Apostolus : « Non dixit, et seminibus quasi in multis ; sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus (*Gal.* III). » — « Et eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia, et dedit illis regiones gentium et labores populorum possederunt. » Si quis igitur in lætitia venerit, et nullis sæculi contristabitur adversis, iste in regionibus illis habitabit, ex quibus maligni spiritus sunt expulsi. « Et custodiant justificationes ejus, et legem ejus exquirant. » Hoc audiant monachi, qui ideo in monasterio introducuntur, ut cunctis sollicitudinibus abjectis solius Dei lege et servitio perfruantur.

EXPOSITIO PSALMI CV.

« Confitemini Domino quoniam bonus. » Vox Prophetæ : « Quoniam in sæculum misericordia ejus. » In hoc ergo sæculo fiat confessio, in quo et misericordia fieri potest, in inferno enim nulla est redemptio (*Luc.* XVI). « Quis loquetur potentias Domini, » quis eum, inquit, ad plenum laudare valebit ! « Et auditas faciet omnes laudes ejus; » sicut enim ipse immensus est, ita et laus ejus finiri non potest. « Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore. » Judicium enim Domini est: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum; » hoc autem, sicut ipse ait, « est maximum et primum mandatum (*Matth.* XXII), » et qui custodierit hoc, procul dubio beatus erit. « Et faciunt justitiam in omni tempore, » id est qui nunquam ab ejus justificationibus separantur.

« Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui. » Tali, inquit, modo sis memor nostri, ut bene placeat populo tuo, qui nos sumus. Sive, in beneplacito populi tui, ut inter eos sim qui bene in Novo Testamento tibi placebunt. « Visita nos in salutari tuo, » id est, in Filio tuo. « Ad videndum in bonitate electorum tuorum, » ut nosmetipsos in ea perfectione videamus, in qua electi tui consistunt. « Ad lætandum in lætitia gentis tuæ, » ut qui nunc eam futurum esse pronuntiamus, cum populo innovato quando venerit, in eadem redemptionis lætitia gaudeamus. « et lauderis » a nobis quoque « cum » cætera « hæreditate tua. »

« Peccavimus cum patribus nostris. » Confitemur, Domine, quoniam « injuste egimus, et iniquitatem fecimus. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, » viderunt quidem (*Exod.* VII, VIII, IX, X, XI), sed non intellexerunt, erant enim in Ægypto suæque mentis cæcitate, peccaverunt. Ergo « non

Digitized by Google

fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. Et irritaverunt » eum « ascendentes in mare Rubrum, et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam, et increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est, et eduxit eos in abyssum sicut in desertum. Et salvavit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici, et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit, et crediderunt verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus. » Hoc autem, et in Ecclesia fit, quando nobis baptismum transeuntibus, perit diabolus cum omni suo comitatu. « Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus. » Ideo enim cito fecerunt, quia cito defecerunt. Hoc enim locutionis modo illi arguuntur, qui inceptum opus ante tempus omittunt. « Et non sustinuerunt consilium ejus, et concupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso, et dedit eis petitiones ipsorum, et misit saturitates in animas eorum, et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini. Aperta est terra, et deglutivit Datan, et operuit super congregationem Abiron, et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores. » Nullus ergo in Dei sacerdotes insurgat, ne forte et sibi idem contingat. « Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile, et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum, » qui, inquit, in Domino gloriari debuerant (*II Cor.* x), in vitulo gloriabantur (*Exod.* xxxii). Sed, si sese fenum esse intelligerent, quod a vitulo devoratur, fortasse suum fugerent inimicum. « Obliti sunt Deum qui salvavit eos, » qui « fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro. Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus. » In magna veneratione habendi sunt sacerdotes, qui iram Dei frangere possunt. « Et avertit iram ejus ne disperderet eos, et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, » quoniam in eam intrare nequierunt (*ibid.*), « non crediderunt verbo ejus, et murmuraverunt in tabernaculis suis, non exaudierunt vocem Domini. Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto, et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et dispergeret eos in regionibus. Et initiati sunt Beelphegor, » Deum montium, « et comederunt sacrificia mortuorum, et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina, et stetit Phinees et placavit, » occidens adulteros. « Et cessavit quassatio. » Sic ergo et episcopus surgat, stet, evaginet gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* vi), et destruat fornicationem, ut ei hoc ad justitiam deputetur. « Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus, et distinxit in labiis suis. » Pro eis, inquit, orationem fecit, ut ab irritationis peccato solverentur. « Non disperdideruut gentes quas dixerat Dominus illis : » Nos autem superbiam, luxuriam, avaritiam cæterasque gentes destruamus, quas nobis Dominus perdere jussit (*Matth.* v). « Et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum. Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis, et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. Et interfecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum, et fornicati sunt in adinventionibus suis. » Est ergo fornicatio etiam in pravis intellectibus. Unde malos prædicatores verbum Dei adulterantes Apostolus dicit (*II Cor.* ii). « Et iratus est furore Dominus in populum suum, et abominatus est hæreditatem suam. Et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos, et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum. Sæpe liberavit eos; ipsi autem exacerbaverunt cum in consilio suo, » prava cogitantes. « Et humiliati sunt in iniquitatibus suis, et vidit Dominus cum tribularentur, et audivit orationes eorum. » Nulla unquam peccatoribus desperationis datur occasio. « Et memor fuit testamenti sui, » id est, promissionis Abrahæ (*Gen.* xxii), « et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ, » ut enim irascitur irascenti, ita pœnitet pœnitenti, non enim pœnitet vel irascitur, iræ tamen, et pœnitentiæ in eo officium invenimus, cum ergo punit, iratus; cum autem miseretur, misericors appellatur. « Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos; salvos fac nos, Domine Deus noster, » quos multo majori pretio redemisti. « Et congrega nos de nationibus, » ut simul in unam cœlestem sedem conveniamus, sive, in Ecclesiæ unitatem. « Ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et usque in sæculum, et dicat omnis populus : Fiat, fiat. »

EXPOSITIO PSALMI CVI.

« Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. » Vox Prophetæ : « Dicant nunc qui redempti sunt a Domino. » Quid dicant? hanc confessionem. « Quos redemit de manu inimici. » Proprio namque sanguine redemit nos Dominus de diaboli potestate (*Col.* i). « Et de regionibus congregavit eos. » Judæi enim atque gentiles, Ægyptii et Britanni ex tam diversis regionibus sub unius Ecclesiæ fide congregantur. Quod apertissime in sequentibus demonstratur.

« A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. » Dum hæc quatuor mundi climata posuit, omnes regiones comprehendit. Mare enim, cum totum circumeat mundum, pro sola australi parte, in hoc loco ponitur, quæ ideo non nominatur, quoniam Judaicus populus qui in hac plaga habitabat, non utique congregatus, sed dispersus est : congregabitur autem in hujus sæculi consummatione, quoniam cum plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* xi).

« Erraverunt in solitudine. » Hæ, inquit, generationes, quæ sub una fide ex omnibus mundi partibus adunantur, olim erraverunt, quoniam in deserto, et solitudine erant, locisque a Deo derelictis. « In ina-

Digitized by Google

venenum (*Rom.* III); ego mel et favum (*Num.* XIII), ipsi acetum (*Joan.* XIX) cum felle mistum (*Matth.* XXVII) mihi porrexerunt.

Ideoque « constitue super eum peccatorem. » Quoniam quidem peccatorem Cæsarem (*Joan.* XIX) et Barabbam (*Joan.* XVIII) et ipsum diabolum omnium vitiorum principem elegerunt, sub ipsius jugo atque imperio comprimantur. Confirmatio : « Et diabolus stet a dextris ejus. » Quid de sinistra fiet, quando quidem manus ejus dextra a diabolo detinetur? Quid illius sinistra operatur, in cujus dextra diabolus astat? Cognoscite ergo, Judæi, quoniam diabolica sunt, in quibus maxime Domino vos servire putatis.

« Cum judicatus, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum. » Nolite ergo orare, Judæi, ne legatis Psalmos et prophetias, peccatum enim est. Deumque offenditis, omnisque vestra oratio in anathema convertitur. Hoc autem erit manifestum, quando de judicio condemnati exibitis (*Matth.* XXV). « Fiant dies ejus pauci : » Pauci fuerunt dies Judæ, quoniam se eadem die laqueo suspendit; pauci fuerunt dies Judæorum, quia post quadraginta et duos annos locum et gentem amiserunt (*Ose.* III) ; diminuti sunt dies, quoniam creverunt noctes. « Et episcopatum ejus accipiat alter. » Judæ Mathias (*Act.* I), Synagogæ Ecclesia successit. Amisit enim Synagoga pontifices, suscepit Ecclesia apostolos.

« Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua. » Hoc autem etiam ad litteram completum est, quoniam, temporibus Titi, magna Judæorum interiit multitudo. Spiritualiter autem, hujus populi filii dicuntur orphani, quia Patrem suum crucifixerunt (*Matth.* XXVII); mater vero, id est Synagoga, vidua remansit, libello repudii recepto a tanto talique viro dissociata. « Nutantes, » labentes et morientes, « transferantur filii ejus, de gente in gentem dividantur, vendantur, cunctisque gentibus subjiciantur. « Et mendicent, » qui enim indiget, pauper est. Ideoque Judæi mendici dicuntur, quoniam cœlestis panis divitiarumque spiritualium sunt pauperes. « Ejiciantur de habitationibus suis. » Nonne ita factum est? imo quia ita est.

« Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus. » Fenerator iste malignus spiritus intelligitur. Veniat hic importunus fenerator, scrutetur substantiam populi hujus, et quæ sua sunt secum evellat. Expositio : « Et diripiant alieni labores ejus, » ut quidquid est operatus, a dæmonibus diripiatur. « Non sit illi adjutor. » Quis enim Judæis auxiliatur? Fuerunt in Ægypto, habuerunt Moysen et Aaron (*Exod.* VII). Qualiter autem Dominus eos adjuverit, longum est enarrare. Fuerunt, et in Babylonia, ibi Daniel eos consolabatur. Cum ergo jam per mille annos sint in captivitate, et non, sicut prius adjuventur, impletur quod dictum est. « Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus. » Hoc autem de sensibilibus nos verum esse scimus? de invisibilibus autem, animabus videlicet, quid Dominus faciat, ipse novit. « Fiant nati ejus in interitum. » Hæc enim jam ex eis sunt interempti; major tamen in judicio exspectatur interitus.

« In generatione una deleatur nomen ejus, » Ut tantum in hoc sæculo vivant, vitamque post mortem non habeant. Sed tu, Judæus, qui litteram quæris, nonne post quadraginta et duos annos, in quibus una perficitur generatio, Hierusalem deletam cognoscis? Qui ergo quæris litteram pereas secundum litteram. « In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, » ut qui post quadraginta annorum diverticula non sunt compuncti, Christi passionis et patrum iniquitatis crimine teneantur. Sive, cum ad judicium venerint, nec originale peccatum nec cætera quæ commiserunt eis dimittantur. « Et peccatum matris ejus, » illius scilicet Jerusalem quæ prophetas occidit (*Act.* II) non deleatur.

« Fiant contra Dominum semper. » Semper enim Christo Domino contrarii fuerunt. « Et dispereat de terra memoria eorum, » ne simul cum sanctis scribantur in libro vitæ, « pro eo quod populus iste non est recordatus facere misericordiam. » Quia in operibus confidit misericordiam parvipendit. « Et persecutus est hominem pauperem et mendicum, et compunctum corde, mortificare. » Inops enim et mendicus fuit quoniam, ut ait Apostolus, « cum omnium dives esset, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* VIII). » Corde autem fuit compunctus, quando dixit : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). » Sive quando Patrem pro discipulis rogavit. Ait enim : « Pater, conserva eos quos mihi dedisti (*Joan.* XVII), » — « Et dilexit maledictionem, » quæ super iniquos futura est. « Et veniet ei. Et noluit benedictionem, » quæ in nostram Ecclesiam deducetur. « Et elongabitur ab eo. Et induit maledictionem sicut vestimentum, » ut quasi tali veste ea tegeretur. « Et intravit sicut aqua in ossibus ejus, » ut qui fortiores esse videntur, corruptiones non effugiant. « Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut zona, qua semper præcingitur, » omni tempore circumdatus ea, qua sit sine fine constrictus. « Hoc opus eorum qui detrahent mihi apud Dominum, » quicunque Dei Filium me esse negant. « Et qui loquuntur mala adversus animam meam, » dicentes : « Deus dereliquit eum (*Psal.* LXX), et : « Non est salus ipsi in Deo ejus (*Psal.* III). »

« Et tu, Domine, fac mecum propter nomen tuum. » Quod invocavi, ut ipsi mendaces inveniantur. « Quia suavis est misericordia tua. Libera me, de hujus carnis infirmitate. « Quia egenus et pauper ego sum, » quandiu in carnis involvor corruptione. « Et cor meum conturbatum est in me, » quod carnis quidem infirmitas facit.

« Sicut umbra, cum declinat, ablatus sum. » Quoniam nullam Judæorum partem inhabito. Vel ideo sicut umbra, quoniam Judæi, si velint, me tamen fugere nequeunt. « Et excussus sum sicut locusta, » id est ut populi regnique vastator, cui ipsi

Digitized by Google

dicebant : « Quousque animas nostras perdis, si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* x). »

« Genua mea infirmata sunt in jejunio, caro mea immutata est propter oleum. » Quia ossa, cor et anima, ob fidei firmitatem, alias appellantur. Genua hoc in loco apostoli propter inflexionem, dicuntur; genu namque fuit Petrus, qui prius : « Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo (*Matth.* xxvi), » promittens, ad unius ancillæ vocem leviter inflexus, « Non novi hominem » dixit (*ibid.*). Hoc autem a jejunio fiebat, quia « nondum Scripturas intelligebant (*Luc.* xxiv). » Deficiente oleo mutata est caro, quoniam veri luminis fomento exstincto infirmati sunt apostoli. « Et ego factus sum opprobrium illis, » qui me in cruce pendentem viderunt, et illudentes, capita sua moverunt, dicentes : « Vah ! qui destruis templum Dei (*Matth.* xxvii). » — « Adjuva me, Domine Deus meus, salvum me fac propter misericordiam tuam. Et sciant quia manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti eam, » — « Potestatem enim habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam (*Joan.* x). » Non ergo eorum virtus, sed manus tua ista peregit : « Non enim haberent in me potestatem, nisi hoc a te datum illis fuisset (*Joan.* xviii). » Non vos excuso, Judæi, sed Dei omnipotentiam prædico; vos enim quæ potuistis, fecistis, et quæ non potuistis, voluistis. « Maledicent illi, et tu benedices. » Nihil enim in eum hominum valet maledictio. « Qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus lætabitur, » quia « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philip.* ii) » — « Induantur, qui detrahunt mihi pudore, » ut me die tertia resurgente (*Matth.* xxviii) de mendacio erubescant, quo mihi ante Pilatum detrahebant. Dicebant enim : « Recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post diem tertium resurgam; jube ergo custodire sepulcrum, ne a discipulis furetur (*Matth.* xxvii). » Erubescant ergo, quia resurrexi. Induantur pudore, quia mendaces comprobantur. Hoc autem non ego, sed eorum propheta testatur : « Operiantur sicut diploide confusione sua. » Est autem diplois, duplex genus vestis. Merito ergo Judæorum confusio diploidi assimilatur, quoniam duplex est, si quidem in anima et corpore, in hoc sæculo et in futuro propagatur. O miseri et per omnia infelices, qui, nuptiali veste amissa, confusione induuntur! Ego autem « confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum. » Non enim jam in sola Judæa laudatur Dominus, verum etiam in omnibus mundi partibus, « quia astitit a dextris pauperis. » Cujus pauperis? Illius qui ait : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet (*Luc.* ix). » Sic autem de se quasi de alio loquitur Dominus, quod nos sequentia docent. « Ut salvum fecerat a persequentibus animam meam, » id est a Judæorum impietatibus, qui eum armata manu circa sepulcrum obsidebant (*Matth.* xxvii).

EXPOSITIO PSALMI CIX.

« Dixit Dominus Domino meo. » Vox Prophetæ : « Sede a dextris meis. Revertenti, inquit, Domino meo de Edom dixit ei. » Pater ejus, qui illius et Dominus est : Sede a dextris meis. Dominus enim est Pater; Dominus est Filius, Dominus est Spiritus sanctus. Non tres tamen, sed unus Dominus. Ut enim in personis trinitas, sic in majestate permanet veritas (S. Athanas. 1 symb.). Quis igitur vel cui dixit : « Sede a dextris meis? » Pater dixit, et Filio dixit. Hoc autem secundum carnem ut quem Judæi in sepulcrum humiliaverunt, idem ipse a dextris Dei sedere intelligatur.

« Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. » Donec inimici tui omnes tuo subjiciantur imperio. Omnia autem quæcunque hic vel promittuntur, vel præcipiuntur, ad hominem referenda sunt.

« Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. » Propheta est qui loquitur. Ideo et futuro pro præterito utitur verumque ordinem non observat. Sion et Hierusalem unum sunt, nisi quod Hierusalem tota civitas, Sion vero quædam civitatis turris et defensio erat. De hac autem Sion et Hierusalem exivit lex, et verbum Domini (*Isai.* ii) quocirca et virga virtutis ejus. Virga virtutis ejus, Evangelium intelligitur de quo Apostolus ait : « Non enim erubesco Evangelium, virtus enim Dei est (*Rom.* i). » Hac autem virga corriguntur, hoc sceptro venerabili reguntur, quicunque Dei virtutem et omnipotentiam recognoscunt. Misit ergo Dominus hanc virgam ex Sion, quoniam apostolica prædicatio ibi exorta in omnes fines terræ processit (*Psal.* xviii).

Tu autem « dominare in medio inimicorum tuorum. » Quicunque enim diabolo servit, Domini est inimicus. Aut, quia totus mundus ei serviebat, priusquam carnem Christus assumeret. Erant ergo ejus inimici, qui nunc amici facti, de ipsius imperio et dominio gratulantur

« Tecum principium. » Tu, inquit, omnia cum Patre fecisti, tu omnium creaturarum es principium. « Omnia per te facta sunt, et sine te factum est nihil (*Joan.* i). » Confundantur ergo Judæi qui eum dæmonium habere clamabant, quoniam se priusquam Abraham fieret esse dicebat (*Joan.* viii).

Hoc autem manifestabitur « in die virtutis tuæ, » id est « in splendoribus sanctorum. » Cum, inquit, tuæ virtutis dies advenerit, in quo et mali peribunt, et sicut sol in regno Dei sancti fulgebunt (*Prov.* viii), tunc principium omniumque Creator manifestabitur.

Tu enim es, cui Pater dicit : « Ex utero ante luciferum genui te. » Te, inquit, ex me genui ante tempora (*Joan.* i) quem ex Virgine et nasci et gigni volui in tempore (*Luc.* ii).

« Juravit Dominus et non pœnitebit eum. » Quid juravit? Sequitur : « Tu es sacerdos in æternum. » Unde Apostolus : « Plures facti sunt sacerdotes secundum legem, et ideo plures, quoniam morte prohibentur permanere (*Hebr.* vii). » Tu autem,

Digitized by Google

Christe, quia jam mori non potes, eris sacerdos in æternum. Quo ordine? « Secundum ordinem Melchisedech. » Cessent igitur sacrificia mortuorum. Quis est iste Melchisedech? cujus pater, et mater, et generatio ignoratur. Christus enim, neque secundum Deum, matrem, neque secundum hominem habuit patrem de quo dicitur : « Generationem ejus, qui enarravit? » (*Act.* VIII.) Est ergo sine patre, et matre, et genealogia. Melchisedech sacrificium panis et vini fuit (*Gen.* XIV) : Christus autem, sui corporis et sanguinis. Unde ipse ait : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Joan.* VI). »

« Dominus a dextris tuis. » Prius Filium a dextris Patris, nunc autem Patrem a dextris Filii esse dicit. Qua in re una majestas, una æqualitas, una virtus eademque potentia demonstratur, quæ reges, et princeps sæculique tyrannos in judicio franget, potest autem et sic intelligi, Dominus « confringet reges, in die iræ suæ, » qui tibi a dextris fuerint, quasi ad prœliandum accincti. Unde in Zacharia legitur : quod a dextris Jesu diabolus stetisset, ut eum eo pugnaret (*Zach.* III). Regem autem ipse asserebat, quoniam universa regna mundi Domino promittebat; ait enim : « Hæc omnia tibi dabo, si procidens, adoraveris me (*Matth.* IV). » Hic autem rex tunc confringetur, quando dies iræ, calamitatis et miseriæ revelabitur.

« Judicabit in nationibus, implebit ruinas. » Oportet enim ut ruinas impleat, qui « in ruinam positus est, et in resurrectionem multorum (*Luc.* II). » Fecit Dominus ruinam, cum malignorum spirituum exercitum de cœlis expulit (*Apoc.* XII), sive, cum Adam de paradiso cum uxore ejecit (*Gen.* III), sive cum filios Israel in deserto stravit (*Exod.* XXXII). Complevit autem, quando diabolum ejusque angelos igni tradidit inextinguibili, et nulla exinde ruina fiet. Implebit etiam ruinas, quia sancti illuc ascendent, unde angeli ceciderunt. « Conquassabit capita in terra multorum; » Capita conquassabit, superbos humiliabit; hoc autem in terra. Si enim in cœlo et spirituales fuissent, non utique concuterentur.

« De torrente in via bibet. » In via erat, peregrinus erat, ad Patrem Christus festinabat. In hac ergo via oportuit de torrente bibere Christum. De torrente bibit, mortis amaritudinem gustavit (*Matth.* XXVII). De hoc calice ipse ait : « Pater, si possibile est, transfer calicem justum a me (*Matth.* XXVI). » Quid est autem quod in Evangelio dicitur; « Et cum gustasset noluit bibere (*Matth.* XXVII). » Hic autem de torrente bibisse dicitur, nisi ut mortem istam facilem et cito transeuntem ostenderet. « Propterea exaltavit caput, » id est, die tertia resurrexit (*Matth.* XXVII), quia se ipsum exinanivit (*Philip.* II); ipse et caput exaltavit, non jacuit in sepulcro, sed super cœlos potenter ascendit (*Marc.* XVI). Qui totius mundi rex et caput cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat.

EXPOSITIO PSALMI CX.

« Confitebor tibi, Domine. » Vox Prophetæ : Laudabo te, magnificabo te, non in labiis tantum, sed « in toto corde meo. » Ubi? « In consilio justorum, et congregatione, » et dicam : « Magna » parebunt « opera Domini, » si fuerint « exquisita. » Non enim solummodo in sole, luna tantique firmamenti volubilitate, verum etiam in minutis rebus Dei sapientia, virtus et operatio celeberrima reperitur. « In omnes voluntates ejus, confessio et magnificentia » incurrit. Non enim aliud ex nostris vult Deus, nisi confessionem et magnificentiam. Qui ergo ipsi placere desiderat, semper confessionem in mente habeat, ut et Dominum laudet, et peccata confiteatur, hoc enim utrumque significat confessio. Sequatur B magnificentia ut sibi ipsi semper tribuat incrementa, hoc autem vult Dominus, ut assidue crescat, et de virtute in virtutem magnificetur qui ad eum venire concupiscit, unde, sicut luna perfecta, in nullo deficiens inveniatur, « opus ejus. »

« Et justitia ejus manet in sæculum sæculi. » In hoc autem cæteris operibus distinguuntur opera Domini, quoniam hæc semper erunt, alia vero igne consummabuntur. Hæc ergo justitia et opera sequantur, quæ imitatores æternos facere possunt.

« Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus, » scribens ea et prædicans per prophetas. Qui enim docet, memoriam facit; quod enim omnino ignoratur, nunquam in memoria habetur. Quæcunque ergo scripta sunt, ad nostram C doctrinam scripta sunt (*Rom.* XV).

« Escam dedit timentibus se. » Ut enim panis corporum, sic Scripturarum memoria, esca est animarum. Unde ipse Dominus ait : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei (*Matth.* IV). » Dedit et aliam escam, illum videlicet panem vivum, qui de cœlo descendit (*Joan.* VI).

« Memor erit in sæculum testamenti sui. » Non enim sola littera, verum etiam litteræ observatores, sunt testamentum Dei. « Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo. » Justitia namque, pax, patientia, humilitas, charitas, opera Domini sunt. Horum autem virtutem, eo docente, cognovimus. Scimus enim quoniam tanta in his virtus habetur, ut vitam possint procurare æternam. Hoc enim ipse D Christus docebat, quando octo beatitudines prædicabat (*Matth.* V).

« Ut de illis hæreditatem gentium. » Expulsæ sunt gentes de superna hæreditate, quam bene in vinea laborantibus, daturus est Dominus. « Opera manuum ejus veritas et judicium, » cuncta enim quæ fecit, vera sunt neque mendacii dolus in suis operibus reperitur. Si quid autem corruptum est, hoc jam ipsius opus non est; corruptio enim bona non est. Quæ autem Dei sunt, bona sunt. Falsitate ergo quæ sunt corrupta, ejus non sunt. Judicium autem est in suis operibus, quoniam sine discretione et ordine nihil fecit.

« Fidelia omnia mandata ejus. » Omnia ergo

Digitized by Google

servierit, I, 16. Quapropter filii Seth filii Dei præ cæteris appellati sunt, I, 16. Cum dicat S. Bruno hominem non ex alia, quam ex Adam stirpe descendere, I, 16, illorum contrarit opinionem, qui Præadamitas somniarunt; et qui alios mundos excogitarunt.

Angelorum creationem putant omnes fere Patres a Moyse exprimi illis verbis, cum dixit : *In principio creavit Deus cælum et terram*; hoc est omnes virtutes cœlestes, angelos videlicet cœli incolas ad ejus ministerium paratos, I, 1. Per lucem autem, et noctem, bonos et malos angelos intelligere possumus, qui quoniam eadem die divisi sunt, subitam malignorum ruinam significare videntur, II, 512. Unus ex eis in superbiam elatus, cum se Altissimo, hoc est Deo Creatori se coæquare contenderet, a superna sede cum suis asseclis præcipitatus est. Hic deinde hominis felicitati invidens ab ea fraudulenter dejicere tentavit. Serpentis enim callidissimi animalis speciem assumpsit, factusque diabolus, hoc est tentator, cum Eva sermonem iniit, et per blandas pollicitationes eam, et Adam ad violandum divinum præceptum induxit, I, 11. Cherubim igneo armatus gladio ante paradisum collocatur, ut ingressum Adæ prohiberet, I, 13. Tres angeli humana in specie Abrahæ apparuerunt, et cum eo conversati, cibum etiam a Sara ejus uxore præparatum sumpserunt, cui sterilitate laboranti filium prædixerunt. Quomodo hæc facta fuerint, docet S. Bruno, I, 25. Angeli custodes, et protectores unicuique populo a Deo assignati sunt, I, 121. Per affectum, et desiderium Dei videndi, angeli præsentes, vel absentes ab ejus aspectu dicuntur, I, 223. Vocantur angeli filii Dei, in quantum Deo per participationem gloriæ assimilantur, I, 223, in adnot. Archangelus Gabriel ad Mariam Virginem mittitur, ut ei divinam maternitatem annuntiaret, I, 389. Angelorum voces in templo Hierosolymitano auditæ ejus eversionem, totumque ruinam præmonuerunt, I, 409. Quia enim angeli *nuntii* interpretantur, illi, qui naturaliter spiritus sunt, angeli fiunt, quando mittuntur. Tanta est igitur potentia Christi, ut quando vult, de spiritibus angelos faciat, et ipsi seraphim, qui ardentes, vel incendentes interpretantur, ad id quod voluerit ministrandum mittat, I, 520.

Anima. Creato primi hominis Adami corpore a Deo, principium vitæ, hoc est animam spiritualem ei largitus est, quod verba illa docent : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, I, 8. Quare ibid. dixit S. Bruno : Totus enim homo ex anima constat, et corpore, corporis materiam posuit, animæ non posuit. Quibus animæ immaterialitatem confessus est. Et quamvis diversæ de origine animæ opiniones ferantur, divinæ revelationi conformior illa videtur, quam sequitur S. Bruno, nempe quod ad similitudinem primi hominis, cæteri quoque immediate a Deo, post formationem corporis, creatas et inspiratas habeant, I, 8. Anima non est pars Divinitatis, ut poetæ aliqui, et philosophi ethnici docuerunt, I, 8. Quoniam anima possidet intellectum, consilium, et rationem, quod caro non habet, aliter vicissim convenire non poterunt, nisi animam caro sequatur, I, 28. Animæ otium contra Dei ordinem est. Statim ac formavit eum Dominus in paradiso collocavit, ut operaretur, I, 9. Mens, seu cogitatio caput est animæ; quare qui in sanctis meditationibus se exercent, ad vitæ perfectionem aspirant, totoque desiderio sibi acquirere concupiscunt, I, 176. Quia solæ animæ hominum mori non possunt, merito inter cætera terræ animantia, soli homines viventes dicuntur, 13, in fine. Spiritus, qui est in homine diversæ naturæ est ab ejus carne; est enim substantia spiritualis informans, et principium vitæ ei præbens. Et quod habet, totum a Deo habet, I, 443. Anima justi ardet desiderio videndi, et possidendi Deum, I, 424. Anima immortalis est, quæ dum peccat moritur, et a vera vita, quæ Christus est, separatur; gladiis tamen occidi non potest. Carnifices in solo corpore, Deus autem in corpore, et in anima potestatem habet : illorum pœna cito transit, istius nunquam finitur, II, 35. Anima nostra imago est Dei. Sua ergo imago reddatur Cæsari, et sua imago reddatur Deo; ad imaginem enim Dei factus est homo. Reddamus Deo imaginem suam, reddamus Deo animas nostras, nihil carius habemus, II, 105. Anima justi sedes est sapientiæ, II, 309.

Antichristus. In sacris Scripturis prædictus est Antichristus, et homo peccati appellatus, Judæos præcipue sui sectatores, et proclamatores faciet, I, 158. Quantæ iniquitatis futurus sit, ibidem describitur. Totus Judaicus populus juxta mundi hujus consummationem Antichristum relinquet, et ad fidem conversus, aqua baptismatis regeneratus Ecclesiæ castris sociabitur, I, 158. Antichristi sunt, quicunque ejus opera faciunt. His autem Deus servat dolorem patris, qui simul cum eo damnati eadem patientur tormenta, I, 260. Omnibus iniquis opera ejus, et doctrina placebunt, et quicunque ei crediderint, simul cum eo ad inferna ducentur, I, 261. De hoc perditionis filio scriptum est, quia post se multos homines trahet, et ante se innumerabiles. Nisi breviati fuissent dies illi, non esset salva omnis caro. Regnabit enim, sicut scriptum est, *per tempus, et tempora, et dimidium temporis*; id est non amplius quam tribus annis cum dimidio, I, 316. De Antichristo vaticinatus est David ps. LI, eumque omnium hominum perditissimum dixit, quia Dei adjutorium nunquam quæsivit, qui totum se ad serviendum diabolo tradidit, et a sua impietate nomen accepit; ut quia Christo Domino per omnia contrarius futurus erat, Antichristus diceretur, I, 405. Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui, et auferet illustratione adventus sui, 404. Ejus adventus sub fine seculi iterum describitur, quantæque ab eo fiet Christianorum subversio, II, 114, etc., II, 205. Veniet Antichristus in nomine suo, se exaltando, quia non a Deo, sed a sua superbia missus prædicare veniet. Hunc autem Judæi recipient, et quasi Deum ad tempus venerabuntur, II, 233. Quam vastitatem facturus sit in Ecclesia, II, 536, etc. Prophetas Henoch et Eliam vincet, et martyrio consummabit, 537.

Apostoli. Duodecim fontibus aquarum, qui reperti sunt in Elim assimilantur duodecim apostoli, ex quorum aqua, sive doctrinis totus mundus irrigatus est. Ita septuaginta discipuli, qui primi secuti sunt Dominum, septuaginta palmas repræsentant, quas Hebræi eodem in loco virentes invenerunt, I, 63. Repentina apostolorum immutatio, ut sapientes, omnibusque linguis loquentes evaderent, non nisi a Deo fieri potuit, I, 70. Duplicem coronam meruerunt apostoli; primam quidem, quia vitia, et malignos spiritus superarunt; alteram autem, quod verbum Dei, Evangelium scilicet Christi per universum mundum propagarunt, I, 90. Petrus et Andreas, aliique post ipsos ad mundi conversationem sub nomine piscationis vocantur a Christo, in qua vocatione non tam sublime consilium ejus est agnoscendum, quam admirabilis sese exhibet illorum obedientia, quæ ad unius jussionis vocem omnia relinquentes secuti sunt Christum, II, 19. Pro tentorio, quod in introitu tabernaculi factum est, apostolorum chorus intelligitur, quibus cœli et terræ claves traditæ, quibus ligandi, atque solvendi potestas, quibus paradisi januas aperire, et claudere concessum est, I, 97. Apostoli suis documentis, et prædicatione, quasi tubis, de cunctis mundi partibus populos ad Ecclesiam convocarunt : his nos ad bella parare, his contra hostes dimicare, his nos et vitia, et malignos spiritus superare docent, I, 179. Apostoli die Pentecostes, hoc est quinquagesimo post Christi resurrectionem die in Spiritu sancto et igne baptizantur, I, 169. A Christo Domino, antequam ad cœlos ascenderet, ejus vicarii, totiusque Ecclesiæ duces constituti sunt, suæque virtutis, et gloriæ participes effecti, I, 190. Nondum cœli, id est sancti apostoli ornati erant; sed Spiritu sancto adveniente, statim et scientia, et diversitate linguarum, et virtutum efficacia locupletati sunt, I, 35. Apostoli nunc cœli, nunc Cherubim, modo nubes, etc., et aliis nominibus diversis ex causis illis convenientibus vocantur. Ascendit igitur Dominus super Cherubim, id est super apostolos suos, quibus, sicut ipse ait, dederat os, et sapientiam, cui non possent resistere adversarii ejus, I, 329. Apostolis prædicantibus, recordati sunt homines illius beatitudinis, quam in Adam primo homine amiserant; et conversi sunt ad Dominum universi fines terræ, I, 341. Isti sunt, qui cæteros illuminant, et viam veritatis ostendunt, et in viam mandatorum Dei dirigunt, et errare non permittunt, I, 335. Non sine maxima admiratione recogitari potest, quomodo per simplices, et illiteratos viros, apostolos scilicet, mundi universi conversio facta fuerit, idolorum cultus, et profana philosophorum tot per secula dominatrix sapientia penitus eversa fuerit, atque ut figmentum contempta, I, 377 et 588. Annuntiantibus itaque apostolis veritatem fidemque Christi prædicantibus, multiplicati sunt fideles, tantaque fuit multitudo, ut sicut stellæ numerari non possit, I, 577 et 588. In omnem enim terram exivit sonus eorum, quando per singulas provincias, per singulas gentes, et nationes Dominus ad prædicandum eos ire mandavit, I, 437. Apostoli a Christo defecerunt, cum sævientibus contra illum Judæis, terrore perterriti ab eo fugerunt, I, 443. Dedit Dominus dona hominibus, et maxima dona, quando Spiritum sanctum apostolis misit, et tantam gratiam illis dedit, ut linguis omnium loquerentur, omnesque languores, et infirmitates curarent, I, 439. Quare et de ipsis apostolis dicit S. Bruno, dum prædicarent, eos multas fecisse virtutes in populis multis, I, 531. Isti autem passionis tempore, mortis timore adeo infirmati sunt, ut ipse, qui inter eos fortior habebatur Petrus ter eum negaret. Et quidem præ inopia copia et inopia contraria sunt. Copia apostolorum erat Christus, quia virtutem, constantiam, et fortitudinem, et

Digitized by Google

ipse sit omne bonum. Qui enim in Domino delectatur, semper cum Domino esse et habitare desiderat. Hoc autem dabitur Sanctis, quia simul cum eo sine fine manebunt, 369. Characteres charitatis a D. Paulo assignati eximie explanantur, II, 49.

Christus. Primus homo ad Christi imaginem factus etiam corporaliter dicitur, I, 6. Lignum vitæ appellatur Christus, quia ipse ait : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, vivet in æternum*, I, 9. Primam ejus figuram gessit Abel, qui innocens, et Deo gratus, a Cain fratre occisus est, I, 14. Post diluvium de omnibus animalibus a Moyse Deo fit sacrificium, et solus homo non immolatur, quia Christus verus agnus suo tempore erat immolandus, ut tolleret peccata mundi, I, 19. In ritu immolationis agni paschalis tota Christi passio figurata conspicitur, I, 58 et seqq. In Noe etiam inebriato vino conspicitur typus Christi, qui consumpto suæ passionis calice somnum mortis cepit. Irriserunt ei Judæi, et contumeliis eum affecerunt, reputantes crucem, et mortem quam tulerat, scandalum, et ignominiam, I, 21. Isaac sacrificandus a patre Abraham imaginem Christi præmonstravit, I, 28. Quando Dominus natus est, magna pax ubique erat; toto mundo sub Romano imperio constituto. Unde statim in ejus nativitate angelorum voces auditæ sunt, clamantium, et dicentium : *Gloria in excelsis Deo*, ect., I, 451. Salutare Dei Christus est, qui de Virgine natus in multis argumentis notissimus nobis factus est, I, 503. Ipse in perfectione ætatis suæ, scilicet triginta annorum baptizari voluit, suæque prædicationis sumpsit exordium, I, 17. Quare dicatur filius Mariæ primogenitus, quamvis post Christum alios filios non pepererit, II, 8. Mysteria, quæ in vocatione Magorum ad Christi præsepe concludebantur, totaque series eorum adventus in Bethlehem eximie explanantur, II, 9 et seqq. Dies obitus Christi designatur, I, 58.

Christus sanguine suo peccata nostra delevit, et genus humanum universum Deo Patri reconciliavit, I, 61. Memoria passionis ejus omnem mandatorum amaritudinem dulcem reddit, ut lignum, quod Moyses in aquas Marath injecit, easque Hebræis sitientibus ex amaris dulces fecit, I, 65. Assimilatur petræ, ad quam venit populus Israel, quæque bis percussa dedit aquas ; similiter percusso latere Christi in cruce pendéntis exivit sanguis, et aqua. Quare optime dixit Apostolus Christum esse petram ex cujus irrigatione mundus universus restauratus, et mundatus est, I, 67. In nube, qua tectus Dominus cum Moyse loquebatur, futuræ Incarnationis mysterium præsignatum fuit. Carne enim velata divinitas a Judæis videri non potuit, I, 69. Ante Christi passionem nulli vel justo, vel pœnitenti ingressus in cœlum concedebatur. sed in sinu Abrahæ omnes recipiebantur, donec veniret Christus omnium liberator, I, 75. Impius rex Herodes Christum infantem occidere tentavit, I, 83. Fuga Christi in Ægyptum, ut ab Herode se eriperet, docet nos diabolum ejusque membra fugere debere, II, 11. Quare Christus Nazarenus appellatus, II, 13.

Christus est Angelus testamenti a Patre missus, cujus nomen est in filio Patris enim nomen in Filio est, quoniam et Filius, sicut et Pater Deus est. Ille nos præcedit, nos custodit, et in æterna tabernacula nos introducit, I, 83. Quanta fecit, tulitque Christus Dominus noster, ut cœli januam nobis aperiret, I, 85. Mactatio vituli ante ostium tabernaculi, quæ juxta legem fiebat, figura fuit sacrificii Christi Domini in cruce pro nostra salute, I, 106. Quantam erga nos dilectionem, misericordiam, et pietatem Christus habuerit, ex hoc intelligere debemus, quod super crucis altare, dum seipsum offerret, pro persecutoribus suis Patrem oravit, ead. pag. et col. Dum Christi passionem in mente habemus, magnum ad explanda peccata nostra sacrificium Deo offerimus, I, 113. Christus passione sua non tantum eos, qui ei credere incipiebant ; sed omnes Sanctos, et Patriarchas veteris legis, quos fides, et spes in ipsum justos fecit, a morte redemit, I, 132. Quomodo Christus et voto, et sponte se ipsum obtulit, I, 139. Primitias veluti passionis Christi, sui oblatione, dedit bonus latro, qui primus in ipsum credidit, I, 139. Christus et voto, et sponte se ipsum obtulit : voto quidem, quia sic disposuerat, sic ordinaverat, sic ipse de se ante tempora prædestinaverat ; sponte vero, quia omnipotens est, I, 139. Eadem benignissima voluntate passus est se tentari a diabolo, ut doceret, quomodo eumdem infensum hostem vincere valeamus, II, 17. Christi sanguis ipsi offerenti, et Ecclesiæ universæ prodest, II, 141. Idem Christi sanguis usque ad consummationem sæculi cunctis diebus pro nobis interpellat ad Patrem, I, 137. Juxta Brunonis sententiam plurimorumque Patrum, et Scriptorum Christus Dominus anno 33 ætatis suæ immolatus est, I, 148. Ante Christi incarnationem a peccato originali nemo mundari potuit, hoc est per se aliquid præstare pro ejus remissione, I, 161.

Christus Moysis instar duodecim Apostolos veluti suæ militiæ principes nominavit, I, 172. Ipse trigesimo anno aquas sanctificans baptizatus est ; die vero quinquagesimo post ejus resurrectionem in Spiritu sancto et igne Apostoli baptizantur, I, 169. Figura Christi Domini in cruce exaltati fuit serpens æneus, quem Moyses ex Dei præcepto erigere fecit in deserto, I, 187. Immolatio hirci typus fuit Christi, qui cum impiis damnatus est, et quasi scelleratus cum latronibus crucifixus est, I, 191. Christi sacrificium quotidie a suis ministris mystice innovatur, et ab omnibus ministris offertur, I, 223. In passione Christi magna facta est tentatio, ut ipsi discipuli terrore perculsi eum reliquerint, I, 224. Christi regnum, cadente Synagoga, hoc est Judæorum dominatione, stabilitum fuit, I, 225.

Christus post passionem suam descendit ad inferos, ut justorum animas eriperet, ac liberaret, I, 248 et 295 et 497 et II, 57. Desiderio eum videndi justi omnes veteris testamenti exarserunt, illumque ut unicum bonum suspexerunt, I, 248. Christus in cœlo splendor, et illuminatio Sanctorum est, I, 227. Dei virtus, et sapientia. Dei fortitudo, et prudentia Christus est Hic autem incarnatus diabolum percussit, et de regno, quod jamdiu possederat, ejecit. In unam fidem, et in unam Ecclesiam omnes mundi nationes congregavit, I, 267. Quamvis nemo mortalium comprehendere valeat, quanta sit in Christo divinitas, portenta tamen, præceptorum sanctitas, et omnimoda justitia ejus manifestant, I, 283. Molliter viventibus, et voluptatibus deditis non inhabitat Christus, I, 269. Quam terribilis erit Christi sententia super impios in die judicii ; qua prolata confestim in barathra præcipitabuntur, I, 281.

Christus Dominus noster et Deus est, et homo, qui secundum humanitatem quidem non solum a Patre, verum etiam a se ipso, et Spiritu sancto et rex et Dominus constitutus est. Ipse enim, qui secundum divinitatem neque factus, neque creatus est, secundum humanitatem se ipsum creavit, et fecit, I, 302. Contra Felicem, et Elipandum adseritur Christus non adoptive, sed substantialiter Filius Dei ab æternitate genitus, hoc est ante tempora, et sine initio ; et hoc valent illa verba : *Ego hodie genui te*, I, 302. Si Filius Dei aliquid postulat, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem postulat. Postulat autem non solum a Patre, sed a seipso, et a divinitate, quæ in ipso est, I, 302. Suscepit Pater Filium ad se, incarnatum, et hominem factum, ad se revertentem glorificavit, et in sua majestatis sedem exaltavit, I, 303. Distinguuntur in Christo quæ propria sunt Dei, et quæ propria sunt hominis, I, 324. Christus Patrem suam virtutem, suum firmamentum, suum adjutorem, et protectorem suum esse per Prophetam dicit. Hæc autem in corde dixisse, credendum est, cum ad crucem duceretur, in qua se inimicos omnes superare, et de ipso humani generis hoste triumphare non dubitabat, I, 327. Ejus passio describitur, in qua verum hominem se ostendit, non phantasticum, aut specie apparentem, ut quidam hæretici blasphemarunt, I, 328. Altera die Christus Dominus postquam sacramentum Eucharistiæ instituit, se ipsum in ara crucis pro nobis immolavit ; et tunc quidem fecit illud pingue, et suave, et Deo acceptabile holocaustum, quo primum, et originale peccatum deletum est, I, 336. Dignum ergo fuit, ut Salvator noster coronaretur, cujus prælium, et victoria tam famosissima narratur. Corona Christi Ecclesia est, quæ tota de lapidibus pretiosis constructa, et fabricata est, I, 337. Sic Christi divinitas humanitati conjuncta est, ut nunquam ab ea discedere possit ; et sic eam in omnibus adjuvare valeat, ut nullius adjutorio egeat. Cum autem Patrem rogasse legatur, hoc egisse intelligendum est, ut nostram naturam in eo esse sciamus, et verum hominem esse credamus, et qualiter omnia facta cognoscamus, I, 339.

Christus clamavit in cruce pro fidelibus, quos pro suo nomine passuros esse conspiciebat ; ejusque passio futura erat causa, propter quam tam dura tormenta pertulissent. Insuper et pro illis clamavit, qui tanto sui sanguinis pretio redempti peccare non cessant, et in suis iniquitatibus perseverant, I, 338. Christi verba sunt quæcunque in utroque Testamento scripta sunt, I, 340. Nomen Domini est Jesus Jesus autem Salvator interpretatur. Salvat igitur Dominus, propitiatur, et miseretur fidelibus suis propter nomen suum, id est secundum significationem nominis sui, I, 345. Qui tribulationibus, et adversitatibus afficiuntur ad Jesum Christum crucifixum oculos convertant, ut consolentur, I, 373. Divinitas, et humanitas Salvatoris nostri mirifice pro nobis in ejus passionem consenserunt : illa veniendo, quod promiserat, implevit ; et hæc obediendo ejus voluntatem faciendo, nos moriendo redemit, I, 378

Digitized by Google

Omnia in sapientia fecit. Creavit hominem ad imaginem, et similitudinem suam. Ejus corpus de limo terræ formavit, animam autem ei dedit, cum inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, carnis materia de limosa terra assumpta est; anima vero ex ore ipsius Dei processit, 8. Factus est igitur homo in animam viventem, et ne solus esset, adjutorium ei simile creavit, Evam scilicet, quam ex costa dormientis Adæ condidit, et in conjugem tradidit, ut mater esset omnium viventium hominum, 10. Uterque singularibus donis prædiți a summa suæ originis felicitate exciderunt, propter divini præcepti transgressionem, 11.

Deus sex diebus mundum condidit : vidit cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona; die septimo requievit ab omni opere suo, diemque illum sanctificavit, id est sanctum haberi voluit, 7. Cum vero, multiplicatis hominibus, malitia eorum crevisset in terra, omnisque caro viam suam corrupisset, pœnituit Deum fecisse hominem, eumque cum omnibus pro eo creatis delere constituit, immittens diluvium aquarum in terram. Cum tamen vellet speciem servare hominis cunctorumque animalium, Noe viro justo mandavit, ut arcam fabricaret, atque in ea se, et familiam suam refugeret; jussit etiam ut de singulis animalibus singulas species a naufragio eripiendas in ea collocaret, 16, 17. Cumque post diluvium filii Noe multiplicassent, ne iterum altero diluvio perimerentur, turrim usque ad cœlum pertingentem erigere cogitarunt, quorum superbiam, ut reprimeret Deus, confusione linguarum cœptum opus dimittere coegit, 21, 22. Dispersi ergo in diversas terras, diversos populos ac civitates fundarunt, 22. Ex Nachor filio Sem Thare, ex Thare autem genitus fuit Abraham, qui pater credentium appellatus fuit. Ejus filius Isaac filius promissionis dictus, ex Rebecca duos filios habuit gemellos Esau, et Jacob. Hujus filius Joseph post varia discrimina traductus in Ægyptum gratiam Pharaonis sibi conciliavit, et princeps totius regni ab eo constitutus totam familiam, hoc est patrem, et fratres, uxoresque eorum in Ægyptum deduxit. Hi autem omnes ex Abraham profecti, cui Deus semen ejus, super arenam maris multiplicandum promiserat, mirum in modum multiplicarunt, ut de illis timens Pharao, gravissima servitute eos opprimere deliberavit, 28 et seqq. Misertus est tamen Deus populi sui, et Moysen superna virtute munitum ejus liberatorem elegit, 49. Quis designatur, et quæ idea de illius essentia haberi possit, describitur, 49. Explicantur illa verba, *ego indurabo cor ejus*, 53. Prædicit Moysi Pharaonis indurationem; qui exitum populi Hebraici de Egypto permissurus non erat, nisi iterata portentissima signa eum coegerint, 54 et seqq. Deus, qui armorum vi, aut fortiori modo Pharaonem opprimere poterat, muscas, culices, ranas, grandines, etc., in eum mittit, ut quid sit apud ipsum humana potentia appareat, regisque obstinatio inexcusabilis fiat, 56. Divina omnipotentia in divisione maris Rubri maxime enituit, et in transitu, quem siccis pedibus populus Hebræorum per eum fecit, 54. Alterum argumentum divinæ potestatis fuit Pharaonis, totiusque exercitus eodem in mari submersio, et perditio, 54.

Deus, qui natura invisibilis est, se quodammodo videri permittit, dum qualicunque similitudine suam potentiam demonstrat, I, 85. Quanta sit Dei misericordia erga peccatores vere contritos, et pœnitentes declaratur, I, 115, 155, 518. Solus Deus est, qui nos mundos facere potest; cum immundi nascamur omnes, 123. Deus est naturaliter bonus. Deus enim a se ipso, et substantialiter bonus est, cætera vero non a se ipsis, neque sunt, neque bona sunt, sed a Deo sunt quidquid sunt, I, 526. Deus pœnitentis affectum respicit; et unicuique pœnitenti, ei satisfacere volenti indulgentiæ januam aperit, 170. Nunquam Dominus qualis fuit, vel erit, sed qualis est hominem judicat, I, 84. Deo cujus sunt omnia, dandum est, si quid furatum est, nec sit dominus proprius, cui restituatur, I, 84. Non tam bonis operibus, quam bonis cogitationibus colitur Deus, eique sacrificatur, I, 177. Donec idolum non est in nobis, Deus nobiscum est, nec in malum trahi permittit, 188. Flagellis nos aliquando visitat, ut spiritum elationis a nobis avertat, et in humilitate confirmet, I, 233. Auxilium tamen ejus petendum est, ut tribulationes ærumnasque patienter sustineamus, I, 234. Si quid boni agimus, ex Deo est; adeoque merita, et meritorum retributio ab ejus liberalitate derivare fateamur, I, 237. Quare malis Deus bona conferat, bonis autem mala in hoc mundo, si non intelligimus, ejus tamen providentiæ subjici humiliter debemus, I, 239. Quandoque Deus justos affligit in hac vita, ut meliores fiant; malos autem æternis cruciatibus reservat, I et seqq., 240. Si quis animadverteret se sub oculos Dei esse, nunquam a virtute deflecteret, 241. In sola Dei misericordia salus nostra est, 248.

Deus omnia præsentia habet, et in omnibus ut creator, et Dominus agit, 262. Omnem viam nostram ipse novit, et per temporales calamitates, quasi aurum per ignem, cum placet, nos purgat, ut nihil vitiosum et immundum maneat in nobis, 263. Dei æternitatem nullus intellectus creatus comprehendere valet, 264. Nihil ignorat Deus, ipse uniuscujusque finem agnoscit, 296. Non parcit interdum ad tempus, ut in æternum parcat. Beati qui sic puniuntur in hoc mundo, ut salvi fiant in alio, I, 268. Servire Deo est ipsum credere, ipsum colere, et adorare. Hoc autem cum servitute, et amore inordinato creaturarum copulari nequit, 276. Judicia, factaque Dei rectissima, et sapientissima semper sunt agnoscenda, 279. Quod Deus aliquando non exaudit, aut ideo fit, quia non bene petitur, aut quia melius non exaudiendo fidelibus suis facere disposuit, 281. Plures etiam non statim exaudiuntur, ut in virtute perficiantur, 281. Injustus non habendus est Deus, si justum aliquem, ut S. Job affligi permittit, non enim propter illius peccata ipsum affligebat; sed quia inde eum majorem et clariorem, et meritis excellentiorem facere volebat, I, 281. Deus occulta inspiratione fidelibus suis peccata eorum indicat, et ad memoriam reducit. Aurem quoque mentis eorum revelat, et aperit, I, 282. Quamvis Ecclesia peccata dimittat; quod Dominus ostendit dicens : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*; attamen Deus est qui illa remittit; cum ipse solus habeat potestatem, et dederit Christo suo dimittendi peccata, II, 48. Quidquid pro Deo facimus non ex nostris viribus, sed ex Deo est, I, 295. Sicut nos optando, et deprecando Deum interrogamus; ita ipse nos exaudiendo, et donando respondet, I, 297. Quamvis Deus ubique sit, est tamen locus aliquis, ubi gloriam suam clarius, et manifestius revelare dignatur, qui paradisus, regnum Dei, gloria cœlestis appellatur, I, 304. Et si viatoribus hominibus lateat Deus, attamen ab his, qui pio desiderio eum quærunt, facile reperitur, I, 327. Quæ sit Dei misericordia ex illis manifestatur, ubi dicitur : *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Ad quæ S. Bruno : Quod enim peccatores vocantur, et salvantur, misericordia est : quod vero illi reprobantur, qui se justos esse injuste arbitrantur, justitia est. Non potuit salvari mundus per sacrificium; salvatus vero est per misericordiam; quia sacrificium misericordia est, II, 49. Dominus sanctus, sanctos non deseret; et quia innocens est, non nocebit; et quia populo suo electus est, electum suum non derelinquet, I, 331. Tanta est misericordia Creatoris nostri, ut una eademque hora fiat et pœnitentia, et remissio, I, 335. Consilium Domini manet in æternum, cogitationes cordis ejus in sæculum sæculi. Sicut ipse disposuit, et ante tempora præfinivit; sic et non aliter fieri oportet. Et malorum pœna, et justorum gloria sic disposita sunt, ut omnino immutari non possit. Beati igitur illi qui in illum credunt, et qui ab ipso prædestinati sunt; quia nullo modo prædestinata sibi beatitudine carebunt, I, 300. Ead. pag. explicatur quomodo intelligenda sit doctrina S. Brunonis de prædestinatione. Magnam adserit quæstionem, quare Dominus alios elegerit, et alios reprobaverit; et maximam solutionem dicit, ita placuisse Domino, II, 60. Nihil Deum latet, nulla simulatio ejus oculis absconditur, omnia videt, cogitationi respondet, II, 44. Quamvis per subjectam creaturam Deus aliquando videri, et audiri potuisset, nunquam tamen in propria essentia vel videri, vel audiri potuit, II, 55. Deus commune nomen est, et sicut ad Patrem, ita et ad Filium pertinet, et ad Spiritum sanctum. Sed quia prædixerat « in principio fecit, » necessario Pater intelligitur, quia per principium, id est per Filium operatus est. Prima itaque persona Pater, secunda principium, id est Filius, tertia vero Spiritus Dei, qui super aquas ferebatur, per quem Spiritus sanctus manifestissime demonstratur, II, 528.

Diabolus. Nomina quibus nuncupatur diabolus, serpens ille antiquus, explicantur, II, 534. Quæ sunt ejus artes, ut Ecclesiam, sanctasque animas perdat, 555. Cibus diaboli, et refectio peccatum est. Qui plus peccat, majora ei convivia parat. Nulli igitur sic ei serviunt, sicuti mali reges, et principes, sicut omnes avari, et divites. Isti enim non solum peccant, sed alios secum peccare compellunt, II, 522.

Dies festivi. Sabbatum sanctificare est a bonis operibus non cessare. Cum enim Sabbatum per se sanctum sit, qui bene operatur, fit sanctus, I, 71. In diebus festivis etiam a licitis vacandum est, cum urgeat Ecclesiæ mandatum. Christiani scilicet abstinere debent a solemnitate nuptiarum, choreis, et clamorosis venationibus, I, 72. Dies septimus, in quo Deus quievit ab opere creationis, quod patrarat, sanctificatus dicitur ab eo, id est declaratus sanctus, ut ab omnibus hominibus sanctus haberetur, et unusquisque ab operibus servilibus cessaret, et multo magis a

Digitized by Google

II, 177. Sicut ex multis lapidibus ordine, et ratione compositis una domus efficitur; ita ex multis hominibus dilectionis, et fraternitatis amore sociatis, una Ecclesia constituitur, II, 483.

Eleemosyna. Quantum Deo accepta sit eleemosyna, quamque mercedem accipiat, II, 57.

Elias propheta apparuit apostolis cum Moyse in monte, quando Christus transfiguratus est ante eos, II, 85. In fine mundi venturus est ad prædicandum Evangelium Christi, et tunc Judæi convertentur, II, 86.

Episcopi. Quantum ad tutelam fidei eamdem curam de omnibus sibi subjectis, quam de propriis filiis prælatum habere oportet, I, 77. Episcopus, si quem sciverit prava spargere dogmata in populo suo, et compescere non studuerit, peccatum seductionis in episcopum redundabit, 77. Quanta inesse oporteat episcopis sapientia, quantusque omnium virtutum splendor, I, 90. Nisi perfectam Dei, et proximi dilectionem, quæ in cocco bis tincto figuratur, nisi per mentis, et corporis candorem, et castitatem, quæ in bysso significatur, onus officii sibi impositi episcopus ferre non valet. I, 102. Apostolorum exempla præ oculis habeant episcopi, eorumque gloriosa gesta imitentur, I, 103. *Semper ergo*, ita S. Bruno, *Sanctorum Patrum sit memor antistes, semper qualiter vixerint, et Deo servierint, recordetur: imitetur eorum vitam, sequatur doctrinam, teneat operationem.* Quomodo his satisfaciet, qui eorum gesta, et opera legere non curat? Ibid. Maximam sanctarum Scripturarum intelligentiam habere debent episcopi, ut divino verbo populum suum erudire valeant ad salutem, 103. Nubibus assimilantur. Illi enim sunt, qui super terram pluunt, et pluviis doctrinæ spiritualis totam terram irrigant, I, 367. Pontificalia episcopi indumenta ad excelsam, et quasi cœlestem ejus dignitatem ostendendam præscripta sunt, I, 105. Cum populi ad percipienda sacramenta conveniunt in Ecclesiam; tunc præcipue a pastoribus instituendi sunt, et præparandi, I, 105. Quid significent verba illa *Sanctum Domino*, quæ in auro scripta pontifex in fronte defert, I, 106. Quanti referat pontificem sapientem esse, I, 106. Liber Exodi præcipue ab episcopis et sacerdotibus legendus est, et meditandus, I, 111. Sanctificatur autem episcopus, quando sacram legem, et divina volumina ad meditandum, et docendum suscipit, et non se labiis tantum, sed toto corde servare promittit, I, 111. Postquam descripsit S. Bruno qualitates, quæ in eligendis ad episcopatum coruscare debent; vita scilicet illibata, purissima, et numquam reprehensibilis, de episcopi electione hæc habet: *A populo quidem lucerna eligitur, et pontificibus offertur; ab episcopis autem consecratur, et ordinatur, et in sede collocatur.* Quomodo autem se gerere debeat in episcopatu, ita prosequitur idem S. antistes: *Luceat autem usque mane coram Domino, et donec de hac misera, et tenebrosa vita exeat, Dei populum prædicare, et illuminare non cesset; ut hac nocte finita, oriatur ei sol justitiæ, et ingrediatur illum diem, de quo Psalmista ait ps.* LXXXIII: *Quia melior est dies una super millia*, I, 101. Deinde eos sic hortatur: Audiant episcopi, quare ordinati sunt, quare, et a quo constituti sunt. Non utique ad tyrannicam, et secularem potestatem exercendam, sed ad speculandum, et prædicandum, et contra hæreticos, et malignos spiritus pugnandum, I, 302. Unicuique episcopus satisfaciat, maxime si potest, I, 128.

Episcoporum et sacerdotum est, quotidie se meliores reddere, I, 137. Quid credere, et præstare debent episcopi in eorum consecratione, I, 141. Eorum munus est majora Ecclesiæ sacramenta conficere, et administrare, I, 174. Verum qui graviora patraverint crimina, juxta canones id vetantes, ad sacros ordines non admittant, I, 161. Quare qui ad sacrum ministerium ordinari petunt, testimonium boni nominis habeant; quo constet nihil turpe, aut inhonestum eum egisse, I, 162. Disciplina, quæ doctrina, et institutio religionis dici potest, cum omnibus hominibus necessaria sit, illis autem quam maxime, qui alios regere, et docere debent, I, 303. Episcoporum consensus, et conformitas in tradendis Ecclesiæ doctrinis magnam fidelibus lætitiam, et Deo laudem parit, I, 432. Quia Christus ad suam dulcedinem apostolos informavit, ut omnes populos diligerent, et sanarent, et ad beatitudinem invitarent; episcopi, qui sunt eorum successores eadem in dulcedine eos imitari, curent, I, 457. Non sit eorum prædicatio nova, et peregrina, sed firma sit, et auctoritate plena. Dormiant inter medios cleros, hinc novum, inde vetus habeant testamentum, inde suscipiant, quod aliis prædicent, inde cibum sumant, quo alios nutriant, 457. Eadem de studio sacrarum litterarum, cui vacare debent episcopi habet, II, 179. Ecclesia naviculæ in medio maris a furentibus ventis agitatæ assimilatur, cui imperio Christi domini sedatis fluctibus tranquillitas redditur, II, 43. Videtur aliquando Christus in ea dormire, cum fideles suos inter angustias, et afflictiones esse permittit; sed ut ejus auxilium implorant, eo non destituuntur, II, 43. Mercenarius autem est ille episcopus, qui in pascendis, et regendis ovibus sola temporalia, et transitoria quærit; qui non amore cœlesti patriæ, sed pro lucro, et mercede rerum temporalium oves dominicas pascit, II, 231.

Eucharistiæ sacramentum. Cum in communione eucharistica corpus, et sanguinem Christi Domini accipimus, ejus passioni communicamus. Ille enim verus est Agnus, qui in cruce pro nobis immolatus est, cujus sacrificium mystice in missa renovatur, et sub speciebus panis, et vini substantialiter, et spiritualiter traditur, I, 38 et 39. Declarat S. Bruno, quare duos agnos, mane unum, vespere alterum Deus sacrificari sibi jusserit. Quamvis, ait, duo agni unum idemque significent (siquidem illum agnum significat, qui tollit peccata mundi) aliter tamen quotidie in Ecclesia, aliter in cruce immolatus est Christus. Hic enim a fidelibus cum pietate, ibi vero a Judæis cum crudelitate immolatus est. Et quidem mane, et vespere noster quoque agnus immolatus est; quoniam Christus Dominus noster mane a Judæis judicatus est, condemnatus est; vespere autem in cruce pendens emisit spiritum, 113. De immolatione vituli hæc affert. A. N. ad cap. I. Levit., 125. Unum eumdemque vitulum et Moyses, et Judæorum populus, et Ecclesia immolat: Moyses quidem significando, Judæi peccando, Ecclesia commemorando. Non ore tantum, sed corde, id est cum fide, et puritate animæ corpus, et sanguinem Christi sumere debemus. Qui sunt indigne participantes, I, 39. Iniquis sacerdotibus interdicitur, ne corpus, et sanguinem Christi conficiant; itemque malis christianis ne recipiant, I, 82. Quemadmodum Hebræi ipso die, quo comederunt Pascha egressi sunt de Ægypto; ita qui corpus, et sanguinem Christi Domini participant a peccatis pravisque consuetudinibus recedere tenentur, I, 82. Berengarius hæresiarcha primus quidem fuit qui verum Christi corpus in eucharistia confiteri negavit: impugnavit etiam in missæ sacrificio fieri transubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Domini, I, 139. Præclara est Brunonis ad episcopos et sacerdotes allocutio, qua luculentum præbet testimonium de acta in altari transubstantione panis et vini in corpus et sanguinem Domini. Hujus autem Aaron, inquit, vos et episcopi et sacerdotes filii estis: accedite ergo, et immolate: effundite sanguinem vituli per circuitum. Quid aliud namque facitis, quotiescumque sanguinem vestro ministerio confectum nobis ad bibendum tribuistis, nisi ad instar filiorum Aaron circa altare cordis nostri sanguinem funditis? 126. De hostia, quæ in Christi commemorationem mirabiliter fit, comedere licet; de illa vero, quam ipse Jesus in ara crucis obtulit, nulli secundum se comedere licet, I, 138. Memoratur discipulorum scandalum, qui cum male intelligerent Christum, quod eis diceret, se daturum eis carnem suam ad manducandum, abiere retrorsum, quod carnem Christi, quam videbant, non in sacramento, sed in frusta concisam se comedere debere arbitrabantur, 138. Offeri Christus se ipsum in holocaustum, quoniam et si Sacerdotum ministerio fiat, ipse tamen carnem, et sanguinem suum immolat, et sacrificat. Non enim sacerdotis, sed ipsius est vox, quæ dicit: *Hoc est corpus meum*, et, *Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hac enim voce totum sacrificium immolatur, et sanctificatur, I, 141. Hic notari poterit tradita formæ consecrationis tum panis, cum vini in missa, ut ea elementa corpus et sanguis Christi efficiantur. Habes etiam pag. dicitur, quod si pontifices, et sacerdotes super Christi corpus expansas, et elevatas manus habeant; unas tamen est pontifex Jesus, qui sanctificat, et benedicit, cujus virtute ineffabili in sui corporis sanguinisque substantiam panis, et vinum convertitur. Quid in eucharistia contineatur, et quomodo ad eam sumendam accedere debeamus, I, 157. Castitas maxime curanda est sacramentum corporis et sanguinis Domini sumentibus, 157. Qui Christi conficit sacramentum, qui ad ejus carnem, et sanguinem sumendum accedit, morum honestate, et virtutum suavitate redoleat, 157. Christus, qui est sacerdos magnus secundum ordinem Melchisedech admirabili potentia panem et vinum in sui corporis et sanguinis substantiam convertit, suisque discipulis dedit, dicens: *Accipite, et comedite: hoc est corpus meum*, etc. Quid de se sentire debent ad sacram eucharistiam accedentes; eorum major erit fructus acquisitio, quo profundior fuerit humilitas, II, 6. Nunquam Christi carnem ante hoc sacramentum corporaliter quisquam comedit; numquam, nisi hoc sacramentum fieret corporaliter, eam comederet quisquam. In hoc igitur comeditur, et comesta non minuitur; quæ numquam comederetur, nisi panis iste Christi benedictione in eam substantialiter mutaretur. Est enim hæc mutatio dextera

Digitized by Google

rum perversam scientiam, et doctrinam abominari debemus, quatenus sic destruatur, ut ulterius in memoria non habeatur, I, 196. Fingunt multoties hæretici se Ecclesiæ compati, ejusque misereri, quasi in fide ægrotantis, et a veritate deviantis. Unde quasi sanare eam volentes, sui erroris ei prædicant deceptiones, I, 226. Hoc modo se gessit Lutherus prædicans Ecclesiæ reformationem. Hæretici sic in tenebris quasi in luce ambulant; quoniam non minus in tenebris erroris delectantur, quasi sancti, et catholici viri in luce veritatis, I, 265. Fidei terminos hæretici transeunt, quando plus, vel minus, quam catholica Ecclesia habet credere persuadent. Greges etiam diripiunt, et pascunt, quia quoscumque fideles Deo subripere, et decipere possunt, sui erroris doctrina pascunt et nutriunt, I, 264. Hæretici sacras Scripturas adulterant, quæ recte a catholicis expositæ contra ipsos retorquentur, I, 268. Bonis autem operibus steriles sunt, quoniam veræ doctrinæ egestatem, et famem patiuntur. Rodunt autem in solitudine, quoniam in densa silva sanctarum Scripturarum ea, quæ intelligere non possunt, violenter rodunt, et lacerant, I, 272. Serius, aut ocius omnes hæreses occidere, et catholica veritas tamquam murus inexpugnabilis victrix evasit, I, 273 Plures hæreticorum de Ecclesia exierunt, qui majores dignitates in ea habere non potuerunt, I, 272 Multo periculosior est mors animæ, quam hæretici interficiunt, quam sit mors corporis, ab homicidis illata; quoniam illa æterna est; hæc autem temporalis; illa separat animam a Deo, ista solummodo a corpore dividit. Merito igitur talis homo abominatur a Deo, qui omni fera crudelior est, I, 307. Hæretici ergo tyrannis sæviores sunt; illi animas, isti corpora necant, I, 308. Portæ mortis hæretici sunt, et quicumque ad mortem, et perditionem animas omnium trahunt. Talis porta fuit Simon Magus, tales Arius, et Sabellius, et tales multi alii, quorum doctrina et persuasione multæ animæ periere, I, 313. Sed fraus omnis, et versutia detecta, et confusa est; cum eorum errores, aliorumque omnium in fide errantium in publicis conciliis proscripti, et damnati sunt, I, 370. Nestorius, et Eutyches male in Christo distinxerunt divinitatem, I, 412. Marcionitæ, Manichæi, Priscillianistæ, et cum eis Simon Magus Christum non verum hominem, sed apparentem dicebant, I, 458. Omnes hæretici erroris caligine obscurati Novum Testamentum corrumpere nituntur, pag. ead. Adversus Deum iniquitatem illi loquuntur, qui de ipsa divinitate disputantes perversa dogmata introducunt, I, 459. Hæretici doctrinas de longe non afferunt; a patribus non accipiunt; sed ipsi in se errorem concipiunt, I, 603.

Hebræi. Primogenitus Dei Filius dicitur Israel non natura, sed gratia. Hæc enim gens a Deo electa præ ceteris dilecta fuit, I, 52. Hebræi in Ægypto quantum multiplicati fuerint narratur in I. cap. Exod.; ubi dicitur quod ex 75 animabus, quæ ex femore Jacob exierunt, tantum creverat populi hujus multitudo, ut facta numeratione eorum, qui ad bella procedere poterunt a 20 anno et supra, sexcenta tria millia virorum, et quingenti sexaginta sex reperti sunt; cæterorum vero numerus multo major videtur exstitisse, I, 47. Hujusmodi gentem extraneam, quasi innumerabilem rex Pharao formidans opprimere, et exterminare cogitavit; quare mandavit primum obstetricibus Hebræis, ut masculos omnes projicientes in fluvium occiderent, et feminas solum reservarent, I, 48. Mittitur ad eos liberator Moyses, quos incredulos, et indociles optime noscens, petit a Deo, ut missionem ejus portentis, signisque comprobare valeat, I, 50. In Ismaele, qui fratrem suum Isaac semper persequebatur populus Hebræorum designatus est, qui Christum cujus figura fuit Isaac persequi ad necem usque non destitit, ejusque fideles Christianos perpetuo odio insectatur, 24. Ductus in captivitatem, quoties se peccasse confitebatur, et pœnitentiam agens Dei misericordiam implorabat, mox a misericordiosissimo Domino exaudiebatur, I, 51. Quam inaniter Hebræi gloriabantur se filios Abrahæ esse, qui tamen ejusdem opera, et præsertim fidem non sequebantur, II, 14. Hebræorum infidelitas, et effrenata impatientia vitulum aureum pro vero Deo sibi erexit, atque adoravit, I, 118. Velamen positum est super cor eorum, ne Scripturas intelligant, 123. Quotis vicibus Hebræi Deum tentaverint, et a fide defecerint, 408. Hebræorum regnum, virtus, et potestas in tribus ætatibus, quasi in tribus annis perseveravit, viguit, et floruit. Prima siquidem ætas ab Abraham usque ad David; secunda a David usque ad transmigrationem Babylonis; tertia a transmigratione Babylonis usque ad Christum, I, 23. Eo tempore, quo Salvator noster occubuit, tenebræ factæ sunt, quibus et intus, et extra miseri Judæi sunt excæcati, et facta est nox super eos, et caligo tenebrarum, I, 521. Ex hoc Judæi Christum præcipue diligere debebant, quod diceret se pro ipsis tanquam perditis ovibus missum fuisse. Suscitabat autem mortuos illorum, illuminabat cæcos, curabat paralyticos, mundabat leprosos, sanabat hydropicos. Illi vero e contra benefactori suo detrahebant, I, 536.

Homo. Creatio hominis totius Trinitatis opus fuit, factusque ad imaginem, et similitudinem Dei, sapientiam, justitiam, et bonitatem accepit. Ejus conditor Deus omnibus creaturis terrenis præstantiorem hominem fecit. Constitutus homo in paradiso voluntatis, si originalem innocentiam servasset, beatam vitam in terris habuisset, et post eam æternam in cœlis felicitatem. Quæ scripta sunt a Moyse, *ad imaginem Dei creavit illum*, juxta S. Brunonem intelligi possunt, ut talem corporaliter quoque homini imaginem daret, qualem Filius, qui utique Deus est, quandoque suscepturus erat, ante tempora disposuerat. Sic igitur non solum interior, verum etiam et exterior homo noster Deo quodammodo adsimilis esset, I, 6. Non ad quietem, et voluptatem, sed ad laborem nascitur homo. Extra paradisum factus in paradiso ponitur. Et quia otiositas inimica est animæ, ne otiose vivat, operari jubetur, I, 9 et 231. Ab esu vetiti fructus agnoverunt primi parentes, quid boni amiserint, et in quod malum offenderint, I, 11. Immortalitatem quidem qua donati fuerant propter peccatum perdiderunt et carne caduca, et transitoria subjecti sunt, I, 16. Et Adam quidem, ait A. N., mox ut comedit, mortuus est; non quod de hac vita confestim exiret; sed ut quandoque exiret, in se suscepit, qui si non peccasset, nullatenus unquam mortuus fuisset, I, 10. Cognoverunt autem Adam, et Eva, ex quo peccaverunt se esse nudos; quod et si prius nudi essent, nuditatem tamen in se non cognoscebant; quoniam ipsa eorum nitidissima caro ante peccatum quidem omni veste ad intuendam delectabilior erat, I, 12. Item, 389. Talis est ergo conditio fragilitatis humanæ, ut necessitatem habeat Dei auxilii, ne in peccatum prolabatur, I, 19. Quicumque hominis non timet effundere sanguinem, saltem in eo venerari debet imaginem Dei; fitque reus mortis, qui fratri suo mortem infert, ut supra, 20. Homines in sacris litteris pro peccatoribus persæpe accipiuntur, I, 116. Dormit homo, si Deo non servit; et cum non operatur, otium ei labor est, non requies, I, 233. Nemo autem terram inhabitans se defendere potest, ut terræ pulvere non tangatur. Militia ergo est vita hominis super terram. Unusquisque fidelium sua in conditione militare debet, ut coronam gloriæ consequatur, ead pag. 2. Otio dediti torporis tædio afficiuntur; laboriosis autem perbreve semper est tempus, I, 258. Hæc est hominis viatoris conditio, ut numquam eodem in statu permaneat; cum autem comprehensor fuerit, haud amplius immutabitur, I, 247. Conditionis nostræ assidua cogitatio tentationibus claudit ingressum, I, 248. Ex hoc mundo migrantes homines nihil aliud secum deferunt, nisi vel consolationem de bonis, vel cruciatum de malis operibus, quæ egerunt, I, 249. Perfecta omnium rerum cognitio homini in hac vita non datur; hoc nobis in patria cœlesti reservatur, I, 278. Cum corpus infirmitate, vel senectute destruitur; tunc majori robore animus obfirmari debet. Defectio carnis sit animæ fortitudo, I, 278. Cujuscumque generis, aut conditionis fuerit homo, si Deum timet, et justitiam habet acceptus est illi, I, 180. Nemo scit semitas suas; si enim sciret, domum non ignoraret: domus autem aut infernus est, aut paradisus. Sed, quomodo terminum sciat, qui principium ignorat? In Dei namque dispositione unius cujusque nativitas, dies, et anni, tota vita, et vitæ terminus disposita sunt, I, 287.

Homo in prosperitatibus facile separatur a Deo, I, 308. Sine innocentia miseri sumus; felices vero, si eam habemus, I, 311. Ad hoc homo factus est, ut Deum timeat, et mandata ejus custodiat, I, 362. Quæ sit humana conditio per Adæ peccatum violata, I, 376. Mali homines in libro viventium scripti non sunt; sed ideo ex eo deleatur, quia in eo scribi non permittuntur. Liber autem ille nihil aliud est, nisi memoria omnipotentis Dei, in qua sunt omnia et prima et novissima continentur, I, 445. Nimium terrenarum rerum sollicitudinem non curandam ab hominibus his præclare admonet S. Bruno, II, 33. Nullum malum in hoc mundo Deus creavit, quod pluris amoris, et dilectionis, pluris pretii, et honoris sit apud Deum, quam homo. Si igitur ea quæ propter hominem facta sunt, et quæ ad ipsius comparationem aut parva, aut nulla sunt, sine labore, et sollicitudine omnipotens Dominus pascit, quanto magis eos non derelinquet, qui ad ejus imaginem facti ejus gratiæ sunt reconciliati. Thesaurus hominis est cor ejus: ibi e im et bona, et mala reposita sunt: inde honestatis, et turpitudinis, inde benedictionis, et maledictionis verba prorumpunt, II, 6*

I

Incredulitas. Quare Christiani aliqui ex fide ad incredulitatem transeunt, ratio est, quia humana scientia infati

Judicium extremum. Quæ præcedent signa extremi judicii, quantusque timor universi orbis, II, 113, 205, etc. Advenit ira Dei, et tempus mortuorum, ut alii in æternum crucientur, et pereant; et alii juste judicati bonorum operum mercedem recipiant; mali vero exterminati etiam ipsam salvandi, et in patriam revertendi spem amittant, II, 331.

Juramentum. De juramento quid sit sentiendum agit S. Bruno, II, 25 et seqq.

Justitia. Inter virtutes cardinales secunda recensetur justitia, quæ est constans, ac perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi, II, 492. Imprimis justitia erga Deum habenda est. Nullum jus habet diabolus in humana natura. Deus, et non diabolus hominem fecit. Dei utique juris est homo, ipse debet regnare in nobis, ipse debet possidere membra nostra, II, 492. Ille justus est, qui jus suum unicuique tribuit. Ideo noc nomen omnium sanctorum commune est, ut omnes sancti justi dicuntur, quoniam hæc in se ipsis justitiam operantur, et vitiis expulsis, quod autem suum est Domino reddunt, II, 492.

L

Lamech. Quod duas uxores habuit Lamech, primus bigamus dicitur. Cain in venatione interfecit, et adolescentulum, quem secum habebat, ut scelus suum celaret. Majori pœna multatus fuit a Deo, quam Cain fratris sui interemptor, I, 15.

Lex Domini. Decem præcepta a Deo populo Israel data in monte Sinai inter tonitrua et fulgura in signum divinæ potestatis, cui omnes homines parere debent, promulgata fuerunt, I, 71. Primum autem horum est, ut unius Dei adoratores simus, nec alium Deum cum eo colendum nobis proponamus. Hoc præceptum cum reliquis successive explicatur, I, 71 et seqq. Lex Domini sancta, et irreprehensibilis est, non subvertens, non decipiens, neque interficiens animas; sed potius convertens, et salvans, et ad beatitudinem perducens, I, 334. Omnis Scriptura quæ malum interdicit, et bonum agere præcipit, lex Domini est. Cui videlicet legi quicunque obedit et credit, secundum interiorem hominem et lætificatur et hilaratur. Sicut e contra lex evangelica multo perfectiora præcepta tradit, quam lex Mosaica, quod Christus Dominus ejus auctor sanctiores virtutes exercere nos jubeat, II, 28. Inter hæc injuriarum offensionumque oblivio præcipue inculcatur, ut quibus cum aliqua intercesserit querela fiat reconciliatio antequam ad oblationem sacrificii nostri accedamus, II, 24. Illud certe admirandum est in Evangelio, quod omnibus hominum conditionibus vitæ verba præbuit, ut unusquisque suo in statu salutem æternam consequi valeat, II, 62. Qui aliter agit, cæcus est, et in tenebris ambulat, et magnus mœror, et tristitia eum exspectat, 535.

Luxuria. Quamvis luxuria carni dulcis sit, animæ tamen venenosa et amarissima est, I, 579.

M

Manichæi et Ebionitæ. Horum primi Vetus Testamentum non suscipiebant, alteri utrumque admittebant; sed cum baptismo circumcisionem, et reliquas cæremonias legales observandas dicebant, I, 154.

Maria Virgo (B). A Maria sorore Moysi Maria Virgo Mater Christi nomen assumpsit, quæ post Filium suum totius Ecclesiæ caput est, I, 65. Figurata autem fuit B. M. V. in virga in arca testamenti reposita, quæ sicca frouduerat, I, 88 et 184. Ejus intemerata virginitas cum divina maternitate conjuncta prænuntiatur in præcepto Levit. cap. XII purificationis mulieribus dato. Huic enim subjiciuntur quotquot hominis semen susceperint; non autem quæ inviolata fuisset. Quod privilegium soli Matri Dei concessum est, I, 147. B. M. V. Christum filium suum in templum adtulit, Deoque præsentavit, I, 81. Præclarum vaticinium de ea habetur in ps. XLIV, præcipue vero a vers. 11 usque in finem, et eximie ab expositore declaratur, I, 389 et seqq. Ibi de cultu pictarum imaginum B. M. V. mentio habetur, ex qua pervetustus, et laudabilis mos Ecclesiæ eas colendi evincitur. B. M. V. et terra vocatur, et cœlum: terra per naturam, cœlum per gratiam: terra, quia e terra facta est; cœlum, quia Dei habitatio est: *Veritas igitur de terra facta est;* quia Salvator noster de Virgine natus est; ipse enim et via est, et veritas, et vita, I, 483. Afferuntur rationes quibus Josepho viro justo desponsata fuerit, II, 6 et seqq. Ut beatissima Virgo hac ex vita migravit, super choros angelorum exaltata fuit, II, 345. Præfiguratam asserit Bruno cum aliis Patribus Mariam sanctissimam in virga Aaron, quæ posita in arca Domini, sicca edidit florem, et incorrupta peperit Salvatorem, II, 476.

Matrimonium. Unio viri cum femina, quam summus creator Deus ad humani generis propagationem Adæ primo dedit, in viduam inter eos vitæ consuetudinem importat. Hoc ex ipsius feminæ creatione evincitur; cum ex viri costa eam formaverit; adeoque una caro cum viro sua habeatur. A Deo revelante percepit Adam, quid secutura esset Eva ejus mulier; *dixitque: Hoc os de ossibus meis, et caro de carne mea.* Secundum hoc itaque, quia de viri costa facta est mulier, non magis cum uxore, quam cum omni muliere una caro est omnis homo. Sunt autem duo in carne una, quadam naturali delectationis commixtione, unitatisque amore, I, 10. Qua ratione matrimonium ab Apostolo magnum sacramentum in Christo, et in Ecclesia dicatur, eod. loc. Designatur etiam ratio cur matrimonia inter conjunctos sanguine prohibeantur, I, 139. Vetita erant in lege Moysi matrimonia, quoties inter contrahentes esset religionis disparitas, et si nupserint, excommunicatione plectebantur, I, 163.

Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei altissimi, panem et vinum Deo obtulit, benedixitque Abraham, qui pater excelsus interpretatur, sanctamque Ecclesiam designat. Melchisedech vero figura fuit Christi secundum apostolum Paulum ad Hebræos; cum seipsum prius Deo Patri in sacrificium obtulit; deinde confirmato sacerdotio, quotidie per servos suos panem, et vinum, carnem scilicet et sanguinem eodem Deo Patri offerre non cessat, I, 25. Sacrificium Melchisedech panis et vinum fuit, in quibus Christi corpus, et sanguis significabatur. Magnus sacerdos magnum sacrificium fecit, in quo universum mundum Deo Patri reconciliavit, I, 559.

Mors. Sententiam mortis a Deo accepit Adam, postquam peccavit, hilis verbis: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Unde dixit Apostolus: *Peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors;* cui omnes homines subjacent, cum omnes in Adam peccaverint, I, 13. Mortis signa sunt corporis extrema debilitas, et spiritus exinanitio, 142. Vitæ brevitas tribulationum angustias sublevat, et consolatur. De semita autem mortis non revertimur; cum nisi semel quis moriatur, I, 252. Quamvis prava intelligentia impii aliquando luceat, et vera esse putetur, extinguetur tamen in interitu ejus, et dissipabitur, 254.

Moyses ortus est in Ægypto; projectus autem in flumen juxta Pharaonis mandatum a filia regis salvatur, et in filium adoptatur, I, 48. Factus adultus fratrum suorum afflictionem, vexationemque commiseratus est; cumque vidisset ab Ægyptio hominem Hebræum percuti, suum eum occidit et sabulo abscondit. Id ut novit Pharao Moysen interficere cogitavit, qui in terram Madian fugit, duxitque in uxorem Sephoram filiam Sacerdotis Madian, I, 49. Dum pasceret gregem Jethro cognati sui, et ad montem Oreb ascendisset, apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi ardentis. Singula mysteria, quæ hac in apparitione obumbrata sunt, explanantur, I, 49. Mittitur a Deo in Ægyptum, ut populi sui liberator fiat, suumque ministerium cum Aarone fratre suo dividit, I, 51. In itinere præcipitur ei a Domino, ut filium suum circumcidat, ne apud fratres suos divini prævaricator mandati appareat. De proximis nostris bonum exemplum præbere nos docet, 52. Moyses, et Aaron ad Pharaonem se conferunt, eique Dei voluntatem declarant, ut Hebræos populum suum a servitute liberet, eumque ab Ægypto egredi permittat, I, 52. Quid sit intelligendum in eo, quod ei dixit Dominus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis,* I, 53. Facta est ei a Deo potestas, ut juxta voluntatem suam Pharaonem afficeret, et signis, et miraculis eum humiliaret; nec res contra eum agere posset, ut noceret, I, 55. Magnus vir Moyses fuit in Ægypto; magnus quidem in verbis, magnus in miraculis, magnus in constantia, et ideo magnus, quia Christi figuram gerebat, I, 57. Moyses legislator, et Dei populi mediator, mediatorem Dei, et hominum Jesum Christum significat, utriusque Testamenti datorem, I, 84. Quamvis Deus personæ Moysen suo aspectu dignatus sit, attamen non nisi per figuras et species eum vidisse dicendum est; juxta Joannis oraculum: *Deum nemo vidit unquam,* I, 181. A Domino omnis terra promissionis ei detensa fuit; sed in pœnam defectus in fide, quando percussit petram, ad illam non intravit. Jubente Domino obiit Moyses in terra Moab; sepultusque est; sed sepulcrum ejus Deus occultavit, I, 220. Antequam moreretur benedixit filiis Israel; hoc est singulis tribubus suam benedictionem impertitus est, I, a 216 usque ad 219.

Mundi ætates. Sex dies, quibus omnium rerum creatio facta est, sex mundi ætates indicant, et tempus durationis visibilis orbis prænonstrant. Prima quidem ætas numeratur ab Adam usque ad Noe. Secunda a Noe usque ad Abraham. Tertia ab Abraham usque ad David. Quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis. Quinta a

Digitized by Google

137. Coram Domino libamina offerre dicuntur sacerdotes qui in Dei præsentia semper existunt, et interna illustratione illuminantur. Cum populis verbum Dei dispensant, et tantummodo populo prædicando revelent, quæ eorum intelligentiæ sufficere posse cognoscent, I, 137. Ibidem de modo tractandi a sacerdotibus controversias fidei agitur. De manu episcopi ordinantis presbyteri Evangeliorum librum accipiunt, ut verbi Dei exponendi et prædicandi habeant potestatem, I, 144. Sacerdotes ad altare non accedant, nisi loti, hoc est mundati a peccatis, I, 116. Sacerdotum accusationes non facile sunt accipiendæ, I, 149. Offerre victimas homines sæculi possunt; immolare vero agnum ad altare solius sacerdotis officium est, I, 155. Quæ differentia sit inter clericorum ordinem, et reliquum populum, I, 172. Non omnibus evangelizare licet, sed quibus ministerium verbi commissum est, I, 177. Illis autem in primis scientia et prudentia necessaria est, I, 200. Severe a Deo puniti fuerunt, qui sacerdotium sibi usurpare voluerunt, I, 184. Ad sacerdotalem ordinem criminosi non sunt admittendi; attamen ab Ecclesia non sunt separandi, I, 198. Neque servorum filii ad sacros ordines suscipiuntur, quia non est Ecclesiæ Dei aliena violenter rapere; si vero eorum domini concesserint, nemo eos propter servitutem a sacris ordinibus repellit. Servitus enim non est peccatum; ipsi quoque mox ut ordinantur liberi fiunt, I, 204. Ab Hebræis summo Deo fidelibus, qui fratres suos idololatras ex Dei præcepto, nullo reservato, interfecerunt, sacerdotes Domini gladium spiritus, quod est verbum Dei, evaginantes, nulli delinquenti parcere discant; Dei amorem omni amori anteponant, I, 217. Arca Dei capta fuit propter insolentiam filiorum Heli, qui suo sacerdotio abutebantur, et quia ipse Heli eos, sicut debuit corrigere neglexit, I, 469. Qua severitate punientur a Deo, qui Sanctuarium, et ministros ejus, hoc est sacerdotes conculcarint et contumeliis affecerint, I, 240.

Sacrificium. Ab exordio mundi cœperunt homines supremum rerum conditorem colere, eique sacrificare in signum sui cultus et adorationis; quod filii Adam Cain et Abel perfecerunt, I, 14. Deinde mos iste in omnes gentes pervasit, ut interiorem religionem etiam externis actibus, sacrificiis nempe, etc., comprobarent. Nullum animal immundum immolabatur Deo, quia soli sancti, et a peccatis mundati Deo placent, I, 19. Immaculatam agnam Domino offert, qui se a peccatorum malitia immaculatum custodit, I, 134. Incensum et ignem alienum coram Deo offerunt, qui contra fidem prædicant, et dogmata nova, falsa, aut periculosa in populo promovent, I, 144. In veteri lege sive agnus, sive vitulus, sive hircus pro peccato immolaretur, Christi passionem significabat, I, 165. Nihil nisi sanctum Deo offerri potest, I, 166. Sacrificia et oblationes veteris legis usque ad Christum suum tempus habuerunt, quia Christi passionem significabant. Deinde necessaria non fuerunt, quia debuit cessare umbra, veniente veritate, I, 378. Vetera sacrificia a Deo acceptabantur, non propter sanguinis effusionem, sed propter significationem, I, 399. De sacrificio missæ vide in Eucharistia.

Sanctorum vita est rerum terrenarum contemptus, et studiosa cœlestium inquisitio, I, 47. Sancti viri jejuniis, vigiliis, orationibus carnisque maceratione omnem libidinis impetum a se repellunt, I, 55. Viri sancti per multas tribulationes intrabunt in regna cœlorum, I, 87. Justorum est nihil velle, nisi quod placitum est divinæ voluntati, I, 88. Læto corde illi morti occurrunt, cum optimam spem suæ salutis habeant, I, 229. Sancti quando in orationibus suis Deum exorant, quamvis corpore in terra sint, spiritu tamen ipsum cœlum volando transcendunt, I, 231. Quanto virtutum gradibus altius ascenderint sancti, tanto magis mundi adversitates despicientes, spem sibi prosperitatis in futurum promittunt, I, 19. Crescunt quotidie sancti in virtute, et non solum hominibus, sed ipsis dæmoniis sunt terrori, I, 20. Sanctorum orationes plurimum valent apud Deum, ad obtinendam peccatorum veniam, I, 297. Hæc est sanctorum non modica consolatio; quia statim post martyrium coronabuntur, glorificabuntur, et in æternam beatitudinem recipientur, I, 303. Justi etiam omnes de hujus vitæ tenebris exeuntes in æternæ lucis beatitudinem intrabunt, I, 333. Opera digitorum Dei sancti dicuntur, qui Spiritus sancti gratia in hac tanta plenitudine formati sunt, ut sicut sol fulgeant in regno Dei, I, 313. Solus Dominus hæreditas sanctorum est, quia spretis omnibus quæ in mundo sunt, solum Dominum in partem sibi elegerunt. Bona commutatio, ut et ipsi sint hæreditas Domini, et in hæreditatem habeant Dominum, I, 324. Probantur interdum a Deo sancti, quemadmodum Abraham, Job, Tobias, et ipse David, cum multis aliis, et visitavit in nocte angustiarum, et tribulationis. In ipsis autem tribulationibus gratias Deo agebant; ade que nihil iniquitatis inventum est in illis. Qui tribulantur, quomodo se gerere debeant, addiscant, I, 325. Omnes sancti justi dicuntur, quia justitiam faciunt, prædicant et custodiunt. Ideo enim persecutiones patiuntur sancti, quia justitiam prædicant, et defendunt; quorum afflictio et persecutio nihil aliud est quam sacrificium gratum Deo et acceptabile, I, 365. Egeni et pauperes erant sancti, et humano auxilio destituti; quia præter Deum nemo erat qui eis auxilium præstare auderet, I, 447. Dextera Patris Filius est, quia per ipsum omnia operantur. Hæc autem dextera facit omnem hanc sanctorum virtutem, quando Salvator noster morte sua diabolum superavit; ibi enim omnes sancti constantiam et fortitudine super suos inimicos omnes exaltati sunt, et ab æternæ mortis periculo liberati, I, psal. cxvi. Altaria Dei dicuntur sancti, quia Deo consecrati sunt, et in eis habitat Deus; in eis quotidie fiunt holocausta et sacrificia Dei, 481. Qui sanctus est, dignus est qui a Domino custodiatur. Sed ego omnes illos viros sanctos intelligo, qui sacramentis Ecclesiæ sanctificati fidem tenent, et ab Ecclesia non recedunt, I, 484. Multa signa fecit Dominus cum sanctis suis, et omnia in bonum, quia maxime propter signa, quæ fiebant, ad fidem gentiles convertebantur. Super illa verba psal. lxxii: *Dies pleni inveniantur in eis*, hæc habet S. Interpres. Dies pleni illi sunt, qui bonis omnibus abundant. Et tales post hanc vitam habebunt sancti, quando bonis omnibus in illa beatitudine superabundabunt, I, 454. Omnes eos qui prædestinati sunt, etiamsi ei inimici et contrarii aliquando exsitterint, salvabit tamen, et resuscitabit Jesus, II, 436. Nihil est quod plus in memoria sancti Dei habeant, quam memoria sui Salvatoris, II, 311. Sancti dabunt gloriam Deo cœli, qui eos ante sæcula ad vitam prædestinavit, et a crimine liberavit, ne simul cum peccatoribus similia paterentur, II, 000.

Sapientia. Quæ sit vera sapientia, et qui usus de ea fieri debeat, I, 572. Commendatur regina Saba, quæ ad regem Salomonem se contulit, ut audiret sapientiam ejus. De pluribus arcanis Salomonem interrogavit, atque plenam de omnibus cognitionem consecuta est, I, 572. Sapientia etiam sive prudentia, quæ reliquas virtutes cardinales præcedit, et est divinarum humanarumque rerum cognitio, a Dei cognitione et confessione incipit, quare dicitur a Deo data, morum honestatem moderatur, et ad salutem pertinet animarum, I, 492. Talis est sapientia inter alias virtutes quale est aurum inter omnia metalla. Unde non immerito in divina pagina per aurum sapientia significatur, I, 492.

Scandalum. Gravitas peccati scandali exponitur, quæque pœna sit ei inflicta, II, 88.

Scripturæ divinæ. In aquis amaris, quas Hebræorum populus bibere non poterat, et quæ dulces factæ sunt per lignum quod in eas Moyses injecit, intelligendæ sunt sacræ Scripturæ, quæ ante Christum non intelligebantur; sed passio Christi, et crucis lignum eas ex amaris dulces reddidit; hoc est eorum sensum aperuit, I, 65. Quomodo hujusmodi amaritudo dulcis fiat, explicatur, I, 65. Moyses sermones Domini scripsit, ut temporis longitudine oblivioni non traderentur. Et quoniam in morte testatoris testamentum confirmatur, hic autem testator mori non poterat, aliquid fieri necesse erat, quo testamentum illud confirmaretur. Confirmatum est autem sanguine vitulorum, donec veniret ille, qui per vitulum significabatur, I, 84. Quidquid in Veteri Testamento Moyses scripsit de Christo in figura, cum fecisse tradunt Evangelia; de veritate gestorum nemo ambigere potest, II et seqq., 55. Vetus Testamentum, in nube datum, ejus obscuritatem præsignabat, 86. Mensa, quam Deus Moysen jussit construere post arcæ fabricationem, et cherubim, divinam Scripturam designat. Cherubim scilicet, cum scientiæ plenitudinem significet, quibusdam velocibus alis subito volans omnia replet; et mensa vocatur, quia multis diversisque deliciis animam pascit, 89. Sunt quadraginta duo libri Veteris Testamenti; novi vero sex, quibus sunt epistolæ Pauli, et epistolæ canonicæ, quæ duobus voluminibus continentur, jungantur, omnes libri quinquaginta fient. Liber enim Ruth, sicut S. Hieronymus dicit, in libro Judicum computatur, et Esdras, et Neemias in uno volumine coarctantur, 93. Quid pro circulis aureis, quos Deus fieri præcepit, ut his cortinarum vela circa tabernaculum jungerentur, præclare docet S. Bruno, 95. Tabulæ legis, tabulæ testimonii dicuntur, quod quidquid velit, nolitque Deus testantur, 119. Frangunt a Moyse tabulæ legis, ne iis exstantibus rigore ejusdem idololatrum populum omnino deleret, 119. Præbet hoc exemplum iis qui præsunt, ut ne pejus contingat, indulgentia utantur, 119. Priorum confractio tabularum signum fuit venturum tempus finis ejusdem. Quod vero præceperit Deus novas tabulas fieri a Moyse, significat novam legislationem veteri substituendam, I, 122. Gloria Novi

Digitized by Google

CAP. III. — De nubibus novis. 949
CAP. IV. — De montibus novis 952
CAP. V. — De arboribus novis. 956
CAP. VI. — De animalibus novis. 956
CAP. VII. — De potestatibus novis. 960
CAP. VIII. — De mari novo et novis piscatoribus. 964
CAP. IX. — De avibus novis. 967
CAP. X. — De fluminibus novis. 970

LIBER QUARTUS.

CAP. I. — De sancta Trinitate. 975
CAP. II. — De eadem. 977
CAP. III. — De eadem 981
CAP. IV. — De nativitate Domini. 984
CAP. V. — De circumcisione Domini. 987
CAP. VI. — In Epiphania Domini. 989
CAP. VII. — De octavis Epiphaniæ 992
CAP. VIII. — Sermo I in Ramis palmarum 997
Sermo II item in Ramis palmarum. 997
CAP. IX. — In Cœna Domini. 1001
CAP. X. — Sermo I in Parasceve. 1007
Sermo II item. 1008
CAP. XI. — De die sancto Paschæ. 1011
CAP. XII. — Sermo I in Ascensione Dominica. 1012
Sermo II. 1014
CAP. XIII. — Sermo I de adventu Spiritus sancti. 1016

LIBER QUINTUS. — *De laudibus beatissimæ virginis Mariæ.*

CAP. I. — De laude B. Mariæ civitatis Dei. 1021
CAP. II — De Nativitate B. Mariæ virginis. 1022
CAP. III. — De Purificatione S. Mariæ virginis. 1025
CAP. IV. — De Annuntiatione B. Mariæ virginis. 1028
CAP. V. — De Assumptione B. Mariæ virginis. 1032

LIBER SEXTUS. — *In festivitatibus martyrum, confessorum*, etc.

CAP. I. — De martyribus. 1031
Sermo I. 1031
Sermo II. — In natali unius martyris. 1034
Sermo III. — De nativitate plurimorum martyrum. 1037
Sermo IV. — De eisdem. 1040
Sermo V. — De eisdem. 1043
CAP. II. — De confessoribus. Sermo I. 1047
Sermo II. — De eisdem. 1050
Sermo III. — De eisdem. 1054
Sermo IV. — De eisdem. 1058
Sermo V. — De eisdem. 1058
Sermo VI. — De eisdem. 1062
Sermo VII. — De eisdem. 1064
CAP. III. — Sermo I. — De quovis sancto. 1067
Sermo II. — De apostolis, et evangelistis et doctoribus. 1070
Sermo III. — De evangelicæ legis prædicatione. 1070
Sermo IV. — De virginibus. 1073
Sermo V. — De sancto Michaele archangelo. 1075

INCIPIUNT TRACTATUS.

TRACT. I. — De incarnatione Domini et ejus sepultura 1079
TRACT. II. — De sacrificio azymo ad Leonem monachum. 1085
Ad tractatum tertium editoris Romani admonitio. 1089
TRACT. III. — De Sacramentis Ecclesiæ, mysteriis atque ecclesiasticis ritibus. 1089
De consecratione ecclesiæ. 1091
Quid aqua significet. 1092
Quid significet ecclesia. 1092
Quid sal significet. 1093
Quid hyssopus significet. 1095
Quid in circuitu eundo significet. 1094
Quid virga significet. 1095
Quid litteræ. 1096
Quid quod in modum crucis scribitur. 1097
Quid aqua interius benedicta. 1098
Quid vinum significet. 1098
Quid cinis significet. 1097
Quid altare. 1098
Aqua est prædicatio. 1098
Quid oleum. 1099
Quid balsamum. 1099
Quid significet consecratio chrismatis et olei. 1099
Quid cerei. 1100
De ritu in conferendo baptismate. 1100
De confirmatione. 1102
De vestibus episcopalibus : quid significent vestimenta episcopalia. 1105
De amictu et ephod. 1107
De orario. 1104
De tunica. 1104
De dalmatica. 1105
De planeta. 1105
Quid pallium significet. 1107
De vittis. 1108
De acu. 1107
De mitra. 1107
De manipulo. 1107
De chirotecis 1108
De annulo. 1108
De summo pontifice. 1108
De consecrationibus episcoporum. 1108
S. LEONIS PAPÆ IX VITA. 1109
RESPONSIO ad eam quæstionem : Cur corruptus hujus temporis Ecclesiæ status. 1121
Admonitio in Vitam sancti Petri episcopi Anagnini. 1137
COMPENDIUM VITÆ SANCTI PETRI EPISCOPI ANAGNINI. 1137
Privilegium canonizationis beati Petri. 1137
EPISTOLÆ.
I. — Ad Petrum Portuensem episcopum. 1139
II. — Ad episcopos et cardinales S. R. E. 1139
III. — Ad Paschalem summum pontificem. 1140
IV. — Ad B. præpositum et cunctos fratres S. Georgii 1140

ODDO ASTENSIS MONACHUS BENEDICTINUS.
IN PSALMOS EXPOSITIO 1142

FINIS TOMI CENTESIMI SEXAGESIMI QUINTI.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google